2-5-3317

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala C
Estante 21
Tabla
Número 12

BIBLIOTECA GENERAL REAL
GRANADA
Sala: B
Estante: 6
Número: 94

N.º 2
14-23/17

i1692499X

del Col.º de la Compª de Jhv. Granada R.20199

IOANNIS

DE DICASTILLO

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

DE

SACRAMENTIS

Disputationes Scholasticæ & Morales.

TOMVS TERTIVS:

IN QVO AGITVR

DE SACRAMENTO ET CONTRACTV MATRIMONII,

ET DE SPONSALIBVS.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ANTVERPIÆ,
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
M. DC. LII.
Cum Gratia & Priuilegio.

IOANNIS

DE DICASTILLO

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

DE

SACRAMENTIS

Disputationes Scholasticæ & Morales.

TOMVS TERTIVS

IN QVO AGITVR

DE SACRAMENTO

ET CONTRACTV

MATRIMONII

ET DE SPONSALIBVS.



ANTVERPIÆ

Apud IACOBVM MEVRSIVM

M.DC.LII.

PRÆFATIO DEDICATORIA AD LECTOREM.

INTER cætera commoda, Lector optimè, à me in præcedentibus libris probati, ſuſceptiq́ue conſilij, quo prætermiſsis Principibus, Prælatis, aut magnis Dominis, tibi tantùm mea ſcripta dicaui; vnum eſt, quod, ſi cætera deeſſent, me ad vtilia properantem, & inutilia reſpuentem in eodem conſilio poſſet confirmare. Nempe ſic liberabor ab inani curâ, ineptâ ſolicitudine, ſuperuacaneo labore cogitandi de Patrono, illumve quærendi, quem, vt alibi diximus numquam ſim meorum librorum defenſorem experturus. Quin, vt vera dicam, toties mentiar, quoties eumdem Patronum appellauero. Te ipſum appello ſi fortè ſis aut fuiſti, aut eſſe aliquando cogitas alicuius libri Auctor, ad tribunal mentis tuæ te ſiſto. Putabaſne, aut putas librum tuum, quem forte Regi vel Imperatori, aut ſummo etiam Pontifici ſupplex obtuliſti, vel eo ſaltem nomine tutum eſſe ab inuidis & maleuolis, obtrectatoribus, & oppugnatoribus, quòd ad prædictos tamquam ad certiſsimum, & tutiſsimũ præſidium confugiſſes? Has certè cauſas plerique ingeminant alijs, atque alijs phraſibus teſtantes ſe ad illos confu-

gere, vt libros tanto patrocinio munitos nemo audeat damnare, taxare vel mordere nemo; nemo carpere, & oppugnare. Itane vero? Hæc credidisti cùm diceres aut scriberes? Profecto tãtum animi tui candorem & simplicitatem laudare quàm sequi facilius possum. Nihil ego tale experior, siue in alijs quos lego auctoribus, siue in me ipso, dũ aliorum sententias impugnamus; quippe qui nõ minus facilè nõ minus intrepidè sententiam, quę non placet cõfutamus, & reijcimus, quãdo Auctor librũ suum dicauit Pontifici; atque quando ad priuatum suum direxit amicũ. Nec me vmquàm, alioſve dum impugnamus electi aut nuncupati Patroni deterruit auctoritas.

Nónne vidisti sæpe à Quæsitoribus fidei seu alijs, ad quos id spectat, tam facile prohiberi, damnari, configi, aut corrigi libros Regibus, Imperatori, aut Papæ dicatos, atque alios, quos nugator aliquis ad fallendum tempus adornauerit in gratiam illorum, qui otiantes sedent, & garriunt in tonstrinâ?

Quid ergo (sic fortasse opponet aliquis) tu non vis, aut desperas eorum, quæ in tuis libris exponis legenda habere defensores? Apage. Nec nolo, nec despero. Quid si etiam cupiam? Morale sanè est vt qui sua sensa pronuntiant vel vulgant, velint habere alios secum sentientes, & ea quæ legerunt vel audierunt approbantes. Sed ij non sunt Principes, qua Principes sunt. Eos tantum esse constat de quibus Epigrammaticus ille notissimus se iactabat *Lector, & auditor nostros probat Aule libellos.* Lectoribus ergo & prodesse

Martialis.

deſſe pro meâ tenuitate, & quantum fieri poſsit non diſplicere vota noſtra ſunt. Hæc non negauerim. Tales cupio Patronos. Sed à legentibus id ſperari debet, non à Principibus. Hos vidimus numquam; illos ſæpiſsimè ſcriptorum eorumque doctrinæ patrocinium ſuſcipere.

Atque vt omittã prima capita ſcholæ Magiſtrum Thomam, Scotum, cæteroſq; proximè ſubſecutos, alioſq, plures poſterioribus ſæculis commendatos vno aut altero vtar domeſtico exemplo eorum quos vidi & allocutus ſum quorumq; nomen celebre eſt cumprimis noſtri ſæculi. Vazquium & Suarium appello. Qui ſunt, qui Suarij, qui ſunt, qui Vazquij doctrinã pro virili defendant? Principeſne aut Prælati, ſummæve auctoritatis viri, quibus ij libri offerebantur, & dicabãtur; an priuati potius, & priuato ſtudio legentes libros accurateq; euoluentes; ſententiarum & rationum pondera examinantes? Hos vtique dices eſſe; non illos. Quid ergo mirũ ſi quis auctor velit ad hos tantùm non ad illos ſua ſcripta dirigere?

Id ego præſtiti hucuſque, mi lector, & nunc iam rurſus libentiſsimè præſto; dum tibi, non illis lucubrationes meas tam priores in præcedentibus libris quàm in his quos vides firmata voluntate poſteriores dicatas volo.

Tui ergo cõmoda tibiq; ſeruiendi cupidus offero ſecundum & tertium tomum de Sacramentis, in altero *de Pœnitentiæ virtute, & Sacramento confeßionis ſimul & de pœnis in Purgatorio, ac de Indulgentiis & ſuffragiis diſputo*, in

altero *de Sacramento & contractu matrimonij* præmissa prius *disp. de sponsalibus*. In his sicut in primo tomo nõ theoricas tantùm siue scholasticas vt appellãt quæstiones & difficultates pertracto, sed practicas etiam & impari cura & diligẽtia percurro, auditis & relatis aliorum sententiis. Numquam tamen placuit in scriptoris alicuius verba iurare. Illos tantùm excipio, quorũ auctoritas irrefragabilis est. Hi sunt scriptores Canonici; Pontificũ definitiones; legitima Concilia, &, si qui sunt alij limpidissimi veritatis fontes ab omni latentis erroris cœno purgati. Cæterorum sententias ad trutinam rationis expendo. Si appensæ in staterâ, inueniuntur minùs habentes, omnino reijcio; quoscumque habuerint parentes, & primos assertores; aut etiam horum pedisequos, quorum non pauci parum apud me ponderis habent cùm solùm præcedentium auctoritate nitantur absque vllo, vt apparet accurato examine.

Eapropter neque in scholæ controuersijs computantur apud me inter Judices, nec apud alios Judicum auctoritatem & locum merentur. Testes fortasse aliorum sententiæ possent haberi, sed adeò etiam fide digni non sunt, vt sæpe falsi testes deprehendantur: seu, quia non assequuntur ob imperitiam aliorum mentem; seu quia non satis integrè à se lectã doctrinam nobis referunt; seu (quod etiam viris doctis aliquando contingit) dum sententiæ, quam sequuntur, auctores quærunt; eorum quos legunt verba detorquent, & durissima interpretatione

in

in ſuam ſententiam trahere conantur.

Hos ego Recentiores, quantumuis magni nominis, refellere non vereor, præſertim, quando & ipſi venerandæ antiquitati tam parum deferunt, vt quibuſdam qualibus argumentis territi in exoticas ſententias declinent. Et quidem ſæpe ea ſunt argumenta quibus mouentur, vt iam olim viſa fuerint ipſis antiquis auctoribus, & ab ijſdem reiecta. Sed hæc, & ſimilia ſuis quæque locis in hoc opere notata ſunt. Reliqua, mi lector, de quibus te poſſem admonere, vt communia ſunt cum ijs, quæ in primi tomi præfatione diximus, nõ viſa ſunt amplius inculcãda.

Prædictum tomum primum quando edidi fore ſperabam vt hæc quę iam damus paulò poſt ederentur; ſed oborta impedimenta ſiue publica propter bella; ſiue alia priuata neceſſariò prius ſuperanda; ſiue prioris etiam typographi obitus, ſiue quædam etiam peregrinationes ex obedientia ſuſceptæ, quibus acceſſerunt poſteà occupationes aliæ muneris mei tum Præfecti tum Profeſſoris, quod gero, non permiſerunt maturius me expedire. Interim hæc ipſa mora tempus conceſsit, vt ſecundæ curæ potiores eſſe poſſent. An aliquid noſtro labore effecerimus, quod è re tuâ ſit, tuum eſto iudicium. Si quid minus placeat (quod alibi etiam te rogaui) aut dele, aut corrige. Vale.

SVM-

SVMMA FACVLTATIS SVPERIORVM SOCIETATIS IESV.

HAbet R. P. Ioannes de Dicastillo Societatis Iesv legitimam à superioribus suis facultatem imprimendi totum Opus de Sacramentis speciali factâ mentione etiam de Matrimonio, vt constat ex litteris sui Prouincialis ex facultate Præpositi Generalis ad id ipsi concessa.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHilippi IV. *Regis Catholici, Belgarumq; Principis diplomate sancitum est, ne quis* R. P. Ioannis de Dicastillo *è Societate* Iesv *Doctoris Theologi Opus de Pœnitentia & Purgatorio, nec non de Matrimonio præter* Iacobi Mevrsii *voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi impressum in ditiones Belgicas importet venale vè habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur: vti latius patet in diplomate Bruxellis dato, die 22. Ianuarij* 1650.

Signat

LOYENS.

IOAN.

IOANNIS DE DICASTILLO

Societatis IESV Doctoris Theologi

DE SACRAMENTIS

TRACTATVS DECIMVS

In quo agitur de Sacramento, & contractu

MATRIMONII

ET DE

SPONSALIBVS.



VM in hoc secundo tomo primus, & in ordine cæterorum octauus Tractatus fuerit de Pœnitentiæ virtute, & Confessionis Sacramento; *deinde tamquàm eiusdem pars, seu Appendix subiunctus fuerit iuxta receptam consuetudinem nonus Tractatus breuissimus* de peccatorum pœnis & remissionibus per Purgatorium, indulgentias & suffragia; *proximum locum iure postulabat Tractatus decimus* de Pœnis & Censuris, *quibus Ecclesia vel peccantes punit vel peccaturos deterret, vel renuentes ad officium compellit. Hunc ego Tractatum simul prædictis adiungere cogitaueram, & paratum habui; sed ipsa rei copia, & graues difficultates, quæ in eâ materiâ quotidie augentur, suum sibi postulant iustum volumen, seorsim proximè edendum; non quidem admodum vastum, sed adeò iustæ molis, vt non facilè potuerit præcedentibus annecti. Ideò Tractatum de Matrimonio (ne hoc Sacramentum à cæteris separemus) adiungimus, & decimum appellamus, quo loco sæpe illum indigitauimus in cæteris Tractatibus, quando ad illius doctrinam Lectorem remisimus.*

TRACTATVS DE MATRIMONII CONTRACTV ET SACRAMENTO ET DE SPONSALIBVS QVÆ SOLENT PRÆMITTI.

De modo & methodo seruandis in hoc Tractatu de Matrimonio.

PRÆFATIO.

1. *Media via tenenda inter fusiorem & breuiorē Tractatum de hac re.*

HAc de re fusiùs aliqui disputant, alij breuiùs, quàm res ipsa postulat; nos mediam viam tenebimus vt, quæ propria sunt huius Tractatus, quantum satis est Diuino fauente Numine explicamus: Quæ verò aliena sunt, & obiter inciderint, ad propria loca reijciamus. Quamuis autem plures, & graues hac de re doctissimè disputent; primas (omnium ferme iudicium sequutus) deferendas censeo Patri Thomæ Sanchez, cuius opera, maximè, quæ ad Matrimonium spectant, egregiè sustinent nomen, quod adepta sunt. Ipsum alij posteriores sequi non dedignantur, non solùm methodum imitantes, sed & doctrinæ plerumque subscribentes. Plerumque dixi, non semper. Quotus enim quisque est, qui in omnibus, omnibus placeat? ipsum ergo & nos maiori ex parte sequemur, non prætermissis etiam alijs Auctoribus; qui, quamuis pleraque ex hoc promptuario desumpserint, aliquid tamen addiderunt, quod meritò viris doctis non displiceat; ipsos ergo audiemus, & quod placuerit probabimus, etiam in illis, qui videntur voluisse prædicti Auctoris placida refellere, quoties datur occasio; & cùm facilè, vel omittant, vel dissimulent significare ea, quibus scripta sua locupletarunt ab Auctoris illius fontibus hausta fuisse nunquàm omittūt eiusdem vel lacinias mordere vel fimbrias vellicare.

Sanchez in hac materia præcipuus auctor communi iudicio.

2. *Methodus qua seruabitur in hoc Tractatu.*

Quod attinet ad methodum, quamuis non omnino eandem Auctores sequantur in eo ferè omnes consentiunt, vt de ijs, quæ ad Matrimonium plerumque viam sternunt & præuia esse solent, scilicèt de sponsalibus priùs disputent, deinde ad ipsum Matrimonij siue Sacramentum, siue contractum gradum faciant; id etiam nos præstabimus.

DISPV-

DISPVTATIO PRIMA

De naturâ, & vi sponsalium ad inducendam obligationem, & de eorum dissolutione.

DVBITATIO I.

Quid sint sponsalia?

3. *Varia acceptiones vocis sponsalia.*

OMissis aliis acceptionibus, seu significationibus huius vocis spōsalia, quæ accipi solet, tum pro Matrimonio nondum consummato; cum pro muneribus, quæ sponsæ ab sponso dantur. *L. 1. c. si nuptiæ ex rescripto petantur.* & in litteris sacris. 1. *Reg.* 18. vbi dicitur *non habet Rex sponsalia necesse*: omissâ etiam acceptione huius vocis sponsus, vel sponsa, quæ solet significare etiam illam, quæ contraxit Matrimonium per verba de præsenti, Quod ad rem nostram attinet, sponsalia dicuntur futurarum nuptiarum mutua promissio, vt habetur *c. Nostrates 30. q. 5.* quamuis enim ibi non habeatur illa particula mutua, ea tamen deducitur, ex *l. 1. de sponsalibus*, vbi hæc appellantur repromissio quod idem est, insinuaturque hoc ipsum *c. Præterea c. de illis c. sponsam de sponsalibus.* Imò ideò in numero plurali sponsalia dicuntur, quia non vnius, sed vtriusque partis promissionem inuoluunt. Quamuis autem sola vnius partis promissio obligare possit (de quo in sequentibus dicemus) multum tamen interest an sponsalia in communi acceptione mutuam promissionem inuoluant: Nam, si vtramque requirant, non orietur impedimentum publicæ honestatis (de quo suo loco dicemus) nisi promissio mutua sit, tale enim impedimentum ex sponsalibus orietur, ad quæ non sufficit promissio non mutua.

Ex iure Cæsareo ex sacris litteris.

Sponsus & sponsa quinam appellari soleant.

Sponsalia quid sint.

Ex iure Canonico.

Ex iure ciuili.

Cur sponsalia in plurali numero appellentur.

4. *Illatum ex dictis pro praxi.*

Sponsa nomen & vxoris diuerso modo accipitur in odiosis quam in fauorabilibus.

Lex Non sine *consonat ius Canonicum.*

Ex dictis pro praxi colligendum est, nomine sponsæ (idemque est de sponso) in odiosis tantùm intelligi, sponsam de futuro, id est, cui cum alio interceßit validè mutua promissio futuri matrimonij, quæ sola propriissimè sponsa appellatur, sicut & nomine vxoris, seu coniugis illa sola comprehenditur in odiosis, quæ iam matrimonium ratum consummauit; in fauorabilibus tamen satis probabiliter nomine vxoris seu coniugis etiam comprehenditur sponsa de futuro, vt videtur colligi ex *L. Non sine c. de bonis quæ liberis.* Idque locum habere potest, etiam in iure Canonico quoties ratio motiua legis fauorabilis locum habere potest in sponsâ. Vnde cum citatâ lege decernitur in fauorabilibus sponsam nomine vxoris comprehendi posse, colligitur dum decernit, vt ea, quæ vxor adquirit à marito, quoad proprietatem sibi; non autem patri suo adquirat, debere extendi ad ea, quæ adquisiuit sponsa ab sponso.

5. *Sanchezij illatum.*

Ex quo etiam infert Sanchez *lib. 1. de matrimonio disp. 1. num. 2. & 3.* in fauorabilibus nomine sponsæ posse intelligi eam quæ contraxit matrimonium per verba de præsenti; nondum tamen consummauit, & nomine coniugis, tam hanc; quam sponsam de futuro. Verum (vt indicabam) quamuis id colligi videatur ex *citatâ L. Non sine num. 3.* non videtur hoc generaliter admittendum in sponsa de futuro; sed solùm in iis, in quibus eadem est fauoris ratio, vt rectè notauit Coninc *disp. 21. dub. 1. n. 4.* & alij Recentiores; nam in *c. si vero 3. de sent. excomm.* quāuis decisio fauorabilis sit, nomine tamen vxoris non venit sponsa, vt fatetur Sanchez *supra num. 6.* Placet ergo quod docet Couarruuias *in epitome 4. lib. Decretalium c. 1.* & alij, si mentio de sponsis fiat, in aliquâ dispositione, vel legis, vel testamenti, aut codicilli, vel cuiusuis contractus solùm esse intelligendam de sponsis de futuro ante ratum matrimonium; nisi ex alio capite constet oppositum; & quidem meritò. Debent enim verba intelligi iuxta magis communem vocis vsurpationem; quamuis in vulgo præsertim in aliquibus Hispaniæ locis, satis frequens sit vsurpatio pro eâ, quæ nondum consummauit, etiamsi sit ratum matrimonium; tunc autem in testamentariâ dispositione, quæ facilius quam leges vsurpat verba in sensu vulgari, & minus proprio; potest facilius nomine sponsæ aut sponsi intelligi ratum quidem; sed non cōsummatum habens matrimonium, præsertim cùm talis mentio soleat in testamento esse fauorabilis. Sic autem explicata doctrina non est contra Sanchez, qui regulam de fauorabilibus prædictam satis temperauit, quidquid more suo contra Sanchez reclamet Basil. Legionēsis *lib. 12. de sponsalibus cap. 1. num. 3.* contendens hanc, & similes regulas vniuersim datas fallere, quod tamen hîc non contingit positis datis temperamentis, seu limitationibus.

Limitandi videtur ex parte.

Coninc.

Alij recentiores.

Sanchez.

Couarr.

Interpretatio vocis in sensu Couarruuia acceptapla-cet.

Basil. Legionensis.

6. *In materia odiosa quid significet vox sponsa? Quid in re fauorabili? quid nomen vxor in re indifferenti?*

In rebus autem odiosis nomen *sponsa* solum significat quæ matrimonium futurum promisit; cum odia sint restringenda & fauores ampliandi; in materiâ vero indifferenti nomine vxoris etiam comprehenditur quæ contraxit, & non consummauit; non vero sponsa de futuro: patet hæc doctrina ex iuribus citatis.

7. *Qua censeatur in hac re materia fauorabilis? Qua odiosa?*

Illa verò dicitur materia fauorabilis, in qua lex directe intendit fauere, etiamsi nocumentum aliquod inde alicui resultet, sicut è contra odiosa dicitur, quando lex intendit nocere, hoc est aliquid graue & molestum inducere, etiamsi inde alicui commodum indirecte resultet. Legatur Sanchez *supra num. 4.* Vnde obiter colligitur, etiamsi *in c. si vero de sent. excommu.* vbi statuitur non esse excommunicatum, qui verberauit Clericum turpiter agentem cum matre, sorore, vxore filia, videatur contineri odium Clericorum; materiam nihilominùs censeri fauorabilem, quia Pontifex ibi intendit fauere iusto dolori percutientis.

Sanchez.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

DVBITATIO II.

Qualis debeat esse promissio sponsalitia vt valeat?

8. *Tres conditiones requisitæ ad valorem sponsalium.*

ASsero primò ad valorem sponsalium requiruntur tres conditiones. Prima, vt promissio sit deliberatè voluntaria. Secunda vt sit mutua & acceptata. Tertia sufficienter sensibiliter manifestetur. Est communis Doctorum sententia. Ita Sanchez lib.1.disp.18.Rebel lib.4. de matrimonio q.3. Vasquez in incepto opere de matrimonio disp.5.c.1.Perex §.1. de sponsa. lib.&.§.24.Reginald.lib.31.c.34.A.n.244.Henriquez lib,11,c.13.Garzia 1.p.de contract.cap.3. Gutierrez de matrimonio c.4.5. & 6. Coninc disp.21.dub.2.Molina tomo 2.disputat.254. alij multi apud citatos & citandos infra. Has tres conditiones sigillatim explicabimus,

Explicatur prima conditio deliberationis?

9. *Quæ & qualis deliberatio requiratur.*

CIrca primam conditionem dubium esse non potest, quin ad valorem contractus sponsalitij seu promissionis, sicut ad quamcunque aliam promissionem, requiratur deliberatio, seu aduertentia, sine qua nullo modo fieri potest, vt actus sit humanus adeoque nec fœcundus ad pariendam obligationem humanam seu moralem. Solùm ergo difficultas est quanta sit necessaria deliberatio & quænam deliberatio illa sit.

10. *Quædam aduertenda. Primum aduertendũ.*

Sed prius aduertendum est primò non sufficere ad valorem promissionis sponsalitiæ propositum ita faciendi; nullam enim obligationem inducit propositum quantumuis firmum vt agentes de voto explicabimus. Quamobrem etiamsi quis fœminæ suum propositum explicet, & dicat volo te habere in vxorem non contrahit obligationem sponsalitiam: hoc est contra Sanchez *lib.1.disp.18.num.25.* & contra Gutierrez *de matrimonio c.3.n.9.* & contra Menoch. *lib.3.præsumpt.3.n.6.* vbi refert alios pro suâ sententia; quamuis Sanchez ibi non omnino clare loquatur. Sed præcipuè intendat illa verba *volo tecum contrahere vel te ducere* non esse matrimonium. Quæ doctrina verissima est; imò hæc verba possunt aliquando propositum significare tantùm, & aliquando promissionem quod ex circumstantiis, in quibus dicuntur & ex intentione loquentis decidendum est; quidquid autem sit de hoc, verum est propositum etiam significatum extrinsecùs non inducere obligationem. Ita docent multi Doctores apud Rebellum *lib.4.q.3.* & apud Cardinalem Tuscum *tomo 5.conclus.122. n.1.* & apud Couarruu. *1.p.c.4.* Item Valentia *tomo 4.disp.10. puncto 5. in fine* speculum *1.p.artic.17.* aliique multi. non negauerim tamen tales posse concurrere circumstantias vt ea verba sufficiant ad sponsalia vel etiam ad matrimonium vt notat Coninc *dub.3. numer.25. & 26.* & fatetur idem Sanchez *suprà* & alij.

Sanchez. Gutierrez. Menoch.

Rebellus. Cardinalis Tuscus. Couarruu. Valentia. Speculum.

Coninc. Sanchez.

11. Aduertendum est 2. cum Vasquez *suprà n.3.* & aliis communiter promissionem non debere, vt obliget, necessariò esse maturam & diuturnam; sed sufficere plenam cognitionem & talem quæ sufficiat ad peccandum mortaliter; etiamsi alioquin repentina sit promissio, & ex feruore iracundiæ oriatur, vt notarunt idem Vasquez & Sanchez *Lib.1.disp.8.* cum Nauarro *c.18.num.7.* item Reginald. *num.146.* Gutierrez *c.7.de matrimonio n.6.* Lessius *lib.3.de iustitia c.40. num.2.* Coninc *supra num.2.* & alij multi, quorum aliquos retuli in *Opere de iust.lib.2.tract.4. disputation vnica num.8.* & apud citatos; est communis sententia quam ibi tradidi pro omni promissione.

Secundum aduertendũ. Vasquez.

Sanchez & Vasquez. Nauarr. Reginald. Gutierrez. Lessius. Coninc. *Alij multi.*

12. *Aduertendum 3.*

Debet esse etiam promissio sponsalium voluntaria vt inde vis obligandi nascatur; omnis enim obligatio ex voluntate nascitur. Vtrùm autem hæc ratio voluntarij debeat esse non solùm comparatione verborum promissionis quæ voluntariè & deliberatè proferantur; sed etiam comparatione animi interni, quo quis velit se obligare ad id faciendum, quod verbis promittit, posteà dicemus. Certè illud mihi videtur verum, necessarium scilicèt esse vt promittens sciat promissionem habere vim inducendi obligationem, alioquin non contrahet illam promittendo, cùm hæc obligatio oriri debeat ex voluntate; hæc autem non censetur velle, quod incognitum est; vult autem quando eam obligationem cognoscit, & aduertit se promittere deliberatione sufficienti ad mortale; qnamuis enim promissio sit repentina & motu iracundiæ elicita, sufficit, vt actus sit perfectè, & plenè humanus, & capax malitiæ mortalis, & inducens reatum pœnæ æternæ, sicut sufficit, vt sit meritorius, & bonus moraliter: atque adeò vt promissio etiam Matrimonij sit perfectè & plenè, humana & fœcunda ad obligandum sub mortali; neque enim minoris momenti est actum esse capacem malitiæ mortalis inducentis pœnam æternam, aut bonitatis moralis, quam fieri fœcundum ad obligandum sub mortali. Quâ ratione vtuntur plerique Auctores nostræ sententiæ; hæc tamen ratio difficultate non caret, quia multum videtur probare; nam; si quid probat, videtur etiam probare actum semiplenè deliberatum sufficere, quia actus bonus semiplene deliberatus sufficit ad meritum vitæ æternæ: ergo, si sufficientia ad meritum vitæ æternæ probat eandem deliberationem sufficere ad inducendam obligationem promissionis: probabit etiam sufficere semiplenam deliberationem cum hæc sufficiat ad meritum vitæ æternæ. Nihilominus ratio prædicta mihi placet, & argumentum contra ipsum factum nihil probat; falsum enim assumit, dum ait semiplenam deliberationem sufficere ad meritum vitæ æternæ. Nullus enim actus bonus moraliter est, qui non sit plene voluntarius, & deliberatus; nam cùm actus bonus moraliter debeat esse circa obiectum bonum propter ipsum directè, & vt tale, volitum, non potest non esse plene voluntarius, & deliberatus, atque adeò perfectè debet cognosci obiectum vt tale; cum tamen ad malitiam actus circa obiectum malum sufficiat tale obiectum

Promissio repentina ex calore iracundiæ potest obligare promittentem.

Ratio quæ plerique vtuntur nocaret difficultate. Nimis multum videtur probare.

Defenditur ratio prædicta, & respondetur argumento contra illã.

iectum indirectè, & non propter ipsum volitum esse. Itaque deliberatio, quæ sufficit ad meritum vitæ æternæ & ad peccatum mortale, sufficit ad obligationem promissionis, etiam sponsalitiæ quantumuis fiat calore iracundiæ.

13. *Obiectio Ex iure positiuo.* Obiicies tamen caput *Diuortium* de *Pœnitent. distinction.* 1. vbi desumptis verbis ex *l. Quidquid* ff. *de regulis iuris* dicitur, *quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum esse quam perseuerantiâ apparuerit iudicium animi fuisse*, quibus textibus aliqui vtuntur, vt probent contractum sponsalitium, & quemcunque alium esse nullum iure positiuo, quando calore iracundiæ factus est; nisi sedato iam animo fuerit approbatus.

14. *Duplex responsio. Prima. Vasquez.* Duobus modis possumus ad obiectionem respondere. Primò cum Vasquez *suprà* non satis constare, an in illis textibus irritetur ipso facto, an relinquatur irritandum sententiâ iudicis. Accedit, quod nec caput, seu Canon iuris Canonici citatus maiorem vim habet, quam dicta lex imperatoria ex quâ desumptus est, imò nec distinctam vim; quia non habet ille textus alium Auctorem, quam legislatorem dictæ legis, ac proinde, si quid valet, solùm valet in terris imperio subiectis. Deinde respondetur neque ibi valere in contractu sponsalitio, de quo nunc agimus, si loquamur de iam baptizatis, quia hic contractus specialiter subest potestati Ecclesiasticæ.

Secunda.

15. *Occurritur instantiæ. Vasquez.* Neque obstat. *si dicas in cap.* 1. *de noui operis nuntiatione* definiri, quod vbi leges Ciuiles non sunt contrariæ sacris Canonibus, illis stetur; respondetur enim cum Vasquez *supra* id locum habere, quo ad modum procedendi in iudiciis & litibus; non verò quod ad irritationem collationis contractus Matrimonialis, aut sponsalitij imò neque videtur verum (saltem non est certum) ibi aliud definiri, quam quòd statuta Canonum legibus Ciuilibus adiuuantur, nempe; quia tunc est maior ratio iudicandi secundum Canones; quando idem etiam statuitur legibus.

16. *Obiectio.* Obiicies vlterius *Legem* 2. *ad leg. Iul. Maiest.* & *c. sicut ex litteris* 13. *de iureiur.* vbi quædam iuramenta dicuntur nulla: quia calore iracundiæ facta sunt.

17. *Responsio.* Respondetur inde nihil colligi; neque enim declarantur nulla. Quia facta calore iracundiæ, etiamsi talia fuerint, sed; quia facta de materia illicitâ, vt ex contextu vtriusque textus liquet.

18. *Quam necessaria sit in promissione perfecta deliberatio.* Ita verò conueniunt communiter Doctores prædictam perfectam deliberationem requiri ad valorem cuiuscumque promissionis, etiam Deo factæ, vt neque ad obligationem sub veniali inducendam sufficiat imperfecta deliberatio, quia promissio absque perfecta deliberatione non est perfectè humana, atque adeò nec fœcunda, vt possit parere humanam obligationem. fœcunditas enim rei supponit statum perfectum illius.

Ex tradita doctrina colligitur primò non teneri promittentem ad ducendam eam, cui ex animo quidem promisit, ignorans tamen obligationem sequi ex promissione; tunc enim non censetur habere voluntatem perfectè deliberatam promittendi; quod enim cum tali ignorantiâ naturæ promissionis fit, non fit voluntariè, nec censetur homo velle talem promissionem, vt inductiuam obligationis. Vtrùm autem, si sciebat obligationem sequi ex promissione, teneatur eam ducere, quando ille expressè noluit obligari; posteà videbimus, quando in particulari disputabimus de aliquibus difficultatibus quæ circa hanc primam conditionem & duas sequentes occurrunt.

19. *Aliqua illata ex dictis. Primum.*

Colligitur. Secundò sponsalia, & matrimonia facta in furiâ, & in ebrietate esse nulla, quia non humana, in quo nemo dissentit, neque Glossa in *cap. Dilectus de sponsalibus* in quo textu de furioso expressè habetur, & in legibus Regni Castellæ *titul.* 2. *partit* 4. est autem eadem ratio de ebrio; neque enim contrarium est caput *Nec furiosus* 32. *quæst.* 7. vbi Fabianus Papa ait. *Nec furiosus nec furiosa matrimonium contrahere possunt; sed, si contractum fuerit, non separentur.* Solum enim ibi sermo est de contractu præcedente furiam, qui per furiam superuenientem non dissoluitur; non tamen decernitur contractum in furia fuisse validum. Vtrùm autem, quando ante furiam, seu ebrietatem fuerunt præuisa sponsalia secutura in furiâ & ebrietate, valeant in eo, qui cum hac præuisione dedit causam furiæ & ebrietati ex quâ sequerentur? posteà examinabimus *dubitat.* 3.

20. *Secundum illatum.*

Explicatur secunda conditio acceptationis mutuæ.

21. *Nonnulla dubia circa eam conditionem. Primum. Prima sententia. S. Anton. Probat ex iure Canonico c. Veniens. Probat ratione.*

Circa secundam conditionem nonnulla possunt dubitari: primò, an acceptatio promissionis sponsalitiæ sit necessaria ad ipsius valorem & obligationem? In quâ re non defuerunt, qui putarent non esse necessariam. Ita Antoninus 3 *part. titul.* 1. *cap.* 18. Armilla *verb. sponsalia numer.* 3. probarique potest ex *c. veniens* 5. *Qui Clerici vel vouentes* vbi promissio matrimonij facta absenti censetur valida, & tamen illa non potuit esse acceptata. Deinde ratione; quia talis promissio nullo iure nec naturali, nec positiuo requirit acceptationem, vt valeat, ergo sine fundamento asseritur requiri. Non quidem iure naturali; seu ex natura promissionis; nam promittens, etiam altero non acceptante non conformat facta promissis, quoties promissa non implet, atque adeò videtur facere contra fidelitatem, seu veritatem in factis; perinde atque dicere contra mentem est contra veritatem in loquendo. Neque etiam iure aliquo positiuo; nam quidquid sit de iure Ciuili siue Cæsareo siue Castellæ, iure saltem Canonico nihil habemus, quod

quod irritet talem promissionem matrimonij inter baptizatos. Solum autem ius Canonicum posset promissionem matrimonij inter baptizatos irritare; quia talis promissio iuri Ciuili non subest.

22. *Contraria sententia vera. Ratio vniuersalis*

Oppositum nihilominùs verissimum puto, scilicèt sponsalia ante acceptationem non obligare; quia vniuersaliter loquendo promissio non obligat ante acceptationem, siue promissarij, siue alterius, qui pro illo possit acceptare: habet enim promissio hanc insitam conditionem, si alter accepter. Dixi *insitam conditionem*; quia non solùm habet illam ex voluntate expressâ vel virtuali promittentis, quatenùs non censetur velle promittere, & se obligare, nisi sub eâ conditione, si enim tantùm hoc esset; posset ipse promittens absolutè sine ea conditione promittere, & se velle obligare. Sed appellaui *insitam conditionem* quia promissio & donatio ex natura sua id habent, vt, nisi volente eo, in quem rei ius vel dominium transferendum est, non possit transferri: sed eo ipso, quod illi non placeat, non transferetur, vt infrà explicabo, & adeò dependens est obligatio tum fidelitatis tum iustitiæ, vt eo ipso quòd promissarius respuat, non remaneat obligatio, nempe ex defectu voluntatis requisitæ ex parte illius, in quo omnes consentiunt, & in hoc sensu explicari debet conditio, quam admittunt auctores, inter quos Turrianus infra citandus. Reginald. *lib.* 31. *numer.* 249. Vasquez *disputation.* 4. *de Matrimonio numer.* 42. *& disputation.* 3. *cap.* 2. *numer.* 21. Coninc *disputation.* 22. *numer.* 35. & priùs *disputation.* 21. *num.* 17. Lessius lib. 2. de iustitiâ *cap.* 18. *dub.* 16. *numer.* 34. Gutierrez *de Matrimon. c.* 6. *num.* 2. Sanchez *libr.* 1. *disp.* 6. & 7. quos plures alij sequuntur Recentiores & alij, quos retulimus agentes de promissione *in nostro opere de iustitia tract.* 4. *de promissione* loco posteà referendo.

Turrian. Reginald. Vasquez.

Coninc. Lessius. Gutierrez. Sanchez. *Recentiores.*

23. *An & qualis acceptatio requiratur in promissione facta infanti.* Sanchez. Gutierrez. Vasquez.

Quamuis autem, quando aliquid promittitur infanti *l. iubemus* c. *de emancip. liber.* & in aliis casibus (vt notauimus ibi agentes de promissione & donatione) videatur valere promissio sine acceptatione, tunc sanè ius positiuum, vel (vt aliqui putant) supplet defectum acceptationis vel potius acceptat, vt putat Sanchez citatâ *disputation.* 6. Gutierrez *c.* 6. *numer.* 10. & 11. Vasquez *disputation.* 4. *c.* 4. qui tamen *numer.* 48. excipit promissionem matrimonij factam infanti, & quidem consequenter ad suam doctrinam, quippe qui putat promissionem matrimonij non obligare sine promissione ex parte acceptantis, quam putat includi in ipsâ acceptatione de quo posteà dicemus. Paulo enim aliter mox explicabo citatam legem.

24. *Nulla promissio obligat ante acceptationē. Non obligat ex iustitia.*

Atque inprimis, quòd promissio cuiuscunque rei ante acceptationem nec ex iustitiâ obliget, nec ex fidelitate facile est probare ex dictis: non quidem ex iustitiâ; nihil enim potest ad me pertinere ex iustitiâ tanquàm meū absque meo consensu; alioquin etiam posset ad me pertinere, me inuito & resistente; quæ doctrina præsertim habet locum; vbi ego ita sim dominus meæ voluntatis & iuris vt validè possim non acquirere, aut acquisito me expoliare; quod possum ex naturâ rei; nisi superioris lege impediar, & tunc per accidens esset, (de quo alibi latiùs dixi) & censeretur tunc adesse voluntas siue mea, quam non possum non habere, siue mei superioris potentis corrigere aut supplere vicem meæ; (sed de his alibi.) Non etiam ex fidelitate, quia ei, cui fides est oblata eamque non accepit, seu acceptauit ab offerente; non est necessariò seruanda; sicut neque illi, qui postquàm acceptauit, remisit; est enim par vtriusque ratio, neque est alius modus rescindendi obligationem promissionis inter promissarium & promittètem (seclusâ auctoritate superioris rescindentis eam promissionem ex causa) quàm, si promissarius remittat promittenti verbum promissionis; ergo neque alius modus impediendi (secluſa auctoritate superioris reddentis inhabiles promittentem & promissarium ad promittēdum, & acceptandū) quam si promissarius nolit promissionem sibi factam acceptare: sufficit ergo defectus acceptationis, vt deficiat obligatio.

Non obligat etiam ex fidelitate.

25. *Quacumque promissio potest ante acceptationem reuocari.*

Atque ex hoc probabilius videtur quamcunque promissionem, etiam matrimonij & etiam infanti factam posse ante acceptationem reuocari, de quo posteà, quia ante eam non obligat. Quod si infans in illâ *iubemus.* citatâ potest emancipari, vel ideo est, quia, vt dicebamus, ius & lex acceptat, vel potiùs, quia per emancipationem pater nihil confert nec promittit filio, quia emancipationem efficit pater cedendo potestati patriæ, quam ex solo iure humano habet in filium, vt multi volunt maximè Vasquez *suprà* omnino legendus *n. illo* 48. *disp.* 4. *de matr.* quem sequitur quidam minùs consequenter *in suo* 2. *to. de iust. disp.* 23. *n.* 48. si dicta conferantur cum iis, quæ dixerat *in suo to. de pœn. disp.* 14. *n.* 4. Quia in vno loco requirit acceptationem pro infante, & non in alio, vt notabamus *tr. de pœnit. disp.* 6. *n.* 188.

Vasquez. *Alius non satis consequenter in hoc Vasquium sequitur.*

26. *Nec promissio facta Ciuitati aut pio loco obligat ante acceptationem.*

De promissione vero factâ ciuitati, & pio loco etiam existimo ante acceptationem non obligare (quidquid alij dicant illam acceptari à iure) propter rationem dictam, scilicèt; quia nō acceptata non obligat; nequit tamen reuocari, iuxta dispositionem iuris positiui, vbi ea reuocatio prohibetur (vide quæ diximus *in nostro tractatu de promissione* mox citando) non tamen tenetur promittens promissionem suam indicare promissariis, neque ante horum acceptationem implere. Ita Coninc *supra numer. illo* 35. Vasquez *disp. illa* 4. Sunt tamen, generaliter loquendo de promissione, qui nomine alieno possint promissionem acceptare. Quâ de re diximus *in nostro opere de iustitia* agentes de promissione *libr.* 2. *tractat.* 4. *disp.* 1. *num.* 103. *& seqq.* videnda quoque sunt quæ dicimus *tractat. de pœnitent. disputation.* 6. *dub.* 13. *num.* 187. *& seqq.* & legi potest Lessius *de iust. c.* 18. *dub.* 7. Cardinalis Lugo *de iust. disp.* 23. *num.* 45. vbi aliter probabiliter respondet.

Coninc. Vasquez. Lessius. Lug. Card.

27. *Respōdetur ad textum allatum pro contraria sententia.*

Ad Textum citatum pro contrariâ sententiâ respondetur *in cap. veniens* non constare promissionem illam factam absenti non fuisse acceptatam; quin imò ibi supponitur promissarium absentem habuisse notitiam illius.

Multò

28. *Ad rationẽ aduersariorum.* Multò minùs probat ratio aduersariorum, respondemus enim acceptationem (quidquid sic de iure positiuo) esse necessariam iure naturali vt promissio obliget; nam licèt conformare dicta menti sit debitum, quando loquimur siue promittendo siue asserendo, vt explicabimùs agentes de iuramento, vbi probabimus in iuramento promissorio esse aliquam assertionem animi præsentis, atque adeò obligationem habendi illum, alioquin esset contra veritatem in dicendo; tamen non implere oblationem non acceptatam non est contra fidelitatem, seu veritatem in operando; in hoc enim differunt obligatio veracitatis in dicendo, & fidelitatis in implendis promissis: quòd dicere verum, quando asserimus obligat absolute. Implere autem verbum promissionis & veritas in operando, quæ in tali impletione promissionis relucet, nõ obligat absolutè sed sub eâ implicitâ conditione, quam suprà diximus, scilicet, si promissarius acceptauerit; nec mirũ quod istæ duæ veritates ita inter se differant; sunt enim virtutes specie distinctæ, vt notauit Molina *to.2.disp.*262. Aliqua pertinentia ad hanc conditionem acceptationis dicemus paulò post insequentis conditionis explicatione, vbi multa simul commodius tractãtur præsertim de potestate reuocandi antequam acceptetur.

29. *Difficultates inuoluuntur in eo quod promissio sponsalitia debeat esse mutua.* Quod autem promissio sponsalitia acceptata debeat esse mutua, vt obliget, id est, quòd etiam acceptans promittat; aliquas difficultates inuoluit seorsim posteà examinandas; scilicèt, an quousque repromittat, promissio non obliget? vel an per solam acceptationem intelligatur repromittere? vel certè, vt obligatio dicatur propriè sponsalitia, necessaria sit vtriusque partis promissio? de quibus *dub.*5.6.*&* 7. dicemus.

Explicatur tertia conditio manifestationis.

30. *Promissio mere interna non obligat, saltem iure positiuo.* CIrca tertiam conditionem manifestationis promissionis aliquo signo externo aduertendum est, promissionem merè internam, seu corde retentam non obligare iure saltem positiuo humano, in quo Doctores communiter conueniunt. Quærimus autem; an secluso iure positiuo solùm vi iuris naturalis obliget mera interna promissio.

Quid iure naturali?

31. *1 Sententia affirmans.* Ledesma. Mendoza. Non desunt, qui affirment. Ita Ledesma 2. *p.*4.*q.*58.*art.*1.*dub.*3. Mendoza *lib.* 1. *de pactis c.*4. *num.*8. in eamque sententiam inclinat Molina *tom.* 2.*disp.*266. quamuis non ita clarè loquatur, item alij apud Sanchez *infrà*, qui hanc sententiam putant probabilem. Alij quoque apud Dianam, quos sequitur probabiliter putans obligare 3.*p.tract.*5. *Resol.* 116. quamuis alibi, vt ibi notat, probabile putauerit oppositum. Ratio illorum est; quia interna promissio, est vera promissio (sicut vera affirmatio, qua fides offertur) constatque in promissione Deo facta; omnis autem vera promissio, quantum est ex se, valida est ad obligandum; nam infidelitas quædam est, non stare sic promissis.

32. *Opposita sententia verissima.* Oppositum nihilominùs verissimum puto, scilicèt promissionem sponsalitiam, sicut quamlibet aliam inter homines factam, merè internã non obligare: sed debere, vt obliget & subsistat exterius sufficienter manifestari. Ita Sanchez *lib.*1.*disp.*3. Coninc *disp.*21.*num.*17.*& disp.*22.*n.*34. Gutierrez *de Matrimonio c.*4.*num.*5. Reginaldus *l.*3.*n.*3. Vasquez *disp.illa* 4.*n.*34. Turrianus *de iustit. in suâ* 2.2.*disp.*64. Lessius c.18. dub.5. & alij apud ipsos. Item Basilius Pontius *l.*2.*de Matrimonio c.*6. Tannerus *disp.*4.*q.*1. *dub.*5.*numer.*59. Idem de omni promissione seu donatione docet Baunius *in Theol. morali tomo* 3.*l.*2.*tractat.*4. *q.*4. Diana illum refert 8.*part.tract.*6.*resol.*107. estque communis sententia, de quâ etiam diximus agentes de promissione *in nostro opere de iustitiâ & iure tractat.*4.*disp.vnica dubitation.*7. vbi alios retulimus, & tandem Diana *proximo loco & sequenti resolutione* 108. loquens de promissione non acceptata hoc idem ex aliis, & ex propriâ sententiâ latè confirmat. Ratio verò est; tum; quia; nisi promissio acceptetur vt dictum est, non obligat; acceptari autem non potest; nisi innotescat promissario; nequit autem innotescere, nisi externo aliquo & sensibili signo manifestetur; tum, quia ea promissio tantùm est valida ad obligandum respectu hominis, quæ est perfecta respectu illius, nempe, quâ ei perfectè & sufficienter promittitur in huius enim tantùm promissionis violatione homini fit infidelitas; promissione verò interna non promittitur homini perfectè, & sufficienter; omnis enim promissio fita est in loquutione, seu affirmatione, quâ quis alteri offert suam fidem; vnus autem non loquitur, neq; affirmat alteri perfectè & sufficienter sola loquutione, seu affirmatione mentis internâ; imò nõ video quomodò possit esse loquutio cũ alio, si solùm sit interna operatio non manifestata illi: esse quidem potest loquutio hominis vel secum, vel cum Deo, aut Sancto, cui ea operatio manifestetur, & ad quem dirigatur, sed homini qui merè interna non percipit loquutio non potest esse, vt probat Vasq. *suprà n.*40.*&* 41. donec ea mentis loquutio sufficiẽter exterius manifestetur; ita, vt illi, cui dirigitur innotescat; ergo necessaria sunt verba, vel aliquod aliud signũ externum; ex quo patet ad fundamentũ aduersariorum, constatque discrimen inter promissionẽ per votum, quæ fit Deo & promissionẽ, quę fit homini. Nam quæ fit Deo; quamuis mere interna sit; ipsi innotescit: quæ autem fit homini, est ipsi ignota. Sed iam posset aliquis dicere cum quodam recentiore in suâ *disp.*23.*de iustitia n.*27. fundamentum non esse uniuersaliter verũ, quia posset aliquis acceptare antecedenter, vel sub conditione, si aliquis ei promittat aut se velit ei obligare, & ad hoc non requiritur notitia: confirmat exemplo illius, qui ex præsumptâ voluntate Domini non repugnantis accipit alienam, qui ipsâ acceptatione; & occupatione fit dominus, si verè Dominus interius consentit, vel non dissentit, quamuis ei nihil dixerit.

Sanchez. Coninc. Gutierrez. Reginald. Vasquez. Turrianus. Lessius. Basil. Pont. Tanner. Baunius. Diana. *Communis sententia.*

Ratio.

Vasquez.

Ad fundamentum aduersariorum patet ex dictis.

Obiectio ex quodam Recentiore.

Hoc tamen parùm, aut nihil vrget, quia acceptatio, de quâ agimus, non est cuiuscunque rei acceptatio, atque adeò nõ est placitum rei promissę secũdũ se; sed promissionis ipsius, seu (quod idem est) rei, vt promissæ; promissio autem est loquutio: loquutio verò est manifestatio animi seu mentis loquentis; quamuis autem con-

33. *Parum, aut potiùs nihil vrget ea obiectio.*

cederemus (quod suam habet quæstionem) posse acceptationem præmitti ante promissionem ; non potest esse ea acceptatio , nisi promissionis , ergo vt illa habeat suum effectum complendi obligationem , supponit suam concausam scilicèt promissionem : vt ex vtraque nempe ex promissione, & acceptatione pariatur obligatio; siue enim priùs ponatur acceptatio; siue posteà; obligatio non orietur, nisi vtraque coniungatur, vt sit pactum humanum duorumque in idem placitum, vno loquente, dum promittit, & altero admittente promissionem, quæ, vt dicebam , loquutio est, & hæc percipi debet ab eo, cui dirigitur. Itaque negandum est non requiri notitiam loquutionis, quæ est promissio, vt sit acceptatio loquutionis; exemplum verò de præsumptâ voluntate , quo confirmabatur argumentum, nihil valet. Nam (vt alia omittam) illa præsumptio voluntatis debet ex aliquo signo externo dignosci, vt non sit temeraria præsumptio, quod signum gerit vicem loquutionis & (quidquid sit de hoc) quantum ad præsens attinet satis est quòd obligatio ex promissione facta homini non possit oriri , nisi ex promissione quæ est, aut inuoluit essentialiter loquutionem humanam factam promissario, vel gerenti vicem illius, ad quem debet dirigi. atque adeò illi notificari, alioquin non esset promissio, sed quædam interna mentis operatio, quâ vellet alteri se obligare, quæ obligatio , an sit eo modo possibilis diuersam habet difficultatem; satis est pro nunc quòd non sit promissio, & quòd sit impossibile esse promissionem sine loquutione , ideò rectè dixerunt Vasquez *disp. illa 4. de matrimonio num. 39. & Turrianus disp. illa 64. num. 6.* non esse aliquam promissionem internam, quæ possit inducere obligationem fidelitatis. *Quia cùm homines* (inquit Vasquez) *solùm intelligant mentem aliorum explicatam signo aliquo sensibili, neque veritas, neque fidelitas, quæ est veritas quædam in promissis, inter eos esse potest , nisi promissio verbo aut signo aliquo sensibili explicetur. Nam veritas & fidelitas est ad alterum, ac proinde ille, ad quem vtraque est intelligere debet promissionem, ratione cuius fidelitas ei seruanda est; sine signo autem sensibili, aut verbo homo intelligere promissionem non potest; ergo sine tali signo non potest esse obligatio fidelitatis.* Quia verò obligatio iustitiæ est etiam ad alterum & hæc obligatio, quæ oritur ex promissione supponit ipsam promissionem & obligationem fidelitatis colligit Vasquez *num.* 40. non posse locum habere obligationem iustitiæ quia nimirum, licet obligatio fidelitatis possit esse absque obligatione iustitiæ, vt quando promissio est de re , quæ non est materia iustitiæ , vel non vult quis se obligare ex iustitiâ, obligatio tamen iustitiæ, de qua agimus, non potest subsistere sine obligatione fidelitatis. Frustra vero contendunt contra Vasquium aliqui, inter quos recentior citatus dum in illâ disp. 23. num. 30. in fine contendit respondere ad fundamentum Vasquij, posse aliquando esse obligationem iustitiæ ex promissione internâ, licèt non esset obligatio ex fidelitate , quia ad fidelitatem requiritur quod ego dixerim promissario meum animum, alioquin non potest esse obligatio conformandi facta dictis quod à fidelitate attingitur, ad obligationem vero iustitiæ sufficit voluntas abdicandi ius meum & transferendi illud in aliũ, ad quod non requiritur quod ego aliquid illi dixerim. Hæc prædicti Theologi totidem verbis. Sed frustrà (vt dicebam.) Nam obligatio iustitiæ licet ex aliis capitibus possit oriri sine promissione; obligatio tamen iustitiæ ex promissione non potest oriri nisi supponendo essentiã promissionis; quę cum sit locutio promittentis promissario vel vicem gerenti illius, non potest fieri sine manifestatione, quâ manifestatione positâ necessariò adest obligatio fidelitatis, atque adeo impossibile est esse promissionem & ex illâ resultare obligationem iustitiæ quin resultet obligatio fidelitatis.

Vasquez. Turrianus. *Impossibilis est promissio homini facta merè interna obligans ex fidelitate.*

Frustra etiam contra Vasquium contendit ibi paulo antè, promissionem quidem posse reuocari ante acceptationem absque iniustitia; nõ tamen absque infidelitate; est enim (inquit) differentia inter vtramque. Nam fidelitas obligat ad conformanda facta dictis, ne proximus deludatur , ex quo fieri videtur quòd promissor, qui promisit alicui per epistolam mutuare vel donare v. g. licèt ante acceptationem non obligetur ex iustitia & ideò possit sine iniuria reuocare, quia promissarius nondum acquisiuit ius: non tamẽ possit absque infidelitate; quia, si post missam epistolã reuocat & posteà promissarius reuocationis ignarus accipiat epistolam, nõ minùs deludetur fidens promissioni quàm , si reuocatio non præcessisset, ergo fidelitas exigit ne reuocetur promissio. Fidelitas enim (vt Vasquez admittit) imitatur veracitatem. Veracitas autem obligat ad curandum , ne proximus audiat à me aliquid menti meæ contrariũ , quare non excusatur peccatum contra veritatem ex eo quòd antequàm proximus accipiat meam epistolam falsum continentem, ego reuocẽ dictum, & scribam contrarium, adhuc enim quãdo priorem accipit epistolam, decipitur à me. Similiter ergo decipitur, qui epistolam accipit, quâ aliquid promitto, ignarus meæ reuocationis; fidit enim meæ promissioni , quam posteà non adimpleo; quare fidelitas videtur exigere, vt expleam id; quod sufficienter significant signo externo. Ex his colligitur in eo casu magis obligare fidelitatem quàm iustitiam ad non reuocandam promissionem.

34. *Frustra etiã impugnat datam ex Vasquio doctrinam.*

Vasquez.

Verùm enim verò , quidquid sit de hoc, ea doctrina (de cuius veritate dicam posteà) etiã si daretur tota, vt iacet, omnino videtur extra rem de quâ disputamus. Agimus enim de duabus conditionibus, nempe manifestationis promissario & acceptationis ab eodem , & quærimus, an possit esse promissio, eaq; obligare quin manifestetur ei & acceptetur ab eo, ad quẽ dirigitur. Dicimus autem cum Vasquio & cõmuniter recepta sententia promissionem sine manifestatione factam promissario vel illius vices habẽti nullam esse, & quamuis manifestata sit , & illi nota, tamen, quia promissio nondum est completè talis (quia nondum est acceptata) interim, dum non acceptatur, non obligat ; quando autem vsurpamus verbum, obligare, obiectum huius verbi nõ est *nõ reuocatio talis promissionis*, sed est impletio eius , quod promissũ fuit,

35. *Non est ad rem licèt esset vera prædicta doctrina.*

&

& dicimus promissionem talem non habere vim obligandi ad faciendum id, quod promittitur, nisi promissario proposita ab ipso acceptetur. Vtrùm autem possit, vel non possit reuocari antequàm ipsam promissarius sibi propositam vel acceptet, vel respuat, diuersum quid est, & potest fieri, vt non obliget adhuc adimplendum quod promittitur, donec acceptetur etiamsi fortè interim non possit reuocari, vt de promissione factâ ciuitati dicebamus *num.26.* In hoc autem pares sunt fidelitas, & iustitia, nempe quòd ante manifestatam, & acceptatam promissionem nulla est obligatio, neque fidelitatis, neque iustitiæ præstandi id, quod promissum est, siue reuocetur, siue non: aut possit; aut non possit reuocari. Addo obligationem ex fidelitate, quando promissio est in materia iustitiæ, & promittens potest & intendit se obligare ex iustitiâ, semper reperiri, quando consurgit obligatio iustitiæ, quia, vt suprà dicebam, obligatio iustitiæ quæ ex promissione oritur, promissionem supponit & concernit; promissio verò essentialiter habet annexam obligationem fidelitatis ita, vt repugnet valida & vera promissio, sine obligatione fidelitatis: quamuis enim, etiam in materia iustitiæ possit dari promissio, quæ solùm ex fidelitate obliget, vt probaui *in Tractat. 4. qui est de promissione*, quando promittens id vult, iuxta ibi dicta *dub.8. nu.91.* tamen obligatio iustitiæ titulo promissionis nõ resultat, nisi supponendo essentiam promissionis, quæ obliget ex fidelitate. Illud verò, quod dicebatur de deceptione, quâ deluditur ille promissarius acceptâ epistolâ & ignarus reuocationis subsequentis, per accidens est, & in eo casu iuxta varias circunstantias, & damna illa resultantia ex alijs principiis generalibus Philosophari debemus. Nam, si ego promittens reuocem nullum præuidens damnũ, nisi quòd illius spes frustretur, nihil refert, sed suæ inscitiæ debet promissarius imputare, quòd habuerit pro certâ, & securâ promissionem, quæ in illo temporis interuallo erat reuocabilis, & imprudenter credidit plenè, donec aliunde certior fieret, quòd non fuerit reuocata quando ipse acceptauit, potuit enim interim reuocari; quia hoc habet promissio regulariter loquendo, vt ante acceptationem reuocari possit neque promissarius deludit illum, sed vtitur iure suo nec censetur infidelis; quia non aliter censetur obligare promissio (*secluſis alijs capitibus*) nisi sub conditione; si non reuocetur antequàm sit acceptata. Neque aliam veritatem aut fidelitatem postulat promissio, nisi quod quando profertur, adsit animus verè, vt promittens non de præsenti mentiatur (atque hæc est veritas) & quòd postquàm acceptata sit & non priùs reuocata, impleatur (atque hæc est fidelitas) quod verò ex vi veritatis & fidelitatis, quas diximus; non possit ante acceptationem reuocari; non habet ex ipsâ promissionis naturâ, sed si aliquando id habet, ab extrinseco prouenit ex aliis capitibus, vt dicebamus de promissione facta ciuitati. Debet itaque prius manifestari promissio, vt acceptetur, & acceptata obliget.

Omnis promissio verè talis essentialiter habet obligationem ex fidelitate.

Respondetur ad argumẽtum aduersarij.

36. Non tamen quodcunque signum sufficit, vt promissio censeatur manifestata, vt obliget; sed tale debet esse, vt per illud promissio in ratione promissionis manifestetur, siue tale signum sit verbum, siue aliquid illi æquiualens. Hinc est, vt quandoque sufficiat aliquod factum iuxta morem, aut consuetudinem gentis ad id manifestandum. Quâ ratione sufficere potest immissio annuli in digitum vel suspẽsio aurei torquis ad collum puellæ, vt vir alioquin solutus censeatur eo modo sponsalia facere aut Matrimonium promittere, si fortè more gentis vsu receptum sit, vt eâ ratione vir matrimonium promittat aut sponsalia celebret, & ex parte puellæ sufficit, libenter ea admittere, & teti nere; si etiam vsus ferat, vt ea ratione videatur consentire, & acceptare: imò hoc ipsum ex parte vtriusq; potest sufficere ad matrimonium de præsenti; si fortè alicubi vsu receptum sit; vt eâ quasi ceremoniâ cõtrahentes mutuum suum consensum explicent; quamuis enim eæ actiones secundum se non significent prædictos cõsensus sponsalitios, seu matrimoniales, cum fieri possint illæ annuli & torquis traditiones ex alio fine; nihilominus suppositâ consuetudine receptâ id sufficienter significant, vt notauit Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. concluſ. 3.* Gutierrez *cap 93. num. 23.* & alij multi. Eâdem ratione sufficit aliquando manum porrigere, vt, si sponsus petat ab sponsâ sibi manum porrigi ad celebranda sponsalia, vel matrimonium, ipsaque sponte porrigat. Ita Sanchez *l. 1. disp. 18.* Coninc *disp 21. num. 23. & 28.* vbi alia atque alia signa, & verba quæ alioquin non sufficerent notat satis esse ad validè contrahendum. Item Cardinalis Tuscus *tomo 5. concluſ. 111.* & *tomo 7. concluſ. 401.* Sylueſt. *verbo sponsalia* & alij multi apud Sanchez *suprà*. Legi etiam potest Martinus Perez *disp. 4. sect. 6.*

Non quodcumq; signũ sufficit vt promissio censeatur manifestata.

An & quãdo sufficiat aliquod factum ad promissionẽ sponsalitiã? Etiam alit quando ad matrimonium.

Sotus. Gutierrez. Sanchez. Tuscus. Sylueſt. Martin. Perez.

Quæret tamen aliquis an sufficiat taciturnitas ad manifestandam promissionem, & consensum, vt, si Petrus promittat Mariæ Matrimonium; Maria verò taceat, fiant sponsalia ipsâ quoque tunc promittente?

37. *Quæsitum. An sufficiat taciturnitas ad manifestandam promissionẽ? Respõdetur.*

Respondeo non fieri: promissio enim & consensus Mariæ non sufficienter manifestatur per taciturnitatem. In quo etiam Doctores cõmuniter consentiunt.

Quod si obiicias vulgarem illam *regulam Iuris in 6. qui tacet consentire videtur.*

Obiectio ex regula Iuris.

Respondeo tacentem consentire videri, quãtum est in sui fauorem; non verò quantum est in sui præiudicium, iuxta aliam regulam *in 6.* nempe *qui tacet neque consentire; neque dissentire videtur.* Cùm autem repromissio & consensus traditionis sui corporis non sit in sui fauorem, sed in fauorem alterius; tacens non censetur consentire; nisi fortè alicubi constet ex consuetudine, vel lege taciturnitatem recipi pro expressione consensus, vti notauit Sanchez *disp. 23. n. 14.* Gutierrez *c. 13. n. 10.* & alij.

38. *Respondetur ex aliã regula Iuris.* Sanchez. Gutierrez. *Alij.*

Ex quo respondetur obiectioni, quæ fieri potest ex *c. finali de desponsatione impuberum* vbi habetur valida esse sponsalia, quæ parentes pro filijs puberibus vel impuberibus contrahunt ipsis præsentibus, & non contradicentibus; in eo enim casu ius accipit taciturnitatem pro expressione consensus. Vnde meritò Sanchez ex Veracruz

39. *Applicantur pradicta, ad obiectionem.* Sanchez.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE

Veracruz. Matienzo. *Indorum querundam taciturnitas valet aliquando pro consensus expressione.*

racruz & Matienzo propter consuetudinem Indorum, qui nec pedem mouere audent absque Gubernatoris consensu, docet valere matrimonium, quando Gubernator eorum nomine, ipsis præsentibus & tacentibus, verba profert. Legatur idem Sanchez *disp.* 22. & 23. vbi latè explicat signa prædicta tùm traditionis annuli, tùm taciturnitatis & alia signa.

40. *Sponsalia celebrata à parentibus filiis absentibus, & postea non contradicentibus.* Gutierrez. Coninc Tuscus. Sotus. Ledesma. Perez. Nauarr. Sanchez. *Speculum. Alij apud Coninc & apud Sanchez. Et apud Gutierr. Cõtra Henriquez & plures apud ipsum.*

Immò non pauci Doctores docent valere sponsalia contracta à patre vel matre pro filiis absentibus, si filij vbi hoc intellexerint, nõ contradicant. Ita Gutierrez *c.* 13. *n.* 1. Coninc *nu.* 34. & deinceps Cardinalis Tuscus *tomo* 7. *concluſ.* 400. Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 1. Ledesma *quæſt.* 41. *art.* 2. Nauarrus *cap.* 22 *num.* 58. Perez & alij quos refert Sanchez disp. illâ 23. n. 16. contra ipsum & alios. Secundum quam opinionem Pater & Mater aliúsve curam filiorum habens, si contrahat sponsalia vel matrimonium pro filijs tacentibus & non contradicentibus validè contrahunt; dummodò filij interius consentiant; ius enim in eo casu accipit taciturnitatem pro consensu. Quod si alius, qui Pater, Mater vel habens eam curam non sit, promittat pro filio tacente, non contrahit sponsalia, etiamsi filius tacens interius consentiat; neque enim in eo casu taciturnitas habetur in iure pro expressione consensus, & in tali casu valet illa regula Iuris citata, *qui tacet nec consentire, nec dissentire videtur.*

41. Sanchez. *Etiam in absentibus vel infantibus habet locum ea doctrina.*

Ita docet Speculum 1. *p. art.* 5. *in fine*, & alij apud Coninc *suprà* & apud Sanchez *suprà nu.* 7. & apud Gutierrez supra contra Henriq. *cap.* 11. *c.* 13. *n.* 6 *littera S.* cum pluribus, quos refert; quæ tota doctrina mihi placet.

Et quamuis Sanchez contendat esse discrimen inter filios absentes, ac præsentes, & doceat pro absentibus vel infantibus non sufficere, quòd posteà nouerint & non reclamauerint; quia nimirum Textu in *c. vnico de sponsatione impuberum in* 6. §. *finali* assignatur discrimẽ inter sponsalia à parentibus nomine filiorum præsentium & tacentium (quo casu dicuntur valere) & inter sponsalia à parentibus contracta filiis absentibus (quo casu dicuntur non valere, nisi certiores facti filij ratificauerint tacitè, vel expressè) nihilominùs probabiliorem puto sententiam, quòd valeant eo ipso, quod scientes taceant & non contradicant: illa enim taciturnitas censetur ratificatio tacitâ; cùm enim textus dixisset.

Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumq; contrahunt, ipsi, si expressè consenserint, vel tacitè vt si præsentes fuerint nec contradixerint, obligantur. Subiungit statim textus *est idem si filij tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia, post scientes ratificauerunt tacitè vel expressè.* vbi eadem vtriusque casus ratio dicitur esse, & tacitè ratificare nihil est aliud, quam scire, & non contradicere.

42. *Cõcluditur necessitas manifestationis ad valorem prædictum.*

Ex his omnibus constat ad celebranda sponsalia requiri, vt consensus sufficienter manifestetur; siue signum sit nutus, siue factum, siue verba, siue quandoque taciturnitas, quæ, licet per se non sufficiat, ex circumstantiis aliquando potest sufficere, vt explicatum est. Iam verò difficultates occurrentes circa tres prædictas explicatas conditiones examinemus sequentibus dubitationibus. Alia, quæ ad hanc rem faciunt diximus *in nostro opere de Iust. in tract. de contractibus in genere* disputantes, an contractus requirat signa externa interni consensus. Legatur finis *dub.* 2. *disp. seq.* De manifestatione verò, quę fieret per reuelationem diuinam, non est cur multa dicamus, tantùm existimo, etiam non sufficere ad obligationem promissionis, nisi per illam reuelationem aliquâ ratione dirigatur à promittente ad promissarium, quâ de re videri potest Perez *disp.* 1. *sect.* 9. *n.* 6. & 7.

DVBITATIO III.

An ad valorem sponsalium vel matrimonij sufficiat deliberatio virtualis, vel intentio deliberata virtualis? seu intentio in causâ ipsius contractus.

43. *Intentio deliberata triplex actualis, virtualis habitualis.*

SVpponenda est in primis vulgata distinctio intentionis deliberatę in actualem, virtualẽ, & habitualem. Actualis; seu alio nomine formalis dicitur intentio, quamdiù in se ipsâ formaliter perseuerat. Virtualis verò quando; præcessit, & non est retractata sed perseuerat non quidem propriè in se expressa, sed in aliquo effectu sui ex ipsâ deriuato, sic tamen vt illa aliquo modo perseueret in se ipsâ, nempe confuse; mutatâ scilicet intentione expressâ physicè in confusam. Habitualis vero dicitur, quando præcessit & non est retractata non tamen perseuerat in se adhuc confuse, neque in aliquo effectu sui. Sed quâ ratione hæ omnes differentiæ intentionis intelligi debeant, explicuimus *in tract* 1. *huius operis agentes de Sacramentis in genere disp.* 3. *dub.* 16. vbi latè explicuimus, an; vt valeat Sacramentũ necessaria sit in ministro intentio actualis, vel virtualis, vel sufficiat habitualis, ibi legatur. Nunc ergo in præsenti disputamus, an ad valorem sponsalium sufficiat deliberatio & intentio deliberata, quæ præcessit, quæ est habitualis, an requiratur actualis, vel virtualis, etiam aliquo modo actualis, atque adeò an in ebrioso, & furioso sufficiat deliberatio, aut potiùs intentio deliberata, quæ præcessit ante ipsam furiam, aut ebrietatem, & adhuc perseuerat in ipsa furiâ, aut ebrietate, quamuis iam non sit in statu deliberationis; sed pro tunc voluntas sit indeliberata.

Status quæstionis.

44. *Ratio dubitandi.*

Ratio dubitandi in hac re pro parte affirmatiuâ esse solet; quia deliberata intentio ex eo tantùm requiritur ad valorem sponsalium, Matrimonij, alteriusve contractus, quatenùs necessaria est, vt cõtractus sit voluntarius, & liber; talis autem esse potest etiamsi procedat ex intentione, quæ solum deliberata fuit in causâ, quatenùs eligitur liberè causa, præuiso effectu, volendo scilicèt causam, vnde sequatur contractus, etiamsi contractus ipse in se non sit directè volitus; sed indirecte in causâ, vnde sequitur; id enim sufficit, vt verè, & propriè dicatur contractus voluntarius & liber.

45. *Confirmatur 1. dubitandi ratio.*

Confirmatur primò; quia intentio seu voluntas causæ, in quâ prouidetur effectus, siue illa dicatur voluntas virtualis, siue indirecta.

Sufficit

Sufficit ad peccandum mortaliter, vt quando quis liberè vult causam ipsius actus peccati absque directâ intentione efficiendi actum peccati: ergo pari ratione sufficit ad contractum voluntas deliberata causæ, in quâ præuidetur futurus contractus ex illâ absque directâ voluntate illius.

46. *Confirmatur 2.* Confirmatur 2. quia ad efficiendum validè Sacramentum sufficit intentio virtualis efficiendi illud: ergo etiam ad efficiendum validè contractum.

47. *Assertio.* Asserendum nihilominùs est non sufficere prædictam intentionem deliberatam in causâ, quam aliqui appellant intentionem deliberatâ virtualem eligendo causam ex quâ sequatur cõtractus indirectè volitus in tali causâ. Immò, neque sufficere intentionem deliberatam, quâ talis contractus sit volitus directè per se & in se, quando eligitur causa vt medium ad illum contractum; sed requiri actualem expressam deliberatam voluntatem ipsius contractus, quando actu fit. Ita Sanchez *lib.1.disp.8. num.20.* cum alijs quos refert item Vazquez *disp.5. cap.3.* estque communis sententia. Ratio verò est; quia quicunque contractus vt sit fœcundus & potens inducere obligationem, debet esse humanus & liber in se, & ratione sui: nam ipse ratione sui & in se & non in causa ipsius, est causa moralis, ex quâ oritur obligatio ipsius contractus; omnis autem contractus factus in ebrietate aut furiâ, quantumuis liberè volita, non est in se & ratione sui liber, seu humanus; tunc enim, quando contractus fit nulla est libertas, etiamsi priùs fuerit quando apponebatur causâ. Quæ doctrina vim habet, etiamsi causa contractus fuerit electa, seu volita, & adhibita ex directâ intentione deliberatâ efficiendi contractum; nam ex eâ voluntate nequit liber esse in se, cùm non procedat immediatè ex eâ intentione saltem deliberatâ; quamuis enim concederemus eandem voluntatem, quæ priùs fuerat deliberata, quando obligebatur causa, physicè perseuerare superueniente furia & ebrietate; illa tamen ipsa quæ ante furiam, & ebrietatem erat deliberata, eâ superueniente desinit esse deliberata; atque adeo non manet, vt deliberata in suo effectu virtualiter; quia talis effectus tũc non procedit ab illâ, vt deliberatâ; sed ab illâ intentione, vt existente in furia, atque adeò, vt indeliberatâ: neque ipsa intentio deliberata censetur manere in se ipsâ physicè permanente etiam non deliberata; quia actus ille intentionis indeliberatus non est effectus sui ipsius vt deliberati: ergo intentio deliberata non censetur manere virtualiter in intentione indeliberatâ.

Sanchez. *Alij.* Vazquez. *Ratio assertionis.*

48. *Tollitur latens æquiuocatio, quæ posset latere.* Sed, vt aliquid æquiuocationis in doctrina traditâ non delitescat; aduertere oportet non paucos Theologos voluntatem, seu intentionem virtualem appellare illam, quæ nullo modo actu perseuerat in se; sed in aliquo effectu sui. Vnde appellant intentionem deliberatam virtualem illam, quæ physice quidem iam non existit; sed perseuerare dicitur in aliquo effectu ex ipsa deriuato (vt notabam) & hanc voluntatem dicunt non sufficere ad celebrandum contractum, etiamsi talis intentio existat extra ebrietatem & furiam & somnum; & etiamsi directa sit, & respiciens causam contractus electam, & assumptam vt medium ad efficiendum contractum; sed putant semper requiri intentionem actualem, ita, vt contractus, qui ex inconsideratione naturali actuali fuerit, factus, sit nullus, quamuis ex intentione directâ & deliberatâ efficiendi contractum appositа fuerint omnia præuia ad ipsum, si, quando contractus fit, adsit inconsideratio naturalis ipsius, quia in tali casu non erit in se humanus & liber. Pro quâ sententiâ referunt in simili de voto Angles 2.*part.quæst.1. de voto art.1. difficult.3. concluſ.4.* quem refert Sanchez *suprà num.21.* Item Suarium *lib.1. de voto cap.10.* præsertim §. *penultimo & vltimo.*

Angles. Sanchez. Suarius.

49. *Prædicta doctrina vera sed in modo loquendi non omnino probatur.* Hæc doctrina quantum ad rem ipsam vera quidem est; sed quantum ad modum loquendi videnda sunt, quæ diximus *loco citato de Sacramentis in genere maximè* §.2. vbi diximus virtualẽ intentionem & attentionem dici illam, quæ manet quidem; remissa tamen & adeo remissa, vt vix aduertat eam habens se illam habere. Atque in hac acceptione intentio virtualis quæ supponat priùs actualem expressam, & notam habenti sufficit ad quemcunque contractum & promissionem, etiam sponsalitiam; ita, vt, qui priùs habuit veram, & expressam intentionem promittendi, aut contrahendi; etiamsi illa expressissima intentio cesser, & cogitet aliud (manente tamen remissè ex parte actus, & confusè vel etiam remissè cognitâ obiecti intenti, atque adeò permanente deliberatione aliqua) validè possit contrahere, aut promittere; sicut cum eâdem, aut simili intentione, & attentione Sacramenta conficere, vt loco notato dixi.

Qualis intentio virtualis sufficiat ad quemcunque contractum.

50. *Non habet locum intentio in furioso, aut ebrio.* Hic tamen casus non habet locum in ebrio, furioso, aut dormiente; in eis enim talis attentio & intentio leuis, & confusa non manet; quæ saltem requiritur tempore contractus, aut promissionis; atque in hoc sensu intelligi potest Suarius loco citato, qui requirit, vt priùs præcesserit intentio expressa & formalis vouendi (loquitur enim de promissione voti) quando posteà dicuntur verba externa voti sine actuali intentione ad obligationem, quam suscipit & sine actuali expressâ intentione se obligandi; sed cum virtuali manente in ipsâ actione promittendi exterius, quam priùs expresse voluit iuxta ea, quæ ex sententia Thomæ Sanchez mox subiicio.

Suarius. *Iuxta datã doctrinam intelligendus.*

51. *Thom. Sanchez eodem sensu videtur loquutus.* Hâc eâdem ratione videtur loquutus Thomas Sanchez *citato lib.1. disp.8. num.21.* vbi expresse ait sufficere virtualem voluntatem; cùm tamen *num.20.* dixerit non valere promissionem factam ab ebrio, aut demente etiamsi priùs habuerint voluntatem deliberatam, quam tamen posteà in amentiâ non habent; nec tunc sponsalia, quando fiunt, sunt deliberatè volita in se, & assignat disparitatem inter homicidium volitum ab ebrio ante ebrietatem, & inter sponsalia, quia nimirum homicidium volitum priùs ab ebrio, est volitum in causa præuisa, ita vt homicidium tunc admissum in ebrietate censeatur virtute volitum in sua causâ; non tamen censeantur virtute volita sponsalia, aut matrimonium; quia nimirum vt dixerat *num.20.* cum homo

homo teneatur vitare homicidia, & talia peccata, eo ipso, quod sciens se in ebrietate illa admittere, & cum possit, non curat ea vitare, indirecte & virtute ea vult; at cùm non teneatur vitare sponsalia, aut Matrimonium non censetur voluntas virtualis circa illa. Sed (quidquid sit de hoc) Auctor hic expresse docet *n.* 21. cum Nauarro Ludouico, Lopez & Aragon, quos refert ad voti valorem (& idem de sponsalibus dicendum putat) sufficere voluntatem, & deliberationem virtualem, qua in se ipso volitum est; quis enim diceret, inquit Sanchez, quòd is, qui deliberatè cœpit exequi eas ceremonias, quæ præcedere solent Matrimonium, aut professionem, non sit verè professus aut legitimè matrimonio coniunctus ex eo quòd tempore professionis, aut Matrimonij, non habeat deliberationem propter animi perturbationem, vel attentionem ad alia; sicut si simili voluntate facturus sacrum accedat vetè consecrabit ex voluntate virtuali, quamuis consecrationis tempore ad alia diuagatus non attendat. Hactenùs Sanchez. Similemque doctrinam habet Suarius loco citato de *voto*. Quam ego doctrinam ita intelligo, vt iuxta dicta *loco notato de Sacramentis in genere* maneat voluntas aliqua actualis, remissa quidem, & cognitio etiam aliqua confusa, vel non ita expressa, actualis tamè: dicatur verò intentio, & attentio virtualis comparatione alterius expressioris, quam priùs quis actu habet vouendi, aut promittendi, & ex virtute cuius præhabitæ effectus promissionis actualis exteriùs fit, durante aliquo modo prædictâ attentione & intentione deliberatâ, quam tunc adhuc habet vouens, aut promittens, & quam nullo modo habet ebrius furiosus aut dormiens, quando verba promissionis proferunt. Vnde intentio, aut voluntas, quam tunc hi habent, & ex quâ procedunt verba promissionis, nullo modo est deliberata; & hanc diximus non sufficere, siue hæc appelletur actualis non deliberata, siue appelletur virtualis, quæ est minus propria loquutio. Nec argumenta in contrarium aliquid probant.

Nauarrus Ludouic. Aragon.

Suarius in eo simile est Sanchio.

Quomodo sit admittenda ea doctrina.

52. *Respondetur argumento in contrarium.*

Ad argumentum supra factum respondemus concedendo, voluntatem deliberatam causæ sufficere quidem, vt contractus in causâ sit liber, id est, vt causa ipsius sit libera; non tamen sufficere, vt contractus sit liber in se ipso, quod necessarium erat, vt moralis obligatio contractus oriretur, quæ non oritur ex causâ contractus, sed ex contractu ipso: ex quo tamen oriri non potest, nisi sit liber in se. Neque in hoc est discrimen inter actum malum puta homicidium, & inter contractum factum in ebrietate. Nam homicidium in ebrietate factum iuxta veriorem doctrinam, cum in se non sit liberum, quamuis fuerit liberum in causâ, nequit esse peccatum, neque ex eo oritur malitia vel culpa, vel demeritum: Sed solum culpa fuit in causâ, quia liberè homo, apposuit causam actui malo. Quia tamè liberè apponere causam actui malo peccatum est & contra rationem, non minùs, quàm efficere ipsum actum malum, ideò ad peccandum sufficit actum malum esse liberum in suâ causâ, id est causam illius esse intentam & volitam libere, etiamsi actus ipse quando fit in se non sit liber; immò perindè peccatum habebit homo quamuis actus posteà non fiat; neque enim solùm peccatur actu malo libero, sed appositione libera causæ peccati ex quâ etiam oritur malitia non minùs, quàm exactu. Obligatio verò moralis ipsius contractus non oritur ex causâ, sed ex contractu ipso ratione sui, ex quo oriri non potest, nisi in se & ratione sui liber fit. Ex quo cessat vis primæ confirmationis petitæ, & paritate intentionis sufficientis ad peccandum.

Ex data doctrina cessat vis confirmationis primæ.

53. *Respondetur ad secundã.*

Ad secundam verò respondetur, nec ad Sacramentum sufficere voluntatem præcedentè, & solùm virtualiter permanentem eo sensu, quo in ebrio aut furioso dicitur virtualiter permanere; nam (vt rectè notauit Sanchez suprà) non minùs debet esse humanus actus Ministri Sacramenti, quam actus contrahentis, aut promittentis. Vndè, si aliquis prius audiuit confessionem, cum intentione absoluendi, & posteà factus amens, aut ebrius absoluat nihil faciet; quod verum est, etiamsi ante ebrietatem præuiderit se absoluturum in ebrietate, immò etiamsi tunc, quando se inebriat, intenderit ipsam absolutionem, quam præuidet se collaturum in ebrietate, & idem est de consecratione facta in ebrietate, in quo nulla est disparitas pro contractu, & pro Sacramento; quidquid aliqui Recentiores dicant. Si verò loquamur de voluntate virtuali in eo sensu, quo paulò antè dicebamus voluntatem seu intentionem & attentionem permanere virtualiter in eo qui contrahit Matrimonium vel sponsalia, aut emittit professionem solemnem cum aliquâ perturbatione vel attetione ad alia, quibus sit quodammodò distractus (in quo casu diximus virtualiter permanere intentionem priùs expresè habitam) omnino asserendum est idem habere locum in confectione Sacramentorum, sicut enim cum eâ virtuali intentione valet contractus vel professio, aliáue promissio; valebit etiam (vt sæpe fit) Sacramenti confectio. Vnde licèt Sacerdos distractus aliis cogitationibus consecret, vel absoluat, valide id faciet, *vt loco citato de Sacramentis in genere notauimus*, & licèt ibi etiam dixerimus ex Vazquez Christum Dominum potuisse quidem ita instituere Sacramenta, vt, nisi fierent ex actuali expresâ voluntate, non valerent; id tamen non fecisse, nec credendum esse instituisse Sacramenta subiecta huic periculo naturalis inconsiderantiæ; atque adeò potiùs credendum esse Christum ita instituisse Sacramenta, vt ad eorum essentiam sufficeret adhibere res & verba ex priori voluntate faciendi id, quod facit Ecclesia, etiamsi naturali inconsiderantiâ adhiberentur, quam probabilem doctrinam existimauimus; nihilominùs ibidem diximus (post varios discursus) semper debere existere aliquam attentionem, vel intentionem saltem leuissimam actualem aliquo modo deliberatam, quæ ideò virtualis dicitur respectu præcedentis; quia non manet in illâ perfectione, & expressione, talis autem voluntas seu intentio; & attentio virtualis fieri potest non solum, vt ab initio semper perseueret; sed, vt semel, aut sæpè interrupta reassumatur, vt ibidem quoque notauimus; semper tamen

tamen aliqua reperitur, quando fit Sacramentum, & idem puto de promissione, & contractu. Legantur ibi dicta vbi alia diximus, quæ hic possent addi nisi iam ibi dicta fuissent.

DVBITATIO IV.

An promissio Matrimonij facta cum animo promittendi; sine animo tamen se obligandi, obligationem inducat.

54. *Statuendum 1.*

STatuendum inprimis est eum, qui verè promittit, siue Matrimonium, siue aliam rem, quam iuste potest implere, etiamsi habeat animum non implendi, eo ipso, quòd habeat animum se obligandi, manere obligatum. In quo Doctores communiter consentiunt, & constat ex iis, quæ dixi de *Iustitia & iure lib.2 tract.4. de promissione.*

55. *Statuendum 2.*

Statuendum 2. si sciat vim promissionis ad obligandum, etiamsi careat expresso animo se obligandi, & promittat, manere obligatum, est etiam communis sententia, quia nimirum eo ipso censetur velle obligationem cum adhibuerit sciens & volens causam habentem vim ad obligandum. Ita dixi loco notato.

56. *Additum quorundã.*

Addunt etiam aliqui non improbabiliter, etiamsi quis ignoret vim promissionis ad obligandum, si velit promittere, manere obligatum. Nam ex promissione libere factâ, oritur, tanquàm effectus, obligatio (sicut ex igne applicato stupæ oritur combustio) quod probabilius est, quando non adest positiuus animus se obligandi.

57. *Probabile oppositum.*

Probabile tamen est non teneri implere promissionem, qui ex animo quidem promisit, ignorans tamen habere vim obligandi; talis enim nullo modo videtur velle verè promittere; habet enim voluntatem cuiusdam promissionis, quæ nullo modo est promissio, vel certè non habuit voluntatem verè promittendi; quia non nouit veram promissionem, quam, si non nouit, non vult, neque enim nouit (vt supponimus) promissionem habentem veram vim naturalem obligandi; nulla est autem promissio, quæ talis non sit, atque adeò non vult veram promissionem, qui non vult talem. videatur Sanchez *disp.9.num.5.* Coninc *disp.21. dub.2.* Bonacina *q.1.puncto 1.nu.5.* quos sequuntur alij magis recentes.

Sanchez. Bonacina. Coninc. *Alij.*

58.

Hæc pars est multò probabilior in casu, quo quis ex errore, vel ignorantiâ promittit quidem ex animo promittendi, sed cum animo non se obligandi. His præmissis circa hoc vltimum video esse controuersiam inter Auctores sanè graues maximè Recentiores; quos refert Diana 3 part. Tract.4. resolut.205. Sanchez *lib.1. disp.5.* & Coninc *disp.21.dub.2.* alijque apud ipsos omnino putant prædictam promissionem nullo modo obligare. Probatur primò *ex c. finali de conditionibus appositis.* Vbi conditio contraria substantiæ Matrimonij ipsum annullat; licet verba & intentio sint contrahendi, sed de naturâ promissionis & sponsalium est animus se obligandi, ergo animus contrarius, cum sit contra substantiam ipsius contractus, illum annullabit. Probatur 2. Quia omnis obligatio promissionis oritur ex propriâ & priuatâ voluntate promittentis: ergo, si hæc non solum desit, sed simul adsit contraria voluntas non inducendi obligationem; talis obligatio non orietur. Vnde communiter dici solet promissionem esse quãdam priuatam legem, quam sibi promittens imponit, nulla autem lex obligat quando legislator expresse vult non obligare, omitto alia argumenta minoris momenti.

Sanchez. Coninc. Diana & *alij.* *1.Sententia negans obligare promissionem aut esse promissionem sine animo se obligandi.* *Probant alij* 1. *Probant* 2.

Alij Doctores putant eam promissionem omnino obligare tàm ex fidelitate, quam ex Iustitia, quia prædicta promissio vera promissio est, vtpote affirmatio quâ quis ex animo fidem suam offert; vera autem promissio obligat tàm ex fidelitate, quàm ex Iustitiâ. Ita Vazquez *disp.6. de Matrimonio c.3.* Petrus Ledesma *q.43.art.1.difficultate 2.*

59. *2. Sententia affirmans eam esse verè promissionem & valere.* *Probant.* Vazquez. Ledesma.

Alij tamen distinguũt inter prædictas obligationes fidelitatis & Iustitiæ, & admittunt primam fidelitatis, negant secundam Iustitiæ. De fidelitate quidem probant, quia quamuis ea promissio non sit ex animo se obligandi, vera promissio est, cùm sit enuntiatio quâ promittẽs ex animo fidem suam offert contrahendi Matrimonium, in quâ putant esse sitam naturam promissionis. Ex naturâ autem, seu ex iure naturali veræ promissionis nequit non oriri obligatio fidelitatis ad standum promissis, quamuis enim promittens nolit ad id obligari, est contra fidelitatem non stare verè, & liberè promissis, perinde; atque contra veracitatem in dicendo est affirmare, aut negare aliquid contra mentẽ, quamuis enuntians nolit obligari ad conformandum dictum menti; in nullius enim potestate est deobligari à iure naturali, vel ab obligatione non faciendi contra virtutem.

60. *3. Sententia distinguens admittit obligationem fidelitatis; non Iustitiæ.* *Ratio pro fidelitatis obligatione.*

Probant deinde non obligari ex Iustitiâ, quia in potestate promittentis est, suâ promissione tantùm offerre fidem, & non conferre ius Iustitiæ ad rem promissam; quia natura promissionis sufficienter saluatur in oblatione fidei; conferre autem ius ad rem, pendet ex voluntate Domini rei; quia ius non confertur solis verbis (quamuis aliàs sufficientibus) absque animo cõferendi illud; quia omnis contractus (inquiunt) in quo oritur ius Iustitiæ in vno & obligatio Iustitiæ in altero, coalescit ex verbis conferendi sufficientibus; & ex consensu conferendi: ergo ex promissione, quamuis verâ, & ex animo factâ & aliàs sufficienti ad conferendum ius Iustitiæ, eo ipso, quòd fiat absque animo conferendi ius Iustitiæ, & se obligandi ex Iustitiâ non oritur dictum ius in promissario, neque obligatio Iustitiæ in promittente. Vnde (inquiunt) dicta promissio, quamuis sit ficta in ratione contractus, ficta non est in ratione promissionis. Ideò, quamuis non obliget ex Iustitia, obligat ex fidelitate, & hoc solùm putant probari argumento facto pro sententia Vazquij & Ledesmæ & aliorum. Ita Gaspar Hurtado *disp.1. difficult.10.* contra prædictos & Basilium Ponce. hic modus Philosophandi non mihi videtur omnino improbabilis. Sed vt in hac re dicam, quod sentio.

61. *Ratio pro non obligatione Iustitiæ.*

Hurtado. *Non omnino improbabilis est prædictus philosophãdi modus.*

Asserendum est in eo, qui nouit naturã promissionis iudicans vim & naturam illius (si vera est)

62. *Assertio.*

est) esse inducere obligationem; impossibile esse simul vtramque habere voluntatem; scilicèt voluntatem verè promittendi, & voluntatem verè non se obligandi, ita, vt, si iudicet de naturâ promissionis in materiâ iustitiæ esse non solùm obligare ex fidelitate, sed ex iustitiâ, non possit habere animum verè promittendi, quin simul habeat animum expressum, vel virtualem vtroque modo se obligandi. Ita Lessius de Iustit. *cap.18.num.5.& cap.4. dub.1.num 6.* Coninc *suprà*, & alij posteriores. Quod si iudicet de essentiâ promissionis, in quâcunque materiâ, etiam iustitiæ, solùm esse vim obligandi ex fidelitate, non possit habere animum verè promittendi, quin saltem habeat animum, simul se obligandi ex fidelitate.

Lessius. Coninc.

63. *Quo sensu sit admittenda prima sententia.*

Ex quo fit, vt cognoscens naturam promissionis eo ipso quod vult non obligari verbis promissionis, non velit vere promittere, & facere promissionem, quæ verè sit promissio, atque in hoc sensu, vera est prima sententia quam docet Sanchez Coninc & alij, supponunt enim, aut expresse asserunt talem animum non se obligandi esse contra naturam promissionis; atque adeò, qui vult promissionem, non obligatoriam, vel (vt sic dicam) non obligatiuam, non vult promissionem, quæ vere sit promissio.

Sanchez. Coninc. *Alij.*

64. *Quomodo sit Philosophandum in ordine ad promissionẽ externam, putantis verba habere vim obligandi.*

Ex hac etiam doctrina infertur adhuc in hoc diuerso modo esse Philosophandum in ordine ad promissionem externam verbis factam: nam, qui putant verba promissionis exteriùs prolata, & seriò, non ioco; sed liberè dicta inducere obligationem, siue ex fidelitate, siue ex iustitiâ, siue ex vtrâque, eamque vim habere naturâ suâ talia verba, eo ipso, quòd sic proferantur: consequenter dicere debent non posse sic proferri à sciente, aut iudicante talem esse vim eorum verborum, quin simul habeat animum expressum, vel virtualem causandi eam obligationem, ac proinde nullo modo posse, simul verba sic proferre, & non se obligare, nec promittere; quod ego verum puto.

65. *Quid si putet etiam serio dicta non habere eam vim?*

Si tamen quis iudicet verba, quantumuis seriò prolata non inducere obligationem iustitiæ, aut fidelitatis & conferendi promissario ius iustitiæ, tunc benè poterit habere animum proferendi exteriùs verba promissionis, sine animo se obligandi eo modo, quo putant posse non obligari, etiamsi verba proferat. Quia ergo probabilissimum est, & mihi verum eo ipso quòd quis verba promissionis seriò profert, debere illa ex fidelitate facere vera, quotiescunque non addit aliquod verbum, quod significat se, neque hanc obligationem velle subire (vt posteà explicabo) hinc est, vt, quo ad hanc partem admittam secundam & tertiam sententiam, quatenùs asserunt promittentem animo non se obligandi, adhuc manere obligatum ex fidelitate; in eo tamen casu solum poterit habere animum non se obligandi in materiâ iustitiæ, vt vult tertia sententia, in quo mihi valdè probabilis apparet.

Quatenus sit admittenda secunda sententia & quatenus tertia?

66. *Explicatur amplius.*

Itaque si sequamur sententiam eorum, qui putant obligationem humanam naturalem non solùm fidelitatis sed etiam iustitiæ (quando promissio est de materia iustitiæ) oriri ex verbis promissionis exteriùs seriò & sponte prolatis, etiamsi deficiat consensus interior transferendi dominium, tunc erit etiam impossibile velle exteriùs verba proferre, & habere interiùs animum non se obligandi, etiam ex iustitia; & quia probabilissimum est in his promissionibus, aut contractibus resultare obligationem humanam naturalem fidelitatis, & iustitiæ eo ipso, quòd sic talia verba proferantur, hinc est & secunda sententia Vazquij & Ledesmæ probabilissima sit; putat enim Vazquez satis probabiliter prædictos contractus validè celebrari, non solùm per consensum verum animi, qui consensus adsit, sed etiam per consensum debitum, qui debeat adesse; talis autem consensus est debitus, eo ipso, quòd verba prædicto modo proferantur, atque adeò, cùm quis iuxta hanc sententiam videat esse impossibile prædictam obligationem non oriri ex talibus verbis: impossibile etiam ille erit simul velle verba sic proferre, & efficaciter velle vt obligatio non oriatur. Legatur Vazquez *disputatio sexta numero 27.* quem sequitur Basilius *libro duodecimo capitulo secundo* legantur etiam quæ posteà dicemus dubit.7. tota sed maximè assert.5. & deinceps. Ideò propriè loquendo non existimo posse esse etiam externam promissionem omnino fictam, id est, quæ sit sine animo promittendi (seclusâ ignorantiâ) quia eo ipso, quod vult exterius verba promissionis offerre alteri, censetur velle promittere humano modo sufficienter, vt obligetur. Atque hæc doctrina maximè vim habet, quando talis promissio externa firmatur iuramento. De quo posteà dicemus. Legantur etiam, quæ diximus agentes *de Restitut.disp.7. dubit.9.* maximè ab assert.4. & de contractibus *in genere dub.19.* & de promissione *dub.4.*

Vazquez. Ledesma.

Vazquez *omnino legendus* Basil. Pone.

Illud autem videtur non posse negari; sed inter homines sæpe contingere aliquos nimirum proferre verba promissionis, sed simul addere verbum, quod tollat omnem obligationem, & aliquando quod tollat obligationem iustitiæ, & hoc non video quare non sit in potestate sic proferentis verba. Vnde, si Titius dicat Caio, *ego gratitudinis ergo, cum factus fuero Consul, dabo tibi centum; non tamen volo manere obligatus ad id faciendum; sed omnino penes me sit facere vel non facere ita, vt neque ex fidelitate maneam obligatus*; tunc sanè illa verba propriè non promissionem significant, sed propositum amico significatum. Item, si quis dicat alteri, *ego promitto tibi me daturum centum, nolo tamen manere obligatus ex iustitia ad id faciendum; sed tantùm tibi sufficiat verbum meum, quo tibi dico me ita facturum*; tunc sanè obligatio solùm erit ex fidelitate, & in hoc sensu & casu admitto tertiam sententiam. Vtrum autem quando neq; exterius explicat talem animum non se obligãdi ex iustitiâ, neque habet interius illum, maneat liber ab obligatione iustitiæ, quæstionem habet, & vtrumq; probabilissimum est iuxta duas opiniones supra indicatas; quidã enim asserũt manere obligatum, propter consensum debitum & obligationem, quæ çonsurgit ex contractu, aut pro-

67. *Sæpe inter homines modus est quidam promittendi eũ addito verbo tollente obligationẽ.*

promissione humano modo factâ ; alij verò negant, quia in potestate hominis est velle trâsferre ius iustitiæ promissione suâ, de quo posteâ latiùs disputabimus & diximus *in nostro opere de iustitiâ agentes de promissione.* Omitto alia, quæ non nemo hic mouet, & communia sunt omni promissioni, de qua in communi nunc non agimus.

DVBITATIO V.

An eo ipso quod quis acceptat promissionẽ Matrimonij censeatur repromittere?

68. *Prima sententia affirmans.* Vasquez.

NOn desunt cum primis graues Auctores, qui putent per solam acceptationem promissionis sponsalitiæ censeri acceptãtem simul repromittere. Ita Vazqu. *disp.* 4. *c.* 1. Basilius Legionensis *lib.* 12. *de Matrim. c.* 4. & alij; apud citatos post Paludan. *in* 4 *dist.* 27. *q.* 1. probant vero; quia, qui promissionem Matrimonij acceptat, eo ipso affirmat promittenti se velle cum eo Matrimonium inire; hæc autẽ affirmatio quædam est repromissio.

Probant 1.

69. Secũdo, quia, qui promittit Matrimoniũ, illud promittit sub conditione, si alter repromittat: ergo eo ipso quòd is acceptet promissionem sub eâ conditione repromissionis, censetur repromittere.

70. 2. *Sententia negans & vera & magis communis.* Sanchez. *Probatur ratione à priori.*

Oppositũ omnino verum puto, & magis cõmune, scilicet non eo ipso, quòd quis acceptat censeri repromittere. Ita Sanch. *lib.* 1. *disp.* 5. *nu.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. & alij apud Sanch. Probatur verò ratione à priori; quia acceptatio promissionis, formaliter loquendo, non est repromissio, neque coniungitur cum repromissione: ergo, qui acceptat, non eo ipso repromittit formaliter, aut interpretatiuè; ita, vt censeatur repromittere. Probo antecedens; nam in primis acceptatio sufficienter fit admittendo fidem ab alio oblatam; admissio autem fidei alterius non est datio fidei illi alteri; sed acceptatio alienæ fidei; potest enim quis affirmare se velle accipere fidem sibi oblatam ab altero, nec affirmando nec expressè, vel implicite volendo dare suam fidem alteri, & obligare se erga illum. Omitto aliam argumentandi rationem apud Sanchez suprà, quæ vel non habet vim, vel tota vis in dictum resoluitur argumentum, quod, scilicèt, acceptatio non sit formaliter repromissio, ac proinde non eo ipso, quod quis acceptat, censeatur repromittere.

71. *Ad primam rationem aduersariorum respondetur.*

Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondemus, negando antecedens, neque enim, qui acceptat, affirmat promittenti, se velle cum eo contrahere Matrimonium; sed solùm affirmat, se accipere fidem, & ius ab altero oblatum secum contrahendi; immò licèt daremus id affirmare significando, scilicèt, animum, quẽ habet contrahendi cum illo, qui sibi promisit, non statim eo ipso censetur repromittere, simplex enim affirmatio, quâ quis affirmat, se velle cõtrahere matrimonium cum ipso promittẽte, nõ est obligatio fidei suæ, quasi adstringat, vel censeatur eam velle adstringere illi, cui affirmat, cuiusũe promissionem acceptat.

Ad secundum respondeo, etiamsi daremus regulariter loquendo promittentem Matrimonium sub eâ conditione repromissionis promittere, non ideò sequitur, id esse necessarium ex naturâ rei; fieri enim potest promissio absque eâ conditione, immò, quamuis necessariò fieret sub eâ conditione repromissionis, ac proinde sub eâ, factam promissionem illam acceptaret, non eo ipso repromitteret; potest enim non apponere conditionem illam, sub quâ iam promittens promiserat, atque adeò, nec efficere promissionem promittentis absolutam, purificando, scilicèt, conditionem, sub quâ facta est; sed eam relinquere conditionatam, & sic conditionatam acceptare donec ipse acceptans repromittat, & sic purificetur.

72. *Respondetur ad secundũ.*

DVBITATIO VI.

An promissio Matrimonij non mutua, id est absque repromissione alterius, valeat, & obliget?

73. *Sententia negans.* Vazquez. Veracruz. Basilius. *Recentiores.* Nauarrus. S. Antonin. Molina. Henriq. *Non omnes in rigore sunt eius sententia, pro quâ referuntur.*

NEgat consequenter Vazquez *disp. illa* 4. *numer.* 29. Veracruz *in appendice ad speculum dub* 9. Basilius *lib.* 12. *c.* 4. & alij Recentiores, ita etiam Nauarrus *cap.* 22. *num.* 25. & ante ipsum S. Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 18. Molin. *to.* 2. *de iustit. & iure. disp.* 263. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 13. *numer.* 2. sed aliqui vt Nauarrus in rigore solum negant esse contractum sponsalium vt dicam infrà: contractus enim Matrimonij gratuitus non est, & similis donationi; sed mutuus, & quasi commutationis, per quem fit mutua corporum traditio: ergo promissio ipsius celebrandi non est, quasi donandi; sed, quasi commutandi corpus pro corpore; ac promissio contrahendi Matrimonium ab vno solo factâ absq; promissione alterius nequit habere valorem obligandi, sicut neque traditio corporis potest fieri validè ab vno, quin etiam ab alio fiat.

74. *Opposita sententia vera. Aduersariorum aequiuocatio seu paralogismus.*

Ego sanè non tantùm oppositam sententiam verã puto; sed non possum non mirari viros alioquin doctissimos, tàm ingentem sinè æquiuocationem, siue paralogismum pati; neque enim promissio alicuius contractus ineundi debet inducere naturam ipsius cõtractus promissi; fieri enim potest vt promissus contractus sit natura mutuus & reciprocus: promissio verò ineundi illum sit liberalis & non mutua. Sic promissio vendendi non mutua est; quamuis ipsa venditio emptionem ex parte eius, cui vẽditur, necessario postulet neque enim venditio esse potest, sine emptione; nec tamen apparet repugnantia, quod sit promissio vendendi, sine repromissione emendi, ergo inter virum, & feminam etiamsi vir non possit ducere feminam, nisi femina nubat viro, nec femina viro possit nubere; nisi vir ducat feminam nulla apparet repugnantia in eo, quod ex parte viri sit promissio ducẽdi feminã; ex parte autẽ feminæ non sit promissio nubendi viro. Ratio vero à priori pro omnibus similibus est; diuersa natura contractus; ille enim contractus, qui naturâ suâ est mutuus, & reciprocus fieri non potest, nisi mutuus & reciprocus; secùs vero illo contractus (seu potiùs dicam pactum) quod

Ratio à priori data doctrinæ.

quod natura sua non est mutuum non requirit ex parte vtriusque consensum obligatorium. Cùm ergo Matrimonium, emptio venditio, & similes contractus mutui sint, celebrati non possunt; nisi ex parte vtriusque contrahentis contractus fiat, & obligatio resultet; promissio verò, cum sit contractus, seu pactum non mutuum naturâ suâ, etiamsi habeat pro materiâ & obiecto promissionis pactum, seu contractũ naturâ suâ mutuum, ipsa ex se potest mutua non esse. Vnde fieri potest promissio ab vno gratis & absolutè; non sub conditione repromissionis; & potest ab altero absq; repromissione acceptari iuxta dicta *dub. præcedenti.* Hinc est vt, sicut, licèt emptio & venditio non sint contractus liberales, nec fieri possint liberaliter, & absolute sed sub conditione traditionis rei pro pretio, aut pretij pro re; nihilominùs promissio vendendi, aut emendi liberalis esse possit, & absoluta (vt sæpe fit) ita similiter, licèt celebratio matrimonij non possit non esse mutua traditio corporis pro corpore; nihilominùs promissio illius celebrandi mutua esse possit, & absoluta absque obligatione ex parte alterius. Itaque potest esse gratis promissio tradendi cõmutatiuè corpus pro corpore, licet traditio ipsa gratis esse non possit, sicut potest gratis esse promissio vendendi rem pro pretio, licèt venditio ipsa gratis esse non possit; particula enim illa *gratis* cadere potest supra actum promittendi mutuum contractum; quamuis cadere non possit supra actũ promissum contrahendi, ideò nostram sententiam sequuntur Sotus *in 4. dist. 27. q. 2.* Sanchez *lib. 1. disp. 5. num. 5.* cum aliis Nauarrus qui referri solet pro oppositâ sententiâ; sed solùm negat esse contractum sponsalitium, vt mox dicam, nobiscum sentit Hurtado *disp. 1. difficult. 4.* Bonacina *quæst. 1. p. 1. num. 7.* & alij posteriores.

Sotus. Sanchez. Nauarrus. Hurtado. Bonacina. *Alij posteriores.*

75. *Promissio matrimonij non mutua non est propriè sponsalitius contractus.*

Illud autem non negauerim prædictam promissionem non mutuam esse quidem promissionem matrimonij, sed non esse promissionem sponsalitiam; neque illam promissionem ex parte vnius tantum, & acceptationem ex parte alterius esse propriè contractum sponsalitium: hic enim contractus debet esse mutuus, vt supra dictum est; & quando (vt sæpe fit, imo ordinariè) promissio matrimonij sponsalitia, id est sub conditione, quod alter repromittat, non incipit obligare promissio vnius, donec alterius adsit promissio, si tamen duo inter se ita consentiant vt vnus ex parte suâ velit promittere & se obligare alteri acceptanti suam promissionem; non tamen repromittenti, & se obliganti nullum est impedimentum quo minus fieri possit, licèt cõtractus propriè sponsalitius non sit, legantur Sanchez *lib. 1. disp. 5.* Nauarr. *c. 22. n. 25.* qui cum aliis nostram sententiam sequuntur, vt dixi.

DVBITATIO VII.

An promissio gratuita & non mutua obliget sub mortali.

76. *Auctorum in hoc dissensus. Prima sententia.*

NOn parùm inter se dissentiunt Auctores in hac re, nec desunt, qui putent promissionem gratuitam, & non mutuam, sed simplicem nempè absque repromissione vel alio titulo, quam liberalitatis non obligare sub mortali; etiamsi promissio rei grauis sit, vt Matrimonij. Ita Henriquez *de excomm. c. 17.* quem alij sequuntur. Probant verò, quia promissio non mutua, & gratuita solùm obligat ex veracitate in operando, quæ dicitur fidelitas, atque adeò tantùm obligat sub veniali. Probatur consequentia; quia veritas, seu veracitas in operando non magis obligat ad conformandum facta promissis, quàm veritas, seu veracitas in dicendo ad conformandum dicta menti; sed hæc sub veniali est; ergo & illa.

Negans obligare sub mortali promissionem etiam rei grauis. Henriq. *Et alij Probant aliquot.*

77. *Secunda. Aliorum sententia affirmans.*

Alij verò putant promissionem cuiuscunque rei grauis etiam gratuitam & nõ mutuam obligare sub mortali; quia nimirum putant, non tantùm ex fidelitate obligare; sed ex iustitiâ transferendo, scilicèt ius iustitiæ in promissarium; obligatio autem ex iustitia in materiâ graui obligat sub mortali. Ita Nauarr. *c. 18. n. 6.* Vazq. *disp. 5. n. 13.* Sanch. *lib. 1. disp. 5 n. 20.* cum variis explicationibus, & limitationibus.

Nauarrus. Vazquez. Sanchez.

78. *Tertia sententia distinguens.*

Alij denique putant promissionem rei grauis, vt Matrimonij, quandoque tantùm obligare sub veniali, quandoque verò etiam sub mortali iuxta intentionem promittentis. Ita Molina *tom. 2. de iustitiâ disput. 262.* quam sententiam probabilem putat Less. *lib. 2. de iustitiâ c. 18. dub. 8.* & mihi placet, si rectè intelligatur.

Molina. Lessius. *Rectè explicata placet.*

79. *Assertio 1.*

Assero 1. promissio etiam simplex obligat sub mortali, quando nisi impleatur, sequitur inde notabile damnum promissario v.g. promisisti Petro centum aureos mutuos, cui promissioni ille fidens, non quæsiuit eos aliunde; posteà non implens fuisti causa, vt notabile damnum illi sequeretur ex defectu prædictorum aureorum. Ratio est, quia tunc fuisti causa illius grauis nocumenti. Hoc intelligi, si præuidisti, aut prudenter timuisti huiusmodi damnum proximo sequendum ex tuâ simplici promissione non implerâ.

Probatur.

Limitatur.

Dicitur autem simplex promissio, seu nuda, seu pactum nudum, quia nõ roboratur ex eo, quòd res promissa sit alias debita, nec onus imponitur, nec firmatur iuramento, nec vestitur stipulatione, aut traditione rei (de quibus vestimentis pactorum, seu contractuum satis diximus in nostro opere de iustitiâ agentes de contractibus in genere) vt cum Sylueſtro, Angelo, Soto, & Couarruuias docet Sanchez *lib. 1. disput. 5. num 17.*

80. *Cur aliquæ dicatur promissio simplex, seu nuda?* Sylueſter. Angelus. Sotus. Couarruu. Sanchez.

Assero 2. quando res promissa leuis est, & nullum graue damnũ sequitur promissario ex eius non impletione certum est peccatum esse leue iuxta principia generalia in materia iustitiæ.

81. *Assertio 2.*

Assero 3. si promittẽs expressè significet promissario, se nolle cõferre verbis suis ius aliquod Iustitiæ; sed solùm dicat se velle ex fidelitate obligare, secluso extrinseco damno, non obligatur ad implendum sub mortali; & hoc modo intelligenda est doctrina Molinæ *citatâ disputat. 262.* nec in eo casu, etiamsi promissio rei grauis sit, videtur posse inducere aliam obligationem, quàm fidelitatis, quia verbis promissionis non necessariò affirmat promittens expressè, vel implicitè aliud quàm se dare, & seruaturum fidem, hoc autem solùm pertinet ad fidelitatem inter homines, ex quâ adhuc in materiâ

82. *Assertio 3.* Molina. *Ratio assertionis.*

teriâ graui non oritur maior obligatio, quàm sub veniali sicut nec ex veritate in dicendo.

83. *Discrimen inter fidelitatem erga Deum & erga homines.*

Dixi *inter homines*: nam, si loquamur de fidelitate sacrâ erga Deum in materiâ graui voti conueniunt Doctores esse obligationem sub mortali; est enim ea fidelitas religio erga Deum, quæ in materiâ graui obligat; non quidem nudè, vt veritas; sed tanquàm obseruantia debita Deo, quatenùs violatione voti, vtpotè facti in recognitionem supremi dominij Dei, cui dignum est, vt obsequia promittantur, & promissa impleantur, peccat homo, inhonorando scilicèt Deum non deferendo illi debitum honorem; non verò peccat, quia decipiat Deum, sicut decipit hominẽ; neque enim Deum potest decipere. Itaque violatione promissionis factæ homini peccat quis cõtra fidelitatem, vt est pars veritatis ex eo, quod decipiat hominem; hæc autem deceptio seclusis damnis extrinsecis non cẽsetur grauis deformitas; nec tunc peccat, quis contra eam fidelitatem; quatenus est quædam obseruantia; nisi fortè promittat homini obsequium valde graue, vt eius promissione, & impletione promissionis eum honoret; tunc enim poterit esse in eâ violatione, non solùm venialis culpa contra fidelitatem, vt est pars veritatis, sed etiã, vt est obseruãtia & tũc valde probabile est peccatũ esse mortale si materia valde grauis sit.

84. *Assertio 4.*

Assero 4. promissio rei grauis, quantumuis liberaliter fiat, nec sit mutua, potest, si velit promittens, obligare sub mortali. In hoc cõueniunt Auctores secundæ & tertiæ sententiæ, & legi potest Sanchez *supra n.* 20. Ratio verò est, quia quando materia est Iustitiæ, potest promittens non legitimè impeditus; sed capax promittendi conferre, si velit, promissario ius Iustitiæ ad rem promissam, promissio autem, quæ obligat ex Iustitiâ etiamsi liberalis sit & non mutua, obligationem inducit, ac, si non impleatur, duplex peccatum committetur, alterum contra fidelitatem, quod veniale est (vt dicebam) alterum contra Iustitiam quod diximus posse esse mortale in re graui.

Sanchez. *Ratio.*

85. *An si non excluditur in promissione obligatio iustitiæ eo ipso censeatur inclusa?*

Maior videtur difficultas esse; an promissio simplex, & liberalis acceptata maximè in materiâ iustitiæ, quãdo nihil aliud exprimitur nec expresse, aut ex circũstantiis excluditur obligatio iustitiæ, sed simpliciter exteriùs promissio talis fit, vt verba obligationem iustitiæ non excludant, censeatur ex iustitiâ obligare.

86. *Assertio 5.*

Assero 5. si animus internus ita sit se obligãdi, vel certè non excludat talem obligationem, talis obligatio iustitiæ consurget ex eâ promissione; atque hanc puto esse sententiam Thomæ Sanchez *citat. n.* 20. idq; maximè probant argumenta ab eo facta; vbi suppones talẽ promissionem acceptatam esse verè pactum quod ex *l.* 1. *in princip. ff. de pactis* & *l.* 3 *ff. de pollicit.* vt diximus in *proprio Tractatu de contractibus in genere citato* est *duorum consensus*, atque conuentio, id quod habet promissio acceptata, vt notant communiter Auctores ab eodem Sanchez relati, qui hoc supposito probat talem promissionem obligare ex Iustitiâ, & sub mortali, primò; quia pactum non seruans potest excommunicari; non potest autem excommunicatio fieri, nisi pro mortali, ergo obligat sub mortali. Maior constat ex *c.* 1.

Sanchez.

Probatio assertionis ex iure Ciuili.

1. *Ratio à posteriori.*

de pactis, ibi aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut si conuentus non se cohibuerit Ecclesiasticam sentiat disciplinam. Secundò, quia communi hominum consensu omnes odio habent illos, qui fidem præstitam non seruant, perfidosque vocant, & reputant quasi infames. Vnde ex Augustino *epistola* 51. habetur *c. Noli* 23. *quæst.* 1. fidem præstitam hostibus etiam seruandam esse. Omitto alias rationes eiusdem Sanchez minoris momenti. Sed hic Auctor (vt verum fatear) absolutè putat promissionem simplicem obligare ex iustitiâ, quando promissio est in materiâ iustitiæ, & acceptata: quod absolutè non nego; quando non excluditur expressè, vel virtualiter obligatio iustitiæ, idque solùm probant argumenta ipsius, maximè aliqua petita ex foro externo, & iudiciali; tunc enim meritò in foro externo iudicatur homo seriò promittens in tali materiâ, velle se ex iustitiâ obligare, quando non excludit talem obligationem, quod facere maximè censetur, quando promittit coram notario, & testibus facto instrumento publico; tunc enim iudicat iudex, & merito, voluisse se obligare ex iustitiâ, quod tamen non iudicaret, si in ipso instrumento & coram ipsis testibus exprimeret promittens ille se non velle obligari promissione ex iustitiâ; sed solùm ex fidelitate iuxta dicta in tertia assertione, nec contra illam probant argumenta prædicti Auctoris; sed solùm quando non excluditur ea obligatio.

Probatur 2.

S. Augustin.

Quo sensu sit admittenda doctrina Sanchezij.

87. *Aliud quod addit idem auctor & probat ex legibus.*

Qui tamen posteà *n.* 21. doctrinam à se traditam docet habere locum, quãdo quis verè promittit animo se obligandi; nam, si ficta sit promissio non tenetur (inquit) ex vi illius ad implere, vt de qualibet obligatione voluntariâ tradi putat *l. obligationum l.* 1. *ff. de act. & obligat.* & in particulari probat de promissione ex Iure Castellæ *l.* 1. *tit.* 11. *partita* 5. ibi *promissiones Otrogamiento que fazẽ los hombres por palabras è con intencion de obligarse* & *lib.* 2. *titul.* 16. lib. 5. *recopil. Castellæ* hoc ipsum habetur. Probat verò Sanchez, quia cum promissionis obligatio sit spontaneâ voluntate contracta, vbi deficit voluntas se obligandi deficit ipsa obligatio, pro quâ sententiâ refert Richardum, Antonin, Angelum, Syluestrum, Tabien, Nauarrum, Anglem, Ludouic. Lopez, Armil. Aragon Martienzo. Ex quâ doctrina plures promissiones excusat à mortali, quia per eas non intendunt homines se obligare præcisè; sed ex quâdam beneuolâ honestate, vel ignorant tantã ex simplici promissione consurgere obligationem. Vnde in Prouerbium abijt, inquit ille, verba vrbanitatis minimè obligare. Posteà affert indicia ad discernendum non habuisse animum se obligandi; primò, si requisitus recuset iuramento firmare promissionem, non iam ob iuramenti reuerentiam; sed, ne teneatur sub mortali. Secundò, si, quando promittit, rogaretur, an vellet se obligare ad mortale, responderet se nolle. Pro quâ doctrinâ refert Caietanum Ludouicum Lopez, & Aragon.

Probat ratione cum multis quos refert.

Signa nolentis se obligare promissione ex iustitia.

88. *Probabilissima est prædicta doctrina.*

Hæc sane doctrina probabilissima est, maximè propter auctoritatem eorum, qui illam tradunt, atque si loquamur de verbis illis vrbanitatis, qualia esse solent illa, quibus homines sibi

mutuò offerunt obsequia, vt, quando se in primo congressu salutant, & alter alteri dicit, *si quid est in quo possim seruire, ecce adsum, omnia mea meque ipsum in vestrum obsequium offero, tantùm mandate, ego parebo, me computate inter vestros famulos, & seruitores* & similia; cum tamen, si aliquid fortè ille stultè credens iis promissionibus, vel roget, vel petat, vel mandet, requirens illa verba promissionis irrideatur ab aliis. In talibus ergo verbis promissorijs veritissimam puto eam doctrinam; quia ex circūstantiis & maximè ex vsu communi dicendi & accipiendi ea, verba, satis constat; nisi aliud exprimatur, tantùm dici ex vrbanitate, non ex animo se obligandi.

Verbà & promissiones vrbanitatis non obligãt, nec ad id seriò dicuntur.

89. Si verò loquamur de fictâ promissione, quâ scilicèt, quis exterius seriò profert verba promissionis in materiâ graui maximè Iustitiæ tali modo & circumstantiis, quibus solet promissio ex animo oriri, vere tamen internum animū nō habeat; non est ita certa doctrina, quod tunc promissio non obliget ex Iustitiâ, sicut ex fidelitate, atque adeò sub mortali, si in materiâ Iustitiæ grauis promissio fuerit, quin immò satis probabile puto, & (si merè ratione agamus) probabilius cum Vazquio *disp.6.num.27.* & Basilio *lib.12.c.2.* promissionem factam sine in erno animo se obligandi, obligare, dummodò exterius sufficienter significet animum internū se obligandi; tunc enim promissio celebratur validè consensu debito, non consensu vero, id est consensu, quem deberet habere, etiamsi talem consensum non habeat. Ratio vero à priori talis opinionis est, quia tales contractus humani humano modo celebrati sufficiunt ad transferendum ius in alterum. Sunt autem cōtractus humano modo celebrati eo ipso, quòd exteriùs verba promissionis data sunt spontaneè cum cęteris sensibiliter requisitis ad celebrandum tales contractus, idque contingit in hac promissione.

Quid de promissione seriò exterius dicta. sed sine animo interno obligandi se?

Affirmant aliqui obligare. Vazquez. Basilius.

Ea sententia probabilior videtur.

Ratio à priori.

90. Vnde in nostro casu Matrimonij eo ipso, quod verba prolata sunt seriò, & cum cœteris circumstantiis requisitis ex solo defectu animi interni se obligandi, & nullo modo exterius significato, non video cur desinat promittens obligari supposito, quod simplex promissio Matrimonii obliget sub mortali iuxta dicta in hac, & *præcedenti dubitatione.* De ipso verò contractu matrimonij, quando deficit internus consensus, alia est ratio, quâ de re dicemus suo loco. Verùm quod attinet ad promissionem sponsalitiam iam diximus dub.4. esse impossibile seclusâ ignorantiâ, simul velle promittere, & velle non se obligare, quod etiam diximus *in nostro opere de Iust. Tract.2.disp.7. dub.9.* & *tract.3. disp.1. dub.19.* & Tract.4.disp.1.dub.4.& Tract. de Iuramento *disp.3.dub.15.* iterum dicam.

Applicatur doctrina data matrimonio.

91. Nec argumenta, quibus vsus est Sanchez, probant in talibus promissionibus deficiente animo interno se obligandi nullam esse obligationem grauem. Ad primum enim petitum ex legibus, vbi videtur requiri voluntas & intentio se obligandi, Respondeo sufficere intentionem, debitam, &, quæ censetur esse eo ipso, quod quis seriò exterius vult spontaneè promittere: tunc enim seclusâ ignorantiâ, censētur velle effectum promissionis, qui est obligatio implendi. Itaque sufficit, quòd promissio ipsa sit spontaneâ voluntate facta.

Respondetur argumentis in contrarium.

Ad primū.

92. Ex quo patet responsio ad secundum, quod scilicèt promissionis obligatio sit spontaneâ voluntate contracta, & vbi deficit voluntas se obligandi deficiat ipsa obligatio. Respondetur enim concedendo obligationem illam esse spōtaneâ voluntate contractam, non tamen deficere spontaneam voluntatem seclusâ ignorantiâ eo ipso, quòd quis vult spontaneè exterius seriò promittere. Nec est eadem ratio de promissionibus illis ex vrbanitate, & de his; nam in illis modus communis loquendi & vsus, ac sensus quo talia verba dicuntur, & accipiuntur, satis denotat non dici ex animo. In his verò vt supponimus, exterius omnino significatur ex animo dici & sic accipiuntur in communi vsu loquendi, & agendi inter homines. Legantur, quæ diximus *in nostro opere de Iustit.* in secundo *Tract. de Restit.* disp.7.dub.9.ab assertione 4.citata.

Ad secundum.

93. Ex tradita doctrinâ maximè in tertiâ, quarta & quinta assertione habemus sponsalia, seu promissionem matrimonij, vt regulariter & communiter fit, obligare sub mortali, & quidē siuè mutua sit promissio, siue non mutua, potest promittens iuxta dicta ex Iustitiâ obligari, & ordinariè cum promissio fiat mutua, vt Auctores fatentur, & negotium sit in materia Iustitiæ etiam fatentur, si aliud à contrahentibus non exprimatur, obligationem consurgere grauem ex Iustitiâ, est enim materia satis grauis.

Promissio Matrimonij regulariter obligat sub mortali.

94. Non tamen repugnat fieri etiam mutuam promissionem Matrimonij non dando mutuò prædictum ius Iustitiæ, sed solùm ex fidelitate se obligando; si id velint contrahentes vt explicatum; neque enim priorem repugnat promissionem fieri liberaliter & gratis, & posteriorem etiam liberaliter aut solùm ex gratitudine, & per neutram illarum conferri ius Iustitiæ alteri.

Non repugnat ea promissio abs obligatione Iustitiæ.

95. Multum autem refert; an conferatur, vel nō conferatur ius Iustitiæ: nā præterquàm quòd, si non conferatur illud ius, non erit obligatio sub mortali; etiam talis promissio quantumuis mutua, non comprehenditur nomine sponsalium in communi modo loquendi, ac proinde ex tali etiam mutuâ promissione non consurget impedimentum publicæ honestatis de quo suo loco disputabimus.

Si ea obligatio desit non sunt propriè sponsalia, nec inducunt impedimentū publica honestatis.

96. Idem iudicium est de promissione non mutua, quæ etiam si transferat ius Iustitiæ in promissarium, eo ipso quod non est mutua, non intercedunt vera sponsalia, quæ sunt futurarum nuptiarum mutua promissio. Vnde non consurget inde impedimentum publicæ honestatis.

Licèt non mutua obligetur ex Iustitia non est propriè sponsalitia, nec inducit impedimentū illud.

DVBITATIO VIII.

Quâ ratione intelligenda sint verba sponsalitia, quæ non habent facilem expeditum sensum? vbi etiam de verbis dubiis Matrimonij.

97. VAria sunt dubia, quæ de verbis sponsalitium Matrimonium oriri possunt circa expressionem consensus requisiti ad inducendā obligatio-

Varia dubia singillatim examinanda.

obligationem quæ placet sigillatim examinare, tam circa verba per modum affirmationis, quàm per modum negationis.

98. *Quæstiũ 1.*

Quæri potest primò in verbis affirmatiuis, quando verba, quibus celebrata sunt sponsalia habent duplicem sensum in vtro illorum sint accipienda?

99. *Communis resolutionis pars prima.* Sanchez. *Probari solet.1. Probari solet.2.*

Responderi solet communiter in foro conscientiæ standum esse intentioni, secundum quã verba proferuntur. Ita Sanchez *lib.1.disputat.18. num.1.* Gutierrez *cap.3.num.18.* Molina *Tract.2. disp.162. num.1.* & alij plerique. Probari solet ex *c.intelligentia, de verborum signif.* Deinde; quia verba habent vim obligandi, quatenùs explicant consensum internum, seu intentionem ex hac autem contractus legem accipiunt. *Regula contractus* de *Regulis iuris in 6.* Accedit quod hæc obligatio est lex quædam particularis, quã homo suâ sponte sibi imponit; hæc autem ex mẽte legislatoris pendet.

100. *Eiusdem resolutionis pars secũda.* Sanchez. *Fundamentum.*

In foro verò externo non standum esse intentioni contrahentium; talis enim intentio Ecclesiam latet: sed solùm communi verborũ intelligentiæ. Vnde vterque cogetur verba in eo sensu retinere, quem communiter rectè intelligentibus generare solent; sicut notauit Sãchez *supra num.4.* iuxta *cap Ex litteris el.1. de sponsal.* testaturque esse omnium sententiam: ideò monet in hoc casu seruandas esse regulas, quas sæpe tradit *num.10.* de quibus nos posteà disputabimus. Consonat hæc doctrina cum illo vulgato discrimine inter forum internum, & externũ, quòd forum internum conscientiæ non ducitur præsumptione, sed ipsâ rei veritate, cũ tamen forum externũ præsumptione ducatur.

101. *Quo sensu & casu sit vera data resolutio & doctrina.*

Traditâ doctrina verissima est, & facilis, quando verba habent duplicem quidem sensum; sed vnum quem communiter rectè intelligentibus generare solent, & alium longè minus frequẽtem, aut valde rarum; tunc enim Ecclesia non præsumet verba fuisse dicta in sensu illo raro, & non frequenti; sed in communi & frequenti.

102. *Distinguẽdũ in hac re. Difficultas rei ostenditur.*

Sanè quod attinet ad forum conscientiæ, quamuis absolutè sequar prædictos Doctores, & ita in praxi putem iudicandum maxime propter illorum auctoritatem, si tamen doctrinam ad rationis trutinam vocemus, facilè apparebit non parum habere difficultatis; nam ad valorem contractus non sufficit intentio interna, nisi exterius sufficienter exprimatur, fiatque contractus humano modo. In tali ergo casu, inquiro, vel verba sufficienter, & determinatè explicant internum consensum sponsalitium? vel non explicant? Si explicant; nulla est quæstio; tunc enim nec verba habent duplicem sensum talem, vt in vno significent consensum prædictum: in alio verò non significent, alioquin, si duplicem talem sensum haberent, non possent sufficienter, & determinatè explicare sponsalitium. Si autem non explicant illum, non sufficient, etiam in foro conscientiæ celebrandum talem contractum, qui esset inter requirit verba, vel signa sufficienter explicantia consensum: ergo quantumuis talis intentio fuerit, loquendi scilicet in sensu, quo interna intentio significetur, non celebrabitur contractus validus propter defectum verborum, ac proinde in foro conscientiæ quotiescunque verba ita sunt indifferentia, vt æquè aut paulò plus, minusue frequenter in communi vsu possint & soleant accipi in sensu, quo non significent ipsum internum consensum: etiamsi in alio sensu accepta possint illum significare: non videntur sufficere, nisi aliunde ex extrinsecis circumstantiis constet verba in sensu significante internum animi consensum fuisse prolata; in eo autem casu, tam in foro externo, quàm in interno debent iudicari sufficientia ad contractum, nec censeri in tali occasione prolata habere duplicem sensum sed vnicum determinatè significantem consensum internum, consonatque hoc cum doctrinâ Sanchez *disput.18.* ibi legatur & quæ dicemus *infrà in hac dubitat. quæstione 3.* Sanchez.

103. *In quo iam sita sit difficultas.*

Tota iam difficultas est in dignoscendo sensu aliquorum verborum, quæ videntur duplicem, aut triplicem sensum habere, in quo sensu sint accipienda, & explicanda, maximè, quando ex animo contrahentium, aut aliis circumstantiis non satis constat, de quibus sigillatim placet disputare. Sed priùs supponendum est (in quo doctores conueniunt) quòd quamuis necessarium sit signum externum ad explicandum internum animi consensum, non sunt simpliciter necessaria verba, sed sufficiunt alia signa quibus prædictus consensus exprimatur, quæ doctrina locum habet, tam pro matrimonio, quàm pro sponsalibus. Vnde vterque contractus celebrari potest scriptura, & nutibus, imò & taciturnitate filiorum, quando parentes pro eis præsentibus contrahunt, sicut agentes de acceptatione requisitâ ad promissionem sponsalitiam diximus *dub.2.* imò & quando pro absentibus id faciunt, si posteà filij tacitè vel expressè ratificent, vt ibidem quoque diximus. Iam verò ad verba in particulari explicanda descendamus.

1. *Aliquid supponendũ, in quo doctores conueniunt, verba scilicèt non necessaria sed vel ea, vel alia signa.*

104. 2. *Supponẽdum & præmittendum.*

Deinde etiam præmitti debet, verba, aut signa, quibus consensus sponsalitius, aut etiam matrimonialis exprimitur, alia esse de præsenti: alia verò de futuro, vt in contractu matrimoniali, *accipio te in vxorem* verba sunt de præsenti. His tamen verbis addi potest aliquid de futuro, vt *accipio te in vxorem in crastinum.* Item in contractu sponsalitio; *accipiam te in vxorem*, verba sunt de futuro, quibus etiam addi potest aliquid de præsenti, vt *accipiam te ex nunc in vxorem*, aut *ex nunc* habebo te in meam de quibus sigillatim dicemus.

Quædam verba mixta partim de præsenti & partim de futuro.

105. *Quid de verbis omnino de præsenti? Sufficiunt ad matrimonium.*

Quando verba sunt omninò de præsenti & absque vllo addito nemine dissentiente; sufficiunt pro matrimonio contrahendo: constat satis ex *c.penultimo de sponsalibus.*

106. *Quid si verbo de præsenti addatur aliquid de futuro.*

Dubitari meritò solet an quando verbis de præsenti additur aliquid de futuro vt *accipio te in vxorem ex crastino seu in crastinum* sufficiant illa verba ad matrimonium, quòd vim habeat ab illo tempore futuro designato?

107. *Diuersa auctorum sententia. Affirmans sententia sufficere.* Ledesma. Conine. *Recentiores*

Diuisi sunt Auctores multi satis probabiliter affirmant sufficere ad matrimonium. Ita Bartholom. de Ledesma *2.p.4.q.7.art.3.* Conine *disp.21.num.37.* & alij Recentiores, quia putant sensum eorum verborum esse: *nunc volo* seu

Fundamentum eorum.

consentio vt ex crastina die sis mea vxor, quibus verbis, & consensu non promittitur matrimonium, sed traditur corpus pro crastino die, vt ex crastinâ die sit vxor illius, & ille maritus, ac proinde fit matrimonium (inquiunt) de præsenti ita vt adueniente crastinâ die, sine nouo consensu fiat traditio, quia dictis verbis significatur consensus de præsenti in traditionem crastinâ die ex vi illius solius, sicut his verbis, *do tibi librum in crastinum diem*, quæ distincta sunt ab his, *dabo tibi librum crastino die*; his enim verbis promittitur consensus futurus traditionis libri; prioribus verò significatur præsens consensus futuræ traditionis.

108. *Secunda sententia negans sufficere ad matrimonium sed ad sponsalia tantùm.* Sanchez. Victoria. Petrus Ledesma. *Recentiores alij.*

Sanchez verò *lib.* 1. *disput.* 18. cum Victoria *de matrimonio, num.* 251. & Petro de Ledesma *q.* 45. *art.* 3. *dub.* 1. quos sequuntur alij Recentiores, putat prædicta verba solùm efficere sponsalia; non matrimonium; quia consensus est de futuro, nec statim accipitur fœmina in vxorem: quę sententia mihi videtur probabilior; sic enim solet accipi sensus illorum verborum, & consensus per illa verba significatus; quamuis enim concedamus per illa exprimi consensum de præsenti; non est consensus traditionis de præsenti, sed consensus traditionis de futuro traditionis (inquam) iuris, quod datur in corpus cõiugis, non traditionis ipsius corporis (nam hæc tantùm fit in ipso actu coniugij, id est copula) traditio autem iuris non mihi videtur posse separari ab ipso contractu matrimonij. Cùm autem (vt mihi probabilius apparet, & posteà explicabo) traditio iuris corporis in corpus non fiat de præsenti, quamuis consensus sit de præsenti, non erit ille consensus *obiectiue* (vt sic dicam) de præsenti, quod erat necessarium, vt fieret matrimonium. Quando enim dicimus in eo differre sponsalia à matrimonio, quòd sponsalia celebrentur per consensum de futuro; matrimonium verò per consensum de præsenti; non ita intelligendum est, vt consensus non existat in se de præsenti, & (vt sic dicam) subiectiuè, sed dicitur de futuro, & non de præsenti obiectiuè scilicet, quòd sit de obiecto inposterum exequendo; id est de futuro matrimonio, & tradendo iure corporis, circa quod obiectũ, posteà exequutioni mandandum, habet contrahens sponsalia actu, & de præsenti consensum, qui consensus tunc existit. In contractu verò matrimonii; non ideò solùm dicitur consensus esse de præsenti, quia tunc existit consensus (id enim etiam habet consensus sponsalitius?) sed dicitur de præsenti *obiectiue*, quia est obiecti, quod de præsenti constituitur; quod non habet contractus sponsalitius. In casu ergo præsentis controuersiæ, cùm per particulam de futuro, verba alioqui de præsenti & consensus de præsenti per illam significatus *obiectiue* sint de futuro, id est sint de iure, & statu matrimoniali constituendo inposterum, non sufficit, quod actu existat talis consensus per verba significatus, quia non est *obiectiuè* de præsenti; quod amplius potest sequenti discursu declarari.

Quid in hac re significetur quãdo dicitur consensus de præsenti?

109. *Explicatur & declaratur amplius sententia.*

Inquiro ab aduersariis, vel matrimonium; id est contractus matrimonij, & Sacramentum incipiunt existere absolutè ab illo puncto præsenti, quo quis dixit, *accipio te in meam vxorem in crastinum*, seu *ex crastino*, vel non incipiunt vsque ad crastinum? Si dicas primum, ita, vt matrimonium sit iam contractum, sequitur, nec traditionem differri in crastinum; nam alioquin esset verum dicere hi duo sunt veri coniuges, & nondum sibi tradiderunt ius corporis in corpus: quod est inauditum in scholis, & in Ecclesiâ. Vnde, si interim aliquis illorum contraheret, & de præsenti absolutè cum alia persona vellem mihi explicarent hi Auctores, an valeret matrimonium hoc secundum? Non puto negabunt valere, signum ergo erat non esse factum prius. Præterea inquiro, si post huiusmodi contractum ante aduentum crastini diei, & sine vllo alio consensu tradendi iuris de præsenti, isti de facto copulẽtur carnaliter; aut peccabunt peccato fornicationis, aut non? si dicas quod non peccabunt, sequitur nondum translato iure corporis in corpus (quia, vt conceſſisti traditio iuris differtur in crastinum) virum & feminam posse copulari sine peccato, quod etiam est inauditum. Si dicas secundum, scilicet matrimonium ex vi consensus præsentis non existere vsque in crastinum iam concedis consensum, qui nunc est explicatus per verba de præsenti, non sufficere ad constituendum matrimonium; nisi quatenus consensus ille adhuc censetur perseuerare cras, si non retractetur, sicut & aliqui ex aduersariis in simili concedunt de consensu per verba de præsenti sub conditione de futuro putantes consensum non retractatum; atque adeò moraliter perseuerantem, sufficere ad matrimonium constituendum purificata conditione, quod & nos dicemus *disp.* 5. *dubit.* 6. quo sensu, si loquantur alij Auctores, admitti potest eorum sententia vt posteà dicam. Immò non videtur esse diuersus casus iste noster; nam aduentus crastini diei adiunctus illis verbis de præsenti; est quædam conditio de futuro. Quid enim magis futurũ, quam ipsum & tempus futurum, atque adeò vsque ad impletionem talis conditionis, scilicèt, vsque ad aduentum crastini diei non fiet matrimonium: ergo ex vi consensus, vt priùs existentis non censetur factum matrimonium: vnde falsum assumunt, & contra sua principia, dum aiunt, tunc quidem ante crastinum fieri matrimonium: sed traditionem tanquàm effectum matrimonij differri in crastinum.

110. *Concluditur sententia & doctrina expraedictu.*

Habemus ergo longè probabilius esse per illa verba adiunctâ particula de futuro non cõstitui tunc matrimonium quia nimirum solùm exprimitur consensus traditionis faciendæ in futurum: matrimonium autem essentialiter secum habet traditionem: non quidem corporis (id enim fit per copulam:) sed iuris in corpus: quod essentialiter est inseparabile ab ipso contractu, atque adeò omnino falsum, quòd prius fit matrimonium, & posteà traditio iuris. Hæc tamen intelligenda sunt iuxta ea, quæ dicemus *disputation.* 5. *dub.* 6. vbi contractum factum per verba de præsenti sub conditione de futuro, appellabimus (vt indicabam) matrimonium conditionale, & ante impletam conditionem assimilari sponsalibus ratione obligationis in futurum, & matrimonio ratione consensus de præ-

præsenti,& quia purificatâ conditione erit purum, si non retractetur consensus & in hoc sensu potest admitti prior sententia.

111. *Indubitatũ est verba de futuro non sufficere ad matrimonium si simpliciter dicantur. Sufficiunt ad sponsalia.*

Circa verba de futuro indubitatum est ea simpliciter dicta & absque addito, & non significantia exequutionem alicuius actus Matrimonialis, vt *accipiam te in vxorem* non sufficere ad matrimonium; sufficiunt tamen ad sponsalia; quia in communi modo loquendi (nisi aliud explicetur vel ex circumstantiis constet) accipiuntur, vt promissoria, quod etiam locum habet quamuis addatur aliquod verbum de præsenti, vt, *ex nunc te accipiam in vxorem*; in his enim verbis nullo modo significatur consensus de præsenti, sed tantum de futuro.

112. *Quid si aliquid addatur significans executionem? Quo sensu propter additum sufficiant ad matrimonium? Probatur ex iure. Probatur ratione.*

Quod verò attinet ad verba de futuro, quibus adiungitur aliquid de præsenti, & significant exequutionem alicuius actus præsentis ad matrimonium, aut secum habentis illud; cõsentiunt Doctores sufficere ad matrimonium contrahendum, vt ex *nunc te tractabo sicut vxorem*, aut *ex nunc habebo te in meam*. Constat hoc ex *c. ex parte 9. de Sponsalibus*. Ratio est, quia in eis verbis fit tacitè traditio; neque enim potest ex tunc haberi & tractari tamquàm vxor, nisi ex tunc vxor fiat, quæ anteà non erat.

113. *Quid de verbis de futuro qua significant executionem sine addito verbo de præsentit*

Vtrùm autem in prædictis verbis de futuro significantibusque exequutionem prædictam, si nullum addatur verbum de præsenti, sit vis contrahendi Matrimonium aut solùm sponsalia? non omnes consentiunt, vt cum dicit quis, *habebo te in meam vxorem*, aut *eris meà vxor*, vel *tractabo te vt vxorem*.

114. *Prima sententia affirmans sufficere ad matrimonium. Sylvester. Rodriq. Alij apud Sanchez. Basilius. Ponce. Alij apud illum. Probant ex iure. Ratio 1. Secunda.*

Aliqui putant sufficere ad matrimonium. Ita Sylvester *verb. Matrimonium 2.q.2.* Rodriquez, & alij apud Sanchez *loco citato numer.16.* Basilius Ponce *lib.2.cap.9.num.4.& seqq.* & alij, apud ipsum. Probant *ex c. si quis diuinis 30.q.5.* vbi dicitur esse matrimonium, si quis iurauit feminæ se in vxorem eam habiturum, & *c. ex parte* citato, vbi id habetur quamuis in verbis vnius contrahentium addatur particula *ab hoc tempore*, in verbis tamen alterius solum dicitur *te habebo*. Ratione verò probatur primò, quia eis verbis significatur exequutio Matrimonialis; nempe habitio; seu possessio vxoris, quæ supponit traditionem factam. Secundò; quia, si apponatur particula *ex nunc*, est matrimonium: ergo etiam, licèt non apponatur, quia sub intelligitur; nam, si in obligatione non destinetur dies, in continenti contrahitur obligatio *L. in omnibus ff. de Regulis iuris & l.eum qui Kalendis ff. de verb.obligat.* Quod intellige; nisi præcesserint verba clare significantia contractum sponsalitium, vt *promitto me ducturum* aut *habiturũ te pro legitima vxore*: tunc enim verba alioquin dubia explicantur per præcedentia vt cum multis probat Sanchez loco *citato* qui probabilem putat hanc sententiam. Omitto leuiores rationes.

115. *Aliis videntur verba dubia. Sotus.*

Alij verò docent ea verba esse dubia, ac proinde, si significent *ex nunc*. esse matrimonium; sin minus, sponsalia. Sic Sotus *in 4.dist.27.q.2.ar.1.post.2.conclusionem.*

116. *Probabilius est tantum fieri ius verbis sponsalia. Ratio.*

Alij denique probabilius putant iis verbis tantùm contrahi sponsalia: quia tantùm significant habitionem seu tractationem de futuro, quamuis enim supponat traditionem sed non tunc factam, quando verba proferuntur; quæ verba vera fieri possunt per traditionem posteà faciendam. Ita Sanchez *disp 18.num.18.* Coninc *disp.21.dub.3 num.32.* Hurtado *disp.1.d ff 13.nu.53.* Rebellus *lib.4.q.3.num.6.* Martin. Perez *disp.4. sect.3.num.6.* qui rectè repellit num. 7. Basilium Ponce amarè carpentem Sanchez qui rectè dixit illum textum *c.si quis Diuinis* non conuincere, quia non est decretum Pontificium, nec alicuius habentis tantam auctoritatem, vt cogat, sed alicuius Doctoris â Gratiano iuri insertum. Legatur Perez, qui recte defendit Sanchezium ex eiusdem Sanchezij doctrinâ. Reliqua ex dictis facilè soluuntur, aut cessant. Legantur idem Sanchez & Perez locis citatis.

Sanchez. Coninc. Hurtado. Rebellus. Mart.Per. Basilius.

117. *Aliorum verborum sensus expenditur.*

Dubitari vlteriùs potest circa illa verba, de quibus non modica est inter Auctores controuersia, scilicèt, *volo tecum contrahere* vel *volo te habere in vxorem.*

118. *Quorumdã explicatio. Anton. Sanchez cum aliis. Limitant aliqui.*

Aliqui existimant illis verbis fieri sponsalia, quia nimirum ad eorum verborum veritatem sufficit quòd proferens velit illam posteà habere vxorem. Ita Antonius *c.ex litteris & 1.nu.9. de sponsalibus* & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *citata disp.18.num.25. & 26.* vbi hanc sententiam limitat, nisi consuetudo loci fortè habeat per ea verba, & similia celebrari Matrimonium: quia contrahentes consuetudinis non ignari, quando iis verbis vtuntur, satis sibi significant velle inire matrimonium; pro quâ limitatione plures refert idem Sanchez & hæc limitatio omnino mihi videtur vera, sufficiunt enim quæuis verba vel signa ad placitum significantia consensum Matrimonij talia autem sunt hæc suppositâ eâ conditione.

Placet limitatio.

119. *Aliorum limitatio. Non placet. Sanchez. Sotus.*

Limitant alij, vt etiam matrimonium sit, quando verba proferuntur respondendo interroganti *vis mecum contrahere*? Sed meritò hoc reiicit Sanchez cum Soto; quia velle contrahere non est contrahere.

120. *Limitant adhuc. Sanchez & alij multi.*

Limitant vlterius Sanchez *num.27.* cũ multis, vt etiam sit matrimonium, quando præcess. sit tractatus de contrahendo matrimonio de præsenti: tunc enim sufficiens esset coniectura animi contrahendi de præsenti per ea verba mutuò dicta *volo tecum contrahere*. Quæ limitatio mihi etiam placet.

Placet.

121. *Alia vera limitatio. Sanchez. Henriq. Alij. Eadem limitatio limitanda est.*

Idem iudicant, si addatur illis verbis particula, ex nunc, dicẽdo *volo ex nunc contrahere; volo ex nunc te habere in vxorem.* Idem Sanchez *nu.28.* cum Henriquez *lib.11. de matrimonio cap 11. num.6 & alij.*

Sed, vt verum fatear, nisi aliunde constet particulam *ex nunc* cadere seu (vt Dialectici dicunt) appellare supra verbum *habere* vel *contrahere*, adhuc verba non satis significant contractum Matrimonij, quod de præsenti fiat; potest enim particula *ex nunc* cadere seu appellare supra verbum *volo*, quin cadat supra verbum habere, vel contrahere, vt sensus sit nunc habeo voluntatem præsentem, & actu existentem habendi te in vxorem, seu contrahendi tecum; non tamen inde sequitur, quòd sit volũtas contrahẽdi nunc: potest enim esse nunc volũtas contrahẽdi cras; quę nõ sufficit ad matrimontũ de præsenti: nisi habeat quis & explicet consensum præsentem contrahendi de præsenti.

Alij

123. *Aliorm explicato prædictorum verborum.* Cardinalis *Non probatur.*

Alij putant per illa verba *volo tecum contrahere*, vel *te habere in vxorem* & similia fieri matrimonium. Ita Cardinalis *in c.ex litteris* de *spōsalibus citato*. Sed hoc non video idoneo argumento probari; solùm enim potest per ea verba matrimonium contrahi in casibus dictis nuper pro præcedenti sententiâ.

124. *Alij putant nihil prædictis verbis fieri.* Astensis. Summa Confess. Rebellus. Coninc. *Probant.*

Alij prætereà putant prædictis verbis nihil fieri. Ita Astensis *lib.8. summæ titulo de matrimonio q.7.* & *summâ confes. lib 4. tit.2. q.4.* Rebell. *lib.4.q.3.* Coninc *disputation.21. citata numer.26.* Probant verò; quia ad eorum veritatem sufficit desiderium posteà ducendi seu habendi illam in vxorem, quo nec fit matrimonium, nec sponsalia.

125. *Probabilitas prædictæ sententiæ.*

Hæc sententia (seclusis limitationibus supradictis ex Sanchez, in quibus verè fit matrimonium) satis probabilis est.

126. *Prædicta verba æquiuoca sunt, & dubij sensus.*

Illud mihi satis placet à quo non abhorret hæc vltima sententia; prædicta verba esse æquiuoca, atque adeò habere sensum dubium; quia illis potest significari, vel consensus de præsenti in traditionem iuris in corpus mutuam, vel solùm promissionem illam faciendi in futurum, aut etiam nudum desiderium posteà contrahendi. Quapropter iis verbis pro voluntate contrahentium fieri potest: vel matrimonium vel sponsalia, vel nihil obligans, si enim proferens significare velit consensum de præsenti, & alter sic intelligat, & è contra, fiet matrimonium. Si verò tantùm velit offerre fidem matrimonij & alter id intelligat, & è contra fient sponsalia. Quod si tantùm intendat significare simplex desiderium, nihil obligans fiet. Quod verò attinet ad forum externum: in quo latet intentio interna solumque secundum quod ex verbis dignosci potest iudicatur, nihil censebitur factum: nam ad eorum verborum veritatem sufficit solum desiderium contrahendi. Ita Hurtado *disputation.1. diff.13.num.54.* legatur Perez *supra section.2.numer.5. & seqq.* contra Basilium.

Quid in foro exteriori? Nihil censebitur factum. Ratio.

Hurtado. Perez.

127. *Limitatio.*

Hoc tamen intellige, nisi proferantur ea verba, quando post tractationem de matrimonio conueniant ad illud contrahendum; tunc enim merito iudicabitur à iudice matrimoniū fuisse factum; sicut si proferantur post tractationem de sponsalibus, & ad id conueniant, iudicabitur fuisse facta sponsalia. Diximus hucusque de verbis affirmatiuis de præsenti, & futuro, quæ aliquid dubij possunt habere iam vero de verbis negatiuis, quibus additur aliqua particula exceptiua nonnihil dicamus.

Agendum iam de verbis negatiuis.

128. *Quæsitū 2. De negatiuis cum exceptiua particula.*

Quæri potest 2. an verba negatiua, quibus additur exceptiua particula, sufficiant ad matrimonium, vel solùm ad sponsalia? v.g. *Nullam ducam, nisi te* aut *nullam duco, nisi te.*

129. *Quorūdam sententia distinguens. Probatur.*

Circa quæ verba non consentiunt Auctores: Aliqui concedunt per verba de futuro fieri sponsalia, & per verba de præsenti fieri matrimonium, quia sensus eorum verborum est exceptiuus, in quo simul affirmatur aliquid pro vnâ parte, vel negatur pro alia, vt cùm dicitur; *Nemo Omnipotens, nisi solus Deus*, significat, Deus est omnipotens, & cæteri non sunt omnipotentes. *Nemo potest consecrare, nisi Sacerdos*, significat Sacerdos potest, cæteri non possunt. Sic ergo in præsenti si dicitur, *Nullam duco, nisi te*, aut, (quod idem est) *præter te*, significat *te duco*, & nullam aliam duco. Ita Paludanus *in 4.dist.27.q.1.* Adrianus & alij apud Sanch. *l.1.disp.19. n.3.* Tuscus *to. 5.concl.122.n.20.* & alij.

Paludan. Adrianus. *Alij apud Sanchez. Tuscus cum aliis.*

Alij putant tam pro verbis de præsenti, quàm pro verbis de futuro verba esse æquiuoca: quia illa particula *nisi* vel *præter* potest reddere sensum conditionalem, aut exceptiuum. Si autem sensus sit exceptiuus, docent verbis de præsenti fieri matrimonium; & verbis de futuro fieri sponsalia: nam sensus est, sicut dicebamus in præcedenti sententiâ *te duco & nullam aliam duco*, & *te ducam, & nullam aliam ducam*. Si vero sensus sit conditionalis, nec matrimoniū fieri nec sponsalia; sensus enim est, *si aliquam duco, te duco*, seu, *non duco aliam*: aut *si aliquam ducam, non ducam aliam*. Qui sensus conditionalis est, & nihil determinat. Ita Sotus *in 4. dist.29. q.2. art.3.* vterque Ledesma apud Sanchez *supra num.4.* & alij Recentiores inter quos Reginaldus *lib.31.num. 51.* & alij apud Perez *disp.4. sect.4.* quamuis Reginaldus potiùs sit pro tertiâ sententiâ, de quâ posteà.

130. *Alij putant esse verba æquiuoca. Et in iis quo distinguūt. Probant.*

Sotus. *Ledesma vterque. Recentiores.* Reginald. *Et alij apud Perez. Alia est sententia. Reginaldi non hæc.*

Alij denique putant, nec fieri matrimonium, neque sponsalia per prædicta verba tam de præsenti quam de futuro, quia nimirum sensus est conditionalis. Ita Sanch. *disp.19. citatâ num.5.* Coninc *supra num.29.* cum aliis, quos in magno numero refert Sanchez.

131. *Alia sententia negat tunc fieri sponsalia vel matrimonium. Ratio.*

Alij denique putant de præsenti fieri matrimonium; sed verbis de futuro non fieri sponsalia, Ita Perez *suprà* cum Hurtado *diff.illa 13.n.57.* Ponce *l.2.c.10.num.9.*

Sanchez. Coninc. *Multi apud Sanchez.*

Pro cuius declaratione supponunt particulam *nisi* & *præter* reliquasque exceptiuas, aliquādo efficere sensum non purè exceptiuum: sed, quasi conditionalem vt cum ab Augustino relato in regula *peccatum* dicitur *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, id est *non dimittitur peccatum, si non fiat restitutio*. Item quando dicitur. *Nullam ingrediar Religionem, nisi Sancti Francisci.* id est. si aliquam ingressurus sum, illam ingrediar. Id autem putant Regulariter contingere, quando verbum præcedens nequit commodè efficere rem positam post particulam *nisi*, vt in priori exemplo aut si potest (vt in posteriori,) quando res, de quâ agitur est incerta & dubia. Aliquando verò, & non rarò efficere sensum purè exceptiuum, vt quando Lucæ 11. dicitur, *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ* & *Matth. 14. leuantes oculos neminem viderunt, nisi solùm Iesum.* Item, quando dicitur *nullus currit nisi Petrus*. Atque in hoc casu, quando particula exceptiua adiungitur negationi, affirmat, vt in proximis exemplis, quia tunc excipit sequentem terminum à dictâ negatione, sicut quando iungitur affirmationi, negat, vt quando dicitur *Omnes currunt præter Petrum*: quia excipit terminum sequentem, nempe *Petrum* à dicta affirmatione & consequenter negat: id autem (inquiunt) regulariter contingit, quando agitur de re, cuius communiter habemus scientiam, & non dubitationem, vt sunt præteritæ, & præsentes.

132. *Alia tandē distinguens sententia.* Perez. Hurtado. Basil Pōce.

133. *Supponunt pro declaratione prædictæ sententiæ exceptiuam vocem non semper pure excipere.* August.

Hoc supposito, probant in illis verbis. *Nullam aliam duco, nisi te* non posse fieri commodè

134.

sensum

Probant sententiam ex data suppositione quoad primã partem.

sensum conditionalem; sed exceptiuum; quia scilicèt verbum potest commodè afficere rem propositam post particulam exceptiuam & res, de qua agitur est cognita à proferente & consequenter sensus est affirmatiuus respectu termini sequentis, ita, vt sensus sit. *Nullam aliam duco; sed te* in quo casu fit matrimonium.

135. *Probant quoad secundam partem.*

De verbis autem de futuro. *Nullam aliam ducam nisi te* putant non posse commodè effici sensum exceptiuum, sed conditionalem perinde; atque in illis verbis *Nullam Religionem ingrediar nisi Sancti Francisci* aut. *Nullus currit nisi Petrus*: quia sensus est *si aliquam ducturus sum, te ducam.* Quibus verbis tantùm contrahitur obligatio sub conditione ducendi illam, si aliquam sit ducturus.

136. *Prædicta distinctio singularis & absque fundamento est.*

Hæc sanè distinctio inter propositionem prædictam de præsenti & de futuro singularis est, & absque sufficienti fundamento. Nam licèt concederemus omnia, quæ præsupponit; non video, cur non æquè benè, seu (vt ipsi dicunt) *commodè* possit particula *nisi* vel *præter*, tam in verbis de præsenti, quàm in verbis de futuro habere sensum conditionalem. Si enim in verbis de futuro potest habere sensum conditionalem, etiam poterit habere in verbis de præsenti: cur enim hæc propositio. *Nullam aliam ducam nisi te* potest significare conditionaliter, *Si aliquam ducam, te ducam:* & non potest conditionaliter significare. *Nullam duco, nisi te*, id est, *si aliquam duco, te duco*? Fortè ideò ita esse dices, quia, cùm res in hoc secundo casu sit de præsenti, quia (vt aduersarij dicunt) sensus debet esse exceptiuus eo quòd verbum præcedens potest commodè afficere rem positam post particulam exceptiuam, & res de quâ agitur est cognita à proferente, & consequenter sensus videtur esse affirmatiuus respectu termini sequentis: atqui hæc omnia locum habent etiam in propositione de futuro, vbi res posita post particulam exceptiuam est illa ipsa, quæ posita est post eandem particulam in propositione de præsenti, & verbum *Ducam* non minùs commodè potest afficere rem positam post exceptiuam, quàm verbum *Duco*. Res enim posita est femina significata per particulam *te*. Vnde non minùs commodè dicitur, & sensu & verbis *Ducam te*, quam *Duco te*. Quare, sicut in priori casu agnoscunt hi Recentiores sensum exceptiuum verborum de præsenti, ita debuissent agnoscere verborum de futuro, vel è contra.

137. *Tertia sententia vera & multorũ.* Sanchez. Gutierrez. Camer. Reginald. Valentia. Sà. Rebellus.

Ideò in hac re mihi placet tertia sententia, quam sequuntur præter citatos alij multi Theologi, & iuris periti apud Sanchez *citato num.* 5. maximeque illam docent Gutierrez *de Matri. c.* 3. *num.* 13. Camerota *de Matri. c.* 2. *dub.* 5. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 51. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *puncto* 1. Sà *verbo sponsalia num.* 7. Rebell. *l.* 4. *q.* 3. *num.* 7. & alij multi apud citatos. Legatur Sanchez loco notato. Itaque verba prædicta siue de præsenti, siue de futuro, capacia cum sint sensus conditionalis, non est cur accipiantur in sensu exceptiuo; solùm ergo significabunt. *Si aliquam duco, te duco: si aliquam ducturus sum te ducam.* Vnde poterit promittens sic à matrimonio abstinere. Probatur à simili *ex l. sterilis* §. *penultimo ff. de act. empt.* Vnde colligunt multi, quos sequitur Padilla *l. Actione numer.* 11. *c. de Transact.* teste Sanch. suprà eum qui promittit *non vendere, nisi huic*, non teneri vendere sed solùm teneri huic vendere, si vendat, perinde, atque si quis diceret: *Nullam Religionem ingrediar, nisi Carthusiam*: neque enim tenebitur absolutè ingredi Carthusiam, sed solùm sub conditione, quòd velit fieri Religiosus. Padilla. Sanchez.

Recte autem limitat idem Sanchez hanc doctrinam num. 7. nisi ex coniecturis appareat per ea verba voluisse contrahentes matrimonium, vel sponsalia inire vt, si de hoc tunc temporis tractabatur; in quo etiam consentiunt Auctores citati. 138. *Limitatio doctrinæ data.*

Quæri potest 3. an celebrentur sponsalia aut matrimonium quando verba sonant quidem futurum; sed sponsi adhibent illa ad significandum de præsenti, vel è contra sonant tempus præsens & ipsi adhibent ad significandum consensum de futuro? 139. *Quæsitũ 3.*

Respondeo standum esse intentioni contrahentium, qui sic conueniunt ad ea verba vsurpanda. Vnde si ex intentione & conuentione contrahentium adhibeantur ad significandum consensum de futuro valebunt ad sponsalia, quantumuis ipsa de se sonent tempus præsens. Item, si adhibeantur ad consensum de præsenti, valebunt ad matrimonium. Ratio est; quia ad huiusmodi contractus non requiruntur determinata verba. Ita Vasquez *disp.* 3. *c.* 2. *num.* 19. ex *l. sufficit ff. de sponsalibus.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. *num.* 2. cum aliis multis, quos refert Gutierrez *cap.* 3. *numer.* 18. Consensus autem internus sufficienter manifestari potest per quæcunque verba ex intentione & consensu contrahentium prolata etiam si aliud communiter significent. 140. *Responsio.* Vasquez. Sanchez. Gutierrez.

Dixi *ex intentione, & consensu contrahentium*, quia si id verba communiter non significent, neque adsit intentio, & consensus contrahentium, vt talibus verbis sibi mutuò explicent consensum, & animum contrahendi sponsalia, vel matrimonium, quantumuis interna intentio vtriusque fuerit talem contractum celebrare, non celebrabitur; quia (vt rectè notat ibidem Sanchez & nos diximus *in hac dub. quæsito* 1 §. *Sane quod*) *num.* 102. Sponsalia & matrimonium sunt contractus humani, qui non solâ intentione celebrari possunt, sed necessaria sunt verba, vel alia signa apta, vt alter contrahentium intelligat alterius animum explicari: nam intentio mente retenta nihil operatur in humanis contractibus *L. cum in plures* 62. §. *Locator horrei ff. locati* legatur Sanchez *loco citato*. 141. *Cur in ea expressione requiratur consensus & intentio cõtrahentiũ.* Sanchez.

Hinc est, quòd, quando verba accipiuntur ab altero contrahentium iuxta communem significationem, non sint sponsalia, aut matrimonium, si verba secundum se, & secundum communem significationem non significant consensum de præsenti, aut de futuro quamuis proferens ea protulerit ex intentione explicandi prædictum animi consensum de præsenti vel de futuro. Ratio est iam allata; quia nimirum tunc consensus non est sufficienter manifestatus. Ita præter Sanchez *citatâ disp.* 18. docent Rebell. 2. *p. libr.* 4. *q.* 3. Nauarrus *c.* 22. *num.* 79. & alij multi. 142. *Limitatio quæ colligitur ex dictis.* Sanchez. Rebellus. Nauarrus. *Alij multi.*

Quæri

143. *Quæsitū 4.* Quæri tandem potest 4 generaliter; quid faciendum, quando ex vna parte verba dubia sunt, & ex aliâ non constat de intentione proferentium?

144. *Respōdetur.* Respondetur iuxta dicta quæsito 1. compellendos esse, quod attinet ad forum externum, ad seruanda verba in eo sensu, quem rectè intelligentes solent communiter ex his verbis percipere iuxta doctrinam Alexandri. 3. c. *ex litteris* 1. *de sponsalibus.* vt rectè docet & ostendit Sanch. *citatâ disp.* 18. & speculum 1. *p. ar.* 17. *dub.* 2. Gutierrez de *matrimonio c.* 3. *&* 15. Camerota de matrim. c. 3. dub. 5. & alij multi.

Alex. III. Sanchez. Speculum. Gutierrez. Camerota. *Alij multi.*

145. *Quid, si verba sint æquè dubia pro vno aut altero sensu?* S Hilar. *Attendatur intentio.* Quod si verba ita dubia sint, vt in communi sensu æque vel paulo plus minusvè possint accipi in vno & alio sensu, seruanda est regula, quę traditur *c. Intellig. de verborum significatione*, ex Hilario *l.* 4 *de Trinitate*; nempe, vt verborum dubiorum significatio desumatur ex causis, de quibus agitur. Ideò inspiciendū est, an ageretur de sponsalibus vel de matrimonio, vt verba quę dubia sunt pro sponsalibus aut matrimonio, ad alterutrum illorum contractuum ordinata cēseantur. Quod si verba & intentio dubia sunt non valet promissio nec in interno foro, quia in dubiis melior est conditio possidentis, quando iure aliud non disponitur à legitimo legislatore, quod suppono ex aliis locis, ne omnia vbique latè disputemus. Cùm autem in sponsalibus nihil in contrarium disponatur, standum erit pro libertate possidentis suam libertatem.

Quid si verba & intentio sint dubia! In foro interno non valet actio secluſa lege.

146. *Quid in foro externo?* Palud. Speculum. Sanchez. *Alij posteriores.* Deinde standum erit iudicio fori externi, modò forum externū non innitatur falsâ præsumptione. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *ar.* 4. *concl.* 5. Specul. 1. *p. art.* 18. Sanchez *disp. illa* 18. *n.* 8. & alij posteriores.

147. *Attēdēda in his Patriæ consuetudo, si ex intentione aliud non constet.* Vltimò generaliter aduertendum est, quod iam in præcedentibus indicauimus: Patriæ scilicet, consuetudinē sufficere, vt verba, quæ alioquin omnino sunt de præsenti, censeantur de futuro, vel è contrà. Vnde illis standū est iuxta receptam consuetudinē; nisi aliud, satis constet ex intentione & conuentione contrahentium.

DVBITATIO IX.

An, qui defloravit virginē spe fictæ promissionis matrimonij, teneatur eam ducere.

148. *Explicatur titulus dubitationis.* QVamuis in præcedentibus, maximè dub. 4. & 7. dixerimus propriè loquendo nō posse esse fictam promissionem externam id est sine animo promittendi aut se obligandi eo ipso, quod quis seriò vult alteri verba promissionis offerre? nihilominùs, quia multi putant possibilem talem fictam promissionem, placet hac de re disputare, etiam suppositâ possibilitate satis probabili fictæ promissionis verbalis.

149. *In quo Doctores ferè consentiūt* 1. Sanchez. Coninc. Reginald. Gutierrez. *Aliqui alij.* In hac re consentiunt Doctores primò (si qua est ficta promissio) illam esse, quæ fit sine animo promittendi, aut cum animo non se obligandi, vt latè ostendit Sanchez cum multis relatis *lib.* 1. *disputation.* 9. Coninc *disp.* 21. *num.* 7. *& disp.* 22. *num.* 37. Reginald. *lib.* 31. *n.* 250. quidquid Gutierrez *c.* 9. *n.* 1. cum aliquibus aliis dissentiat.

150. Consentiunt 2. eum, qui fictè tantùm verbaliter promittens matrimonium sub eâ spe deflorauit virginem, teneri aut ad eam ducendam, aut ad satisfaciendum damno defloratio-nis; solumque disputatur; an determinatè teneatur ad eam ducendam in vxorem. Legantur, quæ diximus *in opere de iustitiâ disp.* 7. *dub.* 9. *ab assertione* 5. *à n.* 128. *Consentiunt* 2.

151. *Consentire debent* 3. Supposito verò, quod in hoc consentiant, videtur etiam consentiendum esse, quod quando alterutrum horum duorum, factum est impossibile, teneatur ad alterum præstandum. Vnde si postquàm eam defloravit factus est physicè vel moraliter impotens ad matrimonium, tenetur determinatè illam dotare, vel alio modo compensare damnum, si potest; è contra verò, si non potest aliâ viâ compensare damnum, tenetur illam ducere. In quo conuenire debent etiam hi Auctores, qui putant liberum esse viro, vel dotare, vel ducere; tunc enim, cum dotare non possit, & adhuc superest mediū resarciendi dānum iniustè illatum ducendo illam, non video cur ad id non teneatur. Tota ergo difficultas est de eo, qui vtroque medio potest damnum cōpensare, an teneatur determinatè ad illam ducendam. *Status quæstionis & difficultatis præsentis.*

152. *Prima sententia affirmans liberū esse ad ducēdam vel, si mauult, ad aliter compensandum.* S Anton. Supplem. Gabrielis. *Vterque Ledesma. Ratio.* Non desunt Auctores graues, qui putent nō determinatè teneri illam ducere; sed posse illi constituere dotem sufficientem ad supplendum defectum defloratiōnis. Ita Anton 3 *p. tit.* 1. *c.* 19. & supplementum Gabrielis *in* 4. *dist.* 28. *q.* 1. *ar.* 2. *concl.* 5. Barthol. à Ledesma *de matr. dub.* 19. aliiq; recentiores teste Sanch. *disp.* 10. *n.* 2. ex Petro de Ledesma, de *matr. q.* 45. *ar.* 4. *dub.* 1. fundamentū est; quia ratione promissionis fictæ nulla consurgit obligatio; sed solùm tenetur ratione dāni illati, ac proinde solùm ad resarciendū damnum, offerendo illi dotem competentem, vt possit alteri viro simili sibi nubere.

153. *Secunda sententia affirmans debere illam feminam ducere.* Sanchez. Vasquez. Sanchez vero disp. 10. citata cum multis, quos refert *n.* 3. & Vasquez *disp.* 6. *de matrimon.* docent eum, qui sub spe promissionis, quantūuis tantùm verbalis, defloravit virginem, teneri illam ducere, nec satisfacere si iuuet ad nuptias illi alias æquales. Fundamenta huius sententiæ posteà afferemus.

154. *Tertia sententia docet teneri non ex iustitia, sed ex fidelitate. Probant primā partem. Probant secundam.* Alij Recentiores putant prædictum teneri ex fidelitate ad eam ducendam in vxorem, non tamen ex iustitiâ. Probant primum; quia prædicta promissio, quantumuis verbalis, est vera promissio respectu hominis. Secundum vero probant; quia, qui ita fictè promisit, non tenetur promissione ipsâ vt contractu, aut ex iustitiâ; neque enim eâ promissione conferre voluit ius iustitiæ, vt supponimus; sed tantùm tenetur ratione damni iniustè illati; quia scilicèt illam decepit, hoc autem damnum compensabitur collatione dotis, aut aliter; nam quod attinet ad deceptionem ipsam, ratione sui tantùm est contra veritatem, & non est iniusta; seu contra iustitiam, sed tantum ratione damni ex ipsâ illati. Ideò, si pro hoc satisfaciat, sufficienter satisfacit, etiamsi fuisset illatum per deceptionem, sicuti satisfaceret, etiamsi fuisset illatum per vim. Ex quo inferunt prædictum tantùm teneri sub veniali ad ducendam feminam sic defloratam; quia obligatio fidelitatis tantum est sub veniali; teneri *Putant ex fidelitate tantum sub veniali teneri ad ducendam.*

tamen

tamen ad dotandum vel alio modo recompẽsandum damnum defloratiõnis sub mortali; ad id enim tenetur ratione grauis damnificationis iniustæ,imò addunt si non proferret verba promissionis sed simularet ea proferre;non teneri ex fidelitate ad illam ducendã,quia nõ promisit adhuc verbaliter;teneri tamen ex iustitiâ ad satisfactionem ratione damnificationis iniustæ.

Ex vi verò damni teneri sub mortali ad cõpensandum ex iustitia.

155. *Probabilis est ea sententia.*

Hæc sententia probabilis est;sed probabilior apparet præcedens cum quâ.

156. *Probabilior secunda præcedens. Assertio. Ratio.*

Asserendum est eum, qui defloravit virginẽ spe talis promissionis si ex alio capite non deobligetur,teneri illam ducere.Ratio est;quia iustitia commutatiua,non solùm cogit restituere tantundem,seu æquale;sed etiam , si fieri possit illud ipsum,vt,si furatus es equum, non satisfacies restituendo pretium ; vnum enim pro alio inuito creditore solui non potest *L 2.§.Matr.ff si cert.petat.* Vnde , si quis cum alio ex contractu conueniat ad dandum panem pro pileo, & recipiendum pileum pro pane,neuter contrahentium inuito altero satisfaciet illi dando pretiũ pilei,aut pretium panis,si res ipsæ tradi possint; sed in nostro casu talis est cõuentio humana(vt supponimus)quæ intercessit inter virum & virginem,vt ipsa faceret copiam sui prõ eo , vt ille ipsam duceret;est enim contractus,vel *facio , vt facias* , vel *do vt des* qui contractus est de rebus determinatis dandis vel faciendis. Vnde si ipsemet possint exhiberi non satisfit exhibendo æquiualens inuitâ parte. Confirmat optimè Sanchez,quia,quamuis damnum violatæ virginitatis possit pecunia resarciri , eo quòd amissa virginitas non possit eadem specie restitui , at iniusta ficti consensus deceptio non potest æquè compensari,nisi auferendo iniustum dolũ, veroque consensu præstito : quia potest in propriâ formâ restitui nec potest verè dici æquale, dum non satisfit in propriâ specie.

Confirmatur. Sanchez.

157. *Reiicitur dictum tertia sententiæ.*

Nec verum est id,quod dixit tertia sententia scilicèt deceptionem,seu dolum solùm esse cõtra veritatem,& non contra iustitiam; nam ipsemet dolus est grauis iniustitia,maximè in negotio talis momenti; neque enim virgo illa cõsensisset in prædictum stuprum,nisi propter matrimonium,quod promissum illi fuit;non verò pro pretio dotis,quæ posteà illi offertur. Itaque dolus ipse est iniustitia quædam, sicut iniustitia fit volenti ex contractu permutare pannũ pro serico,etiamsi loco serici detur illi alia tela, quæ tantũdem valeat,quam si sciret ab initio nõ esse talem,non contraxisset. Vnde , qui potest loco illius telæ verè sericum offerre , non satisfaciet dando telam;sed peccabit non solùm contra fidelitatem,sed contra iustitiam,quando promisit sericum,& dat aliam telã. Sic ergo in nostro casu non satisfacit exhibendo dotem , qui promisit corpus,seu matrimonium,quia non reddit id ipsum,quod promisit,cùm tamẽ possit.Probatur 2.quia in omnibus contractibus , in quibus interuenit *do vt des*,vel *facio vt facias*,vbi alter ex suâ parte impleuit , tenetur alter ex suâ parte implere etiãsi ficte contraxerit;tenebatur enim ex iustitiâ verè contrahere. Vnde , si ficte promisi centum Petro,vt eat Romã, & ille iuit, teneor dare,sicut,si fictè cõtraxi cum alio promittens pretiũ pro re,& tradidi pretium ille tenetur dare rem, si potest, nec sufficit restituere pretium:Sic ergo in nostro casu , cùm contractus fuerit mutuus mulierque iam impleuerit ex parte sua tradendo corpus,debet fictus promissor implere,eam ducendo.

Idemque meritò dicendum putat Sanch.*n.*4. si vir ficte promisit feminæ Matrimonium,si se defloratam ei traderet,quãuis non fuerit mutua promissio ex parte feminæ,sed tãtùm virgo innitens tali promissioni tradiderit corpus,quia iam est perfectus cõtractus *facio vt facias*,& virgo iam impleuit.Idq; probant rationes pro nostrâ assertione allatæ , & Doctores ibi citati, & alij,quos *n.*3.retulit Sanch. qui variis limitationibus prædictam doctrinã limitat. Quas tamẽ limitationes sequent.dubit.examinabimus.

158. *Data doctrina vera est etiam sine mutua promissione.* Sanchez.

DVBITATIO X.

An obligẽt sponsalia celebrata à nobili,vel diuite cum ignobili; vel paupere saltem sequutâ copula sub spe promissionis fictæ vel veræ?

159. *Assertio. Explicatur.*

Asserendũ est spectatâ naturâ rei seclusis extrinsecis circũstãtiis,aut obstaculis obligare,hoc autẽ intelligendũ est,quando voluntariè, & sine coactione,vel dolo cõtraxit, cũ ignobili & paupere,cuius conditionẽ non ignorabat sed conscius illius adhuc voluit sponsalia cõtrahere. Ita Mol.*to.*2.*de iust.disp* 271.Sanch.*l.*1. *disp.*14.*n.*2. Reb.*l.*4.*q.*1.Vasq.*disp.*6.Azor 3.*p.l.*5.*c.*5.*q.*3.*diff.*2. Gutierr.*c.*4.*de matr.n.*3. *&* *c.*9.*n.*10. Veracr.3.*p. spec.ar.*19.*conc.*2.Cord. *in quæstio. l.*1.*q.*13. Ratioà priori est quia cõtrahẽs est dominus rei promissæ,cõsciusq; notabilis excessus eo ipso videtur cedere iure suo & excessus donationem facere.

Molina. Sanchez. Rebellus. Vasquez. Azor. Gutierr.

160. *Puella nobilis ignobili promittens matrimoniũ tenetur.* Molina. Sanchez. *Male tamẽ fecit promittendo. Probant ex praxi Ecclesiæ.*

Ex hac doctrinâ rectè infert Mol.& Sanch. quãuis puella nobilis,& diues male faciat,spõsalia contrahẽdo contra patris voluntatẽ cũ ignobili,aut paupere,eò quod exequutio fieri nequeat,sine aliorũ scãdalo,& ipsius puellę dedecore;& ita prodigè,& cum peccato promiserit; suppositâ tamen promissione teneri:aduertuntque neminem audere affirmare oppositum, quia Ecclesiæ praxis habet , vt huiusmodi promittens fidem seruare cogatur.

161. *Limitatio prædictæ doctrinæ.* Sanchez. Sà. Vasquez. Reginald. Coninc. Azor. Lessius. Gutierr. Alij. *Colligitur ex iure.* Glossa. Panormit. Alex.de Neuo. Præpos. n.2. *Sanchez cum aliis.* Nauarr. Gutierr. Corduba. Capua. Lud.Lop.

Hoc tamẽ meritò limitant Auctores dũmodò ex adimpletione promissionis,seu ex illo matrimonio,nõ sequatur graue malũ , & scandalum, vt sunt graues rixę inter parentes,aut cõsanguineos contrahentiũ,aliudve graue incõmodum, quod inde oriri solet, neq; enim iustitiâ obligat ad actũ,qui sine peccato impleri non potest:nõ potest autẽ sine peccato celebrari matrimoniũ cũ graui scandalo aliorũ.Ita Sãch.*sup.n* 3 Sà *verbo Rest.n.*24.Vas.*de Rest.c.*3.§.1.*dub.*2.*n.*17. Regin. *l.*31.*n.*235.*&* 264.Coninc *disp.* 23.*dub.* 8.*n.*68. Azor.3.*p.l.*3.*quæst.*3.Less.*l.*2.*c.*10.*n.*26.& alij apud Gutierr.*c.*4.*n.*4.*&* *c.*10.*n.*8.& apud Sanch. *suprà* colligiturq; *ex c.cum.in tuâ de sponsal.* ibi *de fama, vel scandalo* vbi Gloss.verbo scandalo.& Panormit.*in* 4.Alex.de Neuo *n.*6.Præpos.*n.*2.docent, quando vehementer timetur prædictũ scãdalũ posse & debere iudicẽ interdicere matrimoniũ. Legatur Sanchez loco citato vbi plures refert, maximè Nauarrũ & Gutierr.Cord. Capuã & Ludou.Lopez etiãsi sequuta sit virginis defloratio sub eâ spe matrimonij futuri.Quę doctrina limitatio

limitatio etiam est doctrinæ traditæ dub. præcedenti; hîc enim etiam quando promissio fuit non ficta, tenetur quis ad euitanda talia scãdala, non contrahere cum ea quã sub spe talis promissionis defloraui t, multo potiori ratione non potest nõ contrahere, quando non animo, sed ficte promisit.

162. *Scandalum prædictum sufficit sine disparitate. Sæpe tale scandalum vanum est & non sufficiens.*

Addit etiã Sanch. idem dicendum esse, licèt nulla sit inter contrahentes disparitas; cautè tamen esse considerandũ hoc scandalũ; neq; enim quodcunq; sufficit, cũ sæpè vanæ minæ iactẽtur terroresq; opponantur, & discordiarũ pericula quæ tamen sępe exprimento constat cessare, vbi deferbuit ille impetus, & matrimonium celebratur.

163. *Prauus exitus prauisus excusat.* Nauarrus. Rodriq. Sanchez. Menoch. Gutierrez.

Addunt etiam Nau. *c.* 16. *n.* 10. & Rodriq. *c.* 208. *n.* 8. ad finem. Sanchez supra cum Menochio, & Gutierrez quos refert, non teneri adimplere promissionem matrimonij, si quis prẽuideat fore, vt matrimonium sortiatur prauum exitum, vt odij capitalis inter ipsos contrahẽtes.

164. *Alia frequens limitatio data doctrinæ. Magna disparitas & nulla deceptio.* Sanchez. S. Thom. S. Anton. Sylvester. Armilla. Tabiena. Angelus. Nauarrus. Corduba. Veracruz. Lud. Lop. Henriq. Capua. Vega. Pet. Ledes. Bejar. Salon. Spino. Nauarra.

Itẽ generaliter loquendo, quando intercedit promissio inter prædictos valde dispares in diuitiis & nobilitate, & ille qui excedit, fictè promittit, etiãsi sub spe fictæ promissionis copulam obtineat à virgine conscia talis excessus nõ tenebitur eam ducere vt rectè docet Sãch. *disp.* 10. *n.* 5. tunc enim femina huius excessus conscia nõ potest allegare se esse deceptã, debuit enim scire virũ adeò disparem ficte sibi polliceri matrimoniũ. Quæ ratio vim habet solùm, quando femina nouit excessum, & hanc sententiã docet S. Thom. *dist.* 28. *q. vnica ar.* 2. *ad* 4. D. Anton. Sylu. Armill. Tabien. Angel. Nau. Cord. Veracr. Lud. Lop. Henriq. Capua. Vega Petr. de Ledes. Bejar. Sal. Spino, quos refert Sanch. *n.* 5. *remiss. ad n.* 3. Itẽ Nauarra *l.* 2. *de rest. c.* 3. *p.* 4. *dub.* 2. *in* 2. *edit. n* 427. & alij *suprà* citati pro nostra assertione. Vtrùm autem teneatur restituere ille sic fictè promittens posteà dicemus.

Alij citati.

165. *Quæsitum.*

Quæret tamen aliquis, quanta debeat esse disparitas inter prædictos, vt deobligetur sic fictè promittens, ab ipsâ ducendâ?

166. *Respõdetur.* Angelus. Nauarrus. Sanchez.

Respondeo inprimis debere esse notabilẽ; sed in hac notabilitate nõ omnes conueniũt. Regula generalis est arbitrio prudentis esse relinquẽdum, vt ex Angelo, & Nauarro docet Sãchez, qui cũ multis adhibet exẽplum, vt si vir nobilis sit; femina verò agricolę filia. Idemq; dicendum est de disparitate in diuitiis. Itaq; vniuersim pro huius, & præcedentis dubitationis casu, quoties femina, vel ex prædictis indiciis disparitatis, vel ex verbis, aliisue claris coniecturis facilè poterat fallacem animum promittentis nosse, sibi debet imputare, quod crediderit, & volũtariè videtur fraudi concessisse, vt cum D. Tho. citato, & aliis docet idem Sanch. *disp.* 10. *n.* 7. Quæ doctrina, & limitationes locũ habent, etiamsi intercesserit iuramentũ sine animo se obligandi. Ratio est, siue quia (vt vult Sanch. *disp.* 9. *n.* 9.) tale iuramẽtum non obligat ex vi iuramenti eo ipso, quod deficiat internus animus se obligãdi, siue; quia, (quod verius puto) tale iuramentũ apparet fictũ, eò ipso, quod promissio ipsa ficta appareat; nã ex eisdem signis fraudis, quibus dignoscitur fictio promissionis, dignosci potest fictio iuramenti, ac proinde neutrum obligabit. Vnde D. Anton. Nau. Sylu. quos refert Sanch. *disp.* 10. *n.* 3. & Ludou. Lopez 1. *p. instructorij c.* 76. cum dixissent teneri fictè promittentem defloratã ducere, maximè, si iuramentum intercessit, subdunt, nisi sit notabilis disparitas, vel alia signa fraudis appareant. Ideò clarè videntur sentire, ex signis fraudis apparentibus, sequi etiam posito iuramento non obligare.

D. Anton. Nauarrus. Sylvest. Sanchez. Lud. Lop.

Multò potiori ratione non obligabitur vir, si etiam decipiatur à feminâ, dicendo, vel fingendo se esse virginem; imò etiamsi non dicat, vel fingat, si promittens ille tam ficte, quam vetè existimabat eam virginem & posteà comperiat, non esse; est enim vera causa dissoluendi sponsalia etiam vera, nedum ficta, & etiam in fraudibus datur compensatio. Vnde fictio feminæ fictione viri compensatur. Ita Vasq. *de matrimonio disp.* 6. *c.* 3. *n.* 19. *& de Restitutione cap.* 3. *dub.* 4. *n.* 22. *&* 24. Gutierrez *c.* 9. *n.* 6. *& c.* 10. *nu.* 9. & 10. Reginald. *lib.* 31. *num.* 255. Petrus de Ledesma *q.* 45. *art.* 4. Sanchez *disp. illâ* 10. *num.* 11. Molina *to.* 4. *disp.* 106. *n.* 8. Lessius *lib.* 2. *c.* 10. *dub.* 3. *n.* 29. Rebellus 1. *p. lib.* 3. *q.* 8. & alij apud Sanchez loco citato, qui etiam addit cum aliis, in quo etiam consentiunt Gutierrez & alij contra Rodriquez *tomo* 1. *c.* 208. & Corduba, non teneri restituere feminæ aliquid ratione copulæ, quãdo femina se virginem simulabat. Quando verò femina non decipit, probabile est teneri, & in hoc sensu puto loquutos Cordubam *in quæstionario libr.* 1. *q.* 13. *dicto* 2. & Rodriquez *supra*, & alij, qui affirmant teneri restituere; quia nimirum in illo casu femina non fuit deceptionis causa; nec aliquam iniuriam intulit viro, quâ iniuria ipsi feminæ illata compensetur. Vnde, quamuis non sit tanta iniuria cognouisse defloratam decipiendo illam fictâ promissione, atque cognouisse virginem; aliquid iniuriæ habet, idque indiget satisfactione.

167. *Potiori ratione non tenetur vir deceptus à femina fictâ virginitate.* Vasquez. Gutierrez. Reginald. Petr. de Ledesma. Sanchez. Molina. Lessius. Rebellus. *Alij.* Rodriq. Corduba.

Nec tantum quando vir deceptus est in virginitate; sed etiam quoties alia est deceptio notabilis sufficiens ad vera sponsalia dirimenda, non tenetur eam ducere; est enim eadem ratio vt notauit Sanchez *suprà*.

168.

Ex eâdem doctrinâ infertur virum, nõ solùm non cogendum ad ducendam feminã in prędictis casibus; sed etiã & multò potiori ratione non teneri, si femina defl orata tam in casu huius dubitationis: quàm in casu præcedentis cũ alio fornicetur, quia hæc est causa iusta recedẽdi ab sponsalibus. Legatur Sanch. *disp. illâ* 10. *n.* 13. cum quo contra Nauarrum ab eo relatum existimo non teneri tunc virum resarcire damnũ copulę, & defl orationis extortæ per promissionem, aut fictam, aut veram, solùm enim tenebatur ex vi promissionis aut contractus illam ducere, & postquàm illa cum alio fornicata est, desinit propter talem fornicationem obligatio illam ducendi: & tota iniustitia consistebat in falsitate promissionis, & non impletionis illius, quã tenebatur veram facere, & tamen post fornicationem illam cum alio non tenetur illam verã facere: cessat ergo omnis iniustitia.

169. *Illatum ex præcedenti doctrina.* Sanchez.

170. *Si femina per vim violata tũ alio fornicetur, non tenetur violator eam ducere nec aliquid restituere post pactum.*

Addit optimè Sanchez, etiam in casu quo per vim defloraſſet & posteà pacto inito cõueniſsẽt inter se vir, & femina, de matrimonio cõtrahendo ad illam resarciendam iniuriam, si posteà femina

Ratio. femina cum alio fornicetur, virum nihil teneri restituere, quamuis enim ratione violentiæ teneretur eam dotare; posteà tamen illa obligatio commutata est in obligationem matrimonium contrahendi : ergo postquàm hæc obligatio matrimonij propter culpam feminæ cessauit, non est cur prior obligatio extincta reuiuiscat; quod enim extinctum est, non reuiuiscit *L. cum ex causa c. de Remissione pignor.*

171. *Epitome præcedentis doctrinæ.* Habemus ex dictis sponsalia celebrata à nobili, vel diuite sciente, & cognoscente disparitatem alterius, etiam notabilem obligare seclusis limitationibus & circūstantiis hucusque dictis.

172. *Corollariū pro praxi quando possit Pater ob scandalum impedire sponsalia.* Sanchez. Gutierrez. Ex quo sequitur pro praxi id, quod sæpe solet euenire, nempe patrem posse impedire sponsalia filij contra eius voluntatem inita, quando inde verum scandalum timetur. Ita Sanch. *dub. illâ* 14. *n.* 4. in eo sensu referens Gutierr. *q.* 20. *nu.* 23. secus verò in casu, quo alioquin filius tenetur fidem implere, si enim filius tenetur non potest pater impedire filium ab implendâ suâ obligatione, vt ex se patet.

173. *Obiectio 1.* Sanchez. Sed contra assertionem initio positam obiici potest; si quis prodigè meretrici spondeat pro corporis vsu, non tenetur implere ita prodigè promissa, cum sit peccatū, vt docent multi quos refert Sanch. *disp. illa* 14. *n.* 1. quorum aliqui asserunt id esse verum, etiamsi promissio iuramēto firmetur. Sed promissio matrimonij facta notabiliter impari est prodiga: ergo non obligat.

174. *Respōdetur.* Molina. Sanchez. Respondetur negando eam promissionem factam meretrici non obligare; quamuis enim promissio ex liberalitate processerit, exequutio non est ex liberalitate; sed ex debito. Ideò in exequutione nulla est prodigalitas; sed impletio debiti, ac proinde tenetur in vtroque foro integrè implere, non obstante, quod promissio prodigè; & cum veniali peccato facta fuerit, sicut, qui promittit feminæ pecunias, vt tradat corpus, peccat quidem promittendo; tenetur tamen implere. Ideò peccatum esse potest ex parte modi promittendi non ex parte rei promissæ. Ita Molina *disp. illâ* 271. & Sanch. *supr. n.* 5. qui etiam aliter respondet, etiamsi doctrina ea esset vera, adhuc esse diuersam rationem; promittitur enim meretrici pecunia in pretiū, nec est animus liberaliter donandi; secùs autem in nostro casu contingit, quæ solutio etiam mihi placet, & tunc præferendam puto, quando aliūde cōstaret in pretium fuisse promissam, & non ad conciliandam voluntatē alioquin renuentis.

175. *Obiectio 2.* Obiici potest 2. quoties in contractu est notabilis deceptio, aut certè, quoties promittitur immodicum per modum pretij non est obligatio implendi totum; sed tantùm iustū & æquale pretium; atqui notabiliter excedens immodicè promittit non gratis; sed per modum contractus; ergo non tenetur illud præstare; sed tātùm æquale; sufficit ergo dotare illam.

176. *Respōdetur.* Respondetur, nec esse deceptionem; quia nota erat promittenti disparitas; nec esse promissum matrimonium per modum pretij, vt dictum est.

DVBITATIO XI.

An qui fictè promisit, & tantùm habet, sub eâ promissione tactus, teneatur illā ducere? & ad quid teneatur, qui iam non potest promissionem implere, ad quam tenebatur?

177. *Circa primum negās quorumdā responsio.* Sanchez. Nauarrus. Circa primum de habente tactus respondet Sanch. *l.* 1. *disp.* 10. *n.* 14. breuissimè cum Nauarro *l.* 4. *consiliorum tit. de sponsalib. cons.* 20. *in* 2. *edit.* non teneri eam ducere, sed alio modo restituere iniustitiam, seu iniuriam non ex vi promissionis, sed damni illati, quia nimirum supponit promissionem fictam esse non obligare. Nos verò, qui diximus solam promissionem externam seriò, & voluntariè prolatam obligationem inducere; nisi exteriùs constet eam non ex animo offerri; consequenter dicere tenemur, teneri eam ducere, si sub ea spe permisit tactus, aut oscula. Et quidem ratio ad hominem contra Sanchez pro isto casu probat; quia nimirum in omnibus contractibus in quibus interuenit *Do, vt des*, vel *facio, vt facias* vbi alter ex suâ parte impleuit, tenetur alter implere, quamuis fictè contraxerit, vt vidimus ex eodem Sanchez eadem *disp.* 10. *n.* 3. Sed in hoc casu, vt supponimus, interuenit contractus *Facio, vt facias*: femina enim permittit tactus & oscula, vt alius ipsam ad matrimonium admittat, & iam ipsa ex parte suâ impleuit: ergo promissor tenetur ex parte suâ implere. Nec refert, quòd fecisse copiam sui tantùm ad tactus aut oscula sit multò minus, quàm fecisse copiam ad copulam; neque enim requiritur omnimoda æqualitas inter id, quod præstat vnus contrahētium ex vnâ parte, & quod præstat alter ex altera; potest enim censeri condonatio ex parte eius, qui plus confert iuxta doctrinam traditam à nobis *dub. præcedenti* cum multis aliis, & eodem Sanchez, vbi diximus in promissione matrimonij, in quâ notabilis est excessus; ex parte illius, qui est conscius talis excessus, eo ipso censeri cedere iure suo; & excessus donationem facere; ergo etiam in nostro casu eo ipso quod promittat sub eâ conditione tactus, aut oscula, & illa impleat ex parte suâ, censetur condonare excessum. Neque obstat, quòd promissio sit ficta; quia sufficit in nostrâ doctrinâ promissio externa & in doctrina eiusdem Sāchez quòd altera pars impleuerit, quod ad ipsam attinet, vt in præcedentibus vidimus, ergo consequenter dicendum est, etiam solùm propter tactus & oscula sub eâ spe matrimonij promissi teneri promittentem, etiam fictè. Quæ doctrina maximè locum habet, si hic tactus & oscula nota fuerint aliis, vnde magnum damnum resultet in famâ prædictæ feminæ; sæpè enim maius damnum sequi potest, & solet ex tactibus, & osculis notis, quam ex copulâ omnino occulta.

Oppositum dicendum iuxta nostra principia.

Ratio ad hominem contra Sanchez.

Occurritur cuidam euasioni.

Occurritur alteri euasioni.

178. *Explicatur secundum.* Circa secundum de impossibilitate implendi promissionem matrimonij factam virgini à se defloratæ existimat Sanchez *eadem disputation.* 10. sacris initiatum, vel alteri matrimonio

Impossibilis reddita promissio ad quid obliget? Quorumdã sententia. Sanchez. D Thom. Sylvester. Tabiena. Petrus Ledesma. Sotus.

copulatum teneri illi feminæ de nuptiis prouidere. Pro quâ sententiâ refert D. Thomam Sylvestrum Tabienam, Petrum de Ledesma, Sotum; aduertit tamen non teneri eam integrè dotare, sed eo modo, quo tenetur vi, vel fraude deflorans: Quod (licèt ibi non explicet) intelligendum est, quantum sufficit, vt femina æquè benè possit nubere.

179. *Quæstiũ 1.*

Quæret tamen aliquis; quid faciendum, si fictus promissor velit puellam ducere, parentes verò eius recusent?

180. *Quorumdã responsum.* Sylvest. Henriq. *Alij multi.*

Sylvester *verbo Luxuria q. 5. in fine.* Nauarrus *in summa c. 16.* Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 11. nu. 2.* & alij multi putant teneri ei restituere constituendo illi dotem.

181. *Aliud probabilius responsum.* Henriq. Lessius. Gutierrez. Molina. *Alij posteriores.*

Probabilius tamen est, quod docet Sanchez *supra n. 15.* ad nihil teneri; satisfacit enim, si ad ipsam ducendam paratus sit; quia hoc tantum spopondit: ergo quamdiu per ipsum non steterit, liber est ab aliâ obligatione; idque adhuc probabilius est, quando ipsamet femina recusat matrimonium. Quod vltimum etiam docet Henriq. *supra*, tanquam probabile *iuncto cõmento littera 1.* cum Sanchez sentiunt Lessius *l. 2. c. 10. dub. 3. n. 27.* Gutierrez *c. 10. n. 13.* Molina *to. 4. disp. 106.* & alij posteriores.

182. *Quæstiũ 2.*

Quæret vlterius aliquis, an fictus promissor casu, quo tenebatur defloratam ducere, si iniustè aliud matrimonium ineat, & viduus efficiatur nondùm restitutione factâ, teneatur ad prius matrimonium?

183. *Respõdetur.* Sanchez. Adrianus. Barthol. Ledesma. Henriq.

Respondeo teneri, non quidem vi sponsaliũ, quia hæc per subsequens matrimonium extincta sunt; sed ratione damni illati, cui resarciẽdo per matrimonium adhuc superest locus. Ita Sãchez *l. 1. disp. 48. n. 5.* referens Adrian. Barthol. de Ledesma. Henriq. & idẽ putant, etiamsi femina ab illo cognita, non fuisset virgo, sed mulier honesta vidua bonæ famæ, quæ notabilẽ iacturam passa esset, nec aliunde esset satisfactum.

DVBITATIO XII.

An quando femina facilè potuit præsumere dolum, & fictam promissionem, teneatur, qui sub eâ spe illius copiam obtinuit, aliquid restituere.

184. *Status quæstionis explicatur.*

COnstat iam ex dictis in præcedentibus nõ esse obligationem, ducendi illam feminã, quæ propter notabiliter digniorem conditionem, & statum viri (& idem est de aliis signis) potuit dignoscere, aut præsumere dolum promissionis fictæ, sub quâ viro sui copiam fecit. Quærimus nunc an saltem vir ille teneatur aliquid restituere.

185. *Sententia affirmans multorum apud Sanchez.* *Non omnino inter se conueniunt.* Nauarrus. Corduba. Veracruz. Beja.

Multi affirmant apud Sanchez *disp. 19. nu. 18.* quia nimirum dolo defloravit & iniustitiam commisit. Quantum autem debeat restituere: non omnes illi consentiunt; quidam enim putant teneri integrè restituere, perinde, atque vi corrumpens, aut dolo; quia talis promissio habet vim precum importunarum, quæ violentiæ æquipollent. Ita Nauarrus, Corduba, Veracruz, Beia apud Sanchez *loco citato.* Alij vero prudentis arbitrio relinquunt considerantis ex vnâ parte damnum, ex alterâ verò feminam deceptam esse suâ sponte. Ita Sotus, Capua, Ludouicus Lopez, Petrus de Ledesma relati ab eodem Sanchez, quorum sententiam ipse appellat satis probabilem. Sotus. Capua. Ludouic. Lopez. Pet. Ledesma.

186. *Probabilius putat ad nihil teneri.* *Ratio.* *Sanchez probabilem putat.*

Probabilius tamen putat *numer. 19.* ad nihil restituendum teneri. Videtur enim femina cõsensisse liberè, supposito, quod nouerit notabilem disparitatem vel alia fraudis aperta signa, nec censetur vir illi fecisse de facto iniuriam; quamuis enim fictus promissor deliquerit cõtra iustitiam intentione decipiendi; ea tamen intentio effectu suo destituta est; femina enim se ipsam decepit: intentio autem sola non obligat ad restitutionem. Pro qua sententia refert Sanchez D. Thomam *in 4. distinction. 28. q. vnica, articul. 2. ad 4.* D. Antoninum, Rosellam, Sylvestrum, Tabienam, Angelum, Armillam Victoriam, Ludouicum Lopez, & probabilem putat Henriquez ab eodem relatus. Eandem sequuntur Molina *tomo 4. disputation. 106. concluſ. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 10. numer. 25.* Vasquez *de restitutione cap. 3. §. 1. numer. 19.* Bonacina *de matrimonio q. 1. puncto 2. num. 7.* & alij Recentiores, & mihi placet. D. Thom. D. Anton. Rosella. Sylvest. Tabiena. Angelus. Armilla. Victoria. Lud. Lop. Henriq. Molina. Lessius. Vasquez. Bonacina. *Recentiores.*

DVBITATIO XIII.

An fictus promissor dignioris conditionis teneatur defloratam ducere prorsus ignaram illius excessus, vel quamuis consciam, taliter ei promittens, vt meritò crederet verè promittere?

187. *Affirmatiua sententia.* *Ratio.* D. Thom. D Anton. Angelus. Armill. Tabiena. Nauarrus. Lud Lop. Apud Sanchez. Henriq. petr. Nauarra. *Sanchez putat probabilem & meritò eius probabilitas ostenditur.*

ALiqui affirmant; quia verè est contractus, & mulier ex suâ parte impleuit, nec potest dici à se ipsâ decepta, aut leuiter credens, ergo tenetur eam ducere, nec sufficit pecuniâ satisfacere cum possit in propriâ specie satisfieri. Ita D. Thomas *in 4. dist. 28. q. vnicâ ar. 2.* Antoninus, Angelus, Armil. Tabiena, Nauarrus, Ludouicus Lopez quos refert Sanch. *disp. 10. n. 20 remissiuè ad n. 5.* Idem videntur tenere alij quos ibidẽ, quasi per consequentiam inducit Sanchez maxime Henriq docetque expresse Nauarra *l. 2. de restit. c. 3 p. 4. dub. 2. in secunda edit. n. 427.* quam sententiam meritò appellat Sanchez satis probabilem, maxime supposità sententiâ, quam cum eodem Sanchez & multis aliis tradidimus supra *dub. 10.* vbi diximus promissionem matrimonij à tali viro factam obligare, quia contrahens est dominus rei promissæ consciusque notabilis excessus, & sic sponte promittens videtur cedere iure suo, & excessus donationem facere; si ergo potest absolutè promittere, obligarique, nihil antecedenter accipiendo ab ipsâ feminâ, cur non poterit accipiendo copiam corporis, quæ copia antecedenter non tollit vim promissionis, sed potiùs auget? Ideò ego per principia intrinseca facilè venio ad hanc sententiam, quã sequuntur Vasq. *de matr. disp. 6. c 4.* & *in Opusc de restitut. citato dub. 3. nu. 21.* Molina *tom. 4. disp. 106. concl. 2.* Lessius *l. 2. c. 10. dub. 3. n. 22.* & alij multi, qui omnes supponunt prædictam promissionẽ in ratione promissionis esse validam eo ipso, quòd quis sciens & volens velit proferre & offerre verba promissionis. *Placet sententia.* Vasquez. Molina. Lessius. *Alij multi.*

Proba-

188. *Altera sententia probabilissima saltem auctoritate.* Sanchez.

Probabilissima tamen est, si non ratione, saltē auctoritate sententia, quæ docet teneri quidem restituere instar vi, vel fraude defloratis; non tamen illam ducere. Probat primò Sāchez, quia non tenetur ducere ratione promissionis; fuit enim ficta & inualida, nec ratione iniustitiæ, & iniuriæ illatæ, quia iniustitia non obligat ad restituendum plus, quàm damnum æstimatur; sed damnum ablatæ dolo virginitatis non tanti æstimatur, ac virum notabiliter digniorem eam feminam ducere: ergo nullâ ratione tenetur. Vide, quæ diximus *in nostro opere de iust. l. 2, disp. 7 dub. 9.* & dicta *suprà dub. 9. huius disp.*

189. *Præcedentis fundamēti difficultas.*

Hæc sanè ratio difficultate non caret; tota enim nititur in eo, quod illa promissio; quia ficta non obligat in ratione promissionis; quod in nostrâ doctrinâ falsum est, eo ipso quòd femina non habuit sufficientia signa ad dignoscendam falsitatem, seu fictionem promittentis: sed potiùs prudenter credere potuit illum verè, & ex animo promittere; promissio autem sic facta exteriùs iuxta principia à nobis tradita obligat, cum (vt sæpe diximus) ille sit modus humanus contrahendi, & sufficiat consensus debitus, qui tunc sufficienter explicatur per verba, idque maximè, quando illa promissio supponit aliquid implendum ex parte alterius, scilicèt feminę, quæ iam impleuit ex parte suâ: semel autē positâ obligatione in ratione promissionis, cōrruit totus reliquus discursus argumenti facti. Iam enim est iniustitia, & damnum illatum, quia nimirum femina adquisiuit ius, vt sibi impleatur promissio facta atque adeò, non eam implere est iniustitia, maxime impletâ iam conditione quæ implenda erat ex parte sua. Nihilominùs; quia hac ratione mouentur viri graues poterit ratio probabiliter admitti, saltem per principia extrinseca.

Probabilitas fundamenti per principia extrinseca.

190. *Confirmatur ratio ab aliis.* Sanchez.

Confirmat Sanchez; quia quando in contractu seruatur æqualitas vno implente tenetur alter implere; at quando est inæqualitas: non tenetur fictè contrahens integrè implere, sed æquale reddere. Quare, si res promissa reddita in propriâ specie esset multo inæqualior, non esset reddenda, sed iustum pretium rei per alterum contrahentem gestæ: ergo cum matrimonium promissum sit multò inæqualius defloratione, non tenetur ad id fictè promittens.

191. *Non firma satis ea confirmatio.*

Hæc confirmatio eodem modo corruit iuxta nostra principia: nam, si promissio externa humana sine animo interno obligat, cū in eo casu intercedat promissio externa cum omnibus requisitis, vt prudenter credatur verè facta, etiāsi non sit æqualitas inter defloratione & matrimonium, totus excessus censetur cōdonari per promissionem validam, vt in promissionibus validis fatetur idem Sanchez, quando quis verè, & ex animo promittit. Itaque tota istius opinionis probabilitas nititur in eâ probabilitate quam habet illa opinio; quòd promissio ficta id est animo non se obligandi non inducat obligationem, &; quia hæc opinio probabilis est, ideò probabilis etiam est præsens hæc sententia, quod non teneatur eam ducere. Ita præter Sanchez *disp. 10. n. 21.* docent Camerota *de matrimonio c. 2. dub. 15. ad finem.* Sà *verbo promissio. num. 5.* Gutierrez *c. 10. num. 6.* Reginaldus *lib. 10. num. 256.* Salon 2. 2 *q. 62 art. 2. contro. 5.* Rodriq. *1. p. c. 208. n. 8.* Martinus Perez *tota disp. 2.* vbi latè contendit fictam promissionem non obligare & pro hoc casu pugnat *sect. 3 & 4.* rem probabilem reddit quamuis hæc sententia auctoritate magis sit, quā ratione probabilis, vt dixi.

Redargutio ad hominē.

Sanchez. Camerota. Gutierrez. Reginald. Salon. Rodriq. Mart. Per.

DVBITATIO XIV.

An fictè promittens feminæ paris conditionis & corruptæ, conscius corruptionis, teneatur eam ducere, si sub eâ spe femina consensit in copulam.

192. *Sententia negans.* Sanchez. Veracruz. Henriq. Ludouic. Lopez. Mart Per. *Recentiores. Nituntur falso fundamento iam impugnato. Probabilis est per principia extrinseca.*

NEgat Sanchez *citatâ disp. 10 n. 23.* Veracruz *3. p. speculi art. 19 conclusio. 6.* Henriq. *libr. 11. c. 11. n. 2. in Commento littera R.* Ludouicus Lopez *1. p. instructorij c. 77.* Martin. Perez *supra* & alij Recentiores nitentes semper principio iā sæpe à nobis reiecto quod scilicet, ficta promissio non obliget solūmque in præsenti casu restet obligatio resarciendi damnum ortum ex tali copulâ, & quia eam ducere non est æquale copulæ cum corruptâ; sed longè maius, non tenetur id præstare sed aliter satisfacere, quæ opinio probabilis est vt ostendimus *in nostro opere de iust. l. 2. tr. 2. disp. 7. dub. 10. n. 149. & seqq.* saltem probabilitate, de qua paulò ante dixi ob auctoritatem.

193. *Opposita sententia probabilior. Auctores suprà citati.* Paludan. Corduba. Lud. Lop. Rodriq. *Recentiores. Ratio assertionis ex dictis.*

Opposita sententia est probabilior, scilicet, teneri illam ducere, ita vel expressè docent, vel supponunt omnes Auctores citati in dubitatione præcedenti pro nostrâ sententiâ. Itē Palud. *in 4. dist. 28. q. 1. ar 2. concl. 4 n. 14* Cord. *in summâ q. 49.* Ludou. Lopez *1. p. instructorij in 2. edit. c. 76. & 2. p. in materiâ de matr. c. 36.* Rodriq. *to. 1. summæ in 2. edit. c. 208. n. 8.* aliique Recentiores. Ratio est; quia promissio sic exteriùs facta est promissio humana, & sufficiens ad inducendam obligationem iuxta nostra sæpe repitita principia; imò etiam fuit verus contractus, qui celebrari potest per consensum debitum, etiamsi interius non adsit voluntas se obligandi, imò (vt sæpe notauimus) non potest adesse voluntas sic exterius promittendi, sine voluntate se obligandi, seclusâ ignorantiâ; ea enim est vis promissionis liberè, & voluntariè exterius factæ.

194. *Alia ratio obligandi in aliquibus casibus est damnum illatum.* Sanchez. Nauarr. Lud. Lop. Petrus Le desmá.

Præterea in aliquibus casibus non solùm ratione promissionis; sed ratione damni illati potest quis teneri ad feminam prædictā ducendā, scilicèt quando esset vidua bonæ famę infamiāque ex copulâ cōtraheret, ob quam inepta redderetur Matrimonio. In quo casu id etiā fatetur Sanch. *supra n. 24.* & Nauarr. *l. 4. concl. 48. de sponsalibus in priori edit.* & *in posteriori concl. 7.* Ludouicus Lopez *citato c. 77.* Petrus de Ledesma *de matr. q. 45. art. 4. dub. 1.* & merito reiicit Sanchez Veracruz, qui *3. p. Speculi. ar. 19. concl. 6.* dixit fictū promissorem non teneri ducere corruptā cuiuscunque sit cōditionis. Illud verissimum puto non teneri fictū promissorem ducere feminā malæ famæ, cum quâ sub fictâ promissione matrimonij habuit copulā; probabile enim est fictā promissionem, vt vidimus, non inducere obligationem, ratione autē damni ad nihil tenetur; quia femina nullum patitur. Ideò satisfaciet soluendo pr etium copulæ, si illa femina solebat

corpus suum locare. Ita Molina *to.4 disp.106.n.11.concl.8.* Aliqua alia, quæ pertinent ad obligationem siue ex verâ siue ex fictâ promissione, in hoc & præcedentibus aliisque similibus casibus diximus in nostro opere de iustitiâ *l.2.tr.2. disp.7.dub.9.& 10.* ibi legantur.

DVBITATIO XV.

An fictus vel verus promissor, quãdo non tenetur implere, possit negare rogatus à iudice; an promiserit?

195. *Assertio.* Nauarrus. Asfero vtrumque posse negare, ne cogatur absque obligatione vxorem ducere. Ita Nauarr *c Humanæ aures 2 2.q.5.in q.1.n. finali* docens rogatum à iudice; an hæc verba protulerit: *Accipio te in vxorem*? posse iuramento negare se dixisse, si fictè ea dixit. Ita etiam Rodriq. *1.to.Sũmæ edit.2.c.245.n.12.* quos refert & sequitur Sãchez *disp 10.n.27.* & Perez *suprà*. Ratio est quia cum iudex roget, vt ad matrimonium debitum cogat, Sensus interrogationis est *promisisti matrimonium ita vt tenearis*? ergo verè respõdet *non promisi.* intelligendo *ita vt tenear.* Confirmatur à simili eius, quod cum aliis docet Couarr. *5. Variar.c 2.n.4.* interrogatum scilicet à iudice, an mutuo receperit nummos, quos reddere iã non debet? posse iurare se non recepisse; nec enim recepit ita, vt tunc teneatur soluere. Idem est de casu quem tradit Sylvest *verbo mendacium q.vltimâ* vbi ait Clericum à custodibus rogatũ num aliqua portet, scilicèt, vt gabellam soluere compellatur, posse iuramento negare, intelligendo se nihil portare, ex quo gabellam debeat. Item idem colligitur ex doctrina eiusdem Sylvestri *verbo iuramentum 3.q.2.* Nauarri *in summa c.12.n.8.* Philiarch. *de officio Sacerd.to 1.p.2.l.3.c.14.in fine*; nempe rogatum ab vrbis custodibus num veniat ex tali loco, quem falsò putant peste infectũ esse; si nouit immunem esse à peste, posse iurare se ex eo non venire intelligendo ex eo peste infecto.

Rodriq. Sanchez. Perez. *Ratio.* *Confirmatio à simili.* *Aliud simile.* Sylvester. *Alia confirmatio à simili.* Sylvester. Nauarr. Philiarch.

196. *Extensio doctrinæ.* Hæc doctrina & fundamentum locũ habet, siue promissio fuerit ficta, siue etiam vera, dũmodo iam non obliget; quia adest causa sufficiens. Causa verò sufficiens censetur illa, quæ verè probabilis est, etiamsi non sit certa, & euidens, sufficit enim causa probabilis vt tali opinioni quis innitens possit se censere nõ obligatum; & prædicto modo negare, vt notauit Sãchez *suprà n 28.* eandem sententiam contra Basil. Ponce quem reiicit *disp 2.sect.4.n.8.* sequitur Mart. Perez qui contra eundem Ponce probat non obligare promissionem fictam etiamsi iuramentum adhibeatur. Non quia iuramentum solùm obligat iuxta intentionem iurantis (quo fundamento vtitur Sanchez pro eàdem sentẽtia) sed quia nullâ existente promissione, nulla est obligatio iuramenti, quod illi innititur; sed de hoc principio satis probabili nos in proprio *tract.de iuramento* ex instituto disputamus præsertim *disp 3. dub.11. & 12.* vbi agimus de iuramento vel confirmante contractum, vel per se stante.

Sanchez. Basil. Põce. Mart. Per.

DVBITATIO XVI.

An femina teneatur nubere viro, à quo extorsit copulam fictâ promissione matrimonij.

197. *Sententia negans.* Bonacina. *Probat.* Respondet Bonacina *q.1. puncto 2. n.11. & 15.* non teneri; quia nimirum nec ratione tenetur promissionis, cùm fuerit ficta, nec ratione damni, cùm vir non soleat damnum pati ex tali copulâ.

198. *Supponit falsum.* Hæc sententia supponit promissionem fictã; factã verò exterius verbis seriò prolatis, nõ obligare, cuius oppositum sæpe diximus.

199. *Opposita sententia vera.* Ideò magis placet opposita sententia, & quidem, quando paris sunt conditionis, aut femina non excedit dignitate virum verius adhuc apparet; quia ex vno capite vir implenit conditionem ex parte suâ, sub quâ conditione femina promisit matrimonium & ex alio capite adest vera promissio sufficiens ad obligandum quãtumuis ipsa voluerit non obligari; ergo non est vnde deobligetur; quia tamen probabilis est sententia, quod promissio externa animo non se obligandi facta non obliget, & ex alio capite damnum ex parte viri resultans ex copula ordinariè non censetur magni momenti, probabilis est sententia Bonacinæ.

Probabilis tamen prior sententia.

DVBITATIO XVII.

An teneatur implere sponsalia, qui dubitat an promiserit, vel an verba contineant promissionem vel an promiserit animo se obligandi?

200. *Assertio.* Henriq. Rebellus. Sanchez. Reginald. *Alij multi.* *Ratio.* Asseto 1. in puro, & vero dubio vtrum promiserit, vel verba contineant promissionem, non obligari, si post adhibitam sufficientẽ diligentiam adhuc perseuerat dubium. Ita Hẽriq. *l.11.c.11.n.5.* Rebell. *de sponsalib.q.3.n.10.* Sanchez *l.1.disp.9.n.11.* & *disp.18.n 6.* Reginald. *l 25. n.25.& 93.* & *l.13.n.254.* & alij multi. Ratio est; quia in dubio melior est conditio possidentis saltem in materiâ iustitiæ, immò, & in aliis; de quo *in tr.de censuris diximus disp.7 dub.2. de irregulitate*, & sæpe dicemus maxime *de iuramento disp.3.dub.17.assert.2.* dubitans autem possidet suã libertatem; ergo melior est illius conditio: Item hoc cedit in fauorem sponsalium quorũ magna debet esse libertas *c.Gemma de sponsalibus*, sicut & in voti fauorem propter magnam in voto requisitam libertatem. Accedit, quod quando agitur de obligatione contrahenda, stricta debet fieri interpretatio *c.1.de iure iurando in 6.l. Quidquid adstringendæ ff. de verb.oblig.* Vnde Abbas propter eandem rationem *c. Cum Clerici in fine de verb.signif.* putat iuramentũ generaliter præstitum esse restringendum, quãtum fieri potest, vt minùs obliget iurantem, qui ante hoc dubiũ bonâ fide possidebat suam libertatem. Propter eandem rationem Henriq. *l.11.c.13.n.4.* putat in dubio æquali matrimonij idem esse dicendum; quia nimirum melior est conditio possidentis: quãuis in hoc oppositum sentiat Rebell. *2.p.l.4.q.3.n.9.* Gutierrez *de matr.c.3. n.16.*

Vrgetur. Abbas. Henriq. Rebellus.

De

201. *Quid de dubitante an habuerit animum se obligandi? Obligatur.*

De eo, qui dubitat; an promiserit animo se obligandi certus tamen est de promissione, in primis iuxta nostra principia, cùm verum putemus promissionem externam voluntariè, & seriò factâ sufficere ad inducendâ obligationē quando promittens nouit vim, & naturam promissionis, cōsequenter dicendum est talem obligari; constat enim sufficientem fuisse adhibitam causam inducendi obligationem; sed; quia dubium esse potest, tum in eo, qui sequitur opinionem probabilem, quod promissio externa sine animo interno se obligandi obliget, tum in eo, qui licèt in præsenti putet talem promissionem externam habere vim obligandi, seclusâ ignorantiâ; simul tamen dubitat; an tempore, quo verba promissionis protulit, nosset eam vim promissionis, vel id sufficienter aduerterit, meritò adhuc possumus disputare an, qui dubius est, an habuerit animum se obligandi, vel an sciuerit promissionem obligare; certus tamen est de promissione matrimonij, obligetur.

Dubium disputabile.

202. *Responsio quadam Sanchez.*

Respondet Sanchez *disp. illâ 9. n. 13. & disp. 18. num. 5.* teneri in hoc dubio, quia verba exterius prolata sunt naturaliter signa intentionis, & nemo præsumitur dicere quod in corde non habet, vt latè probat idem Auctor *lib. 3 disp. 15. n. 9.* quod etiā in iuramēto metu extorto, vbi vehemens coniectura defectus animi se obligandi propter metum concurrit, verum putat, præsumi animum se obligandr vt delicti præsumptio euitetur. Pro quâ doctrinâ nonnullos refert.

203. *Prima eius ratio destruit casum prædictā responsio licet concederetur.*

Hæc tamen ratio; & fundamentum, quamuis omnino concedatur esse verum, destruit casum. Nunc enim disputamus in dubio æquali. Ratio verò & fundamentum huius Auctoris tendit ad tollendum dubium; probat enim, si quid probat; iam non esse dubium de animo; si enim præsumitur animus se obligandi id debet præsumi rationabili fundamento; si autem rationabile fundamentum ad id præsumendum adest, iam non perseuerat dubium propriè loquendo. Dubitare enim est neutri parti assentire; ergo negare debuisset casum, & dicere esse impossibile seclusâ ignorantiâ, quòd sit certitudo emissæ promissionis externæ & dubium animi se obligandi, cum ipsa promissio externa eo ipso quod constet, inducat prudentem præsumptionem animi se obligandi; saltem vbi non constiterit de animo in contrarium. Oportebat ergo probare hanc obligationem etiam supposito dubio talis animi se obligandi; vel dicere casum esse impossibilem.

204. *Secunda eius ratio.*

Probat 2. quia promissionem consequitur naturaliter obligatio; nisi expressè apponatur negatio contraria; ergo dum de promissione constat, & dubitatur de contrario animo præsumptio, & possessio est pro obligatione.

205. *Claudicat etiam secūda ratio.*

Hæc sanè ratio probabilior est; sed adhuc claudicat; quamuis enim concedamus vim habere in casu, quo quis certus est, quòd non habuerit positiuum animum nō se obligandi; dubitat verò; an habuerit animum positiuum se obligandi (in quo solo casu concedi potest prædicta ratio) si tamen loquamur in casu, quo quis dubitet, an habuerit positiuum animum non se obligandi, ita, vt omnibus pensatis maneat purum dubium talis animi, non videtur habere vim ratio prædicta; falsum enim est, quòd promissionem consequatur naturaliter obligatio generaliter loquendo, sed tantùm (vt rectè addidit ipse Auctor) quando expressè nō apponitur negatio contraria; ergo, si expressè apponatur negatio contraria non consequetur obligatio; sed in nostro casu dubitamus (vt supponitur) an apposita fuerit expressè negatio contraria, quæ, si esset apposita, sufficeret vt ex promissione non sequeretur obligatio. Cum ergo dubium sit de tali appositione, dubium simul est de ipsâ promissione cum requisito ad obligandum; falsò ergo colligit Sanchez, dum de promissione constat, & dubitatur de contrario animo, præsumptionem & possessionem esse pro obligatione.

206.

Omitto alias rationes probabiles, quas idem Auctor congerit citato nu. 13. quæ etiam suam habent difficultatem & latius possemus contra illas disputare.

207. *Cōcluditur ex dictis vera resolutio dubij supra positi.*

Vnde in hoc negotio dicendum existimo, quotiescunque de promissione liberè, & spontaneè factâ constat; nisi expressè simul constet satis de animo positiuo non se obligandi, nunquàm esse purum dubium; sed semper iudicandum esse pro promissione; qui enim voluit promissionem, virtualiter censetur velle id, quod secum habet naturâ suâ promissio, neque aliud probant omnes rationes prædicti Auctoris, & aliorum, dùm dicunt eum, qui certus est de promissione, & dubitat de animo se obligandi, teneri promissione, & idem est de eo, qui dubitat, an tunc sciret promissionem naturâ suâ habere vim se obligandi; nam eo ipso quòd voluit promittere; sicuti alij promittunt, censetur voluisse promissionem, qualem alij faciunt, scilicèt obligatoriam.

208. *Obiectio 1.*

Obijciet tamen aliquis primò in dubio non præsumitur animus se obligandi, vt contingit in iuramento metu extorto: ergo neque in dubio promissionis. Antecedens admittunt plurimi Auctores, quos refert Sanchez *n. 12.*

209. *Respondetur 1. Respondetur 2.*

Respondetur primò, negando antecedens cum eodem Sanchez *nu. 13.* & dicemus agentes de iuramento. Deinde secundo respondetur disparem esse rationem; illa enim doctrina, si fortè vera esset, solùm haberet locum in iuramento coacto, in quo ipsa coactio præbet sufficiens fundamentum ad præsumendum fictum consensum, & tunc etiam in sponsalibus id ipsum posset dici, scilicèt, coactionem præbere fundamentum ad præsumendum fictum consensum eo ipso, quòd non constaret de consensu habito; tunc enim cessaret iam dubium; quia esset fundamentum ad præsumendum pro alterâ parte contradictionis, scilicèt, pro negatione consensus.

210. *Obiectio 2.*

Obijci potest 2. quia perinde videtur dubitare de animo se obligandi, ac de promissione ipsâ, deficiente enim animo non est promissio.

211. *Responsio Sanchezij.*

Respondet Sanchez, negando antecedens; quia, dùm omnino dubitatur de promissione, nulla est ex parte promissionis possessio; sed tota se tenet ex parte libertatis; quando autem promissio est certa, & dubius animus, tunc possessio & præsumptio est ex parte promissionis.

212. *Melior alia responsio.*

Ego verò respondendum puto iuxta nostram do-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

doctrinam eo ipso, quòd constat de promissione spontaneè facta, & non constat de animo expresso non se obligandi, adesse sufficiens fundamentum ad non dubitandum de animo requisito ad inducendam obligationem; & eò ipso quòd quis liberè, & spontaneè promisit exteriùs, censeri habuisse saltem virtualiter animum admittendi promissionem cum iis, quæ naturâ suâ habet, maximè, dùm non constat de animo in contrarium.

213. *Obiectio 3.* Obiici potest 3. quia in tali dubio videtur prævalere possessio liberatis, quâ voluntas gaudet.

214. *Responsio Sanchezij.* Respondet Sanchez negando in eo casu esse possessionem ex parte libertatis, nimirum, quia putat esse possessionem ex parte promissionis.

215. *Responsio 2. melior.* Ego verò respondendum puto, negando in eo casu esse verè & propriè dubium; sed esse debere indicium, quod animus requisitus adfuerit eo ipso, quòd de contrario animo nõ cõster.

216. *Obiectio 4. Sotus.* Obiici potest 4. ex doctrinâ Soti & aliorum apud Sanchez *num.*12. qui aiunt dubitantem puerum de rationis vsu, dùm vouit, minimè teneri, nec sufficere quancumque opinionem vsus rationis; sed exigi rem esse adeò certam, vt nulla, aut tenuissima sit apud viros prudentes dubitatio.

217. *Responsio eiusdem Sanchez.* Respondet Sanchez, negando doctrinam & distinguendo de emittente votum, qui, si iam expleuit septennium, præsummendus est habuisse vsum rationis, quia ius iam præsumit, secùs verò, si nondùm impleuit. In quo casu, nisi expresè constet de vsu rationis, nec votum, nec sponsalia obligabunt.

218. *Admittitur doctrina, sed aliter respõdetur.* Quæ doctrina vera quidem est; sed ad præsens negotium non necessaria. Respondetur ergo disparem esse rationem pro nostro casu; nam promisisse siue Deo, siue homini, non est sufficiens fundamentum ad præsumendum vsum rationis sufficientem ad mortale, & ad cognoscendam naturam voti, & promissionis. In eo autem, qui iam est plenè rationis particeps, sufficiens fundamentum est, quòd liberè & spontaneè promiserit, imò, quòd promiserit liberè, etiamsi non spontaneè, vt præsumatur habuisse expressum, vel virtualem animum suscipiendi in se onus & obligationem promissionis, vbi de opposito animo non constiterit.

219. *Occurritur obiectioni petitæ ex iure Canonico.* Ex textu etiam probare contendunt aliqui oppositum; quia *in c.1. de iis quæ vi ad fin.* dicitur: *si legitimè probatum fuerit, non timore mortis prædictã mulierem religionẽ intrasse.* Vbi constat mulierẽ habitum dimittentem professione iam emissâ, cogendam esse ad religionem, si probetur spõtè professam fuisse; ergo in dubio, an valuerit professio non præsumitur habuisse animum se obligandi; sed possessionem esse pro voluntatis libertate.

220. *Textus ille non est ad rem.* Omissis aliis solutionibus, respondetur textũ extra rem esse, quia ex parte feminæ illius erat possessio, & præsumptio iuris quòd per metum fuisset professa, erat enim coniugata & viro spoliata & in fauorem spolij præsumitur consensus metu extortus iuxta *c.2. de Restit. spoliat.* ibi, *quia non est verisimile, quòd sponte iuri suo renuntiauit qui renuntiat spoliatus.*

DVBITATIO XVIII.

An sponsalia incertæ sint propriè sponsalia? & ex ipsis consurgat obligatio?

221. *Supponendũ quid sit spõsalia esse incerta?* SVpponendum est in primis nomine incertorum sponsalium intelligi ea, quæ cum personâ incertâ & indeterminatâ contrahuntur vt sunt, quæ fiunt cum pluribus sub disiunctione v.g. Petrus promittit tribus, vel quatuor filiabus Ioannis se vnam illarum ducturum, & ipsæ similiter repromittunt. De his ergo quærimus; an sint propriè, & validè sponsalia.

222. *Assertio non sunt propriè sponsalia.* Asserendum est primò sponsalia prædicta nõ esse propriè sponsalia, quia, sicut matrimonium esse debet cum personâ certâ & determinatâ, ita etiam sponsalia, quæ sunt initium matrimonij. *Ratio.* Item, quia ex veris sponsalibus oritur impedimentum publicæ honestatis; sed hoc impedimentum non oritur ex prædictis sponsalibus incertis, vt constat *ex c.vnico de sponsali in 6.* ergo non sunt propriè sponsalia. Ita Ioannes Andreas Cardinalis, & alij, quos refert ex Ferdinando Perez, Bonacina *quæst.1. puncto 3.num.2.* Coninc *disp.21. dub.2.num.16.* Gutierrez *de Matrimonio cap.26* Camerota *de Matrimon. cap.2. dub.3. & 6.* Sanchez *lib.1. disp.26. num.1. & 2.* contra Syluestrum *verb. Matrimonium 7.num.11.* & Couarruu. in Epitome *de Matrimon.1.p. lib.4. cap.17.* Martin. Perez *disp.4 sect.5. & disp.5. sect.4.* Ioan. Andr. Cardin. *Alij apud* Bonacin. *ex* Ferd. Perez Coninc. Gutierrez. Camerota. Sanchez *Contra* Sylvest. Couarruu. Martin. Perez.

223. *Electio in eo casu pertinet ad promissorem. Probatur ex iure tam Canonico quam Ciuili.* In tali autem casu electio pertinet ad promissorem; sicut in quacunque aliâ promissione alternatiuâ. Regula *in alternatiuis* de *Regul. Iur. in 6. & §. Præterea instit. de actionibus & l. Plerique ff. de iure dot. & l. si ita ff. de contrah. empt.* Quâ electione posita statim inducitur impedimentum publicæ honestatis post *Trid sess.24.c.1.*

224. *Copula cum vna determinat electionem inter plures.* Rebellus. Sanchez. Sylvester. Coninc. Bonacina. *Alij.* Sufficienter autem intelligitur promissor determinare sponsalia, quando cum vna ex illis, quibus promisit, habet copulam, præsumitur enim accessisse cum animo eligendi, quam carnaliter cognouit, maximè, si per copulam cum illâ fiat affinis cæteris in gradu prohibito, vt contingit, quando cæteræ sunt in primo aut secundo gradu consanguineæ ipsius. Ita cum multis docet Rebell. 2. *p. lib.4. de sponsal. num.2.* Sanchez *citatâ disput.26.* Sylvester verbo Matrimonium 2. num.11. Coninc & Bonacina supra & alij.

225. *Illata quædã propraxi. Primum illatum.* Ex traditâ doctrinâ pro praxi licet aliqua inferre: primò infertur, si Pater promittat Petro vnam ex filiabus, liberatur ab obligatione offerens quancumque. Ita Sanchez citato num.2. Quòd intellige, etiamsi sit clauda, gibbosa, Lusca. Dummodo præcisè habeat corpus aptum ad Matrimonium & excusatur à sua obligatione, si alter illam ducere nolit. Colligiturque ex lege *si in empt. §. Si emptio ff. de contrahenda empt. & l. cum is. ff. de condit. in debit.*

226. *Secundum illatum. Probatur ex Iure. Probatur ratione.* Goffredus. S. Antonin. Angelus. Sylvester. Tabiena. Colligitur 2. si antequàm ex illis offerat vnã, omnes, vnâ demptâ, moriantur, teneri superstitem dare. Ita habetur *in Iure Castellæ l.11. tit.1. partitâ 4.* Ratio vero est quia aliter fidem non potest implere, & sic potest. Ita Goffredus *in Summâ tit. de sponsi. impub. num.14.* D. Antoninus 3. part. tit.1. cap.18. Angelus, Sylvester & Tabiena

Alij. Sanchez.

na & alij quos refert & sequitur Sanchez n.2.

227. *Sanchezij extensio & probatio ex iure.*

Qui etiam ex citatâ *L. Castellæ* ait patrem teneri illam superstitem dare, etiamsi alioquin decreuisset illam non dare quando promisit; sed quandam aliam. Probat Sanchez, quia reuera indefinitè promisit, & nullam aliam dare potest, distinguit tamen inter forum conscientiæ, & externum, & ait id verum esse in foro externo; non in foro conscientiæ; nam in illo statur verbis exterius prolatis; in hoc autem si absolutè promisit volens se absolutè obligare, quamuis habuerit, animum dandi certam, tenetur vtique dare aliam superstitem, quia aliud est habere animum dandi illam, & aliud obligare se ad dandam illam solam. Quando verò externa promissio non omnino vera fuit, quia tantùm habuit animum se obligandi ad certam tradẽdam, tunc (inquit Sanchez,) si aliud damnum aut scandalum minime sequatur, non tenebitur aliam superstitem dare; quod hic Auctor dixit consequenter ad suam doctrinam, qui *disp.10. num.26.* & sæpe alibi docuit fictè promittentem Matrimonium non teneri in foro conscientiæ implere, si aliud damnum non sequatur.

Ratio eiusdem.

Putat prædicta vera in foro externo tantũ, & vlterius distinguit.

228. *Quid in nostru principijs respondendum.*

Nos verò, qui cum aliis diximus *dub.4. & 71.* aliisque in locis promissionem externam inducere obligationem, etiamsi quis velit eâ non obligari, imò in eo, qui cognoscit naturam promissionis, esse impossibile velle sic promittere & non obligari, consequenter ad nostram doctrinam dicere tenemur, semper in foro conscientiæ obligari patrem ad dandam filiam superstitem; imò seclusâ ignorantiâ non posse uelle exterius eo modo promittere sub disiunctione; quin velit obligari ad id quod verba sonant.

229. *Illatum 3.*

Colligitur 3. posse cogi promittentem sub disiunctione ad ducendam vnam ex illis, quibus sic promisit sub disiunctione, quamuis non adhuc determinatam; potest enim cogi ad seruandam promissionem.

230. *Illatum 4.*

Colligitur 4. si vna illarum renuat, non teneri promissorem aliam ducere, nisi fortè obligauerit se ad aliam ducendam aliâ renuente, vel; nisi electio sita sit in potestate aut electione ipsarum. Ratio est; quia non stat per ipsum; quo minùs impleatur promissio, cùm paratus sit ad ducendam illam, quæ renuit; sed stat per illam, quæ recusat, ad quam non pertinet electio, sed ad promissorem iuxta supradicta: Ita Sanchez *supra.* Gutierrez *supra n.2.* Coninc *disp.22. dub.8. num.56.* & alij apud Sanchez, & apud Gutierrez locis citatis, & Martinus Perez *suprà.*

Sanchez. Gutierrez. Coninc. Perez. *Alii apud citatos.*

231. *Illatum 5. Lex Castellæ Greg Lop.* Sanchez.

Colligitur 5. electam à promissore teneri cõsentire, quia (vt supponimus) omnes illæ repromiserunt, & electio est promissoris, habeturque in Regno Castellæ *l.9. tit.11.* partitâ 4. docetque ibi Gregorius Lopez *verb. ouiesse.* & ex ipso Sanchez, quod si promissio à patre illarum incepit; illius est electio, & alter repromittens tenetur illam ducere, sicut è contra, quando promissio incepit ab sponso, semper enim electio est promittentis.

232. *Quæsitũ 1.*

Quæret aliquis; an quando pater promisit Petro eum iuramento tradere in matrimonium vnam ex quatuor filiabus, quas habet, teneatur aliquam tradere, si Petrus interim copulam habuit cum vna illarum?

233. *Respõdetur.* Sanchez. Coninc. *Alij Ratio responsi.*

Respondeo non teneri. Ita Sanchez *suprà num.4.* Coninc *disp.22 num.55.* & alij ex suprà citatis contra Henricum c. Ad audientiam n.2. de sponsalib. qui putat teneri dare illam. Ratio verò nostra est; quia pater liber erat ad tradendum quam vellet, nec debet priuari iure, & libertate suâ, illam autem, quam cognouit Petrus, potest liberè non dare, alias verò post copulam cum illâ dare non potest, vtpotè factas affines per illam copulam.

234. *Limitatio doctrinæ datæ.*

Hæc doctrina intelligenda est; nisi hęc filia cognita contraxerit determinatè sponsalia cum Petro cognoscente, sicuti notauit Sanchez ibidem; adde etiam; vel; nisi copulam habuerit sciente, & consentiente patre; tunc enim pater ipse censetur se determinasse, & voluisse obligari ad dandam illam, cuius copulam permisit.

235. *Doctrina nõ solum iure antiquo sed etiam iure nouo debet admitti.*

Hæc etiam doctrina procedit suppositio iure nouo ratione cuius hodie sponsalia conditionalia non transeunt in matrimonium, nec in sponsalia absoluta de quo posteà suo loco.

236. *Quæsitũ 2.*

Quęri potest 2. an si pater promittat Petro Mariam & casu, quo illam nequeat dare, promiserit eius Sororem, teneatur Sororem tradere, Maria recusante.

237.

Respondeo, si Maria tacitè, vel expressè absolute consensit sponsalibus, & non sub conditione, non posse tradere sororem, publicâ impediente honestate ortâ ex prioribus sponsalibus absolutis & validis. Si autem illa vel non consensit, vel tantùm sub cõditione, quæ nondum sit impleta, tenetur Sororem Pater dare; quia ex sponsalibus conditionatis prædictis nullum impedimentum publicæ honestatis oritur iuxta *c.vnicum de sponsalib in 6.* Ita Henricus Antonin. Rosella, Angelus, Sylvest. quos sequitur Sanchez *suprà n.5.* & alij citati.

Henriq. S. Antonin. Rosella. Angelus. Sylvester. Sanchez. *Alii citati.*

238. *Quæsitum omittendum remissiue ad alios.*

Vtrùm autem secundum ius antiquum, qui promisisset matrimonium cum vnâ ex pluribus, & deinde aliquam ex illis carnaliter cognouisset, sponsalia illa transirent in matrimonium? latè disputat Sanchez *supra à num.7.* Sed hæc quæstio iam necessaria non est, cum ex iure nouo constet non transire. Pro locis verò, vbi non viget Tridentinum, legatur ibi Sanchez & Martinus Perez *disp. illâ 4. sect.5.* Rebellusque apud ipsum relatus cum alijs.

Sanchez. Perez. Rebellus.

239. *Dubium inde ortum.*

Solùm superest dubitatio; an attento Decreto Tridentini *sess.24. c.1. de Matrim.* per copulam illam efficiantur prædicta sponsalia pura, & absoluta & obligatoria; quamuis enim ex eo decreto certum sit non transire in matrimonium per eam copulam; dubitari adhuc potest, an transeant in absoluta sponsalia.

240. *Probabilis quorundam responsio ad dubium.* Spino. Coninc. Bonacin. Perez. *Alii Sanchezii recta aduertentia.*

Non desunt, qui affirment satis probabiliter. Ita Spino apud Sanchez *disp.16. num.12.* Coninc *disp.20. dub.2. n.16.* Bonacina *q.1. punct.3. n.3.* Martin. Perez *sect. illâ 5. num.10.* & alij contra Sanchez qui rectè ibidem aduertit, quòd cùm hæc sponsalia conditionalia sint ante electionem iuxta dicta, decisio huius quæsiti pendet ex alia quæstione, an scilicèt sponsalia sub conditione honestâ inita transeant in absoluta & pura, quando ante conditionis euentum sponsi carnaliter commiscentur? In quo casu, si conditio iam defecerat, certum est sponsalia illa conditionata;

Hostiens. Ancarran. Abbas. Angelus. Couarruu. Greg. Lop.

tionata ; vtpote iam omnino dissoluta , non transire in pura, quantumuis copula sequatur, vt cum Hostiensi, Ancarrano, Abbate, Angelo, Couarruuio & Gregorio Lopez docet idem Sanchez *suprà*. Solum ergo dubitari potest quando conditio nondum defecit; sed est in pendenti.

241. *Melior responsio.* Sanchez. *Alij.*

Respondeo tamen cum Sanchez & aliis nec in eo casu transire in pura, nec recedi à conditione ; si enim olim Ecclesia præsumebat accedentem ad feminam post sponsalia contraxisse, vel contrahere tunc cum illâ matrimonium; tantùm erat, ne præsumeret delictum fornicationis. Ideò putabat accessum esse affectu coniugali, atque adeò habere illos consensum de præsenti, quem, si re ipsâ non haberent, rectè notat idem Sanchez cum Soto adhuc in eo casu non recedi à conditione Cùm autem hodie non possit esse affectus coniugalis post decretum Tridentini; sed semper sit fornicarius; quia per copulam occultam sponsalia non transeunt in Matrimonium, hinc est; vt nullo modo recedatur à conditione ; sed sponsalia semper maneant conditionata, ac proinde in nostro casu, dum quis promisit se ducturum vnam ex certis quibusdam, quamuis ad aliquam illarum carnaliter accedat , non manent sponsalia pura. Martinus tamen Perez & alij oppositæ sententiæ recurrunt ad aliam præsumptionem , quâ forum exterius (nisi de contrario manifestè constet) non potest iudicare quòd puella concesserit vsuram sui corporis , nisi sub spe matrimonij futuri, quare alter in eo casu vsuram exigendo, videtur puellę eam spem fecisse, & suam electionem determinasse. Ratio tamen non placet. Nam ex eo præcisè quòd copulam admiserit non colligitur, quòd aliquis præmiserit priùs contractum aut promissionem sponsalitiam; alioquin quoties talis copula fieret deberet præsumi. Non habet autem rationem præsumendi, qualem habebat olim in nostro casu, quia licèt præcessisset sponsalitia promissio absoluta, aut determinatio conditionata manet adhuc actus ille peccatum & delictum & semper in foro exteriori, sicut in interiori censetur delictum; quod non præsumebatur in alio casu; quæ autem censetur tàm leuis, vt cum delicto se prostituat, non est indigna quod præsumatur (quin potiùs saltem dubitetur de illâ an non sine absolutâ promissione fecerit;) nisi aliunde probetur talis promissio. Quamuis ergo probabilis sit ea sententia, vtpote virorum plurium & Sapientium probabiliorem puto sententiam Sanchezij & aliorum.

Notandum. Sanchez. Soto.

242. *Notandum aliud à Sanchez.*

Notat verò Sanchez quòd, si prior promissio fieret coram Parocho, & testibus, & coram eisdem copula affectu coniugali; maneret ius antiquum illæsum, & esset matrimonium; seruaretur enim forma præscripta in Tridentino.

243. *Notat rursus cum Soto.*

Notat etiam Sanchez *n.*13. cum Soto, quod, si conditio sponsalium sit de dote constituenda, etiamsi olim recedi videretur à conditione, & hodie etiam recedatur, si omnia fiant coram Parocho, & testibus, id tamen solum est ad hunc effectum, vt non exspectetur conditionis euentus ad purificandum matrimonium, non tamẽ, vt dotis soluendæ obligatio extincta sit ; quia hoc nullo iure deciditur.

DVBITATIO XIX.

Quanta ætas requiratur ad sponsalia, vel ad Matrimonium?

244. *Cur hîc agendum de ætate ad matrimonium.*

QVamuis de ætate requisitâ ad matrimonium non videatur hîc locus disputandi; tamen placuit de ætate requisita in vtroque contractu simul in eâdem dubitatione agere; aliqua enim ex disputandis communia sunt pro vtroque.

245. *Iure positiuo requiritur septennium ad valorem sponsalium.*

Præmittendum verò in primis est, quamuis iure naturali vsus rationis, qui ad valorem spõsalium requiritur, sit possibilis ante septennium, iure tamen positiuo Ecclesiastico ad eorum valorem requiritur septennium completum iuxta *c. Litteras* 4. *& c. Accesit* 5. & *c. ad dissoluendum* 13. *de desponsatione impuber & c. vnico eodem titulo in* 6. Quod meritò iure Ecclesiastico statutum est ; quia ordinariè ante eam ætatem non solet esse perfectus vsus rationis iure naturali requisitus.

246. *An requiratur completum septennium etiam physicè vel sufficiat moraliter?*

Disputatur vero inter Auctores, an prædictum septennium requiratur Mathematicè cõpletum , vel sufficiat completum moraliter, vt quando alicui deficiunt quindecim dies plus minúsve?

247. *Affirmant.* Sotus. Rebellus. *Alijq; sufficere moraliter.*

Affirmant aliqui vt Sotus *in* 4. *dist.* 27. *art.* 2. Rebellus *lib.* 4. *q.* 5. sufficere septennium moraliter completum; quia, quod parum distat, nihil distare videtur. Idem docent alij apud Sanchez infra.

248. *Alij requirunt Mathematicè completum & hoc probabilius.* Sanchez. Basil. Põce. Coninc. Hurtado. Perez. *Ratio.* *Alia ratio à simili.*

Alij verò putant, me quidem Iudice probabilius, requiri septennium Mathematice completum. Ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 16. *num.* 4. Basilius. *lib.* 12. *cap.* 5. Coninc *disp* 21. *nu.* 51. Hurtado *disp.* 1 *diffic.* 14. Martin. Perez *disp.* 5. *sect.* 5. *n.* 5. ex parte tamen Hurtado opponitur & videbimus. Ratio verò est quia (vt recte Sanchez) vel vnâ die deficiente non diceretur septennium completum; sed inceptum ; Item à simili de testamento & professione ; quia, nec testamentum valeret, si fieret ante decimum quartum annum completum in iis locis, in quibus receptâ lege requiritur talis annus , etiamsi vna tantum dies desit. Vnde in *l. Qua ætate ff. de testam.* tanquàm quid speciale notandum, definitur satis esse vltimam diem anni 14. cœptam esse ; & in professione, si probetur vna dies deesse ad anni decimi sexti complementum iudicabitur in foro externo professio inualida. Probant alij hoc ipsum ex eo , quod sicut pretium rei iure præscriptum consistit in indiuisibili, ita etiam ætas iure præscripta; ideò namque iure præscribuntur prædicta omnia, ne quisquam possit illa suo iudicio priuato mutare, posset autem si postquàm iure præscripta sunt non consisterent indiuisibili. Ex quâ doctrinâ putant corruere fundamentum aduersariorum , scilicèt quod parum distat nihil distare videtur.

Aliorum ratio.

249. *Quo sensu sit ea ratio & doctrina admittenda.* Hurtado. *Et alij negant sufficere diem inceptam.*

Hæc doctrina, si solùm de computandis diebus agamus, omnino mihi placet ; sed aliqui, vt Hurtado, satis scrupulosè videntur agere, dùm dicunt vltimam diem inceptam esse non sufficere, sed requiri etiam illam diem Mathematicè; aut Metaphysice completam; quamuis enim

conce-

concedamus omnes dies anni cuiusque computandos esse, & quidem Metaphysicè, quoad numerum Arithmeticè loquendo, tamen quòd dies inceptus habeatur pro completo valde probabile est, & in eo sensu admitto illud axioma, quod parum distat nihil distare videtur, atque ita in simili de testamento habetur *in L. Qua ætate de testamentis citata* ergo pro sponsalibus, & matrimonio in fauorem illius idem potest & debet censeri. Quam doctrinam præter Auctores oppositæ sententiæ, qui à fortiori debent admittere sufficere inchoatam ex iis, qui nostram sequuntur fauore matrimonij nõ pauci putant sufficere diem vltimam septennij inchoatam. Ita Perez, Basilius, & Recentiores multi. Ita Alexander de Neuo *c. Litteras de spons. impub.* Couarruu. & alij, quos refert & sequitur Sanchez disp. 19. num. 4. in fine remissiue ad nu. 2. probabilis tamen est præcedens opinio; præsertim cùm ad finem legis non multũ faciat tempus tam breue. Argumentum professionis, etiamsi quis contendat esse de momento ad momentum requisitum annum 16. non cogit; quia Tridentin. *sess 25. de Regularibus cap. 15.* id decreuit in fauorem minoris ætatis, sicut aliquid simile decernitur *Iure Ciuili L. minorem ff. de minoribus*; ætas verò in nostrâ materiâ assignatur in fauorem matrimonij. Accedit quod sponsalitius & matrimonialis contractus & promissio est longè inferior statu Religioso; non mirum ergo quòd pro Religione strictius requiratur terminus præscriptus. Adde etiã ibi quoque esse fauorem ipsius Religionis, vt ætas strictè habeatur completa, eâque ratione fit exactius perfecta deliberatio, & iudicium Religiosi.

Perez. Basil Pon. *Recentiores.* Alexand. de Neuo. Couarruu. Sanchez. *Alij apud Sanchez. Probabilis prior opinio. Explicatur auctoritas Tridentini supra citati.*

250. *An in sponsalibus malitia suppleat ætatẽ.*

Iam verò difficultas est; an in sponsalibus malitia suppleat ætatem, sicut in matrimonio contingit. In quo (vt constat *ex c. Continebatur & c. de illis & c. final. de desponsat. impub.*) malitia supplet ætatem id est, etiamsi non adsit ætas generaliter præscripta à iure, malitia contrahentium causa esse potest vt etiam iure positiuo validus sit contractus. Quid autem nomine malitiæ intelligatur in matrimonio, posteà dicemus. Quod verò attinet ad sponsalia, *malitia* nihil aliud est quàm vsus rationis perfectus. Quærimus ergo an, quando ante septennium est vsus rationis perfectus, valeant spõsalia contracta ante illud? In quâ re duæ sunt oppositæ satis probabiles sententiæ.

Status quæstionis & sensus illius.

251. *Prima sententia affirmans.*

Prima sententia affirmat. Ita Sanctus Thomas 3 *part. quæst. 42. art. 2.* Sotus *in 4. distinct. 27. quæst. 2.* Sanchez *disp. 16. nu. 9.* Basilius *suprà.* Coninc *disp. illâ 21. dub. 5.* Rebell. *suprà* Reginaldus *lib. 13. n. 248.* Naldus *verbo sponsalia num 3.* Camerota *de matrimon. c. 2. dub. 12.* Cardinalis Tuscus *tomo 7. conclus. 401. num. 12.* referens Baldum *cons. 41.* Sà *verbo sponsal. num. 1.* & alij multi Recentiores. Pro qua sententia innumeros alios refert Sanchez. Quibus adde Martin. Perez *supra sect. 6. num. 2.* Ratio vero sumitur primo ex iuris consulto *L. in sponsalib. l. a. 1 ff. de sponsalib.* vbi ait satis esse sponsos quid agant intelligere: ergo, si puer præcocis ingenij, & iudicij, quid in hoc contractu agat ante septennium intelligat, valebit. Secundo probatur; quia sponsalia sunt via, & dispositio ad matrimonium. Vnde eò ipso quod ius disposuit in matrimonio malitiam supplere ætatem, idem dicendum erit de sponsalibus.

Sanctus Thomas. Sotus. Sanchez. Basil. Pon. Coninc. Rebellus. Reginald. Naldus. Camerota. Tuscus. Baldus. Sà. *Alij multi.* Perez. *Probat. 1. Ratio petita ex iure Ciuili.*

Alia ratio.

252. *Secunda sententia negans.*

Secunda sententia negat. Ita sentiebat olim Vazquez de hac re interrogatus & expressè docent alij multi. Abbas *c. iuuenis de sponsal. nu. 5. & c. Gemma num. 6. eodem tit.* Socinus *cons. 3. volum. 1.* Rosella *verbo impedimentum* Angel. *verbo sponsalia & matrim. 3. impedimento* 14. Brunel. Hostiensis Archidiaconus, Dominicus, Henricus relati à Sanchez suprà num. 8. Hurtado *disp. 1. diffic. 14. num. 61.* afferunt verò aliqui *cap. litteras de desponsatione impub.* Vbi Alexander III. declarat posse puberem, qui puellam minorem septennio sibi desponsauerat, ducere matrem puellæ, quia iuxta Glossam tales desponsationes nullæ sunt infra septennium, alioquin interfuisset impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus cum puellâ. Adde quod vbi certa ætas iure designatur, nequit præueniri. Neutrum argumentum probat. In priori sermo erat de puellâ nondum habente vsum rationis; in posteriori iuxta suprà dicta intelligendum est, si non sit ratio excipiendi, quam esse à simili de matrimonio, & testamento diximus, & dicemus, quæ exceptio, vt dictum est, non habet locum in professione Religiosâ. Probant etiam, quia aliàs dispositio iuris præscribens septennium esset frustra; nam ex vnâ parte, quando est vsus rationis perfectus ante septennium iuxta contrariam opinionem, validè fiunt sponsalia; ex aliâ verò parte; quando non est talis vsus rationis, etiam post septennium completum, non fiunt validè sponsalia; ergo ad nihil deseruit dispositio prædicta iuris, quia si malitia supplet ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt siue sit dispositio siue non.

Nullæ sunt infra septennium, alioquin interfuisset impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus cum puellâ. Adde quod vbi certa ætas iure designatur, nequit præueniri. Neutrum argumentum probat. In priori sermo erat de puellâ nondum habente vsum rationis; in posteriori iuxta suprà dicta intelligendum est, si non sit ratio excipiendi, quam esse à simili de matrimonio, & testamento diximus, & dicemus, quæ exceptio, vt dictum est, non habet locum in professione Religiosâ. Probant etiam, quia aliàs dispositio iuris præscribens septennium esset frustra; nam ex vnâ parte, quando est vsus rationis perfectus ante septennium iuxta contrariam opinionem, validè fiunt sponsalia; ex aliâ verò parte; quando non est talis vsus rationis, etiam post septennium completum, non fiunt validè sponsalia; ergo ad nihil deseruit dispositio prædicta iuris, quia si malitia supplet ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt siue sit dispositio siue non.

Prebant primò ex iure Canonico Alexand. Papa III. *Probant secundo. Neutrum argumentũ probat.*

Probant tertiò ab inconuenienti quia esset iuris dispositio superuacanea.

Hæc tamen ratio, cui aliqui plurimum tribuunt, mihi non videtur admodum firma; responderi enim potest inprimis non esse eam dispositionem iuris supervacaneam & licèt circa sponsalia non sit ea expressa dispositio iuris; sed circa matrimonium (de quo posteà dicemus) tamen ad sponsalia probabiliter eam extendunt Auctores primæ sententiæ, quia sunt (vt dicebam) quædam via, & inchoatio quædam Matrimonij.

253. *Non satis firma prædicta ratio.*

Porrò non esse supervacaneam facilè ostenditur, si dicamus factam fuisse à iure pro casibus dubiis, ita, vt, si constet satis ante illud tempus adesse malitiam, id est vsum rationis, valeant sponsalia & malitia suppleat ætatem. Si verò constet, etiam post talem ætatem non adesse vsum rationis iure naturali absque vllâ dispositione iuris positiui non valeant. Quando verò dubium sit, an tempore sponsalium habuerint contrahentes vsum rationis, iudicetur iuxta iuris dispositionem, scilicèt, si nondum expleuerant septẽnium, præsumatur non habuisse vsum rationis; quia quando non satis constat de tali malitiâ, seu vsu rationis, si nondum adsit præscripta ætas; præsumitur non adesse malitia; si verò iam ætas adsit, malitia quoque adesse præsumitur secundum iuris dispositionem.

254. *Cur non sit supervacanea.*

Probant deinde secundam sententiam ratione à priori, vt ipsi putant; quia nimirum in Matrimonio

255. *Ratio quam putant à priori.*

trimonio tantùm posita est à iure prædicta exceptio; non in sponsalibus; ergo absque iure affirmatur de sponsalibus, imò contra ius ipsum absolutè, & absque exceptione requirens septennium ad sponsalium valorem.

256. *Respondetur prædictæ rationi.* Respondetur tamen expresè quidem solum in matrimonio positam esse eam exceptionem à iure, per consequentiam verò quandam satis probabilem eam exceptionem extendi ad inchoationem matrimonij, qualia sunt sponsalia. Quomodò autem sit intelligenda exceptio illa in matrimonio posteà dicemus.

257. *Vtraque sententia probabilis, præfertur tamen prior.* Propter dicta, quamuis vtramque sententiam satis probabilem putem, priorem existimo præferendam vtpote magis communem magisque rationi, iurique conformem.

258. *Sanchez & alij apud ipsum explicant modo prædicto ius præscribens septennium.* Quod autem ius ideò præscribat septenniũ, vt in eâ ætate, nisi contrarium manifestè appareat, præsumatur rationis vsus in puero, secus verò ante illam ætatem; docent Sanchez *supra num.*10. Ioannes Andræas, Ancarranus, Alexander de Neuo, Henricus, & Ludouicus Lopez ab eodem Sanchez ibi relati.

259. *Ante septennium nõ valent sponsalia, nisi probetur vsus rationis secus posteà.* Ex quâ doctrinâ habemus (vt ex Henrico notauit idem Sanchez num.11.) ante septennium non esse sponsalia, nisi probetur contrahentes esse doli capaces, post septennium verò valida esse, nisi probetur non esse doli capaces.

260. *Sufficit quod vnus sit minor septennio vt non valeant in casu dicta sponsalia, nisi ratificentur. Probatur ex iure Canonico.* Habemus præterea, quod cum sponsalia sint promissio mutua non solùm, si vtrèque, sed, si vnus contrahentium, sit minor septennio, & malitia non suppleat ætatem, sponsalia non sunt valida; nisi post legitimam ætatem expresè vel tacitè ratificent, & definitur *c. ex litteris, & cap. Accesit de desponsatione impub.* & *c.vnico in principio* & §. *Porro eodem tit. in 6.* docetque Sanchez supra in principio alijque communiter.

Sanchez. *Alij communiter.* De modo autem dignoscendi ratificationẽ non est cur multa dicamus; multa enim pendent ex prudenti iudicio, quamuis Auctores aliqua signa huius ratificationis assignare conentur. Atque in primis, vt ratificatio in legitima ætate locum habeat, supponi priùs debet notitia in ipsis contrahentibus sponsalium tempore infantiæ initorum; alioquin non erit consensus rei ignoratæ? nihil enim volitum, quin præcognitum. Item requiritur, quòd norint sponsalia illa tempore infantiæ celebrata fuisse nulla; si enim ex errore putantes esse valida ea ratificent; nihil agunt, error enim tollit consensum *l. si per errorem* ff. *de iurisdict. omn. Iud.* & notat Francus ibi; probaturque à simili de professione inualidâ, quæ, vt firmetur per actus inducentes tacitam professionem requiritur, vt profitens nouerit priorem professionem fuisse nullam, velutque eis actibus eam ratificare; vt docet Nauarrus *lib.3 consilior.consil.1.de Regularib. in prima editione* & *cons.*36.*num.*3.& *cons.*37.*nu.*2. in secunda verò *cons.*35.*num.*4. legatur Sanchez *supra num.*7. Hoc autem supposito in sponsalibus signum ratificationis erit, si aduenientes legitimâ ætate contrahentes simul habitent. vt habetur *c.vnico* de *desponsat.impub.in 6. in principio*; sufficit autem si hæc habitatio sit in domo viri, vel feminæ, vel cuiuscumque, vt cum aliis docet Sanchez *supra num.*6. quod si non simul habitent non intelliguntur consentire; nisi vel de nouo mutuò spondeant, vel aliquid faciant, quod communiter censeatur modus secum agendi, tanquàm qui sunt sponsi, vt, si oscula, tãquàm spousi impingant, vel mittant sibi munera, quæ ab sponsis mitti consueuerunt, & se, vt tales mutuò visitent. Legatur Sanchez loco citato. Legantur etiam quæ dicemus *dub.*21. in sponsalibus factis à Parentibus.

Nauarr. Sanchez *Signum est simul habitare. Probatur ex iure Canonico.*

Sanchez. *Alij*

Difficultas etiam est apud Auctores; an maior vsus rationis requiratur ad sponsalia, quam vsus rationis, qui requiritur ad peccatum mortale.

262. *An vsus rationis pro sponsalibus maior quam ad mortale requiratur.* Non consentiunt Auctores, quidam affirmant maiorem requiri. Ita D. Thomas *in 4.distinct.*27.*quæst.*2.*art.*2.*ad* 2. Henriquez *lib.*11. *c.*3. *num.*9. Ludouicus Lopez 2. *p. instructorij c.*37. *de Matrim.* Petrus de Ledesma *de Matrim. quæst.*43. *art.*2.*dub.*1. Gutierrez *c.*2.*n.*12. Rebellus 2. *p.li.*4. *q.*5.*nu.*1. Bonacina *q.*1. *puncto* 4. probant; quia ad peccatum mortale sufficit consensus & aduertentia mali præsentis; ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum, cum sponsalia sint promissio futuri matrimonij. Negari verò non potest; quin maior rationis vsus ad prouidentiam futurorum requiratur, quam ad consensum alicuius actus præsentis.

263. *Affirmans sententia.* D. Thom. Henriq. Ludou. Perez. Petrus Ledesma. Gutierrez Rebellus. Bonacina. *Ratio.*

264. *Probabilior opposita sententia. Multi postea referendi.* Perez. Mæratius. *Ratio.* Opposita sententia est probabilior, scilicèt, sufficere vsum rationis, qui satis est ad culpam mortalem. Ita docent non pauci citandi paulò post inter quos Mæracius quem refert & sequitur Martin. Perez *sect. illa 6.num.*3.& 4. Ratio est petita à simili de voto solemni ordinis Sacri, & de voto simplici Religionis, quorum obligatio maior est, quam sponsalium, & magnæ difficultatis in obtinendâ dispensatione, cùm tamen sponsalia possint ab impubere facta tempore pubertatis reuocari. Vlterius contra fundamentum prioris sententiæ facit; quòd si tanta futurorum prouidentiâ requireretur, quantam ea sententia postulat, incautè præscriptum esset à iure septennij tempus, in quâ tenerrimâ ætate nondum habet puer sufficientem præsentium prouidentiam, nedum futurorum; immò vix tunc incipit esse lethalis culpæ capax. Signum ergo est solùm requiri eum vsum rationis, qui sufficiat ad cognoscendam obligationem quam suscipit seruandam aut implendam in posterum, perinde etiam capax est præcepti; Ideò semper in vsu rationis sufficienti ad peccatum mortale includitur capacitas obligationis præcepti, in quâ semper inuoluitur aliquid in tempus futurum, & hoc sufficit. Ideo hanc sententiam sequuntur Sanchez *suprà n.*16. & alij multi, quos ipse retulerat priùs *n.*9. absolutè docentes vsu rationis præueniente posse sponsalia cõtrahi ante septennium validè.

Sanchez. *Alij multi.*

265. *Quanto ante septenniũ vsus rationis anticipatus sufficiat.* Quamuis autem multi nobiscum sentiant: malitia, id est vsu rationis præueniente septennium, valere sponsalia, adhuc dubitant; an illa anticipatio debeat esse proximè ante septennium, vel sufficiat, si fortè in aliquo casu, aut viâ ordinariâ aut per miraculum acceleretur vsus rationis longè ante septennium.

266. *Quidam putant requiri ætatẽ septennio proximam, præter vsum rationis. Probant.* Aliqui putant exigi ætatem septennio proximam, nec sufficere, vsum rationis longè priùs habitum. Probant primò; quia ideò ius requirit completum septennium, vt id exigatur, vel saltem id, quod moraliter potest dici septen-

septennium, quale est tempus proximum.

267. *Non plures ratio.*

Hæc tamen ratio nullius momenti est: solùm enim requirit hoc tempus, quia in eo cõmuniter aduenit rationis vsus.

268. *Probant 2. à simili de Matrimonio.*

Probant 2. quia in matrimonio non satis est, quòd malitia suppleat ætatem, hoc est (iuxta eorum sententiam) quòd potentia generatiua ante pubertatem reperiatur. sed etiam vltra requiritur prudentia ad coniugalem consensum, qualis non esse solet longe ante annos pubertatis; ergo similiter in sponsalibus non satis erit vsus rationis; sed talis quasi in septennio vel proximè aduenit. Pro hac sententia refert plurimos Sanchez *suprà* 13.

269. *Probabilius est valere in quauis ætate, si adest vsus rationis.* Sanchez. Neuo. *Alij.* Perez. Meratius. *Probatur.*

Probabilius existimo tamen, valida esse sponsalia in quacumq; ætate contracta sint, si vel viâ ordinariâ, vel miraculosè, adsit vsus rationis. Ita Sanch. supra n. 14. referens Alexand. de Neuo, & alios Martin. Perez *supra* Mæratius apud ipsum & alij Recentiores. Ratio vero est, quia septennium à iure tantùm præscribitur, quia in eâ ætate præsumitur aduenire vsus rationis iuxta supradicta: ergo; si in quacumque ætate ante septennium vsus rationis aduenerit, erunt vera sponsalia; neque maior est ratio de proximis septennio, vel multò minoribus, si eodem modo rationis vsu gaudeant.

270. *Reiicitur ratio petita à simili de Matrimonio.*

Nec est simile id, quod dicebatur de matrimonio; nam matrimonium semel contractum dissolui non potest. Vnde nõ mirũ quod vltra potentiã generandi requiratur discretio & prudentia. Sponsalia verò ab impuberibus cõtracta possunt dissolui alterutro reclamãte, quãdo venit ad pubertatẽ. Vnde credibile est, quòd ad ea cõtrahenda sufficiat quicumq; vsus rationis, qui satis sit ad mortale. Omitto leuiores alias rationes, pro & cõtra quę videri possũt apud citatos.

271.

Restat vlteriùs examinandũ, an peccatũ mortale sit sponsalia ante septennium contrahere, aut matrimonium; sed de hoc dicemus postquã dictum sit de ætate requisita ad matrimonium.

272. *Quæ ætas requiratur ad matrimonium?* S. Thom.

De ætate ergo ad matrimoniũ requisita certũ est in iure requiri ad valorem matrimonij in masculis 14. ætatis annum, in feminis verò duodecimum; quia, vt notat S. Thomas *in* 4. *dist.* 27. *q* 2. *art.* 2. cùm requiratur potentia generandi hæc tardius in masculis reperitur constat ex *c. Puberes* & ex *c. continebatur*, & ex *c. Attestationes*, & ex *c. ex litteris de desponsat. impuber.* iure autem naturali non dirimitur matrimonium. si aliàs sit sufficiens vsus rationis, etiam in minori ætate; sunt enim ex naturâ rei apti obligari contrahentes eo ipso, quod habeant perfectum rationis vsum, etiamsi tunc nondùm habeant potentiam generandi, habituri tamen posteà, perinde, atque non dirimit matrimonium morbus, qui reddat hominem inhabilem per multum tempus ad copulam, sicuti notauit Henriquez *lib.* 12. *c.* 7. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 104. *n.* 10. & multi alij.

Probatur doctrina ex iure Canonico.

Henriq. Sanchez. *Alij multi.*

273. *Si malitia suppleat ætatem, omni iure valet matrimonium. Varia sententia quid in hac re intelligatur nomine malitiæ*

Quando autem adest malitia supplens defectum ætatis non solùm non iure naturali, sed, nec positiuo dirimitur, aut impeditur matrimonium, vt constat ex *c. Continebatur* & ex *c. de illis* & ex *c finali de desponsatione impub.* Nomine autem malitiæ intelligitur in hoc non tantùm vsus rationis, sed etiam perfecta potentia cognoscendi, vt constat ex *c. Continebatur*, & ex *c. de illis.* Quando vero ante dictam ætatem dubitatur, an malitia suppleat ætatem, præsumendum est non adesse talem malitiam, atque adeò non posse matrimonium celebrari. Quando verò dubitatur post ætatem præscriptam, præsumendum est adesse. Vnde asserenti malitiam supplere ætatem incumbit onus probandi: habet enim præsumptionem contra se, è contra verò, si quis asserat post completam legitimam ætatem non esse potentiam, illi incumbet onus probãdi quia præsumptionem habet contra se. Ita cõmuniter Doctores, quos sequũtur, & referunt Rebellus *lib* 3. *q.* 16. Sãchez *lib.* 7. *disp.* 24. *num.* 4. vbi à *num.* 24. affert aliquas coniecturas ad cognoscendum malitiam supplere ætatem, sicut & Henriquez *lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 11. Sylvest. *Matrim.* 5. *q.* 3. Cardinalis Tuscus *tomo* 5. *conclus.* 125. *num.* 4. Legantur maximè Sanchez qui multa remittit quod attinet ad potentiam generandi arbitrio iudicis considerantis habitudinẽ, & dispositionem morborum & patriam in quâ natus est puer. Sæpe enim contigit in aliquibus regionibus calidiores pueros nasci. Item videndum esse; an conatus fuerit ad copulam, vel illam habuerit: Medici quoque iudicium multum in hac re valebit.

Quando in casu dubij præsumatur adesse, vel non adesse?

Rebellus. Sanchez. Henriq. Sylvest. Tuscus.

Vnde sumenda coniectura in hac re.

274. *Non fuit inutilis lex circa hoc lata, quidquid alij dixerint.*

Ex tradita doctrina patet non fuisse inutilem prædictam legem, licèt fortè quis existimet nulli vsui deseruire, quia nimirum, si generandi potentia ante completam ætatem adueniat simul cum sufficienti vsu rationis; supplet ætatem & facit vt initum matrimonium valeat, sine quibus etiam post legitimam ætatem non valebit; ergo inutilis videri posset prędicta lex. Ast non est inutilis; sed maximè potest deseruire, sicut supra dicebamus de malitia supplente ætatem in contractu sponsalitio; deseruit enim, vt, si ante præscriptam ætatem adsit malitia prædicta, valeat matrimonium, si verò dubitetur, præsumatur ante eam ætatem nõ adesse; post eam verò ætatẽ, etiãsi dubitetur, an adsit præsumatur adesse; nisi contrarium probetur, vt notauit Sanchez citat. *disp.* 104 *num.* 4.

Sanchez.

275. *Quid aliqui sentiant de significatione vocis malitia.*

Quamuis autem aliqui non pauci nomine malitiæ solum intelligant generandi potentiam, quos refert Sanchez eâdem disput. 104. ipse tamen cum multis alijs putat nomine malitiæ supplentis ætatem simul cum potentiâ ad copulam comprehendi prudentiam requisitam ad intelligendam cõsensus coniugalis vim, quæ doctrina videtur probabilior, eamque probat *ex c. finali de desponsat. impub.* Vbi hæc malitia ætatem præueniens nuncupatur prudentia; deinde ex *c. continebatur eodem titulo*, vbi textus ponderat copulam cum ætate pubertati proximâ, vt impuberis matrimonium valeat, quam ætatem minimè ponderaret, si sola potentia ad copulam sufficeret; ponderatur autem ætas, eo quòd discretio ad matrimonium necessaria præsumatur, ex ætate pubertati proxima. Ideò pro hac sententia sunt quam plurimi Auctores quos refert & sequitur Sanchez *n.* 21. & alij posteriores.

Probabilior ea expositio.

276. *Argumenta quorumdã ad eam expositionem probandam.*

Aliqui ex prædictis contra alios, qui existimant nomine malitiæ tantùm intelligi vsum rationis, seu discretionem requisitam ad contractum matrimonij, probant nomine malitiæ intel-

intelligi simul potentiam actualem ad copulam; quia, si sola discretio requireretur inutilis esset lex; nam sine tali discretione nunquàm valeret contractus, etiam post ætatem lege præscriptam; cum tali autem discretione, spectato solo iure naturali, etiam ante illam ætatem valet: ergo ad nihil deseruit lex cum eodem modo valeat, aut non valeat, etiamsi lex non fuisset lata.

277. *Non est efficax præditum argumentum.* Hoc argumentũ nullius momenti est, respondeti enim potest, sicut respondimus pro contractu sponsalitio, nimirum legem deseruire pro casibus dubiis, vt scilicet, quando dubium est; an, adsit discretio sufficiens præsumatur adesse, quando iam est ætas lege prescriptâ: præsumatur verò non adesse, quando nondũ est ætas. Quare; nisi ex textibus constaret nomine malitiæ inuolui etiam potentiam generandi, facilè irem in

278. *Illatum 1. in minori puero ante septimũ annũ non quæuis discretio sufficit ad matrimonium.* Sanchez. *Alij plures.* sententiam, quæ asserit nomine malitiæ etiam in contractu matrimonij intelligi vsum rationis, sufficientemque discretionem ad contractum matrimonij.

Ex dictis infertur contra Hostiens. & Card. apud Sanch. n.22. puerum minorem septennio & vsu rationis fruentem capacemq; generandi non esse matrimonij capacem, nisi in eo infante adesset quoq; maxima discretio. Pro quâ sentẽtiâ refert plures alios Sanchez. Ratio est; quia vtrumq; intelligitur à iure nomine malitiæ.

279. *Illatum 2. solus vsus rationis & prudentia non supplet ætatem sine potentia actuali generandi.* Infertur 2. nec prudentiam solam supplere ætatem, sed requiri simul actualẽ potentiam generandi; quia hoc requirit ius positiuum, vt vidimus; neque obstat quod spõsalia valeant ante septennium dũmodò adsit rationis vsus; quia ad matrimonium expressè requiritur iure positiuo potẽtia actualis generãdi, vt dictum est. Præterea non quiuis vsus rationis sufficit ad matrimonium, sicut ad sponsalia; nã cùm sponsalia adueniente pubertate solo puberis consensu cassari valeant, non est necessaria tanta discretio, ad sui valorem, quanta ad matrimonium vt cum multis docet Sanchez citat. disp. 104. n. 23.

Cur maior prudentia requiratur ad matrimonium quam ad sponsalia?

280. *An ætas requisita debeat esse Mathematicè completa? Negans sententia.* Rebellus. Veracruz. Ledesma. *Alij.* Gutierrez. Bonacina. Tuscus. *Quantus defectus non obstet.* Diana. Restat adhuc disputandum. An ad valorem matrimonij requiratur prædicta ætas Mathematice? Multi negant requiri; sed sufficere completã moraliter. Ita Rebell. *lib.3.q.16. sect.2.* Veracruz *in speculo 1.p.art.16.* Ledesma & alij apud Gutierr. quem refert, & sequitur Bonacin. *q.1. punct.4.n.11.* Card. Tuscus *tom.5. concluf.125.nu.8.* qui omnes asserũt sufficere moraliter completam ætatem, quamuis non omnes consentiant, in assignando breui illo tempore ante ætatem Mathematicè completam; quidam enim assignant tres dies; alij duos, alij etiam decem. Rebellus vnum aut alterum mensem quod nimis multum videtur Dianę *5.p.art.Tract.5.resol.16.* & alijs apud Dianam *3. p.resolut.277.* iuxta illud principium, de quo iam supra diximus in ætate requisitâ ad sponsalia, scilicèt quòd parum distat nihil distare videtur.

281. *Sententia affirmans. Quoad numerum dierum tãtum.* Sanchez. Coninc. Basil. Pont. Alij vero putant requiri ætatem Mathematicè cõpletam saltem quo ad numerum dierũ, quãuis quod attinet ad vltimam diem. ita philosophentur, atque philosophati sumus de ętate ad sponsalia. Ita Sanchez *lib.7.disp.illa 104.* Coninc *disp.illa 21.n.55.* Basilius *lib.7.c.65.& alij.*

282. *Aliqui etiã vltimam diem completam exigunt.* Basilius. Perez. Alij vero ita Mathematicè completam requirunt eam ætatem vt non sufficiat inceptum esse vltimũ diem, quod videtur docere Basilius citatus; cum tamen (vt supra vidimus) agens de ętate ad sponsalia, dixerit sufficere vltimũ diem septennij esse inceptum. Idem docet Martin. Perez *disp.37.sect.12.n.4.* quod quâ ratione cõgruat cum iis quæ dixerat *disp.6.sect.6.nu.6.& 11.* non video quia in vno loco agnoscit vim argumẽti à simili de testamento; in alio verò negat & omnia dicit agens de fauore matrimonij.

283. *Eadem ratio quoad hoc est in matrimonio atque in sponsalibus. Arithmeticè sufficit esse impletũ numerum dierum licet vltimus dies non sit expletus. Cur cautè in hoc procedere oporteat.* Mihi videtur eodẽ modo philosophandũ esse de ætate ad matrimonium; atque de ætate ad sponsalia propter eãsdem omnino rationes, & fundamenta, atque adeò sufficere Arithmeticè compleri dies prædictorum annorũ, scilicet in feminâ vltimam diem anni duodecimi, & in viro decimi quarti, & in hoc admitto axioma quod parum distat nihil distare videtur, ad hoc autẽ sufficit, vltima dies incepta: tamen vt verũ fatear, ego non consulerem vt tunc fieret. Nam in re tã graui & in quâ agitur de valore non est ita operandũ, atque si tantùm ageretur de actu licito alioquin valido. Cùm enim multi dicant probabiliter non valere, poterit alter coniux secutus eã opinionẽ resilire, ac multæ turbationes, & scandala sequi possent. Adde quod, quando de valore agitur, quia ius inhabilem aliquẽ reddidit ad aliquem actum, strictiùs debet conditio à iure requisita impleri, quàm, si tantùm prohiberet actum ne fieret, quia tunc vi opinionis probabilis, licitè fieret, & certò actus esset validus. Vt interim omittam difficultatem generalem in materia Sacramentorum non admittendi materiam dubiam si potest haberi certa. In casu tamen necessitatis, vt quando est periculum mortis vnius coniugis, & esset periculum famæ alterius, tunc fieri potest, sequendo probabilem sententiam.

284. *Quantum ætatis supplere possit malitia.* Adhuc restat nõnihil dicere circa malitiã supplentẽ ætatẽ, quanto scilicèt tẽpore ante prædictam ætatem possit malitia illam supplere.

285. *Non quodcumque tẽpus potest supplere, sed proximum.* Cõmuniter supponunt Auctores, nõ quocũque tẽpore ante eam ætatẽ habere locũ id, quod dicitur de malitia ætatẽ supplente; sed tantum tempore proximo ante eam ætatẽ; ita, vt si tempore proximo ante pubertatẽ discretio & potentia generandi adsit, ea malitia suppleat ætatẽ, quo supposito disputant, quodnã censendũ sit tẽpus proximũ pubertati, vt malitia suppleat ætatẽ? Hac de re late disputat Sanch. *lib.7. disp. illâ 104.n.37.* & latius Menoch. *lib.2. de arbitrar. centur. 1.casu 57.a.num.20.* Porrò aliqui solum in eâ ætate proxima ante pubertatem posse supplere ætatem à malitiâ dicunt colligi ex *citato cap. continebatur* & *c. de illis* quod tamen non video, quâ ratione tam clare colligatur, vt ipsi putant, immò, si merè ratione agamus, non video cur debeat præscribi tempus proximum tali pubertati, quin in hac re philosophandum sit, sicuti cum Sanchez & aliis *suprà* philosophati sumus de ætate ad sponsalia, sicut enim ibi diximus, si vel via ordinaria vel per miraculum multò ante septennium adesset malitia, ideſt vsus rationis, illam malitiam supplere ætatem, eodem modo consequenter dicendum esset in matrimonio, nempe, si viâ ordinaria vel per miraculum multo

Sanchez. Menoch.

Aliqui non satis colligũt ex aliquibus textibus iuris Canonico.

Ratio merè non probat aliter de matrimonio atque de sponsalibus.

ante

ante annos pubertatis adesset tum potentia generandi, tum discretio requisita ad contractum matrimonij sufficere hanc malitiam, vt suppleat ætatem. Neque aliud colligitur ex *c. De illis* & 2. neque ex *c. Puberes* nec ex *cap. vltimo de disponſ. impuber.* imò Sanchez citatâ disputatione 104 *numer.*5. absolute affirmat validum esse matrimonium ante ætatem iure præscriptam initum ; si tunc adsit potentia generandi , & sufficiens discretio ad se obligandum, quia ideò ius ætatem præscribit, quòd præsumat tunc pueros , & non anteà habere sufficiens iudicium , & potentiam generandi ; quando ergo (inquit Sanchez) anteà hæc adesse constat , cedet præsumptio veritati , & ita videtur sentire Martinus Perez *disputat. illa* 37. *sect.*12.*num.*5.

Sanchez.

Perez.

286. Quamuis hæc ita sint, si præcisè ratione agamus; quia tamen video communiter Doctores (paucis exceptis) sentire tempus, in quo possit malitia supplere ætatem , non debere esse admodum distans à pubertate sed propinquum; explicare oportet , quodnam censeatur tempus propinquum; in quâ re Sâch. à *n.illo* 37. quatuor refert sententias prima assignat sex menses : secunda tempus circa finem ipsius ætatis. Tertia dicit esse proximum tempus pubertati , quando masculus excessit annum decimum cum dimidio, & puella nonum cum dimidio, quia à fine infantiæ vsque ad pubertatem restant in puero septem anni. Vnde qui excedit decimum cum dimidio iam excedit huius temporis medietatem. Idemque argumentum fieri potest in femella respectu distantiæ à fine puritiæ vsque ad pubertatem. Quarta docet arbitrio iudicis relinquendum esse, quam sequitur Sanchez cum multis. Hæc sententia mihi placet, ita, vt iudex ad arbitrandum , non tàm annorum numerum, quàm personæ conditionem actusque qualitatem spectet. Item regionis qualitatem , in qua impubes natus est; sunt enim regiones , quæ calidiores pueros procreant , quam aliæ & legi potest Sanchez *num.*29. vbi plura signa congerit, vt iudex possit arbitrari.

Communiter non putatur debere esse multũ.

Quatuor sententia circa hoc. Prima. Secunda Tertia.

Quarta & vera arbitro prudentis relinquit iudicis. Sanchez. *Multi alij.*

287. Illud saltem iure constat in *c. continebatur citato* nimirum vnum annum circiter non videri nimis procul, sed posse tunc malitiam supplere ætatem. Vnde puella , quæ habet vndecim annos completos , & puer , qui tredecim, poterit tunc validè contrahere , si malitia suppleat ætatem.

288. Cur autem ius prædictum annum decimum quartum in masculis , & duodecimum in femellis assignauerit , constat ex eo factum esse; quia in illâ ætate præsumuntur & habiles ad copulam , & sufficienti iudicio pollentes ad contrahendum. Cur verò citiùs pubescant feminæ, quam viri , late & erudite tractant Tiraquellus *lib.6.connub. num.*38. & Gutierrez *Authenticâ Sacramenta puberum num.*1 *&* 2.*(si aduersus venditorem.*

Tiraquell. Gutierr.

289. Vtrùm autem Episcopus possit in casu vrgentissimæ necessitatis dispensare vt matrimonium contrahatur ante dictam ætatem , suo loco disputabitur , quando agetur de dispensationibus , & quidem satis probabile est posse; quia vt notat Henriquez *lib.*11. *cap.*3. *num.*12. & alij ius præsumitur concedere Episcopo facultatem dispensandi in huiusmodi casu consentit Perez citandus. De iure verò naturali si non extaret positiuum , facilè consentio cum Martino Perez *sect.illâ* 12. *num.*6. valere matrimonium impuberum si adsit vsus rationis, etiamsi ad tempus careant potentia coëundi ideò valet inter non Baptizatos.

Quid in hoc possit Episcopus? Remissiuè.

Henriq. *Probabiliter ait posse.* Perez.

DVBITATIO XX.

An contrahentes sponsalia vel matrimonium ante legitimam ætatem peccent mortaliter.

290. *Ratio dubitandi ex iure Canonico.*

RAtio dubitandi in hac re , fundamentum habet *in c.2.de desponſ.impub.* ibi *districtius inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem Canonibus determinatam non peruenerint , coniungantur ; nisi fortè aliquâ vrgentissimâ necessitate interueniente, vtpote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.* Quibus verbis grauis procul dubio prohibito continetur, quidquid aliqui dicant. Priùs autem de sponsalibus deinde de matrimonio disputabimus.

Dubium est tàm de sponsalibus quàm de Matrimonio.

291. *Circa sponsalia multorum sententia est esse mortale.*

Circa sponsalia multi, & graues affirmant esse peccatum mortale. Ita Nauarrus c.22. nu.31. Sylvest. Matrimonium 5.q.6. Rosella verbo impedimentum Henriq. lib.11.c.13.n.13. Rebellus suprà , & alij nisi id exigat bonum pacis iuxta dictum in textu citato. Idem sequitur Bonacina q.1.puncto 4.num.6. Probant vero; quia faciunt contra dictam legem in re grauí.

Nauarr. Sylvester. Rosella. Henriq. Rebellus. Bonacina.

292. *Nõ est mortale saltem propter ætatis notitiæ defectum.*

Ego tamen non possum non mirari tot viros doctos velle ad peccatum mortale obligare infantulos , qui vel non tenentur Legibus Canonicis in eâ ætate, vel non habent sufficiens iudicium, & notitiam legis.

293. *Neque si essent sufficientis iudicij tenentur sub mortali.*

Sed quidquid sit de hoc, verius puto non teneri sub aliquo peccato, etiamsi alioquin essent capaces talis præcepti , quia in prædicto *c.* non agitur de sponsalibus , sed solum de matrimoniò ; quamuis enim sponsalia ante septennium facta irritentur si non fiant cum sufficienti vsu rationis, nullibi tamen prohibentur; nam in textu citato solùm agitur de matrimonio. Ita Sanchez *lib.1.disp.17.n.*4. Gutierrez *c.2.nu.*14. *&* 15. Coninc *disp* 21.*num.*54. Basilius *lib.*12.*cap.*5. & alij apud citatos Martin. Perez disp.5.sect.67.n.2.& posteriores alij secuti Hurtadum *disputat.*1. *distinct.*14.*num.*62.

Ex iure non colligitur. Sanchez. Gutierr. Coninc. Basilius. *Alij apud illos Perez. Alij posteriores.* Hurtad.

294. *Ex defectu valoris non probatur culpa mortalis.*

Quod autem sponsalia facta ante ætatem requisitam non valeant , non probat esse peccatum mortale maximè, quia, si pueri habẽt vsum rationis, valide contrahunt; si non habent non possunt peccare. Omitto probationes leuiores, quibus aliqui vtuntur.

295. *Non peccant etiam parentes desponsando impuberes.*

Ex eâdem doctrina constat , nec parentes peccare desponsando impuberes filios ; quia nullibi prohibitum est. Ita Auctores citati pro nostrâ sententiâ.

296. *An idem sit in Matrimonio.*

Tota ergo difficultas restat circa matrimonium, circa quod Auctores citati pro sententiâ, quæ affirmat in sponsalibus à fortiori quoque affirmant in Matrimonio propter dictum

cap. 2. cuius verba retulimus in principio, quæ saltem de Matrimonio intelligi debent, & præceptum continere videntur; illa enim verba *districtius inhibemus* grauem prohibitionem sonant vt docent multi, quos refert Sanchez disput. illâ 17. num. 2. quibus adde Rebellum *lib. 4. quæst. 5.* Coninc *disput. 21. num. 54.* & Basilium suprà citatum. Rationeque probari potest. Primò quia est prohibitio in materia graui. Secundo quia cum matrimonium sit Sacramentum, infertur iniuria seu magna irreuerentia Sacramento: redditur enim irritum ætatis defectu. Quæ sententia satis probabilis est, eamque temperant Angelus, Sylvest. Paludanus, Tabiena relati à Sanchez & alij supra citati, nisi ex Episcopi licentia, & iusta causa interueniente (vt in ipso Textu dicitur) Matrimonium ante legitimam ætatem celebratum.

Multi apud Sanchez putant esse præceptum. Rebellus. Coninc. Basil. *Ratio 1. Secunda. Probabilis est ea sententia Temperatur ab aliquibus,* Angelus. Sylvester. Paludan. Tabiena. *Alij apud* Sanchez.

297. *Probabilis est opposita sententia* Sanchez.

Probabile nihilominùs apparet oppositum, scilicèt non esse mortale. Ita docet Sanchez citata *disput. 17. num. 6.* quia à iure antiquo recedendum non est absque textu expresso eò quod iuris correctio vitanda sit, vt odiosa *l. Præcipimus C. de Appellat.* Quod adeò verum est (inquit Sanchez) vt gratiâ vitandæ iuris correctionis à propriâ verborum significatione recedendum sit, vt docent, quam plurimi, quos ibidem refert; sed matrimonium de præsenti inter impuberes permissum est multis Canonibus, & interpretantur, quasi essent verba de futuro *c. finali de desponsat. impuber. c. vnico* §. *Idem quoque eodem tit. in 6.* ergo non est dicendum prædictum textum scilicet *c. 2. de desponsat. Impub.* correxisse iura hæc; maximè, cùm possit interpretari absque tali correctione. Accedit quod solum ius posterius, & magis nouum corrigit ius antiquum; sed prædicta duo iura, quæ permittunt, & interpretantur matrimonium inter impuberes, & accipiunt quasi essent verba de futuro, sunt iura minùs antiqua. maximè *c. illud vnicum de desponsat. Impuberum in 7.* ergo non intelligendus est textus correctus per textum antiquiorem; sed vel potiùs è contrà, vel certè iura iuribus concordanda sunt, & vitanda correctio. Nec argumenta in contrarium probant.

Explicantur textus, qui videri possent inter se pugnare.

298. *Respondetur ad 1. argum.* Ad primum constat ex dictis illa verba Textus non interpretanda esse, quasi contineant præceptum; sed; ita, vt vitetur iuris correctio; atque adeò, sufficit quod talis contractus impuberum accipiatur tanquàm si essent verba de futuro.

299. *Respondetur ad 2.* Ex quo patet ad secundum; respondemus enim nullum Sacramentum irritari; quia illud matrimonium tantùm habet vim sponsalium iuris interpretatione, & (vt notat Sanchez) si esset dubiũ de malitiâ præueniẽte ætatem, contraheretur eâ lege citatâ, quæ censetur iure inesse, vt, scilicèt, valeat eo modo, quo valere potest.

DVBITATIO XXI.

An parentes, aut alij possint contrahere sponsalia pro filiis nondum habentibus septimum ætatis annum.

300. *Declaratur titulus dubitationis.*

INdicauimus in præcedentibus, aliquando acceptationem pro filijs permissam esse parentibus maximè in contractu sponsalitio, nunc verò de ipso contractu sponsalitio, quærimus, an fieri possit à parentibus nomine filiorum, qui nondum peruenerunt ad septimum ætatis annum.

301. *Assertio 1.* In quâ re omissis alijs asserendum est, non solùm parentes, sed etiam Tutores, Curatores, & consanguineos curam gerentes infantium, posse ex graui necessitate pro dictis filiis contrahere sponsalia, vt constat ex *c. infantes de desponsat. Impub. in 6.* huiusmodi tamen sponsalia, vt valida sint requirunt postea consensum expressum, vel tacitum eorundem filiorum, cùm peruenerint ad vsum rationis, quem consensum in foro externo sufficienter præsumunt aliqui adesse, si filij taceant & non contradicant, postquam peruenerunt ad septennium, scientes contracta fuisse sponsalia à parentibus, aut aliis prædictis, & in hoc sensu intelligi potest illud axioma, *qui tacet consentire videtur.*

302. *Ratificationis modus similis ratificationi sponsalium etiam in matrimonio.* Verùm in hac ratificatione puto seruanda esse, quæ diximus pro ratificatione sponsalium ab ipsis infantibus factorum *dub. 19. §. de modo autem num. 261.*

303. *Difficilior ratificatio, quando non parentes sed extranei contrahunt pro pueris etiam audientibus.* Et quamuis concederemus prædictam taciturnitatem sufficere pro foro externo ad præsumendum consensum, id nullo modo debet habere locum, quando sponsalia celebrata fuerunt ab aliquo extraneo pro filiis septennio minoribus; neque enim fiunt valida ex eò quòd filij tacentes audiant sponsalia ab extraneis suo nomine fuisse celebrata; sed vlterius requiritur à fortiori id ipsum, quod diximus loco notato; vt scilicèt consensus exprimatur per acceptationem munerum, vel per mutuos amplexus, vel per missionem annuli ad digitum, & similia, de quibus legi potest Sanchez *lib. 1. disput. 22.* vbi varia signa affectus sponsalitij affert. Item Coninc *disput. 21. dubit. 3. numero 28.* vbi notat donationem aut receptionem annuli (& idem puto de aliis munusculis vltro citroque missis regulariter loquendo) non esse per se sufficiens signum ad contrahenda sponsalia, quia potest multis de causis fieri; nisi fortè ex circumstantiis determinetur ad significandum hîc, & nunc consensum sponsalitium, vel quia est communiter consuetudo alicuius populi ad id significandum; vel quia vnus offert, aut alter petit annulum in signum talis consensus. Itaque ex circumstantiis iudicandum est de signis sufficientibus. Legantur quæ diximus *dub. 19. loco notato.* Sanchez. Coninc.

304. *Quæsitum.* Quæret aliquis, an filij teneantur consentire in sponsalia contracta pro se à parentibus, vel à curatoribus?

Respon-

305. *Respõdetur.* Respondeo regulariter non teneri; quia filij non tenentur per se loquendo obedire suis parentibus in iis, quæ pertinent ad statum matrimonij, sicut neque ad ingressum Religionis, vel Clericatum, vt dicemus agentes de voto, & docet Sanchez *in summa lib.4.c.15. nu.22.* & *lib.4.de matrimon.disp.22.* Nauarrus *cap.14. num.15.* Gutierrez c.79. nu.16. Lessius *lib.2.cap.40.num.63.* Suarius *tomo 2.de Religione lib.4.cap.8.* Vnde cum matrimonium sit vinculum ac onus indissolubile, necesse est, vt liberum sit filio adstringere se huiusmodi vinculo, pro vt voluerit.

Sanchez. Nauarrus. Gutierrez. Lessius. Suarius.

306. *Occurritur obiectioni ex iure Canonico.* Nec obstat *cap.1. de desponsat.impub.* vbi dicitur filium debere adimplere matrimonium; quod pro se necdum adulto pater promisit; nam ille textus vel intelligitur de debito honestatis, non de necessitate; & debito præcepti vel alio modo, quo dicemus *disput. 4. dubit.16. num.161.* Vnde admonendi sunt parentes, ne compellant filios ad consentiendum sponsalibus; alioquin grauem inferent iniuriam, cum filij in materiâ Matrimonij sui iuris sint. Legatur Sanchez lib.1. disput.24. & 25. Rebellus suprà quæst.6. Henriquez lib.11.*cap.*13. *num* 13. & alij maximè Sanchez qui late disputat de valore sponsalium factorum à parentibus, & generaliter de obligatione, quam contrahunt qui aliquid nomine absentium promittunt, & iurant. Quæ; quia non sunt propria huius loci, omitto.

Sanchez. Rebellus. Henriq.

DVBITATIO XXII.

An sponsalia metu facta sint nulla.

307. *Generalis quæstio pro omni contractu metu facto.* CElebris est quæstio de contractibus metu factis, an sint irriti, vel irritandi; id est, an ab initio sint inualidi, vel validi quidem, tamen à iudice, seu superiore rescindendi. Quâ de re latè egimus in nostro opere de Iustitiâ in *Tract.3. de Contractib. in genere* vbi *dub.7.* multa diximus quæ pro præsenti negotio possunt deseruire & quidem, recte notat Sanchez *lib.4. de matrim.disp.19.* multum interest scire, an valida sint sponsalia facta metu, & coacta, quamuis rescindenda? vel an ipso iure sint nulla? nam, si semel valida sint, parient publicæ honestatis impedimentum ex Trident. *sess.24.c.3. de matrim.* secùs verò, si ipso iure sint inualida.

Aduertendum. Sanchez.

308. *Triplex sententia. Prima. Recentior vnicus eam habet, aut vix alius.* Triplex est in hac re sententia. Prima quorundam Recentiorum negat esse valida ad obligandum ex fidelitate, concedit verò valere ad obligandum ex iustitiâ. Quam sententiam vel hoc tantùm nomine, reiicere debemus, quod nullum pro se habet Auctorem; nisi vnicum tantùm Neotericum, aut fortè alium, & separat in contractibus promissoriis obligationem fidelitatis ab obligatione iustitiæ, quæ imbibita est in ipso contractu; nam contractus sponsalitius subsistere non potest; nisi ratio promissionis subsistat; ratio verò promissionis non subsistit, nisi obligationem fidelitatis inducat; id enim proprium est promissionis in quacunque materiâ vt, si qua obligatio promissoria existat, sit fidelitatis & obligatio propria promissionis existere non possit sine obligatione fidelitatis; quidquid sit, an obligatio fidelitatis, quæ est in promissione maneat separata ab obligatione iustitiæ. Vide dicta latè *suprà n.35.*

309. *Quando obligatio iustitiæ extrinseca esse possit in promissione; non tamen intrinseca, nisi valeat in ratione promissionis.* Sæpe quidem reperitur obligatio aliqua iustitiæ extrinseca ipsi promissioni, vt, quando quis fictè promisit, aut non impleuit, quod promissum est, & indè sequutum est aliquod damnum promissario; sed ipsissima obligatio iustitiæ, quæ est imbibita in ipsâ promissione tanquàm effectus proprius ipsius nunquàm reperitur sine obligatione fidelitatis, vt discurrenti per singulas promissiones patebit. Cõcedunt quidem prædicti Recentiores (& non videtur improbabile) promissionem externam fictio animo interno factam inducere tantùm obligationem fidelitatis, & non iustitiæ, nunquàm tamen assignabunt casum, in quo promissio obliget ex iustitiâ, quin simul obliget ex fidelitate. Cuius ratio est; quia obligatio iustitiæ, per promissionem facta oritur ex iure translato in alterum per ipsam promissionem, idest per verba significantia illam voluntatem, & animum transferendi tale ius, à quibus verbis separari non potest licitè veritas, si alioquin ex animo dicantur; imò; nisi eâ veritate verborum suppositâ & debito consensu faciendi illa vera, non est vnde resultet obligatio iustitiæ, ac proinde hæc supponit obligationem fidelitatis.

Ratio doctrinæ datæ.

310. *Probant prædictam sententiam.* Probant verò suam sententiam quoad primam partem scilicèt quod non sit valida promissio coacta, & metu facta ad obligandum ex fidelitate, seu, quod nõ sit valida (vt ipsi loquuntur) in ratione promissionis; quia fides extorta (præsertim à promissario) non est necessariò seruanda. Quo ad secundam verò partem, quòd scilicèt sit valida ad obligandum ex iustitiâ; seu in ratione contractus probant; quia contractus sponsalitius sic factus neque est inualidus iure positiuo adhuc *cap. Ex litterù de desponsalib. impub.* quamuis in eo supponatur patienti coactionem seu iniustitiam liberum esse resilire ab eo contractu; neque est inualidus iure naturali, seu ex naturâ rei, quia duo, quę iuri naturali sufficiunt, ad valorem cuiuscumq; contractus, nẽpe voluntarium simpliciter, & titulus reperiuntur in dicto cõtractu, quia in primis in eo reperitur voluntariũ simpliciter (quamuis ad mixtũ cum inuoluntario secũdum quid,) quod, quantum est ex parte voluntarij, sufficiens est ex naturâ rei ad quemcumq; contractum, & ideò in eo reperitur, quia in eo datur ius ad vnum corpus pro iure ad alterum.

311. *Non cohærẽt duo quæ ab ipsis dicuntur.* Hæc sane duo (vt dicebam) non satis cohærent. Illud enim primum, scilicèt promissionẽ, seu fidem extortam non necessariò esse seruandam; si verum est eam promissionem in ratione contractus validam esse, & seruandã; negari debet de promissione non gratuitâ, sed titulo oneroso; solũ enim verũ habet in promissione gratuita, & liberali, quę extorta per metũ (maximè à promissario) nõ obligat ad seruandam fidem; de promissione verò mutuâ & titulo oneroso eodẽ modo Philosophandũ est in ratione promissionis, atque in ratione cõtractus ex iustitiâ, quod sic probo. Ratio cõtractus essentialiter requirit mutuũ cõsensũ cõtrahẽtium sibi mutuò

Ratio contra prædicta quæ dicuntur.

explicantium suum consensum per verba quæ id significent. Vel ergo verba sunt de præsenti, vel de futuro. Si sunt de præsenti, non est ille contractus promissorius, vt patet; si sunt de futuro; non potest non esse promissorius; si verò promissorius est, non potest esse validè promissorius; quin habeat id, quod essentialiter inuoluitur in ratione promissionis validæ; sed promissio valida eo ipso quod valida est, non potest non valere ad obligandum; quatenùs est promissio; hæc autem obligatio est in ratione promissionis; obligatio verò in ratione promissionis est obligatio ex fidelitate; ergo, si obligat in ratione contractus promissorij, etiam in ratione fidelitatis & promissionis obligabit.

312. *Confirmatio rationis præcedentis.* Confirmatur & declaratur; quia hæc obligatio in ratione contractus oritur ex contractu valido; sed contractus ille essentialiter est promissorius; ergo oritur ex contractu valido promissorio; sed obligatio orta ex contractu essentialiter promissorio, necessariò est obligatio promissionis aut illam supponit, vel inuoluit: ergo non potest separari talis obligatio contractus ab obligatione promissionis. Quod hic contractus sit promissorius patet; quia est contractus per verba de futuro; quod verò obligatio orta ex contractu promissorio, sit obligatio promissionis, vel illam supponat, patet etiam; quia, si talis contractus essentialiter est promissorius, & validus in ratione contractus, est validus in ratione promissorij; quod autem validum est in ratione promissorij, debet habere valorem promissionis; non potest autem habere valorem promissionis, quin obliget in ratione promissionis: ergo sic obligat, ac proinde eo ipso, quòd obligat in ratione contractus, debet obligare in ratione promissionis, cùm ratio illius contractus essentialiter sit ratio talis contractus promissorij; ergo non consequenter loquuntur hi Recentiores, dum agnoscunt obligationem in ratione contractus (qui est essentialiter promissorius) admittentes obligationem ex iustitiâ, & negant simul obligationem ex fidelitate, quæ est propria promissionis, & eorum verborum, quæ promissoria sunt.

313. *Explicatur doctrina à simili.* Itaque, sicuti in aliquibus peccatis, non potest esse vna malitia contra vnam virtutem, quin essentialiter supponatur malitia contra aliam virtutem. v.g. in adulterio non potest esse malitia illa iniustitiæ. quæ est propria adulterij, quin supponatur, aut inuoluatur malitia fornicationis; quia nimirùm adulterium, vt adulterium non committitur, nisi per actum fornicationis; ita similiter in nostro casu non potest esse malitia iniustitiæ non seruando prædictum contractum sponsalitium & promissorũ; quin sit etiam malitia infidelitatis, non faciendo vera verba promissionis.

314. *Ratio à priori cõtra prædictam sententiam.* Probatur denique falsitas prædictæ sententiæ ratione à priori; quia, si obligat in ratione contractus, cùm contractus essentialiter sit sponsalitius; atque illa sint vera, & valida sponsalia, sequitur obligare in ratione promissionis. Probo consequentiam, quia sponsalium definitio est *futurarum nuptiarum mutua promissio*; vt aduersarij nobiscum concedunt: ergo, si obligant, vt sponsalia, obligant, vt promissio futurarum nuptiarum; ergo non potest separari obligatio sponsalium, quæ est ex iustitiâ ab obligatione promissionis, quæ est de essentia sponsalium. Habemus ergo, quòd, licèt obligatio fidelitatis possit separari ab obligatione iustitiæ ex voluntate promittentium, obligatio tamen ex iustitiâ non possit separari ab obligatione fidelitatis, quoties obligatio ex iustitiâ oritur ex cõtractu promissorio. Restant ergo aliæ duæ sententiæ circa nostram dubitationem.

315. *Secunda sententia probabilis affirmans valere talẽ contractum sed esse rescindendum. Probatur.* Secunda sententia satis probabilis est contractum sponsalitium metu factum valere solumque esse rescindendum. Hæc sententia probatur ex generaliter dictis à nobis *loco notato de contractibus in genere*, vbi latè probauimus Ciuiles contractus iure naturæ validos esse, etiamsi fiant ex metu iniustè illato, vbi etiam reddidimus disparitatem inter contractum matrimonij, & alios contractus ciuiles qui rescindi possunt. Vnde textus omnes, qui irritant matrimonium non est cur extendantur ad sponsalia, quamuis enim hæc sint, quasi via ad matrimonium, & in multis sapiant naturam illius, in hoc tamen longè differunt à matrimonio, quod matrimonium est indissolubile, ipsa verò dissolubilia sunt. Vnde non mirum, si ius Canonicum, (aut vt aliqui volunt) etiam ius naturale maius & perfectius voluntarium exigat ad cõtractum matrimonij, quàm ad cæteros contractus etiam sponsalitios. *Confirmatur 1 ab inconuenienti.* Confirmatur primo; quia, si cæteri contractus metu initi, essent ipso iure irriti & non tantùm irritandi, duceretur multorum iurium correctio disponentium contractus metu initos irritandos esse nõ irritos. *Confirmatur 2 à simili.* Confirmatur secundo à simili; quia quamuis Tridentinum irritauerit matrimonia clandestina; non ideò censetur clandestina sponsalia irritasse: est enim diuersa ratio. Cùm ergo nullus textus sit irritans sponsalia, & multi textus sint qui contractus metu initos irritandos pronuntient; non verò pronuntient esse irritos; signum est. quòd nec iure positiuo; nec naturali sint irrita sponsalia metu facta. *Confirmatur 3. respõdendo textibus qui in contrarium afferuntur.* Confirmatur tertio quia, si aliquis esset textus, in quo declararentur irrita, maxime c. *ex litteris de Desponsat. impub.* quo textu plerique vtuntur Auctores contrariæ sententiæ; sed tantùm textus ille loquitur de puellâ, quæ contraxit sponsalia omnino inuita; ait enim *nolens & inuita.* Item *de voluntate parentum potiùs, quàm de suâ.* Itaque textus significat omnino defuisse consensum; ergo non est textus cogens sponsalia extrahere à Regula generali aliorum contractuum. Ita docent Henriquez *libr.* 11. *de matrim. c.* 9. Coninc *disp.* 28. *num.* 7. Petrus de Ledesma *q.* 47. *artic.* 3. Martinus Perez *disp.* 11. *sect.* 3. Hurtado *disp.* 1. *difficult.* 15. & alij. Henriq. Coninc. Petr Led. Matt. Per. Hurtado. *Alij.*

316. *Tertia sententia docẽs esse ea sponsalia nulla. Probant ex iure Canonico.* Tertia sententia est sponsalia metu facta esse ipso iure nulla. Probant verò ex c. *Ex litteris* citato pro cuius textus intelligentiâ notat Sanchez *disputat.* 19. *num.* 2. doctrinam, quam tradidit *lib.* 1. *disp.* 21. *num.* 2. & nos cum illo *dubitat.* 19. & 20. quando ante debitam ætatem impuberes, vel vterque, vel alter celebrant Matrimonium, illud habere vim sponsalium. Item, quod Sanchez. *Supponũtur aliqua in ea sententia.*

ipse

ipse Sanchez dixerat eodem *lib.1. disp.51. num.6. 9.& 10.* (de quo nos etiam posteà dicemus) scilicet, non posse alterum prædictorum resilire, siue pubes, siue impubes sit, donec alter ad pubertatem veniat. Hoc suppositò continet textus ille (inquit Sanchez) puellam duodennẽ, & sic puberem metu minarum parentis impulsse impuberi; quare fuerunt, inquit, sponsalia, & concludit textus sic: *si puella commonita vt, donec compleat idem puer annum decimum quartum, expectet, non duxerit expectandum, ei secundùm ea, quæ propositas sunt, accipiendi alium virum tribuas facultatem.* Vbi *Glossa fin.* quam sequuntur ibi Cardinalis *fin.* & Ancharanus *num.4.* Opponit *c. de illis 1.* & *c. à nobis* de *Desponsi impuberum* per quos textus constat puberem non posse resilire ab sponsalibus cum impubere contractis, donec hic pubescat : & respondent id verum esse: quando sponsalia fuerunt valida, at in casu huius textus esse inualida. Ex hoc ergo textu constare putat Sanchez sponsalia coacta, esse inualida ipso iure, & latè probat esse contracta vi conditionali, hoc est solo metu præcipuè ex illis verbis textus *minis parentum impulsa.* Pro quâ sententia refert plurimos tam Canonistas, quàm Theologos, qui vel eam sequuntur, vel probabiliorem putant, vel supponunt. Ex quibus ipse Sanchez *num.3.* concludit hanc sententiam esse probabiliorem, & conueniunt Reginald. *libr.31. numer.88.* Sà *verbo sponsal.* Gutierr. *numer.42.* Bonacina *q.3. puncto 1. numer.31.* cum aliis.

Explicatur textus, probaturque sententia ex prædictis suppositionibus.

Expenduntur verba textus.

Glossa. Cardinal. Ancharr.

Sanchezij probatio ex iure.

Plures Canonistæ apud Sanchez.

Plures etiã Theologi.

Reginald. Sà. Gutierr. Bonacina. *Alij.*

317. *Probabilis hæc, sed probabilior præcedens sententia, quæ affirmat valere.*

Ego sanè hanc puto probabilem, sed probabiliorem illam præcedentem, quòd scilicet sponsalia valida sint metu facta, sicut & cæteri alij contractus præter matrimonium, propter generalem doctrinam loco notato *de contractibus in genere* traditam, neque enim est textus, qui cogat contractum sponsalitium à generali regula excipere. Discursus enim ille factus à Sanchez in vnâ re non est satis firmus, scilicet in eo quod supponit in textu c. *Ex litteris.* citato haberi, quod tale matrimonium à puella duodenni metu impulsa celebratum cum impubere eo ipso transeat in sponsalia, quod sine sufficienti fundamento dicitur. Nam etiamsi concedamus matrimonium, quantumuis per verba de præsenti inualidum propter defectum pubertatis in alterutro, vel vtroque contrahente, quasi degenerare in sponsalia, & habere vim sponsalium; hoc tamen solùm locum habet, quando voluntas illa de præsenti explicata per verba de præsenti talis est, vt nisi obstaret ætas, efficeret Matrimonium validum. Quando autem voluntas non solùm ex parte ætatis, sed etiam ex parte metus incussi non est hîc, & nunc sufficiens ad Matrimonium, non est cur dicamus iuris dispositione, aut interpretatione illum contractum per verba de præsenti accipi à iure loco sponsalium; non est enim eadem ratio, neque enim eo ipso, quod ius eam vim tribuat voluntati omnino liberæ & spontaneæ, & solùm habenti defectum ætatis, in contrahente, sequitur eandem vim tribuere voluntati, quæ non solùm habet huiusmodi defectum ætatis; sed etiam defectum plenæ libertatis; frustra ergo, & sine fundamento supponit Sanchez in casu illius textus matrimonium coactum puellæ duodennis cum impubere habere vim sponsalium, cùm habeat non solùm defectum ætatis: sed defectum pleni voluntari) propter metum incussum. Alioquin eodem modo posset dicere Matrimonium puberum metu graui factum, etiamsi non valeat, vt Matrimonium, valere, vt sponsalia, est enim par, imò multò maior ratio, vt talis vis Matrimonio coacto puberum tribueretur, quàm Matrimonio coacto impuberum, cùm in hoc sit duplex defectus ætatis scilicet, & plenæ libertatis, in illo verò tantùm vnicus plenæ libertatis ob metum.

Ex toto præcedenti discursu colligitur, & sit prima assertio nostra, scilicet sponsalia metu graui facta esse iure naturali, & positiuo valida; irritanda tamen siue à iudice, siue propriâ auctoritate, de quo posteà.

318. *Prima assertio.*

Secunda assertio sit, metus leuis non sufficit ad irritanda sponsalia. In hac assertione etiam Auctores oppositæ sententiæ communiter enim auctoribus nostræ consentiunt, maximè Sanchez eâdem *disputat. 19. num.4.* iuxta doctrinam datam ab ipso priùs *eodem lib.4. disp.17. numer.3.* probante metum leuem nec matrimonium irritare, cùm tamen in illo maius & plenius voluntarium requiratur, nosque eodem modo probabimus agentes de metu leui; an scilicet irritet Matrimonium. Interim sufficiat dicere nullum esse textum, ex quo id constet, alioquin suâ naturâ validus est contractus, vt à fortiori constat ex prima assertione. Legatur *disp.4. dub. 5.* in principio.

319. *Secunda assertio.*

Sanchez.

Tertia assertio sit sponsalia metu graui inita quantumuis valida, non ita cogunt, quin possit metum passus propriâ auctoritate ab eis resilire. Ita Sanchez *lib.4. de Matrimonio citata disp.19. num.5.* Perez supra *num.7.* & alij, probatque Sanchez ex doctrina, quam ipse tradit *lib.6. disp.38. num.34.* scilicet, quòd ei, cui competit actio, cõpetat exceptio, etiam in foro conscientiæ. Cùm ergo ille metu coactus actionem habeat ad petendum à iudice rescissionem, poterit propriâ auctoritate, vtendo eâ exceptione, nolle eis sponsalibus stare. Ideò dicendum est, vt notat idem Sanchez, prædictum teneri ad sponsalia, nisi velit vti eo exceptionis beneficio. Accedit, quòd alter, qui liberè consentit, tenetur sponsionem coacto remittere, quamuis ipse non intulerit metum iuxta doctrinam eiusdem Sanchez *eodem lib.4. disp.8. n.7.* quâ de re nos etiam suo loco dicemus; tenetur enim possidens rem metu graui ab alio extortam restituere. Ideò coactus, quasi via compensationis vtens, potest resilire ab sponsalibus perinde atque, si rem metu extortam nondum tradidisset, vel traditam occultè accepisset; posset retinere.

320. *Tertia assertio.*

Sanchez. Perez. *Ratio.*

Ex eâdem doctrinâ colligit Sanchez *num.6.* etiam qui contraxit metu leui, posse propriâ auctoritate resilire, quia nimirum, quamuis in foro externo actio non competat, neque exceptio, in foro tamen conscientiæ competit. Qua de re legi potest ipse Sanchez eodem *lib.4. disp. 9. num.6.* vbi rectè docet, & probat extorta metu leui obnoxia esse restitutioni, quamuis possidens culpâ vacauerit, poterit ergo eâ exceptio-

321. *Contrahens metu leui potest propria auctoritate resilire.*

ne veniens & viâ compensationis non implere fidem eo metu extortam, quam alter in foro conscientiæ remittere tenebatur. An verò ratione iuramenti valeant ad obligandum saltem ex religione, dicam simul cum Matrimonio *disputation. 4. dubitat. 13.* vbi alia de metu dicemus.

DVBITATIO XXIII.

An valida sint sponsalia per dolum celebrata?

322. *Quædam aliunde petenda pro hac re.*

NOn parum iuuabunt ad ea, quæ hic dicenda sunt, ea, quæ dicemus disp. 7. dub. 4. & 5. & alia quæ olim diximus *in nostro opere de iustitia in Tractat. 3. de Contractibus in genere* disputantes, quando deceptio, seu dolus reddat nullum contractum, ibi legantur *dub. 6.* quæ de dolo dicimus, suo modo locum habent in errore & ignorantiâ, quæ inuoluuntur in dolo, cùm dolus vt loco notato dixi, differat tantum ab errore, quòd dolus sit iudicium falsum inductum ab alio, error verò vndecunque proueniat; ignorantia verò est carentia notitiæ.

Indicatur, quo differat dolus, error & ignorantia.

323. *Prima sententia.*

Prima sententia asserit sponsalia per dolum dantem causam contractui celebrata non solùm dissolui posse, sed esse ipso facto inualida. Quid autem per dolum dantem causam contractui intelligamus, latè diximus loco notato *de contract. in genere.* Vbi inter alia cum Vasq. 1. 2. *disp.* 30. asseruimus tunc dolū dare causam contractui, quando ideo fit cōtractus, quia est dolus, seu deceptio & nō fieret cōtractus, si dolus nō esset, vt latiùs ibi *disp. 1. n. 72. & seqq. disp. 7. huius tractatus dub. 4. & deinceps*; alia etiam addemus, & quidem plures, vel docent, vel supponunt causas illas iustas, quæ, quando superueniunt sponsalibus, sufficiunt vt dissoluantur, sufficere, si ignorentur, ad impediendum ab initio valorem, vt fornicatio, lepra, morbus gallicus sufficiunt ad dissoluendum, & ad impediendum, si ignorentur ante contractum, de quibus agemus *infrà* per plures dubitationes *dub. 31. & seqq.* quorum ratio generalis est, quia non censetur deceptus voluisse se obligare pro tali casu, nisi aliunde constet, imò aliquando nec potuisse obligare se; quia nec licitè aut etiam nec validè posset. Res est facilis: qui plura circa hoc volet, legat Sanchezium & Perezium citandos.

Vasquez. *Dolus dans causam contractui.*

324. *Dolus incidens quid?*

Ille autem dolus dicitur incidens in contractum, qui si cognitus fuisset tempore contractus, nihilominus cōtractus fuisset celebratus, licèt non eâdem cum conditione, aut eodem pretio, vt latiùs ibi etiam explicuimus.

325. *Dolus à contrahēte. Dolus à tertio.*

Dolus autem prouenire aliquando solet ab ipsomet contrahente, qui decipit alium qui secum contrahit, aliquando verò ab alia tertia persona distincta.

326. *Explicatur prima sententia.* Sanchez.

His positis prædicta sententia asserit dolum dantem causam contractui sponsalium, si adhibitus fuit ab ipso contrahente conscio, & participe doli, reddere nulla sponsalia. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 64. num. 3.* Reginald. *lib. 31. nu. 266.* Gutierr. c. 34. Molina *to. 2. de iust. d. 252. concl. 1. n. 7.* vbi plures alios refert. Reginald. Gutierr. Molina.

327. *Secunda sententia.* Lessius. Coninc. Mart. Per.

Secunda sententia asserit eiusmodi contractum, etiam spectato iure positiuo, non esse ab initio omninò irritum. Ita docet Less. *de iustitia lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 31.* quem refert & sequitur Coninc *disp. 23. n. 73.* Martinus Perez *disp. 10. sect. 1. num. 3.*

328. *In quo præcipuè dissentiant hæ duæ sententiæ.* *Probat prior sententia ex iure.*

Vtraque prædicta sententia in eo præcipuè fundamento dissentit, quòd prior putat contractus Bonæ fidei celebratos per dolum dantem ipsis causam esse irritos, si dolus adhibitus sit ab altero contrahente, sed contractus sponsalitius est cotractus Bonæ fidei, ergo in tali casu nullus erit. Maiorem probant ex l. *& eleganter in principio ff. de dolo* & in Regno Castellæ *l. 57. tit. 5 partita 5.* Ratio verò est, quoniam sic deceptus sponsus non erat consensurus, sed errore ductus consensit, in quo alter per dolum, & iniustitiam fuit causa. Cùm ergo error causet inuoluntatium, assensusque sit per dolum, & iniustitiam extortus, inualidus, & inefficax erit. Atque in vniuersum omnes contractus bonæ fidei irritos esse docent multi relati à Sanchez, & Molina *supra*, docet verò Sanchez prædicta sponsalia esse nulla ex parte decepti; nam ex parte decipientis quæstionem habet, & ipse in eam partem inclinat, tanquàm probabiliorem, quòd etiam ex eâ parte sint nulla, de quo tamē posteà dicemus.

Probat ratione.

Sanchez. Molina.

329. *Secunda sententia oppositum fundamēti.* Lessius. Coninc. *Probant 1. ex iure.*

Secunda verò sententia opposito fundamento nititur, putat enim contractus bonæ fidei, qualis est sponsalitius, non esse ab initio irritos, nec iure naturali, nec positiuo, sed solùm irritandos. Quod latissimè probat Less. *loco citato.* Ex quibus probationibus Coninc vnam aut alteram adhibet, quibus ait omnino se cōuictum, primò quia *L. Iulianus 13. ff. de actionibus empti* apertè datur actio ex empto ei, qui dolo venditoris inductus tigna carriosa, aut pecus scabiosum emit; atqui certum est axioma iuris apud omnes receptissimum, nunquàm dari actionem ex empto, quando emptio nulla est: ergo emptio (quæ tamen est contractus bonæ fidei) cui dolus causam dedit, est valida. Secundò quia *L qui vas. 48. §. vltimo ff. de furtis.* expresse dicitur vendentem rem furtiuam fieri dominum pretij, quod esset falsum, si venditio esset nulla, cùm tamen emptor noluisset emere, si sciuisset rem esse furtiuam, atque ita inducatur ad emendum dolo venditoris simulantis se rem suam vendere. Item *L. Rem alienam ff. de contrahenda empt.* dicitur *rem alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est: nam emptio est & venditio, sed res emptori auferri potest.* Quibus iuribus nihil potest clarius (inquit Coninc) pro hac sententia afferri.

Probatur 2. etiam ex iure.

Probant 3. ex alia quoque lege.

330. *Assertio 1.*

Asserendum est 1. quando dolus non est circa substantiam contractus, etiamsi dolus dederit causam contractui: contractus est iure naturæ validus. Hæc assertio constat ex dictis loco notato de *contractibus in genere*, & ex dicendis agentes de errore personæ in Matrimonio, vbi dicemus deceptionē seu dolum, aut errorem, qui non fit circa substantiam personæ, aut qualitatem, quæ refundatur in substantiam, & ad illam pertineat, non reddere inualidum Matrimo-

Probatur ex doctrina à nobis tradita.

trimonium. Quæ est communis Doctorum sententia, atque in hoc sensu admitto secundam sententiam, quatenùs dicit contractum esse validum tam iure naturæ, quàm positiuo, etiamsi dolus interuenerit. Ratio verò nostræ assertionis est, quia, quando non est error circa substantiam contractus, non excludit veram cognitionem substantię illius: ergo cum tali deceptione potest esse absolutus consensus in substantiam, quia est vera cognitio illius, nec deceptio impedit voluntarium circa talē substantiam. Quod exemplo ostenditur, nam, si quis vendat rem suam inimico, ignorans esse inimicum, valida nihilominus erit venditio, etiamsi vendens non fuisset venditurus cognitâ personâ inimicâ, si enim alia adsint, hæc circumstantia non est de substantia venditionis, & suppositio titulo pecuniæ, sufficiens voluntarium est in tali venditione, & potest esse absolutus consensus circa substantiam illius.

Quo sensu sit admittēda secunda sententia.

Ratio sentētiæ nostræ.

Declaratur exemplo.

331. *Prædicta doctrina etiam in contractibus stricti iuris vera est, & pro regula seruāda est.*

Hæc autem doctrina vera est non solum in contractu bonæ fidei, sed etiam stricti iuris, imò hæc regula obseruanda est, vt cognoscamus, quando ratione deceptionis contractus sit iure naturæ nullus; nempe; an deceptio contingat circa substantiam contractus, an solùm circa accidens illius. Cui fundamento nixi, docent (vt videbimus) communiter Doctores errorem personæ esse impedimentum dirimens iure naturæ Matrimonium, non verò errorem circa diuitias, & similia accidentia.

332. *Assertio 2.*

Assero 2. quando dolus circa qualitatem talem contingit, vt qualitas refundatur in substantiam, eodem modo reddit inualidum contractum, ac si deceptio esset circa substantiam. Circa hanc verò deceptio reddit contractum

Ratio.

iure naturæ inualidum. Ratio omnium est; quia error circa substantiam tollit simpliciter volūtarium circa illam, atque hâc ratione intelligendus est Aristot. 3. *Ethic. c.* 3. dum ait errorem

Aristot. 3. Ethic. c. 3.

circumstantiæ tollere voluntarium; solùm enim loquitur de circumstantiis pertinentibus

Vasquez.

ad substantiam actionis, vt rectè ostendit Vasquez *prima secundæ disp.* 30. Alia quæ generaliter communia sunt pro aliis etiam contractibus, quantùm ad errorem, & deceptionem latè diximus loco notato de *contractibus in genere.*

333. *Obseruandū maxime in hac re.*

Illud iuxta doctrinam ibi traditam obseruandum maximè hoc loco est, duobus, scilicèt, modis posse se habere voluntatem contrahentis circa aliquod accidens contractus respectu voluntatis circa substantiam illius: primò, ita, vt voluntas circa substantiam omnino se habeat comitanter cum voluntate circa accidens, nēpe, vt sit voluntarium circa substantiam, & simul inuoluntarium circa accidens, & tunc obseruanda est doctrina hîc & loco notato tradita, vbi probauimus consistere posse voluntatem absolutam circa substantiam contractus, etiamsi non sit voluntas circa accidens. Secundò, ita, vt voluntas circa substantiam habeatur dependenter ab accidente contractus, tanquàm à conditione. In quo casu aliter philosophandum est.

334. *Assertio 3.*

Assero ergo 3. quoties voluntas circa substantiam habetur dependenter ab accidente contractus, tanquàm à conditione, subsistente conditione, subsistit, & valet contractus; & deficiente, deficit, quia cum non existat conditio, sub quâ fit contractus, etiam ipse non existet, quia contrahens non contrahit purè; sed sub conditione, quæ, si sit de præsenti, non moratur obligationem, neque omnino suspendit in diem; sed subsistente fit purus contractus, & deficiente, non fit. Quæ doctrina vniuersaliter valet pro omni contractu, si conditio sit ex iis, quæ in contractu habentur pro adiectis. Legatur Valentia *disputation.* 5. *q.* 20. *puncto* 4.

Valentia.

335. *Aduertendum circa prædictas assertiones.*

Quando autem diximus valere contractum si non interueniat dolus, aut error circa substantiam; sed tantùm circa qualitatem, quæ neque pertineat ad substantiam, neque sit conditio, à qua dependenter fiat contractus, æquè locum habet doctrina, siue alter contrahens dederit causam contractui, siue tertia alia persona, siue nulla; sed ipse errans suâ falsâ existimatione deceptus contrahat; & quidem nullo modo concedunt Auctores primæ opinionis valere, quando alter contrahens fuit particeps doli causans illum culpabiliter, in quo ab illis maximè dissentimus. Nam (vt vidimus cum Lessio, & Coninc) de tali casu loquuntur iura

Lessius. Coninc.

citata, in quibus datur actio ex empto ei, qui deceptus à venditore emit, atque adeò in iis iuribus supponitur validus contractus, vt notauimus. Quando verò contrahens non fuit causa doli, & dolus fuit circa qualitatem, quæ, nec refundatur in substantiam, nec sit conditio, à quâ dependenter contractus fiat, multò plures consentiunt valere contractum. Vnde plerique Auctores primæ sententiæ id ipsum nobiscum admittunt, maximè Sanchez *disp. illâ* 64. *num.* 5. Probat verò: quia non defuit substantialis consensus, tam in contractu sponsalitio, quàm in aliis contractibus, pro quo affert Bartholum citata *L. Eleganter in principio num.* 6. & Couarruu. *Regula possessor. 2. p. §. 6. num. 6. vers. 7. fin.* neque enim error contingit circa substantiam contractus, sed circa causam ad contrahendum inducentem; nec ius humanum eiusmodi contractus irritauit, nisi quando (inquit Sanchez) alter contrahens doli particeps fuit. Quod tamen vltimum iam *suprà* reiecimus, in cæteris cum eo sentimus. Rectè doctrinam colligit ex *Lege* Regni Castellæ 57. *tit. Partita* 5. Probat verò vlterius ex Molinâ *disp. illâ* 352. *paragrapho. Vt quod sentio* assignante disparitatem inter dolum prouenientem ex iniustitiâ alterius contrahentis, aut aliunde, quia dolus dans causam contractui, & procedens ex iniustitia alterius contrahentis non irritat contractum ex solo consensus defectu; is enim consensus satis esset, stando in iure naturæ, ad contractus valorem, sed ex imperfectione consensus vnâ cum iniuriâ eius, cui hic obligandus erat per contractum. Quamuis enim (inquit Sanchez) error ille absque iniuria circa causam contractus gratuiti, vt donationis, illum irritet, secùs est in contractibus onerosis. Cùm ergo sponsalia sint contractus onerosi, error circa causam contrahendi contingens absque iniuriâ alterius sponsi, ea non irritabit. Quæ ratio inuo-

Lex Castellæ. *Probat 3. ex Molina.*

Sanchez.

luit

Nititur ea ratio falso fundamẽto.

luit id, quod falsum esse diximus, scilicet, iniuriam alterius contrahentis inferentis dolum esse causam sufficientem, vt contractus non valeat, adiuncta simul imperfectione consensus.

Probatur falsitas.

Quæ doctrina, nec iure naturali, nec positiuo admittenda est. Nam, si loquamur de iure naturali, locum non habet; neque enim error est circa substantiam contractus, vt supponimus, atque adeò non tollit voluntarium; simpliciter saltem voluntarium, atque adeò ex eo capite iure naturæ, non deficit contractus. Ex iniuriâ autem causantis dolum, etiam iure naturæ non deficit. Nam eâdem ratione est iniuria metus iniustè incussus, & tamen iure naturæ valet contractus, sicut & iure etiam positiuo, vt vidimus *dub. præcedenti.* Quod autem iure positiuo non sit irritus, sed supponatur validus, iam probauimus.

336. *Deceptus in contractu qui non sit matrimonium potest propria auctoritate resilire in aliquo casu. Ratio.*

Illud autem habet locum in sponsalibus, & aliis contractibus præter Matrimonium, quod in simili diximus de contractu metu iniustè incusso *dub præcedenti assert.* 3. cum eodem Sanchez ibi relato, scilicèt posse deceptum propriâ authoritate resilire, quando deceptio ex parte alterius contrahentis dedit causam iniustam contractui, quia, sicut ratione metus datur exceptio, atque adeò potest non implere contractum; ita similiter ratione doli; est enim eadem ratio, & dolum inferens, iniurioſus sit alteri contrahenti, sicut & metum incutiens, teneturq́ue ex parte sua remittere obligationem, atque adeò alter quasi compensatione vtens, potest obligationem non implere iuxta ibidem dicta de metu.

337. *Dubium an decipiens possit cogi seruare contractum?*

Iam verò dubitari potest, quid dicendum iuxta nostram doctrinam in eâ quæstione, an decipiens cogi possit à decepto stare sponsalibus, quibus decipiens dedit causam per dolum?

338. *Quid in aliorum principiis dicendum esset in hoc dubio. In nostris principijs, aliter respondendum. Tenetur decipiens seruare contractum. Ratio.*

Sanè, si sequeremur doctrinam aliorum, qui, talem contractum irritum docent ex parte decepti, facilè cum eisdem assentirem contractum, etiam ex parte decipientis non valere eo ipso, quòd ex parte decepti non valeat: quia verò dicimus iure, non solùm naturæ, sed etiam positiuo valere, ex parte decepti, quando dolus non est circa substantiam contractus, aliter philosophandum est. Ideò existimo contractum ex parte decipientis valere eo ipso, quòd ex parte decepti valeat; nulla enim est ratio, ob quam decipiens ex parte suâ liberetur ab obligatione; maximè cum contractus sponsalitius non claudicet. Vnde, si obligatio est ex vnâ parte, erit etiam ex aliâ, & hoc verum est in nostris principiis, siue decipiens habuerit intentionem se obligandi, siue non, dummodo exteriùs protulerit verba promissionis seriò, & liberè id enim sufficit ad inducendam obligationem iuxta dicta *dub.* 4.

339. *Assertio* 4.

Assero 4. qui celebrauit per dolum tantummodò incidentem, & non circa substantiam, sponsalia, & ita erat affectus, vt adhuc sponsalia celebrasset, etiamsi dolus, & error non fuisset; non solùm obligatur tali contractu, sed neque potest propriâ auctoritate resilire, imò; nec possunt talia sponsalia ex eâ tantùm causa dissolui. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 65. num.* 2. Ratio verò est, quia in tali casu ignorantia, seu error non causat inuoluntarium circa substantiam; neque ex parte inferentis dolum habuit effectum vitiantem contractum sponsalitium, neque enim censetur error, seu dolus causa eius contractus, cuius consensus independenter habitus fuit ab eâ veritate, cui dolus ille, seu error opponitur, vt ex se patet; haberetur enim consensus independenter à tali veritate cognitâ siue ignoratâ. Probatur vlterius, quia decepto non permittitur contractum rescindere, vbi dolus causam non dedit, sed tantùm permittitur agere ad interesse, vt probat Sanchez *suprà* cum Molina *tomo* 2. *de iustitiâ disp.* 532. *paragrapho dubium est verum.* qui alios refert. Item, quia, quando sponsalia ob notabilem rerum mutationem, siue subsequutam, siue præcedentem, ignoratam tamen, dissolui possunt, id prouenit ex tacita cõtrahentis voluntate; quia, si ea mutatio à principio extitisset, vel fuisset cognita, impediret spõsalia contrahi, de quo legi potest idem Sanchez *disp.* 62. *num.* 3. sed in hoc casu, vt supponimus, non impediret: ergo non dat ius ad rescindenda sponsalia, maximè, cùm non possit dici notabilis mutatio denuò cognita, quæ non ignorata in principio contractus, illum non impediret. Pro qua sententia meritò refert Sanchez. Molinam *eodem tomo* 2. *disp.* 272. §. *Deinde, si mulieri.* Vbi docens promittentem mulieri, quam virginem existimabat matrimonium, non teneri detectâ defloratione; addidit (quasi id limitans) *si vitium sciens non promisisset.*

Ratio 1. *Ratio* 2. Sanchez. Molina. *Alij.* *Ratio* 3. Sanchez. Molina.

340. *Obiectio* 1.

Obiiciet tamen aliquis, si liber contrahat cum serua ignarus conditionis, Matrimonium est nullum, etiamsi contrahens eo esset affectu, vt, si sciret, adhuc contraheret, quia ibi non est consensus voluntarius positiuè, & actu, sed tantùm habitu & animi præparatione; hoc autem videtur contingere in nostro casu; ergo eodem modo non valebit.

341. *Respõdetur.*

Respondetur disparem esse rationem; quia in eo matrimonio defuit consensus substantialis, qui necessariò debet esse absque conditionis errore, eò quòd ius aliter consensum irritet. Ideò, vt verum esset matrimonium, necessarius erat consensus actualis; in nostro autem casu non deficit consensus substantialis, tantumq́ue conceditur dissoluendi ius ex habituali quâdam voluntate, quâ contrahens illius conscius non consentiret. Quare cùm talis voluntas habitualis cesset per contrariam voluntatem habitualem, imò per contrariam actualem expressam, vel virtualem, nullum dissoluendi ius habebit. De habituali autem voluntate, an in hoc casu sit; vel potiùs actualis? paulo post dicam.

342. *Obiectio* 2.

Obiiciet quis secundò. Conditio mente retenta nihil operatur in contractibus. *L. Cùm in plures 62. paragrapho Locator horrei* ff. *Locati*, sed affectus ille, & voluntas conditionalis, *si scirem adhuc contraherem*, mente retinetur: ergo nihil operabitur, sed integrum erit sponso dissoluere sponsalia, perinde, ac si eum affectum non habuisset.

343. *Respõdetur.* Sanchez.

Respondeo cum Sanchez cit. disp. 65. n. 3. distinguendo maiorem, vt vera sit, tantùm in iis conditionibus, quas oportet vtique contrahenti

henti cognitas esse; secùs verò, si conditio sit ex iis, quæ contrariam voluntatem actualem, vel habitualem ei, quæ verbis exprimitur, includat, vt contingit in nostro casu; quia verba planum & absolutum omnino consensum indicant, & tantùm ex præsumptâ voluntate habituali admittunt eam conditionem. Sufficiet ergo contraria voluntas habitualis intus latens.

344. *Non tantùm ibi voluntas habitualis est, sed potius actualis.*

Ego verò non tantùm habitualem voluntatem agnosco contrahendi, etiamsi talis error, aut deceptio non adesset; sed potiùs agnosco actualem, virtualem, contentam scilicèt in eo affectu, quo quis actu contrahit, ita, vt talis sit affectus erga personam, cum qua contrahit, vt merito censeatur virtute continere talem vim, vt etiam reuelato errore, affectus ille adhuc perseueraret. Si autem velit hoc Sanchez appellare habitualem affectum, facilè concesserim, sed modus loquendi non placet; nam habitualis affectus dicitur, quando præcessit in animo actualis, qui nondum est retractatus, etiamsi in nullo effectu sui maneat, vt notauimus agentes *de sacramentis in genere. Tract. 1. disput. 3. dub. 6. num. 79. & 82.* In nostro autem casu non necessariò supponimus præcessisse aliquem affectum actualem, & quasi reflexum contrahendi, etiamsi talis error, aut deceptio non esset, aut etiamsi deficeret ea circumstantia, quæ per errorem deficere censetur; sed dicimus sufficere talem affectum, & animum contrahentis, qui ita affectus sit, vt etiamsi talis ignorantia non esset, aut error, deficeretque circumstantia, quæ adesse falsò existimatur, adhuc vellet contrahere. Quando ergo affectus talis esset, etiamsi tantùm mente retineretur, valet contractus, nec licet ab eo resilire propter huiusmodi errorem, aut dolum, talis enim licentia resiliendi innititur necessariò illi volùtati, seu affectui, quo quis censetur non contracturus, si talis error non fuisset, sed veritas cognosceretur, talis autem voluntas, & affectus non censetur, nec potest adesse in nostro casu, in quo quis ita est (saltem virtualiter) affectus, vt, quamuis non deciperetur; sed sciret veritatem, adhuc contraheret.

DVBITATIO XXIV.

An sponsalia clandestina sint valida, & licita?

345. *Quæ sint sponsalia clandestina. Prima sententia censet inualida.* Matienzo. Albornoz. Menoch. Alexand. de Neuo. *Probant* 1. *Exiure ciuili.* Tridentin.

ILla dicuntur sponsalia clandestina, quæ non celebrantur coram parocho, & testibus. Prima sententia circa illorum valorem affirmat esse inualida. Ita Matienzo *lib. 5. Recopil. tit. 1.* Albornoz, & Menochius apud Sanchez *libr. 1. disp. 12. num 1.* Alexander de Neuo *Rubricâ de sponsalibus num. 6.* dum ait quoties annullatur Matrimonium, eo ipso annullari sponsalia. Probari potest 1. ex l. *Oratio* ff. de *sponsalibus.* vbi dicitur *Oratio, quæ quasdam nuptias senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil loquuta est: rectè tamen dicitur etiam sponsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti, ut suppleatur quod orationi deest:* ergo eo ipso, quod Tridentinum irritauit matrimonia clandestina, censetur etiam sponsalia clandestina irritâsse. Secundò quia inhabilis ad Matrimonium censetur etiam inhabilis ad sponsalia; sed post Tridentinum in locis, vbi publicatum est, homines sunt inhabiles ad Matrimonium clandestinum: ergo ad sponsalia clandestina. Tertiò, quia pœna imposita matrimonio clandestino censetur imponi clandestinis sponsalibus: ergo inhabilitas imposita vni contractui clandestino, imponitur alteri. *Probant* 2. *Probant* 3.

Secunda sententia omnino vera affirmat esse valida. Et communis sententia Doctorum, quos in magno numero refert Sanchez citatâ *disp. 12. num. 2.* quibus adde Cardinalem Tuscum *tomo 7. conclus. 406.* Valentiam, Sà, quos refert, & sequitur Bonacina *q. 1. punct. 7. numer. 11.* Perez *disp. 5. sect. 2.* & alios Recentiores. Quod etiam sensit Congregatio Cardinalium, quam refert & sequitur Rebell. *lib. 4. q. 5. num. 49.* ait enim Congregatio *Decretum Tridentini, quo statuit, vt matrimonium fiat coram Parocho, & aliis testibus non habere locum in sponsalibus.* Ratio verò, omissis aliis, est, quia nullo iure positiuo aut naturali sunt irrita sponsalia clandestina: ergo quantumuis clandestina valebunt; non enim sunt irrita naturali, vt patet. Positiuum autem ius nullum extat irritans matrimonium, nedum sponsalia clandestina; nisi tantùm Decretum Tridentini *sess. 24. de matrimonio c. 1.* ibi autem solùm fit mentio matrimonij: ergo sine ratione extenderetur decretum ad sponsalia, vt patebit ex solutione argumentorum. 346. *Secunda & vera sententia est valere. Doctores cõmuniter apud Sãchez.* Tuscus. Valentia. Sà. Bonacina. Perez. *Alij Recentiores.* Congreg. Cardinal. Rebellus. *Ratio practica.* Tridentin.

Ad primum argumentum respondetur legem prohibentem, aut irritantem matrimonium etiam prohibere, aut irritare promissionem efficiendi Matrimonium eodem, modo, quo Matrimonium celebrari prohibetur, nam eo ipso promissio est rei illicitæ seu prohibitæ; atque adeò nulla: quare promissio contrahendi matrimonium clandestinè prorsus nulla est, particulâ scilicèt *clandestinè* se tenente ex parte Matrimonij; quia ergo contrahere clandestinè matrimonium est prohibitum & nullum, prohibita quoque est, & nulla promissio contrahendi clandestinè, non tamen ideò sequitur prohibitam, aut nullam esse clandestinam promissionem contrahendi solemniter. Præterea quando matrimonium absolutè, & omnimodè prohibitum est, aut nullum, aut quæcunque alia actio prohibita est, aut nulla, eo ipso promissio talis Matrimonij, aut talis actionis prohibita, est, & nulla, quocunque modo fiat, vt, quia Religioso professo matrimonium prohibitum est, & nullum, aut donatio alicuius momenti independenter à voluntate superioris, quocunque modo hæc fiant, consequenter promissio prædictorum prohibita est, & nulla absolutè, sicuti absolutè prohibitum est matrimonium, & cætera. 347. *Respõdetur ad 1. argumentum.*

Hoc modo intelligenda est lex *Oratio* citata pro contraria sententia, sicut & lex *si quis Tutor. 60. vers. quamuis* ff. *de ritu nuptiarum.* Vbi dicitur: *quamuis verbis orationis cautum sit, ne vxorem Tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, nec desponderi quidem posse,* quia nimirum absolutè, & omnimodo prohibito Matrimonio, promissio illius quoque prohibita censetur, & nulla; promittere tamen matrimonium contrahere 348. *Explicatur lex Oratio citata & lex Tutor.*

here eo modo, quo iubet Ecclesia, non est promissio rei prohibitæ; sed licitæ, neque vllo iure probatur promissionem ipsam alterius contractus debere fieri cum eisdem circumstantiis, quibus fieri debet contractus ipse promissus. Ex qua doctrina patet solutio ad secundum.

Ex dictis solutum est secundū argumentum.

Ad tertium respondetur, negando pœnam impositam Matrimonio clandestino censeri impositam sponsalibus, id enim falsum est, & sine fundamento dicitur, vt cum multis probat Sanchez *citato n.* 2.

349. *Ad 3. Respondetur. Sanchez.*

Circa secundum, quod quærit titulus dubitationis non pauci putant sponsalia clandestina esse illicita. Ita Paludanus *in* 4. *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 2. Sylvest. & alij apud Sanchez *disp* 13. Caietanus in *summâ* & *Armilla verbo sponsalia.* Fundamentum præcipuum est; quia loco citato Tridentini prohibetur Matrimonium clandestinum sicut priùs etiam prohibebatur in *c. finali de Clandestina dispensatione*: ergo etiam censentur sponsalia prohibita. Consequentiam probant ex citata *l. Oratio* & ex *l si quis tutor.* Ex quibus putant colligi, prohibito aliquo actu, censeri prohibitum, quidquid ad illum ordinatur.

350. *Secunda pars dubitationis explicatur. Multi putant sponsalia Clandestina non licere.* Paludan. Sylvester. *Alij.* Caietan. Armilla. *Fundamentum præcipuum. Probant ex iuribus citatis.*

Oppositum verò satis constat ex dictis, nullum scilicet esse peccatum; prohibitionem verò matrimonij clandestini non extendendam esse ad sponsalia. Ita præter Sanchez cum aliis multis, quos refert loco citato, docent Coninc *disp.* 21, *dub.* 2. *num.* 20. Bonacina *suprà num.* 12. & alij apud citatos, quibus adde Hurtadum *disp.* 1. *diffic.* 16. *num.* 69. Perezium *disp.* 5. *section.* 2. *numer.* 5. quod satis declarauit Congregatio Cardinalium citata apud Rebellum *num.* 56. vbi expressè dicitur de eâ lege, *habet dumtaxat locum in matrimonio per verba de præsenti, non autem cùm sponsalia per verba de futuro contrahuntur.* Ratio verò est, quia nec sunt prohibita iure naturali, nec iure aliquo positiuo, vt constat ex simili discursu facto in priori parte huius dubitationis; sicut enim ex eo, quòd Matrimonium sit à Tridentino irritatum; si clandestinè fiat, non probatur clandestina sponsalia fore irrita, ita, nec ex eo, quòd ibidem & *citato c. finali* prohibitum sit matrimonium clandestinum, colligi debet sponsalia esse prohibita; nec *lex. Oratio*, aut *lex. Si quis tutor.* aliquid ampliùs probant in prohibitione, quàm id, quod *suprà* diximus in irritatione, sed eodem modo sunt omnia explicanda in hoc casu.

351. *Oppositum constat ex dictis. Sanchez cū multis.* Coninc. Bonacin. Hurtadus. Perez. Congreg. Cardinal. Rebellus. *Ratio.*

DVBITATIO XXV.

An qui renuit implere sponsalia, ad quæ tenetur, cogendus sit per iudicem & à quo iudice?

352. *Implenda sponsalia tempore præstituto. Quid faciēdum si nō sit præfitutū?*

SI pro sponsalibus implendis tempus aliquod determinetur, in illo implenda sunt, si verò nullum sit tempus præfixum, tunc quando alteruter contrahentium velit, impleri debet, si commodè fieri possit, quod generale est omnibus contractibus, quod si neuter petat, differri potest impletio, nisi fortè quis timore impeditus non audeat, aut oblitus non meminerit petere solutionem eius, quod sibi debetur. Dubium ergo procedit, quando alter non vult implere; an altero petente cogendus sit, non solùm in foro conscientiæ à Confessario negando absolutionem, si nolit implere; sed etiam à iudice per censuras aut alias pœnas?

Status præsentis dubij.

In hac re non consentiunt Authores, quidam negant esse cogendum à iudice, idque colligunt *ex c. Requisiuit.* 17. *de sponsalibus*, vbi quædam femina, quæ matrimonium promiserat, & iuramento firmauerat promissionem, dicitur non cogenda ibi. *Cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus habere.*

353. *Negans sententia. Probat ex iure Canonico.*

Alij verò affirmant esse cogendum, idque probant *ex c. ex litteris & 2. de sponsalibus.* vbi de quodam, qui sub iuramento matrimonium promiserat, sic dicitur, *quia contra iuramentum venire periculosum est mandamus, vt eum moneas, &, si monitis non acquieuerit, censurâ compellas, vt ipsam, nisi rationabilis causa extiterit, in vxorem ducat.*

354. *Affirmans sententia. Probat etiā ex iure Canonico.*

In priorem sententiam videtur inclinare D. Thomas *in* 4. *distinct.* 27. *q.* 2. *artic.* 1. *ad* 2. tanquam certum relinquens non esse cogendum, vbi deest iuramentum; vbi autem illud adest, refert duas sententias, primam, quæ affirmat esse cogendum, secundam, quæ negat, & hanc vltimo loco referens, & non reiiciens videtur illi assentire. Quam etiam sequuntur, Angelus, Armilla, Anastasius, Germonius, Angles, Segura, Manuel, Rodriquez apud Sanchez *disputation.* 29. *numer.* 2. Limitat verò Manuel Rodriquez; nisi sequatur infamia, & expressè Armilla & Angles addunt non esse cogendum, etiamsi iurauerit.

355. *D. Thomas inclinat in priorē sententiam si non sit iuramentum. Quid si sit iuramentū? Duæ sunt sententiæ. Affirmans & negans. Pro negāte.* Angelus. Armilla. Anastas Gemor. Angles. Segura. Rodriq. *Limitatio.*

Alij verò, qui dixerunt esse cogendum, intelligunt in casu, quo iuramento promissionem confirmauerit; in hoc enim casu loquitur prædictus Text. *c. Ex litteris*, docentque multi, quos refert Sanchez *supra numer.* 3. Ex quibus aliqui, vt Sotus in 4. *dist.* 27. *q.* 2. *artic.* 3. Vega lib. 2. summæ docent etiam si adsit iuramentum non esse cogendum, nisi multa sperentur commoda, & nullum inconueniens timeatur.

356. *Affirmant alij cū limitatione ad iuramentū. Multi apud Sanchez.* Sotus. Vega.

Tertia sententia probabilior, & magis communis est iniustè recusantem implere sponsalia, etiam non firmata iuramento ordinariè, & per se cogendum esse à iudice; aliquando tamen, & per accidens cogendum non esse, quātumuis iurauerit, quando, videlicèt ex tali matrimonio timetur malus exitus. Ita Sanchez *disp. illâ* 29. *num.* 4. Coninc *disp.* 22. *dub.* 2. Henriquez *lib.* 11. *de Matrimonio c.* 13. *num.* 4. qui, sicut & Sanchez docet priùs monendum esse, &, si renuat, cogendum esse per censuram, imò addit Henriquez per carcerem. Pro eadem sententia refert Sanchez innumeros Theologos, & Canonistas ibi legatur, quibus adde Perezium *disputat.* 11. *sect.* 1. *num.* 2. & 3. & 4. Sanchez eodem loco rectè aduertit *num.* 5. studiosius compellendum esse, quando iuramentum sponsalia confirmauit, vt notant etiam alij ibidem relati. Porrò, quando ex matrimonio inuito mala timentur, & Scandala, vt perpetuæ dissensiones, & iurgia inter coniuges, & similia, non

357. *Tertia sententia probabilior & magis communis.* Sanchez. Coninc. Henriq. *Multi Theologi apud Sāchez & Canonistas Perez.*

non esse cogendum. videtur colligi ex citato c. Ex litteris ibi. *nisi rationabilis causa obstiterit*; rationabilis enim causa est, huiusmodi damna vitare. Atque hac ratione intelligendus est alter textus in c. *Requisiuit. eodem tit. de sponsalib.* Ita, vt quando dicitur non esse cogendum, intelligatur, quando rationabilis causa extiterit, colligiturque ex ratione eiusdem Textus ibi. *Cùm coactiones difficiles soleant exitus habere.* Illa autem verba *monenda est potiùs, quàm cogenda*, tantùm significant priùs esse monendam, vt habetur in *citato c. Ex litteris.* non tamen negat esse cogendam si monitis non acquieuerit.

358. *Cur secluso periculo & posito iuramento cogi debeat. Et etiã sine iuramento in tali casu cogendus est.*

Quod autem secluso periculo mali exitus, cogendus sit maximè, quando simul adest iuramentum, ipsa naturalis ratio dictat. Ad iudicem enim Ecclesiasticum maximè pertinet cogere ad implendum iuramentum, cuius violatione Diuinus honor contemnitur. Imò, licèt iuramentum non adsit, satis etiam constat ad iudicem pertinere compellere, vt vnicuique petenti suum debitum (præsertim ex iustitia) soluatur. Neque obstat, quod in *c. Ex litteris* solùm fiat mentio iuramenti, vt ille compellendus sit; neque enim inde colligi potest non esse cogendum ad sponsalia non iurata. Nam illius mentio maximè facta fuit, quia non solùm sufficiens causa cogendi erat; sed maior, quàm mera promissio. Quòd verò, quando mala inde grauia timentur, cogendus non sit; præterquam quod indictis textibus, vt vidimus significatur, ratione etiam constat; quia iudex non solùm non debet cogere, seu compellere, quin potiùs à compellendo abstinere tenetur, quando ex eâ compulsione timetur in Republica maius malum turbationis, aut scandali, quod prudenti arbitrio considerandum est.

Occurritur obiectioni.

Cur si timẽtur mala nõ sit cogendus.

359. *Illatum ex dictis.* Sanchez. Perez. Coninc. *Alij plures*

Vnde placet quod colligunt Sanchez & Coninc *supra* Perez *supra n.* 6. & alij plures apud ipsos, nempe quòd quando iudex nolentem admonuit, & pertinacem excommunicauit, non debet contra eum, si adhuc in pertinacia perseueret, vltrà procedere; sed eum absoluere; ex tali enim matrimonio coacto non potest non timeri maius damnum. Quæ doctrina locum habet, etiamsi tale periculum, aut alia rationabilis causa non deobliget ipsum renuentẽ, (quidquid in contrariũ sentiat Basilius) adhoc enim, vt iudex non vlterius procedat, neque hominẽ detineat in excommunicatione, sed prudenter illum absoluat, sufficit, quòd prudenter timeat prædicta mala, sub quorum periculo magis rationi consonum videtur à compulsione abstinere, maximè, si compulsio sit extraordinaria; hæc enim est, quæ præcipuè videtur, non approbari *in c. illo requisiuit.* dum dicitur *monendam potius esse quàm cogendam* scilicèt coactione extraordinaria. Nam ex matrimonio extraordinariè coacto exitus difficiles meritò timeri possunt. Legatur Sanchez loco citato, vbi rectè probat & explicat, quomodo se gerere debeat iudex, & rectè etiam docet non esse necessarium, vt iudici iuridicè constet de periculo scandali, aut mali exitus, sufficit enim quod prudenter iudicet ex iis, quæ ipsi sunt nota etiam priuatâ cognitione. Quare sufficit, vt iudex ex circumstantiis prudenter arbitretur ea scandala esse sequutura. Itẽ prudenter iudex debet procedere, & temperare à strictissimâ coactione ne fortè consensus requisitus desit ad matrimonium. Ideo, si spõsum videat obstinatum, monitione potiùs vtendum est, quàm coactione, vt cum multis docet idem Sanch. n. 7. Quod autem Sanchez non requirat perfectam iudicialem cognitionem intelligi debet, quando iudex dispensando rescindit cõtractum ob rationabilem causam subsistentem maioris mali, quia in dispensationibus aliarum etiam obligationum sufficit prudens & probabile arbitrium legitimi dispensatoris. Secùs verò erit, si velit tanquàm iudex iudicare & declarare in eo euentu non valere sponsalia. Tunc enim necessaria est cognitio iudicialis, quã requirit Basil. *l. 12. de sponsalib. c. 6.* quo sensu explicat doctè vtramque sententiam Sanchezij; & Basilij easque conciliat Martinus Perez *disp. 11. sect. 2. n. 4. & n. 5.* cum Sanchezio verò & aliis dispensationem tribuit soli Papæ, & non Episcopo, sed hoc non est huius loci ibi legatur.

Notandum pro praxi.

Basilius & Sanchez recte cõciliati à Perez.

Sanchez præterea *n.* 9. docet iudicem cõpetentem huius coactionis esse iudicem vtriusque fori, dummodo de sponsalium valore non agatur; tunc enim solus Ecclesiasticus iudex poterit; quando autem de sponsalibus validis constat, potest iudex sæcularis ad ea compellere etiamsi iuramento firmata sint. Quamuis autem *l. 7. tit. 1. Partita 4.* dicatur *Esta apremia deue ser fecha por la Santa Iglesia* intelligendum est regulariter; quia ordinariè solet opponi, vel sponsalia non fuisse valida, vel esse legitimã rescindendi causam, de quâ solus iudex Ecclesiasticus cognoscit, vt diximus in nostro *opere de iust. l. 2. tr. 1. disp. 4. n. 270.* vbi potest videri.

360. *Quis sit cõpetens iudex prædicta coactionis.* Sanchez.

DVBITATIO XXVI.

An in sponsalibus possit apponi pœna, quæ obliget iniustè resilientem, saltem, si iuramento firmentur?

361. *Assertio.*

Asserendum est nullam pœnam posse grauem, aut leuem apponi soluendam ab eo, qui non steterit sponsalibus; etiamsi iniustè resiliat, quæ licèt de facto apponatur, non obligat in externo, vel interno foro à quocunque fuerit apposita. Ita Cardinalis Tuscus *tomo 7. conclus. 401. numer. 3.* Camerota *c. 2. de matrimonio dub. 9.* Naldus *verbo sponsalia num. 10.* & alij ferè communiter, quorum plures refert Sanchez *disp. 30. n. 3.* quam sententiam etiam docet idem Sanchez ibi & *n* 2. item alij apud Gutier. *de matrimonio c. 17. n. 2.*

Tuscus. Camerota. Naldus. *Alij cõmuniter apud Sanchez & apud Gutierrez.*

362. *Probatur ex iure vtroque.*

Colligitur hæc doctrina ex multis iuribus; neque enim tantùm habetur *in l. Titia 134. ff. de verbũ oblig.* & *in l. mulier 5 C. de sponsalibus.* sed etiam in iure Canonico *in c. Gemma 29. de sponsalib.* Quod ius non tantùm in inualidis; sed etiam in validis locum habet. Fruſtrà verò reclamant Coninc *disputation. 22. dubitation. 5.* Basilius Ponce *cap. 19. num. 8.* Martin. Perez *disputation. 7. section. 1. num. 6.* & alij, & contendunt probare ex illo *cap. Gemma* & ex illa *lege Tibia* non colligi; quamuis enim ibi casus fuerit de sponsalibus inualidis, nihil obest, nam

Reclamant Coninc & Basilius. Martin. Perez & alij.

decisio, & decisionis ratio generalis est pro quouis resiliente.

363. *Non solùm pœna habet locum in contrahentibus sed etiam in parentibus illorum. Etiã inter propinquos, & stricte amicos. Probatur ex iure Canonico.*

Quæ decisio non solùm habet locũ in pœnâ soluenda & apposita ab ipsis cõtrahentibus, sed etiam inter parentes eorum, in quo cõmuniter conueniunt Doctores, imo etiam inter sponsorum propinquos, & inter strictè amicos eorundem, imò & inter eos, quibus spõsi subditi sunt, & à quibus pati possunt graue aliquod dãnum, vt rectè docet, Sanchez cum aliis, colligiturque satis ex citato *c. Gemma*, in quo generaliter reprobatur pœna, quâ contrahentium libertas possit impediri. Impediri autem potest pœnâ appositâ, inter quoslibet prædictos.

364. *Leuis etiam pœna non habet locũ. Sanchez. Couarr.*

Idem dicendum est, etiamsi pœna sit leuis, vt rectè Sanch. *suprà*, & Couarr. 4. *Decretalium* 2. *p. c.* 3. §. 7. in iis enim iuribus absolutè reiicitur pœna; modica autem pœna verè pœna est, & aliqualiter impedit libertatem.

365. *Quid si pœna apponatur inter extraneos? Non prohibetur. Sanchez. Gutierr. Alij communiter.*

Quod si fortè apponatur pœna, pœnalisue conuentio fiat, inter omnino extraneos id est, nec propinquos, nec amicos, non videtur prohibitum id facere; nam conuentiones extraneorum non compellunt sponsos ad implendũ matrimonium, cùm nihil ad sponsos pertineat, quòd extraneus aliquis pœnam soluat, si non steterint promissis, nec de hoc iura loquuntur, sicuti notauit Sanchez *suprà n.* 4. Gutier. n. 10. & alij communiter.

366. *Inter propinquos non prohibetur pœna vt propinqui curent matrimonium celebrari. Ratio.*

Poterunt tamen amici sponsorum, vel etiam propinqui eorum, aut parentes pœnam apponere, quâ se obligent ad curandum, vt matrimonium celebretur; id enim nullo iure prohibetur; solùm enim prohibetur pœna, quâ imponatur sponsis aliqua necessitas contrahendi matrimonium, qualis non est in eo casu, nam eo ipso, quòd propinqui, vel amici curauerint, vt matrimonium contrahatur, ad nihil soluendum obligantur, etiamsi ipsimet sponsi nolint contrahere, ac proinde nulla necessitas sponsis imponitur ex eo capite. Ita Couarruu. Rebell. Gutierrez. Sanchez. 2. *p. c.* 3. §. 2. *num.* 5. Rebell. *lib.* 4. *de sponsalibus q.* 7. *numer.* 1. Gutierrez *supra numer.* 9. Sanchez *supra numer.* 4.

Couarruu. Rebell. Gutierrez. Sanchez.

367. *Limitatio prædicta prohibitionis à Molina & Suario facta reiicitur.*

Molina tamen *tom.* 1. *de iustitia disputat.* 151. Coninc *disputat.* 22. *dub.* 5. *n.* 29. Suar. *lib.* 2. *de iuramento cap.* 23. putat conuentionem pœnalem esse tantum modo prohibitam, quando facta fuit indistinctè, vt scilicet soluatur, si sponsalia dissoluta fuerint, siue iustè, siue iniustè; non verò, quando apponitur, vt soluatur ab eo, qui dissoluerit sponsalia sine causa; Verum cũ leges supra absolutè & generaliter loquantur, nec distinguant; seruanda & illa regula. *Vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

368. *Dubium an obliget pœna si adsit iuramentũ.*

Auctores tamen etiamsi in prædictis cõmuniter consentiant disputant; an iuramentum appositum in confirmationem talis pœnæ obliget ad ipsius pœnæ solutionem?

369. *Sententia negans obligare, probabilis. Sanchez. Ratio præcipua.*

Sanchez *disp.* 32. appellat hanc quæstionem grauissimam, & latè eam tractat, negatque tale, iuramentum obligare. Estque sententia satis probabilis, cuius præcipuum fundamentum est, inprimis illud commune quod iuramentum contra bonos mores præstitum non obligat. Quod meritò intelligit, contra bonos mores naturales, nam contra bonos mores ciuiles tãtùm, quando scilicèt res promissa in se non est peccatum; sed solùm bonis moribus; quos in benè instituta Republica seruari decet, & potest, facilè, præiudicium afferre, nõ est ita certũ tale iuramentum non obligare. Qua de re legi potest Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 151. in solutione ad primum, & alij apud ipsum Sanchez, qui saltem putant necessariò fatendum tunc tantùm iuramentum homini præstitum non obligare, quando sine culpa saltem veniali impleri non potest. Contendit autem Sanchez *eadem disp.* 21. huiusmodi promissionem pœnæ soluendæ, vtpote interdictam propter vtilitatẽ publicam; quia interdictio est propter matrimonij libertatem iuxta *l. finalem C. de spansalibus.* ibi. *Cùm in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat, & citato c. Gemma* ibi. *Cum ita libera matrimonia esse debeant.* maximè autem Reipubl. expedit libera esse matrimonia, ex coactis enim iurgia, dissẽsiones, mala liberorum educatio, & alia sequuntur. Atque ita sentiunt plures alij, quos ipse refert, & Gutierr. *sup. n.* 19. & 21. Bonacina *q.* 1. *puncto vltimo*, & alij Recentiores, atque in vniuersum de iuramento confirmante contractum Legantur quæ dicemus in *Tr. de iuramento disp.* 3. *dub.* 11. *maximè difficult.* 3.

Molinã. *Probatur ex iure.* Gutierrez. Bonacina. *Recẽtiores.*

370. *Alij probabiliter putãt obligare.*

Nõ desunt verò, qui satis probabiliter putẽt talem pœnam obligare; quamuis enim appositio pœnæ esset illicita, non satis inde colligitur, quòd pœnæ solutio illicita esset; neque satis putant probari appositionem pœnæ illicitã esse, seu nullam; neque si illicita esset, solutionem quoque fore illicitam. Ita Less. *de iust. c.* 17. *dub.* 7. *n.* 56. quem eius assecla Coninc refert, & sequitur *disp.* 22. & Perez *sup. n.* 7. Probant verò; quia nullo iure satis probatur talem stipulationem esse peccatũ, cùm ad nihil quod prohibitum sit obliget, neque enim solutio pœnę est prohibita ratione sui, vt patet, neq; ex eo, quòd sit solutio pœnæ, quæ sit illicitè apposita; nam etiã solutio pecuniæ oblatæ homicidæ, quâ conductus est ad homicidium patrandũ licita est; quantũuis conductio fuerit illicita; ex eâ enim solutione non approbatur conductio, sed satisfit obligationi relictæ ex conductione; iuramentum autẽ obligat, quoties licitè impleri potest, vt dicitur *in c. Debitores*, & *in c. si verò de iureiu.* ergo in nostro casu solutio talis pœnæ non est approbare solutionem pœnæ prohibitam, seu illicitam, nec prędicti iuramenti impletio illicita est, cùm nec prohibita sit iure aliquo positiuo, vt patet, neq; impletio illius, directè nocet bono publico; etiamsi ei non sit expediens, hoc autem non sufficit, vt iuramentum illius non obliget, sicut etiam non sufficit, vt iuramentũ factum latroni inuadenti de dando illi pecunias non obliget.

Less̃ius. Conine. Perez. *Probant.*

Argumentũ à simili.

371. *Præfertur præcedens sententia.*

Hæc sententia, probabilis etiam est; sed mihi videtur probabilior præcedens; neq; argumẽta, quæ adducuntur à paritate petitâ aliquid probant; nam in solutione vsurarũ, & in solutione cõducti ad homicidiũ, cui promissa est pecunia, itẽ in solutione rei promissæ latroni inuadenti, nulla apparet, neq; est malitia, nec dãnũ irreparabile, id autẽ totũ reperitur in solutione pœnæ appositæ spõsalibus, nã, si quis propter sanctitatẽ iuramẽti adstringatur ad cõtrahendũ matrimonium,

Declaratur & satisfit oppositis fũdamentis.

nitũ, vel soluendâ pœnam, maximè grauẽ, sæpe fiet, vt pro vitandâ pœnâ contrahatur matrimonium, atq; adeò non liberè sed coactè. Est autẽ damnum irreparabile, cùm matrimoniũ sit indissolubile vinculum. Vnde sequẽtur ea omnia incõmoda, quæ iura citata annulando talẽ appositionẽ pœnæ vitare voluerunt; tale autẽ dãnum non sequitur ex solutione vsurarũ, & aliorum, quæ in exemplũ adducuntur. Itaq; esse talẽ personã iurantẽ adstrictam tali iuramento ad soluendam pœnam; si matrimonium non contrahat, necessariò facit, vt matrimonium satis liberè non contrahatur, atque adeò contrauenitur fini legis, & non obtinetur bonum illud commune libertatis matrimonij, quod lex intendebat; atque hoc dissonat rationi.

372. *1 Obiectio ex iure ciuili.*

Opponet tamen aliquis *Nouell.* 18. Imperatoris Leonis, vbi dicitur *quod consuetudini placuit, vt in sponsaliũ reprobationibus pœnæ imminerent iis, qui reprobare instituerent, id in legis auctoritatẽ collocamus.* Quibus verbis videtur approbari pœna aliqua, quæ immineat iis, qui reprobant sponsalia, & talem pœnam legis auctoritate confirmari.

373. *Respõdetur.*

Respondetur tamen, ibi non agi de pœnâ appositâ ab ipsis contrahentibus; sed de pœnâ infligenda à iudice ob violationem sponsalium, quod nihil obstat nostræ doctrinæ.

374. *Conuentio quædam licita inter contrahẽtes de recompẽsando dãno.* Sanchez. Baldus. Salicetus. Præpos. *Idem de lucro cessante.* *Ratio.* *Cauendum in hac doctrina.*

Illud autẽ negari non debet, quod docet Sãch. *disp.* 30. *n.* 15. cũ Baldo, Saliceto, & Præpos. posse inter contrahentes fieri conuentionẽ, vt, qui iniustè resilierit à contractu sponsalitio recõpẽset alteri damnum: quod ei emerserit ex eo quòd sponsalitia facta sint, & non impleta. Idemque iudicium est de lucro cessante ob eandem causam; id enim non est pœnam soluere; sed mera recompensatio iure naturali iustitiæ debita; non tamen ideò censetur esse locus compensationi in lucro diuitiarum, quod debebat reportare ex matrimonio, cuius fuit promissio; adhoc enim lucrum, non habet ius, nisi post contractũ matrimonium. Ideo, si conuentio id recompensandi fieret, esset nomine palliata recompensationis vera appositio pœnæ. Ita multi apud Sanch. nu. 14. Gutierr. c. 17. n. 14. Rebell. supra n. 5.

375. *2. Obiectio. Argumentũ ex iure Canonico à simili pœnâ.* Riccius. Perez.

Obiiciet aliquis 2. qui iniit sponsalia, eaque iurauit, potest per iudicem, vt vidimus *dub.* 25. cogi per censuras implere promissionem *iuxta c. Ex litteris.* & Auctores ibidem citatos, & alios, quos refert Riccius. *Verbo. Praxis matr. decis* 231. *num.* 5. Ergo, si excommunicationi locus est, quæ est grauissima pœna, etiam erit locus pœnæ pecuniariæ & similibus. Quod argumentũ etiam vrget Perez & alij.

376. *Respõdetur.*

Respondetur nos solùm negare pœnas conuentionales inter contrahentes, aut inter personas ad ipsos spectantes, non verò negare pœnas infligendas à iudice cogente resilientem ir. iustè implere contractum, & stare promissis eo modo, quo diximus *eadem dub.* 25.

377. *Quæsitũ 1. quale sit hoc peccatum.*

Quæret tamen aliquis primò, quale peccatum sit apponere in sponsalibus eiusmodi pœnam?

378. *Quidã putãt veniale.* Sanchez. Gutierr. Caietan. Armilla. Couarr. *Apud* Coninc. Perez.

Non consentiunt Auctores: quidam aiunt esse veniale peccatum. Ita Sanchez *disp.* 30. *nu.* 2. Gutierrez *c.* 17. *n.* 1. Caietan. verbo *sponsalia.* & Armilla ibi. n. 14. Couarru. & alij apud Coninc *disp.* 22. *dub.* 5. *n.* 23. addo Perezium *disp.* 6. *sect.* 7. Probat Sanchez, quia ea pœna non valet, nec compellit ad matrimonium. Vnde non videtur res adeò grauis. *Ratio Sanchezij.*

379. *Alij nullũ esse peccatũ.* Coninc. Lessius.

Coninc & Lessius *suprà* nullum putant esse peccatum soluere huiusmodi pœnam, atque adeo nec illam apponere.

Alij esse mortale. Bonacina. *Ratio.*

Bonacina *q.* 1. *puncto vltimo* probabilius putat esse peccatum mortale; nam apponentes pœnam faciunt contra legem in materia graui vtpote libertate matrimonij: ergo, nisi ignorantiâ, vel inaduertentiâ excusetur, peccatum erit mortale.

380. *Distinguendũ in hac re.* *Primum membrum distinctionis probatur.*

Ego verò in hac re distinguendũ puto; nã, si pœna apponatur ita, vt non possit promissor illã non soluere, si contractum nõ impleat, quia nimirùm eo ipso, quòd fuerit apposita pœna, quãtumuis sit contra leges, magnum dedecus subibit, si resiliens pœnam non soluat; ita vt quãuis in potestate ipsius sit de facto non soluere pœnã, non tamen in potestate ipsius sit illud dedecus euadere, si non soluat, tunc puto esse peccatum mortale. Quod probo contra Sanchez destructo illius fundamento, dum ait prædictã pœnam non valere, ac proinde non compellere ad matrimonium; quamuis enim pœna non valeat; si stemus in obligatione iustitiæ, appositio tamen illius pœnæ compellit ad matrimoniũ; neque enim potest non solui, quin subeat ille nõ soluens dedecus, & infamiam vt supponimus, apud cæteros ciues eo ipso, quod non soluat: ergo appositio pœnæ ita compellit ad matrimonium in eo casu, vt, si non contrahat, vel pœnam soluat, vel infamiam subeat. *Ratio contra Sanchezij fundamentum.*

381. *Alterum membrum distinctionis. Probatur.*

Si verò, etiamsi pœna apposita fuerit; potest quis citra infamiæ periculum, aliudue inconueniens pœnam sic appositam non implere, tũc vera est opinio Caietani, Sanchez, & aliorum; si enim ad matrimonium non compellit; quia omnino liberè potest ea pœna non solui, non videtur res adeò grauis: nunquàm tamen puto non esse saltem veniale peccatum; nam, si apponatur cum animo non soluendi, saltem ibi est peccatum mendacij, sicut in omni promissione cum animo non implendi; si verò cum animo solnendi, si non impleat; etiam est peccatum habere voluntatem faciendi, quod prohibitum est: est autem prohibitum, vt probauimus, eam pœnam soluere, &, vt minimum erit actus meretè otiosus, & nugatorius id facere, si ad nihil deseruiat: hoc autẽ sufficit ad peccatum veniale.

382. *Quæsitũ 2.*

383. *Resoluitur.* Sanchez. Alciatus. Gutierr. *Alij.*

Quæret aliquis 2. an valeat appositio pœnæ, quando quis dici; promitto sub tali pœnâ, me non contracturum matrimonium cũ Maria.

Respondeo non valere. Ita Alciatus, & alij apud Sanchez eadem disp. 30. & apud Gutierr. *c.* 17. *n.* 7. tollit enim libertatem matrimonij contrahendi.

384. *Pœna apposita pro matrimonio cõtracto non dissoluendo non valet si possit dissolui.* *Sanchez cũ aliis.* Gutierrez. *Probatur ex iure ciuili.* *Notandum ex Alciato.* Sanchez.

Eâdem ratione non valet pœna apposita de matrimonio contracto non dissoluendo in eo casu, quo potest dissolui, vt, si ponatur pœna, si vir, vel vxor dissoluerit matrimoniũ per ingressum Religionis. Ita Sanch. *sup. n.* 9. cum aliis. Gutierr. *n.* 6. & alij, constatque ex lege citata *Titia ff. de verborum oblig. in fine principij* ibi. *Inhonestum visum est vinculo pœne Matrimonia adstringi siue futura siue iam contracta.* Rectè autem notat Alciatus *in dictam legem in principio n.* 6. & cum eo Sanchez, cum hodie, attentâ lege Euãgelica repudia

repudiâ non liceant, valere stipulationem pœnalem, si coniux repudiet coniugem; id enim est iuri conforme.

DVBITATIO XXVII.

An recipiens solutionem pœnæ teneatur illam restituere ante sententiam iudicis?

385. *Proponitur dubium.*

QVamuis dictum sit, nec pœnæ conuentionem, nec illius solutionem, etiam iuramẽto firmatam licere, adhuc restat inquirendum, an, si de facto soluatur pœna, possit recipiens illam retinere, saltem donec per sententiam iudicis condemnetur?

386. *Prima sententia probabilis & tuta negat teneri ante sententiam.* Sanchez. Rebellus. Lessius. Coninc. Mart. Per. Gutierr. *Alij plures.* *Ratio.* *Confirmatur à simili.*

Prima sententia satis probabilis, & in praxi tuta docet non teneri restituere, donec à iudice per sententiam ad restitutionem condemnetur. Ita Sanch. *l.1. disp.31.n* 2. Rebell. *l.4.q.7.21 n.* 2. Less. citatus *dub præced.* Coninc *disp. illâ 22.nu.* 26. Martin. Perez *disp.7.sect.1.n.*1. Gutierr. *c.17.* & alij plures Recentiores, quorum ratio est, quia leges non faciunt recipientem incapacem talis receptionis, sed tantùm liberant alterum ab obligatione soluendi. Confirmatur à simili de ludo, quia qui lusu vetito aliquid amisit, licèt non teneatur soluere; alter potest retinere, vt docet Less. *de iust. c.26. dub* 3 & 4. Quæ de re nos quoque diximus in nostro opere de *iustitia* in proprio Tract. 18. *de Ludo. disp.3. dub.*1. & sequentibus maximè *dub.*4. & 5.

387. *Alij affirmant teneri ante iudicis sententiam.* *Probant.* *Probabilis est hæc sententia.*

Alij verò Recentiores affirmant teneri restituere, etiã ante iudicis sententiam. Probãt; quia illam pœnam nullo titulo retinere potest, sicut, neq; vsurarius, neq; latro, qui accepit pecunias sibi extortè promissas, etiã cum iuramẽto. Quæ sententia est etiã probabilis; nam titulo contractus onerosi, non potest retinere, titulo autem donationis, etiã non potest, quia donatio debet esse liberalis, & spõtanea, neq; titulo promissionis, tã enim promissio, quàm contractus onerosus conuentioque pœnalis prædicta, sunt ipso iure irrita: ergo nullus est titulus, vt retineat.

388. *Distinguẽdũ in hac re.*

In hac re, quamuis vtrumque probabile sit, distinguendum puto, nam, si solutio pœnæ fiat nullâ coactione præcedente; quia nimirũ, si non soluat, neque rixæ, & seditiones cum aliis; neq; infamia, aut dedecus illi proueniant; sed liberè, si velit, possit resilire, & omnino spontaneè velit illam pœnã soluere; poterit retinere recipiens titulo gratioso; est enim merè donatio liberalis; si verò eo ipso, quòd non soluat, aliquid prædictorum prudenter timeat, & ob id vitandum pœnam soluat, non video titulum in recipiente ad retinendum, quod sic accepit; nam eo ipso non est titulus gratiosus, & liberalis; quia coactus dedit; alius autem titulus ex contractu, conuentione, aut promissione præcedenti nullus est, cùm lex irritauerit.

389. *Ex dictis potest vtraque sententia conciliari.*

Atque hac ratione puto posse conciliari vtrãque sententiam; qui enim dicunt posse retinere, agnoscunt donationem liberalem, quæ tamen solùm esse potest iuxta veriorem doctrinam in casu, quo quis spontaneè, & nullâ ratione coactus dat. Qui verò negant posse retinere, loquũtur in casu, quo suâ sponte, & liberè non det; sed coactus aliquâ ratione ex prædictis, vel certè putans se teneri illam soluere; tunc enim nullũ est caput asserendi, aut præsumendi donationẽ liberalem. Atque hâc ratione valent exempla vtriusque sententiæ; nam in exẽplo de ludo ideò potest retinere, quod soluitur; quia, vel non est inualidus ille contractus ludi, quantũuis prohibitus, vel tãtùm est inualidus, quoad forũ externum, in quo non datur actio contra eũ, qui victus est in ludo, vel certè (quod ad nostram rẽ attinet) quia sponte dat, qui soluit absque vllâ coactione, vel deceptione. In exẽplis verò latronis, & Vsurarij, cùm nullus adsit titulus cotractus onerosi, nec donationis liberalis, vt ex se patet, cùm inuitus dederit, aut promiserit ille, qui soluit, nullo modo poterit recipiẽs retinere.

390. *Si iudex præcipiat restitui non potest retineri.*

Quantumuis autẽ in prædictis casibus possit pœnam sponsalium retinere, qui recepit, donec per sententiã iudicis iubeatur restituere; quando tamẽ iudex restituere præcipit, retinere non poterit; nisi factâ in integrum restitutione vel oblata ex parte suâ parti læsæ, ille tunc liberaliter, sine vlla coactione ratum velit habere quod dedit, vel potiùs dixerim, liberalem denuo donationem faciat.

DVBITATIO XXVIII.

An in sponsalibus possint tradi Arrhæ amittendæ ab iniustè resiliente.

391. *Arrharum varia significatio.*

ARrharum nomine varia significari solent: primò significatur donatio facta à viro in dotis præmium, iuxta dicenda *disp.6.dub.*1. secũdò donatio propter nuptias; tertiò pignus, quod inter sponsos traditur in signum complẽdi matrimonium, quod vulgò hispanicè appellatur *sennal*, id est, signum, & pignus, quod in aliis etiã contractibus intercedere solet, dum inter partes conuenit de ipsis perficiendis, idque amittitur à resiliente, & in hoc tertio sensu loquimur.

Quo sensu hic accipiatur vox.

392. *Arrhæ amittendæ à resiliente iniustè licent.* *Constat ex iure.* *Congruentia eas permittendi & disparitas inter ipsas & pœnam.*

Consentiunt Doctores posse intercedere Arrhas in sponsalibus amittendas à resiliente iniustè; nullo enim iure impeditur; sed approbatur. *L. Arrhis & l. finali C. de sponsalib.* & in Castella *l.*1. *tit.*11 *partita* 4. & *l.*84. *tit.*18. *partita* 3. Nec deficit congruentia non irritandi Arrhas, etiamsi irritetur pœna; illarum enim traditio ordinariè multò minus impedit libertatem; nam cæteris paribus, timor eas amittendi, vtpotè iam traditas (tradi enim reipsâ debent) & non soluendas inposterum, multò minor est, quàm timor soluendi pœnam nondum traditam, maximè, cùm Arrharum traditio, vtpotè rei de præsenti exhibendæ, soleat esse multò minoris quantitatis, quàm appositio pœnæ soluendæ in futurum, quæ facilè, & incautè in magna quãtitate promittitur. Item, quod de præsenti traditur, cautius, & maiori consilio offertur, quàm quod in futurum promittitur.

393. *Illatũ ex dictis, esse tradendas de præsenti, & non de futuro.* *Sanchez.* *Alij multi.*

Ex dictis infertur Arrhas, vt valeant, necessariò esse tradendas de præsenti, leges enim permittentes arrhas, loquuntur de arrhis traditis, alioquin non differunt à pœna, vt cùm multis docet Sanch. *disp.*35. *n.*3. sicut è contra nomine pœnæ, quæ in legibus prohibetur, intelligatur pœna soluenda in futurum.

Ex

Ex quo etiam sequitur, si quis tradat centũ, dicens *do tibi centum pro pœna si matrimonium non contraxero*, valere, quamuis enim pœna appelletur, rè ipsa arrhæ sunt, vt rectè notauit Sanchez cum aliis *supra n.4.*

394. *Etiamsi appellentur pœna valet si tradantur de præsenti. Sanchez & alij.*

Illud autem notant Bonacina *q.1. puncto vltimo n.1.* cum Sà *verb. sponsalia n.2.* & aliis quos refert locis, in quibus nihil tale inuenio, scilicet arrhas non esse soluendas, quando sponsalia dissoluuntur auctoritate iudicis, aut per ingressum in Religionem; hic enim casus prudentis arbitrio censetur exceptus in traditione arrharum. Quæ doctrina cuiuscunque sit, vera apparet, & eam tradit Sanchez *disputat.36. numer.4.* & probat ex *l. Arrhis.* & *l. finali c. de sponsal.*

395. *Arrha non soluuntur si dissoluitur sponsalia iudicis auctoritate. Bonacina Alij. Sanchez probat hoc ex iure.*

Quæri autem potest primò an Arrhæ cõstitui, & tradi possint in quacunque quantitate?

396. *De quãtitate arrharũ Quæsitum.*

Prima sententia negat posse validè tradi in tanta quantitate, vt consideratâ conditione cõtrahentium, impediatur eorum libertas, id enim voluerunt impedire leges prohibentes, & annullantes pœnam appositam. Ita Rosell. *verbo sponsal. n.17.* Angelus. Sylvest. & alij apud Sanch. *supra num.7.*

397. *Prima sententia. Rosella. Angelus. Sylvest Alij.*

Secunda sententia est Bartholi ad *l. Titia*, quem alij iurisperiti sequuntur relati à Sanchez *n.8.* arrhas non posse validè constitui in tanta quantitate, quæ excedat dotem, id est donationes propter nuptias. Probatur; nã apud Romanos dissoluens matrimoniũ tantùm amittebat dotẽ: ergo æquum non est, vt qui sponsalia non implet, maiorem incurrat amissionem.

398. *Secunda sententia. Barthol. Alij iurisperiti. Probatur.*

Asserendùm nihilominùs est cum tertia sententia, quam sequitur Sanch *supra nu.9.* Coninc *disp.22.n.15.* Couarruu. 4. *Decretal. 2. p. n.7.* & alij multi apud Sanchez adde Perezium *disp.7. sect. 2. n.4.* posse arrhas validè constitui & tradi in quacunque quãtitate. Fundamentum in iis, quæ pertinent ad ius positiuum efficax est, scilicèt, quòd arrharum traditio nullo iure reprobetur, aut restringatur, vel limitetur.

399. *Assertio & tertia sententia. Sanchez. Coninc. Couarr. Perez. Ratio efficax.*

Quod autem quandoque in magna quantitate libertatem impediant, aut retardent, non obstat, neque enim leges attendunt ad casus particulares, & rarò contingentes: &, quidquid sit de hoc, satis est, quod ius id statuerit in appositione pœnę, & non statuerit in cõstitutione, & traditione arrharum. neque enim sufficit, quòd sit eadem ratio, imò, & maior, vt ius positiuum censeatur legẽ in vno casu statuisse, quam statuit in alio, si de facto tantùm in vno statuit; vt in proprio *tract. de legibus* explicabitur.

400. *Respondetur obiectis inconuenientibus.*

Quod verò in sponsalibus aliquando maior quantitas amittatur in arrhis, quàm sit dos ipsa, nullum est inconueniens, quidquid dixerit Bartholus, quia olim ob dissolutionem matrimonij amissio dotis incurrebatur, vt pœna lege præscripta, quod durius est, quàm arrharum amissio, etiamsi dotem excedant, cùm harum amissio non incurratur, tanquàm pœna per legem inflicta; sed tantum sit amissio rei propriæ sponte traditæ, idque proueniat, nõ ex lege; sed ex propriâ voluntate. Quidquid autem sit de iure cęsareo, & communi, quod attinet ad ius nostri Regni Castellæ non possunt arrhæ excedere decimam partem bonorum dantis illas *l.1. tit. 2. lib.3. fori*, & habetur *l.2. tit.2. lib.5. nouæ recopil.* Quæ lex, vtpotè ciuilis, etiam habet vim in ipõsalibus non baptizatorum.

401. *Per accidens est quod quantitas aliquando in arrhis amittenda maior sit quam dos ipsa. Arrhæ in Castella tãtum decimã partem possunt æquare bonorũ dãtis illas.*

Legatur Sanchez loco citato, qui rectè notat *n.10.* iustam esse cautelam pro matrimonij securitate, magnas tradere arrhas, & stipulari in quadruplum, imò, si contrahentes sint minores, facere, vt parentes tradant, quod fieri potest, vt postea videbimus.

402. *Magnæ arrhæ iusta cautela sunt pro securitate matrimonij. Sanchez.*

Rectè etiam notat Coninc *disp.22.n.15. Arrhas* in quacunque quantitate, & materia tantùm constitui posse de rebus, quas contrahentes alienare possunt; nemo enim potest se obligare ad alienandum, quod alienare non potest.

403. *Notandum ex Coninc.*

Ex quo infertur in nostra Hispania, & vbicunque sunt maioratus, aut vincula, quæ alienari non possunt, non posse constitui arrhas in ipsis radicalibus bonis, sed tantùm in fructibus inde prouenientibus, imò neque in his; nisi durante vitâ possessoris constituentis arrhas. Vnde saluo meliori iudicio, si quis fundum, aut prædium maioratus tradat, vel aliquid mobile, quod etiam ligatum sit, tantum id poterit retinere, vel illo frui, qui accepit arrhas, interim dũ viuit, qui arrhas tradidit, quia solùm fructus talis rei alienari potest, non res ipsa.

404. *Colligitur inde aliquid pro praxi in locu vbi sunt maioratus.*

Quæri potest 2. an arrhæ tradi & constitui possint in re immobili, vt in fundo, sicut in pecunia, vel alia re mobili?

405. *Quæsitũ 2. An possint in re immobili cõstitui.*

Negant aliqui, maximè Barthol. & Ros. *suprà* quia *l. finalis c. de sponsalib.* approbans traditionẽ arrharum agit de illis in quantitate numerata; quod non habet locũ, nisi in pecunia, aut alia re mobili. Item; quia arrhæ, quandoque duplicari debent ab accipiente, quod vix fieri potest; nisi in quantitate numerata, & re simili.

406. *Negatiua sententia. Bartholus. Rosella.*

Asserendum nihilominus est cum Couarr. Sanch. & Coninc *suprà* Perez *disp.7 sect.2.* posse etiam in re immobili, id enim nullâ lege reprobatur, etiamsi in dictâ lege fiat tantùm mentio, in quantitate numerata, quia id est, quod ordinariè fit; duplicatio autem arrharum, quando fieri debeat, sat est, si fiat, restituendo rem ipsam, & tantundem in valore.

407. *Assertio affirmans. Sanchez. Couarr. Coninc. Perez.*

Quæri potest 3. an arrhæ possint ab vtroque contrahente constitui?

408. *Quæsitũ 3.*

Negant Barthol. Angelus, Rosell. citati, videtur enim superflua & inutilis mutua traditio; superfluè enim, aut inutiliter datur id, cui æquiualens recipitur.

409. *Negant aliqui. Barthol. Angel. Rosella.*

Respondeo, nihilominùs constitui posse mutuã traditionẽ, quia id nullo iure irritatur, neq; est inutilis aut superflua, nam iniustè resiliens, quas tradidit, amittit; quas verò recepit, tenetur restituere. Ita communiter Doctores Sanchez, Couarr. Perez, & alij *supra.*

410. *Resolutio affirmans. Sanchez. Couarr. Perez. Alij.*

Quæri potest 4. an quando parentes filiorũ sponsalia datis arrhis confirmant; si filij resiliãt, datas amittant, aut (si promissum fuerit) quadruplum reddere teneantur?

411. *Quæsitũ 4.*

Respondeo ex *l. mulier c. de sponsalib.* tunc tantùm teneri, quando per ipsos sine vllâ causa stat, vt matrimoniam non fiat: secus verò, quando filij ob nouam causam iustè resiliunt,

412. *Resoluitur ex parte.*

Tota difficultas est in casu, quo filij sine iustâ causâ resiliant, & perparẽtes nõ stet, quo minus perficiantur sponsalia, an tunc, vel datas arrhas

413. *Alia pars in qua est difficultas.*

amittant,vel acceptas teneantur in duplum rependere.

414. *Affirmans sententia.* Lopez. *Probabilius oppositum.* Sanchez. Coninc. Lessius.

Affirmat Lopez apud Sanchez;verius tamen puto,quod docet ipse Sanchez *disp.illa 36. n.12.* & *deinceps* non teneri;hæc enim,vel amissio arrharum,vel dupli solutio induit rationem pœnæ,hæc autem solui non debet , vbi nulla est culpa contra pacta.Ita etiam Coninc *disp. 22. n. 16.*in fine referens Lessium *c.20.n.131.* Legatur Sanchez *loco citato n.13.*

415. *Limitatio seu exceptio.*

Rectè autem prædicti excipiunt casum, quo inter eosdem parentes conuentum fuerit arrhas perdere,vel in duplum restituere quacunque ratione contingat,filios sine iustâ causâ ab sponsalibus resilire;quod si quis ex iustâ causâ resiliat,non tenentur parentes aliquid perdere; nam *l.mulier c.de sponsalib.& arrhis n.12.*irritatur omnis obligatio,quâ cauetur,ne quis ob iustas causas ab sponsalibus resiliat.

416. *Arrha cum conditionibus requisitis etiã iure Canonico permittuntur.* Sanchez.

Tandem aduerte contra Lopez apud Sanch. *supra n.10.*arrharum appositionem , & dationẽ cum conditionibus requisitis non solũ iure ciuili permitti;sed iure Canonico non prohiberi; quoties enim aliquid iure ciuili expressè approbatur,nullo modo ab hoc recedendum est; nisi aliquod apertum ius Canonicum producatur illud corrigens;nullum autem tale apparet.Legatur Sanchez loco citato.

417. *Conditiones sub quibus arrha permittuntur.*

Porro conditiones,sub quibus arrhę cõstitui possunt,continentur citata *l.mulier.* & ex dictis pleręque colliguntur,quas nunc breui perstringo.Primò,vt,qui arrham accipit,si iniustè à spõsalibus resiliat, duplum restituat,scilicet arrhã, & tantundem , idque sine vllo alio contractu. Secundò,vt contrahentes inter se possint quidẽ statuere,vt iniustè resiliens restituat arrham, & præterea duplum,aut etiã triplum;sed non ampliùs;is autem,qui eam tradidit, iniustè resiliẽs arrhã de iure amittit. Tertiò, vt nemo teneatur his pactis, nisi, vel vigesimum quintum annum ætatis expleuerit,vel,si minor sit, veniam ætatis impetrauerit,vt, scilicèt possit se ampliùs obligare si iniustè resiliat,alioquin tenebitur quidẽ arrham reddere; non verò insuper eius valorẽ, nedum duplum rependere. Quartò,vt,qui iustè resiliat,neque arrham perdat, neque si eam recepit quidquam vltra soluat. Connumerat autem citata lex *Mulier.*plures causas, ob quas vel emergentes post contracta sponsalia, vel saltem nouiter notas,liceat impunè resilire.Quintò,vt non solum sponsi ; sed etiam parentes aui , ac proaui,validè pro filiis,nepotibus,aut pronepotibus sub eisdem conditionibus arrhas, vel dare possint,vel recipere. Et tandem sextò ibi additur,*vt extra definitionem huius legis , si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita,ex vtraque parte nullas vires habeat.cùm in contrahendu nuptiis libera potestas esse debeat.* Quæ omnia latè tradunt auctores citati. Sanchez , Perez & alij.

DVBITATIO XXIX.

An restitutio arrhæ , & insuper duplum, aut triplum dari debeat ab iniustè resiliente non expectatâ sententiâ iudicis?

418. *Tenetur ea restituere qui accepit & iniustè resilit.*

QVòd , qui arrham accepit iniustè resiliens teneatur ante omnem exactionem illã restituere,in confesso est apud omnes,nullo enim iure hanc retinere poterit.

419. *Quorundã sententia ex parte negãs non caret difficultate. Ostenditur ea difficultas.*

Quamuis autem nonnulli apud Syluestrum doceant *verbo arrha.q.4.*non esse soluendum illud duplum præscriptum *in l.mulier* ante sententiam iudicis; nisi expressum fuerit in compactis , quia nimirum pœna legis ante iudicis sententiam non debetur ; id tamen difficultate non caret;neque enim lex id statuit , tanquàm purè pœnam;sed quid æquum videatur decernit,& quid contrahentes intendere censeantur explicat,vt par sit vtriusque partis conditio;nẽpe sicut vnus resiliens perdit arrham à se datã, ita quoque alter deficiens tantundem perdat;id enim semper censetur esse ex mente contrahẽtium;nisi aliud in compactis expresserint ; maximè,quando prędictam legem norunt,tunc enim procul dubio censentur iuxta ibi præscriptas conditiones velle contrahere.Vnde,quando contrarium,vel partium expressa intentio , vel certè expresa consuetudo non habeat oppositum;omnino verum puto cum Coninc *disp. 22. n.18.*eam esse pœnam cõuentionalem ex tacito quodã pacto,de qua disputandum est,an in hoc seu alio quouis contractu debeatur ante sentẽtiam iudicis ab iniustè resiliente.

Status controuersiæ præsentis.

420. *Prima sententia affirmans deberi nemine exigente. Probabilis est.* Paludan. Nauarra. *Alij apud Sanch.* Hurtado. Perez. *Alij. Probant. Vrgetur.*

Prima sententia affirmat deberi, etiamsi nemo exigat.Quæ sententia(quamuis Coninc supra nimis rigidam putet)satis probabilis est , & eam docent Palud.*in 4.dist.27.q.1.ar.2.*Petr.Nauarra *l.3.de Restit.c.2.dub.10. n.274.* & alij apud Sanch *disp.38.n.2.*Hurtado *disp.1.diffic.20.* Perez *sect.illa 2.*& alij. Probant verò Auctores huius sententiæ;quia perinde est, ac si condemnatio interueniſſet,cùm se obligarint contrahẽtes pacto ad illam soluendam, & nihil tam naturale sit,quàm pacta seruare. Accedit conditionem contractus esse,vt resiliens eam pœnam soluat: ergo non est necessaria iudicis sententia;hâc enim non expectatâ obligant contractus statim & eorum etiam conditiones,sicut &,qui accepit arrhas,statim acquisiuit ius in illas.

421. *Secunda sentẽtia negat deberi ante sententiam iudicis.* Sanchez. *Alij apud illum. Probat.*

Secunda sentẽtia docet non deberi ante sententiam iudicis.Ita Sanch.*sup.n.4.*cum aliis,quos refert.Probat;quia ea videtur intentio cõtrahẽtium,quando aliud non exprimunt, vt scilicèt metu condemnationis à iudice possint partem cogere,ut stet contractui. Secundò, quia sæpe expedit eas pœnas,tanquàm nimis rigidas moderari;id autem fieri debet arbitrio iudicis.

422. *Tertia sentẽtia tenerẽ ante sententiã,sed non antequàm pars exigat.* Couart. Sylueſt. Molina. Capua.

Tertia sententia docet talem teneri quidem soluere ante sententiam iudicis;non tamen antequam pars exigat;tunc verò statim debere.Ita Couarruu.*in 4.decretal.p.2.c.6.§.8. n.11.* Sylueſt. *verbo pœna n.14.*Molina *tomo 1. de iust. tractat.2. disputation.97.in fine.* Capua *lib. 2. deciſſ. cap.11. n.32.*

Alij multi. Lessius. Coninc. Basilius.

num.32. & alij multi apud Sanchez *supra num.3.* quibus adde Lessium *de iustitia c.20. numer.135.* Coninc *supra num.19.* Basilium Legionens. *c.19.* quos sequuntur alij. Ratio est, quia hæc pœna non debetur ex dispositione legis, sed conuentione partium. Sicut ergo iudex habet ius exigendi à reo pœnas legi debitas, sic etiam pars in contractibus exigendi pœnas sibi debitas ratione pacti; habet enim ius exigendi, quod ex iusto pacto debetur. Præterea contra præcedentem sententiam probatur hanc esse mentem contrahentium; non verò, quod iudex interueniat, nam ideo à partibus eæ pœnæ ex pacto apponuntur, vt scilicèt, absque auctoritate iudicis pars cogi possit, vt stet pactis. Quòd si cogenda esset auctoritate iudicis, non opus erat appositione pœnæ, cum possit iudex eam per se nolenti stare pactis infligere: & quidem, si potest compactatam pœnam moderari, aut etiam, si iudicauerit, augere, imò etiam non appositam à partibus apponere, idque suo, tanquàm auctoritate publica iudicantis, arbitrio, non video, ad quid deseruiat conuentio partium; nam esto nulla talis compactatio præcesserit, perinde poterit agere pars læsa iuxta secundam sententiam contra resilientem; atque, si non esset talis compactatio, petendo, scilicet, compensationem, quantum suâ intererat, & in eâ re iudex potest arbitrari, siue vltra, siue citra compactatum: ergo inutilis est quæuis assignatio inter contrahentes, cùm neque partem cogat, neque iudicem. Confirmatur hæc tertia sententia; quia non minùs habet rationem pœnæ amissio arrhæ datæ, quàm redditio dupli; sed qui arrham recepit, potest ante sententiam iudicis illam retinere; quando, qui dedit non seruat sponsalia; ergo pars, quæ dedit, si recipiens iniustè resiliat; habet ius duplum exigendi, etiam ante sententiam iudicis: neque enim qui dat arrhã, minùs intendit alteram partem obligare ad soluendam pœnam, quàm se ipsum; nec esset tunc par vtriusque partis conditio.

Probatur secundo cõtra præcedentem sententiam.

Confirmatur.

423. *Quo casu sit res certa probabilior est tertia sententia.*

Hæc tertia sententia, quando res est certa, hoc est, liquidò constat resilientem iniustè resilire, mihi probabilior videtur, quàm præcedens. Si tamen dubium sit, aut in opinione positum; an resiliens iniustè resiliat; tunc Coninc *supra in fine numeri 19.* putat nihil deberi ante sententiam iudicis; sed non explicat, ante quam sententiam; an scilicet ante sententiam declaratoriam, quâ iudex declarat illum iniustè resilire, an ante sententiam condemnatoriam, quâ iudex declaratum iniustè resilientem condemnet ad soluendam pœnam? In qua re ego consequenter dicendum puto solùm requiri sententiam declaratoriam, quâ declarat iniuste resilire; hâc autem positâ tenetur iuxta tertiam sententiam sine vlla iudicis condemnatione ad exactionem partis pœnam soluere. Legatur Perez *ad finem sectionis illius 2.*

Quid si res sit dubia? Coninc non putat deberi ante sententiam. Sed ante quam sententiam condemnatoriã an declaratoriam. Sola requiritur declaratoria. Perez.

DVBITATIO XXX.

Ad quem pertineant Arrhæ?

424. *Assertio 1. Contra. Hostiens. Henric.*

ASsero primò, quando Matrimonium promissum celebratur, redeunt arrhæ ad eum, qui eas tradidit. Hæc assertio est contra Hostiensem *c. Gemma de sponsalibus* & contra Henricum *ibidem num.9.* qui absque vllo fundamento putant recipientem illas sibi comparare subsequuto Matrimonio. Ratio verò nostra est; quia arrhæ sunt quasi pignora, quæ non amittuntur; quando contractus (in cuius signum dantur) celebratur; sicut amittuntur, quando matrimonium non fit ob culpam eius, qui tradidit arrhas, vt mox dicemus. Ita Sanchez *disp. 36.n.2.* cum multis quos refert.

Ratio. *Sanchez.*

425. *Assertio 2.*

Assero 2. eum, cui traditæ sunt Arrhæ, si iniustè resiliat, teneri eas restituere ei, qui tradidit iuxta dicta in præcedentibus simul cum æquali valore ex suo patrimonio, vel bonis, vt constat ex *L finali* c. de *sponsalibus* probauimusque satis duabus dubitationibus præcedentibus.

Probatur ex iure ciuili.

426. *Assertio 3. Sanchez. Glossa. Gomez. Ratio.*

Assero 3. nihil harum arrharum lucratur spõsa per osculum. Ita Sanchez *disp. illâ 36.* cum Glossa. *l. Arrhis.* verbo *defuncta c. de sponsalib.* Antonius Gomez *l.50. Tauri numer.12.* Ratio est; quia nullo iure hoc statutum est: ergo gratis affirmabitur.

427. *Qui iustè resilit datas à se arrhas nõ amittit.*

Ex dictis constat eum, qui iustè resilit, non amittere arrhas, quas tradidit, sed ipsi esse restituendas, vt, quando alteruter Religionem ingreditur, vel, quando notabilis rerum mutatio facta est iuxta Regulas generales traditas, & tradendas, habeturque *l. Arrhis* & *l. finali c. de sponsalibus.* Vnde à fortiori habet doctrina locũ; quando reperitur Canonicum impedimentũ. Ratio generalis est, quia vbi culpa abest, etiam debet abesse pœna. Ita docent vniuersi Doctores Teste Sanchez *supra num.4. qui num.5.* limitat, si tradens arrhas bonâ fide contraxit sponsalia ignorans impedimentum, conscius tamen impedimenti non potest arrhas repetere. Pro qua sententia refert Glossam *l. finali c. de sponsalib.* & alios. Vnde, si reddantur; quia alter sponsus recipiens ignorabat eum, qui tradidit, malâ fide contraxisse tenebitur restituere; quia ex natura contractus eas amiserat, per ipsum enim culpabiliter stetit; quippe qui impedimenti conscius Matrimonium promisit, & arrhas tradidit.

Recepta est doctrina prædicta. Limitat Sanchez primo. Glossa.

428. *Limitat secundo. Probat ex iure. Glossa. Sylvest.*

Limitat 2. nisi tradens arrhas in mora fuerit ante obitum suum, vel recipientis, contrahendi matrimonium *l. Arrhis c. de sponsalibus* & *ibi* Glossa *verbo præbuit.* item Sylvest. verbo *sponsalia q.9. dicto 4.* vbi sit impeditum ad contrahendum matrimonium, recuperare arrhas, nisi dederit causam impedimento dedit autem causam qui fuit in mora vsque ad mortem alterutrius, cùm satis potuisset prius.

429. *Assertio 4. Colligitur ex supra dictis.*

Assero 4. Quando alter contrahens solus tradidit arrhas, & culpâ non tradentis matrimonium non fit, tenetur hic restituere duplũ, id est ipsas arrhas, & tantundem, vel etiam triplum, vel quadruplum; si conuentum fuit, &

non sit minor viginti quinque annis, nec ætatis veniam impetrauerit iuxta dicta *dub.*28. Legatur Sanchez supra *num.*7. & 8.

430. *Assertio* 5. *Constat ex dictis.* Assero 5. Si vterque arrhas dedit, & recepit, iniustè resiliens suas perdet, &, quas accepit restituet. Constat ex dictis & ex citatâ lege *finali de sponsalibus.*

DVBITATIO XXXI.

Quæ sint impedimenta, quibus impeditur valor sponsalium nondum factorum, ne validè fiant: vel, vt facta dissoluantur?

431. *Constat impediri defectu vsus rationis.* QVod defectus vsus rationis, & ætatis requisitæ ad sponsalia eorum valorem impediat, constat ex dictis in præcedentibus, maximè *dub.*2. & 19. & 20.

432. *Regula generalis de impedimentis quibus inhabiles, aut prohibiti sunt contrahentes.* Præterea generaliter loquendo, consentiunt Doctores omnia impedimenta, quibus personæ inhabiles redduntur, vel prohibitæ ad contrahendum matrimonium, quoties sponsalia referuntur ad matrimonium celebrandum tẽpore inhabilitatis, aut prohibitionis, impedire valorem sponsalium; vt, quando promittitur matrimonium faciendum ante legitimam ætatem, aut tempore impedimenti dirimentis, aut tantùm prohibentis, seu impedientis, quia, qui nequit validè contrahere, aut licitè, etiam nequit validè promittere; neque enim valet promissio, quam promittens validè implere non potest, aut licitè eo tempore, quod respicit promissio; nulla enim promissio rei illicitæ, aut impossibilis valet, aut obligat.

Sed si promissio referatur ad tempus prohibitum.

433. *Quid si ad tempus in quo non sit impedimentum. Valent tunc sponsalia.* Quod si sponsalia referantur ad matrimonium celebrandum tempore, quo non est futurum impedimentum, aut prohibitio, erunt valida, etiamsi, quo tempore fiunt sponsalia, adsit impedimentum, aut prohibitio. Sic valent iuxta dicta *dub.*19. sponsalia puerorum, qui septennio completo, sed ante pubertatem promittunt matrimonium contrahendum post pubertatem. Item sponsalia eius, qui durante voto Castitatis non perpetuo, promittit se contracturum matrimonium postquam votum cessauerit. Iam verò ad aliqua particularia impedimenta enumeranda descendamus.

434. *Duodecim vulgaria impedimenta sponsalia.* Solent autem præcipuè numerari duodecim impedimenta. Primum, ingressus Religionis. Secundum votum simplex Castitatis, aut Religionis: Tertium, votum simplex Sacrorum Ordinum: Quartum, ætas, de qua iam diximus: Quintum, lapsus termini; Sextum, discessus in longinquam Regionem: Septimum, dolus. Octauum, metus, de quibus duobus egimus *dub.*22. & 23. Nonum, matrimonium subsequens cum aliâ celebratum, aut impedimentum dirimens matrimonium; Decimum, fornicatio superueniens; Vndecimum, mutuus consensus. Duodecimum, conditio non adimpleta; de his autem sequentibus dubitationibus disputabimus.

DVBITATIO XXXII.

An sponsalia dirimantur per ingressum Religionis aut votum illius, Castitatis, aut Sacrorum Ordinum?

435. *Assertio* 1. *Magis communis sententia contra aliquos* Durand, Paludan. Viguerium Veracruc. Sanchez. Henriq. *Limitat* Henriquez *ex parte, tantum consentit. Item Ledesma.* Rodriq. Coninc. Rebellus. Hurtado. Basil. pont. Martin. Perez. Couarruu. Nauarr. *Alij.* ASsero 1. ingressus Religionis dirimit sponsalia ex parte vtriusque contrahentis; etiamsi alter illorum maneat in sæculo. est magis communis sententia, contra Durandum, Paludanum, Viguerium, Veracrucem, quos referunt auctores citandi pro opposita sententia, quam sequitur cum multis, quos refert Henriquez *lib.*11. *c.*14. *nu.*3. in Commentario & Sanchez *disp.*42. *num.*2. & 5. quamuis Henriquez putet solùm dissolui ex parte manentis in sæculo; ex parte verò ingredientis Religionem dissolui quidem dependenter à professione, atque adeò, si ingrediens redeat ad sæculum, liberum fore manenti in sæculo matrimonium perficere, ita; vt eo volente, teneatur alter contrahere. Ita etiam docet Petrus de Ledesma *de Matrimonio quæst.*43. *art.*3. *dub.*2. Rodriquez 1. *tomo Summæ in secunda editione cap.*245. & Coninc *disp.*23. *num.*22. Rebellus *lib.*4. *de sponsalibus quæst.*8. *sect.*6. Hurtado *disp.*2. *difficult.*6. Basilius Ponce *li.*12 *cap.*10. Martin. Perez *disp.*9. *sect.*3. *num.*5. & 6. vbi cum Couarruu. Nauarro, & alijs docet nullo iure positiuo statui, vt sponsalia dissoluantur per ingressum Religionis. Quam limitationem probabilissimam appellat Sanchez *num.*4. talisque mihi apparet, limitando illam sicut limitant Henriquez & Ledesma, & approbat Sanchez, scilicet; nisi manens in sæculo iam alia sponsalia contraxisset, tunc enim videtur cedere iuri suo, sicut si etiam ipse intret Religionem. Probari verò potest, quòd ex parte ingredientis non cessèt simpliciter, & omnino obligatio primo à simili de altero contrahentium committente fornicationem. In quo casu licet innocens sit liber, non liberatur fornicarius; si velit adhuc innocens contrahere. Vnde in nostro casu, quamuis ingrediens Religionem videatur cedere iuri suo, manens in sæculo minimè cedit: Secundò; quia licèt ex parte ingredientis Religionem magna mutatio facta sit; hanc potest pati qui manet in sæculo eligens Matrimonium: Tertiò; quia non videtur æqua ratio, vt nouitiatus omnino dissoluat sponsaliâ, sicut professio Matrimonium, quia professioni censetur concessum à Christo tale priuilegium, quod non inuenitur in Nouitiatu respectu sponsalium. Quartò, quia non eodem modo se habent Nouitiatus respectu professionis, sicut sponsalia respectu Matrimonij. Nã in sponsalibus respectu Matrimonij reperitur obligatio; in Nouitiatu verò non reperitur respectu professionis emittendæ. Quintò à paritate aliarum promissionum, qualia sunt vota simplicia, quæ extinguuntur per professionem, secus verò per Nouitiatum; sed suspensa manent vsque ad professionem: ergo idem erit de promissione sponsalitia.

Probabilis est ea limitatio accepta sicut Sanch. accipit & alij.

Probatur 1. *à simili.*

Probatur 2.

Probatur 3.

Probatur 4.

Probatur 5.

436. *Probabilius est sponsalia ex parte vtriusque dissolui.* Nihilominùs, quamuis prædicta sententia, & rationes, probabiles sint, probabilius puto, quòd diximus, nempe omnino ex parte vtriusque dissolui;

Modo absit dolus.

solui; quando sponsus bonâ fide Religionem ingreditur; nam si dolosè id faciat animo statim exeundi, non debet illi fraus patrocinari *c. ex tenore de Rescriptis.*

Complanatur ea difficultas.

437. *Quorumdã ratio pro parte ingredientis Religionem.*

Porrò ex parte ingredientis Religionem per solũ ingressum dirimi sponsalia multi probant satis probabiliter, quia sponsalia nõ obligant vltra intentionem promittentis; promittens verò non censetur habuisse intentionem obligandi se superueniente ingressu, in Religionem; censetur enim promissio facta sub tacita conditione; *nisi melior status eligatur.* Cùm ergo melior status eligatur per ingressum Religionis, cessat obligatio Matrimonij. Ita Camerota de *Matrimonio cap.2. dubit.14.* Menochius *de arbitrar. lib.2. Centuria 5. casu 455. num.10.* Nauarrus *cap.22. num.62.* Sanchez *supra* & alij apud Henriq. *supra* Bonacina *q.1. puncto 5. num.2.*

Sic explicata approbatur ratio.

Camerota. Menoch. Nauarr. Sanchez. Bonacina. *Alij.*

438. *Probabilis est ea ratio sed non generaliter probat.*

Hæc tamen ratio, quam aliqui ex prædictis afferunt, quamuis probabilis sit, non videtur generaliter probare, nam, si intentio contrahentis, etiam ad illum casum se extendat, procul dubio poterit adstringi, ad manendum obligatum casu, quo non emittat professionem, si fortè Religionem ingrediatur, & redeat ad sæculum: ergo ex alio capite probandum erit, vel talem conditionem, *si non eligatur melior status* in naturâ promissionis sponsalitiæ includi, vel ipsum ingredientem Religionem illam habuisse in animo. Quod non videtur facilè posse probari, neque enim illa conditio necessaria est ad perfectum modum contractus sponsalitij, & multò minùs ad essentiam ipsius, quamuis enim contractus sponsalitius fiat sine hac conditione, imò cum expressè contrariâ, vt, licet ingrediatur Religionem, maneat obligatus casu, quo redeat ad sæculum, erit perfectus contractus sponsalitius.

Ratio cur non probet generaliter.

439. *Vrgetur adhuc & ostenditur insufficientia prædicta rationis.*

Sed, quid sit de hoc, illa conditio *nisi eligatur melior status*, etiamsi censeatur inclusa in contractu sponsalitio, non tamen censetur talis conditio existere; quando quis intrat Religionem; nam toto tempore probationis non dum elegit statum propriè loquendo; sed tantùm est, quasi in præparatione, & viâ ad illum eligendum, ergo vsque ad professionem, seu dependenter ab illâ manebit obligatio, vt *infrà* amplius declarabitur.

440. *Alia ratio pro eadem sententia.*

Aliâ ratione videtur probari sententia; quia eo ipso, quòd illi duo contrahentes contrahũt sponsalia, censetur vnusquisque se obligare sub conditione, quòd alter se obliget. Cùm ergo altero ingrediente Religionem, qui manet in sæculo, liber maneat absolutè, & independenter à professione alterius, & sine vllâ culpâ illius, videtur inde resultare, quòd etiam ille alius liber maneat, ne sponsalia claudicent, maneatque obligatio sponsalitia ex parte vnius, & non ex parte alterius, & sicut ex parte manentis in sæculo propter notabilem rerum mutationem, cessat obligatio: Ita etiam ex parte ingredientis Religionem cessabit.

441. *Difficultas quæ posset opponi contra prædictã rationem.*

Solum potest huic rationi obstare similitudo eius sponsi, qui commisit fornicationem. In illo enim casu, si alter sponsus innocens velit, potest resilire; sed alter tenetur. Verùm neque hoc obstare videtur, quia tunc qui fornicatus est, commisit delictum, & delictum illi non debet patrocinari, nec priuare alterum iure suo; in nostro autem casu non ita se res res habet; qui enim ingreditur Religionem secluso dolo, aut fraude, bonum opus aggreditur, & sibi iure permissum. Vnde notabilis illa mutatio non solùm manenti in sæculo; sed ipsi etiam ingredienti prodesse potest; & hac ratione intelligo conditionem inclusam in naturâ contractus sponsalitij, qui est contractus mutuus, vt scilicèt, neuter illorum censeatur obligatus; nisi in casu, quo alter vicissim obligetur, & quòd desinat obligari in casu, quo alter citra culpam illi promittentis non obligetur. Cùm ergo citra culpam promittentis ingredientis Religionem, qui manet in sæculo, obligari desinat, consequẽter ipse ingrediens desinet obligari, non minùs absolutè vnus, quàm alter.

442. *Illatum ex dictis pro praxi.*

Ex dictis infertur, si casu posteà contingat, vt Nouitius redeat ad sæculum, posse aliam ducere, priore relicta; nisi aliud obstet; quia obligatio semel extincta non reuiuiscit. Ita Sanchez *supra.* Sanchez.

443. *Ratio, ob quã manens in sæculo nõ tenetur expectare.*

Quod autem manens in sæculo absolutè non teneatur expectare, non solùm probatur ex notabili mutatione rerum; sed etiam ex eo, quòd ingrediens Religionem eo ipso censetur renunciasse sponsalibus, quantum est ex parte suâ. Ita Reginaldus *lib.31. num.258.* Sanchez *supra* & alij apud eundem, & apud Gutierrez *de Matrimonio cap.25. num.21.* Reginald. Sanchez. *Alij.* Gutierr.

Omitto alias rationes pro nostra sententia, quas affert Sanchez *n.5.* 444.

445. *Argumenta prima probabilis sententiæ ex dictis manent soluta.*

Ad argumenta verò pro illa probabili doctrina, quòd non extinguatur absolutè obligatio ex parte ingredientis Religionem, in nostro fundamento non satis probant; nec vim habent contra nos, qui ex natura promissionis sponsalitiæ colligimus ingressum Religionis eam vim habere, vt eo ipso quòd sufficiat ad tollendam absolutè obligationem manentis in sæculo, idẽ præstet in ingrediente Religionem, secluso dolo, & fraude.

446. *Assertio 2.*

Assero 2. Votum Castitatis & Religionis ita se habent ad sponsalia sequentia, quando facta sunt sub spe defloratonis Virginis de facto sequutæ, vt etiam tunc impediant obligationem ducendi sic defloratam, ac proinde vouens teneatur voto. Ita Nauarrus *lib.4. consilior. tit. de sponsalib. cons.21.* Rodriquez *tomo 1. Summæ c.208. num.11.* Viualdus *3.p. cap.14. num.65. iuncto nu.64.* Martinus Perez *disp.9. sect.5. num.5.* eamque sententiam appellat Sanchez valde probabilem *disp.45. num.2.* Ratio est; quia prædictus non tenetur ratione promissionis præcisè; quia hæc non obligat; cùm sit promissio rei illicitæ, propter votum præcedens; nec ratione damni illati; quia huic satisfieri potest constituendo dotem, aut aliter, vt supponimus: ergo ex nullo capite tenetur eam ducere; sed implere votum, & aliâ viâ satisfacere. Nauarrus. Rodriqu. Viualdus. Perez. *Valde probabilem putat Sanchez.* *Ratio.*

447. *Probabile etiam est votum castitatis non impedire tunc obligationem.*

Probabilis nihilominùs sententia est, quæ docet votum Castitatis non impedire obligationem ducendi illam, etiam cum animo consummandi. Ita Sanchez *supra num.3.* qui testatur ex Rodriquez sic tenuisse graues Magistros Salmantinos & alios viros doctissimos ex Societa- Sanchez. *Graues Doctores Salmanticẽses, & ex Societate Iesu.*

Societate Iesu & hoc ipsum de alijs postea eiusdem Societatis Theologis satis multis mihi constat. Sicque sentiebat olim Pater Vasquez de hac re interrogatus. Idem docet Azor 3.*p.* *c.*5. *difficultate vltima.* Gutierrez *cap.*25. *num.*7. Lessius *lib.*2. *cap.*10. *dub.*4. Reginaldus *lib.*25. *num.*95. *& lib.*31.*num.*158. ad finem Bonacina *q.*1. *puncto* 5.*num.*7. referens Coninc *disput.*23.*dub.*3. Sed hic Auctor potiùs docet oppositum; propositis enim duabus opinionibus prædictis, respondet argumentis factis pro secundâ opinione; quæ probari solet primò; quia tunc est facta notabilis mutatio, quâ impletio voti fit notabiliter durior; quia vouens post votum intulit magnum damnum Virgini ab ipso resarciendum; Quod, si resarciat illam ducendo, erit facile resarcire; difficile verò, & durum, si impleat votum, damnumque aliâ viâ resarciat; votum autem non obligat; quando talis est mutatio. Secundò; quia votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia: ergo, qui sub spe Matrimonij defloravit Virginem ignaram voti, etiam post illud emissum, tenetur eam ducere, non obstante voto; hoc enim tunc impleretur cum damno notabili debiti Virgini ex iustitiâ. Tertiò à paritate obligationis Charitatis; imò à fortiori, quia vinculum Iustitiæ fortius est, quàm Charitatis: sed ob Charitatis, aut potiùs pietatis vinculum tenemur differre votum Religionis, vt possimus succurrere parentibus aliter indigentibus: ergo etiam, vt impleamus debitum Iustitiæ. Quartò à paritate alterius debiti Iustitiæ in pecunijs, quia ære alieno grauatus, si soluendo sit breui, non potest ingredi Religionem, quamuis voto illius priùs adstrictus fuerit; sed tenetur differre; & quamuis breui non possit soluere, si tamen spes sit fore, vt possit, probabilissima sententia est non posse ingredi; quam nos probabiliorem iudicauimus in *nostro opere de iustitia disp.*10. de *Restitut.dub.*8. agentes de causis excusantibus à Restitutione. ergo pari ratione in nostro casu debitum iustitiæ sponsalium excusabit ab obligatione voti. Omitto alias rationes leuioris momenti, quæ omnes non satis probant contra nostram sententiam.

Vasquez. Azor. Gutierr. Lessius. Reginald. Bonacina. *Falso refertur.* Coninc. *Argumenta in contrarium pro secunda opinione.* *Primum.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.*

448. *Soluuntur. Ad primum respondetur.* Ad primum respondetur, ob mutationem notabilem superuenientem tunc tantùm cessare obligationem voti, quando ea mutatio non fuit voluntaria ei, qui votum emisit; sed euenit ineuitabiliter, quod non contingit in præsenti casu.

449. *Ad secundum.* Ad secundum respondetur concedendo votum non obligare, quando eius impletio futura est damno notabili contra debitum alteri ex iustitia; in nostro verò casu impleri potest votum absque damno defloratæ Virginis; quando aliâ viâ tale damnum resarciri potest, vt supponimus.

450. *Ad tertium.* Ad tertium negandum est illam obligationem iustitiæ esse fortiorem, quam obligationē charitatis, seu pietatis erga parentes; nam, qui non posset soluere debita aliter, quàm deserendo parentes in tali necessitate, teneretur his potiùs succurrere, quàm debita soluere; imò, si non posset simul contrahere cum eâ, quam ita corrupisset, & parentibus succurrere, teneretur potiùs hoc facere, quàm cum illâ contrahere. Accedit, quod hoc tertium argumentum, sicut alia pleraque supponunt prædictam promissionem sponsalitiam, etiam post tale votum, inducere obligationem iustitiæ; quod tamen erat probandum; nos enim contendimus talem promissionem post votum non obligare, & de hoc est præcipua disputatio.

451. *Ad quartū.* Ad quartum respondetur ex nuper dictis negando talia sponsalia facta post votum inducere obligationem iustitiæ atque adeò corruit paritas de eo, qui tenetur soluere debita, in quo omnes supponimus obligationem iustitiæ.

452. Illud concedendum est Auctoribus oppositæ sententiæ, quòd non negant Auctores nostri, scilicèt, si damno illato per defloration em, non possit aliâ viâ satisfieri, nisi ducendo illam (quod sæpe contingit, quando damnum non cautè, ab illo fuit illatum, vel ab eodem publicatum est, & Virgo infamata) tenêri ducere; quia votum non obligat cum notabili damno debiti alteri ex iustitia; quod etiam limitandum est casu, quo necessaria sit satisfactio, quia, quando defloratа infamata non est à viro, & alioquin æquè benè nubit, aut nubere potest, ac si defloratа non fuisset: tunc probabile est, non tenêri restituere. Quod si ipsa absque rationabili causa id publicauit, & se ipsam infamauit, vnde fit, vt non æquè benè nubat, nisi cū maiori dote, ad summū deflorator solùm tenebitur ad satisfactionem damni defloration is sufficientē, vt illa possit æquè benè nubere, ac si defloratа non fuisset. Sed in hoc philosophandum est iuxta dicta in nostro opere de *iustitia tract.*2. *de Restitutione disp.*7. *dub.*9. *assert.*4. *& deinceps.*

453. *Applicatur etiam doctrina vidua honesta & bona fama.* Quod dictum est de Virgine defloratа, locum etiam habet in vidua honesta & bonæ famæ iuxta ibi dicta in simili casu *dubit.*9. *& alijs in locis* & infra dicenda.

454. *In omni opinione ex prædictis manet semper vis voti.* Aduertendum etiam est in nostro casu quamcunque opinionem sequamur, votum semper valere. Vnde, etiamsi dicamus posse vouentem contrahere Matrimonium, non poterit petere debitum, si votum fuit Castitatis. Quod si superuixerit coniugi, tenebitur castitatem seruare, & si forrè durante Matrimonio, cum alia fornicetur, peccabit contra votum. Item, si votum sit Religionis, tenebitur post obitum. Coniugis ingredi Religionem; nisi aliud excuset.

455. *Assertio.* 3. Assero 3, qui contraxit sponsalia, etiam cum iuramento, potest ingredi Religionem ante contractum Matrimonij, nisi aliud obstet; Ita Sanchez *lib.*1. *disp.*43. *num.*3. Henriquez *lib.*11. *cap.*13.*num.*3.& *cap.*14.*num.*3. Rodriquez 1.*part.* *cap.*244. *edit.*2. *num.*5. Gutierrez *cap.*25.*num.*2. Reginaldus *lib.*31.*num.*258. Coninc *disp.*23.*dub.*2. & alij innumeri apud Sanchez. Martinus Perez *disp.*9.*sect.*4.*num.*2. & alij contra Molinam *tom.*1. *de iustitia disp.*149. & contra Rebellum *lib.*3. *q.*8. *sect* 6.*num.*38.& alios apud Sanchez *supra num.*2. Ratio est; quia accessorium sequitur conditionem principalis, sed iuramentum in hoc casu est accessorium promissioni sponsalitiæ; hæc autem non cogit ad non ingrediendum Religionem, & profitendum in eâ: ergo neque iuramentum. Quod non aliâ ratione censetur factum,

Sanchez. Henriq. Rodriq. Gutierr. Reginald. Coninc. *Alij plurimi.* Perez. *Contra Molinam.* Rebellum *& alios.* *Ratio.*

factum, nisi, vt confirmatorium promissionis, quæ ad prædicta non obligat.

456. *Quid possit obstare prædictæ obligationi?*

Dixi posse ingredi *nisi aliud obstet*, quia si forte celebrauit sponsalia, etiam sine iuramento, & habuit copulam cum Virgine virtute sponsalium, non potest ingredi Religionem, sed tenetur eam ducere, si aliter non possit resarcire, vt sæpe aliter resarcire non potest. In hoc ergo casu obligatio naturalis præferenda est consilio, ingressus autem Religionis est de consilio, & reparatio famæ est ex obligatione naturali, & idem dicendum est de vidua bonę famæ, si grauem inde infamiam pateretur, nisi duceretur in matrimonium.

457. *Similis casus in quo eadem obligatio impeditur.* Sanchez. Henriq. Rodriq. Reginald. *Alij plures.* Gutierr. Ledesma. Perez.

Imò idem est, quando sponsus etiam copulâ non sequutâ ita familiariter egit cum sponsâ, vt inde illi oriatur infamia, si sponsus ingrediatur Religionem, & nolit eam sponsam in matrimonium ducere. Ita Sanchez *lib.1. disp.44. num.3.* Henriquez *lib.11.cap.13.num.3.in commentario littera K.* Rodriquez *tomo 1. Summæ c.245. num.11.in secunda editione* Reginaldus *lib.31.n.258.* & alij plures apud Gutierrez *cap.25. num.3.* & apud Petrum de Ledesma *quæst.43. art.3. difficult.2.* Martinus Perez *supra num.5.*

458. *Duo aduertenda pro praxi ex Sanchez. Primum aduertendū.*

Duo autem aduertit Sanchez pro praxi maximè vtilia. Primum *num.6.* scilicet; quamuis sponsalia ficta fuissent; quia vir fuit fictus promissor, adhuc teneri. Quod maximè congruit cum doctrina, quam cum ipso, & alijs tradidimus *dub.9.* ac proinde non poterit ingredi Religionem, quin priùs eam ducat, quam sub spe fictæ promissionis defloraut, vel infamiâ læsit per copulam suâ culpâ publicatam; vel per nimiam familiaritatem modo prædicto. Secundum, quod aduertit num.7.& 8. in quo etiam consentit Lessius *lib.2. de iustitiâ cap.10. dubit.4.* Martin. Perez *supra num.3.* testaturque de communi. Contra Cordubam in *Summa* non satisfacere promissorem, si Matrimonio contracto, & non consummato Religionem ingrediatur; tum; quia Matrimonio illo non resarcitur iniuria Virginitatis, & famæ, tum; quia sic contrahere est actus otiosus, & culpâ non caret, vt probat Sanchez *disp.43.num.11.* hoc tamen vltimum suam habet quæstionem, de quo posteà dicemus.

Secundum aduertendū. Lessius. Perez. *Communis sententia.* Sanchez.

459. Sanchez. *Promissor in ijs euentibus tenetur adhuc contrahere. Si superuiuat tenetur ingredi Religionem quam vouit.*

Ex dictis rectè infert Sanchez, si huiusmodi promissor in his euentibus voueat Religionem, adhuc tenêri Matrimonium contrahere, illudque consummare, non obstante voto; tale autem votum non erit irritum; nam, si dissoluantur sponsalia ex quacunque causa sufficienti, vel Matrimonium cesset per mortem feminæ, tenebitur ingredi religionem, vt constabit infra, sed circa prædicta videnda sunt, quæ diximus *in nostro Opere de iustitia lib.2.tract.2. disp.7. dub.9. à num.137.*

460. *Circa sponsalia priùs facta quàm votum castitatis. Si vnus sponsus vouit alter manet liber.*

Veniamus nunc ad sponsalia prius facta, & post ipsa votum Castitatis, aut Religionis emissum. In qua re consentiunt Doctores, quando vnus ex sponsis vouet Castitatem, alterum manere liberum ab sponsalibus, atque adeò ex parte illius dissolui sponsalia; quia vouens voto suo censetur renunciare obligationi alterius, intendens vtique se obligare ad id, quod est incompossibile cum Matrimonio sibi promisso.

Alia ratio pro sponsa si sponsus vouerat.

Aliâ etiam ratione ex parte feminæ possunt dissolui sponsalia, quando vir emittit votum Castitatis; quia eo voto fit notabiliter deterior conditio sponsæ, cogitur enim non habere actū coniugij, nisi ipsâ petente, & requirente ius suum, cùm vir non possit tali voto adstrictus petere; sed tantùm reddere.

461. *An ipse vouens liberetur ab sponsalibus.*

Superest de ipso vouente; an scilicet suo voto liberetur ab sponsalibus factis? In qua re sunt duæ probabilissimæ sententiæ.

462. *Prima sententia affirmans.* Sotus. Henriq. Basil. Angelus. Nald. Gutierrez. Rodriq. Speculum. Bonacin. *Ledesma cum alijs* Suarius. Vazquez. Azor. *Alij.*

Prima sententia affirmat. Ita Sotus in 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.*5 Henriquez *lib.*11. *de Matrimonio c.*14. Basil. *lib.*12. *cap.*12. Angel. *verbo sponsalia nu.*5. Nald. *verbo sponsalia* Gutierrez *cap.*26. Rodriquez *cap.*245 *num.*2. Specul. *1. p. art.*21. *casu* 12. Bonacina *qu.*1. *puncto* 5. *numer.*13. & *alij*, quos refert & sequitur Petrus de Ledesma *q.*42. *art.*3. *difficult.*3. Suarius *lib.*2. *de voto cap.*4. *num.*13. Vazquez *in opusculo de restitutione cap.*3. §.2. *dub.*6. *num.*17. Azorius *tom.*1. *lib.*11. *cap.*21. *q.*10. & alij apud citatos & citandos, quam sententiam meritò appellat Martinez Perez valdè probabilem *sect* 5. *citata num.*7. quorum præcipuum fundamentum est, quia in sponsalibus semper inest tacita, seu implicita conditio, nempe, *nisi voluero ad meliorem statum transire*; quia nemo promittens Matrimonium censetur velle statui perfectiori renunciare: ergo votum Castitatis, quamuis subsequens, etiam dissoluit sponsalia, vtpotè emissa sub eâ tacitâ conditione. Præterea, quia (vt dicitur *in c. Peruenit 3. de iur. iur.*) promissum non infringit, qui illud in meliùs commutat: ergo non infringit fidem sponsalium, qui post illa vouet castitatem, quæ melior est statu matrimonij.

Præcipuum fundamentum. Vrgetur vlterius argumento ex iure Canonico.

463. *Secunda sententia negat dissolui.* Sanchez. Coninc. Nauarrus. Rebellus. Reginald. *Alij apud Gutierr. & Sanchez.* Martin. Perez. Hurtad. Camerota.

Secunda sententia est non dissolui sponsalia. Ita Sanchez *disp.*46. *num.*9. Coninc *disp.*23. *nu.*25. Nauarrus *c.*22. *num.*27. Rebellus *de sponsal. q.*8. *sect.*2. *num.*47. Reginaldus lib.31. num.259. & alij apud Gutierr. cap.26. & apud Sanchez loco citato Martinus Perez supra num.9. Hurtado disp.2. diff.3. & Camerota *dub.*14. *num.*2. *de Matrimonio*. Fundamentum est præcipuum; quia nullo iure probatur inesse sponsalibus talem conditionem; non quidem iure positiuo, quia nullum producitur; non naturali, seu ex naturâ sponsalium; quamuis enim cælibatus sit perfectior statu Matrimonij, non ideò sequitur subintelligi conditionem, *nisi perfectiorem statum elegero*: alioquin, qui promisit Petro diuiti rem aliquam, posset illam dare pauperibus, quia hoc est meliùs.

Præcipuum fundamentum.

464. *Difficile est ex dictis sententijs vnā alteri præferre.*

Inter has duas sententias non est facilè iudicium ferre, & alteram alteri præferre; nam quamuis rationes primæ sententiæ non mihi videantur satis efficaces, aliâ viâ satis probabilis apparet hæc sententia. Secunda verò valdè conformis est iuri naturali, neutra tamen satis conuincit. Ideo vtraque videtur probabilis maximè propter vtriusque patronos grauissimos, quos in magno numero refert Sanchez *loco citato num.*7. & 9.

Vtraque probabilis auctoritate. Neutra plenè conuincitur ratione.

Prima ergo sententia, dum ait eam conditionem subintelligi scilicet. *Si non elegero continentiam.* nullo iure probat, vt Auctores secundæ sententiæ satis conuincunt. Deinde (vt supra notabam agens de ingressu Religionis in simili casu)

465. *Fundamentum primæ non est firmum.*

Ratio ostendens non esse generalē illius rationem. Occurritur euasioni.

casu) etiamsi admittamus talem conditionem, vbi aliud non exprimitur; adhuc non potest esse doctrina generalis; potest enim exprimi in ipso contractu intentio contrahentium, quâ se velint obligare ad non eligendum alium statum. Quod si dicas non posse se obligare ad hoc; quia nemo potest se obligare ad non sequendum, quod perfectius est, nulla est solutio, alioquin eâdem ratione in omni ferè contractu, seu promissione posset quis resilire. Vnde, qui alioquin iustis de causis obligaretur alteri ex contractu, seu promissione ad danda bona, quæ possidet præcisè necessarijs relictis, posset resilire prætextu sequendi consilium Christi renuntiandi, scilicet omnibus, quæ possidet, & dandi pauperibus; neque enim est maior ratio, vt, qui alioquin debebat corpus suum tradendum in Matrimonium, possit à contractu resilire, & corpus Deo consecrare, quàm vt, qui debet bona sua dare alteri, possit à contractu resilire & ea etiam Deo consecrare dando illi in suis pauperibus.

466. *Ex alio capite ostenditur probabilitas eiusdem sententiæ.*

Ex alio tamen capite probabilis mihi redditur prædicta sententia, quia, nimirum communi sensu Ecclesiæ, imò & Christi institutione constat ex maiori vinculo, quàm sponsalitio posse resiliri, vt transeatur ad meliorem statum; vt videre est in transitu ex Matrimonio rato ad professionem; siue enim id habeat professio ex institutione Ecclesiæ immediatè, siue (vt alij volunt) ab ipso Christo (de quo nunc non disputo, dicturus suo loco) certè ipsâ Ecclesiæ praxi satis constat ex contractu Matrimonij rati posse transiri ad statum perfectionis prædictum, eo ipso quod Christus, siue immediatè per se, siue per Ecclesiam suam ita id instituerit. Vnde suâ proportione intelligi potest id ipsum habere locum in contractibus minoribus, & votis, de quibus nunc agimus, vt scilicèt, sicut Matrimonium ratum ita per se est contractus, & firmum vinculum, & indissolubile, vt tamen superueniente professione, cesset; ita similiter, si non ita certò, saltem probabiliter se habeat votum minùs forte ad contractum, & vinculum minùs forte. Et quidem de voto ingrediendi Religionem, & profitendi ibi comparatione promissionis contrahendi Matrimonium, clariùs videtur apparere hæc probabilis proportio; sicut enim se habet contractus Matrimonij cum professione; ita videtur se habere promissio Matrimonij cum promissione professionis. Quia sicut promissio sponsalitia est, quasi via ad Matrimonium: ita & promissio profitendi est, quasi via ad professionem. Vnde, sicut terminus vnius promissionis ita comparatur ad terminum alterius, vt vnus terminus dissoluat alterum, scilicèt professio Matrimonium; ita probabiliter colligi potest inter duas promissiones, quæ sunt viæ ad tales terminos, talem esse comparationem, vt via ad vnum terminum dissoluat viam ad alterum.

467. *Similem proportionē possumus in voto castitatis & spōsalibus.*

Atque hanc etiam proportionem reperire possumus inter votum Castitatis, & sponsalia. Nam si professio dissoluit Matrimonium, ex ea quidem parte est, qua professio inuoluit votum Castitatis. Vnde sicut votum solemne dissoluit contractum Matrimonij iam rati in essentia contractus; ita similiter probabiliter possumus colligere se habere minùs forte vinculum Castitatis in voto simplici ad minùs forte vinculum promissionis, quæ reperitur in sponsalibus. Vnde sicut vnum magis forte dissoluit alterum magis forte: ita & vnum minùs forte dissoluet alterum minùs forte.

Quia tamen hic totus discursus, quamuis probabilitatem in eâ proportione fundatam videatur habere; non ita efficax est, vt omnino conuincat; ideò secunda sententia satis probabilis apparet; quia nimirum ex vna parte constat vis obligationis sponsalitiæ, quæ præcessit, & ex altera non satis constat, vel quòd votum simplex per se habeat eam vim dissoluendi spōsalia modo prædicto, vel, quòd censeatur imbibita illa conditio *si non elegero meliorem statum.* Quare probabilissimum est standum esse illi contractui sponsalitio, cuius vis obligandi nota est & indubitata. 468. *His non obstantibus manet probabilitas secundæ sententiæ.*

Illud autem particulare habet ingressus Religionis, & votum Religionis, quod, cùm professio licitè suscipiatur etiam ab habente Matrimonium ratum, hinc est, vt in vtrâque opinione (quidquid alij reclament) concedendum sit licere, quia, si licet professio, etiam habenti Matrimonium ratum, potiori ratione licebunt ingressus in Religionem, & votum illius, quæ sunt quasi via ad professionem. 469. *Notandum pro ingressu Religionis & voto illius.*

In hoc autem differunt vtraque sententia, quòd iuxta primam, si post ingressum Religionis, aut votum ingrediendi, aut Castitatis quis non seruet suum votum; sed aliam vxorem ducat, peccabit quidem contra votum, sed non peccabit contra sponsalia præcedentia; imò, si post votum Castitatis illam primam ducat, peccabit etiam contra votum Castitatis; quia votum obligat, & sponsalia non obligant. Iuxta secūdam verò opinionem tàm post ingressum, & votum Castitatis simplex, quàm anteà, tenetur semper illam ducere, cui antecedenter promisit, vt patet, supposito quòd votum Castitatis non obliget. Item iuxta primam opinionem, si quis factis sponsalibus vouit Castitatem indiget voti dispensatione, & non tenetur illâ obtentâ ducere eam, cum quâ priùs contraxerat; quia secundùm eam opinionem per votū Castitatis sponsalia sunt extincta: quod autem extinctum est, non reuiuiscit. Regula *non firmatur de Regul. Iur. in 6.* & Regula. *Quod ab initio ff. eodem titulo.* Idemque absolutè dicendum, vt rectè notat Sanchez *disp. 50. num. 6.* de eo, qui priùs emisso voto Castitatis contraxit sponsalia, & posteà est dispensatus in voto; nam cùm ab initio sponsalia fuerint inualida. vtpote de re illicitâ nunquàm conualescunt. 470. *Notandum propraxi discrimen valde magnum inter vtramque sententiam.* Sanchez.

Iuxta opinionem verò, quę docet votum Castitatis post sponsalia non obligare, neque indiget vouens dispensatione voti, neque potest non stare sponsalibus priùs validis iuxta dicta. 471.

Ex tradita doctrina etiam sequitur, vt rectè Sanchez *lib. 1. disp. 50. num. 6.* Gutierrez *c. 28. nu. 2.* Coninc supra num. 29. (quidquid in contrarium dicat Couarruuias *1. p. c. 4. §. 1.*) Sponsum non teneri stare secundis sponsalibus contractis eo tempore, quo valida erant priora, etiamsi priora posteà dissoluantur; neque enim firma- 472. *Corollariū ex data doctrina.* Sanchez. Gutierrez. Coninc. *Contra* Couarruu.

firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. Secunda verò sponsalia tali tempore celebrata non subsistebant, tenebitur autē quādoque ad secunda sponsalia dissolutis primis, non quidem per se virtute sponsalium, sed per accidens ratione damni, vt, si habuit copulam cum sponsâ, quæ alioquin magnam infamiam inde pateretur, dummodo illi aliunde satisfactum non sit, neque possit aliter satisfieri. Ita Sanchez *disp.*48.Gutierrez *c.*27. *num* 3. Coninc *supra* & alij.

Sanchez.

473. *Aliud Corollarium ex dictis.*

Colligitur etiam ex dictis in secunda assertione sponsalia simplicia, id est, quæ solùm habent rationem promissionis mutuæ secluso alio damno extrinseco, quod ex ipsis sequatur, si non impleantur, non obligare, si fiant post votum Castitatis. Quod maximè verum est in sententia eorum, qui putant etiam sponsalia facta ante votum Castitatis, illo emisso, non obligare; sed extingui, absolutè probari potest, ex dictis; quia promissio sponsalitia post votum castitatis est promissio de re illicita.

474. *Casus in quo sponsalia post votū Castitatis valent.*

Solùm in vno casu puto sponsalia valere post votum Castitatis iuxta dicta, non solùm ratione damni illati; sed etiam ratione promissionis; scilicèt, quando vir defloravit feminam inuitè, siue per vim, siue per dolum, & non potest aliter resarcire damnum, in eo enim casu non solùm ratione damni illati; sed etiam ratione promissionis tenebitur; quia omni seclusâ promissione, ratione damni tenetur illi satisfacere, etiam post votum emissum, ducendo illam, quando aliter non potest, ergo actus ducendi illam, imò consummandi Matrimonium non solùm licitus est, sed debitus; promissio verò actus liciti,& debiti ex se in ratione promissionis est obligatoria: ergo promissio sponsalitia in tali casu obligabit,tanquàm promissio,& non solùm ratione damni.

475. *Aliud adhuc illatum ex dictis.*

Colligitur ex dictis à fortiori eum, qui post prima sponsalia celebrata cum vnâ, contraxit de facto Matrimonium cum alia, non tenēri, mortuâ vxore, ducere illam primam ex vi præcisè sponsalium priorum; quia per Matrimonium subsequens extincta fuerunt,semel autem extincta non reuiuiscunt. Quamuis contrarium sentiat Coninc referens vegam & Adrianum *disp.illâ* 23.*num.*32. vbi putat obligationem priorum sponsalium sopiri non finiri; nostra tamen doctrina ampliùs constabit infrà ex dicendis *dub.*37. Vbi agemus de dissolutione sponsalium per subsequens Matrimonium, nostramq; sententiam docent multi Doctores, quos ibidem referemus, & refert Sanchez *disputat.*48. *num.*3.Henriquez *lib.*11.*c.*14.*num.*4. Gutierrez *c.*27.*num.*3. idque verum puto, etiamsi sponsalia iuramento firmentur; nam iuramentum iuxta supra dicta est accessorium, & adhibitum ad confirmandam obligationem sponsalitiam, quâ extinctâ,etiam vis iuramenti extinguitur.

Coninc. *Oppositum sentit.* Vega. Adrianus. *Nostra sententia est multorum.* Sanchez. Henriq. Gutierrez.

476. *Quæsitum.*

Quæret tamen aliquis, an sponsa possit ab sponsalibus resilire, quando sponsus vouit quidem Castitatem, sed saluo semper iure sponsæ, ita scilicèt,vt teneatur post initum Matrimoniū reddere debitum,sed non petere. Ratio dubitādi est;quia in tali casu non censetur spōsus cedere suis sponsalibus,neque velle non contrahere, cū nihil tollat ex iis, quæ debita sunt sponsæ;paratus enim est cōtrahere Matrimonium,& post contractum,quidquid debet ex iustitia seruare.

Nihilominùs verū puto posse sponsam resilire;quia facta est notabilis mutatio rerū cōparatione feminæ;quæ nunquā poterit actū Matrimonij exercere,nisi ab ipsâ petatur aliquâ ratione;quod onus nō tenetur femina subire;maximè ante cōtractū matrimonium, vt suprà indicabā.

477. *Resoluitur.*

Assero 4.per votum suscipiendi Ordines Sacros probabile est extingui sponsalia præcedentia, sicut probabile diximus esse, extingui per votum Castitatis,siue id sit propter illam rationē,quod sit perfectior status, quàm Matrimonium,& semper intelligitur illa conditio. *Si non eligatur melior status*, siue id sit; quia (vt supra dicebam) voto Castitatis probabile est tale priuilegium esse concessum, vt etiam post sponsalia vim habeat, & illa extinguat; atque adeò licitum sit illud emittere. Quod si licitum est emittere votum Castitatis,licitum etiam erit, atque adeò obligatorium emittere votum, quo quis se obliget ad emittendum votum Castitatis.Cum autem in Ordine Sacro saltem,vt quid annexum contineatur votum Castitatis solemne; qui emittit votum suscipiendi Ordines Sacros, votum quoque emittit emittendi votum Castitatis; ad tale autem votum implendum (etiamsi immediatè Castitatis non sit) necesse est, vt quis à coniugio abstineat; atque adeò tale votum pugnat cum promissione sponsalitia. Vnde, si votum valet: promissio sponsalitia non valebit. Porrò, per votum Ordinis Sacri extingui sponsalia docent Gutierrez *c.*26.*num* 2. Sylvester verbo sponsalia *quæst.*7. Henriquez *lib.*11.*c.*14.*nu.*4. Corduba *q.*139.Bonacina *quæst.*1. *puncto* 5.*n.*20.*& alij.*

478. *Assertio 4.*

Ratio.

Gutierr. Sylvester. Henriq. Corduba. Bonacina. *Alij.*

Probabile etiam est per tale votum non extingui,vt docent etiam Auctores graues, inter quos: Sanchez *disp.*47.*nu.*3. cum alijs quos refert,item Reginaldus *lib.*31.*num.*160. Coninc *disp.*23.*n.*25. Martinus Perez *suprà Sect.*6.*nu.*1. qui consequenter philosophantur:sicut philosophati sunt docentes præcedentia sponsalia non dirimi per votum Castitatis subsequens: eodem enim modo philosophandum est iuxta eam sententiam de voto suscipiendi Ordines Sacros, cùm non sit maior, imò minor ratio: quia non est immediatè votum Castitatis.

479. *Probabile oppositum.* Sanchez. *Cum alijs* Reginald. Coninc. Martin. Perez.

Dubitari autem potest: an peccet mortaliter, qui emisso voto simplici Castitatis, aut Religionis vult contrahere Matrimonium animo ingrediendi Religionem, antequàm consummet?

480. *Dubium.*

Si in hoc casu dicamus licere, etiam possumus dicere licere, & valere sponsalia facta post tale votum maximè; si fortè possit (quod non puto verum) eā ratione satisfieri feminæ, cui promittuntur sponsalia, si aliquod inde damnum sequutum illi est.

481. *Difficultas amplius proponitur.*

Existimo tamen,vt minimum, esse peccatum, immò probabilius esse mortale, tùm quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, qui cogeretur alterius professionem expectare antequàm posset cum alio Matrimonium cōtrahere, aut saltem cogeretur posteà manere cū defectore Religionis; si ille redeat posteà ad sæculum;

482. *Resoluitur dubium.* *Ratio.*

tum ; quia se exponit graui periculo non implendi votum,& consummandi Matrimonium contra obligationem voti. Ita Sanchez *disp.* 43. *numer.* 7. vbi alias etiam rationes affert. Item Henriq. *lib.* 12. *c.* 2. *num.* 8. Gutierrez *c.* 25. *nu.* 4. Rodriquez 1 *p. c.* 344. *n.* 5 Coninc *disp.* 23. *dub.* 3. *nu.* 11. & 13. & alij contra Caietanum in *Summa verbo Matrimonium c.* 1. Petrum de Ledesma *q.* 43. *art.* 3. *dub.* 1. & alios. Vnde rectè colligit Sanchez per se loquendo peccare mortaliter, qui voto Castitatis, aut etiam nullo adstrictus vult Matrimonium inire cum animo ingrediendi Religionem post contractum Matrimonium nondum consummatum. In quo etiam consentiunt Rodriquez citato c. 244. n. 5. Sylvest. Sotus, Nauarrus & alij apud Sanchez n. 12, adiunctâ doctrinâ eiusdem Auctoris n. 6.

Sanchez. Henriq. Gutierr. Rodriq. Coninc. *Alij.* *Contra alios* Caietan. Ledesm. *Peccatum mortale est per se loquendo contrahere cum animo ingrediendi Religionem ante consummationem.* Sanchez, *Cum alijs.*

483. *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis, qui contrahit Matrimonium cum intentione ingrediendi Religionem, nemini videtur facere iniuriam ; vtitur enim iure suo ; cum Ecclesia post Matrimonium ratum non consummatum concedat bimestre ad deliberandum de statu eligendo, & capessenda Religione, & eo tempore liberum sit coniugi denegare debitum ante consummatum Matrimonium, vt Religionem ingrediatur.

484. *Respõdetur.* Respondetur concedi quidem ab Ecclesiâ prædictum tempus, non tamen concedi, vt id fiat cum præiudicio alterius, & cum deceptione, sed cum bonâ fide, atque adeò, qui contrahit Matrimonium cum intẽtione ingrediendi Religionem, antequàm cõsummet, maximè, eâ intentione nondum explicatâ alteri coniugi, peccat; quia illum decipit, qui fortè non contraheret; si eam intentionem sciret. Ita Coninc *supra n.* 13. & alij citati, & quidem, quando hâc ratione decipitur femina, maioris momenti videtur deceptio. Ratio autem alia petita ex periculo, cui se exponit violandi votum, qui post illud omissum sic contrahit, etiam locum habet, quãdo femina conscia fuit talis intentionis viri ; nam etiam tunc exponitur periculo mutandi animũ. Accedit nõ posse negari, quin aliquo modo deroget dignitati voti Castitatis, & Religionis eo modo contrahere; cum absolutè iure cautum sit huiusmodi vota impedire Matrimonium contrahendũ, vt videre est c. *Rursus* & c. *Consuluit* & c. *Insinuante. Qui Clerici, vel vouentes.* De eo vero qui post sponsalia valida suscipit sacros ordines, an peccet, nõ consentiunt Auctores. Negãt peccare Basil. lib. 12. c. 11. n. 3. Sotus *supra* Nauarrus c. 12. *n.* 25. & alij. Certè iuxta sententiam docentẽ licitum esse vouere id, & dissolui sponsalia nullum est peccatum, quia nisi liceret actus, nõ valeret nec liceret votũ illius, atqui in ea sententia valet votũ & dissoluit spõsalia; ergo licet actus, & nullum est peccatum: in sententia verò, quæ negat sponsalia dissolui, atque adeò votum contra illa valere, dicendum est tale votum solùm esse licitum de suscipiendis ordinibus, si sponsa consentiat, aut ille superuiuat, ipsam verò susceptionem esse peccatum. Legatur Perez *citata disp.* 9. *sect.* 6. *à n.* 4. qui rectè soluit argumenta in contrarium quæ alioquin facilia sunt & aliqua inuoluunt, quæ non sunt huius loci.

Coninc. *Præcipuè habet doctrina locũ pro femina.* *Vrgetur.* *Declaratur ex iure Canonico.* *Quid de suscipiente Sacros ordines post spõsalia valida? Negant aliqui.* Basilius. Sotus. Nauarr. *Alij.* *Resoluitur iuxta diuersitatem sententia.* Perez.

DVBITATIO XXXIII.

An sponsalia impuberum dissoluantur ob defectum ætatis solo eorum mutuo consensu?

485. *Assertio 1. Ratio.* ASsero 1. sponsalia impuberum, acquisitâ pubertate, eorum mutuo consensu dissolui posse. Ratio est; quia ius concedit vt sponsi impuberes acquisitâ pubertate possint ab sponsalibus resilire, vt docent communiter Doctores in *c. De illis c. Anobis* & *c. Attestationes* de *desponsat impub.* idque meritò concessit ius (sicuti communiter Doctores notant) quia, quæ fiunt ab impuberibus, non videntur fieri cum perfecta discretione & iudicio. *Probatur ex iure Canonico.*

486. *Assertio 2. Constat ex iure Canonico.* Assero 2. non posse prædictos dissoluere sua sponsalia ante pubertatem, etiam ex mutuo consensu. Hoc etiam constat ex *c. de illis* de *desponsat. impub.* vbi hoc cauetur, ne per inconstantiam & debile iudicium facilè ab sponsalibus resiliant, & alia atque alia contrahant sponsalia. Itaque solùm acquisitâ pubertate resilire possunt, nisi fortè anteà interuenerit carnalis copula.

487. *Dubium in hac re resultans.* Iam verò difficultas primò est; an ex duobus impuberibus, qui priùs ad pubertatem peruenit, possit, altero adhuc impubere, resilire?

488. *Assertio 3.* In qua re asserendum est 3. cum communi Doctorum sententia contra Cardinalem & Naldum apud Dianam intra posse dummodo statim resiliat: Quòd autem possit, non leuiter deducitur ex *c. De illis* citato, exprimiturque satis *l.* 8. *Castillæ tit.* 1. *Partitâ* 4. Ratione verò satis congruenti probatur, quia ex vna parte nullo iure requiritur, quod expectet pubertatem alterius, & ex alterâ puberi conceditur licentiâ, vel potiùs aufertur impedimentum resiliendi: ergo statim, ac fit pubes, resilire potest ante pubertatem alterius. *Probatur ex iure Canonico & Castella.*

489. *Necessarium est vt statim resilia ingressus pubertatem.* Quod autem necessarium sit statim resilire, docent Doctores, quos in magno numero refert Sanchez *disp.* 51. *nu.* 9. quibus adde Coninc *disp.* 23. *num.* 6. Gutierrez *cap.* 29. *n.* 2. & 3. Bonacinam *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 1. Perez *disp.* 9. *sect.* 2. qui cum Sanchez, quem refert, rectè notat, eum, qui factus pubes licet exterius toto tempore præcedente perstiterit in sententia; tamen statim atque factus est pubes restitit interius; etsi exterius id non exprimat, manere liberum in foro conscientiæ (quidquid in contrarium dicat Basilius *lib.* 12. *cap.* 9. *num* 5.) in nostro enim casu nullus est reuera consensus coram Deo, sed dissensus : forum autem externum tunc differt ab interno, quando ducitur falsâ præsumptione, & in eo casu præsumit consentire, quia non reclamauit, cùm tamen falsum sit consensisse, sed dissensisse potiùs: itaque tantùm in foro externo censebitur non statim reclamans contractum approbare, videturque insinuari *in dicto c. De illis* ibi. *Si cùm ad annos pubertatis peruenerint reclamauerint.* Illud autem censetur statim fieri, quod intra triduum fit. *l. finali* C. *de errore Aduocat.* & *L. finali* C. *de iudiciis* legatur Sanchez loco citato. Item Diana 3 *part. Tract.* 4. *Resol.* 282. cum multis ibi relatis. *Sanchez cũ multis* Coninc. Gutierr. Bonacina. Perez. *Interiùs resilire sufficit proforo conscientia.* *Contra Basilium.* *Ratio.* *Respondetur obiectioni sumptæ ab vniformitate fori interni & externi.* *Vniformitas non est quãdo externũ ducitur præsumptione.* *Quid significet vox statim.*

Quæ-

490. *Quæstium.* Quæret tamen aliquis; an, quando alter contrahentium iam erat pubes, & alter impubes, tempore celebrati contractus sponsalitij, possit pubes resilire ab sponsalibus?

491. *Resoluitur.* Respondeo non posse præcisè ratione ætatis, id enim nullo illi iure conceditur, quod verum est, etiamsi impubes consentiat. Hic enim propter fragilem suam ætatem non censetur satis iudicio pollere, vt possit maturum consensum præbere ad dissoluenda sponsalia. Itaque solus impubes, dum fiat pubes, poterit resilire, quia id illi soli conceditur à Iure. Vnde in prædicto casu contractus dicitur claudicare in fauorem impuberis. Ita Henriquez *lib.*11. *c.*14. Sanchez supra *num.*10. cum multis quos refert, item Gutierrez *supra num.*8. Reginald. *lib.*31.*num.*261. Couarruuias *de sponsalib.*1. *p. c.*5. quem refert, & sequitur Menoch. *de arbitrar. l.*2. *Centur.*5. *casu* 455.*num.*12. & alij communiter.

Henriq. Sanchez. *Cum multis* Gutierrez. Reginald. Couarruu. Menoch. *Alij communiter.*

Addendum etiam est cum Sanchez *num.*16. & Coninc *num.*7. Perez *num.*5. plerisque alijs citatis, quando impubes ante pubertatem reclamauit, & dissensit, manere dissoluta sponsalia; si posteà pubes factus non mutauit voluntatem; censetur enim manere in eâ retractatione, quæ retractatio; quamuis ante pubertatem inefficax sit; tamen, vt perseuerans post pubertatem, vim habet dissoluendi sponsalia, per illam enim perseuerantem censetur, quasi tacitè reclamare. Probatur à simili, quia ideò ratificantur, & firma sunt sponsalia, non reclamando statim post pubertatem; quia eo ipso, quod non reclamat, videtur in eâ voluntate persistere, quam habuit ante pubertatem: ergo, si ante pubertatem habuit dissensum, & reprobationē, censetur in ea reprobatione persistere.

492. *Addendum circa impuberem reclamantem ante pubertatem.*

493. *An non obstante iuramento possit resilire qui venit ad pubertatem.* Difficultas 2. est; an, qui factus est pubes, possit ab sponsalibus ante pubertatem contractis resilire, si iuramento firmata fuerunt?

494. *Affirmant aliqui.* Paludan. Henriq. Cardinal. Perez. Basilius. *Aliqui alij. Negant probabilius alij* Sanchez. Hurtad. *Alij multi. Probant argumento ex iure Canonico.* Affirmat Paludanus in 4. *distinct.*27. *quæst.*1. *art.*3. Henricus, & Cardinalis Perez *sect. illa* 2. *n.* 8. Basilius Ponce *lib.*12. *cap.*9. *num.*8. & aliqui alij, & est probabilis sententiâ talemque putat Diana *suprà Resol.* 288. Verius tamen est non licere resilire. Ita Sanchez *disput.*51. *quæst.*3. *num.*22. Hurtado *disp.*2. *difficult.*2. & alij non pauci, qui omnes putant in tali casu non loqui ius; sed potiùs tunc iuramento firmari iuxta *c. Ex litteris & 2. de sponsalib.* vbi habetur eos impuberes, qui sponsalia contraxerunt, & iuramento confirmârunt, cogendos esse ad contrahendum Matrimonium. Et absque fundamento asseritur ab aduersarijs id intelligi debere, quando non reclamârunt tempore debito; imò contra rationem quia, si tempore debito non reclamant, quamuis non iurauerint, cogendi sunt implere, vt constat ex dictis, ergo frustra esset lex illa, si solùm esset intelligenda, quando non reclamant tempore debito.

495. *Obiectio.* Sed obijcies pro aduersarijs, Iuramentum additum contractui sortitur eandem conditionem contractus, cùm in eius confirmationem fiat, sed sponsalia impuberum iure positiuo tacitè includunt eam conditionem; nisi facti puberes resiliant: ergo etiam iuramentum illis additum.

496. *Respōdetur.* Respondetur concedendo maiorem, quam nos etiam in præcedentibus statuimus, negando verò minorem, scilicèt, quod sponsalia impuberum iurata includant prædictam conditionem; quamuis enim eam includant, quando non iurantur, iurata includere non possunt propter dispositionem dicti *c. Ex litteris* vbi negatur impuberibus licentia resiliendi ab sponsalibus, quando iuramento firmantur, quæ tamen conceditur in *citato c. de illis*, quando iuramentum non adest, sed reclamant adhuc aduersarij contendentes ibi esse sermonem de impubescentibus, id est proximis pubertati, quando malitia supplet ætatem, quos ideò vocat *impubescentes.* Verùm potiùs vox illis obest; quia est verbum inchoatiuum, sicut frigesco, & significat initium non finem impubertatis, cumque impubertas incipiat à septennio vsque ad decimum quartum, quia vsque ad septennium fuit infantia, posteà est impubertas, posteà pubertas. Impubescentia initium erit pueritiæ, non finis proximus adolescentiæ, seu pubertati. Sed hæc leuia sunt. Ideò dicunt debere intelligi proximos, quia dicuntur cogendi censuris, quod non habet locum in iis, qui procul sunt à pubertate. Reijcitur tamen facilè, quia hoc solùm probat quod tunc quando coguntur censuris, sint proximi pubertati, non verò quando iurârunt. Imò inde probamus non posse resilire; quia alioquin, etiamsi essent in pubertate potuissent statim reclamare, si iuramentum non præcessisset, ergo iuramentum obstabat.

Disparitas inter iurata & non iurata sponsalia quantum ad præsens.

Obsistunt adhuc aduersarij. Respōdetur.

Alia aduersariorum euasio. Præcluditur.

497. *Quando debeant facere hoc iuramentum impuberes.* Sanchez. *Et alij multi.* Hoc iuramentum vt firmet sponsalia, præstari debet ab impuberibus doli capacibus, vt fatentur Sanchez *num.*23. cum multis à se paulò ante relatis, quamuis non consentiant inter se, quando dicantur doli capaces ad hunc effectū? Et omissis alijs sententijs dicendum est cum eodem, & alijs, quos refert *n.*24. dici tales, quando ita proximi sunt pubertati, vt intellectum ac discretionem habeant ad firma omnino & irreuocabilia reddenda sponsalia. Quando verò dicentur pubertati proximi? etiam dissentiunt Auctores mihi placet, quod docet ibid. Sanch. & consonat cum iis, quæ diximus *dub* 19. *n.*286. scilicèt arbitrio iudicis relinquēdum esse: Idem docent alij apud eundem Sanchez.

Debent esse proximi pubertati & discretionem sufficientem habere.

498. *Habent prædicta locum in sponsalibus non solū veris sed præsumptis.* Sanchez. *Et alij.* Quod dictum est de sponsalibus, intelligi debet, non solùm de veris; sed etiam de præsumptis vt, quando impuberes contrahunt per verba de præsenti, habeturque expressè *c. A nobis* de *dispensatione impuberum.* Vnde neque ab iis licet resilire. Ita Sanchez *supra num.*13. cum alijs, quos refert.

499. *Idem est de sponsalibus contractis à parentibus pro impubere.* Idem quoque dicendum est de sponsalibus contractis à parentibus pro impubere, à quibus quoties valida sunt, impubes resilire non potest donec pubescat. Legatur Sanchez *suprà n.*12. & ea, quæ diximus *dub.*2. & 3. Addit etiam Sanch. *num.*11. iuxta doctrinam à se traditam *disp.*6. quam nos etiam sequuti sumus loco citato, si maior septennio contrahat cum infante non posse resilire, donec infans septennium habeat, & tunc eo volente tenetur promissis stare.

DVBITATIO XXXIV.

An sponsalia puberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint?

500. *Ratio dubitandi pro parte negatiua ex iure Canonico.*

RAtio dubitandi pro parte negatiua est desumpta ex *c.2. de sponsalib.* ibi. *qui de Matrimonio contrahendo fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, vt fidem obseruent: si autem se ad inuicem admittere noluerint, ne deterius inde contingat, potest in patientia tolerari.* Vbi videtur significari non posse licitè fieri pro solâ voluntate contrahentium; alioquin non diceretur monendos esse sponsos, & eorum recessus in patientia tolerandos.

501. *Assertio affirmans. Ratio.*

Asserendum nihilominùs est validè dissolui posse, & licitè mutuo consensu, & mutuâ remissione ipsorũ sponsorũ: est enim contractus naturâ suâ dissolubilis, ac proinde dissolui potest ex volũtate cõtrahentium: *res enim per quas causas nascitur, per easdẽ dissoluitur c.1. de Reg. Iuris.* Quod verò id licitè fieri possit, constat; quia nullo iure nec positiuo, nec naturali prohibetur.

502. *Si sine causa fiat aliqua nota inconstantiæ subitur.*

Non negauerim tamen, si absque alia causa rationabili dissoluantur, id non sine nota aliqua incõstantiæ fieri, dariq; occasionem multis obloquendi, & murmurãdi. Quod, quamuis nõ sit mortale, expedit euitare. Ideo in verbis citatis in principio dicitur monendos esse sponsos, vt sibi fidem seruent: quod si nolint, tolerãdũ esse.

503. *Quid si interueniat iuramentũ?*

Difficultas verò est, an eadẽ doctrina locum habeat, quãdo spõsalia inita sunt cũ iuramento?

504. *Possunt sibi mutuò remittere obligationem tam iustitiæ, quam fidelitatis. Restat iuramentum.*

In qua re supponendũ est in primis posse solo spõsorum consensu remitti obligationẽ fidelitatis, & iustitiæ: potest enim promissarius cedere iuri sibi promisso, & obligationi fidelitatis. Tota ergo difficultas manet, quoad obligationem Religionis ortam ex iuramento.

505. *Quando solùm fit in fauorem partis cessat obligatio parte cedẽte.*

In hac re Doctores communiter consentiunt posse dissolui quoad obligationem Religionis, quoties iuramentum fit in fauorem partis; cùm enim tunc solum fiat in gratiam ipsius, poterit obligatio cessare eiusdẽ partis remissione, siue iuramentum sit confirmatiuum obligationis, siue tantùm comitans illam.

506. *Restat difficultas de iuramento facto intuitu pietatis seu per modum voti.*

Difficilius est, quando sponsalia fiunt ab aliquo intuitu pietatis, vt ducendi pauperem, iuramentumque principaliter fit in honorem Dei, seu per modum voti; tunc enim, cum impletio iuramenti sit opus pietatis, & obsequium Dei, nõ videtur ita facile quòd possint dissolui quoad obligationem Religionis ex solâ voluntate promissarij.

507. *Prima sententia negãs multorum.* Sotus. Sylvest. Angelus. Rosella. *Alij multi. Probant.* D. Thom. *Probabilis est prædicta sententia.*

Prima sententia negat. Ita Sotus 8. *de Iustitia q.1. art.9.* Sylvest. Angel. Rosella, & alij multi apud Sanch. *disp.52. n.7.* Probant; quia iuramentum intuitu pietatis factum in honorem Dei æquialet voto, cuius obligationem nequit alter relaxare, seu extinguere. Consonatque doctrina D. Thom. 2.2. *q.89. art.9 ad 2.* vbi docet eum, cui aliquid promittitur intuitu pietatis, nõ posse remittere: ergo tenebitur, quantum est ex parte suâ iurans, quoties remittens velit Matrimonium, etiam post factam remissionem; estque satis probabilis sententia.

508. *Secunda sententia affirmans probabilior.* Lessius. Sà. Coninc. Nald. Gutierrez. Henriq. Sanchez. Suarius. Rebellus. Perez. *Alij multi. Ratio.*

Secunda sententia probabilior docet, etiam in hoc casu cessare obligationem iuramenti. Ita Lessius *lib.2.c.42.dub.12.num.57.* Sâ *verbo sponsalia n.1.c. & in ordine* 13. Coninc *disp.23. dub 1. num.2.* Naldus *verbo sponsalia n.4.* Gutierrez *c.24.* Henriq. *lib.11.c.14.* Sanchez *disp. illâ 52. num.8. & in summa lib.3. cap.20.* vbi alios refert Suarius *lib.2. de iurament. cap.39. num.6.* Rebellus *lib.4. quæst.8. sect.1. num.3.* Martinus Perez *disp.9 sect.1. num.10.* & alij multi. Ratio est, quia tunc consensu, & remissione partis cessat materia, cessant enim sponsalia, quorum etiam materia, vt illis subest, erat simul materia illius iuramenti. Quæ ratio directè, & expressè solùm probat, quando iuramentum fuit factum in confirmationem contractus, quo deficiente per remissionem partis, deficit etiam materia iuramenti.

509. *Quid si iuramentum tantùm comitetur spõsalia & fiat in confirmationem? Vt quando fit ante spõsalia aut postea in honorem Dei. Adhuc potest eodem modo tunc cessare.*

Verùm, si rectè expendatur, suo modo etiam locum habet quando iuramentum non fuit factum in confirmationem sponsalium, & eis subordinatum, sed tantùm sponsalia comitatur, vt, quando quis iurat ducere pauperem, quod maximè apparet, quando iuramentum fit ante sponsalia, licèt non repugnet hoc modo fieri post illa, aut simul cum illis, etiamsi tunc iuramentum factum sit in honorem Dei, & attendendo ad eius seruitium, & obsequium; tunc enim, cum fiat in commodum partis, censetur fieri, saltem tacitè, sub ea conditione, si illa persona, in cuius commodum fit, non respuat. Quapropter illâ respuente cessabit statim obligatio iuramenti, quantumuis alioquin voto æquiualeat, vide quæ dicimus de *iuram. disp.4. dub.4.*

510. *Non cessat tunc relaxatione. Ratio. Cessat indirectè per remissionem personæ in cuius gratiã fuit.*

Non cessat autem hæc obligatio directâ relaxatione; hæc enim, vt suo loco dicemus, nequit fieri, nisi à Deo, vel nomine Dei vel habente vicem illius; relaxatur autem indirectè cessatione conditionis, sub qua fuit tacitè factum, quandoquidem persona, in cuius commodum fuit, repugnat, aut respuit.

511. *Quid si iuret se ducturum personam quoties ipsa velit?*

Quod si quis iuret se ducturum personam illam, quoties ipsa velit, etiam post quascunque remissiones, aut repulsiones eiusdem personæ, poterit, si velit, ad id se obligare (quidquid sit de voto quod fit soli Deo) neque in hoc vlla est repugnantia, non tamen id intendit, qui iurat ex eo præcisè, quod intuitu pietatis, & in honorem Dei iuret, ac proinde; nisi aliud expressè intendat, censendus est iurâsse sub conditione, quòd alter non respuat. Ex quâ doctrinâ soluitur ratio oppositæ sententiæ.

512. *Remissio sponsalium debet esse libera. Ratio.* Sanchez. Gutierrez. Coninc. *Alij citati.*

Illud autem certum esse debet, remissionem sponsalium debere esse liberam; sicut & remissionem aliorum debitorum; nam huiusmodi remissio est quasi quædam donatio; hæc autem libera esse debet. Ita Sanchez, Gutierrez, Coninc, & alij supra citati.

513. *Non ergo interueniente metu ad id incusso.*

Ex quo infertur non dissolui sponsalia per remissionem eius, qui metu sibi incusso ad extorquendam remissionem cogitur ab altero contrahente.

514. *Sed si ad id non fuerit incussus valebit remissio. De Matrimonio, an sit materia voti Remissiuè.*

Valebit autem remissio facta ob metum parentum vel ob viri asperitatem; hic enim metus non est incussus ad extorquendam remissionẽ, ac proinde non tollit libertatẽ sufficientẽ ad remissionis valorem, vt suo loco dicemus in simili de voto. Vtrũ autẽ matrimoniũ possit esse materia

ria voti, nō est huius loci disputare. De quibus agimus *in tract. de voto*, & *de iuram.* etiā loco suprà notato. Legi potest præter Sanchez & Suarium citatus Mart. Perez tùm *suprà* tum *disp. 3. sect. 3.*

Sanchez. Suarius. Perez.

DVBITATIO XXXV.

An sponsalia dissoluantur ob lapsum termini? vel ob longam moram?

515. *Prima pars discutitur. Duplex modus præfigendi termini. Primus. Secundus.*

CIrca primam partem supponendum est duobus modis posse præfigi terminum in hoc, sicut in aliis contractibus & promissionibus; Primò (quamuis id rarò fiat) assignando terminum pro finienda obligatione, vltra quē non velint cōtrahentes obligari. Secūdò (quod ordinariè contingit) assignando terminum, vltra quem non liceat contractus impletionem differre, non tamen, vt eo termino transacto obligatio finiatur, quin potiùs iam semper vrgeat, & perseueret.

516. *Primo modo si præfigatur, solo lapsu termini dissoluuntur ex parte innocentis.* Sanchez. Coninc. *Ratio.*

His positis consentiunt Doctores transacto termino primo modo, id est præfixo ad finiendam obligationem, dissolui sponsalia ex parte eius, per quem non stetit. Ita Sanchez *disp. 53.* Coninc *disp. 23. n. 46.* Legatur Sanchez *n. 5. & 6.* Ratio est; quia terminus fuit assignatus ad id, vt eo transacto finiatur obligatio: ergo is, per quem non stetit, non est vllum caput, ex quo obligetur, cùm tantùm voluerit obligari vsque ad terminum assignatum, & non vltra.

517. *Explicatur textus quidam iuris circa hoc.*

Hac ratione intelligendus est Textus in *cap ficut 22. de sponsalibus.* vbi dicitur: *nisi iuramento suo certum terminum, intra quem dictam duceret vxorem, præfixit & per eum non stetit, quin ad statutū terminum matrimonium consummārit.* Vbi tradita doctrina videtur apertè contineri. *Consonatq; cum Regula contractus de Regulis iuris in 6.* vbi dicitur *contractus ex conuentione legem accipere dignoscuntur.*

518. *Alia ratio est de illo qui fuit causa quo minus contractus præfixo tempore impleretur. Obligatio per accidens & quasi per resultātiam.*

De illo verò, per quem stetit, quo minùs contractus impleretur, alia longè ratio est; quamuis enim (vt in eodem capite videtur supponi) non maneat liber omnino, id non prouenit ex eo, quòd perseueret obligatio orta per se ex dictis sponsalibus; hæc enim eo ipso, quod tali modo præfixus fuit terminus, cessat; obligatur tamen per accidens, & quasi per resultantiam, vt, scilicet, reddat quod debuit ex iustitia reddere, & culpabiliter non reddidit.

519. *Aliqui extendunt ad eum qui inculpabiliter non impleuit & fuit sine culpa in mora.*

Hanc doctrinam aliqui extendunt ad casum, quo transactio termini, seu mora contrahendi sit inculpabilis; quia nimirum illā contrahens non tenetur ratione damnificationis (hæc enim proculdubio deberet esse culpabilis;) sed ratione rei retentæ, & quasi acceptæ; quia retinet rem, quam debuit reddere.

520. *Non caret ea doctrina difficultate.*

Hoc autem difficultate non caret; quia obligatio iuxta dicta non extenditur vltra voluntatem contrahentium; in hoc autem casu non videtur esse voluntas illius contrahentis, se obligare vltra terminum præfixum ad finiendam obligationem. Quod autem intra illum non impleuerit, eo ipso, quod inculpabiliter factum fuerit, non stetit per ipsum; neque iam censetur retinere rem, ad quā alter habeat ius; ille enim alter contrahens solùm habuit ius ad Matrimonium, & corpus alterius sibi tradendum intra terminum præfixum, non extra; atque adeo extra terminum non retinetur ab altero res vllo modo aliena. Quod autem, si potuisset, eam debuisset reddere in alio tempore, parum refert ad præsentem obligationem; quia eo ipso, quòd in eo inculpabiliter non reddiderit: tunc nihil iniustè retinuit; post illud verò tempus nihil iniustè retinet: ergo nunquàm fuit iniustus retentor, atque adeò non apparet caput, vnde obligetur. Pro qua sententia meritò possumus referre Auctores, qui sine distinctione loquentes absolutè asserūt translato termino præfixo finiri obligationē, quia nimirum, promissio facta fuit solùm pro tali tempore. Ita Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 2. punct. 5. specul. 1. part. art. 2. casu 10.* Sylvest. *verb. sponsal. q. 10.* Petrus de Ledesm. *q. 43. art. 3.* & alij, qui intelligendi sunt de obligatione propriâ contractus ex vi promissionis sponsalitiæ; nihil autē dicunt de obligatione per resultantiam ex eo quod cōtractus no fuerit impletus, vt dicebā, & infra explicabimus; potest etiā pro nostra sententia referri Martin. Perez *disp. 9. sect. 10. n. 2.* quāuis non agat de aliâ obligatione per resultantiam, sed de proprio ex ipso contractu, quam negat manere tā ex parte vnius culpabilis, quā alterius, quando ita contraxerunt, vt transacto termino finiatur obligatio. Ideò probabilius iudico tunc non obligari, quia nec dici potest stetisse per illum, cùm nō potuerit, nedū debuerit rem facere, de quo paulo post contra Sanchez.

Non apparet caput talis obligationis.

Valentia. Sylvest. Ledesma. *Alij.*

Perez.

Non est talis obligatio.

521. *Si per vtrūque stetit vterque liber manet.*

Quando autem per vtrumque culpabiliter stat, vterque manet liber; nam vterque censetur renunciâsse iuri suo, & mutuo consensu illa dissoluere.

522. *Quid si vterque inculpabiliter non impleuit? Sanchez & alij putant vtrumque obligari.*

Quòd si vterque inculpabiliter non potuit eo tempore perficere atque adeò (vt aliqui loquūtur) per vtrumque inculpabiliter stetit, non desunt, qui putent, tunc vtrumque manere obligatum, sicut putauit etiam manere obligatum illū, per quem inculpabiliter stetit, quando non stetit per alterum. Ita docet Sanchez eadem *disp. 53. num. 7. & 8.* adiunctâ doctrinâ *num. 6.* Probat primò ex *citato c. Sicut.* vbi ponderat illius per quem stetit, culpam. Sed ex hoc non video quomodo colligat suam sententiam, potiùs ego colligerem oppositam, quia si textus ponderat illius, per quem stetit, culpam, vt inde colligat ex parte illius ea minimè dissolui: à contrario argumento videtur colligi, si in neutro sit culpa, dissolui lapsu termini. Probat secundò, quia, cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet proinde, ac si impleta esset. Regula. *Cùm non stat.* de *Regul. iur in 6.* Hæc ratio etiam displicet, quia in hoc casu videtur hic auctor inuoluere cōtradictionem; nam ex vno capite *n. 7.* in principio loquitur de eo, per quē stetit, sed culpâ vacat ibi. *Si is, per quem stetit, culpâ vacet.* Deinde supponit per illum non stare; ait enim, *quia cum non stat per eum, ad quem pertinet.* Sed quidquid sit de hoc, non videtur ad præsentem casum pertinere regula tradita, neque posse deseruire; nam nunc quæstio est de termino præfixo ex voluntate contrahētium ad finiendam obligationē. Cùm ergo voluntas contrahentium fuerit, vt obligatio contractus vltra illum terminum præfixum

Probat 1. Ex iure citato. Non colligitur ex eo textu sed potius oppositum. Probat 2.

Ex Regula iuris in 6. Non placet probatio.

Textus non videtur ad rem.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

fixum non transeat, parùm refert quòd culpabiliter, vel inculpabiliter transierit terminus absque impletione contractus, vt perseueret obligatio propria contractus, quæ ex voluntate contrahentium, vt supponimus, subsistere non potest vltra præfixum terminum. Vnde non video quorsum hìc offeratur prædicta Regula iuris; neque enim hic agimus de aliquâ conditione implenda, quæ non fuerit impleta; nam contractus, de quo agimus, solùm est contractus perficiendus intra certum terminum, qui, si transeat, contractus, seu obligatio illius cessat; conditio autem in hoc casu vsque ad præfixum terminum nulla est; quia obligatio vsque ad illum est absoluta, quòd si loquamur de conditione ad dissoluendum contractum scilicet, vt *si terminus transierit, contractus cesset*, hæc iam impleta supponitur in nostro casu, vt cesset ea obligatio: nulla ergo apparet conditio, quæ non impleatur. Extra rem ergo affertur Regula de conditione non impleta.

523. *Probat 3. ex alijs iuribus.*

Probat vlterius Sanchez, quia legitimè impedito non currit tempus *c. Quia diuersitatem*, de *conces. Præb.* & *l. 1. C. de Annali except.* & *Authentica. Nisi tricennalè C. de bon. Matern.* Multo minùs placet hæc ratio; tum quia lex illa solùm est in fauorem legitimè impediti, ne scilicet patiatur aliquid damni ex eo quòd transierit terminus, vel à iure, vel à iudice præfixus, quando intra certum tempus præcipitur, vel adesse, vel aliquid aliud præstare. Quod tamen extra rem est in nostro casu, vbi contrahentes communi voluntate præfixerunt terminum ad Matrimoniũ contrahendum, & ad finiendam obligationem contrahendi, quam noluerunt vltra illum terminum transire; atque adeò neuter voluit vltra terminum se obligare, scilicèt ad eum modum, quo quis voluntate suâ potest se voto adstringere ad aliquid faciendum v.g. ad audiendum Sacrum intra tres dies proximè sequentes ita, vt obligatio finiatur termino præfixo; tunc enim, siue culpabiliter, siue inculpabiliter terminus transeat, vltra non tenetur voto: ita etiam in nostro casu præfixo termino à contrahentibus, siue culpabiliter siue inculpabiliter transeat terminus absque eo, quòd impleatur contractus, cessabit obligatio propria contractus. Ideò suprà diximus manere quidem obligatum illum, per quem culpabiliter stetit, quo minus contractus impleretur intra præfixum terminum, non tamen manere obligatum obligatione propriâ contractus, quæ, scilicèt, per se oritur ex ipso cõtractu; sed per accidens, & quasi per resultantiam, nempe, quia, cùm esset ex iustitia obligatus alteri, & non præstiterit, quod ex iustitia illi debebat, ex naturâ rei resultat obligatio resarciendi damnum, quod sic intulit, & compensandi, quantum suâ intererat contractum fuisse impletum; hæc autem compensatio sæpe fieri non potest, nisi per ipsum Matrimonium. Ideò, quasi per resultantiam, & non formaliter per obligationem contractus, tenebitur ad Matrimonium.

Minus adhuc placet hæc ratio.

524. *Tunc per resultãtiam tenebitur ad Matrimonium si alia via non potest compensare.*

Vnde consequenter mihi videtur dicendũ, si aliâ viâ possit compensare, quàm ineundo Matrimonium, non teneri ad matrimonium determinatè; sed vel ad illud, vel ad aliam æquiualentem compensationem, quia iam non tenetur formaliter obligatione contractus sponsalitij, qui iam cessauit; sed ratione vel damni emergentis, vel commodi cessantis, aut non prouenientis alteri parti propter non impletum contractum Sponsalitium, quando debuit impleri, & culpabiliter non fuit impletus. Quia verò, quando quis inculpabiliter fuit causa damni, non tenetur illud compensare, ideo in nostro casu, si alter, vel vterque inculpabiliter fuit causa alicuius damni, quod alteri parti sequatur, ex eo quod non fuerit intra præfixum terminum Matrimonium celebratum, non tenebitur transacto iam termino Matrimonium celebrare; quia neque ex vi contractus, qui iam cessauit, neque ex vi damni illati, aut commodi impediti, quia huius causa culpabilis non fuit.

525. *Disputatur de casu longæ moræ quando non fuit terminus præfixus ad finiendã obligationẽ. Non eo ipso quod terminus transeat cessat obligatio.* Sanchez. Cominc. Reginald. Rebellus. Perez. *Alij multi. Ratio. Probatur ex iure. Duplex tũc obligatio vna soluendi altera intrà terminum soluendi.*

Iam verò agendum est de altero casu, quando scilicèt terminus præfixus sponsalibus fuit non ad finiendam obligationem, sed ad faciendam licentiam differendi. In quo casu omnino verum est, transacto termino, non eo ipso dissolui sponsalia, vt docent Sanchez & Cominc citati, & Reginaldus *lib. 32. num. 261.* Rebell. *lib. 4. q. 8. sect. 4. num. 20.* Perez *num 3.* & alij multi, quia, nimirum, terminus non fuit præfixus ad finiendam obligationẽ; sed ad nõ vlterius differendam, ac proinde termino transacto, non eo ipso finietur obligatio, de quo termino sic præfixo sermo est in *L. Census 27. §. 1. ff. de recept. arbitr.* ibi. *Sed ipse rectè putat duo esse arbitri præcepta, vnum pecuniam dari; aliud intra Kalendas dari.* nempe obligatione soluẽdi certo termino duæ obligationes includuntur: vna, absolutè soluendi: altera; quòd solutio fit in termino designato. Sic ergo in nostro casu sponsalibus eo modo factis duplex obligatio continetur: altera, ineundi Matrimonium: altera ineundi intra tale tempus.

526. *In voluntate contrahentium est alterutro modo se obligare. Quærenda signa discernendi hoc quando clarè non constat. Vera, sed obscura quorumdã in hac re doctrina. Duæ regulæ in præsenti obseruandæ.* Sanchez. Cominc. *Recentiores. Prima Regula.* Anton. Abbatem. Alex. de Neuo. Præpos. *Secunda Regula.*

Quamuis autem hoc secundo modo ordinariè soleat præfigi terminus, nempe, ad solicitãdam; non ad extinguendam obligationem; quia tamen in voluntate contrahentium est alterutro ex prædictis modis contractum inire, oportet assignare modum discernendi (quando de intentione contrahentium clarè non constat;) an in priori; an posteriori modo præfixus fuerit terminus; an scilicet ad finiendam an ad solicitandam potiùs obligationem. A quâ difficultate aliqui breuissimè se expediunt, dicentes recurrendum esse ad causas, & motiua assignandi terminum, & ad alias circumstantias, atque ex eis arbitrio prudentis discernendum. Quæ doctrina vera quidem est, sed obscura satis, nisi magis ad particularia descendamus. Ideò placent duæ Regulæ, quas assignat Sanchez eâdem *disput. 53. num. 3.* quas etiam approbat Cominc *disp. 23. dub. 6.* & alij Recentiores. Prima, si terminus ab vno tantùm contrahentium designetur, vt alter intra illum impleat, censetur designari ad solicitandam, non ad finiendam obligationem, vt, si promittam tibi fore, vt vendam rem meam intra mensem, te non adstricto ad emendum. Pro qua Regula refert Ant. Abbatem, Alex. de Neuo, & Præpos. Secunda Regula est: quando terminus ab vtroque contrahente

hente imponitur respectu alicuius per vtrumque implendi, si initio contractus adiiciatur, id est antequàm contractus sit perfectè initus, & obligatio contracta: tunc censetur adiectus causâ restringendæ obligationis, vt eo transacto non duret, quia cum nullus sit contractus, nullaque obligatio orta, ille terminus est intrinsecus, & quasi pars obligationis, eiusque conditio, & subinde eo transacto deficit conditionis defectu. Quando autem adiicitur obligationi iam perfectæ, & contractui consummato, censetur adiectus causâ solicitandi, nec ipsius lapsu obligatio extinguitur; quia cùm prior contractus iam sit perfectè initus, & orta sit absoluta obligatio, adiectio termini extrinseca est, & noui contractus initium; ergo, eo termino transacto, non cessat prior obligatio absoluta, & independens à posteriori. Pro hac Regula refert Sanchez Auctores nuper citatos, insuper Angel. Sylvest. Tabien. Brunel. Couarruu. Antonium Cucum, & alios quos refert *num.* 2. Contra has regulas insurgit Perez *nu.* 6. quia absolutè negari nequit etiamsi ab vno tantùm ponatur terminus præfixus v. g. à venditore, posse ita præfigere, vt eo elapso non teneatur vendere, quia molestum esset, si pro voluntate ementis maneret impeditus ad vendendum, quin posset in plurimis occasionibus, si offerantur vendere suas merces. Hoc tamen facilè concederem prædicto auctori, sed non obest regulæ datæ, quæ solùm datur, vt quando aliunde ex materia & aliis circumstantiis non constat oppositam fuisse mentem contrahentium, fiat iuxta illam regulam. Sic etiam soluendum est id, quod opponit subinde nempe, è contrario fieri posse, vt quamuis ab vno tantùm contrahentium terminus præfigatur, intentio sit tantum differendi, non finiendi obligationem, vt contingit in termino præfixo solutioni debiti. Hoc etiam totum verissimum est, sed non infirmat regulam, quæ data est quando ex materia & aliis circumstantiis non satis constat. Vnde admitto eiusdem Perezij doctrinam, vt seruiat pro regula non priuatiuè excludendo datas regulas, sed cumulatiuè id est simul cum illis; ait enim & merito definiendum esse quoque ex subiectâ materiâ prudentis arbitrio consideratis motiuis & aliis circumstantiis, & quidem per illam particulam *quoque* satis significat, simul cum illis regulis, & non illis exclusis intelligi debere, quod dixit. Legatur idem Auctor. *n.* 7.

Angelus. Sylvester. Tabiena. Brunel. Couarr. Anton. Cucus. Alios.

Contra has Regulas agit Perez.

Non vrget.

Aliud quod opponit contra hoc ipsum.

Neque hoc vrget quàmuis verum. Cumulatiuè, non priuatiuè admitti debet doctrina Perezij.

527. Limitat autem Sanchez prædictam Regulam *num.* 6. 7. & 8. limitationibus, quas iam nuper impugnauimus agendo contra ipsum, dum dixit, obligationem transire vltra terminum præfixum, quando quis inculpabiliter non impleuit intra præfixum terminum assignatum ad finiendam obligationem.

Limitationes Sanchezij iam impugnatæ

528. Illud autem mihi placet, quod obseruat Coninc, scilicèt, quamuis ex dilatione vnius alter non liberetur per se ab obligatione, quando terminus non est assignatus ad finiendam obligationem, posse tamen per accidens liberari, nempe, quando dilatio tanta est, vt, vel censeatur, qui sic differt, renunciare sponsalibus, vel grauiter fregisse fidem quia frangenti fidem non est necessariò fides seruanda. Id, quod etiam locum habet, quando sponsalia facta sunt nullo assignato termino, fieri enim potest, vt alter in tantâ morâ sit, vt censeatur sponsalibus renunciâsse, ac proinde alter liberetur ab obligatione. Item tanta potest esse mora, vt prudenti iudicio credatur alter non habuisse animum se obligandi, vsque ad tantam dilationem. Atque ex his patet responsum ad id, quod quærebatur *in 2. p. tituli dubitationis*, quæ doctrina etiam approbatur ab aliis, præsertim ab eodem Perez *numer.* 8. & à Bonacina *q. 1. punct. 6. numer.* 7.

Obseruatio ex Coninc admittenda.

Perez. Bonacina.

529. Quodsi quæras quandonam sponsus vel sponsa peccet differendo celebrationem contractus matrimonij promissi? breuiter Respondeo cum Sanchez *disp.* 28. *num.* 2. Gutierrez *de matrimonio c.* 15. *num.* 5. Perez *num.* 9. Bonacina suprà & aliis multis peccare, quoties alter petit, & fieri potest contractus. Quod intellige, quando non fuit præfixus terminus pro adimplendis sponsalibus; poterit autem differri in tali casu donec alter petat; nisi fortè non petat ob verecundiam, vel impotentiam, vel obliuionem, vt etiam alibi diximus.

Quando sponsi peccat differendo? Respondetur.

Sanchez. Gutierr. Perez. Bonacina. *Alij multi.*

DVBITATIO XXXVI.

An sponsalia dissoluantur quando vnus ex sponsis discedit in remotissimum locum absque consensu alterius?

530. COnstat ex *c. de illis 5. de sponsalibus.* Doctorumque consensu eo ipso quòd sponsus discedat in remotas Prouincias absque sponsæ consensu manere sponsam liberam ab sponsalibus, etiam iuratis; satis enim significat cà transmigratione sponsus se velle renunciare iuri suo, & obligationi alterius; imò ipso tantùm discessu habet sponsa sufficientissimam causam resiliendi à contractu sponsalitio; neque enim tenetur tam longam moram pati, & tam difficilem reditum, seu euentum expectare.

Si sponsus in terras longinquas discedat, sine consensu sponsæ hæc manet libera.

531. Non tamen sufficiet solus discessus in locum propinquum, vnde breui speratur rediturus: tunc enim expectandus est; vel requirendus; vt intra certum tempus matrimonium contrahat. Quodsi intra illud noluerit absque vllâ iusta causa contrahere, censendus est renunciare, & dissolui possunt sponsalia. Si verò ex iusta causa adhuc differat, non erunt temerè sponsalia dissoluenda, sed attendi debet qualitas sponsi, & aliæ circumstantiæ, vt prudentis arbitrio discernatur; an sponsalia dissolui debeant; soletque assignari inter alias causas, quòd sponsa ex dilatione periculum fornicationis patiatur. Ita Speculum 1. *p. art.* 21. Coninc *disputat.* 23 *dub.* 6. *num.* 50. Sanchez *lib.* 1. *disput.* 54. *à num.* 10. Rebell. *libr.* 4. *q.* 8. *sect* 3. *num.* 15. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 5. Reginald. *lib.* 31. *num.* 261. Gutierrez *c.* 3. *n.* 6. & alij apud ipsum & apud Sanch. Perez *disp.* 9. *sect.* 9. *n.* 1.

Non sufficit discessus in locum propinquum.

Causæ ad id sufficientes.

Speculum. Coninc. Sanchez. Rebellus. Valentia. Reginald. Gutierrez. Sanchez. Perez.

532. Dixi dissolui posse sponsalia, etiam iurata, vt supponitur *in c. De illis citato:* quia iuramentum, vt supponimus, & vt regulariter fit, tantùm additur in confirmationem sponsalium, quibus

Cur possint etiam iurata sponsalia dissolui in tali casu.

dissolutis cessat obligatio iuramenti iuxta ea, quæ explicauimus *dub.34. & alijs in locis.*

533. *Quando pro hac re censeatur quis dimittere terram.* Tunc autem quis dimittit terram; quando dimittit domicilium; seu recedit animo non redeundi, non verò quando animo redeundi, etiamsi per aliquod tempus considerabile; tunc enim tantùm censetur secundùm quid dimittere, ideſt ad tempus, licèt hoc possit esse tam longum, vt non teneatur sponsa expectare, vt dictum est.

534. *Quanto tẽpore debeat expectare sponsa sponsum & è contra.* Illud etiam mihi verum apparet in tali scilicèt discessu sponsi standum esse pro libertate sponsæ, eamque statim ac sic discedit sponsus, liberari absque eo, quòd necessarium sit expectare dispositionem iuris Ciuilis. *L.2. C. de sponsalibus.* vbi decidit sponsam debere expectare per biennium pro absentia sponsi in eâdem Prouinciâ, & *L.2. C. de Repudiis.* vbi dicitur triennium esse expectandum, nempe, quando absentia est in aliâ Prouinciâ. Item *L. sæpe ff. de sponsalibus.* statuitur, dum ex causa necessaria abest, expectandum esse donec causa cesset. Item in Regno Castellæ. *L.8. tit.1. Partit.4.* requiritur trium annorum expectatio, quando requisitus sponsus inueniri non potest, nec sciri vbi sit. Idemque censetur dispositum in absentia sponsæ. quæ rarius cõtingit, si fortè aliquando eueniat; sunt enim correlatiui sponsus, & sponsa, eademque ratio subest in vtroque. Ideò dispositum in vno censetur in alio disponi, vt ex variis iuribus, & Auctoribus docet Sanchez *disp.5. 4. num.1.*

Quid in hac re iura disponant.

535. *Non est spectanda in hac re dispositio iuris Ciuilis.* Sanchez. *Probat.1.* *Probatur 2. Ex iure Canonico corrigente Ciuile.* Potrò non esse spectandam dispositionem iuris Ciuilis rectè probat Sanchez *num.6.* contra alios à se citatos *num.5.* Probat verò primò propter rationem dictam; quia longè recedens censetur cedere iuri sponsalium. Secundò, quia *c. De illis* citato dicitur, *si quis iurauerit aliquam ducturum, & postea dimittit terram se ad alias partes transferens, liberum erit mulieri cum alio contrahere receptâ de periurio pœnitentiâ, si per eam stetit.* Quibus verbis videtur correctum ius Ciuile; nam si triennium, aut biennium expectare deberet, iam non esset *liberum mulieri cum alio contrahere,* vt cum Glossa in Clementina *dudum,* & aliis Auctoribus. Probat Sanchez loco citato. Ratio verò diuersitatis inter ius ciuile & Canonicum est, quia ciuile solùm considerat bonum publicum; neque ad peccatum attendit, vt notatur Regulâ. *Possessor mala fidei de Reg. iuris in 6.* Ius autem Canonicum peccatum considerat. Quare cùm ob sponsi absentiam immineat fornicationis periculum sponsæ, concedit illi liberè posse contrahere. Pro quâ sententia, & doctrina plures iurisperitos, & Theologos refert Sanchez eodem *n.6.*

Ita sentiunt Plures apud Sanchez.

536. *Quidã putant in foro externo stãdum Ciuili & in interno iuri Canonico.* Henriq. Bonacina. *Sed absque fundamẽto.* Non me latet aliquos differentiam agnoscere inter Forum externum, & Forum internum, & in Foro externo putant standum esse iuri ciuili; in foro autem interno iuri Canonico. Ita Henriq. *l.11. de matrimonio c.14. n.5.* & Bonacina *q.1. puncto 6. in fine;* id tamen absque fundamento asseritur, cùm lex Canonica possit Ciuilem corrigere pro vtroque foro.

Multò minùs placent plures alij apud Sanchez *num.5.* qui putant ius Ciuile non esse correctum per Canonicum, quia Canonicum ver-

537. bis citatis tantùm decidit liberum esse sponsæ alij nubere, si sponsus absit. hæc autem absentia iuxta legis Ciuilis præscriptum accipienda est, vt Legum correctio, quantum fieri potest, vitetur. Contra hoc tamen est, quod in citato *c. De illis* absolutè dicitur *de sponsâ eius, qui se transtulit ad alias partes liberè posse cum alio contrahere;* quod verum non esset, si teneretur (vt dicebamus) prædictum tempus expectare. Quando verò textus ille ait *receptâ de periurio pœnitentiâ, si per eam stetit.* Etiam significat fœminam esse liberam, quamuis ipsa fuisset priùs in morâ implendi sponsalia iuramento firmata, quod est notandum pro praxi, & notant aliqui, inter quos Perez suprà num. 3. vbi meritò etiam notat, non ita vi sponsalium sponsam teneri sequi sponsum, sicuti vxor virum. Ideoque, si sponsa nouerit velle sponsum mutare domicilium se in alium locum transferendo, non putat teneri cum illo contrahere, sed posse statim resilire, propter notabilem mutationem superuenientem.

Alij falsò putant non fuisse correctum ius Ciuile per Canonicũ. Reiicitur eorũ ratio.

Notandum pro praxi.

Perez supra.

538. *De sponso absque consensu sponsæ discedente in remotas terras.* Iam verò difficultas est, an, quando sponsus absque consensu sponsæ discedit in terras remotas animo redeundi, sed absque spe celeris reditus, statim censeatur sponsa libera à contractu? in quo duæ præcipuæ sunt sententiæ.

539. *Prima sententia negans.* Palud. Antonin. Sylvest. Canisius. Prima negans est Paludani *in 4. dist. 27. q.1. art.3.* Antonini *3. p. tit.1. c.18.* Sylvestri *verbo sponsalia num.8* & Canisij in citatum *c. de illis* & aliorum, quos refert Sanchez *disp.54. num.4.* & sequitur Layman *c.2. num.15.* & ex parte Rebellus *lib.4. q.8. sect.3. num.2. & 3.* quod putant habere locum quando discedit ob causam voluntariam, quantumuis iustam. Quodsi discedat ob causam necessariam, putant debere illum expectare, donec cesset causa. Probant ex illa lege *sæpe ff. de sponsalibus,* quam vtpote rationi consonam non putant iure Canonico correctam: hi ergo docent, si sponsus discedat extra prouinciam, teneri expectare per triennium; si verò intra prouinciam, per biennium; eo autem biennio, aut triennio transacto liberam manere; non verò antea, sic enim putant decerni iure Ciuili *L.2. C. de Repud.*

540. *Secunda sententia affirmans.* Secunda sententia absolutè docet, si sponsus discedat in terras remotas, siue extra Prouinciam, sive intra & absque spe celeris reditus, etiamsi animo redeundi discesserit, sponsam ex tunc manere liberam, vt alteri possit nubere. Ita Sanchez citata *disp.54.* Henriq. *lib.11. de matrimonio c.14.* Toletus *lib.7. c.21.* & alij multi infrà citandi, qui existimant id ita disponi *c. De illis citato.* Tamen hoc, me quidem iudice, non satis videtur colligi ex eo textu, ibi enim existimo tantùm agi de discessu in terras remotas deserendo terram, & domicilium.

Sanchez. Henriq. Toletus. *Alij multi. Probant ex iure sed inde non satis efficaciter.*

541. *Magis placet posterior sententia, sed opus est distinctione.* In hac re, quamuis ex duabus sententiis hæc posterior magis placeat, aliqua distinctione vtendum puto; atque inprimis, si sponsus absens perseueret post terminum præfixum ad finiendam obligationem, procul dubio etiamsi non sit transactum biennium, vel triennium, liberabitur sponsa; Deinde, si fortè discedat in locum, vnde non sit spes redeundi intra terminum præfixum ad finiendam obligationem, etiam existimo statim ab initio manere liberam.

Probatur sententia nostra 1.

ram. Ratio est, quia, si iam moraliter certum est ipsum non rediturum, & ita res disposuisse, vt fides ab illo data seruanda non sit; satis videtur renunciâsse iuri suo, fidemque sibi datam remisisse. Deinde iam ex tunc moraliter censetur

Probatur 2.

fregisse fidem suam, aut illam non seruâsse. Vn-

Probatur 3.

de nec sponsa tenetur suam seruare. Tandem illa expectatio temporis reditus, nedum biennij, aut triennij, inutilis omnino videtur, si non est spes redeundi: ergo non tenetur expectare, maximè cùm iam notabilis rerum mutatio superuenerit. Ita Perez *disputation. 9. section. 9.* Basil. *libr. 12. cap. 15.* Bonacina *q. 1. punct. 6. num. 8.* Hurtado *disputation. 2. diff 10.* & alij citati pro 2. sententiâ.

Perez. Basil. Bonacina. Hurtado. *Alij citati.*

542. *Etiam est libera post notabilem moram vltra terminũ præfixum.*

Quando etiam post terminum præfixum ad finiendam licentiam differendi, & solicitandam impletionem sponsus, qui discessit sub spe citò redeundi, ita notabiliter moratur, & perseuerat absens, vt vel censeatur renunciâsse sponsalibus, aut notabiliter fregisse fidem: tunc etiam puto statim manere sponsam liberam.

543. *Etiam est libera quãdo nullo assignato termino tam diu moratur vt censeatur cessisse. nec illa vltra se obligasse. Quo sensu & casu sit standũ dispositioni iuris Ciuilis.*

Item hoc ipsum puto, quando nullo expressè assignato termino sponsalibus, ita moratur, vt vel ipse prudenti iudicio censeatur sponsalibus renunciasse, aut sponsa non censeatur se voluisse obligare vsque ad tantam moram. Si verò adhuc est aliqua spes quod ille citò redibit, vel non admodum tardabit, habeatque iustas causas detentionis, solumque præfixus fuerit terminus ad solicitandam obligationem; nõ ad finiendam; tunc mihi videtur standum esse dispositioni iuris Ciuilis, & expectandum biennium, seu triennium, si tamen sit spes, quod iuxta talem terminum sit rediturus. Nam quoties nulla affulget spes redeundi intra terminum lege præscriptum, frustra talis terminus expectabitur, ac proinde ab initio manebit libera.

544. *Non habet vim dispositio illa iuris Ciuilis in sponsalibus baptizatorum.*

Illud autem hoc loco aduertendum est, siue prædicta dispositio, Iuris Ciuilis expectandi biennium pro absentia intra Prouinciam, & triennium pro discessu extra illam, correcta sit iure Canonico, siue non; nihilominùs non habere locum in sponsalibus baptizatorum, quorum contractus sponsalitius habet pro materia, & obiecto contractum matrimonij eleuatum ad dignitatem Sacramenti: est enim, si non omnino certum, saltem probabilissimum, leges Ciuiles in iis, quæ pertinent ad matrimonium eleuatum ad esse Sacramenti, non habere locum; sed omnia esse regulanda per ius Canonicum, & Ecclesiasticam dispositionem, quod est certum, quando oppositum in Canonico, statuitur. Ita Perez *suprà num. 10.* Hurtado *diff. 10. n. 4.*

Perez. Hurtado.

DVBITATIO XXXVII.

An dissoluantur sponsalia per matrimonium subsequens cum aliâ personâ.

545. *Quædã certa in hac re præmittuntur.*

QVòd sponsalia dissoluantur per validum matrimonium subsequens, saltem ex parte sponsi relicti, nemo potest iure dubitare. Item quod ex parte validè contrahentis matrimonium cum aliâ dissoluantur saltem toto tẽpore durantis matrimonij cum aliâ contracti, etiam dubitari non potest. Definitum enim est in *c. 1. de sponsa duorum* & *in c. si inter 31. de sponsalibus.* Dixi matrimonium validum, quia si non valeat non dissoluit sponsalia ex parte contrahentis illud, iuxta Regulam *non præstat de Regulâ iuris in 6.* vbi dicitur. *Non præstat impedimentum quod de iure non sortitur effectum.* Vtrùm autem hæc sit absoluta in omni euentu dissolutio sponsalium ita, vt mortuo coniuge non teneatur cum priori contrahere, non consentiunt Auctores.

In quo sit controuersia.

546. *Prima sententia negans dissolui.* Adrianus. Conine. Vega. *Alij apud Sanch.* Basilius. Hurtado. Perez.

Aliqui negant omnino dissolui, sed quasi consopiri. Ita Adrianus in *4. q. 2. de matrimonio.* & Coninc *disp. 23. num. 32.* Vega *libr. 6. summæ casu 125.* & alij apud Sanchez *lib. 1. disp. 48. nu. 2.* Item Basil. *lib. 12. cap. 13. num. 4.* Hurtado *disp. 2. diffic. 7.* Perez *disp. 9. sect. 7. num. 5.* Probant primò quia iniquum est vt quis per iniuriam alteri suum ius tollat, seque ab eius eximat obligatione, quando potest ei satisfacere. Atque, si non tenetur priorem ducere; per iniuriam ei suum ius tolleret; ergo &c. Probant. Secundò quia vinculum matrimonij ex vna parte est defectibile morte, aut professione alterius coniugis, & ex altera non est incompossibile cum obligatione sponsalitia respectu primæ personæ, cum quâ priùs contraxit sponsalia, etiamsi quamdiu durat, impediat impletionem illius, & sit incompossibile cum ipsâ impletione: ergo, licèt quamdiu durat vinculum, sopita sit obligatio sponsalitia respectu primæ, non censeri debet extincta, sed, quasi expectans euentum. Confirmatur primò à simili, quia etiam matrimonium consummatum post votum ingrediendi Religionem, non est incompossibile cum obligatione voti, quamuis interim obligatio impediatur durante matrimonio; ergo pari ratione non erit incompossibilis obligatio sponsalitia; quamuis interim impediatur. Limitant verò Auctores hanc sententiam; nisi sponsus ex priori matrimonio tot liberos genuisset, vt illos commodè alere non posset; vel, nisi ita senex esset, vt non censeretur aptus matrimonio. Confirmatur secundò quia tunc priora sponsalia non extinguuntur iure naturali, nec positiuo, ergo manent quasi sopita, & suspensa donec deficiat impedimentum. Nec apparet aliunde caput vllum, cur censeantur extincta. Atque in primis ex natura rei non extinguuntur, quia superueniens vinculum fortius quidem sed ex alio capite dissolubile, non sufficit ad extinguendum, sed tantùm ad sopiendum interim, dum durat vt cùm quis post votum Castitatis, aut Religionis contrahit matrimonium & consummat, non extinguitur, sed suspenditur obligatio, vt dissoluto matrimonio per obitum coniugis debeat impleri, ergo eâdem ratione in obligatione sponsalitia dicendum est. Iure verò positiuo non putant probari, de quo posteà audientes secundam sententiam. Propter hæc & alia prima hæc sententia probabilis est, & meritò probabilem putat Sanchez *n. 2. in fine.*

Confirmatur primo à simili.

Limitant suam sententiam.

Confirmatur secundo.

Probabilior tamen est sententia, quæ affirmat per matrimonium superueniens priora

547.

sponsalia

Secunda sententia affirmans probabilior. *Sanchez.* *Valentia.* *Henriq.* *Lessius.* *Bonacina.* *Gutierrez.* *Menoch.* *Alij apud Sanchez.* *Villalob.* *Diana.*

sponsalia omnino extingui ita, vt nulla supersit obligatio post matrimonium dissolutum. Ita Sanchez *tâdem disp.* 48. *num.* 3. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *q.* 2. *puncto* 5. Henriq. 11. *de matrimonio c.* 14. Less. *lib.* 2. *c.* 40. *num.* 74. Bonacina *q.* 1. *puncto* 7. *num.* 1. falsò referens Coninchum *disp.* 23. *nu.* 28. ibi enim solùm agit de dissolutione sponsalium ex parte relictæ; hic verò agimus ex parte relinquentis. Item Gutierrez *cap.* 27. *numer.* 1. Menoch *de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 5. *casu* 455. *num.* 9. & alij apud Sanchez *citato num.* 3. Villalobos *in summa tomo* 1. *tractat.* 12. *diff.* 12. *numer.* 11. quam sententiam probabilem putat Diana *Parte* 3. *tractat.* 4. *Resol.* 209. Probant primò *ex c. si inter de sponsalibus & c.* 1. *de sponsa duorum & c. final.* 27. *q.* 2. vbi matrimonium, tanquàm fortius vinculum, censetur sponsalia priora dissoluere; si illud validum fuit; obligatio autem semel extincta amplius non reuiuiscit, vt notabamus *dub.* 32. l. *Qui res* §. *Adream* ff. *de solut.* & *c. Quæris de consecrat. dist.* 4. Probant Secundò quia cùm sint obligationes eiusdem rationis, extinguitur prior per fortiorem superuenientem, vt votum strictioris Religionis omnino extinguitur professione sequutâ in laxiori, & ex hoc putant cessare argumentum, seu fundamentum oppositæ sententiæ sumptum à simili de voto; quia promissio voti, & matrimonium sunt obligationes distinctæ rationis, quarum vna Deo fit, altera homini, & ideo non mirum, si obligatio voti non extinguatur; sed suspensa perseueret constante matrimonio; secùs autem est de sponsalibus, & matrimonio, quæ sunt obligationes eiusdem rationis factæ homini. Quam sententiam putant veram prædicti Auctores, etiamsi sponsalia fuerint iurata.

Axioma iuris Ciuilis & Canonici. *Probatur 2. ratione.* *Sic putant cessare fundamentum à simili oppositæ sententiæ.*

Probatur 1. ex iure Canonico.

348. *Fundamentum ex ratione non multum mouet aduersarios.* *Eorum solutio.*

Sanè Fundamentum huius sententiæ allatum præter Textus citatos non multùm mouet Auctores oppositæ sententiæ facilè enim sibi videntur respondere, dum dicunt vinculum quidem matrimonij esse fortiùs obligatione sponsalitiâ. & eiusdem rationis cum illâ; non tamen esse incompossibile cum eâ, vt relata ad tempus cessationis ipsius vinculi, atque adeò non tollere illam, sed suspendere, ac impedire, quamdiu vinculum durat. Ad similitudinem verò petitam ex voto ingrediendi strictiorem Religionem, & profitendi in illâ, quod extinguitur per professionem in laxiori Religione id esse, quia votum illud, in eam professionem commutatur; aut ex priuilegio Ecclesiæ, aut ab ipso profitente, quia professio, quamuis in Religione laxiore est manifestè melior voto profitendi in strictiore.

549. *Nec impugnatio vnius partis seu responsio placet.* *Ratio cur displiceat.*

Hæc impugnatio, seu responsio potiùs, mihi non placet; nam licèt concedamus præcisè, & ex naturâ rei loquendo non esse incompossibilem obligationem sponsalitiam relatam ad tempus dissoluti matrimonij, & in hoc imbecille mihi videatur satis fundamentum secundæ sententiæ, quod nullo modo probat ex eo capite extingui obligationem sponsalitiam; tamen non sufficit; quòd obligatio priùs absolutè facta possit respicere tempus dissolutionis, seu cessationis matrimonij impositi, vt ideò dicamus sponsalia, quasi sopita permanere tempore constantis matrimonij, vt possint eo extincto, seu cessante permanere. Nam in Ecclesiâ nec benè audiunt, nec tolerari solent sponsalia, quæ fiunt constante priori matrimonio propter multa inconuenientia, quæ resultant ex eo, quòd talia sponsalia matrimonio subsistente existant. Perinde autem est illa facta fuisse ante matrimonium, & perseuerare cum ipso Matrimonio, atque de nouo fieri subsistête Matrimonio, quantumuis fiant respectu têporis, in quo Matrimonium tunc existens cesset. Ex hoc autem principio apparet probabilitas secundæ sententiæ, quod, scilicèt vinculum Matrimonij sit incompossibile cum sponsalibus, non solùm respectu eiusdem temporis, (quod per se manifestum est;) sed etiam respectu temporis sequentis; id enim obstat bono Matrimonij, & amori fidelitatique seruandæ inter coniuges, & ansam præbet seu tentationem desiderandi, aut machinandi mortem coniugis eo ipso, quòd videt, & sæpe meminit perseuerare sponsalia priùs facta suspensa ad tempus cessationis præsentis Matrimonij. Itaque ex parte vtriusque, qui sponsalia contraxit, est sufficiens causa, vt per Matrimonium subsequens priora sponsalia absolutè dirimantur. Ex parte quidem personæ relictæ; quia non tenetur iam expectare vsque ad incertam dissolutionem Matrimonij, & altera pars eo ipso ex parte suâ recedit ab sponsalibus, aliaque mutationes concurrunt, sub quibus non obligat promissio. Ex parte vero ipsius ineuntis Matrimonium non perseuerare debent sponsalia; nec sopita manere; quia bono Matrimonij præsentis, & existentis, pacique & amori coniugum expedit, vt coniux ille non habeat causam, aut occasionem amandi aliam personam amore ordinato ad matrimonium; nec tentationem machinandi mortem coniugis, habito respectu ad præcedentia sponsalia; si adhuc pendeant in futurum euentum. Accedit, quod etiam persona illa relicta tentationem, & occasionem potest habere desiderandi & machinandi mortem eius coniugis, quo mortuo reuiuiscat obligatio sponsalitia, & nuptias, quas prius voluit, possit inire, & ad illas ineundas cogere personã sibi iam deuinctam per priora sponsalia.

Ex dictis apparet probabilitas secunda sententia.

Ostenditur cessare ex parte vtriusque obligationem.

550. *Merito ius decreuit cessare tunc sponsalia.* *Declaratur à simili.*

Propter hæc & similia inconuenientia vitanda æquum fuit maximeque rationi consonum, vt ius textibus suprà citatis pro secundâ sententiâ, decerneret per matrimonium subsequens sponsalia dissolui, ad eum modum, quo etiam iure prohibentur expectatiuæ beneficiorum, & eneruatur valor præsentationis, aut collationis beneficiorum, nondum vacantium, ne, scilicèt, detur occasio desiderandi, procurandi, aut machinandi mortem præsentis possessoris. Atque hoc existimo in nostro casu esse præcipuum fundamentum secundæ sententiæ, scilicèt, à iure positiuo habere matrimonium subsequens, vt sponsalia præcedentia cum alia persona dirimantur, ne tempore subsistentis coniugij maneat amor, & respectus sponsalitius coniugis cum priori sponsa, vnde oriatur occasio, vel tentatio prædicta, non sine magno pacis, coniugalisque amoris detrimento; imò & zelotypiæ alterius coniugis, qui facilè in suspicionem veniet leuissimis aut ferè nullis indiciis,

Ex dictis cõstat quod sit præcipuũ fundamentum secũdæ nostræ sententiæ.

diciis, indeque pax turbabitur, & amor minuetur. Quæ omnia inconuenientia extinctione sponsalium præcedentium vitari possunt; timenda verò erunt, si sopita perseuerent. Atque hoc fundamentum non infringitur, aut impugnatur à contratia sententia. Imò licet in aliquibus textibus citatis nulla sit mentio de extinctione priorum sponsalium, nihilominùs ea repugnantia, quam diximus & inconuenientia satis sunt, vt intelligatur ius noluisse vt ampliùs obligatio inposterum perseueret.

Non habet vim contra datum fundamentum Ratio oppositæ sententiæ.

551. *Idem probatur etiamsi sponsalibus accesserit iuramentũ.*

Ex hoc etiam fundamento colligitur, neque obligationem iuramenti additi sponsalibus manere sopitam, si iuramentum sit annexum contractui sponsalitio, vel illum confirmans, corruente contractu, corruet iuramentum; si verò fuerit factum soli Deo, tanquàm de obiecto pio, vt in præcedentibus dicebamus; facilè etiam intelligitur cessare iuramentum eo ipso, quod magis expediat non esse in coniuge, subsistente matrimonio cum vnâ, affectum aliquem sponsalitium, aut similem respectum ad aliam personam in ordine ad, futurum matrimonium; maximè cum iuramentum etiam eodem modo factum, cessante obligatione sponsalitiâ, cesset, vt in præcedentibus diximus.

552. *Disparitas ex dicto inter obligationem sponsalitiam, & obligationẽ voti quoad hoc.*

Hinc etiam patet ratio disparitatis inter obligationem sponsalitiam, & votum ingrediendi Religionem respectu matrimonij subsequẽtis; nam obligatio sponsalitia, si perseueraret, haberet inconuenientia prædicta; ideo *c. si inter.* & reliqua citata pro secunda sententia illam dissolutam absolutè declarârunt sine vllâ distinctione pro futuro tempore cessationis Matrimonij; obligatio autem voti ingrediendi Religionem, aut integrè seruandi Castitatem non habet prædicta inconuenientia, imò magnam conuenientiam, etiam pro præsenti coniugio ad conciliandum amorem inter coniuges; nam, qui obligatus est voto, cùm ad Religionem non moueatur carnali affectu, sicut ad secundas nuptias, non habebit occasionem, & tentationem machinandi mortem, aut illam desiderandi, & alter coniux non habebit occasionem suspicionis, quam diximus in alio casu; cùm potiùs videat coniugem suum adstrictum, & obligatum vt, si superstes fuerit. Religionem ingrediatur, aut Castitatem seruet. Ideò per Matrimonium subsequens nullo iure naturali, aut positiuo extinguitur tale votum; sed sopitur, & eius obligatio suspensa perseuerat vsque ad futurum euentum dissolutionis Matrimonij.

DVBITATIO XXXVIII.

An sponsalia dissoluantur ob impedimentum dirimens superueniens? Vbi etiam de impedimento non dirimente, & obligatione petendæ dispensationis.

553. STatuendum inprimis per impedimenta dirimentia matrimonium superuenientia spõsalibus, saltem posse dissolui ex parte alterius, qui non fuit causa impedimenti superuenientis. Cùm enim fiat impossibile matrimonium absque dispensatione, eamque non teneatur alter acceptare, non est caput, vnde dicamus ex parte illius posito impedimento, adhuc sponsalia valere. Hoc, & reliqua dicenda locum habent in sponsalibus iuratis cum iuramentum sit accessorium ipsis, vt sæpe notauimus. In quo Auctores communiter consentiunt.

Saltem ex parte eius qui non fuit causa potest dissolui promissio. Etiam si fuerint spõsalia iurata.

554. *Ratio generalis vt neuter obligetur.*

Ratione generali probari potest neutrum illorum supposito impedimento, siue culpabiliter, siue inculpabiliter inducto, manere obligatum immediatè, & proximè ad matrimonium; nemo enim potest obligari ad id, quod fieri non potest; obligaretur autem ad id, si sponsalia non dissoluerentur superueniente illo impedimento.

555. *Illatum ex data ratione.* Sanchez. Gutierrez. Reginald. Camerota. Ledesma. Valentia. Speculum. Henriq. *Bonacina cum aliis. Plures alij.*

Hinc est, vt supposito impedimento affinitatis in primo & secundo gradu orto ex copulâ illicitâ, sponsalia dissoluantur, quando sponsus copulam habet cum consanguinea in eo gradu; per quam fit affinis. Ita Sanch. *l. 1. disp. 56. num. 1.* Gutierrez *cap. 32.* Coninc *disput. 23. dub. 5.* Reginald. *lib. 32. num. 263.* Camerota *dub. 14.* Petrus de Ledesma *q. 43. art. 3. causa 3.* Valentia *to. 4. disp. 10. puncto 6.* Speculum, Henriq. & alij quos refert, & sequitur Bonacina *q. 1. punct. 7. n. 4.* & alij multi.

556. *Explicatur amplius illatum, & in quo iam sit cõtrouersia.*

Dixi non manere obligatum immediatè. & proximè; nam, quod attinet ad obligationem petendi aut procurandi dispensationem in impedimento, controuersia est inter Auctores, an, saltem ille, qui dedit causam impedimento, teneatur dispensationem petere, & procurare?

557. *Prima sententia affirmans absolute teneri.* Ledesma. Ochagau. *Recentiores. Ratio: Secunda alia sentẽtia affirmans cũ limitatione.* Sanchez. Coninc. Gutierr. Bonacina. Filliucius.

Prima sententia absolutè, & absque limitatione docet teneri. Ita Petrus de Ledesma *q. 43. art. 3.* Ochagauia *q. 23.* & alij Recentiores, quia nimirum contra ius alterius appositi liberè impedimentum, ac proinde ex iustitia tenetur ad illud auferendum. Sanchez verò *disp. illâ 56. nu. 4.* Coninc *disp. 23. dub. 5. numer. 37.* Gutierrez *c. 32. num. 2.* Bonacina *supra num. 8.* putant hoc ipsum cum limitatione tamen, si dispensatio commodè possit impetrari; quando enim commodè haberi nequit, aut absque magnis sumptibus, non videtur se ad impletionem sponsaliũ voluisse obligare medio valdè extraordinario, & difficili; nisi fortè, quando pars innocens notabilem iacturam patitur ex non impletis sponsalibus, à quâ sententia parum abest Filliucius *cap. 8. quæsito 8.* dum docet, non teneri; nisi, quando altera pars notabilem patitur iacturam.

558. *Recentiorũ sententia nõ diuersa est à præcedente si præcedens recte intelligatur.*

Aliqui Recentiores putant tantùm teneri, quando dans causam impedimento aduertebat tale impedimentum contrahi. Quæ sententia non differt à præcedenti, si rectè præcedens intelligatur; expresè enim loquuntur Auctores de apponente liberè impedimentum, non censetur autem apponere liberè impedimentum, qui, vel ignorat, vel non aduertit impedimentum, tunc enim libere non damnificauit, neque liberè impediuit, quamuis fecerit id, vnde impedimentum oriretur. Quæ sententia hoc modo intellecta mihi placet; tota enim ratio procurandi dispensationem ad resarciendum dãnum, proueniit ex damno culpabiliter illato; in

Sententia sic explicata placet.

hoc

hoc autem casu non intulit culpabiliter. Vnde, si quis post contracta sponsalia habuit copulam cum consanguineâ, prædictâ ignorantiâ vel inaduertentiâ inculpabili iuris, aut facti, id est, vel nescius, aut non aduertens esse tale impedimentum à iure inductum; vel nescius, aut non aduertens illam esse consanguineam sponsæ, quantumuis peccauerit fornicando, non peccauit inferendo damnum illud appositionis impedimenti, sicut, qui inuincibiliter ignorat eum, quem percutit, esse clericum, etiamsi peccet contra iustitiam percutiendo hominem; non peccat peccato sacrilegij percussionis Clerici.

559. *Si possit dānum aliter compensari, non tenetur petere dispēsationem. Ratio.* Illud autem mihi omninò certum est, si dānum, quod sequitur ex non impletis sponsalibus sufficienter possit aliâ viâ compensari, non teneri prædictum ad petendam dispensationem determinatè, sed, vel ad dispensationem petendam, vel ad damnum alioquin compensandum. Ratio est, quia iam non tenetur formaliter ex promissione sponsalitiâ; sed ex damno illato; seu emergente ex appositio liberè impedimento; hoc autem damnum resarciri potest, vel obtinendo dispensationem, vel aliâ viâ, vt supponimus.

560. *Maior difficultas ex parte personæ læsæ. Dubitandi ratio pro vna parte.* Difficilius apparet ex parte personæ læsæ; an, scilicet, illi in tali casu detur optio, si non velit vti, vel admittere dispensationem, possit eligere, vt sibi aliter satisfiat? Ratio dubitandi est, quia dispensatio in tali lege impedimenti est beneficium quoddam vtriusque partis; ipsa autem nō vult acceptare beneficium priuilegij: sed parere legi; pars verò inuita non est vnde cogatur, cùm ipsa non fuerit causa impedimenti, vt supponimus, & acceptare priuilegiū non teneatur.

Ratio pro altera parte. Ex alio verò capite videtur sponsus, qui dedit causam, posse per se ipsum etiam inuitâ parte obtinere dispensationem, quæ valeat pro vtroque; quia dispensatio hæc solùm est liberare, & eximere à lege personam, quæ lege comprehendebatur; ad hoc autem non requiritur voluntas eius, cui confertur dispensatio; semel autem obtenta dispensatione, iam manent res in statu pristino, & potest sponsus implendo sponsalia, damnum resarcire.

561. *Resoluitur difficultas cum distinctione. Prior pars resolutionis.* In hac re, de quâ nihil in Auctoribus legisse memini, mihi videtur aliquâ distinctione vtendum; atque inprimis, si nullum damnum intulit sponsus sponsæ præter contractam affinitatem considerabile; existimo liberum esse sponso, si obtineat dispensationem, & sit paratus contrahere cum prædictâ; tunc enim videntur res in pristinum statum restitutæ, quantum ex parte suâ est, vt ipse ad nihil aliud teneatur; sed simul esse liberum sponsæ à contractu sponsalitio resilire, cùm primùm sciuerit contractum impedimentum, & quidem, si sciat, & resiliat ante prædictam dispensationem, satis clarè apparet; quia iuxta dicta in principio dubitationis, cessant sponsalia superueniēte impedimēto. Quod autem, etiamsi sciat impedimentum; postquàm iam alter obtinuit dispensationem illius, adhuc maneat libera, efficaciter probatur ex eodem fundamento; quia sponsalia dissoluta fuerunt absolutè eo ipso quòd superuenerit impedimentum, etiam sponsâ insciâ. Ergo quamuis, quando nouit impedimentum, iam sit obtenta dispensatio, & illi innotescat fuisse obtentam, non reuiuiscet obligatio sponsalitia semel extincta, imò nec ipse sponsus tenetur obligatione sponsalitiâ; ex parte enim vtriusque extincta fuerunt sponsalia, vt diximus suprà; atque adeò non poterit cogi ab illa præcisè propter eam obligationem, solumque tenebitur resarcire damnum illatum; quod in præsenti, vt supponimus, nullum est aliud præter damnum contractæ affinitatis, & inducti impedimenti culpabiliter; atque adeò non seruatæ fidei promissionis, per quam obligabatur ad illam implendam, ac proinde ad non inducendum impedimentum; tunc ergo tantùm tenebitur compensare seu satisfacere sponsæ, quantum prudentis arbitrio suâ intererat perseuerâsse sponsalia in suo rigore, illaque tempore debito impleri, quæ compensatio, si circa Matrimonium fieri possit non poterit cogi sponsus ad Matrimonium.

562. *Altera resolutionis pars.* Deinde existimo, si sponsa patiatur damnum graue, quod duobus modis possit resarciri, scilicèt, vel ducendo illam, vel aliter satisfaciendo, debere sponsum aliter satisfacere, quàm ducendo, si ipsa velit; quando damnum talis naturæ est, vt simul inuoluat causam perpetuæ displicentiæ; qualis esse solet copula habita cum sorore sponsæ, vel aliud simile damnum, cuius memoria, vel recordatio semper possit, vel ad iracundiam, vel ad alium similem affectum excitare animum sponsæ contra sponsum. Quapropter si damnum, quod ipsa in se pateretur infamiâ propriâ; aut pro contrahendo alio simili Matrimonio, resarciri potest ab sponso constitutione dotis competentis, & ipsa hoc elegerit, videtur posse cogere sponsum ad id, & respuere illius nuptias; neque enim par est, vt cogatur ad resarciendum damnum acceptum copulari viro, illique nubere, à quo tantum damnum accepit dedecoris, & infamiæ, si non iam sibi (id enim per Matrimonium compensatur) saltem sorori, & familiæ, & per participationem etiam sibi illatum in suâ sorore. Itaque hæc ratio sufficiens videtur prudenti æstimatione, vt respuat coniugium cum tali viro; non tamen, vt eo ipso censeatur cedere iuri, quod habet, vt sibi resarciatur damnum iniustè illatum.

563. *Extenditur doctrina etiam ad famam publicam de impedimento aut scādalo. Probatur ex iure. Sanchez. Gutierr. Sà. Coninc.* Quæ dicta sunt hucusque de dissolutione sponsalium ob impedimentum dirimens, extendunt Auctores etiam ad famam publicam de impedimento, aut scandalo, & definitur *c. super eo* de *consanguinit.* & docet Sanchez *disp.* 71. *num.* 13. Gutierr. *c.* 36. *num.* 15. Sà verbo sponsalia soluuntur *num.* 4. & in ordine generali *num.* 16. Coninc *disp.* 2. 3. *dub.* 11. *n.* 80. Legantur Sanchez Gutierrez, & Coninc locis citatis.

564. *Cuiusdam casus ex data doctrinâ inferri potest resolutio.* Ex hac doctrinâ colligi potest resolutio casus, quo Petrus defloratâ Mariam sub mutuâ promissione Matrimonij, deinde verò Petrus nouit se esse consanguineum Mariæ in gradu prohibito. Quæritur iam in hoc casu, an possit Petrus inuitâ Maria resilire? aut quid iuris in hoc euentu?

565. *Resoluitur casus.* Iuxta principia & doctrinam respondendum est, etiam Mariâ inuitâ posse recedere à pro-

promissione, vel potiùs dixerim promissionem esse nullam; nam si impedimentum dirimens superueniens sponsalibus illa dissoluit, à fortiori antecedens impedimentum illorum vim impediet, ne oriatur obligatio; sæpe enim plura requiruntur ad tollendam obligationem semel inductam, quàm ad impediendum, ne inducatur. Vnde cùm inualidum sit matrimonium cõtractum cum consanguineâ intra quartum gradum, non potest valere promissio contrahendi cum illa, cùm sit promissio rei illicitæ, & inualidæ.

Sæpe difficilius tollitur inducta obligatio quam inducenda impeditur.

566. *Ad faciliorẽ dispensationem potest copula iuuare in eo casu.*

Quod autem in prædicto casu copula præcesserit, non efficit contrahentes habiles, nec obligare potest ad rem illicitam, potest autem copula iuuare ad facilius obtinendam dispensationem.

567. *Potest scandalum, aut fraus præcedens obligare ad petendam dispensationẽ in aliquo casu.* Hurtadus. Perez.

Obligare etiam potest ad hanc dispensationem petendam scandalum, aut fraus, quæ præcessit ex parte Petri; nam ratione satisfactionis fraudis, & damni per fraudem illati, item ratione vitandi scandali, censeri aliquando potest sufficiens causa, vt ille teneatur petere dispensationem & sic compensare damnum, quando scilicèt hæc mala aliter vitari, aut compensari non possunt. Neque in hoc casu dissentit Hurtado, quem refert Perez paulo post citandus, imò consentit. Nam si aliâ viâ potest damnum resarciri, non tenetur ducere iuxta dicta *num.* 562. Ita habet communis sententia, vt etiam testatur Perez *disp. 9. sect. 12. n. 11. & sequentibus.*

Communis sententia.

568. *Quid in hac re dicendũ de impedimento non dirimente.* Sanchez. Coninc. Bonacina. Perez. *Alij communiter.*

Iam verò de impedimento impedienti quidem, sed non dirimenti, parum est, quod dicamus? nam relicto voto Religionis, aut Castitatis, vel sacrorum Ordinum (de quo iam diximus *dub. 32.*) non est cur dicamus sponsalia illo impedimento superueniente dirimi; siue quia non adest sufficiens ratio ad id affirmandum; siue quia non pauci Doctores sentiunt illa impedimenta non esse in vsu, neque indigere dispensatione. (Quænam verò illa sint suo loco dicemus, agentes de impedimentis matrimonij) & notat hoc ipsum Sanchez *disp. 56. libri 1. n. 3.* Coninc *disp. 23. dub. 5. n. 36.* Bonacina *q. 1. p. 1. n. 6.* & post ipsos Perez *disp. 9. sect. 12. n. 1.* & alij communiter.

569. *Quæsitum vltimum.*

Quæri vltimò potest; an saltem valida sint sponsalia inter personas habentes impedimentum dirimens, non quidem absoluta; sed sub conditione, si Papa dispensauerit?

570. *Respõdetur.* Rodriq. *Alij apud Sanch.* Ledesma. *Alij multi apud Dianam.* Coninc. Bonacina. Gutierr. Sanchez.

Respondeo valida esse, tanquàm conditionalia. Ita Rodriquez *c. 44.* & alij communiter apud Sanchez *lib. 5. disp. 8. n. 10.* habito respectu ad *disp. 5. n. 4.* Item Petrus de Ledesma *de matrim. q. 47. dub. 2.* & alij multi apud Dianam *3. p. tr. 4. Res. 290.* inter quos Coninc, quem refert, & sequitur Bonac. *q. 1. puncto 7. n. 9.* item Gutierr. de matrimonio *c. 78. ad finem.* Legatur Sanch. *disp. illâ 5, n. 24.* Vbi rectè probat, quòd quamuis tẽpore contractus adsit impedimentum dirimẽs, nihilominus contractus cum hac conditione celebratus differtur, & prorogatur ad tempus, quo erunt licita ablato per dispensationem impedimento; actus enim factus tempore inhabili; sed relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili iuxta commune axioma iurisperitorum. Interim tamen non erunt liciti tactus, & oscula inter huiusmodi sponsos ante obtentam dispensationem, nondum enim sunt verè sponsi, vt notat Sanchez cum aliis *lib. 5. citatâ disp. 5. num. 38.* Contrarium docent non pauci apud Dianam supra & ipse sicut & Sanchez appellãt, probabile; secundum quam sententiam etiam obtentâ dispensatione licebit resilire seclusis aliis extrinsecis damnis, etiamsi iuramento fuerit firmata promissio, cuius naturam sequitur iuramentum.

Notandum in praxi.

Vtrum autem teneatur procurare dispensationem ille, qui promisit feminæ consanguineę, vel aliter impeditę impedimento dirimente, expensasq; facere, supposito quòd promissio obliget sub conditione? Probabilius puto tenêri, quamuis expressè non promiserit; nam eo ipso quod promisit, dispensatione concessâ, matrimonium, censetur promittere se dispensationẽ procuraturũ, tum; quia hoc est accessoriũ; tum, quia obligatus ad aliquid faciendum, tenetur efficere, vt actus valeat, vt cũ multis docet Sanchez loco citato. Vtrum autem propriis vel cõmunibus expensis vtriusque? mihi placet, quod docet Sanch. *n. 37.* debere fieri communibus expensis siue à femina siue à viro impetretur; quia negotium cõmune est: hoc tamen procul dubio intelligendũ est; nisi aliter fuerit in compactis.

571. *Dubium incidens.*

Resoluitur.

Sanchez.

Meritò iam nunc dubitabit aliquis; an obtentâ iam dispensatione in prædicto casu, possit alter recedere à promissione?

572. *Aliud dubium.*

Respondet Gutierrez *supra num. 1.* Rodriquez suprà posse etiam altero inuito. Idem docent multi apud Gutierrez & apud Praxim Neapolitanam *c. 23. n. 5.* & apud Naldum *verbo sponsalia n. 4.* Idemque consequenter dicere tenentur tum hi, tum alij, qui putant obtẽtâ dispensatione requiri nouum consensum. Ita Henriq. *l. 12. de matr. c. 13. in fine* & *c. 10. n. 4.* Angles *in floribus 1. p. q. 2. de consensu cõditionato. ar. vnico dub. 3. & q. 12. de impedimen. disparitatis cultus.*

573. *Affirmant aliqui licere.* Gutierrez. Rodriq. *Alij multi Praxis Neapol. Naldus.* Henriq. Angles.

Probabilius tamen est in puncto obtentæ dispensationis non licere; ex opposito scilicet principio; quia impletâ conditione atque adeo cessante impedimento contractus conditionatus transit in purum sine vllo nouo consensu, vt docet idem Sanch. *l. 5. tum disp. 5. citato n. 24.* tum *disp. 8. citato n. 10.* Semel autem existente absolutè valido contractu sponsalitio, recedere non licet. Legatur Sanchez locis citatis, & quę infra dicemus *disp. 5. dub. 7.* & quæ latè diximus *to. 1. de Sacramentis tr. 1. disp. 3. dub. 6.* præsertim *à nu. 137.* vbi alia in contrarium dissoluimus.

574. *Probabilior sententia negans licere.* Sanchez.

DVBITATIO XXXIX.

An sponsalia dirimantur ob fornicationem alterius sponsi, ex parte innocentis?

575. *Propter fornicationem spõsæ possunt dissolui spõsalia etiam iurata. Probatur ex iure & ratione.*

STatuendum inprimis cum communi sensu Doctorum propter fornicationem sponsæ dissolui posse sponsalia, etiã iuramento firmata *c. Quemadmodum de iureiur.* tùm, quia per fornicationem fit sponsa notabiliter vilior, atque adeò ob causam tantæ mutationis impletio sponsalium redditur sponso notabiliter difficilior;

difficilior; tum quia fornicando frangit notabiliter fidem, & ius etiam (vt multi volunt) quia nimirum desponsatione contulit fidem, & ius in corpus tale, quale erat, quando illud promisit. Hinc est, vt etiam communiter Doctores sentiant ob supra dictam posteriorem rationem sponsalia ex parte sponsæ dissolui posse propter fornicationem sponsi; quia, scilicèt, sponsus, etiam frangit notabiliter fidem. Probari etiam potest à simili de matrimonio; quia fornicatio superueniens Matrimonio dirimit Matrimonium, quoad torum: ergo potiori ratione dissoluet sponsalia, per quæ inducitur obligatio ad ineundum Matrimonium. Accedit, quòd in promissione sponsalitia includitur conditio tacita, & virtualis *nisi contra regulam coniugij, & desponsationis fecerit*; Sed, qui fornicatur, facit contra regulam coniugij & desponsationis, & eo ipso, quo fornicatur, fit suspectus de fide in futurum seruandâ: ergo alter non tenetur stare sponsalibus: ergo hæc dissoluuntur. Ita Sanchez *libr. 1. disp. 55. numer. 1. & 3.* Rebell. *q 8. section. 2. num. 8.* Cardinalis Tuscus *tomo 5. conclus. 126. num. 5.* Coninc *disp. 23. dub. 7.* Henriquez *lib. 11. c. 14. num. 6.* Menoch. de Arbitr. *lib. 2. cent. 5. casu 455. num. 5.* Couarruu. *in Epitome de sponsalibus 1. p. c. 5. numer. 2.* Gutierrez *c. 31. n. 1.* Reginald. *l. 31. n. 262.* Valentia, & Petrus de Ledesma citati *dub. præcedenti*, & alij apud Sanchez.

Idem communiter cēsetur ex parte sponsi si fornicetur. Probatur ratione & à simili.

Sanchez. Rebellus. Tuscus. Coninc. Henriq. Menoch. Couarr. Gutierr. Reginald. Valentia. Ledesma. Alij apud Sanchez.

576. Hæc omnia intelligenda sunt de fornicatione sequente sponsalia nam de præcedente, quod attinet ad virum, non videtur sufficiens causa quod ipse fornicatus fuerit ante sponsalia; quamuis illius fornicatio, quæ prius erat occulta detegatur post sponsalia. Ratio est; quia id nec factum fuit contra fidem, quę nondum erat data, neque graue dedecus infert sponsæ, sicut fornicatio sponsæ infert dedecus sponso, etiamsi commissa fuerit ante sponsalia. Ideò sponsæ fornicatio etiam præcedens, sponsalia dirimere potest, si nota sit sponso post contractum sponsalitium. Ita Sanchez *suprà & disputation. 63. n. 2.* Henriquez *supra* Coninc *supra num. 57. & 62.* Molina *tract. 2. de iustitia disputat. 272. vers. Deinde si mulier.* & alij multi.

Intelligendū de sequente fornicatione non de antecedente quantum ad virum. Ratio. Sponsa fornificatio etiam præcedens sufficit ad dissoluēdum si innotescat postea sponso.

Sanchez. Henriq. Coninc. Molina. Alij multi.

Prædictæ doctrinæ duo addenda sunt; primùm, cum Sanchez, & Reginaldo *supra*, & cum Gutierrez *num. 1.* Coninc *num. 56.* & aliis communiter posse sponsum resilire ab sponsalibus non solùm, si femina fornicetur; sed etiam si permittat ab alio se impudicè tangi, vt per amplexus, oscula &c. Censetur enim hæc notabilis mutatio vergens in contemnendam ignominiam sponsi, qui, si id præuideret, non promisisset. Secus verò dicendum est de sponso, qui tales tactus pateretur ab aliâ, cum inde non sequatur sponsæ dedecus, aut ignominia, tantaúe mutatio iudicetur, vt propter illam præsumatur sponsa non promissura, si fieri esset. Ita Sanch. *supra num. 5.* Reginald. *supra* & alij multi, quamuis Gutierrez subdubius sit; non tamen displicet limitatio, quam habet Coninc *num. 56.* scilicèt; nisi fortè tactus, quos permittit vir, essent tam frequentes, vt indicarent valdè propensum animum eiusdem in alteram, ita, vt merito possit timeri, ne ipse minùs sit sponsam amaturus, aut fidem ei non seruaturus.

577. *Duo addenda prædictæ doctrinæ. Primū status sponsæ, & oscula.*

Sanchez. Reginald. Coninc. Gutierrez. Alij communiter. Non verò si sponsus tactus permittat ab alia.

Sanchez. Reginald. Alij multi. Limitat rectè Coninc.

Secundum addendum est contra Tabienam verbo sponsalia *q. 9.* & contra Armil. ibi *n. 12.* & contra Couarruu. 4. *decretal. 1. p. c. 5. n. 3.* esse causam sufficientem ad dissolutionem sponsalium, quamuis sponsa vi præcisâ & omnino coacta corrupta, aut cognita fuerit ab alio. Ita Sanchez *disp. 55. n. 7.* Henriq. *l. 11. c. 4.* Coninc *supra num. 55.* Gutierrez *supra.* Reginald. *suprà*, & alij multi apud Sanchez. Ratio est; quia etiam tunc censetur notabilis mutatio ex parte sponsæ, quæ inde facta est notabiliter vilior, quantumuis sine culpâ ipsius, & eam ducenti aliqua infamia oboritur non contemnenda, imò, & quandoque fieri potest, vt exponatur periculo alienam prolem alendi pro suâ, maximè cùm non ita facilè constare possit omnibus sponsam per vim præcisam, & omnino inuoluntariè fuisse cognitam.

578. *Addendum secundum etiā si sponsa per vim ea sit passa sufficit.*

Tabiena. Armilla. Couarr. Reiiciūtur. Sanchez. Henriq. Coninc. Gutierr. Reginald. Ratio.

De viro autem, si fieri possit, vt omnino inuitus fornicationem patiatur absque vllâ suâ culpâ, non idem iudicium est; quia femina nullam ignominiam inde patitur, neque aliud damnum timere potest in futurum. Ita Sanchez *supra num. 8.* Reginald. *supra num. 262.* & alij contra Gloss. *c. sic quippe 27. q. 2.* & contra Gutierrez *supra num. 3.*

579. *Discrimen quoad hoc inter virū & feminā.*

Sanchez. Reginald. Contra Glossam Contra Gutierrez.

Porro feminam, etiam vi præcisâ coactam præbere sufficientē causam, vt vir resiliat, probari solet ex *c. Raptor 27. q. 2.* Vbi permittitur arbitrio sponsi, aut sine vlla culpa raptam ducat, aut dimittat, quamuis mihi non videatur textus pro omni casu illatæ violentiæ probare; tum, quia violentia, quæ est in raptu, rarò contingit sine aliquo, vel consensu, vel minori cautela raptæ. Vnde est locus præsumptioni. Præterea res est maximè notabilis, & scandalosa. Vnde non potest extendi Textus ad casum copulæ coactæ quidem; sed occultæ, aut pauciſſimis notæ; ideò non ex Textu, sed ex rationibus prædictis præcipuè doctrina generalis probanda est.

580. *Probari solet ex iure, sed textus non vniuersim probat, nec omnino par ratio.*

581. *Quoad fornicationem voluntariā pares sunt vir & femina pro dissoluendis sponsalibus.*

Ex his infertur sponsos, quoad fornicationem quidem voluntariam post sponsalia pares omnino esse in ordine ad illa dissoluenda, vt Sanchez Menoch. Reginald. Gutierr. Couarr. & alij plures citati fatentur; quando verò fornicatio est inculpabilis, aut quando præcessit sponsalia, non esse omnino paris conditionis virum, & feminam, item neque in tactibus impudicis, vt explicatum est.

Sanchez. Menoch. Reginald. Gutierr. Couarr. Plures citati. Secus quando est inculpabilis, aut præcessit fornicatio sponsalia.

Iam verò quæri potest primò, an sponsalia dissoluantur ex parte vtriusque propter fornicationem vnius partis?

582. *Quæsita quædam. Primum quæsitum an ex parte solum innocentis?*

Respondeo tantùm dissolui ex parte innocentis, nam qui peccauit, non debet commodū ex delicto reportare, maximè in damnum innocentis, qui liber manet à contrahendo matrimonio, vt patet ex dictis. Quod si velit contrahere, tenetur delinquens adimplere promissionem; nemo enim priuari debet suo iure absque suâ culpâ, &, quod in fauorem alicuius introductū est, non debet in eius damnū retorqueri l. *Quod fauore C. de leg. & l. nulla* ff. eodem titulo. Cùm ergo fauore innocentis introductum sit, vt ipse possit matrimonium cōtrahere, postquàm alter

583. *Respōdetur Ratio. Ex iuris Regula:*

fornicatus

fornicatus est, consequenter delinquens tenetur implere sponsalia, si velit innocens. Ita innumeri Auctores, quos refert Sanch. *n.6.* quorum aliqui generalem tantùm doctrinam tradũt: plures verò loquuntur in specie nostri casus; quibus adde Henriq. *supra n.6.* Rebellum *supra q.8. sect.2.n.12.* Reginaldũ, & Coninc *supra* Gutierr. *c.31.n.2. & c.32.n.4.* alioſque Recentiores.

Multi apud Sanchez. Henriq. Rebellus. Reginald. Coninc. Gutierr. *Alij Recentiores.*

584. *Quæsitũ 2. An sit locus compensationi iniuriarum in iure resiliendi?*

Quæri potest 2. an in hoc negotio sit locus compensationi iniuriarum, id est, an si vterque sponsus fornicetur, liceat vtrique resilire, vel teneatur adhuc vterque.

585. *Quidã neutrum putãt posse resilire.* Paludan. Ochagau. Bonacina. Perez. Diana. *Fundamentum.*

Non consentiunt Auctores: quidam dicunt neutrum resilire posse. Ita Palud. *in 4. dist.27. q.1. ar.3.n.17.* Ochagau. *q.23.* Bonac. *q.1. p.8.n.6.* Mart. Perez *disp.9. sect.16.n.2.* & probabilẽ putat Diana *3. p. tr.4. Res.284.* Quorum fundamentum est; quia in causa Matrimonij vterque æqualis est, & mutua fornicatio compensatur; nam, si contracto iam matrimonio vir, & vxor committant adulterium, non potest vir facere diuortium, quamuis feminæ adulterium sit grauius adulterio viri, ergo eadem est ratio in sponsalibus.

586. *Alij putant virum posse resilire non feminã, negantque cõpensationẽ.*

Alij verò docent posse sponsum resilire, non verò sponsam, neque esse compensationem; quamuis enim, quoad fidem & iuris fractionem facta sit compensatio, non tamen quoad vilitatem, & alia damna extrinseca: sponsa enim fit notabiliter vilior; non verò sponsus, cui etiam est ignominiosum fornicariam sponsam ducere, aut ab alio cognitam per vim, non verò sponsæ. Ita Sanchez *suprà nu.9.* Henriq. *supra num.6.* Gutierrez *supra num.4.* Reginaldus *supra* & alij Recentiores Coninc Basilius, Layman, apud Dianam, *resolution. illa* 284.

Sanchez. Henriq. Gutierr. Reginald. *Recentiores.* Coninc. Basilius. Layman. *Apud Dianam*

587. *Respondent simili petito ex Matrimonio. Vtraque sententia probabilis, sed probabilior secũda.*

Nec simile putant argumentum de Matrimonio, quia facilius dissoluuntur sponsalia, quàm matrimonium quoad torum, illa enim per quamlibet notabilem mutationem superuenientem soluuntur, hoc verò minimè, vt notarunt Henriquez & Sanchez *supra.* Vtraque sententia est valdè probabilis, sed probabilior secunda, quia sponso res erit totâ vitâ ignominiosa talem duxisse, quod non habet locum in sponsa. Illa ergo fecit aliquid, ratione cuius facta sit notabiliter vilior; secus verò ille; ideò non mirum quòd ille non sit cogendus ad id malũ subeundum, quin possit illud vitare.

DVBITATIO XL.

An sponsalia dirimantur ob notabilẽ mutationem seu defectum superuenientem aut denuò cognitum.

588. *Assertio.*

Asserendum est, quoties aliqua notabilis mutatio de nouo superueniens iudicio prudentis iudicatur talis, vt si contrahentes illam nossent, non habuissent voluntatem se obligandi, eadem superueniens sufficit ad dissoluenda sponsalia ex parte illius, qui tali mutatione cognitâ non contraxisset: idque verum est, etiamsi sponsalia firmata sint iuramento.

Ratio.

Ratio est, quia omnis promissio in futurum, & iuramentum id confirmans intelliguntur facta, rebus in eodem statu permanentibus, in quo non permanent, quando notabilis mutatio superuenit. Nulla item promissio obligat vltra intentionem promittentis; promittens autem non censetur habuisse intentionem promittendi, superueniente notabili mutatione, seu causâ, quâ præuisâ non promisisset. Ita Doctores paulò post referendi, imò cõmuniter Theologi, & iurisperiti teste Petro de Ledesma *q.47. art.3. causâ* 12. & Gutierrez *c.33. num.8.* Sanchez *disp.62.n.3.* vbi innumeros alios refert. Sed, si propriè loquendum sit, potius dici debet, non censeri habuisse intentionem ita se obligandi, vt non posset à contractu resilire, si contingeret notabilis mutatio, aut defectus. Hoc dixerim, ne dicamus talem contractum esse conditionatum; est enim verè absolutus, vt constabit ex infra dicendis, & *dub.43.* Ex hac propositione inferri possunt resolutiones multorum casuum occurrentium.

Aliaratio. Ledesm. Gutierr. Sanchez. *Plurimi alij apud Sanchezium.* *Aduertendum.* *Illata quædam inde deductapro praxi.*

589. *Infertur 1.*

Primò, non tenêri contrahere matrimonium cum sponsâ, quæ post sponsalia incidit in Lepram, morbum Gallicum, Paralysim, aliumúe morbum contagiosum, diuturnum, aut adeò grauem, vt præcognitus impediret consensum sponsi; quod iudicio prudentis discernendum est. Est communis sententia.

590. *Illatum 2.* Sanchez. Tuscus. Coninc. Riccius. Molina. Gutierrez. Reginald. Bonacin. Valentia. *Alij.* Ledesma. Perez. Basilius. Hurtadus. *Contra quosdam alios.*

Secundò, quando amisit nasum, vel oculos, vel in similem aliam deformitatem incidit. Idemque iudicium est ex parte sponsæ comparatione sponsi. Ita Sanchez *disputat.57.* Tuscus *conclus.126. num.6.* Coninc *disp illâ 23. dub.8.n.66.* & 67. Riccius *in praxi decisione 232.* Molina *to.2. disp.272. n.4.* & 5. Gutierrez *c.32. nu 3.* Reginald. *lib.31. num.63.* Bonacina *q.1. puncto 8. nu.9.* Valentia, Speculum, & alij apud Bonacinam, & Sanchez, Petrus de Ledesma *supra* & communiter Recentiores inter quos Martin. Perez cum Basilio, Hurtado & aliis, quos refert *sect.11.* Cõtra Couarruuiam & alios apud Sanch. *n.3.* & 4.

591. *Illatum 3.* Sà. Reginald. Coninc. Sanchez, Diana. *Alij apud Dianam contra quosdam Recentiores.*

Tertiò non tenêri contrahere, etiamsi nihil tale amiserit, quando sponsa ex pulchra deformis notabiliter euasit; ea enim censetur notabilis mutatio. Ita Sà *verbo sponsalia numer. 7. in ordine 19.* Reginaldus Coninc. Sanchez *supra.* Diana cum aliis quos refert *3. part. tractat.4. Resolut.285.* contra Gutierrez *supra numer.5.* & alios. Idem nobiscum docent plerique Recentiores.

592. *Disparitas in hoc inter sponsum & sponsam.* Gutierr.

Quod verò attinet ad sponsum (vt rectè notat Coninc) non solet tanta in viris haberi ratio pulchritudinis. Vnde maior deformitas requiritur in ipsis; si tamen tanta esset deformitas superueniens, vt iudicio prudentis initio præuisa moueret ad non contrahendum sponsalia, idem etiam iudicium erit de sponso, atque de sponsa, quidquid reclamet Gutierrez *supra num.5.*

593. *Illatum 4.*

Quartò paupertas superueniens sponsalibus censetur sufficiens ad illa dissoluenda, vt, si femina non possit præ paupertate soluere dotem promissam; quando enim tempore celebrationis, dotis fit mentio; & promissio; censetur quasi tacita conditio, si dos tradatur, & absolutè talis paupertas censetur notabilis mutatio prudentis iudicio. Ita Sotus *in quarta disputation.* Sotus.

Reginald. Coninc. Gutierr. Riccius. Ledesma. Rodriq. Rebellus. Sanchez. Perez. Alij.

17.q.2.ar.5.Reginald.*sup.n.*264.Coninc *supra n.* 69.Gutierr.*c.*23.*n.*3.Ricc.*decis* 232. Petr.de Ledesma *loco citato causâ* 9. Rodriq. *in summa cap.* 245.*n.*5.Rebell.*q.*8.*sect.* 8.*nu.*2. Sanch.*l.*1.*disp.*59. Martinus Perez cum aliis *supra n.*13.generaliter docens habere locum dissolutionem sponsaliũ, quoties aliquod notabile,aut noua causa,quę à principio existens impediret, superuenerit, & testatur esse communem sententiam, & meritò,vt videre est apud auctores citatos, Et apud Dianam *supra Resol.*286.

Diana.

594. *Illatum 5.*

Quintò posse sponsum recedere,quando spõsa,aut eius parentes recusant soluere dotem,etiamsi in sponsalibus nulla mentio, nedum promissio,dotis præcesserit. Ita Menochius & alij quos refert & sequitur Sãch.*disp.*60.*n.*2.Gutier. *c.*33.*n.*5. & alij citati contra Couarruu.& alios, quos ipse Sanchez refert *n.* 1. Ratio est;quia licèt matrimonium possit constare sine dote, nõ decet,vt eâ dote priuetur maritus ; nec censetur habuisse intentionem obligandi se, ad contrahendum matrimonium in eo euentu , quin potiùs censetur promisisse sub conditione dotis. Nec dos(vt supponunt aduersarij)est omnino extrinseca Matrimonio ; quin potiùs de eâ actum videtur, vel de toto patrimonio feminæ; quia (vt rectè idem Sanchez cum aliis *disp.*59.*num.*4.*docet.*)Sponsa diues censetur omnia bona sua in dotem promittere; quando ea habet;vel,si hoc minùs placeat,saltem censetur offerre partem Patrimonij iuxta viri dignitatem, vt notatur **L.** *mulier bona.* & *l. Quæro ff. de iure dotiũ.*

Menoch. Sanchez. *Alij apud ipsum contra alios.* *Ratio.*

Occurritur obiectioni.

595. *Locum habet data doctrina etiã in sponsalibus iuramento firmatis.*

Hæc doctrina locum habet, etiamsi sponsalia celebrata fuerint cum iuramento, iuxta supra dicta,cum iuramentum sequatur conditionẽ actus,supra quem cadit. Ita citati.Imò meritò docent habere locum doctrinam,tum datam in casibus præcedentibus , tum dandam in sequentibus etiamsi sint iuramento firmata sponsalia ob eandem rationem.

Idem est pro sequentibus casibus.

596. *Idem est de paupertate sponsi.*

Item id ipsum locum habet,quando sponsus in paupertatem incidit;tunc enim sponsa poterit ab sponsalibus resilire; quia notabilis mutatio censetur in viro paupertas.Ita Coninc *supra n.*70.Menochius *de Arbitr.lib.*2.*cent.*5.*casu* 455.*n.* 6.Couarruu.*de sponsalibus* 1.*p.c.*5. *n.*4. Sanchez *disp.*59.*n.*6. quamuis hic Auctor cum Antonio Cuco,quem refert,solùm id affirmet, si sponsus tempore sponsalium ditissimus esset, & posteà fiat notabiliter pauper.

Coninc. Menoch. Couarr. *Sanchez ex parte.* Cucus.

597. *Illatum 6.*

Sextò non tenetur sponsa nubere sponso,qui post sponsalia damnatus est alicuius turpis criminis,vt furti, aut aliam similem infamiam subit; est enim notabilis mutatio rerum. Ita Gutierrez *supra n.*3.quod verum est , etiamsi infamia esset falsò impositi criminis; dummodò verè apud alios habeatur infamis. Ita communiter Auctores.

Gutierrez.

Communis sententia.

598. *Quæritũ an in casu, quo alter notabiliter fiat ditior altero in eodẽ statu manente teneatur.*

Vtrùm autem,quando vnus ex sponsis in eodem statu permanet ; sed alter fit valde diues, teneatur hic diues stare sponsalibus?non videtur ita clarum. Affirmant grauissimi Auctores Sanchez *disp.*59.*n.*7. Coninc *supra n.*69. Reginald.*n.*264.Gutierrez *c.*33.*num.*4. *&* 10. & alij Neoterici doctissimi,inter quos Diana 3 *p.tr.*4. *Resol.*286. quia alter , qui permanet in eodem statu , non est factus deterioris conditionis, quàm erat priùs , quando sponsalia celebrauit neque qui factus est diues, dicitur deceptus in conditione alterius,sed circa propriam , in quã consensus non fertur.

Affirmat Sanchez. Coninc. Reginald. Gutierrez. Neoterici. Diana.

Hæc doctrina in praxi videtur tuta , & sequenda;mihi tamen non parum difficilis videtur,illa enim notabilis mutatio ex parte illius, qui factus est diues , videtur sufficere,vt contractus matrimonij reddatur longè difficilior ex parte suâ; quia eo ipso quòd valdè creuerit in diuitiis,tollitur proportio considerabilis inter vtrumque contrahentem, qui priùs habitâ ratione bonorum,& conditionis vtriusque inter se contraxerunt, eo autem ipso , quòd excessus tantus est ex parte vnius , tollitur proportio,quæ priùs fuit considerata; atque adeò licèt nulla facta fuerit mutatio ex parte alterius, sufficit accrementum bonorum ex parte vnius; vt ille notabilis excessus inducat mutationem proportionis,quod si nouisset ille,qui factus est diues,initio non contraxisset cum femina , cuius dos non esset ipsi proportionata. Ex quâ doctrina corruit fundamentum oppositæ sententiæ estque deterioris conditionis non mutatione sui sed alterius. Quod etiam approbat Hurtadus *disp.*2.*diffic.*14.*n.*52. & illum sequutus Perez *suprà n.*10.

Ratio. 599. *Tuta & sequenda in praxi dicta sententia.* *Difficilis tamen videtur.* *Ratio.*

Hurtadus Perez.

Dubitari adhuc potest , an, si vterque sponsus in paupertatem incidat post sponsalia , eo titulo possint dissolui ex parte vnius, altero renuente?

600. *Quæsitum alterum de superuenientẽ paupertate vtriusque an tunc teneantur.*

Affirmant aliqui,alij negant;vtrumque probabile ; sed videtur probabilius posse dissolui. Atque ita sentit Rebell.*l.*14.*de sponsalib. q.*8.*sect.* 8.*n.*70.Basil.*l.*12.*c.*17.*n.*8.Perez *supra sect.*11.*n.*8. Quamuis enim paupertas vnius videatur compensari paupertate alterius ; tamen onera matrimonij difficiliora sunt,& grauiora comparatione vtriusque. Vnde probabiliter credi potest,quòd, si res esset integra , vel ab initio vtriusque paupertas præuideretur , non contraxisset.Vnde falsò assumit Bonac *suprà n.*14. pro contrariâ sententiâ non esse sufficientem rationem , ob quam dicamus sponsos non habuisse intentionem contrahendi superueniẽte vtriusq; paupertate;quia nimirum,etiam pauperes cõtrahunt sponsalia.Quæ ratio solùm probat potuisse id facere; probabilius tamen est non facturos;nisi fortè tantus esset vtriusque contrahentis amor in alterum , vt prudentis arbitrio spectatâ vi amoris crederentur contracturi in quocunque euentu paupertatis; quod mihi nõ displicet;imò hæc ratio probat etiam nõ dissolui sponsalia ex parte manentis in eodem statu, quando tantus esset illius amor, vt, licèt altera persona esset multò pauperior,adhuc cum illa contraxisset;tunc enim prudentis iudicio iudicari poterit,quòd,etiamsi ad talem paupertatem de facto veniat,perseuerent sponsalia.

601. *Aliqui probabiliter affirmant; alij probabiliter negant.* *Probabilius est posse dissolui.*

Rebellus. Basilius. Perez. *Ratio.* *Reiicitur in hac re Bonacina.* *Exceptio data rationu.*

Eadem exceptio habet locum in casu præcedẽtis quæsiti.

Septimò sponsalia posse dissolui per superuenientes graues,& capitales inimicitias inter spõsos;est enim notabilis mutatio superueniens.Ita Bonac.*sup.n.*15.referens,Valentiam, Ledesmam, Specul.Riccium,& alios,item Sanchez *disp.*58. *num.*3. cum multis.Idem putant alij ob notabilem sæuitiam aduenientem post sponsalia, in

602. *Illatum 7.*

Bonacina. Valentia. Ledesma. Speculum. Riccius. *Item alij. Sanchez cũ multis.*

Perez etiã idem cum aliis docet de notabili fanitia. Ratio.

in quo teste Martino Perez consentiunt Auctores tum, quia vt rectè probat *supra n.3.* ea est sufficiens causa diuortij *c.litteras* 3.de rest.*spoliatorum* tum argumento c.*Quemadmodum* 25.*de iureiurando.*vbi ideo probat fornicationē sponsæ esse sufficientem causam dirimendi sponsalia; quia est iusta causa diuortij.Legatur Perez loco citato,sed de hoc iterum dicam *n.*620.

603. *Illatum.* Coninc. Menoch. Felinus. Abbas.

Octauò dissolui posse propter periculum grauium inimicitiarum inter parentes,aut affines Sponsorum.Ita Coninc *supra n.*68.Menoch. *supra n.*3.qui addit cum Felino,& Abbate posse eâ de causâ Papam dispensare in matrimonio rato non consummato. Idem videtur indicare Sanchez loco nuper citato, dum afferens *c.*2. *& c.Requisiuit de sponsalibus* docet sponsalia dissolui posse, ne matrimonium habeat infelices exitus, quales tunc meritò timerentur. Ita etiam Gutierrez *cap.*33.*numer.*2. Reginald. *supra num.*264.

Sanchez.

Gutierrez. Reginald.

604. *Illatum* 9.

Nonò posse dissolui non solùm,quando notabilis aliqua mutatio superuenit, sed quando post sponsalia incipit apparere, quæ præcessit, quâ cognitâ sponsalia nō celebrarentur iudicio prudentis.Ratio est iam sæpe indicata,quia nimirum promittens non censetur se voluisse obligare in huiusmodi euentu ad contrahendum, etiam cognitâ tali causâ vel mutatione.

Ratio.

Alia ratio.

Item;quia,sicut sponsalia dissolui possunt,causâ de nouo superueniente, ita poterunt,causâ de nouo apparente;nam in iure paria sunt de nouo aduenire,& de nouo apparere, vt colligitur ex *L.*77.*ff.de contrahenda emptione.* Ita Sanch.*disp.*63. *n*2 *&* 9.Vbi rectè probat paria esse in iure non esse,& non apparere.Petrus de Ledes.*sup.* Less. *l.*2 *c.*42.*dub.*7.*n.*34.Rebell.*sup.n.*6.*&* 73.Coninc *disp.*23.*n.*58.*&* 70.Reginald.*sup.n.*265.Henriq.*l.* 11.*c.*14.Basil.*l.*12.*c.*18.& quidem negari non potest,quin ob causas præcedentes(alioquin sufficientes, si superuenirent) reddatur impletio sponsalium difficilior, quando apparent,non minùs,ac ob ipsas,quando superueniunt.

Sanchez.

Ledesma. Lessius. Rebellus. Coninc. Reginald. Henriq. Basil.

605. *Temperatur doctrina data.*

Prædicta doctrina tantùm locū habet,quando ignorantia aut error causę,alioquin sufficiētis,fuit causa sponsalium,ideſt,quando sponsalia non fierent,si,quando fiebant,adfuisset notitia dictæ causæ;secus verò,quando ignorantia, aut error talis non fuit.nēpe,quando adhuc fierent sponsalia,quantūnis adesset notitia illius causæ; in tali enim casu impletio sponsalium non esset difficilior,quām ea,ad quam quis obligaretur, etiamsi esset notitia causæ.

606. *Obiectio.* Paludan. Supplem. Gabrielis.

Obiicies tamen cum Paludano *in* 4. *dist.* 27. *q.*1.*ar.*3.& cum supplemento Gabrielis,qui oppositum etiam problematicè defendunt,afferētes in confirmationem *c.quemadmodum* 25.*de iureiurando.*vbi absolutè dicitur ob fornicationem præcedentem non posse dissolui sponsalia, & idem ibi definitur de præcedenti morbo.

607. *Respōdetur.*

Respondetur iuxta cōmunem expositionē,ibi esse sermonē de fornicatione, aut morbo precedente,cuius notitia etiā sponsalia præcessit.

608. *Obseruandū circa ignorantiā causæ præcedētis contra Basilium.*

Illud autem est præcipuè obseruandū circa ignorantiā causæ,quando causa præcessit, & ignorata fuit;nā si ignorantia non fuit circa substantiā contractus; sed circa aliam circumstantiā,ita censetur ignorantia sufficiens ad dissolutionem, vt nihilominùs contractus valuerit à principio (quidquid in contrariū sentiat Basil. supra)tunc enim adest cōsensus simpliciter circa materiā substātialē iuxta supra dicta à nobis *dub.* 23.*assert.*1.*&* 2.*& in nostro opere de iust.in tr.*3.*qui est de contractib.in genere disp.*1.*n.*68.*& seq.* agēdo de errore seu deceptione, quæ nullū reddit cōtractum,Adest etiam titulus sufficiens ad valorem contractus,vbi ibidem explicuimus.

609. *Aduertendum accurate in hac re.*

Quamuis autem contractus sponsalitius ob suam imperfectionem (cum nulla tunc interueniat traditio)tacitè inuoluat conuentionem, aut quasi conditionem, quòd non adsit notabilis mutatio; hac tamen conuentione, aut quasi conditione non redditur propriè, & verè conditionatus,ita vt ab illâ dependeat eius valor,neque enim ita fit conditionatus,vt, si causa dissoluendi præcedat,à principio non fiat validus,& quando causa non præcedit, illius valor suspensus sit vsque ad euentum, aut non euentum causæ, quæ ponitur, quasi pro conditione, ita,vt,si eueniat, ex tunc absolutè sit non validus,& dum non euenit,sit suspensus; quin potiùs verè censetur talis contractus absolutus, quando prædicta causa præcedit; quantumuis ignoretur, & ignorantia sit causa contractus; tunc enim valet ob prædictā rationē, quòd,scilicet,adsit consensus simpliciter circa materiam substantialē,& insuper sufficiens titulus. Item, quando post factum contractum superuenit causa, verè valuit absolutè contractus ab initio,& validus adhuc perseuerat,id, quod supponitur *in dicto cap. Quemadmodum* dum dicitur sponsam post sponsalia fornicantem frangere fidem desponsationis. Legantur quæ dicemus *dub.*43.n.646.& seqq.

610. *Explicatur quomodo ille contractus sit absolutus,& non conditionatus.*

Porrò contractum prædictum,etiamsi tacitè habeat eam conuentionem,aut quasi conditionem,esse simpliciter absolutum & non conditionatum,ex eo etiam constat, quòd alioquin ex sponsalibus factis absque vllâ expressâ conditione(vt ordinariè contingit) non oriretur impedimentū publicæ honestatis; quia nō oritur;nisi ex sponsalibus absolutis, ex quibus etiam oritur, quamuis post ipsa facta eueniat causa sufficiens,vt alteruter resiliat. Itaque conditio(aut potiùs conuentio assimilis conditioni)quæ tacitè inest contractui sponsalitio, vt Sanch.notat *disp.*68.*n.*11.Solùm est,quod,si adsit aliquid notabile, quod à principio ignoretur, ignorantia illa,quæ fuit causa cōtractus, & ratione cuius iam cognitæ impletio contractus redditur notabiliter difficilior,aut quod, si aliquid notabile posteà eueniat,ratione cuius impletio contractus difficilior notabiliter reddatur;possit tunc is,cui fit,aut redditur difficilior, resilire ab sponsalibus. Quod sanè non est strictè,& propriè conditio,à cuius existentiâ pendeat valor contractus sed potius modus quidā est additus,aut addita conuentio ipsi cōtractui eius valorem absolutum supponens, sufficiens tamen,vt possit quis resilire à contractu.

Sanchez.

611. *Fundamentum doctrinæ in contrahentium intentione, saltē tacitā,*

Atque hic modus,aut minùs propria conditio satis videtur conformis intentioni contrahentium;non tantum intentioni expressæ, quâ intendūt obligari, nullā apponēdo conditionē, sed etiā intentioni tacitæ, quâ quilibet potiùs vult,

vult,ita ex parte suâ promittere,& obligari, vt, si eueniat notabilis mutatio, aut ignorantia eius præcedat, ob quam sibi sit, aut appareat difficilior impletio, adhuc alter sit obligatus, & ipse possit pro suâ voluntate efficere quòd fiat,aut non fiat contractus. Per quam tacitam appositionem, quasi conditionis, aut conuentionis,fit quòd ipse liber maneat ad resiliendũ ab sponsalibus(quia nimirum potest resilire cedendo iuri,quod accepit pro iure à se alteri collato,& auferendo quod ipse alteri contulit,)& quod alter maneat obligatus,neq; enim hic verè maneret obligatus,nisi ille, qui potest resilire ab sponsalibus absolutè acquireret,& haberet, retineretq; adhuc ius acceptũ,quod non tollit, quin aliquando contractus sponsalitius eo ipso dissolutus,& irritus maneat;etiamsi neuter resiliat,nempe,quando per aduentum causæ alicuius ad id sufficientis illicita fit impletio sponsalium;nemo enim potest obligari ad illicita.

612. *Non tenetur sponsus implere sponsalia cum ea quam putabat virginẽ & postea sciuit esse corruptam.* Sanchez.

Ex his patet sponsum non teneri stare sponsalibus celebratis cum eâ, quam putabat esse virginem, & postea sciuit esse corruptam. Ita Sanch. *disp.63.n.2.3.& 9.*propter rationem supra assignatam, quando similis causa superuenit sponsalibus; est enim notabilis mutatio cognita,& ignominiosum viro si corruptã ducat.Legatur Sanchez locis citatis, vbi plures alios refert.Non est autem eadem ratio de fornicatione precedente ex parte viri iuxta dicta *n.*576.

Plures alij

Disparitas in hoc ex parte viri.

613. *Quid de notitiâ fornicationis sponsæ vidua?*

Maior est difficultas,an quando sponsus nouerat sponsam esse viduam, habeat ius dissoluendi sponsalia ob fornicationem sibi incognitam,quamuis præcedentem.

614. *Negant aliqui sponsum posse resilire. Probabilius est posse.* Sanchez. *Ratio.* Molina.

Negant aliqui apud Sanchez *supra n.*4. probabilius tamen est, quod ipse docet *n.*5. licitè resilire;quia est notabilis mutatio, & causa nouè cognita, quæ meritò virum prudentem retraheret in principio ab sponsalibus contrahẽdis. Vnde aliqui Auctores âpud eundem Sanchez absolutè, & indistinctè docent dissolui sponsalia ob fornicationem sponsæ præcedentem ignotam. Immò Molina *tomo 2. de iustitia disp.*272,§.*deinde si mulieri*, sit dirimi sponsalia per fornicationem præcedentem ignotam, per quam sponsa virginitatem amisit, aut, quæ illã notabiliter reddit magis infamem quàm antea esset nota.

615. *Aduertendum ex Sãchez, & Molina tẽperantibus doctrinam.*

Rectè autẽ aduertunt Sanchez,& Molina nõ posse resilire,si erat conscius sponsam esse impudicã,& infamem ob fornicationes,etiãsi posteà detegantur aliæ fornicationes præuiæ, & sibi ignotæ,quæ paulò plus infamem eam reddunt;tunc enim nõ videtur mutatio notabilis.

616. *Quid de putata virgine & vere vidua?*

Quando verò sponsus credebat esse virginẽ; ipsa tamen erat vidua, etiam suam habet difficultatem;an possit resilire?

617. *Affirmant aliqui posse resilire. Ratio.*

Aliqui affirmant teste Coninc *supra numer.*58. tum, quia hæc vilior est virgine, tum; quia vir talem ducendo fit bigamus;atque adeò irregularis; quod videtur incommodũ non contemnendum.

618 *In oppositũ inclinant alij.* Coninc.

Ipse tamen Coninc inclinat in oppositũ,quia hæc incommoda non videntur tanti æstimãda; nam,quod attinet ad bigamiam vix potest esse serius animus in contrahente aliquando suscipiendi statum Ecclesiasticum; imò in plurimis, ne quidem est aptitudo ad talem statum ob defectum doctrinę,aut quia iam ante sunt irregulares.Quodattinet ad viduitatem, sponsus (inquit)sibi debet imputare,quod viduam pro virgine duxerit,nec de statu sponsæ priùs iniquisiuerit,cùm id facilè potuisset facere; quæ doctrina probabilis est;absolutè tamen mihi placet prior;maximè quando illa mẽtita est se esse Virginem,cùm tamen esset vidua,præsertim, si sponsus etiam ad virginitatem attenderet in principio contractus:nec tenetur sibi imputare, quòd illa fuerit vidua, cùm sibi adhuc tempus superfit ad plenè inquirendum de statu,& conditione sponsæ,& ad explorandam veritatẽ eorum,quę sponsa priùs significauerat,vel expressè dixerat ex parte suâ adesse,idque multò magis locũ habet;quando non solùm vidua est;sed relicta à viro multo inferioris cõditionis,quàm sit secundus; tunc enim notabilis satis rerum mutatio apparet, cùm non solùm femina vilior sit viduâ,quàm virgo; sed multum illi adhuc propriæ dignitatis deteratur ex præcedenti cõiugio cum viro inferiore.

Probabilis secunda, sed probabilior prior sentẽtia.

Reiicitur fundamentum contrarium.

619. *Difficultas ex bigamia in hac re nõ contẽnenda.*

Deinde,quod attinet ad bigamiã,& irregularitatẽ inde ortã, non videtur contemnendum incommodũ,præsertim in viro nõ illitterato,& qui alioquin possit, vel sperare sacerdotium,vel Religionẽ,si superstes sit, itẽ si iam Clericus sit in minoribus, aut tõsurâ,& aliquo modo alicui Ecclesiæ deseruiret,vt Clericus,atque ita cũ notabili suo emolumẽto Clericali priuilegio gauderet,quo priuaretur per tale matrimonium.In quo casu nec ipse Coninc dissentit.

620. *Illatum 10.*

Decimò colligitur posse dissolui sponsalia per notabilem morum asperitatem & sæuitiem alterius sponsi de nouo cognitam:de superueniẽte iã dixi supra;sed idem est de cognita de nouo.Ita Henriq.*l.11.de matr.c.*14.*n.*6.Veracruz 1.*p. speculi.ar.*21.*casu.*15.Nauarr *c.*22.*n.*27. Petrus de Ledesma *q.*43.*ar.*3.*causâ* 11.Molina *supr*,Coninc *supra n.*67.Gutierr.*c.*33.*num.*1. & alij multi apud Sanch.*disp.*58 *n.*1. & 3.qui rectè explicat caput *Veniens. Qui Clerici vel vouentes.* Vbi dicitur non dissolui sponsalia ex eo, quòd sponsa audierit plura de sponsi seueritate, nempe intelligendũ esse,quando sponsa id certò non nouerit; secùs tamen,si certò sciat; in casu autẽ Textus timor ille vanus fuit.Ita Glossa ibi verbo *de seueritate*, & Abbas *ibid.n.*2.& Alexander de Neuo *n.*2.

Henriq. Veracruz. Nauarr. Petrus Ledesma. Molina. Coninc. Gutierr. *Multi apud Sanchez.* Glossa. Abbas Alexander de Neuo.

621. *Illatum 11.*

Vndecimò non posse resilire,qui initio contractus ignorabat quidẽ vitiũ, seu causam alioquin sufficientẽ ad sponsalia dissoluenda; sed ita erat animo affectus,vt quantumuis vitium, seu mutationem cognouisset,nihilominùs contraxisset;tunc enim error, aut ignorantia non dedit causam contractui;ac proinde non potuit eum reddere irritabilem, neque in contractu potuit subintelligi conditio modo prædicto.Ita Sanch.*disp.*65.*n.*2.Perez *de sponsalibus* §.6.Molina *supra.*Coninc *supra n.*60. Reginaldus *libr.illo* 31. *numer.*65.*&* 67. Gutierrez *cap.*33. *numer.*9. & alij apud citatos. Rectè autem limitant Coninc, & alij, nisi fortè sponsa, vt alterum alliceret, dedisset per deceptionem causam contractui, vt, si se pro virgine venditâsset, tunc enim sub eâ quasi conditione posset videri contractus initus, quia cum illâ egit, tanquàm

Sanchez. Perez. Molina. Coninc. Reginald. Gutierr. *Alij. Limitatio Coninc. Alij.*

tanquàm cum virgine, & illi, vt tali promisit, ac proinde videri potest, non, nisi virginem acceptâsse.

622. *Quæsitū aliud de dubitante an ita fuisset affectus.*

Quæret tandem aliquis; an teneatur stare sponsalibus, qui dubitat, an tempore ineundi contractum, ita esset affectus erga sponsam, vt adhuc haberet voluntatem promittendi, & se obligandi, quamuis cognouisset causam illam, mutationem, seu vitium?

623. *Respõdetur.*

Respondeo id pendere ex grauitate vitij, seu mutationis, iudicio prudentis; nam, si grauis illa mutatio sit, censebitur non habuisse affectum, seu voluntatem habitualem se obligandi; quia fortissima præsumptio desumitur ex communiter accidentibus, vt rectè ostendit Menoch. *de præsumpt. lib. 1. q. 18. n. 1.* homines verò cõmuniter nolunt promittere, vel se obligare, quãdo adest notabilis mutatio rerum, aut notabile aliquod vitium apparet, vt notat Sanchez eâdem *disp. 65. in fine.* Nauarr. c. 18. Gutierr. c. 33. n. 9. & c. 34. n. 8. & alij non pauci.

Menoch. Sanchez. Nauarr. Gutierr. *Alij plures.*

624. *Inde resoluuntur casus in praxi.*

Hinc est, vt qui celebrauit cum sponsa, quæ putabatur diues, & erat pauper; vel virgo, & erat defiorata, non teneatur stare sponsalibus, si posteà dubitet; an tempore ineundi contractus ita esset affectus, vt eam sibi adhuc despondisset, quantumuis deprehendisset prædicta vitia.

DVBITATIO XLI.

An sponsus Conscius sufficientis causæ ad resiliendum amittat ius resiliendi, si postea carnaliter cognoscat sponsam?

625. *Conscius causa sufficientis amittit ius resiliendi si accedat carnaliter ad sponsam.* Sanchez. Coninc. *Limitatur. Ratio à simili* Sanchez. *Alij plures.*

COnsentiunt communiter Doctores sponsum conscium causæ sufficientis amittere ius resiliendi, si accedat ad sponsam carnaliter. Ita Sanch. *disp. 66. n. 2.* Coninc *disp. 23. dub. 10. n. 15.* & alij multi, quod intelligendum est, si tempore accessus conscius iam erat illius causæ, tali enim accessu facto sub spe matrimonij satis ostendit se cedere iuri resiliendi, & in priori cõsensu permanere. Probatur à simili, quia coniuges conscij fornicationis habitæ post matrimonium, si carnaliter cognoscant, amittunt ius petendi diuortium, imò, & diuortio iam celebrato, censentur se reconciliare, & in matrimonio perseuerare tenentur subsequutâ copulâ, vt cum multis docet Sanchez loco citato.

626. *An hoc sit verum in vtroque foro?*

Vtrùm autẽ hęc doctrina locũ habeat in vtroque foro interiori & exteriori? non videtur ita clarum.

627. *Affirmans sententia.* Sanchez. Coninc. Basilius. *Alij communiter. Patet hoc satis in foro exteriori. In interiori distinguunt aliqui.*

Affirmant aliqui in vtroq; locum habere, ita præter Sanch. *disp. illa 66.* docet Coninc *disp. 23. dub. 10.* Basil. *l. 12. c. 18. n. 4.* & alij cõmuniter, & in exteriori quidẽ satis videtur patere, talis enim copula sufficiens videtur indiciũ cedendi iuri resiliendi; in interiori verò multi distinguũt, & aiunt tunc cedere, quando accedit animo implendi sponsalia; non verò, quando habuit voluntatem non remittendi. Ego tamen eo ipso, quòd ille accessus exterius significet animũ remittendi, & id non ignoret, qui accedit, puto illum condonare, etiam in foro conscientiæ, etiamsi habeat animum non remittendi; imò impossibile puto velle sic accedere, & non velle remittere. In quo philosophandum est, sicut philosophati sumus *dub. 4. & 7. de promiss. facta exterius*, vbi diximus eo ipso obligationẽ inducere, & non posse in cognoscẽte naturã promissionis esse animũ promittendi, & non se obligandi; idem enim hic dicendum est de animo exterius remittendi iniuriam, eo ipso, quòd copula sit quoddam signum remissionis externum.

Resoluitur etiam valere in interiori. *Probatur ex alibi dictis.*

628. *Exceptio data doctrinæ.*

Si quis tamen huius rei ignarus, aut sequens aliã opinionem accedat cum animo non remittendi, nõn censetur remittere, ac proinde, quãdo absq; animo accesserit, poterit resilire, si aliâ viâ, quàm ducendo sponsam, possit dãno satisfacere, si quod fortè liberè intulit; tunc autẽ cẽsetur inferre damnũ, quando per illam copulã sub spe matrimonij sponsa redditur minùs apta ad nubendum alteri sibi æquali; tunc autem censetur sponsus liberè inferre; quando sciens se posse resilire, & aduertens ex eâ copulâ posse feminæ damnum prouenire, accedit nihilominùs ad illam, solùm consentientem illius accessui sub spe præcedentium sponsalium; alioquin non consensuram.

629. *Quo sensu admittenda sit doctrina quam circa hoc addit Sanchez.*

Quando autẽ Sanchez citata disp. 66. n. 3. dicit non posse resilire sponsum; si conscius vitij accedat ad sponsam, etiamsi habeat voluntatem non remittendi, sicut non potest petere diuortium matrimonij coniux, qui conscius fornicationis alterius, copulam habuit, intelligendũ est in foro exteriori, vbi præsumitur remissio eo ipso, quòd sequatur copula spontanea à conscio causæ. Vnde non placet ratio, quam subiungit, dum ait, quòd ea remissio non à voluntate accedentis; sed ex iure ipso proficiscitur. Nullũ enim ius profert, in quo vel ex æquo satis constet illam esse remissionem inductam à iure, sed solùm probatur, quòd in foro externo remissio præsumatur, & nihil aliud.

Ratio illius non placet.

630. *Accessus iã dissolutus sponsalibus non censetur reconciliatio. Disparitas in hoc à diuortio.*

Illud autem ibidem rectè aduertit, nempe, si iam dissolutis sponsalibus haberet copulã, non censeretur sponsam reconciliare, ita, vt ad sponsalia teneretur. In quo non est eadem ratio de diuortio celebrato post matrimonium, quod conualescit per copulam, & censetur cõdonata iniuria; nam diuortio facto, manet vinculum præcedentis matrimonij; dissolutis verò sponsalibus, nullum supereſt vinculum.

631. *Alia Sanchezij doctrina circa hoc proponitur.*

Docet deinde Sanch. *n. 4.* si priora sponsalia fuerunt ipso iure nulla, & sponsus id sciens, dũ habuit copulam, consensum etiam habuit permanendi in prioribus sponsalibus, nec sponsa priorem consensum reuocauit, manere firma sponsalia, similiter, si sciebat per illum actũ tacitè ratificari; nec contrariũ consensum habuit, secùs autẽ, si id ignorauit, vel habuit dissensum. Probat primam partẽ doctrinæ; quia cùm spõsa decipiens (de hoc enim casu loquimur, in quo propter deceptionẽ fuerunt nulla sponsalia) habilis alioquin fuerit ad contrahendũ; consensus quidẽ ex parte suâ validus fuit, qui, dum non reuocatur, virtute durat, solumq; desiderabatur alterius partis consensus, qui ratione doli inefficax erat; sed hic iã adest, & manifestatur signo externo, nẽpe copulâ, quæ consensus matrimonialis sufficiens indiciũ reputabatur *c. Is, qui fidẽ sponsi.* nedũ ipsorũ sponsalium, sicut fictè ducens feminam, si copulam animo maritali habeat,

Probat primam partẽ.

priori femina manente in pristino consensu, reddit validum illud Matrimonium, quod irritum erat, vt ipse Sanchez docet *lib.2.disp.32.n.9.*

632. *Nec doctrina nec ratio placet. Ratio petitur ex contrario fundamento.*

Hæc doctrina mihi non satis placet, & multò minùs illius probatio. Ratio est, contrarium fundamentum; quia scilicet, copula non est sufficiens signum manifestatiuum interni consensus sponsalitij; neque etiam consensus Matrimonialis per copulam censebatur exprimi, vt Sanchez vult *c.Is, qui fidem*, neque *c.finali de sponsalibus* neque *c.veniens.* (qui textus afferri solent pro eâ sententiâ) nam, vt omittam ibi absque distinctione affectus, ex quo fieret copula, præsumi transire in Matrimonium, nunquàm ex ipsis capitibus constare poterit, quod ipsa copula sit ipsum signum expressum consensus; sed tantùm quod Ecclesia præsumat antecessisse consensum requisitum ad contractum, alioquin non fuisset contractus; nisi post copulam habitam, ac proinde copula illa non fuisset licita, nec potuisset ab Ecclesiâ præsumi licita; nisi Ecclesia præsumeret præcessisse consensum & contractum Matrimonij. Itaque in iis textibus præsumit Ecclesia (vel præsumebat potiùs olim) præcessisse consensum & contractum, vt copula, quæ tunc fiebat, licitè fieret; non tamen iudicabat ipsam copulam esse manifestationem illam, per quam contractus Matrimonij celebraretur. De quo iterum *disp.sequenti dub.14.*

633. *Cur esset talis præsumptio olim & iam non.*

Verum, quidquid sit de hoc, ratio præsumendi talem consensum, & accipiendi illam copulam pro indicio consensus, vel, qui præcessisset, vel qui tunc de præsenti exprimeretur, solùm erat, ne Ecclesia præsumeret illam copulam esse peccatum, cùm alioquin posset supposito consensu Matrimoniali licitè fieri; hoc autem locum non habet in nostro casu; quantumuis enim sponsus iam reuera habeat consensum sponsalitium; illumque ante copulam sufficienter expresserit, non ideò redditur illa copula licita, quia etiam supposito veris sponsalibus illicita est. ergo non habet Ecclesia, vnde præsumat præcessisse, vel adfuisse consensum sponsalitium; sicut præsumebat in Matrimonio prædicto, quia præsumendo consensum Matrimonialem, excusabat iudicio suo illam copulam à peccato. In nostro autem casu, etiamsi, præsumeret consensum sponsalitium, non posset excusare illam copulam à peccato: ergo non rectè sumitur argumentum, ex vno casu ad alterum.

634. *Probat Sanchez secundam partem suæ sententiæ.*

Probat secundam partem suæ sententiæ Sanchez, nempe idem esse dicendum, si copulam habeat sciens per illam ratificari priora sponsalia; quia sponsalia infantium, quæ nulla sunt, conualescunt per simultaneam habitationem, aut copulam scientia ratificationis huius posteà habitam iuxta dicta ab ipso *disp.16.nu.6.* de quo nos etiam diximus *dub.19.*

635. *Hæc etiam doctrina & fundamentū non placet.*

Hæc etiam doctrina, & fundamentum supponit falsum, scilicèt, per illum actum tacitè ratificari priora sponsalia; contendimus enim, non ratificari per talem actum. Neque argumentum à paritate sponsalium inter infantes satis probat; nam illa cohabitatio infantium post legitimam ætatem ex Decreto Ecclesiæ habet, quòd sit signum perseuerantis, aut ratificati consensus. Vnde meritò ipse Sanchez non solùm requirit cohabitationem, sed etiam scientiam, quòd per talem cohabitationem ratificetur voluntas, ita, vt illa cohabitatio sciatur esse signum sufficiens ratificationis, nempe, pro tali esse acceptum à iure. Hoc tamen non probatur pro nostro casu, in quo negamus copulam esse à iure acceptam pro signo tunc exprimenti consensum sponsalitium.

636. *Probat tertiam partem sententiæ.*

Probat tertiam, & vltimam partem suæ sententiæ Sanchez, nempe, si ignorauit priora sponsalia esse nulla, vel per eum actum ratificari, vel habuit dissensum; non manere valida; quia ad ratificationem exigitur nullitatis actus scientia, & eius ratificationis per consequentem actum, vt ipsemet probauerat *eâdem disp.16.nu.7.* & nos etiam loco notato diximus. Quæ doctrina mihi placet præter id, quod supponit solum dissensum internum sufficere ad impediendum valorem contractus sponsalitij, alioquin sufficienter significati verbis, & signis externis, cuius contrarium diximus *dub.4.& 7.*

Quid placeat in hac doctrina quid non.

DVBITATIO XLII.

An sponsus habens defectum occultum, ob quem possit alter resilire, possit eundem ignarum defectus compellere ad Matrimonium contrahendum?

637. *Alia, ex quibus pendere putant aliqui præsentem resolutionem. Sanchez. Coninc.*

LAtè satis hac de re disputant Sanchez, & Coninc, & Sanchez putat huius quæstionis resolutionem pendere ex altera: an scilicèt, adulter occultus, ita, vt ius exigendi debitum amittat, vt non possit in conscientiâ exigere ab ignorante illius adulterium? illamque putat decidendam antequàm quæstionem præsentem nostram decidamus. Coninc verò duas quæstiones putat inuolui: alteram, an liceat tali defectu laboranti contrahere sponsalia cum illius ignaro, quando certò scit nullo modo contracturum, si illud vitium sciret? nam, si conscius esset contracturus, non est dubium, quin possit: alteram verò quæstionem: an quando post contracta sponsalia (siue defectus præcesserit, siue superuenerit) illius ignarus vel ob aliam causam, vel, quia aliquam tenuem illius defectus suspicionem habet, detrectat inire matrimonium: pars altera non solùm possit ab eo precibus petere: sed etiam per viam iustitiæ exigere, vt promissa impleat?

638. *Sine hu potest decidi quæstio.*

Ab his tamen quæstionibus ex instituto tractandis nunc abstinendum puto, & breuius agendum.

639. *Supponendum.*

Supponendum inprimis eum, qui habet occultum defectum aliquem sufficientem ad dissolutionem sponsalium: alteri tamen sponso non perniciosum, posse contrahere cum ignaro talis defectus absque vllo peccato, dummodò non sit defectus, qui reddat ineptum ad copulam legitimam coniugalem, si enim hoc defectu laboraret, non esset materia contractus ac proinde contractus nullus. Ideò non est cur latius de hoc defectu dicamus: sed de aliis defectibus, quibus subsistentibus adhuc manet

corpus

Potest contrahere cũ ignaro defectus quo subsistente manet aptitudo ad legitimam copulam.
Basilius.
Diana.
Alij.
Perez.
Sanchez.
Coninc.
Recentiores.
Contra Ochagauiam.
Ratio.

corpus aptum copulæ matrimoniali, de hoc ergo dicimus, non impedire, quominùs possit contrahere cum ignaro talis defectus. Ita cum Basilio & aliis docet Diana 3.*p. tract.*4. *Resolut.*287. Perez *disp.*10. *sect.*2. *n.*8. Ita etiã Sanchez *disp. illa* 68. Coninc *disp.*23. dub.12. Filliucius *c.*9. alijque Recentiores contra Ochagauiam *q.*23. Ratio est; quia, si id esset peccatum, procul dubio esset contra iustitiam; contra hanc verò esse non potest: nam quæcunque alia inæqualitas præter corporum inhabilitatem ad actum coniugij, quo Matrimonium cõsummatur, & perficitur, & quicunque alius defectus, qui non sit defectus ad prædictum actum; non pertinet ad illud genus iniustitiæ, quę in tali contractu committi potest; nihil enim aliud traditur in eo contractu, nisi corpus habile ad copulam matrimonij pro altero etiam apto corpore; quæcunque enim alia aptitudo, vel habilitas non est necessaria ad prædictũ contractum, atque ad id tantùm exigitur Societas coniugalis, quamuis vtilis sit ad alia consequentia, vt ad mutua obsequia, & officia, quæ præstari debent inter coniuges, si fieri possint.

640. *Valet præcedens doctrina etiamsi defectus sit alteri perniciosus.*

Ex eodem fundamento colligitur, etiam verum esse, quamuis defectus, quo quis laborat, sit alteri grauiter perniciosus, vt morbus Gallicus, grauis lepra, & similia. In quo etiam consentiunt Sanchez, Coninc, & Filliucius citati cõntra Ochagauiam, dum absolutè, & absque vllâ distinctione defectus supponunt, id licere præsertim Sanchez, qui exemplum adhibet in morbo Gallico.

641. *Colligitur ex dictu licere dummodo non decipiat fingendo oppositum.*
Licebit dissimulare.

Ex his ergo habemus licere absolutè contrahere laboranti quocunque defectu cum ignaro talis defectus, dummodo illum positiuè non decipiat simulans, seu fingens oppositum; potest tamen dissimulare, seu tegere defectum, quia non tenetur illum manifestare. Quâ de re generaliter *in nostro opere de iustitiâ* diximus *Tractatu* 3. *disp.*4. estque eadem ratio de alijs, atque de emptione & venditione de quibus agebamus ibi, ac proinde potest corrupta concedens vsuram sui corporis, non solùm marito; sed etiam nõdum coniugi promittenti sibi nuptias licitè defectum corruptionis celare, vt notauit Coninc *supra num.*92. habito respectu ad *num.*91. versu *secundò causa*. tunc enim non se propriè fingit Virginem; sed celat, aut dissimulat corruptionem. imò, si interrogetur an sit corrupta? negare potest restringendo in mente, & sub intelligendo in *communi existimatione*, vel *vt dicam tibi*, neque enim tenetur tàm duræ interrogationi sine æquiuocatione respondere. Imò etiamsi interrogetur, an Virgo sit, respondere licitè potest affirmatiuè subintelligendo *in communi existimatione*.

Coninc.

642. *Status quæstionis.*

His omnibus præmissis tota iam difficultas est; an in eo casu, quis, non obstante defectu occulto (alioquin sufficiente ad dissolutionem sponsalium, si altera pars sciret) possit ad Matrimonium cogere ignarum talis defectus renuentem stare contractui exigendo ab illo, siue per iudicem, siue priuatim Matrimonium, tanquàm debitum?

643. *Sententia communis affirmat.*
Sanchez.

In quâ re Sanchez, Coninc, Filliucius, & Ochagauia citati affirmant, estque communis sententia Doctorum. Ratio est, quia quamuis ignarus habeat ius dissoluendi sponsalia ex parte sui; nondum tamen illa dissoluit ex eo capite defectus prædicti; cum adhuc illum ignoret; quamuis enim eo ipso, quòd non vult contrahere, dissoluat quidem sponsalia ex parte alterius, quatenùs per illam renitentiam censetur cedere iuri suo, & obligationi alterius, non tamen ideò aufert sibi obligationem in quâ ipse ex parte suâ tenetur implere, & ius quod contulit alteri, qui laborat prædicto defectu, & validè cum ipso contraxit. Ergo laborans defectu potest eundem ignarum defectus compellere, vt satisfaciat obligationi, quam adhuc retinet contrahendi.

Coninc.
Filliucius.
Gchagau.
Ratio.

644. *Occurritur argumento in contrarium.*

Neque contra hanc doctrinam est alicuius momenti ratio à simili, quâ aliqui vtuntur de coniuge adultero occulto, quem putant amittere ius petendi debitum ab altero, tanquàm debitum, ac proinde non posse illud petere à coniuge innocente ignaro adulterij (quâ de re suo loco dicemus) hoc (inquam) non obstat; quia, vel falsum assumunt, vel non est eadem ratio. Falsum quidem, vt multi volunt, quia facultas exigendi tollitur à prædicto in pœnam sui delicti; quia dignus est, cùm fidem fregerit Matrimonij, vt ipsi quoque fides non seruetur. Reus autem non tenetur suum prodere delictum, vt à iudice, vel ab vxore priuetur in pœnam tali iure exigendi, ac proinde, quamdiu delictum non constat vxori, quæ illum priuet tali iure; nõ est cur censeatur illo priuatus, neque ipse tenetur exequutor esse pœnæ propriæ. Deinde probat hoc ipsum Sanchez *supra num.*4. quia hæc est veluti pœna conuentionalis iure Diuino, & naturali inducta, vt frangenti fides non seruetur; conuentionalis autem pœna non debetur ante sententiam iudicis, vel saltem antequàm pars ipsa petat. De quo legi potest idem Sanchez eodem *lib.*1. *disp.*37. & quæ nos supra diximus *dub.*29. agendo de restitutione Arrhæ cum duplo, aut triplo facienda ab iniustè resiliente, vbi saltem exigentiam partis requisiuimus. Legatur Sanchez *disp.*68. *citata*, vbi alias rationes affert, de quo iterum dicemus *disp.*10. *dub.*7.

Falsum supponit & non est eadem ratio in argumento.
Probatur falsum quod supponit.
Probatur vlteriùs Sanchez.
Sanchez alias affert rationes.

645. *Non est eadem ratio in eo quod assumitur in argumento.*

Non est etiam eadem ratio de petitione debiti, subsistente Matrimonio, & in nostro casu; quia quamuis concederemus iuxta aliorum sententiam, non posse petere debitum, id tamen prouenit; quia iuxta sententiam, quam retulimus *dub. citatâ* 29. primo loco; adulter amittit ius proximum petendi ab altero debitum, tanquàm debitum, ac proinde non potest illud petere ab altero coniuge ignaro adulterij, & innocente: in nostro autem casu adquisiuit, & retinet sponsus laborans defectu occulto ius proximum, vt alter secum contrahat Matrimonium. Omitto alia, quæ afferri possunt pro hac doctrinâ, quæ non sunt huius loci.

DV BI-

DVBITATIO XLIII.

An sponsalia dissoluantur per non adimpletam conditionem, sub quâ contracta fuerunt? vbi disputatio de sponsalibus conditionatis remittitur aliò.

646. *Assertio.* BReuiter ex dictis possumus nos ab hac dubitatione expedire. Asserendum omnino est, sponsalia dissolui posse, quando non adimplentur conditiones, sub quibus celebrata fuerunt; imò absolutè dicendum est, si propriè sint conditiones, & hæ non impleantur, nunquàm fuisse vera, & validà sponsalia, nec talia censeri, donec conditio impleatur. Ratio est, quia sponsalia, sicut, & quæuis alia promissio, non obligat vltra intentionem contrahentium; hi autem non habuerunt intentionem obligandi se; nisi sub talibus conditionibus.

Si non impleatur conditio non fuerunt vera sponsalia. Ratio.

647. *Intelligenda doctrina data de conditionibus proprijs, non de impropriis.* Ideò autem dixi: *Si propriè sint conditiones*, quia, si conditiones tantùm sint, quæ non propriè conditiones sunt; sed, quasi conditiones de quibus egimus supra *dub.* 40. §. *Quamuis autem num.*609. non censetur contractus propriè conditionatus, sed validus est ab initio; quæcunq; enim talis conditio impropria tacita non sufficit ad reddendum contractum conditionalem *L. Conditiones*, quæ *extrinsecus* ff. *de Conditionibus* & ex opposito sequeretur (vt ibi notabam) ex sponsalibus factis à Petro cum Maria sub tacitâ conditione de futuro, si non fuerit fornicata, &c. ipsis posteà dissolutis non induci impedimentum publicæ honestatis; sicut non inducitur ex sponsalibus verè conditionalibus iuxta *c. vnicum de sponsalib. in 6.* ac proinde posset sponsus contrahere Matrimonium cum sorore, vel Matre Mariæ, cum quâ dissoluit sponsalia prius celebrata sub tacitâ illâ conditione, si non fuerit fornicata, quam diximus non esse propriè conditionem, sed talem causam, quæ superueniens sufficiat ad dissoluenda sponsalia, quæ ab initio contracta sunt cum tali voluntate, vt non voluerit quis se obligare ad non resiliendum, casu, quo tale quid contingeret. Ita docent Auctores ibi citati maximè Sanchez *disp.*67. *num.*3. Coninc disp.23.dub.9.& alij communiter teste Sanchez ibidem, alios referēte. Tandem hîc erat disputandum de sponsalibus conditionatis, sed commodius fiet *disp.*5. vbi de Matrimonio conditionato.

Auctores citati in hoc consentiunt. Sanchez. Coninc.

DVBITATIO XLIV.

An ad dissoluenda sponsalia requiratur iudicis auctoritas.

648. *Assertio* 1. ASsero 1. stando præcisè in natura promissionis sponsalitiæ, si certò constat de causa sufficiente ad sponsalia dirimenda, nulla requiritur iudicis Auctoritas. Nomine autem certitudinis hoc loco intelligitur etiam moralis certitudo, seu probabilitas. Hanc assertionem docent communiter Doctores, quorum plurimos refert & sequitur Sanchez disput.69. Idem docet Camerota 2. *de Matrimonio ad finem.*

Sanchez. *Alij multi.* Camerota.

Gutierrez *cap.* 35. *num.* 4. Coninc *disp.*23. *dub.*8. Reginald. *lib.*31. *num.*268. Sylvester *verb. sponsalia num.*10. Sa *verbo sponsalia in fine num.*25. Veracruz 1. *p. speculi num.*21. Bonacina *q.*1. *puncto* 10. *num* 5. & alij apud citatos. Ratio verò est; quia ex vno capite nullo iure positiuo requiritur sententia iudicis, & ex alio dissoluens sponsalia vtitur iure suo resiliendi.

Gutierrez. Coninc. Reginald. Sylvest. Sa. Veracruz. Bonacina. *Ratio.*

649. *Per accidēs potest requiri sententia iudicis.* Ex accidenti verò contingere potest, necessariam esse sententiam iudicis; quando nimirum absque illius auctoritate sequeretur scandalum quod aliter vitari non potest. Ita Sanchez *disp.* 69. *num.*3. Gutierrez *c.*35. *n.*4.

Sanchez. Gutierrez.

650. *Non requiritur relaxatio iuramenti.* Quando autem priuatâ auctoritate quis licitè resilit, nec iuramenti relaxatione indiget, si quod fuit, vt rectè docent Gutierrez *c.*35. *nu.*1. & alij contra Lopez, & alios apud Sanchez.

Gutierrez.

Primò infertur cum eodem Sanchez, & aliis multis à se relatis *num.*2. Si causa dissoluendi sponsalia publica sit, tam de iure, quàm de facto, posse propriâ auctoritate dissoluere.

651. *Infertur* 1. *ex dictis Sanchez. Alij.* Secundò, quando sponsalia sunt occulta, etiamsi causa dissoluendi sit occulta, posse propriâ auctoritate dissoluere; tunc enim etiam cessat periculum scandali.

652. *Infertur* 2. Tertio, quando sponsalia publica sunt, causa verò dissolutionis occulta, ita, vt nequeat coram iudice probari, poterit propriâ auctoritate spōsalia dissoluere; tunc enim inutilis erit petitio coram iudice, à quo repulsam patietur defectu probationis, resiliens autem propriâ auctoritate, vtitur iure suo recuperans rem sibi debitam, quàm propriâ auctoritate quisque recuperare potest; quando in iudicio nequit. Legatur Sanchez *loco citato.* Vbi pro prædictis Corollariis alios refert.

653. *Infertur* 3.

654. *Assertio* 2. Asserō 2. quando dubitatur, an causa dissoluendi sufficiens sit? vel moraliter non constat esse sufficientem, non possunt dissolui absque iudicis Auctoritate. Ita Petrus de Ledesma de Matrimonio *quæst.*43. *art.*3. Ludouicus Lopez 2. *p. instruct. de Matrimonio cap.*38. Coninc *disput.*23. *dub.*8. *num.*70. in fine Gutierr. *c.*35. *num.*7. Reginald. *lib.*31. *num.*268. Sanchez *disp.*69. cum alijs quos refert *num.*8. & 5. Vbi ait esse peccatum mortale dissoluere tunc propriâ auctoritate propter probabile periculum iniustitiæ, dum spoliatur alter in dubio iure sibi acquisito, vt impleatur fides data. Quæ ratio mihi placet.

Ledesma. Lopez. Coninc. Gutierr. Reginald. Sanchez. *Cum aliis.*

655. *Qualis certitudo causæ requiratur.* Sed de ipsa certitudine requisita, & sufficienti ad dissoluenda sponsalia, meritò dubitatur; quanta debeat esse?

656. *Sententia probabilis sufficere pro foro conscientiæ dictum vnius fide digni.* In hac re probabilissima est sententia, quæ docet pro foro conscientiæ sufficere dictum vnius testis fide digni, qui testetur de certa scientia. Qua de re legi potest Sanchez *lib.*1. *disput.*71. 72. & 73. In quo vltimo loco *num.*2. statuit hoc, quod diximus, & ex aliquibus iuribus conatur deducere; vbi etiam adducit num.3. satis esse pro foro conscientiæ, si relatione aliorum, vel propriâ experientiâ cognoscat quis sponsam nō fuisse Virginem tempore sponsalium. Pro quâ sententia refert Molinam *tom.*2. *de iust. tractat.*2. *disput.*272. Sufficit etiam teste eodem Sanchez quod talis testis testetur sine iuramento; item sufficit fama; hæc enim etiam sufficit pro foro externo, vt latè probat Sanchez *disp. illa* 71. Legi etiam

Sanchez. *Alia fundamenta quæ sufficiunt.* Molina. *Pro vtroque foro sufficit fama.* Sanchez.

Gutierrez. Reginald. *Item sufficit confessio vtriusque sponsi pro vtroque foro.*

etiam possunt Gutierrez *c.36.* Coninc *dubit.11.* Reginaldus, & Sanchez locis citatis, qui etiam ostendunt ad dissoluenda sponsalia sufficere in foro externo quod vterque sponsus fateatur impedimentum, vel causam iustam dissoluendi, imò satis esse, si ille qui optat Matrimonium inire, fateatur impedimentum; non tamen sufficit, quod fateatur, qui optat Matrimonium non inire seu sponsalia dissoluere; huic enim nō creditur asserenti; argumento Textus 14.*q.*2. in principio, potest legi Mascard. *de probat. conclus.* 409. & 410. & 1035. item speculum 3.*p.art.*8. & alij apud citatos.

Etiam solus, qui optat matrimonium.

Non qui capit non inire.

Mascardus. *Speculum. Alij.*

Addendum etiam est cum plerisque citatis, non solùm in puro dubio non licere in foro conscientiæ sponsalia alioquin certa dissoluere, sed neque in foro externo, si post discussam causam adhuc perseueret dubium, vel existentiæ causę, (quod est dubium facti) vel sufficientiæ causæ (quod est dubium iuris.) Alioquin fieret contra ius partis possidentis ius aliàs certum ex sponsalibus certis.

657. *In neutro foro licet dissoluere in dubio adhuc manente post debitam diligentiam.*

658. Sanchez.

De probatione verò facienda in foro externo, & modo in illa procedendi Legatur Sanchez *disp.*71. Qualis autem probatio requiratur ad dissoluenda sponsalia ratione impedimenti dicemus *disp.*3.*dub.*28.

DVBITATIO XLV.

An, quando sponsus nequit propriâ auctoritate dissoluere sponsalia, possit detegere in iudicio causam dissoluendi, cum periculo notæ vel infamiæ sponso?

659. *Assertio.*

Asserendum est posse detegere, quando sponsa sufficienter admonita non vult ab sponsalibus desistere; tunc autem sufficienter censetur admonita, quando non solùm monetur illa, sed, si monita renuit, accedit sponsus ad parentes ipsius, vel viros pios, vel Prælatum, vt ipsam, vel Patrem ipsius moneant. Probatur à simili de impedimento occulto ad ordines, vel Matrimonium, in quo Doctores docent habentem tale impedimentum, & volentem nihilominùs contrahere Matrimonium vel promoueri; monendum priùs esse priuatim, & secreto, aliaque media occulta adhibenda; quòd si adhuc perstet, posse detegi impedimentum. Probatur deinde nostet casus ratione, quasi à priori: quia tunc reuelans vtitur iure suo, cùm aliter nō possit se tueri, ne cogatur. Quâ ratione generaliter loquendo licitum est detegere vitia occulta testium, quando id est medium necessarium ad iustam defensionem, vt docet Sotus *lib.*5. *de iust. q*7. *art.*3. & ex illo Sanchez *disp.*70. estque communis & recepta sententia. Hâc etiam ratione licitum est, deferre ad iudicem furem occultum, si aliter secreta monitione non potest vitare proximi damnum, vt cum multis docet Sanchez, consonatq; cum doctrina à nobis tradita *Tract. de Restit. disp.*12. *in* 2.*p.* agendo de famæ restitutione, & de casibus, in quibus licitum sit peccata occulta reuelare, vbi plures auctores retulimus, alioſque refert, & sequitur Sanchez *eadem disput.*70. *in fine.* Ex quo à fortiori patet licere in nostro casu, vbi non agitur de vitando damno alieno; sed proprio.

Ratio à simili.

Ratione à priori probatur.

Sotus. Sanchez.

DVBITATIO XLVI.

An fornicatio sponsi aut sponsæ, subsistentibus sponsalibus, addat nouam malitiam, si habeatur cum aliâ persona?

660. *Sententia negans.*

LOquimur de sponsalibus omnino validis, & ex iustitia, fidelitateque obligantibus. In quo casu negant Couarruu. 4. *Decret.*1.*p.cap.*1. *n.*13. Viuald. *de sponsalib.c.*1. *nu.*10. Basilius *lib.*12. *cap,*6.*num.*8. Megala 1.*lib.*5. *cap.*11. probabilemq; sententiam putant Layman *lib* 5.*tract.*10.*p.*1. *c.*1. *num.*6. Ledesma apud Sanchez *lib.*1.*disp* 2. *nu.*4. imò probabiliorem censet Azor apud Filliucium *tom* 3.*tract.*30.*cap.*2.*num.*53. qui omnes docent eam fornicationem non addere, aut mutare speciem malitiæ, sed tantum habere malitiam luxuriæ, ideoque non esse necessariò explicandam in confessione talem circumstantiam. Pro eâdem sententia refert & sequitur Diana plures alios tum 1.*p.tract.*7.*Resol.*5. tum *p.*3.*tract.*4. *Resolut.*67. in additionibus ad illum *tract.*7. §. *in Resol.*5.

Couarruu. Viuald. Basilius. Megala. Layman. Ledesma. Azor.

Diana cum multis.

661. *Affirmans sententia.*

Alij verò putant addere nouam malitiam iniustitiæ, adeoque explicandam in Confessione. Ita Rebell *lib.*4. *de sponsalibus quæst.*8. *sect* 2.*nu.*9. Gutierrez *cap.*1. *num.*20. Coninc *disp.*22.*dub.*1. Filliucius *tract.*10.*cap.*7. Sarmiento *lib.*1. *selectorū cap.*5. Naldus *verbo sponsalia num.*11. qui omnes & aliqui alij inter se consentiunt ex parte sponsæ; quamuis ex parte sponsi non omnes idem doceant, ideo inter multos, quos pro hac sententia refert Diana, meritò distinguit (& post ipsum Lugo de pœnitentia *disp.*16. *num.*176. & *seqq.*) hanc sententiam in duas; docent enim aliqui quos referunt præsertim Sanchez, Rodriquez, Filliucius, Fagundez, Villalobos solam sponsam teneri, alij absolutè docent vtrumque teneri, legatur Diana locis citatis & Lugo. Ratio autem generalis est, quia in tali casu violatur fides sponsalium, & infertur grauis iniuria parti; nam sponsi acquisierunt ius iustitiæ ad corpora talia, qualia sunt tempore sponsalium: tale autem ius est ius ad rem, non ius in re; hoc enim per Matrimonium tantùm habetur. Ex hoc ergo principio infertur malitia distinctæ rationis vltra malitiam luxuriæ, non est tamen illa propriè loquendo adulterium, vt contra Paludanum *in* 4.*dist.*27. *quæst.*1. *art.*3. & contra nonnullos iuris peritos docent Couarruu. suprà, & communiter Doctores; neque enim illa est violatio alieni tori, in quo sita est propria ratio adulterij, & confirmari potest ex L. Inter ff. *Ad leg. Iul.* de *Adulteriis*, ibi. *Propriè adulterium in nuptam committitur.*

Affirmans sententia. Rebellus. Gutierrez. Coninc. Filliucius. Sarmiento. Naldus. *Ex parte sponsæ id. prædicti omnes & alij admittunt. Non omnes ex parte sponsi.* Diana. Lugo. *Pro sola sponsa sunt.* Sanchez. Rodriqu. Filliucius. Fagundez. Villalobos. *Ratio pro vtroque.*

Hæc sententia, & doctrina mihi placet, & quidem, quod ex parte feminæ sponsæ fornicantis cum alio sit illa iniustitia mortalis, prædicti consentiunt. Ex parte autem viri sponsi, quamuis agnoscant etiam iniustitiam, non omnes putant esse mortalem; nam Sanchez & Filliucius, alijque nonnulli putant sponsum, & eam

Paludani sententia non admittenda. Couarr.

662. *Admittitur sententia secunda. Quod ex parte feminæ sit mortalis probatur. Ex parte viri non omnes putant mortalem.* Sanchez. Filliucius.

ad

Rodriq. Bonacina.

ad quam accedit, leuem tantum iniuriam irrogare sponsæ, quod etiam docet Rodriquez 1. p.c.53 num.3. Bonacina q.1. puncto 10. nu.12. Quæ sententia satis probabilis est.

663. *Probabilius est vtramq; esse mortalem.* Sarmient. Coninc. Ledesma. *Sanchez putat valde probabilem.* Lopez. *Ratio à priori.*

Probabilior nihilominùs apparet, quæ docet ex vtraque parte esse peccatum mortale, quamuis grauius sit ex parte sponsæ, quàm sponsi. Ita Sarmiento, & Coninc *supra* Ledesma apud Sanchez *lib.1. disp.illa 2. num.5* vbi ipse etiam valdè probabilem putat. Idem Lopez 1.p.cap.29.§. *Ad hæc libet.* Ratio à priori est, quia ex vnâ parte fornicatio illa est contra ius sponsæ in corpus sponsi, & ex altera parte materia est grauis, quippe quæ præbet sufficientem occasionem sponsæ dissoluendi sponsalia, quod fieri non deberet, nisi ex graui causâ, & non ex leui tantùm iniuriâ. Accedit quod ea fornicatio meritò monet sponsæ suspicionem, se minùs præ altera amari, & post initum Matrimonium minùs amandam; item periculum est ne nascatur proles, quæ posteà sit communibus sumptibus alenda. Quæ omnia, vt vitet sponsa, cogitur deserere sponsalia.

Illud etiam verum est, & plerique fatentur, præter malitiam illam iniustitiæ, addere aliam contra fidelitatem, quæ tamen mortalis nō est. 664. *Malitia venialis infidelitatis.*

Porrò grauius esse peccatum ex parte sponsæ ex eo apparet, quod illa ex parte suâ vilior redditur, & in communi æstimatione grauior habetur iniuria, quòd sponsa fornicetur, quàm sponsus. 665. *Grauius peccatum ex parte sponsæ.*

Hinc etiam est, quòd, quando fornicatio sponsæ publica sit, præter malitiam luxuriæ, infidelitatis, & iniustitiæ, sit etiam alia quarta iniustitiæ ob infamiam, quia fornicatione sponsæ infamatur sponsus grauiter. 666. *Alia quarta malitia ex parte sponsæ.*

Tandem colligitur cum Sanchez, & Coninc filios natos ex fornicatione sponsi, aut sponsæ cum tertia persona, non esse filios spurios; sed naturales, quamuis illegitimos, cùm solùm impedimentum dirimens Matrimonium parentū faciat filios spurios. Alia quæ solent hic tractari vel non sunt huius tractatus, sed ad materias alias spectant, vel in sequentibus explicabuntur loco magis opportuno. 667. *Filij nati ex tali fornicatione illegitimi quidem sed non spurij sunt.*

DISPVTATIO SECVNDA.

De natura, essentia, institutione, obligatione, indissolubilitate, & vnitate Matrimonij.

1. *Proponūtur in genere, quæ in hac disputatione tractanda sunt.*

EGimus hucusque de contractu sponsalitio, qui quamuis non necessariò Matrimonium præcedat, cum hoc sine illo fieri possit, sæpe tamen præmitti solet, & est, quasi via, & præparatio ad Matrimonium, quædamq; inchoatio illius; prius autem de Matrimonij essentia, & quâ ratione eleuatum sit ad dignitatem Sacramenti disputabimus. Cumque (vt videbimus) obligatio sit, & vinculum indissolubile, de ipsius obligatione, & indissolubilitate agemus; cumque simul Matrimonium, tantum sit vnius cum vnâ, etiam de illius vnitate disputandum erit.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit Matrimonium & vnde sic appellatum?

2. *Nominis Matrimonium etymologia.*

NOmen Matrimonij à Matre dictum est, quæ in eum finem Matrimonium init, vt Mater fiat. Nec nomen sumit à Patre, sed à Matre, siue, quia hæc in generatione filij certior est causa; siue; quia maiorem curam, operamque impendit in liberis educandis. Omitto alias huius vocis interpretationes, quæ, licèt nihil falsi contineant, omnino fictitiæ etymologiæ sunt, vt quod dicatur Matrimonium, quasi matrem muniens, aut, quasi Matris munium, & cætera, quæ leuioris sunt momenti.

3. *Cur appelletur connubium & nuptiæ, coniugium.*

Appellatur etiam Matrimonium cōnubium, aut nuptiæ ab obnubendo, eo quòd vxor velo quodam tegatur, tanquam nube. Dicitur etiam coniugium; siue quia strictissimo quodam vinculo coniūgantur, siue quia sub communi quasi iugo vitæ humanæ onera, & labores sustineant, & communi quadam Societate iungantur. Legi potest Vazquez *disp.1. de Matrimonio c.1.* Henriquez *lib.11.c.1. num.1.* Cardinalis Tuscus *tomo 5. concluſ.116.* Couarruuias in Epitome *lib.4.p.1.c.1.* Sanchez in procœmio, & alij referendi. Vazquez. Henriq. Tuscus. Couarruu. Sanchez.

4. *Duplex acceptio & significatio Matrimonij.*

Dupliciter autem sumi solet Matrimonium. primò pro ipso contractu, & hâc ratione accipitur, quando inter Baptizatos dicitur esse vnum ex septem Sacramentis à Christo institutis, vt ex dicendis amplius constabit. Secundò pro vinculo proueniente ex ipso contractu, & semper post contractum perseuerante. Quâ ratione in Concilio Florentino post sessionem vltimam accipitur ab Eugenio 4. in suo decreto fidei, vbi explicat omnia Sacramenta, & ait consensum mutuum expressum esse causam efficientem Matrimonij, id est vinculi inde orti. Hic aliqui texunt longiorem, quàm res postulat. quæstionem, quæ tantùm est de nomine, an Matrimonium in vinculo potiùs, quam in contractu consistat, sed cum in Conciliis, præsertim Florentino, & Tridentino & vinculo, & etiam contractui nomen attribuatur (vt rectè cum aliis probat Perez *disput.12. sect.1.*) quando aliqui dicunt Matrimonium non in vinculo consistere, sed in contractu, & vinculum esse effectum solùm, admitti debent, si loquantur de Matrimonio, quod est purè Sacramentum, hoc enim in fieri consistit, & vinculum est quid manens; alij verò, qui dicunt consistere in vinculo loquuntur de eo, quod posteà manet finito contractu tanquàm illius contractus effectus, & ita possunt sententiæ conciliari & fateri vocem Matrimonium tribui contractui tanquàm causæ eius iuris, obligationis, & vinculi, vnde oritur Conc. Flor. Perez.

tur, vt fieri possit legitimè Mater vxor à viro, etiamque appellari Matrimonium ipsum ius & vinculũ, virtute cuius legitimè fit mater, atque adeò, etiam vbi vinculum resultat ex cõtractu, (qui non est Sacramentum in non baptizatis) nomen quadrat siue contractui, siue vinculo & iuri orto ex contractu. Sacramentũ verò præcipuè appellatur & propriè contractus, vt fatetur Perez *supra nu.*5. licet dicat nomen Matrimoniũ tribui vinculo, & neget vinculũ esse Sacramẽtum, quod in vno sensu verum est loquendo de eo, quod dat gratiam, solus enim contractus est, qui illam confert, sed loquendo de eo, quod simul est Sacramentũ & res Sacraméti, potest sic appellari vinculũ, quia significat & significatur, iuxta dicenda *dubit.*16. & dicta de Pœnitentia *disp.*4. *dub.*6. *à principio* & locis ibi notatis, sed de quæstione nominis satis est. His præmissis, duabus præcipuè definitionibus solet Matrimonium definiri, omissis aliis, quæ in idem recidunt cùm illis.

5. *Ex Alexandro III. Matrimonij definitio.*

Prima definitio petita est ex Alexand. 3. *c. in Illud quoque de* 11. *de Præsumpt.* Vbi dicitur *quod Matrimonium sit viri, & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas indiuiduam consuetudinem retinens.*

6. *Admittitur communiter ea definitio.*

Hanc definitionem communiter Doctores admittunt; in cuius explicationem cum plerisque notandum est, in Matrimonio septem præcipuè posse considerari; primò enim reperitur mutuus in illo consensus de præsenti circa mutuam corporis traditionem. Secundò verba, aliáve signa exprimentia mutuum prædictum consensum, quo contrahentes celebrant contractum. Tertiò primarius effectus illius cõtractus, scilicèt, mutuum dominium corporũ trãslatum, quod simul est obiectũ ipsius cõtractus, qui constat ex mutuo consensu, & illius sensibili expressione. Quartò radicalis quædã obligatio mutua in iis, quæ ad prolis generationem pertinent, diciq; solet vinculum Matrimonij, quo sibi mutuò obstringuntur, seu obligantur coniuges, & respondẽt prædicto dominio mutuo, nã eo ipso, quòd in vno coniugũ sit dominium, in altero esse debet obligatio, saltem radicalis, quâ vnus debet correspondere iuri, & dominio alterius. Quintò reperitur etiam ius proximum, quod vnus coniux habet in corpore alterius ortum ex prædicto mutuo dominio, quod commune est etiam aliis contractibus. Sextò mutua quædã proxima obligatio in iis, quæ spectant ad prolis generationẽ correspõdens prædicto mutuo iuri proximo. Tale autẽ, siue dominium, siue ius proximũ; item obligatio, siue radicalis, siue proxima, quid extrinseçum sunt comparatione ipsius contractus Matrimonij, id enim totum prouenit ex signis prædicti consensus in ea omnia. Hęc omnia prędicta iuxta varias opiniones, aut reale quid sunt, vel physicum, vel morale, aut merè ens rationis. Septimò reperitur vsus, seu copula coniugalis.

Quartum. *Quintum.* *Sextum.* *Septimum.*

7. *Explicatur ex dictis definitio.*

Iã ergo in prædicta definitione loco generis ponitur particula *coniunctio*, & loco differentiæ particula *maritalis*, nempe, quòd sit coniunctio ordinata ad prolis generationem; per has ergo duas particulas sufficienter explicatur prædicta mutua radicalis obligatio, seu vinculũ, quo inter se cõiuges obstringuntur. Cæteræ autẽ particulæ definitionis solùm pro maiori declaratione adhibentur; nam illæ voces *inter legitimas personas significant*, quod ea obligatio tantum reperiri possit inter personas habiles secundùm leges; illa verò particula *indiuiduam vitæ consuetudinem retinens* significat indissolubilitatem vinculi, seu mutuæ obligationis Matrimonij.

8. *Non essentialis, sed descriptiua est ea definitio.*

Ex quo patet prædictã non esse definitionem essentialẽ; sed tantùm descriptiuã, per quã scilicèt explicatur mutua radicalis obligatio, quę nõ est ipsa matrimonialis contractus essentia; sed primarius effectus illius, & quasi quædã passio inseparabilis. Quãuis autẽ ipsius cõtractus Matrimonij definitio essentialis non sit, essentialis erit Matrimonij sũpti pro vinculo, perinde; atq; hæc statim *animal aptũ ad ridendũ*. licet hominis, quâ homo est, descriptiua definitio sit; risiui tamen, quatenus risiui, essentialis est definitio. Veniamus nunc ad secundam definitionem.

Est essentialis Matrimonij sumpti pro vinculo.

9. *Secunda definitio.*

Secunda definitio. Matrimonium est *contractus legitimus, & indissolubilis inter virum, & feminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum potestas ad prolem.*

10. *Propius accedit ad essentiæ explicationem.*

Hæc definitio propiùs accedit ad explicandam essentiam Matrimonij, & præcipuos effectus illius; nam per illam vocem contractus explicatur vna pars essentiæ; est enim Matrimonium species essentialiter contenta sub genere contractus, per illas verò particulas *inter virum, & feminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum*, &c. explicatur specialis ratio constitutiua talis speciei contractus, & materia essentialis illius. Per illas autem particulas *legitimus & indissolubilis* explicantur quales esse debeant personæ contrahentes, & modus contrahendi nempe; quòd sint personæ aptæ secundùm leges, & insuper, quale sit vinculum. & obligatio, quæ ex tali contractu prouenit.

11. *Quid soleat addi prædictæ definitioni ad denotandam rationem Sacramenti. Non satis est ad id. Melius additamentũ.*

Quoniam verò Matrimonium in lege Gratiæ inter baptizatos est verè Sacramentum, solet prædictæ, vel æquiualenti definitioni addi particula, *quo confertur gratia sanctificans*. Sed ex his verbis non satis explicatur ratio Sacramenti specialis. Ideò melius est addere *significans ex Christi institutione coniunctionem Christi cum Ecclesiâ sanctificantis illam*. Quâ ratione explicatur specialis ratio huius Sacramenti, quod duobus modis potest considerari, scilicèt in fieri, & in facto esse. Matrimonium in fieri est ipse contractus, qui in fieri consistit, & tunc tantùm existit; quando fit, scilicèt; quando mutuò exprimitur consensus de præsenti inter contrahentes; sed Matrimonium in facto esse censetur vinculum, quod manet interim, dum coniuges viuunt, quod aliquâ ratione est etiam signum externum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, vt ex sequentibus constabit.

12. *Matrimonium baptizatorum est Sacramentum nouæ legis* Conc. Flor. & Trident. ad Ephes. 5.

Itaque certum est & indubitatum Matrimonium fidelium baptizatorum esse Sacramentũ nouæ legis iuxta dicta *tract.*1. *de Sacrament. in gener. disp.*1. *dub.*12. constatque satis *ex Concilio Florentino sess. vltimâ in instructione Armenorum in decreto Fidei*, & ex Trident. *sess.*7. *Canone* 1. *& ex Apostolo ad Ephes.*5. vbi de matrimonio loquens

ait *Sacramentum hoc magnum est*, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Nempe est magnum Sacramentum, ac mysterium, cùm sit signum vnionis Christi cum Ecclesiâ, atque ita explicant Ecclesiæ Doctores Hieronymus, Ambrosius, & alij apud Valentiam *tomo 4. disp. 10. q. 1.* & apud Sanchez *lib. 2. disput. 10.* De hoc tamen posteà erit sermo ex instituto, vbi difficultati in contrarium respondebimus.

Hieronym. Ambros. Et alij. Valentia. Sanchez.

DVBITATIO II.

Qualis consensus seu intentio requiratur ad valorem contractus Matrimonij?

13. *Indubitatum est requiri consensum, & vtriusque simul. Florentinum id definit & prius erat definitum.*

QVod huiusmodi consensus requiratur, nemo dubitare potest, cùm ex consensu, & pactione externa illius expressiua coalescat essentia cuiuscunque contractus, nec sufficit consensus vnius, sed requiritur vtriusque contrahentis, vt definitum est ab Eugenio 4. *in decreto fidei*, eratque iam priùs definitum *in c. Tua 26. de sponsalibus.* est enim contractus Matrimonij mutuus.

14. *Debet manifestari exterius & acceptari ab vtroque debet esse liber & deliberatus.*

Quod autem huiusmodi consensus non solùm debeat esse internus, sed exteriùs manifestatus, item quòd debeat concurrere mutua acceptatio, & quod debeat fieri libere & deliberatè constat ex *dictis in simili* de contractu sponsalitio *disp. 1. dub. 2.* per totam; si enim contractus sponsalitius ea omnia requirit, eâdem; imò potiori ratione requiret contractus Matrimonij, qui cùm sit contractus humanus, debet aliquo signo manifestari, &, cùm etiam Sacramentum sit, debet esse signum sensibile. Vtrum autem illa expressio externa sit solùm conditio necessaria vel aliquid de essentia contractus, *dub. 12.* declarabimus.

15. *Non sufficit simplex voluntas sed efficax intentio. Probatur.*

Nunc autem solum dicimus eam intentionem, seu consensum non sufficere, quòd sit simplex voluntas; sed requiri efficacem intentionem, videturq; significari in dicto *c. Tuo.* Ratio verò est; quia per hunc contractum transfertur mutuum dominium corporũ, quod tradi nequit absque cõsensu efficaci; nec sufficit, quòd procedat ex quacunque deliberatione; sed requiritur, quod procedat ex plenâ, & sufficiente ad peccatum mortale iuxta dicta in simili de contractu sponsalitio *disp. præcedenti dub. 2. in explicatione primæ conditionis.* Quæ doctrina potiori ratione locum habere debet in hoc contractu, quàm in illo, cùm sit contractus per se indissolubilis, & translatiuus dominij corporis in alteram personam ad commixtionem carnalem, & inductiuus grauis obligationis ex parte transferentis dominium; imò, neque intentio efficax quæcunque sufficit, si perseueret tantùm virtualiter in aliquo effectu (vt multi volunt) sed requiritur actualis, & procedens ex actuali deliberatione prædictæ traditionis, alioquin non erit consensus in se ipso humanus; quod intelligendum est iuxta dicta de contractu sponsalitio loco notato, & *dub. 3.* vbi de intentione, vel deliberatione virtuali diximus.

Deliberatio debet esse plena & sufficiens ad mortale.

16. Ex quo fit, vt amentes, dormientes, pueri, qui nondum ad perfectum vsum rationis peruenerunt, non possint validè matrimonium celebrare ex defectu plenæ deliberationis.

Illatum ex dictis.

DVBITATIO III.

An ad valorem, & essentiam Matrimonij consensus requisitus debeat ferri in mutuam corporum traditionem?

17. *Quid in hac re omnes admittant.*

QVod huiusmodi contractus, vtpote mutuus requirat consensum seu intentionem in mutuam translationem dominij corporum in ordine ad copulam omnes fatentur, quia talis mutua translatio est primarius effectus per se resultans ex ipso contractu Matrimonij, ad quem primariò ordinatur; omnis autem contractus essentialiter constat ex consensu voluntatis, & externâ sensibili pactione, seu signo manifestatiuo talis consensus: ergo tàm consensus, quàm pactio, seu signum externum ferri debet in mutuam illam translationem dominij corporum in ordine ad copulam; etiamsi necessarium non sit expressè ferri in eam translationem; quin sufficiat saltem confusè in id ferri, quod contractu Matrimonij fit, ex ipsoque resultat, id apprehendendo confusè, & etiamsi confusè tantùm ipsâ exteriori pactione, aut signis externis significetur.

18. *Surdus & mutus si videat & possit signis vti idque intelligat potest contrahere matrimonium. Sanchez.*

Hinc est, vt, qui simul surdus est & mutus; si saltem videat, & ita polleat ingenio, vt signis visu perceptis possit intelligere per contractum Matrimonij, quem vidit aliquando celebrari, aliquid fieri ordinatum ad copulam carnalem, possit Matrimonium validè contrahere, ac proinde in id consentire, & de eo signis pacisci. Secus verò, si etiam cæcus sit. Quâ de re legi potest Sanchez *lib. 1. disp. 8. à num. 12.* qui prædictam doctrinam tradit contra plures alios cum pluribus aliis. Vnde *in c. Cum apud* de *sponsalibus*, cùm esset quæstio de muto simul, & surdo dicitur *videtur, si talis velit contrahere, non debere sibi denegari.* Neque obstat, quòd alij contractus iure Ciuili prohibiti sunt surdo, & muto, eò quod facilè deciperentur, non satis cognoscentes contractus vim, nullibi tamen reperitur prohibitus cõtractus Matrimonij; esset enim durissimum, surdum, & mutum compellere continenter viuere, & remedium in libidinis ardorem à Deo naturæ Auctore concessum denegare. Legatur Sanchez loco citato.

Probatur ex iure Canonico.

DVBITATIO IV.

An consensus necessarius ad Matrimonium debeat ferri in perpetuitatem, prolem, & fidelitatem?

19. *Tria bona Matrimonij assignari solita.*

SOlent numerari prædicta tria bona Matrimonij, scilicet perpetuitas, proles, & fidelitas. Ex quibus primum communi Doctorum consensu explicitè, vel implicitè & confusè debet intendi, ita, vt nisi intentio aliquo modo feratur in perpetuitatem traditionis corporum, non sit intentio sufficiens, quia tantùm traditio perpetua est effectus ipsius contractus,

ctus; nullo autem modo temporaria, ad quam tanquàm nociuam proli, nulla est potestas in hominibus; tunc autem censetur ferri implicitè in perpetuitatem, quando contrahentes efficere intendunt id, quod in ipso matrimoniali contractu fieri potest, & solet ab aliis fieri. Vnde si in aliquibus gentibus fieret contractus cum intentione transferendi dominium non perpetuum, solumque efficiendi traditionem temporariam, non erit verum Matrimonium; habet enim aliquid repugnans illius substantiæ, iuxta dicenda *dub.*27.

20. *Prudens & rationi consonum factũ Patrum Societatis Iesu permittentium conuersis ad fidem eligere quam vellent vxorem ex pluribus.*

Ex hac doctrina constat, quàm sit rationi consonum, quod permisêre Patres nostræ Societatis Iesu, qui vacabant, & vacant conuersioni gentium ad Christianam fidem; nempe vt Gentiles, qui ad Fidem Catholicam conuertebantur, etiamsi repudiâssent primam vxorem, possent manere cum secunda, vel, etiamsi plures haberent, eligerent vnam, quâm vellent, vt cum illâ manerent Christiani iam facti, nimirum, quia nulla ex prædictis erat vera vxor, nec validè contraxerunt cum primâ; quia iuxta morem illarum gentium explicitè vel implicitè non ferebatur consensus, & intentio in perpetuitatem, quin potiùs ita contrahebant, vt liceret, quoties vellent, contractum dissoluere, quod est contra substantiam Matrimonij. Cùm ergo nullum præcessisset Matrimonium verum, non mirum, quod prædicti Patres permitterent illis (cum facilè illis persuadere non possent, vt primam vxorem retinerent) secundam, vel quam vellent eligere. Hac de re copiosè agit & sapienter more suo Eminentissimus Cardinalis Lugo *de Sacramentis disput.*8.*sect.*8. vbi exemplum adhibens in Abyssinorum Matrimonijs qui vtuntur repudio & afferens doctrinam Sanchezij loquentis de Matrimoniis Iudęorum, qui eodem vtuntur. Concludit primo num.128. quando illi schismatici Abissini contrahunt cum pacto expresso, vt possint vti repudio in casibus sibi permissis, etiam quoad vinculum, Matrimonium esse nullum. ita etiam Sanchez *lib.*2. *de Matrim. disp.*29.*num.*11. Concludit secundò cum eodem Sanchez *lib.*5.*disp.*12.& aliis *num.*5. idem esse de eo, qui contraheret eo animo interno, vt nolit contrahere, nisi ita, vt liceat vti repudio. Cõcludit tertiò idem esse, quando coniuges scientes licere apud ipsos repudium, ita contraxerunt vt, si scirent non licere, non contraherent. Ratio prædictorum omnium est, quia iam explicitè, vel implicitè videntur se nolle obligare ad perpetuitatem, quod est contra substantiam huius contractus. Hoc totum mihi placet & cõsonat datæ doctrinæ. Quartò verò concludit, quando contrahentes vel ignorabant omnino, an id vinculum esset perpetuum, vel etiam credentes esse indissolubile, non limitârunt intentionem in contractu ad id; sed habuerunt voluntatem generalem contrahendi Matrimonium validum, ita, vt illa ignorantia, vel existimatio se haberet comitanter, cùm etiam sine illa æquè contraherent; tunc (inquit) Matrimonium videtur validum & obseruandum, in hoc vltimo probando diu & eruditè effunditur. Primò probat ex vsu primitiuæ Ecclesiæ. Quia Paulus 1.*ad Corinth.*7. dicit fideli non discedere à coniuge infideli, si permittitur habitare cum illa, supponit ergo fuisse verum coniugium, & tamen tunc ex legibus Romanis licebat repudium. Poterant ergo cum tali scientia, etiam tunc, validè contrahere, atque adeò cum perpetuitate. Probat 2. ex *cap. Gaudemus de* diuortijs versiculo. *Qui autem* vbi Papa cum, qui in infidelitate repudiauerat vxorẽ, & aliam duxerat, ait cogendum esse post baptismũ redire ad priorem. ergo supponit primũ Matrimoniũ valuisse. Probat tertiò; quia etiam nunc inter Catholicos, si quis cum aliquo errore, vel ignorantiâ putans Matrimonium iuxta doctrinam Caietani, & Catharini posse dissolui quoad vinculum ex causâ adulterij, sic contrahat, validè contrahit, quia error priuatus non tollit quin habere possit aliam voluntatẽ generalem efficacem contrahendi verè & legitimè. Atque ita fieri putat posse inter Abissinos; idque putat consonare cum doctrina Suarij *tom.*2. *de Relig. Tract.*6.*de voto lib.*1.*c.*3.*n.*9. vbi ait eum, qui vult contrahere matrimonium ignorans vinculum esse perpetuum, adhuc validè contrahere, quia habet generalem intentionem faciendi illum contractum eo modo, quo tenetur, & ita includitur voluntas perpetuitatis, &c. Hæc omnia licèt absolutè mihi non displiceant, præsertim vltima ratio ex Suario, non video multum seruire posse ad praxim, quin potius eo ipso quod in communi patriæ, aut gentis consuetudine receptum sit repudium, & repudiandi facultas, videtur eo ipso in cõmuni modo cõtrahendi ita fieri, etiamsi quis nihil cogitet expressè de tali repudio, quia censetur velle contrahere iuxta morẽ aliorum, is autem est contrahendi sic. Nec oppositũ suadet, quod adducebatur ex Paulo, siue quia lex repudij, aut facultas illius non erat in omnibus nationibus subiectis Romano Imperio, in multis enim permittebantur prouinciæ vti suis legibus, potuit ergo esse vt Corinthiorũ plures aut omnes contraherẽt cũ perpetuitate. Adde quod Paulus ibi vnũ supponebat, & aliud explicabat. Nã in eo capite interrogationibus, quas ipsi Paulo scripserant, respõdebat & inter cæteras, vt apparet, erat de discessu aut separatione coniugũ, & dicit non debere fieri. Supponit verò legitimũ coniugium, & negat separari posse, an verò fuerit, & quatenus legitimum, ibi nõ explicat, aut definit Apostolus, nec de hoc quærebatur. Multò minùs probat, quod affertur ex *c. Gaudemus*, cuius Auctor est Innocent. III. qui floruit in Ecclesiâ, quando illa iã à mille annis à Christo fũdata habebat Christianos Imperat. & Reges, in quorũ ditionibus habitabant Pagani, qui vel tenebantur seruare perpetuitatem coniugii propter leges Ciuiles Principũ Christianorũ, vel poterant contrahere more eorũ, inter quos erant, vbi poterat esse abrogatus iam vsus repudii. Itaq; doctrina à nobis data est pro iis, qui vel expressè, vel virtualiter contrahũt cum eâ conditione nõ perpetuitatis; id autem existimamus, etiam posse habere locũ etiamsi nihil de perpetuitate cogitârint eo ipso quòd contrahant inter eas nationes, & gentes, in quibus sic est vsu receptum, vt connubia non sint perpetua. Tũc enim censendum est virtualiter ita voluisse iuxta morem patriæ, in qua

Card. Lug.

Sanchez.

Ratio prædictorum. Prædicta placent. Addit Lugo vlterius.

Latè & cũ eruditione hoc vltimũ probare conatur. Probat. 1. ad Cor. 7.

Probat 2.

Probat 3.

Citat in sui fauorem Suarium.

Prædicta licet absolutè admittãtur non multum videntur posse seruire ad praxim.

fit contractus, nisi aliunde oppositum probetur. Doctrina verò Suarij alioquin vera nihil obest, quia generalis intentio, de quâ ibi loquitur, est illa, quâ *qui sic promittit, vult promittere vt tenetur, & vt alij solent promittere*, & in casu dubij dicendus sic voluisse, quia, vt dicebamus *disp. præced. dub.* 40. *n.* 623. fortissima præsumptio sumitur ex communiter contingentibus, nemo autem communiter vult contrahere, nisi, vt in simili alij solent.

21. *De alijs duobus bonis matrimonij, prole scilicèt, & fidelitate quadã certa.*

Quod attinet ad alia duo bona Matrimonij, scilicet prolem & fidelitatem, consentiunt Doctores necessarium non esse, quòd consensus, seu intentio in ea duo feratur, quia generatio prolis, & seruatio fidei non fiunt per ipsum consensum, non est autem necessarium ad valorem contractus, quod consensus feratur in id, quod per ipsum non fit. Nã consensus internus, & verba, seu signa externa, ex quibus cõtractus coalescit, solùm requiruntur, vt mediis illis aliquid fiat. Tota iam difficultas est circa hæc duo; an scilicèt intentio contraria proli, nempe vitãdi illam, & intentio fidelitati contraria, scilicèt intentio non reddendi debitum, & adulterandi, Matrimonij valorem impediat?

Quædam cõtrouersa. Status controuersiæ proponitur.

22. *Quorumdã sententia est defectus illarum impedire valorem Angelus.* Henriq. Per. Soto. *Alij apud* Sanchez.

Non desunt Auctores graues, qui putent impedire valorem. Ita Angelus *Matrimonium* 2. *num.* 23. Henriquez *vndecimo de Matrimonio c.* 12. Petrus Soto *lect.* 26. *de Matrim.* & alij apud Sanchez *disp.* 29. *n* 9. *lib.* 2. *de Matrimonio.*

23. *Sententia negans præfertur. Sanchez & multi apud illum.* Conine. Ochagau. *Recentiores.*

Alij verò putant intentionem contrariam proli & fidelitati non nocere valori contractus Matrimonij. Ita docet Sanchez *citatâ disput.* 29. *num.* 11. cum multis aliis, quos refert. Quibus adde Coninc *disp.* 24. *dub.* 4. Ochagauia *dub.* 4. & alios Recentiores. quæ sententia mihi placet.

24. *Aduertendi sunt. Duo modo quibus potest intentio in prædicta ferri. Primò Secundò.*

Atque in primis aduertendum est duobus modis posse ferri intentionem in prædicta. Primò vt intentio sit de facto obseruandi, & præstandi prolis generationem, & mutuam fidem ac redditionem debiti, & non adulterandi. Secundò vt animus feratur in obligationem sic faciendi, sine animo tamen, talem implendi obligationem, sicut, si quis vellet emittere votum, & obligari voto ad aliquid faciendum, non tamen haberet animum implendi votum, & præstandi id, ad quod se obligauit.

25. *Aduertendũ vlterius 2. pro statu præsentis cõtrouersiæ.*

Aduertendum secundò nos nunc non disputare, an valeat Matrimonium, quando aliquid deducitur in pactum, quod opponatur prædictis bonis, prolis, fidei, aut etiam perpetuitatis? De hoc enim posteà *disputatio* 5. *dubit.* 11. & 12. disputabimus; sed solùm, an valeat, quando tale quid à contrahentibus intenditur sine deductione in pactum? Hoc supposito probatur nostra sententia; quia valori contractus Matrimonij non nocet, nisi sola intentio incompossibilis cum intentione necessaria ad valorem illius; neutra autem intentio ex dictis incompossibilis est cum illâ, cui non opponitur alia intentio, quàm intentio non efficiendi id, quod contractu ipso valido immediatè efficitur; eo autem contractu immediatè, & primariò tantùm efficitur mutua corporum traditio in ordine ad commixtionem carnalem, & mutua obligatio ipsi traditioni ex aduerso correspondens in vtroque contrahente. Quidquid verò aliud ex contractu ipso efficitur, non prouenit immediatè ex ipsâ essentia, & naturâ cõtractus; sed est quid resultans ex ipsa traditione, & obligatione absque nouo aliquo consensu superaddito. Huic autẽ intentioni tradendi mutuò corpora ad coniugalem vsum, & ad illum se mutuò obligandi, non opponitur intentio vitandi prolem, siue per venena, aut pharmaca sterilitatis, siue aliis mediis; neque etiam opponitur intentio non seruandi fidelitatem; sicut enim ipsa euitatio prolis, & non obseruare fidelitatem, non sunt incompossibilia cum mutuâ traditione & obligatione; sed solùm sunt violationes iuris traditi, & obligationis contractæ; ita similiter intentio euitandi prolem, & non seruandi fidem, non sunt incompossibiles cum intentione efficiendi traditionem & contrahendi obligationem; quamuis alioquin sint intentiones violandi ius acquisitum per traditionem, & violandi obligationem, solumque in hoc sensu dicantur esse contra intentionem essentialem Matrimonij, non verò, quia simul cum illa existere non possit. Vnde contra hanc sententiam hoc modo explicatam nihil probat fundamentum aduersariorum, qui solùm fundantur in eo, quòd generatio prolis & obseruantia fidei pertineant ad substantiam huius contractus, atque adeo intentio ipsis, aut cuilibet ipsorum contraria impediet contractus valorem. Respondetur enim, illa duo solùm pertinere tanquàm effectus remotos, & extrinsecos illius contractus, atque adeò intentiones illis contrarias non esse contra substantiam contractus, & effectum primarium, & essentialem traditionis, & obligationis Matrimonii in ordine ad commixtionem carnalem.

Probatur vera sententia.

Occurritur argumento aduersariorum.

DVBITATIO V.

An consensus Matrimonij requisitus debeat explicitè ferri in copulam?

26. *Affirmans sententia.* Medina. *Absque fundamento. Cæteri auctores negãt requiri eam intentionẽ. Ratio.*

AFfirmat Medina *lib.* 5. *de Sacror. hom. continentiâ cap.* 70. Vbi requirit expressum consensum in copulam, nullum tamen profert idoneum argumentum. Ideò cæteri omnes contra ipsum consentiunt, non requiri intentionem seu consensum, qui expresse feratur in copulam, nam ad valorem huius contractus satis est, si expresse consensus feratur in id, quod per ipsum immediatè fit; cætera enim omnia resultant, ex effectu immediato absque vllo superaddito consensu; copula autem non fit per contractum Matrimonii.

27. *Cõtrouersia restat de consensu implicito, seu tacito. Multi affirmant & in aliquo sensu non potest negari. Ratio.*

Tota ergo difficultas est, an sit necessarium, vt consensus implicitè seu tacitè feratur in copulam? plurimi affirmant, plurimi etiam negant. Sed omissis aliis, quæ in hoc negotio, fusè disputantur à quibusdam, non videtur posse negari, quin aliquâ ratione debeat ferri consensus in copulam; nam, si ferri debet directè, vt dictum est, in mutuam corporum traditionem, in ordine ad copulam, & mediâ traditione in mutuam obligationem ad eandem copulam; fieri non potest, quin respectus ad copulam inuoluatur.

28. Verum enimuerò, quia copula ipsa nõ est propriè

Copula non est effectus requisiti cõsensus, sed obiectum tantum.

priè effectus prædictæ traditionis, & obligationis, in quas necessariò debet directè ferri consensus; sed tantùm est purum obiectum, aut extremum, quod respiciunt. hinc est, vt, quamuis consensus debeat directè ferri in prædictam dominij corporum traditionem, & obligationem, nõ sequatur, quòd affectus debeat implicitè ferri in copulã, sed solùm, quòd copula debeat connotari indirectè, & in obliquo, quia id, quòd tantùm est purum obiectum, aut purum extremum, & non effectus, non inuoluitur, & continetur in eo, cuius tantùm est obiectum, & extremum.

29. *Ex dictis probatur intentionem contrariam copulæ non impedire valorem matrimonij. Plerique consentiunt. Ratio à simili.*

Hinc est vt intentio contraria copulæ, id est intentio non vtendi Matrimonio, nõ impediat, aut tollat valorem contractus matrimonij. In quo plerique Doctores consentiunt, ea namque intentio non est incõpossibilis cum intentione tradendi dominium corporis ad dictũ, & se obligandi ad illud, sicut intentiõ non implẽdi votum; vel non faciendi id, ad quod per votũ obligatur, non est incompossibilis cũ ipsa voluntate vouendi, & se obligandi; atque adeo cum ipsa obligatione voti. Ratio verò in nostro casu est; quia prædicta traditio, & obligatio sufficiens est materia substantialis contractus matrimonij, & effectus immediatus illius contractus. Ex quo effectu semel posito resultant vel oriuntur cæteri effectus, si qui sunt alij. Hanc eandem doctrinam aliis verbis, & latius videtur tradi à Perez *disp.* 13. *sect.* 4. sed dicta sufficiũt in re, quæ, nisi fallor, non multum habet difficultatis.

Applicatur ratio & doctrina præsenti materiæ.

Perez.

DVBITATIO VI.

An sit possibile Matrimonium absque consensu contrahentium?

30. *Assertio 1. negatiua. Ratio.*

Assero primò, contractus Matrimonij absque consensu contrahentium nullâ potẽtiâ, etiam diuinâ fieri potest. Ratio est efficax, quia contractus essentialiter est aut coalescit ex consensu, & signis exprimentibus illum; sicut homo ex animâ rationali & corpore. Ergo sine his fieri non potest contractus. Dubitari autem solet; an status ipse Matrimonialis, qui transacto contractu permanet, possit fieri absque consensu contrahentium.

Quid de ipso statu manente post contractum?

31. *Quæstiũ 1. circa hoc, an id possit potestas humana? Argumentũ ex iure Canonico.*

In qua re quæri potest primò an fieri possit à Republica Humana, v.g. ab Ecclesia. Atque inprimis videri potest alicui non esse impossibile; nam *in cap. is qui fidem de sponsalibus* decernitur sponsalia transire in Matrimonium per copulam subsequentem. *& c. finali de conditionibus appositis.* decernitur Matrimonium sub conditione impossibili valere, cùm tamen in prædictis casibus sæpe deficiat consensus: ergo potest Ecclesia absque coniugum consensu illos verè coniuges efficere.

32. *Nihil inde probatur.*

Hi tamen Textus, si recte expendantur, nihil probant. in illis enim tantùm decernitur prædicta Matrimonia habenda esse valida in Ecclesiâ, quia in iis casibus præsumit contrahentes consensisse, tamque uehementi ducitur præsumptione, vt nullam in contrarium probationem admittat; nullum autem est verbum, in quo significetur Matrimonium sine coniugum consensu valere. Videatur Diana infra citandus.

Diana.

Asserendum ergo est secundò (in quo Doctores conueniunt) statum Matrimonialem non posse fieri ab Ecclesia absque consensu contrahentium. Ita docent innumeri, quos refert & sequitur Sanchez *lib.* 2. *de Matrimonio disputat.* 27. Coninc *disput.* 24. *dub.* 5. *& alij.* Recentiores, variisque rationibus probari solet, quibus vtitur Sanchez *supra numero* 2. quæ sunt quidem non contẽmnendæ congruentiæ petitæ ex fine Matrimonij ordinati ad sobolis educationem, mutuumque amorem, vt ideò non expediat fieri, sine consensu coniugum, item petitæ ex perpetuitate vinculi Matrimonij, vnde videtur congruere, quòd fiat consensu contrahentium, ne violentè fiat, quia nihil violentum est perpetuum. Quæ etiam satis infirma probatio est, tùm, quia illud axioma plurimas habet expositiones, & tantùm dictum fuit à Philosopho in rebus physicis, in quibus etiam suas habet limitationes, ita, vt multa sint in rebus physicis, quæ extra locum naturalem, atque adeò violẽter existant, & tamen sic permansuræ sint vsque ad finem sæculi; tùm, quia in rebus etiam moralibus, imò in ipso matrimonio sæpè contingere potest esse aliquid violentum, id est cõtra voluntatem, & esse perpetuum, sic videmus plures coniugatos, plures etiam Religionẽ professos, qui mutatâ voluntate priori, qua contraxerunt, & professi sunt, satis violenter, & inuitè manent in eodem statu, & tamen status est perpetuus, & indissolubilis; imò ab initio fieri potest non parua violentia, vt cum quis iustè cogitur à legitimo superiore Matrimonium cõtrahere, quod non contraheret, nisi inuitus.

33. *Assertio 2. Non posse id fieri ab Ecclesia sine consensu cõtrahẽtium. Consensus Doctorum. Sanchez. cum multis Coninc. Recentiores. Plures rationes congruentiæ sunt, nõ vero efficaces.*

34. *Alia rationes ab incõuenienti. Sanchezij. Ratio.*

Aliis rationibus probari solet ab inconueniente. Sic probat Sanchez, dum ait, omne vinculum per Rempublicam factum posse dissolui; Matrimonium autem consummatum nullâ humanâ potestate dissolui posse. Vnde, si humanâ potestate fieret, humanâ potestate dissolueretur. Hæc etiam ratio satis infirma est, neque enim semper, quod humanâ potestate fit, humanâ potestate dissolui potest, vt videre est in ipso matrimonio, quod humanâ potestate contrahentium, & mutuo illorum consensu fit, & tamen non potest illorum mutuo consensu dissolui, non solùm consummatum; sed neque tantũ ratum. Vnde non sequitur aliud inconueniens, quod infert Sanchez scilicet, quod alioquin Ecclesia posset separare vxorem à viro, & tradere eam alteri; sicut enim non possunt ipsimet contrahentes id facere, semel inito contractu: ita posset intelligi quædam potestas data Ecclesiæ ad efficiendum quidem vinculum matrimoniale inter virum & vxorem, non tamen ad illud dissoluendum.

Non satis efficax ratio. Alia ratio ab inconuenienti etiam infirma.

35. *Præcipua & vnica ratio.*

Ideò præcipua, & vnica ratio sit, quod ex nullo iure vel ratione constet talem inesse potestatem Reipublicę humanæ ex naturâ rei, vel illi specialiter datam esse à Deo, quia Respublica, quæcunque tantùm habet potestatem supra res & corpora ciuium, quatenùs bono publico expedit; huic autem non videtur expedire, vt

vir & femina contra eorum voluntatem vinculo Matrimonij adstringantur: ad probandum autem, quòd non expediat, prodesse possunt prædictæ congruentiæ petitæ ex mutuo amore, qui debet esse inter coniuges, & ex sobolis educatione ab vtroque præstandâ.

36. *Solùm potestas prædicta se extendit ad compellendum si oporteat pro bono communi vt ipsimet contrahant.* Sanchez. Coninc. Henriq. Ledesm. *Recentiores.* Diana.

Solùm ergo Reipublicæ, vel Ecclesiæ; aut Principi concedi debet, quòd, quãdo bono comuni valdè expediret, possint compellere vitum ad ducendam aliquam, vel è contra illam, vt alicui nubat; ipsis tamen inuitis Matrimonium cõstituere nequeunt. Ita Sanchez *supra num.*3. Coninc *disp.*24. *dub* 5. Henriquez *lib.*11. *de Matrimonio cap.*6. *num.*7. Ledesma 2. *part. quarti art.*1. & alij Recentiores satis multi vide Dianam infra citandum.

37. *An saltem possit fieri à Deo. Duo certa in hac re. Primum. Perez post alios. Basilius merito reijciendus in hoc.*

Solùm restat difficultas; an possit fieri à Deo in qua re certum primò sit Deum tanquàm supremum omnium Dominum posse dare dominium viro in feminam, & feminæ in virum corporum in ordine ad commixtionem carnalem, & generationem absque vllo eorum consensu, & omnino independenter ab illo, ita etiam post alios nouissimè Perez *disput.*13. *sect.*1. *num.*4. circa finem, & ex instituto *disput.*14. *sect.*6. vbi rectè contra Basilium immerito impugnantem nostrum Sanchez agit, & probat rectè illum rem totam & explicuisse & diuisisse, & Deum id posse. Legatur idem Perez *eadem disp.*14. *n.*5.

38. *Secundum certum in hac re.* Sanchez. Palatios. Ledesma. *Cæteri DD.*

Certum deinde sit, non posse à Deo fieri contractum ipsum Matrimonij, atque adeo Matrimonium, vt appellant, causale absque partium consensu; est enim consensus essentialis contractui, & illo deficiente contractus subsistere non potest. Ita Sanchez *lib.*2. *disp.*26. cum Palatios, & Petro de Ledesma, consentiuntque Doctores.

39. *An sine consensu possit fieri à Deo vinculum.*

Solùm ergo restat difficultas; an independenter ab eorum consensu possit fieri à Deo ipsum Matrimonij vinculum?

40. *Dissident auctores fortè solùm verbis.*

In quà re video Auctores dissidentes, & nescio, an hoc dissidium verbis tantùm, & non re ipsâ consistat.

41. *Prima sententia negans.* Filliucius. Ochagau. Sanchez. *Supplementum* Gabrielis. Adrianus. Ledesma. *Aliqui Thomistæ.* Basil Pont. *Relatus à Dianâ & à Perez. Rationibus ineffi cacibus probant. Probatur* 1. *Ruit ex dictis ea ratio.*

Prima ergo sententia negat posse tale vinculum absque consensu constare. Ita docet Filliucius *de Matrimonio cap.*3. & Ochagauia *Tractat.*2. *quæst.* 8. Sanchez *citata disputat.* 26. *num.*5. referens supplementum Gabrielis, Adrianum, Petrum de Ledesma, & ex ipso aliquos ex discipulis Diui Thomæ; sed supplementum, & Adrianus solùm dicunt consensum esse de essentia Matrimonij, quod intelligi potest de ipso contractu, qui Matrimonium etiam solet appellari. Eiusdem sententiæ est Basilius Pontius *lib.*2. *cap.*3. quem referunt Diana 8. *parte tractat.*1. Resolut.82. & Perez *disput. illâ* 14. *num.*4. quam variis rationibus probant satis inefficacibus in vno sensu, quidquid sit in alio: ideò aliquas omitto. Probari autem potest primò, quia consensus est de essentia Matrimonij, hoc tamen iam diximus solùm esse verum in Matrimonio quatenùs contractus est; de ipso verò, vt est vinculum assumunt probandum; de hoc enim est controuersia; quando enim quærimus; an Deus sine vllo possit efficere vinculum, necessariò inuoluimus, & supponimus quæstionem; an consensus sit de essentia vinculi; nam, si hoc constet; constabit non posse fieri à Deo vinculum sine consensu. Probant secundò quia Matrimonium est coniunctio, aut vinculum mutuum animorum: ergo nequit fieri absque mutuo illorum consensu. Hoc etiam argumentum nullius momenti est, solùm enim dicitur vinculum animorum, quia solet esse occasio; & motiuum mutui amoris; non, quia essentialiter consistat in animorum vnione, alioquin non perseueraret vinculum, quoties coniuges animo dissiderent. Tertiò probãt, quia vinculum Matrimonij est relatio quædam consurgens ex mutuo coniugum consensu, tanquam ex fundamento: ergo nequit absque illo fieri à Deo, sicut nec paternitas in aliquo esse potest absque generatione ab eo proueniente. Quæ ratio longè probabilior est præcedẽtibus, vt ex dicendis constabit, & videbimus quo sensu sit admittenda. Quartò probant à simili status Religiosi, qui nequit à Deo in aliquo fieri absque eius consensu libero: ergo neque status matrimonialis. Hæc etiam ratio est satis probabilis, vt postea videbimus.

Probatur 1. *Nullius momenti ratio. Tertio probatur. Probabilior est ea ratio quo sensu sit admittenda dicetur posteà. Quartò probatur à simili. Idem iudicium est de hac & de tertia ratione.*

42. *Secunda sententia affirmans. Probatur.*

Secunda sententia omnino affirmat posse à Deo fieri vinculum absque consensu partium; quia nihil aliud est vinculum, quàm mutua radicalis obligatio ex aduerso correspondens mutuo dominio corporum, quâ coniuges mutuò manent ligati, & obligati in ordine ad commixtionem carnalem iuxta dicta *dub.*1. Potest autem Deus, vt diximus, & omnes vtriusque sententiæ Auctores admittunt; tanquàm supremus Dominus transferre dominium corporum mutuum absque coniugum consensu: ergo etiam vinculum ex aduerso correspondens prædicto mutuo dominio. Nam eo ipso, quòd vni detur dominium corporis alterius resultat in illo altero obligatio, quâ tenetur illi personæ, cui datum est dominium. Ex quo hi Auctores colligunt statum Matrimonialem permanentem transacto contractu, & ab eo relictum constare ex vinculo, & ex dominio mutuo, ex quo dominio vinculum, seu obligatio consurgit. Ita multi apud Sanchez *supra num.*2. Item Valentia *disput.*10. *quæst.*3. *puncto* 1. Henriquez 11. *de Matrimonio cap.* 1. & Coninc *disputat.*24. *dubitatio quinto.* Mæratius *disput.*7. *sect.*1. Auersa Tannerus. Caspensis Beccanus & alij quos refert & sequitur Diana loco citato.

Multi apud Sanchez. Valentia. Henriq. Coninc. Mæratius. Auersa Tannerus. Caspensis. Becanus. *Diana cum alijs.*

43. *Non videntur oppositæ omnino prædictæ sententiæ, sed vera aut proximæ veritati. Explicantur & conciliantur.*

Sanè prædictæ sententiæ, si velimus quid vtraque contendat expendere, non omnino mihi videntur oppositæ; imò vtraque vel vera est, vel satis propè ad veritatem accedit, atque in primis non videtur posse negari eo ipso, quòd Dominium transferatur à Deo, ex ipso dominio translato resultare obligationem prædictam, & vinculum mutuum & obligationẽ respondentẽ ipsi dominio, in quo non dissentit prima sententia à secunda. Vnde, sicut potest intelligi dominium mutuum sine mutuo consensu causatum à Deo; ita potest intelligi vinculum mutuum, seu mutua obligatio inde sine consensu partium resultans. Cumque illud vinculum, seu obliga-

tio sit in ordine ad generationem prolis, quâ mulier fiat mater, hinc est, vt illud vinculum, & obligatio simul cum dominio, à quo procederet, non minùs diceretur matrimonium, seu vinculum, & dominium matrimoniale, & ille status ex tali dominio, & vinculo coalescens non minùs propriè diceretur status matrimonialis, quàm nunc dicitur dominium, & vinculum matrimoniale, statusque matrimonialis; neque in hoc video posse dissentire Auctores vtriusque sententiæ. Tota ergo difficultas iam est an illud dominium, & illud vinculum, & ille status matrimonialis, quæ tunc essent causata à Deo sine consensu partium, essent eiusdem rationis; atque dominium, vinculum, & status, quæ nunc sunt.

In quo videatur esse aliquid controuersia.

44. *In quo sit præferenda prior sententia, si fortè in eo dissentiat à posteriori. Id probant tertia & quarta ratio prioris sententiæ.*

In hac re mihi magis placet prima sententia (si tamen in eo opponitur secundæ) scilicet, vinculum & statum, quæ nunc sunt non esse adæquatè eiusdem speciei cum vinculo, & statu, quæ tunc essent, ac proinde vinculum, & status, quæ nunc sunt, non posse à Deo causari sine consensu partium. Atque hoc videtur esse, quod probant tertium, & quartum argumentum primæ sententiæ, scilicet, quòd relatio moralis vinculi, & obligationis, & moralis status matrimonialis, qui nunc est, non possit prouenire; nisi à fundamento, quod nunc est, scilicet, à consensu mutuo, qui nunc est, item, quod, licet Deus possit constituere hominem obligatum ad seruandam paupertatem, Castitatem, Obedientiam in Ordine v.g. Franciscano cum omnibus suis obligationibus, atque in hoc sensu possit dici obligatio illius hominis obligatio Religiosa, seu obligatio Religionis, & status Religiosus; illa tamen obligatio, & status non esset obligatio, aut status eiusdem rationis cum obligatione, & statu, quæ nunc sunt. Nam quæ nunc sunt; sunt obligatio, & status essentialiter requirentes fundamentum oblationis, & promissionis, & dationis fidei illius ipsius hominis, qui manet obligatus, & in statu Religioso. Vnde illa obligatio ita est obligatio, vt non quæcunque obligatio sit; sed fidelitatis propriâ voluntate inducta, & verbis promissionis à se prolatis. Vnde non implens obligationem, infidelis dicitur, & frangens fidem. Hac ergo ratione dicimus obligationem, seu vinculum, & statum Matrimonij, quæ nunc sunt, ita petere consensum coniugum pro fundamento, illumque essentialiter requirere, vt adæquatè tale vinculum, & status aliunde non possint prouenire, quàm ex tali consensu; illa enim obligatio, & vinculum ita est iustitiæ obligatio comparatione dominij mutui, vt sit cuiusdam iustitiæ, quæ obliget ex quadam fidelitate ibi imbibita, ita, vt non seruans obligationem matrimonij, dicatur frangens fidem, & obligationem fidei præstitæ. Talis autem non esset, nisi præcessisset consensus, quo se sibi mutuò obligârunt ad seruandam fidem. Vnde qui coniuges haberent mutuum dominium datum à Deo in corpora, si non sibi mutuò debitum redderent, aut corpus alteri ad copulam traderent, essent quidem iniusti, vtpotè non implentes obligationem iustitiæ ortam ex dominio, quod habet alter in alterum, non tamen essent infideles, nec frangerent illud vinculum, seu obligationem iustitiæ, quæ resultat ex contractu & verbis, fideque datâ mutuò alteri ab altero, ideò dixi illud non posse adæquatè fieri à Deo sine consensu contrahentium.

45. *Colligitur & ostenditur discrimen inter vtrũque vinculum.*

Ex quo patet distinctam esse relationem obligationis, quæ oritur ex contractu Matrimonij rebus existentibus, vt nunc sunt, atque esset illud vinculum, quod à Deo immediatè causaretur.

46. *In quo iã sit locus controuersiæ inter vtrãque sententiam.*

Iam ergo solùm in eo dissidium indiuisibiliter esse potest inter vtramque sententiam; an supposito, quod obligatio fidelitatis; & illius iustitiæ, quæ simul secum inuoluat fidelitatem, non possit fieri à Deo absque consensu coniugum, saltem obligatio meræ iustitiæ, quæ resultat ex dominio, & iure iustitiæ sit eiusdem rationis in vno casu, atque in altero ita, vt dominium quoque, & ius iustitiæ, quod Deus transferret in vno casu, & quod de facto homines transferunt in alio, sit omnino eiusdem rationis?

47 *In quo videatur secunda sententia primã superare.*

Atque in hoc videtur secunda sententia vincere primam, dum contendit dominiũ translatum à Deo in vno casu, & dominium translatum à coniugibus in alio esse eiusdem rationis; atque adeò obligationem, & vinculum meræ iustitiæ esse eiusdem rationis in vno casu, & in alio, ideoque obligationem, & vinculum matrimoniale iustitiæ, quæ nunc est proueniens ex consensu, & contractu coniugum, posse causari à Deo sine tali consensu: sicut enim in cæteris rebus dominium acquisitum vno, atque alio titulo alioquin sufficienti ad illud acquirendum, eiusdem rationis est, à quocunque titulo proueniat; idem erit in Matrimonio. Exempli causâ, dominium gemmæ, aut alicuius rei prætio æstimabilis adquiri potest titulo donationis, vel emptionis, aut hæreditario, aut titulo præcedentis promissionis liberalis, & tamen, quod attinet ad iustitiam, dominium semel acquisitum eiusdem rationis est, & obligatio dandi talem rem, si quis illam retineat ipso inuito post acquisitum dominium, vel obligatio illam non auferendi eiusdem etiam rationis est, quamuis fortè in aliquo ex prædictis contractibus, seu titulis acquirendi dominium, simul inuoluatur obligatio fidelitatis, vt in titulo promissionis.

48. *Concluditur ita tota resolutio ex dictis.* Perez. *Alij.*

Habemus ergo ex dictis, dominium & obligationem iustitiæ, quæ est in Matrimonio, causari posse à Deo absque consensu partium, vt vult secunda sententia, quod docent alij apud Perez supra præsertim *num.* 8. & ipsemet auctor probat *num.* 10. Tale autem vinculum quod simul inuoluat illam obligationem, quæ oritur ex mutuâ fide datâ, ratione cuius coniuges obligentur ad seruandam fidem; non posse prouenire à solo Deo, atque hoc meritò vult prima sententia. Cùm ergo status matrimonialis, qui nunc est, coalescat ex dominio mutuo translato ex consensu partium, & ex obligatione tum iustitiæ, tum fidelitatis seruandæ, non poterit status, qui nunc est à Deo sine consensu partium causari, atque in hoc sensu vera est prima sententia, quam defendit post alios Basilius relatus à Perez supra. Multa alia, quæ con- Basilius.

geruntur ab aliis circa hoc consultò omitto, quia explicata sententia, vt à nobis explicata est, tollit ni fallor difficultates, & cessant contra illam pleraque argumenta.

49. *Quid de Matrimonio Adami? Affirmans sententia fuisse à Deo. Non fuit à solo Deo. Sanchez. Coninc. Explicantur verba Matth 19.*

An verò matrimonium Adami factum fuerit à Deo absque ipsius & Euæ consensu? Non desunt, qui putent ita factum fuisse iuxta illud Matthæi 19. quos Deus *coniunxit, homo non separet.* Id tamen non videtur affirmandum: nam (vt notarunt Sanchez & Coninc supra) non expediebat matrimonium illud primorum parentum fieri absque illorum consensu, cùm futurum esset norma aliorum. Illa verò Matthæi verba non solùm de illo, sed de omni matrimonio intelligi debent, vt colligitur ex contextu; non, quia Deus se solo efficiat matrimonij vinculum, sed quia ipse excitauit, imò & instituit matrimonia, & eorum celebrationem approbauit. De quo dicemus *dub.* 23. De matrimonio Oseæ etiam aliqui dubitarunt sed absque fundamento. Ideò non immoror in hoc. Videatur Diana loco citato.

DVBITATIO VII.

An, qui se falsò putat inhabilem ad matrimonium, possit habere consensum idoneum ad illud?

50. *Aliquare-missiuè præmittuntur.*

PRo hac dubitatione omnino videre oportebit, quæ diximus tractat. 1. de Sacramentis disp. 3. dub. 8. & 11. vbi doctrina hic tradenda ex instituto explicatur, & probatur, & in posteriori loco ponitur substantia decisionis dubij præsertim *num.* 258. *& seq.* Quo supposito solet, aut potest aliquando contingere, vt contracturus matrimonium alteruter, vel vterque sciat impedimentum iuris dirimens matrimonium; falsò tamen existimet tale impedimentum hîc, & nunc adesse. In quo casu quærimus, an sic errans errore facti; sed non iuris possit habere consensum sufficientem. Nam, quando simul est error iuris, omnes fatentur valere matrimonium, & consensum non deficere; quamuis enim putet habere talem rem, aut circumstantiam, quam reuera non habet, & quam, si haberet, verum esset impedimentum dirimens, & ipse quoque simul falsò putet illud non esse impedimentum, etiamsi adsit, non est vnde consensus ille ad matrimonium requisitus deficere possit in eo casu.

Casus, in quo præsens dubitatio habet locũ.

51. *In casu erroris facti non iuris est præsens quæstio. De errore iuris postea agetur.*

Nunc ergo loquimur in casu erroris facti, cum quis putat se esse impeditum, cum reuerâ non sit. De errore autem iuris quantumuis non facti, etiam dubitari potest an possit esse consensus, quando quis putat esse iure inductum impedimentum, cum reuerâ non sit tale impedimentum iuris. De hoc autem postea incidenter dicemus.

52. *Supponendum.*

Atque inprimis supponendum est id, quod certum videtur, scilicèt posse esse sufficientem consensum, quando quis ita falsò existimat sibi esse impedimentum dirimens, vt simul habeat aliquam formidinem oppositæ partis, & ob id habeat consensum, seu intentionem transferendi dominium sui corporis, & se obligandi sub conditione, si alioquin habilis sit, & possit, tunc enim concipit mente, quod fortasse erit habilis, quamuis absolutè iudicet oppositum; cum eo autem conceptu potest habere prædictam voluntatem efficacem sub conditione, quæ, cùm sit sub conditione præsenti verâ, & subsistente, absolutè est efficax; atque adeo sufficiens ad contractum.

53. *Status præsentis quæstionis.*

Solùm iam est difficultas, an, qui firmiter & absque vlla hæsitatione putat se esse inhabilem, habereque impedimentum dirimens, possit habere consensum sufficientem ad valorem, vt, qui putat se esse cum aliâ superstite coniugatum, & tamen illa interiit, vel esse consanguineum in gradu dirimente cum eâ, cum quâ vult contrahere, cum reuerâ non sit.

54. *Prima sententia affirmans. Couarr. Multi tam iurisperiti quàm Theologi apud Sanchez. Præcipuum fundamentum. Declarat à simile.*

Prima sententia affirmat. Ita Sanchez *libr. 2. disputat. 33.* Couarruu. 4. *Decretal. p. 2. c. 3. §. 7.* & alij multi iurisperiti ac Theologi apud Sanchez, qui multis probat, sed præcipuum fundamentum est, quòd prædictus possit habere intentionem, consensumúe efficacem sub conditione, si possit; quæ intentio sufficit, perinde, atque Hæreticus, aliusúe infidelis absque formidine putans Baptismum non esse Sacramentum, nullamque vim habere; potest validè baptizare sub conditione, si fortè sit Sacramentum.

55. *Secunda sententia negans. Ratio.*

Secunda sententia negat; quia nemo potest seriò, & efficaciter velle id, quod absque formidine aliquâ credit esse impossibile; neque enim tunc potest absolutè, nec sub eâ conditione, si fortè possit; quia (vt supponimus) non concipit, quòd fortè possit, quòd si id conciperet; formidaret. Neque exemplum Hæretici putant esse ad rem; nam ille absque formidine putans Baptismum non esse Sacramentum, quamuis possit validè baptizare, non est, quia sub eâ cõditione baptizet; sed; quia potest simul intendere facere, quod Christus instituit, aut, quod vera Ecclesia facit, quidquid illud sit, atque hoc sufficit ad valorem Baptismi, quia eo ipso confusè intendit efficere Sacramentum; in illo enim obiecto scilicet, quod Christus instituit, aut, quod vera Ecclesia facit, confusè continetur Sacramentum. Qui verò absque vllâ formidine sibi persuadet se non posse accipere Mariam in vxorem, non potest his verbis *accipio te in vxorem* intendere eam in vxorem accipere; quia nimirum Auctores huius sententiæ putant non solùm expressè; sed neque confusè posse intendere aliud obiectum, in quo istud contineatur. Ita sentiunt Nauarrus *c. 22. num. 56.* Sylvester *verbo matrimonium* 8. *q. 18.* Angel. *matrim. 3. impedimento 5. num. 5.* & alij apud Sanchez *disp. illa 33. num. 1.* quos sequitur Coninc *disp. 24. num. 53.* Atque hæc secunda sententia satis probabilis videtur.

Respondet simili allato à priore sententiâ. Nauarr. Sylvester. Angelus. *Alij apud Sanchez.* Coninc. *Probabilis est ea sententia.*

Mihi tamen etiam in aliquo casu placet prima; imò ex eisdem fundamẽtis, quibus respondent Auctores secundæ fundamentis primæ; videtur posse prima probari; nam non minùs in matrimonio; quàm in Baptismo potest quis habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vel, quod faciunt alij cæteri, quando contrahunt matrimonium; si enim, quando

56. *In aliquo casu placet prima sententia. Ratio.*

Hæreticus

Hæreticus ille baptizat sibi certò, & sine formidine persuasus Baptismum rem esse prorsus inanem, potest adhuc validè baptizare; quia simul potest habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel Christus instituit: ita similiter, si quis falsò putaret se esse impeditum ad contrahendum matrimonium, etiamsi id putaret absque formidine, posset habere intentionem faciendi, quod faciunt alij in Ecclesiâ. Vnde, qui hæreticus falsò putaret, ita esse pollygamiam prohibitam, vt, qui semel habuit vxorem, etiam illâ mortuâ sit alterius incapax contractus matrimonij, nihilominùs, quia videt plures alios ad secundas nuptias transire, quando superuiuunt præcedenti coniugi; potest intendere facere id ipsum, quod faciunt alij. In quâ intentione, vel obiecto illius non minùs continetur confusè verum matrimonium, quàm in aliâ intentione in Baptismo faciendi, quod faciunt alij, continetur verus Baptismus, non obstante opinione hæreticâ in contrarium.

57. *In eò casu non est error facti sed iuris.* Verum est quidem in casu assignato non esse errorem facti, sed errorem iuris, quia in illo casu non errat in eo, quod ipse transeat ad secundas nuptias; sed errat in eo, quod censeatur incapax iure Diuino, vel naturali (vt putarunt aliqui Hæretici) secundarum nuptiarum, qui tantùm est error iuris, quamuis autem hoc verum sit, nihilominùs in hoc casu omnino putat quis, & absque formidine se habere impedimentum, & inhabilitatem ad matrimonium, & hoc est quod præcipuè intendimus in hac dubitatione; an scilicèt, qui absque formidine putat se esse inhabilem, & incapacem matrimonij, possit habere simul consensum & intentionem sufficientem ad illius valorem.

58. *Alius casus in quo sit error facti.* Sed accipe etiam casũ, quo quis habeat errorem facti, & non iuris, simul autem possit habere intentionem faciendi verum matrimonium, seu consensum potius sufficientem ad id; nam, si quis putet validè se contraxisse cum Maria, quia nimirum nullum putat fuisse impedimentum, tamen reuetâ validè non contraxit, fieri potest, vt hic rogatu ipsius Mariæ iterum renouet consensum & contractum; nõ quia putet istum consensum, & verba, quæ modò hîc, & nunc proferuntur, facere contractum, & Sacramentum matrimonij cum illa similiter correspondente, cùm omnino certus sit matrimonium priùs fuisse factum; nunc tamen denuò consentit, & verbis exprimit consensum cum intentione faciendi, quod Maria petit, quidquid illud sit. In hoc sanè casu hîc homo laborat errore facti; putat enim se nunc esse incapacem faciendi verum contractum, & Sacramentum; quia absque vllâ formidine putat iam pridem id fecisse; sed nihilominùs vult facere id, quod petit Maria, quidquid illud sit, illa autem petit cõsensum sufficientẽ ad matrimonium, & quòd faciat quidquid potest fieri ad hoc: ergo simul habet errorem facti, & consensum sufficientem ad matrimonium.

59. *Alius casus cum errore facti.* Item, si quis absque formidine sibi persuadeat validè contraxisse cum Mariâ, quam putat superstitem absque vlla formidine; Ioanna verò sciens illam esse mortuam (quamuis vir nullo modo credat) petat ab illo consensum de præsenti cum cæteris alioquin requisitis, & sufficientibus ad valorem, ille verò respondeat. Ego certò scio illam viuere, imò, si adhuc velis, ecce illam (ostendens aliam, quàm falsò putabat vxorem esse suam) nihilominùs, quia tu id vis, contraho tecum in quantum possum. Sanè in hoc casu non video cur tale matrimonium non valeat, & consensus ille sufficiat. Alios similes casus possemus afferre, ex quibus constaret, saltem aliquando non repugnare intentionem, seu consensum sufficientem, cum errore, quo quis iudicet se hîc & nunc incapacem seu impeditum impedimento dirimenti, & simul habeat consensum sufficientem. Sed dicta sufficiunt.

DVBITATIO VIII.

An requiratur simultas vtriusque consensus actualis contrahentium?

SVpponendum inprimis est cum communi Doctorum contra Panormitanum, Antonium de Butrio, & nonnullos alios non requiri, quod consensus actualis vtriusque contrahẽtis sit simultate quasi continuâ, & mathematicè immediatâ, vt vnus sit sic immediatè post alterum; parua enim distantia physica non tollit simultatem moralem, quæ non sufficit ad valorem huius contractus iuxta ea, quæ explicuimus in simili de *Sacramentis in genere. Tr.* 1. *disp.* 1. *dub.* 6. Vbi etiam obiter diximus *de matrimonio n.* 88. *propè finem* & supponunt vt certum Auctores, de quo videri potest Sanchez *lib.* 2. *disputat.* 32. Coninc *disp.* 24. *dub.* 7. Hurtadus *disputat.* 3. *diff.* 8. Basil. Pontius *lib.* 2. *cap.* 16. Perez *disp.* 14. *sect.* 5.

60. *Supponẽdũ. Contra Panormit. Antonium de Butrio & quosdã alios non requiri quasi mathematicã coniunctionem vtriusque consensus. Sufficit moralis.* Sanchez. Coninc. Hurtadus. Basilius. Perez.

Solùm ergo quærimus an ad valorem huius contractus requiratur, quod non sit magna distantia inter vtrumque consensum?

61. *In quo sita sit præsens quæstio.*

62. *Prima sententia.* Sotus. Couarr. Henriq. Basilius. Barthol. de Ledesma. *Alij apud Coninc. Thom. Sanchez quo sensu faueat eidem sententiæ.*

Prima sententia docet requiri, quòd distantia magna non sit. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *artic.* 3. Couarruu. 4. *Decretalium* 2 *p. c.* 4. Henriquez 11. *de matrimonio c.* 3. Basilius *lib.* 2. *c.* 16. Bartholom. de Ledesma *de matrimonio dub.* 17. & alij nonnulli apud Coninc *disp.* 24. *num.* 54. Pro qua sententia referunt aliqui Recentiores Thomam Sanchez *disp.* 32. qui licèt *num.* 3. probet cum multis posse esse longam distantiam; tamen *num.* 7. putat non debere esse nimis magnum interuallum inter vnius & alterius consensum, & quænam censenda sit magna distantia, iudicandum putat arbitrio prudentis, tamen cùm prius dixisset *num.* 3. matrimonium posse contrahi validè per litteras, vel per procuratorem, quæ distantia moraliter loquendo non potest non esse magna, satis etiam significat magnum interuallum posse intercedere. Quando ergo *num.* 7. dicit non magnum interuallum, id intelligendum est comparatione cuiuscunque modi contrahendi ita, vt in modo contrahendi per propriam personam præsentem; non sit interuallum, quod respectu talis modi contrahendi iudicio prudentis sit magnum. Et in modo contrahendi per litteras, vel per procuratorem, tale interuallum etiam non sit magnum compa-

comparatione illius modi. Et in hoc sensu absolutè potest referri pro prædictâ sententiâ imò sic videntur intelligendi cæteri citati, & alij apud ipsum Sanchez *num.*7.& alios. Sanè multi illorum valdè dissimiles sunt in assignandâ magnâ distantiâ;nam Sotus,& Ludouicus Lopez apud Sanchez,si septennium intercedat,dicunt non esse tutum. Henriquez verò, si post biennium, non fieri matrimonium. Bartholomæus à Ledesma putat nimis magnum, quando annus intercedit,& alij non pauci consentiunt cum Sanchez arbitrio prudentis esse iudicandum.

Eodē modo alij videtur intelligēdi. Sotus. Lud.Lop. Henriq. Barthol. Ledesm.

62. *Secunda sententia.* Nauarr. Coninc. *Recentiores.* Basilius. Hurtadus. *Placet hæc sententia, nec videtur repugnans omnino præcedenti.*

Secunda sententia docet nullam temporis distantiam impedire valorem. Ita Nauarrus *c.* 22.*num.*80.*Maior in* 4.*dist.*27.*q.*1. Coninc *citatâ disp.*24.*dub.*7.& alij Recentiores, Basilius, Hurtadus Perez,& alij citati,dummodò prior consensus maneat saltem habitualiter.Quæ sententia mihi placet;sed non omnino repugnat præcedenti;Nam authores huius sententiæ, maximè Coninc *num.*58. rectè docent huiusmodi consensum primum habitualiter perseuerare, donec saltem implicitè reuocetur, & tunc statim omnino desinere esse; potest autem variis modis censeri reuocatus saltem implicitè, inprimis,quando is, qui ante in vnam consensit, vult cum alia contrahere, item, quando quis explicitè, vel implicitè, ita pro certo tantum tempore consensit,vt,nisi intra illud fuerit perfectus contractus, noluerit vlterius in eum cōsentire;tunc enim,elapso illo tempore, consensus omnino desinit.Quando autem nullum tēpus præscribitur, omnes censentur (inquit Coninc) implicitè saltem, & indeterminatè aliquod tempus contractui perficiendo præscribere;quia nemo est, qui velit perpetuò alterius consensum expectare,& de statu suo continuo permanere suspensus. Posteà verò relinquit arbitrio prudentis ex variis circumstantiis indicandum,quantum tempus debeat effluxisse, vt quis censeatur suum consensum reuocare. & legi potest Perez *supra sect.*5.*n.*3.*& seqq.*

Coninc.

63. *Ex dictis constat parū aut nihil differre hāc à præcedēte sententiâ.*

Ex hac doctrina patet hanc sententiam parum aut nihil distare à præcedenti, neque enim Auctores præcedentis negant, aut negare possunt quòd, si adhuc moraliter perseueret prior consensus, & illo perseuerante superueniat alter,possit contractus celebrari. Vnde solùm volunt quòd, si nimis magna distantia sit inter vtrumque consensum, non sufficiat aduentus secundi,vt contractus celebretur, quia nimirum post illam magnam distantiam non censetur primus consensus perseuerare. Quod etiam affirmat secunda sententia, dum docet, quando tempus non designatur, & definitè præscribitur, semper censeri aliquod tempus implicitè saltem, & indeterminatè præscribi, quia nemo vult perpetuò consensum alterius expectare,idque tempus prudenti iudicio quātum sit expendi debere. Quæ omnia coincidunt cum iis, quæ docet prima sententia, & iuxta vtramque non debet admitti nimis magnum interuallum; illudque iuxta vtramque iudicio prudentis nimis magnum censetur, quādo non censentur vterque consensus moraliter coniūgi. Tunc autem non censentur moraliter coniungi,quando propter nimium interuallum iudicio prudentis primus consensus censetur iam desiuisse.

64. *Conciliari ergo possunt sententiæ.*

Itaque vniuersaliter affirmandum est cum vtrâque sententiâ, tunc contractum valere, quando adueniente secundo consensu, primus adhuc habitualiter, seu virtualiter censetur perseuerare. Tunc autem perseuerare censetur, quando ex aliis capitibus non sit retractus, & ex parte interualli hoc tantum non sit, vt moraliter censeatur desiuisse consensus, & non habitualiter,seu virtualiter permanere.

65. *Permanentiam habitualem seu virtualem sufficere probatur & declaratur.*

Porrò solam habitualem,seu virtualem permanentiam sufficere probari potest; quia solus ille consensus sufficit ad traditionem dominij corporis ad vsum coniugalem,ad inducendam obligationem ad illum: ergo etiam sufficit ad perficiendum contractum, vnde talis effectus dominij, & obligationis oriatur. Consequentia satis patet, antecedens verò, quòd scilicèt consensus sic habitualiter, seu virtualiter perseuerans sufficiat ad talem effectum, ex eo probatur,quòd effectus hic tantum consistit inextrinsecâ relatione,siue reali morali,siue rationis (de quo nunc non disputo) hæc autem relatio resultare potest, tanquàm ex fundamento, ex consensu illo iam pridem elicito superueniente posteà consensu alterius. Quâ ratione ad applicandum valorem sacrificij pro aliquo sufficit intentio,seu consensus multo anteà præcedens, & habitualiter tantùm perseuerans iuxta ea, quæ diximus de Sacramentis in genere *tract.*1. *disp.*3.*dub.*6. *num.*130. *& seqq.* vbi assignauimus disparitatem inter intentionem applicandi valorem,& efficiendi sacrificium, aut Sacramentum, quod ad sacrificium, vel Sacramentum necessaria sit intentio saltem virtualis, virtualiter perseuerans in aliquo effectu à se deriuato. Ad applicandum verò valorem sufficit sola habitualis intentio,cuius disparitatis ratio est, quòd intentio efficiendi sacrificium aut Sacramentum,est intentio factiua operationum realium,quæ fiunt in sacrificio, aut Sacramento v.g. intentio efficiendi sacrificium est intentio proferendi verba consecrationis, & intentio efficiendi Sacramentum est intentio proferendi verba formæ, & simul intentio sæpe præstandi alteram actionem physicam, vt abluendi,& vngendi. Quæ actiones reales non possunt fieri ex intentione, nisi physicè existente, aut in se aut in aliquo effectu deriuato ex illâ iuxta dicta citatâ illâ *dub.*6. *de Sacram. in genere.* Intentio verò applicandi valorem sacrificij non est factiua alicuius actionis realis, quæ debeat ex ipsâ intentione procedere, sed tantùm est applicatiua valoris;hoc autem sufficienter fit ex eo solùm, quòd celebrans velit fructum sui sacrificij à se tunc, vel posteà ex aliâ intentione efficiendi,prodesse alicui;ad hoc autem sufficit, quòd præcesserit ea voluntas, & non sit reuocata.Atque hoc ipsum est, quod habet consensus,seu intentio matrimonialis, quæ non est factiua alicuius realis, & physicæ actionis, quæ debet ex ipsâ intentione procedere, sed tantum est translatiua dominij corporis ad vsum coniugalem & inductiua obligationis,tradendi corpus ad illum vsum. Quæ omnia consistunt

stunt in extrinseca relatione, seu respectu, ad quod (vt dicebam) sufficit intentio tradendi dominium corporis ad vsum coniugalem, & ad eum se obligandi, etiamsi iam physicè transierit, & solùm maneat habitualiter.

66. *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis matrimonium baptizatorum simul est Sacramentum: ergo requirit aliam intentionem, quàm merè habitualem.

67. *Quorumdã responsio.* Respondent aliqui, quòd quamuis ad contractum matrimonij sufficiat consensus procedens habitualiter; ad conficiendum tamen Sacramentum matrimonij, seu, vt dictus consensus & expressio illius fiant Sacramentum; requiritur non minùs, quàm ad efficienda alia Sacramenta, quòd consensus, & eius expressio fiant ex intentione efficiendi illud Sacramentum. Quæ intentio requiritur esse saltem virtualiter, quando elicitur consensus, & exteriùs exprimitur, sicut intentio aliorum Sacramentorum; semel tamen elicito consensu, & factâ exteriori expressione, ex dictâ intentione Sacramentali; posteà, quando aduenit consensus alterius cum simili aliâ intentione, & expressione consensus, quamuis multò posteà hoc fiat, non tantùm fiet contractus matrimonij; sed etiam fiet Sacramentum, quia fit ex intentione, siue actuali, siue virtuali efficiendi Sacramentũ vt supponimus.

68. *Vera est ea doctrina sed non satis rẽ explicat. Responsio aptior.* Hæc doctrina vera quidem est, quamuis nõ satis rem explicet. Respondeo igitur, inprimis hoc habere peculiare Sacramentum matrimonij, quod Christus Sacramentum matrimonij inter Baptizatos eleuauit ad dignitatem Sacramenti nouæ Legis. Vnde quidquid sufficit (si alia intentio contraria non obstet, de quo dicam *dub.19.& 21.*) ad constituendum contractum, sufficiet ad constituendum Sacramentum, atque adeò permanentia illa consensus præcedentis, & habitualiter permanentis eo ipso, quod sufficit ad contractum constituendum, adueniente altero consensu sufficienter expresso, sufficit etiam ad constituendum Sacramentum, quantum est ex parte suâ. Quando autem dicimus consensum habitualiter permanentem sufficere ad contractum, ideò est, quia ille consensus, & intentio priùs quidem & antecedenter fuit intentio factiua, id est intentio efficiendi, & proferendi verba seu signa externa, quæ pertineant ad essentiam contractus talis, quæ verba, seu signa externa nequeunt fieri, vt dicebamus, nisi ex intentione physicè existente, aut in se aut in aliquo effectu deriuato, & tunc iam existebat illa intentio physicè & actu, quando ipsa verba seu signa externa in ordine ad talem contractum fiebant, etiamsi posteà intentio illa tantùm habitualiter perseueret, quatenùs priùs præcessit, & nondum fuit expressè vel virtualiter retractata. Iam verò habitualis perseuerantia sufficit, vt, adueniente consensu alterius cum cæteris requisitis, contractus celebretur, quia iam tunc non est illa intentio factiua alicuius operationis, quæ tunc de nouo fiat. Ita ergo contingit in nostro casu, quando quis in contractu matrimonij consensum multò ante exprimit, vt contingit, quãdo illud exprimit in scriptis, vel dando facultatem, seu plenipotentiam procuratori à se designato, tunc enim, quando illa signa externa proueniunt ex ea intentione, debet existere intentio actualiter, vel virtualiter modo prædicto, quia est intentio factiua operationis realis. Quando verò posteà post longum interuallum aduenit intentio, & consensus alterius, iam nõ est necessarium, quòd prior intentio, & expressis illius perseueret, nisi tantùm habitualiter, quatenùs præcesserunt, & non sunt retractatæ, quia tunc intentio illa nihil de nouo physicum facit; sed tantùm, quatenùs censetur ipsa, & expressio eiusdem intentionis, seu consensus moraliter habitualiter adhuc perseuerare, constituit tam contractum, quàm Sacramentum simul cum intentione, & consensu sensibiliter expresso ex parte alterius contrahentis.

69. *Qua ratione intentio efficiendi contractum sit saltem virtualiter & confusè intentio efficiendi Sacramentũ.* Illud autem est in hac re aduertendum, scilicèt, intentionem efficiendi contractum matrimonij, qualem solent alij fideles efficere, esse virtualiter, & confusè, atque adeò sufficientem intentionem efficiendi etiam Sacramentum, absque eo quòd quis expresè, & omnino explicitè intendat facere Sacramentum. Vtrum autem possit quis intendere efficaciter facere contractum matrimonij, & non facere Sacramentum, ita, vt sit validè matrimonium, non verò sit Sacramentum, posteà *dub.19.* examinabimus, & aliquid concernens dicam *dub.21.*

70. *Concluditur doctrina ex dictis.* Habemus ergo ex tota præcedenti doctrina huius dubitationis contingere posse, quòd, quamuis longo tempore ante secundæ partis datum consensum habuerit quis consensum suum, illumque expresserit, fieri possit contractus matrimonij, dummodo toto illo tempore pensatis circumstantiis adhuc censeatur prior ille consensus permanere. Verùm vt aliquid luminis etiam detur ad discernendum, quantum tempus censeatur nimis longum, quantum verò non nimis, præcipuè habenda ratio est modi contrahendi: nam aliquando matrimonium contrahitur per epistolam, vel internuncium cum procul absente, & tunc non potest non per longum tempus censeri perseuerare consensum priùs præstitum cum eâ intentione, vt procul absenti manifestetur; aliquando verò breue, imò breuissimum tempus sufficiet, vt, nisi correspondeat alterius partis consensus, non censeatur prioris partis consensus perseuerare, vt, quando quis consentit in præsentem à quo citò, aut statim in continenti expectat consensum; tunc enim; si alter discedat, differat in sequentem diem, aut etiam in sequentem horam præbere suum consensum, illud tempus sufficiet, vt non censeatur perseuerare prioris partis consensus.

Modus aliquis discernendi in hac re tempus nimis, aut non nimis longum.

71. *An post Tridentinũ locũ habeat præcedens doctrina?* Dubitari autem potest, an saltem post Tridentinum sess.24.c.1. de matrimonio correcta sint & mutata, quæ diximus in hac dubitatione, ita, vt iam necessarium sit consensum vtriusque partis simul tempore præstari?

72. *Quidà simultaneum iã esse necessarium consensum putant.* Affirmant Antonius Cucus. Bartholom. de Ledesma & Vega apud Sanchez citata *disp.32. num.16.* quia in Tridentino requiritur præsentia Parochi, & Testium, qui aliter nequeunt de vtriusque consensu testificari; nam, si post vnius

Cucus. Bart. Ledesma. Vega. *Probant ex Tridentino.*

vnius receſſum alter conſentiat, neceſſe eſt ad hoc vt ſit matrimonium, quòd conſenſus vnius alteri conſtet, ac proinde parochus, & Teſtes non aſſiſtent vtriuſque conſenſui.

73. *Aſſertio Sanchez. Coninc.* Aſſerendum nihilominùs eſt cum eodem Sanchez n.17. & cum Coninc diſp. 24.nu.49. nihil eſſe correctum, aut mutatum, virtute Tridentini. Aſſignari autem ſolent caſus, in quibus etiam poſt Tridentinum poſſit habere locum: Primo, quando aliquis per Procuratorem coram Parocho, & teſtibus contrahit, quod fieri poſſe poſteà videbimus. Secundò, quando quis coram Parocho, & teſtibus conſentiret per verba de præſenti in vnam dato ei termino aliquorum dierum, vt poſſit deliberare, committeretque alicui curam, vt poſteà ſuo nomine alterius conſenſum coram eiſdem, Parocho & teſtibus acceptaret. Vel ipſemet, qui prius tacuit coram eiſdem teſtibus, & Parocho præſentibus poſt illos dies conſentit. Qui caſus aſſignantur ab eodem Sanchez, & Coninc.

Caſus in quibus poſt Tridentinũ habere poſſit locum ea doctrina. Primò. Secundo.

74. *Alius caſus, in quo ſpecialis eſt cõtrouerſia poſtea examinanda. Probatur non obſtare Tridentinũ ex plurium iudicio* Henriq. Palatios. Nauarr. Ledeſma. Lud Lop. Vualdus. Tertius caſus ſolet aſſignari, quando conſenſus alterius fuit fictus, etiamſi exterius contraxerit coram Parocho, & teſtibus; tunc enim putant conualeſcere contractum tantùm poſito conſenſu vero & occulto eius, qui fictè cõſenſit; ſed de hoc peculiaris eſt controuerſia ſtatim ſeorſim examinanda. Porrò Tridentinum non obſtare prædictæ doctrinæ ſatis colligitur, vt notat Sanchez, ex eo, quod poſt Tridentinum ſcribentes Henriquez, Palacios, Nauarrus, Petrus de Ledeſma, Ludouicus Lopez. Vualdus. relati ab eodem Sanchez *num.*3. docent nihilominus prædictam doctrinam, docturi procul dubio contrariam, ſi Tridentinum tunc primum, quaſi recens natum & extantibus adhuc illius Concilij Pactibus, vigens prædictam doctrinam correxiſſet.

DVBITATIO IX.

An conſenſus alterius partis fictus à principio, vel aliâ ratione inualidus, ſi poſtea habeatur verus, ſufficiat ad matrimonium, etiamſi alter non iterum denuo conſentiat?

75. *Titulus & ſtatus dubitationis exponitur.* ALiquando fit, aut poteſt fieri, vt conſenſus alterius partis fuerit minùs legitimus, quia nimirum fuit fictus, vel metu extortus. Quærimus ergo, an tunc, vt valeat matrimonium ſufficiat, quòd ille de nouo conſentiat, vel neceſſarium ſit vtrumque de nouo conſentire, quando conſenſus cadit ſuprà materiam legitimam; nam de cadente ſuprà materiam illegitimam poſtea dicemus.

76. *Primo ſupponendũ ex communi ſententiâ. Aliud in hac re controuerſum, an repeti debeat externum ſignũ? Negat Sanchez. Ratio.* In hac re ſupponendum eſt primò ex communi Doctorum ſententiâ, pro reualidando matrimonio nullo ex defectu veri conſenſus in altero, vel vtroque contrahente requiri, vt, qui fictè egit, conſentiat verè de nouo: nequit enim matrimonium ſine vero conſenſu vtriuſque fieri. Vtrùm autem debeat talis conſenſus de nouo verè elicitus exteriùs exprimi, non cõſentiunt Auctores. Negat Sanchez *diſp* 32. *num.*11 quia nimirum externa expreſſio iam præceſſerat & ſolus internus conſenſus deſiderabatur, qui iam ſuppletur. Contrarium docent Coninc *diſp.*24.*dub.*10.& Baſilius *libr.*4.*cap.*24. Gaſpar Hurtado de matrimonio *diſp* 3. *num.*31. Henriquez *lib.*11.*de matrimonio cap.*12.*num.*2. *in comment. littera* 1. quorum ſententia mihi placet, & quidem quando conſenſus verus, & validus defuit in vtroque, etiam idem Sanchez conſentit; ſed eandem puto eſſe rationem, quãdo in altero tantùm deficit. Ratio verò eſt; quia illa prior externa expreſſio, quando ſolùm fuit fictus conſenſus, quæ iam tranſiuit, nequit eſſe expreſſio conſenſus poſteà eliciti, vt ex ſe patet; illa enim ſignificat conſenſum de præſenti, qui reuera non erat, quando tale ſignum exiſtebat; poſtea verò, quando conſenſus extitit, ſignum illius non eſt, cùm iam tranſierit.

Affirmat. Coninc. Baſilius. Hurtadus. Henriq. *Placet hæc ſententia. Quando in vtroque defuit conſenſus, etiam Sanchez conſentit. Ratio.*

77. *Supponendũ ſecundò etiã ex communi ſententia.* Supponendum 2. cum communi ſententia pro validãdo contractu matrimonij nullo, non ex defectu conſenſus eliciti; ſed; quia, qui elicitus eſt, non fuit legitimus, & ſufficiens, ſiue in vtroque, ſiue in vno tantùm v.g. ob metum grauem in vtroque, vel in altero, vel ob aliud impedimentum dirimens, requiri, vt, causà nullitatis ceſſante, ille cui defuit legitimus conſenſus, ſiue ſit alter tantùm, (in quo Doctores conſentiunt) ſiue vterque renouet conſenſum, etiam ille, qui ignorat nullitatem, vt contra nonnullos exiſtimantes tunc non eſſe neceſſarium, quòd ignorans nullitatem, renouet conſenſum, docent Sanchez & communiter Doctores. Ratio eſt, quia præcedens conſenſus, qui extitit tempore nullitatis, etiam ex parte ignorantis nullitatem, quamuis verè fuerit conſenſus elicitus, fuit tamen nullus, & illegitimus: ergo licèt poſteà ceſſante causâ nullitatis adhuc dicatur habitualiter perſeuerare, non ideo legitimus fit, & validus, cùm iam in ſe ipſo non maneat, ſed præterierit; imò neceſſaria eſt renouatio expreſſionis externæ, vt contra Veracruz *in Appendice ad ſpeculum artic.*44.*concluſ.*3. aduertunt Sanchez, Coninc & Baſilius citati. Idque verum eſt, non ſolùm quando alteri tantum defuit conſenſus legitimus, ſed etiã (quidquid reclamet Sanchez) quando vtrique defuit, vt docent Coninc, & Baſilius. Ratio iam eſt *ſupra* in conſenſu ficto indicata, quia prior expreſſio non fuit ſignum conſenſus, qui nunc eſt, ſed illius inualidi, & legitimi conſenſus. Matrimonium autem debet celebrari per conſenſum, qui exteriùs exprimatur, atque adeò expreſſio debet eſſe illius conſenſus, per quem re ipſâ validè celebratur.

Sanchez. Alij communiter. Ratio. *Veracruz. Sanchez. Coninc. Baſilius.*

78. *In quo iam ſit tota difficultas.* Iam ergo tota difficultas eſt; an pro validando contractu matrimonij nullo ex eo, quod vni defuerit conſenſus verus, aut legitimus, ſatis ſit ab illo renouari conſenſum, etiamſi alter, qui verè, & legitimè conſenſit, non iterum de nouo conſentiat. Diſſident inter ſe circa hoc Doctores cum primis graues.

79. *Prima ſententia. Sanchez. Coninc. Henriq. Nauarr. Alij. Ratio.* Prima ſententia docet ſufficere, ſolius, cui defuit, conſenſum verum, & legitimum. Ita Sãchez *cit. diſp.*32. Coninc *cit. diſp.*24.*dub.*10. Henriquez *lib.*11.*cap.*10. Nauarrus *c.*22.*n.*80. & alij apud citatos. Ratio eſt, quia conſenſus illius, qui iam ex parte ſua verè & legitimè conſenſerat,

serat, adhuc perseuerat habitualiter: ergo, si alterius, qui fictè & illegitimè consenserat, legitimus iam consensus accedat, fiet perfectus contractus. Vide Dianam tertia part. Tract. 4. resolution. 292.

80. *Secunda sententia.* Barthol. Ledesma. Felinus. Comitol. Basilius. *Recentiores.*

Secunda sententia docet non sufficere; nisi etiam ille, qui priùs legitimè consenserat, de nouo consentiat. Ita Bartholom. de Ledesma *de Matrimonio dub. decimanona* Felinus *in cap. Exparte Decani de Rescriptio.* Comitolus *libr. primo responsionum moralium quæst.* 120. Basilius *libr. quarto capit. vigesimoquarto.* & alij Recentiores, atque id esse necessarium in quodam particulari casu, in quo cuidam defuit consensus verus, quia fictè consensit, respondit Clemens Octauus Rectori Romanæ Pœnitentiariæ nostræ Societatis, teste Paulo Comitolo, & ex ipso refert Basilius. Fundamentum huius sententiæ est, quia, qui verè, & legitimè consensit; non eo ipso, quòd ignoranter perseuerat in eo Matrimonio, censetur perseuerare in eodem consensu, seu intentione contrahendi, quia ea perseuerantia non renouat prædictam intentionem; nam, qui verè & legitimè consensit, tantùm consensit, saltem implicitè, vsque ad tempus, in quo alter, vel fictè, vel illegitimè consensit, nec extendit consensum suum ad vlterius, & longius tempus; id enim omnino superfluum iudicat. Vnde, saltem, ex quo alter fictè, aut illegitimè consensit; cessat, qui verè priùs, & legitimè consensit, ab eo consensu, seu intentione contrahendi, quia iam putat contractum esse perfectum, ac proinde, vt reualidetur de nouo contractus, necesse est, vtrumque iterum de nouo consentire, atque etiam de nouo exprimere consensum, quia nemo illorum antiquâ expressione expressit nouum consensum, atque ideò expressio præcedens non videtur sufficiens. Hæc sententia si solùm ratione agamus, videtur probabilior; sed non videtur improbabilis prior; imò cùm in praxi tuta sit, in casu necessitatis videtur secundum illam posse consilium dari.

Cle. VIII. *Ratio.*

Ratione videtur probabilior hæc sententia, sed probabilis prior. Etiam in praxi aliquando posse admitti.

Atque, vt eius probabilitas amplius explicetur, notandum est, consensum præcedentem non solùm esse contrahendi Matrimonium, sed perseuerandi in illo, id est esse consensum, seu voluntatem, quòd hæc in perpetuum sit vxor illius; hæc autem voluntas non censetur cessare, etiamsi iam quis putet esse finitum contractum; nam eo ipso, quòd initio voluerit, vt ea sit vxor ipsius, & eam voluntatem non retractauerit, censetur perseuerare voluntas illa, quâ voluit, vt non solùm tunc ante annum esset vxor ipsius, sed etiam hodie cras, & perendie, & vsque ad mortem alterutrius: ergo illa voluntas tunc ante annum habita, fuit voluntas, quâ voluit, vt etiam hodie, & in posterum hæc esset vxor ipsius. Cùm ergo voluntas non sit retractata, etiamsi quantum ad tempus præteritum, & illam partem obiecti temporis præteriti iam transierit, adhuc tamen habitualiter durat comparatione præsentis, & futuri, quia adhuc censetur habitualiter volens, vt hodie, & deinceps hæc sua sit vxor. Qui consensus adueniente altero consensu, & expressione illius, sufficiens videtur ad constituendum matrimonium, expressio autem consensus antiqui ex parte eius, qui priùs verè, & legitimè consenserat, fuit expressio cuiusdam consensus se extendentis vique ad hoc etiam tempus, volendo scilicèt, vt in hoc etiam tempore illa esset vxor ipsius; quod sufficit, saltem probabiliter, vt consensus, & expressio illius videatur habitualiter permanere.

81. *Secunda sententia.*

Etiam in praxi aliquando posse admitti.

Clemens verò VIII. prudenter respondit in illo casu id esse faciendum, quod secunda sententia docet, quia tutius est, & sanè probabilius, maximè, si in illo casu absque maiori aliquo incommodo posset peti consensus, & obtineri ab altera parte; non tamen ideò sustulit probabilitatem primæ sententiæ; maximè, cùm non constet loquutum fuisse, tanquàm Pontificem; sed tanquàm Doctorem particularem.

82. *Respondetur ad responsum.* Cle. VIII.

DVBITATIO X.

An ad validandum contractum Matrimonij requiratur, vt, qui iterum est consensurus, sit, aut fiat conscius nullitatis?

83. *Causa & occasio præsentis dubitationis.*

SVpposita sententiâ, quæ docet prædictum contrahentem ignarum nullitatis debere iterum de nouo consentire ad reualidandum matrimonium, & non sufficere quòd alter consentiat; nec censeri sufficienter prædictum ignarum consentire solâ permanentiâ prioris cõsensus præstiti tempore nullitatis; meritò dubitatur, an possit sufficienter consentire, etiamsi adhuc ignarus sit nullitatis præcedentis Matrimonij?

84. *Prima sententia.* Caietan. Ledesma. Angelus. *Alij multi apud Sanchez.* *Ratio.*

Prima sententia docet posse omnino ignarum etiam absque formidine nullitatis, ac proinde sufficere vt, qui conscius est nullitatis, inducat ignarum, vt maioris amoris causa renouet consensum, dicendo sibi mutuò *ego te accipio in coniugem.* Ita Caietanus *tom. 1. Opusculorum q. 2. art. 2.* Petrus de Ledesma, Angelus, & alij multi Theologi, & Canonistæ apud Sanchez *disp. 36. n. 2. & 3.* Ratio præcipua est; quia nihil videtur deficere tali consensui, vt sit sufficiens, est enim consensus personæ habilis, quo consentit in traditionem corporis, imò non pauci ex Auctoribus huius sententiæ putant tale matrimonium eâ ratione nullum, sublato iam impedimento, reualidari per copulam affectu maritali habitam, etiamsi alter nullitatem ignoret, videtur enim illis copula sufficiens signum cõsensus coniugalis, imò eandem rationem vim habere, vt reualidetur, etiamsi vterque ignoret nullitatem.

85. *Secunda sententia.* Nauarr. Couarr. Henriq. *Alij multi.* Basilius. Comitol.

Secunda sententia docet omnino ignarum nullitatis, non posse sufficienter consentire, ac proinde necessarium esse ad sufficientem consensum, quòd fiat ignarus ille conscius nullitatis. Ita Nauarrus *cap. 22. numer. 47. & 80.* Couarruu. 4. *Decretal. part. secunda cap. quarto numer. quinto.* Henriquez *vndecimo de matrimonio cap. 3.* & alij multi apud Sanchez *disp. illa 36. n. 3.* per errorem 4. quibus adde Basilium *libr. 4. cap. 25.* & Comitolum *lib. 1. Respons. moral. quæst. 120.*

Clemens VIII. idque respondit Clemens VIII. in casu, de quo diximus *dub. præcedenti* nullitatis Matrimonij ex defectu veri consensus in altero contrahentium. Hanc sententiam probabiliorem putat Sanchez & latè probat descendens ad particulares casus per varias conclusiones. Sed generaliter doctrina probari potest, quia nequit aliter reualidari contractus, quàm efficiendo contractum omnino de nouo, cùm nihil illius fuerit validum, vel, si quid ex parte alicuius fuit validum, hoc est, quantum est ex parte illius sufficiens, id iam non perseuerat, vt supponimus: ergo ad reualidandum contractum requiritur intentio tradendi dominium corporis de nouo, & de nouo se obligandi, quia absque hac intentione non potest fieri validè contractus. Ille verò, qui caret notitiâ nullitatis, imò putat iam contractum fuisse validum, non potest habere intentionem de nouo tradendi dominium corporis, & se obligandi adhuc sub conditione, si fortè contractus fuit nullus; quia ille non concipit fortè fuisse nullum, imò conditionem hanc iudicat impossibilem: ergo ad validandum eum contractum requisita est aliqua notitia nullitatis.

Sanchez. *Latè probat & ad casus particulares descendit. Generaliter probatur.*

86. *Limitanda & moderãda hac sententia & dandus locus etiam prima.* Nihilominus hæc sententia aliquibus limitationibus, aut limitanda, aut moderanda est, & aliquâ ratione dandus locus primæ sententiæ.

87. *Limitatio 1.* Limita primò, quod sufficiat notitia formidolosa, quâ quis iudicet cum formidine contractum fuisse quidem validum; sed non ita hoc certum putet, quin fortè aliud ex aliquo capite potuerit contingere, & tunc intendat seriò tradere dominium sui corporis, & se obligare sub ea conditione, si fortè non est traditum; vel, si fortè contractus fuit nullus. Ea autem conditio in nostro casu vera est, & subsistit, & eam ille non iudicat impossibilem.

88. *Applicatur doctrina ad contractum sponsalitiũ.* Eâdem ratione ad reualidanda sponsalia à principio nulla defectu consensus veri, aut legitimi sufficiens est in eo, qui iterum est consensurus aliquâ notitiâ saltem formidolosa, & hæc requiritur, quia est necessarius nouus consensus de nouo conferendi alteri ius in corpus proprium, qui non potest seriò haberi absque aliqua notitia nullitatis; imò etiam requiritur, quòd tunc signo aliquo exteriori exprimatur, neque sufficit copula, quia hæc etiam sub spe matrimonij non est signum dicti consensus, vt notauimus *dub.* 4. & dicemus in sequentibus.

89. *Limitatio 2.* Limita secundò, quòd sufficiat, si nouus ille consensus procedat ex cognitione aliqua æquiualente scientiæ nullitatis prioris Matrimonij, etiamsi adhuc in illo coniuge consensuro perseueret ignorantia nullitatis. v. g. si alter coniux impedimenti conscius peteret ab illo ignaro his verbis *me ne ita diligis, vt, si non esset inter nos Matrimonium, denuò contraheres?* & illo annuente iterum subiungat: *ergo ex nunc vis me in coniugem, ac si non fuisset validum prius matrimonium inter nos contractum?* & altero respondente ita volo, dicat, etiam interrogans, se quoque idem velle: tunc sanè perinde est, quantum ad sufficientem consensum, ac si priùs fuisset conscius nullitatis. Ita Sanchez *supra numer.* 5. qui meritò notat vtendum esse verbo de præsenti voto ex nunc quia non satis est, quòd dicat, si non consisteret inter nos matrimonium, denuo contraherem, quia talis non est consensus de præsenti hîc, & nunc contrahendi. Quòd verò illo modo sufficiat probatur primò; quia non tantùm coniux ille intendit in contracto matrimonio perseuerare, sed denuo contrahere, si prius irritum fuit, & conditio illa subsistit, atque adeò consensus & contractus iam tunc est absolutus, & purus. Probatur. Secundò quia talis consensus non procedit ex errore; quamuis enim simul error sit, fertur consensus absolutè in obiectum illud conditionatum & error ille, seu ignorantia se habet comitanter; ignorantia autem comitans non tollit voluntarium, atque in hoc casu admitti potest prior sententia. Legatur Sanchez *supra numer.* 5.

Sanchez. *Notandum.*

In hoc casu potest admitti prior sententia. Sanchez.

Limita tertiò vt locum habeat prima sententia in casu, quo adesset grauis metus probabilis infamiæ, aut scandali, & non posset extorqueri à coniuge consensus ille conditionalis, de quo nuper dicebamus; tunc enim admitti potest iuxta primam sententiam, quod omnino tectâ prioris matrimonij nullitate persuadeatur ignoranti, vt ex tunc habeat alterum coniugem pro vero coniuge non reuelato impedimento, hortando illum vt maioris amoris causâ renouet consensum, vt dictum est. Ita Sanchez *supra numer.* 8. quia, quamuis ea opinio, si præcisè ratione agamus, non videatur valdè probabilis; non tamen omni probabilitate caret, maximè cùm habeat Patronos grauissimos, & rationes aliquantum probabiles; & quod alioquin non iudicaretur probabile, facit tale esse vrgens necessitas, & periculum, quod ex opposito sequeretur, quam doctrinam refert & laudat Sanchez ex Soto *de secreto membro* 3. *q.* 2. *concluſ.* 3. & Nauarrus *c. inter verba in secunda edition. corol.* 53. *n.* 135. Cuius verba satis notanda pro casibus occurrentibus placuit hîc referre. *Licet quis* (inquit Nauarrus) *habeat opinionem alicuius partis, & solam alterius formidinem, non tenetur sequi opinionem, si inde magnum immineat alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem, quia periculum graue facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni.* Huic doctrinæ fauet etiam Iason. *L.* 1. *n.* 56. *C. de Summa Trinitat.* vbi ait in dubiis præferendam esse sententiam animabus fauentem. Legatur Sanchez loco citato, qui rectè docet non obstare, si credatur fore, vt cõiux nullitatis prioris matrimonij conscius minimè contraheret, quia cùm tunc non habeat actu dissensum, sed illa sit habitualis animi præparatio, non obest quo minùs matrimonium denuò contractum validum sit. Quod etiam docuit Petrus de Ledesma *de matr. q.* 45. *artic.* 3. *dub. vltimo.*

Sententia non valde probabilis vrgente necessitate posse admitti fitque probabilis vrgente necessitate secundũ viros doctos. Sanchez. Sotus. Nauarr.

Nauarri verba notanda circa hoc.

Nauarro fauet Iason.

Ledesma.

Certius tamen esset matrimonium (vt notat idem Sanchez) si alter in eâ dispositione esset, vt, si nullitatem sciret, verè contraheret. Quia multi satis probabiliter dicunt stante conditionis impedimento annullan-

Sanchezij additum etiam notandum.

91. *Aliud additum eiusdẽ Sanchezij.*

te (vt

te (vt quando femina est ancilla,) si alter conscius contraheret, valere matrimonium, nedum eo sublato.

92. *Datum ex dictis secludis periculis tenendam esse secundam sententiam.*

Ex dictis infertur, si non sit probabile periculum scandali, aut grauissimi alterius damni, vt infamiæ, aut quod femina deserenda sit à viro, qui nollet cum eâ contrahere de nouo certior factus impedimenti; omnino tenendam esse secundam sententiam, & curandum, vt vterque coniux certior fiat nullitatis prioris Matrimonij, vel saltem curandum, vt ignarus nullitatis consentiat ex tunc in Matrimonium casu, quo à principio irritum fuisset, iuxta dicta in primâ limitatione, neque vllo modo vtendum esse primâ opinione, quòd scilicèt dissimulanter tecto impedimento conscius coniux ignoranti persuadeat, vt illum habeat in coniugem; illa enim prior opinio non habet, vt dicebam multum probabilitatis, imò habet contra se rationes vrgentissimas, & illâ vti, nisi grauissima necessitas cogat, mortale peccatum erit, vt notat Sanchez *supra num. 7.*

93. *Duo adhuc aduertenda ex eodem auctore. Primum. Secundum.*

Vbi duo aduertit. Primum huiusmodi necessitatem grauissimam communiter non occurrere, quando impedimentum est ex parte viri, & aliquando, etiamsi sit ex parte feminæ. Secundum, esse optimam cautelam, vt coniux possit alteri nullitatem prioris Matrimonij detegere, dicere se in prius Matrimonium minimè consensisse. Quod verè potest dicere. Cùm enim prior ille consensus ratione impedimenti inualidus fuerit, potest appellari non consensus, & fictè promittens potest dicere se non promisisse; iuxta doctrinam, quam ipse Sanchez tradidit *libr. 1. disputation. 10. numer. 27.* pro quâ sententiâ refert Seguram. *secunda part. Directorij capit. decimoquinto numer. 40.* Non tamen putat posse dicere citra mendacium veniale, se fictè consensisse, quia cùm consensus fuerit inualidus, est nullus, & perinde, ac si prorsus non esset, & ita verè appellari posset non consensus, qui solam negationem legitimi consensus importat; non autem potest verè appellari fictus consensus, qui positiuè importat fictionem in animo, hoc est, internam voluntatem contrariam manifestare per ipsa verba, quæ cum reuerâ non adfuerit; mendacium est. Hoc tamen vltimum non omnino placet, maximè, quando persona illa tempore præbendi externum consensum sciebat fuisse impedimentum dirimens; tunc enim verba quidem exterius significabant consensum efficacem, & voluntatem contrahendi Matrimonium, qualem cum eâ scientiâ non poterat habere ac proinde dici potest fictè consensisse, significando scilicèt exterius se habere voluntatem efficacem contrahendi Matrimonium, cùm tamen illam efficacem non haberet, vtpotè impossibilem suppositâ scientiâ nullitatis. Præterea hæc vox fictus, vel fictè aliquâ ratione solet accomodari rebus tantùm apparentibus, & quæ reuerâ aliter sunt, quam apparent, siue id fuerit factum ex intentione decipiendi, siue non. Cùm ergo reuerâ tunc non adfuit consensus verè sufficiens, sed tantùm apparenter in verbis benè potest dici fictè cõsensisse id est expressisse consensum exterius significatum, vt efficacem, cùm reuera non esset efficax. Qui modus loquendi sufficiens est ad euitandum mendacium.

Segura. *Tertiũ quod adhuc addit Sanchez non placet.*

Rectè autem notat idem Sanchez, etiam hanc cautelam esse satis periculosam; fortè enim diceret vir: fictus ergo fuit amor, quem mihi tot annis ostendisti, ac perfida es & peruersa cùm toto hoc tempore ad Sacramenta accesseris tanto scelere contaminata. Quare mihi persuadeo, quod dolus alius subsit. Ideò meritò putât Sanchez tali cautela rarò prudenterque re considerata vtendum esse.

94. *Periculosam merito putat Sanchez pradictam cautelam.* *Rarò ergo & prudenter ea cautela est vsurpanda.*

Eâdem ratione iudicandum est in casu illo, de quo suprà, quando maritus vellet accedere ad vxorem affectu maritali, illa verò non posset extorquere à marito nouum consensum, quantumuis tunc petat debitum ab vxore; in eo enim casu, quando ipsa sine scandalo subterfugere nequit, reddendoque peccaret, quia Matrimonium non subsistit, potest absque verbis denuò Matrimonium illud consistere copulâ illâ affectu Matrimoniali habitâ ex parte suâ. Nam ex parte viri, cùm putet esse matrimonium, constat eo affectu haberi, etiamsi ignoret priùs Matrimonium fuisse inualidum. Ita Sanchez suprà *numer. nono* referens Sotum *in quarta distinction. 29. quæst. secundo articul. primo dubio vltimo*, & Rodriquez *primo tomo Summæ capit. 220. numer. secundo ad finem.* & in eo consentiunt expressè Doctores; quos retulimus pro prima sententia, & in magno numero refert Sanchez *numer. 2.* pro quarto & quinto argumento eiusdem opinionis. Ratio verò est; quia licèt hoc minùs propabile appareat, quàm, dum verbis innouantur consensus, eo quod etiam stante scientiâ illius nullitatis, sub iudice adhuc est, an sufficiat illa copula; at tenendo (inquit Sanchez) quod sufficiat, eandem difficultatem habet, siue verbis, siue facto ipso nempe copula contrahatur denuò Matrimonium, cùm vtrobique procedat consensus ex errore. Porro quod copula, quibus se coniuges cognoscant affectu maritali, sit sufficiens signum consensus, vt prius Matrimonium irritum conualidetur, quando saltem coniuges sciunt impedimentum cessasse, probat Sanchez *numer. 6. ex cap. 2. & cap. finali de coniug. seruorum.* Vbi habetur contrahentes ignoranter cum ancillâ reualidare Matrimonium, si cognitâ seruitute verbo, vel facto scilicèt copula, carnali affectu vxorio in eam consentiat. Item *ex c. is, qui de sponsalibus*, vbi sponsalia in matrimonium transeunt per copulam affectu vxorio habitam.

Sanchez. Sotus. Rodriq.

Verùm copulam non accipi à iure pro ipsa expressione consensus, sed tantùm inde præsumere præcessisse consensum diximus *disputation. præcedenti dubitation. 41.* contra eundem Sanchez & iterum dicemus *in hac disputation. dubitation. 14.* Quia tamen hoc probabile est, & cum multis probat Sanchez, ideò iuuare potest ad id, quod nunc intendimus, scilicèt,

96. *Quamuis non sit verũ id quod supponit Sanchez, est probabile & sufficit in praxi.*

scilicèt etiam coniugem ignorantem præcedẽtem nullitatem censeri posse sufficienter consentire in matrimonium, quando affectu vxorio accedit, licèt procedat copula ex errore, quo vir putabat esse validum ptius matrimonium. Vnde ratione aliqualis probabilitatis accedente grauissimo illo periculo, de quo dictum est, putat Sanchez posse admitti opinionem primam in tali casu vrgentissimo; quod mihi etiam placet. Sed quia absolutè est vera secunda sententia, ad fundamentum illud primæ respõdere oportet.

97. *Ad rationẽ prima sententia respondetur.*

Ad rationem ergo primæ sententiæ respondetur, negando nihil deficere consensui illius, qui caret omni notitiâ adhuc formidolosâ nullitatis; deficit enim, quòd sit efficax, & seriò habeatur tradendi de nouo dominium corporis, adhuc sub conditione, quia nimirum id iudicat impossibile; tantumque habere potest consensum, quo approbet, & ratificet contractum præteritum. hoc autem consensu nihil fit de nouo, quia contractus præteritus tantùm approbatur, & hic fuit nullus. Vnde necessarium est; quod ignarus nullitatis moneatur, aut saltem reddatur suspectus nullitatis, vt sufficienter renouet consensum, aut certè habeat cognitionem quandam æquiualentem scientiæ nullitatis, de quâ diximus in primâ limitatione secundæ sententiæ.

98. *Ad fundamentum secundæ sententiæ etiã vtcumque respondetur ob aliqualẽ probabilitatem prima. Pluribus argumentis respondet Sanchez. Nos selecto illi fundamento respondemus.*

Quia tamen pro aliquo casu vrgentissimo vtcumque probabilem diximus primam sententiam, oportet aliquâ ratione etiam vtcumque probabiliter respõdere fundamento secundæ. Pro qua plura argumenta adduxit Sanchez illisque respondet *num.*11. Nos verò præcipuè illi fundamento, quod selegimus pro secunda sententia, respondebimus concedendo quidem non aliter reualidandum esse contractũ, quàm illum efficiendo de nouo; adhoc autem sufficere, quòd quis perseueret in consensu, quem priùs habuit tempore nullitatis Matrimonij, qui, quamuis vt existens eo tempore, fuerit inualidus, tamen vt perseuerans tempore ablati impedimenti, validus est. Censetur autem perseuerare eo ipso, quòd non fuerit retractatus, & de nouo significetur & approbetur, vt contingit in casu primæ sententiæ. Quamuis autem error, aut ignorantia nullitatis existat, non tollit, quin possit præcedentem consensum de nouo approbare. Ille autem semel approbatus exteriùs, & nunquam retractatus, censetur aut perseuerans aut repetitus, expressioque illius de nouo repetitur. Vnde superueniente consensu alterius partis coniungitur vterque consensus tempore, quo iam nullitas cessauit; atque hoc sufficit, vt contractus de nouo fiat validè. Qui plura volet, pro vtraque parte legat Sanchez citatâ *dub.*36.

Legendus pro hac re Sanchez.

DVBITATIO XI.

An, vt reualidetur contractus Matrimonij nullus coram parocho, & testibus celebratus, necessarium sit iterum coram Parocho, & testibus celebrari?

CErtum primò sit, quando de nullitate contracti Matrimonij publicè constat, aut est plenè probabile publicè nullum, quamuis coram Parocho & testibus celebratum fuerit, necessarium esse iterum illud coram Parocho & testibus celebrare: nam ex eo Matrimonio non sic reualidato eadem possunt incommoda oriri, quæ Tridentinum suo decreto voluit impedire; quia coniuges post reualidatum sine Parocho, & testibus Matrimonium poterunt de facto se deserere, & cum aliis contrahere; neque poterit Ecclesia resistere; prior enim contractus fuit publicè nullus, vt supponimus; posteà verò occultè reualidatus. Vnde cum constet Ecclesiæ de nullitate, & non de reualidatione semper iudicabit nullum Matrimonium, atque adeò non coget illos cohabitare, & seruare Matrimonium; imò permittet cum aliis contrahere, & coget cum secundis habitare. Idem quoque videtur dicendum de Matrimonio antea nullo ex impedimento occulto quidem de facto, sed quod verè & plenè probabile est per duos saltẽ testes omni exceptione maiores, etiamsi credatur nunquàm fore probandum, nec videatur esse probationis futuræ periculum. Ratio est eadem; quia possent oriri ea incommoda absque eo quòd Ecclesia possit resistere, deficiente scilicèt probatione requisitâ in Tridentino. Addiderim quòd cum testes impedimenti debeant manifestare illud si possint, (in casu verò supponitur posse; alioquin non esset plenè probabile eiusmodi impedimentum) semper est periculum prædictorum damnorum, quia, si testes deponant de impedimento, & ad id vrgeat alteruter coniux, matrimonium dissoluetur, & liberè permittetur ille transire ad alias nuptias, quantumuis verè priuatim renouassent contractum. Ergo ad finem Tridentini spectat quod talis renouatio clandestini non valeat, & meritò censeri debet Tridentini annullationem se extendere ad id, vt occurratur malo, vt iterum dicam infra *numer.*110. vbi amplius rem declarabo & referam auctores.

99. *Quid certũ in hac re.*

Solùm ergo quęrimus; an, quando priùs matrimonium celebratum coram Parocho & testibus fuit occultè nullum ob defectum occultum consensus, aut ob impedimentum occultum, necessarium sit pro illius reualidatione iterum coram Parocho, & testibus celebrari?

100. *Status quæstionis.*

101. *Prima sententia affirmans requiri iterũ fieri corã Parocho & testibus.* Nauarr. Gutierr.

Prima sententia affirmat. Ita Nauarrus *lib.*4. *consilior. in* 1. *editione tit.* 1. *de sponsalib. cons.* 11. *& in secunda tit. de desponsatione impuber. cons.* 3. Gutierrez *libr.*1. *Quæstionum Canonic. numer.*7. *& 8. & de iuram.* 1. *par. cap.* 51. *numer.*2. & 43.

Palatios

Palatios. Matienzo. Barthol. Ledesma. Basilius. *Recentiores. Ratio.*

Palatios *in quarto distinction.27.quæst.1.* Matienzo *libr. quinto Recopilationum titul. primo l. primo* Bartholom. à Ledesma *dub. decimoseptimo de matrimon.* Basilius *libr.quinto capit. sexto & alij* Recentiores. Quorum Ratio est, quia post Tridentinum vbi publicatum est, & receptum, irrita sunt matrimonia absque præsentia Parochi, & aliorum testium. Ergo Matrimonium, quod cessante impedimento, de nouo fit, non valebit, nisi tunc fiat coram Parocho, & testibus, quia id requiritur pro forma Matrimonij sine exceptione vllâ, ergo absque fundamento fiet exceptio,

102. *Confirmât ex Clemens VIII. & Pontificio diplomate.*

In confirmationem adducitur Clemens Octauus, & Pontificium diploma, quod mittitur Commissario delegato Bullæ Cruciatæ. Nam Commissario conceditur facultas dispensandi in tali solemnitate pro prædictis matrimoniis, vt possint occultè celebrari, & Clemens VIII. de facto dispensauit in eo matrimonio, de quo suprà diximus respondisse Rectori Romanæ Pœnitentiariæ nostræ Societatis.

103. *Secunda sententia negans requiri.* Rebellus. Henriq. Rodriq. Diana. Riccius. Sanchez. Nauarr. Reginald. *Alij apud citatos.* Coninc. Vega. Perez. Hurtado. *Alij plures. Nauarrus testatur id declarasse Pium V. Ratio generalis.*

Secunda sententia negat requiri, vt iterum fiat coram Parocho & testibus. Ita Rebellus *libr. secundo quæst. nono* Henriquez *libr. vndecimo capit. secundo numer. secundo & capit. tertio numer.sexto.* Rodriquez *cap.208.numer. septimo.* Diana *part.secundo Tract.at.decimoquinto Resolution. quinta* Riccius *decis.246.* Gutierrez sibi contrarius *cap.46.* Sanchez *libr. secundo disputation.37.numer.tertio & quarto.* Nauarrus, etiam sibi contrarius *in manuali cap.vigesimosecundo numer.70.* Reginaldus *libr.31. numer.83.* & alij apud Gutierrez & apud Sanchez. Coninc *disputation.24. dubitation. decimo* Vega *libr.6. Summæ cap.93.in fine* Perez *disputation. illa 39. num.8. in fine & seqq.* Hurtado *disputation. tertia diff.11. numer.4. & seqq.* & alij apud citatos. Idque refert Nauarrus declarasse Pium V. Ratio generalis est, quia nulla lex comprehendit casum, ad quem finis, & ratio legis nullo modo se extendunt; sed lex lata in Concilio Tridentino *session.vigesimaquarta cap.primo* ratione, & fine suo non se extendit ad talia matrimonia, ergo neque lex ipsa; ibi enim solùm irritantur matrimonia clandestina facta sine Parocho, & testibus, quæ antiquo iure prohibita erant, & talia, vt ex ipsis sequerentur incommoda ibi recensita, maximè illud incommodum, quòd post similia matrimonia contracta, possent coniuges se deserere, & cum aliis etiam illicitè, & inualidè contrahere absque eo, quòd Ecclesia possit illis resistere, sed antiquo iure non erat prohibitum Matrimonium in facie Ecclesiæ inualidè celebratum ob impedimentum occultum, iterum clàm reualidare, neque ex Matrimonio absque Parocho & testibus reualidato, quando anteà fuit contractum coram illis, oriri possunt incommoda prædicta, quin Ecclesia possit resistere; semper enim in eo casu resistet, non permittendo coniuges se deserere, nec cum aliis contrahere; nullitas enim prioris matrimonij coram Parocho, & testibus celebrati nequit plenè probari; supponimus enim defectum, aut impedimentum, & causam nullitatis fuisse occultam. Ergo præsentia Parochi, & testium, quando celebratum fuit matrimonium eo modo, non est necessaria pro reualidatione occultâ sufficitque matrimonium in foro exteriori plenè posse probari, vt cogantur ab Ecclesiâ coniuges se non deserere, neque permittantur ad alias nuptias transire. Nec lex Tridentini loquitur pro tali casu, vt infra explicabitur num.117.

104. *Valet hæc doctrina pro quouis occulto impedimento.*

Hæc doctrina locum habet in quocumque impedimento occulto. Vnde siue matrimonium fuerit nullum propter metum occultum, siue propter seruitutem occultam, siue propter ætatis defectum, poterit priuatim ratificari, concurrentibus cæteris aliàs requisitis, cessante scilicèt metu, reuelatâ conditione seruitutis alteri coniugi consentienti, aut superueniente ætate requisitâ, & consentientibus de nouo contrahentibus, vt cum aliis docet, & probat Sanchez *disputat.illâ 37.à numer.4. vsque ad 6.* Sanchez.

105. *Etiamsi intervenerit mala fides, habet locum data doctrina.* Contra. Veracruz. *Sanchez id merito admittit non obstante clausula* Si ita est *&c.*

Locum etiam habet doctrina quamuis ob impedimentum occultum fuerit Matrimonium malâ fide contractum, (quidquid in contrarium doceat Veracruz.) Legatur Sanchez *numer. octauo* qui etiam rectè notat. *numer. nono* id esse verum non obstante clausulâ, quæ solet apponi in dispensationibus, dum dicitur. *Si ita est, cum eis, vt inter se publicè, seruatâ formâ Concilij Tridentini contrahant, dispensa.* Quamuis enim virtute huius commissionis, non possit ille, cui dispensatio committitur, dispensare, vt occultè celebretur Matrimonium, potest nihilominùs dispensare in impedimento, & hoc per dispensationem cessante, poterunt ipsi contrahentes ipsum Matrimonium priuatim celebrare absque aliquâ dispensatione iuxta Decretum Tridentini.

106. *Limitatio notanda.* Sanchez.

Illud autem est maximè aduertendum cum eodem Sanchez doctrinam traditam locum habere, dummodo Parochus, & testes impedimentum ignorent; alioquin necessariò repetendum esse coram Parocho; si enim illius notum erat impedimentum, quando celebrabatur matrimonium, non possunt testificari de valore; sed de nullitate ipsis nota. Quod etiam docet Henriquez *libr. vndecimo capit. tertio numer. septimo* Petrus de Ledesma *q.47. art. 3. dub. vltimo*, & alij apud Henriquez. Henriq. Ledesma. *Alij.*

107. *An habeat locum si vni soli ex testibus notum sit impedimentum. Affirmans sententia.* Sanchez. *Non caret difficultate.*

Vtrum autem idem dicendum sit, quando alter solus ex duobus testibus requisitis nouit impedimentum? Affirmat Sanchez, quia iam desunt necessaria ad valorem Matrimonij, quando alter testis, vel Parochus solus impedimentum nouit; neque enim tunc est testis valoris Matrimonij. Hoc autem difficultate non caret, maximè cùm ille testis, aut Parochus non possit probare tale Matrimonium tunc habuisse impedimentum dirimens, & alij duo testes, vel Parochus, & vnus testis possint testificari, quòd ille, qui occultè sciebat impedimentum, fuerit præsens contractui Matrimonij; loquimur autem in casu, quo impedimentum probari non possit, Vnde ille testis qui occultè nouit impedimentum est notus testis

matrimonij, & non constat in foro externo quod sciret nullitatem. Ideò requisitus à iudice primò, an fuerit præsens, quando contrahebatur matrimonium? non potest negare se fuisse præsentem. Quando autem ipsemet obiicit impedimentum, non potest illud probare, quia non est probabile (vt supponimus in casu huius dubitationis;) ergo ille testis simul cum Parocho, & alio sufficiet ad probandum plenè in iudicio illud matrimonium fuisse contractum, & non sufficiet ad probandum adesse impedimentum. Ideò mihi videtur etiam in eo casu posse occultè reualidari ablato impedimento.

108. *In casu, quo ignorabant, quando assistebant, esse impedimentum, sed scientes postea non possunt probare, poterit reualidari.* Sanchez. *Ratio.*

Et quidem, si tempore, quo adstiterunt matrimonio, impedimentum ignorabant, etiamsi postea scirent, dummodo in foro externo probare non possint; matrimonium poterit occultè reualidari, vt concedit idem Sanchez; quia iam quando Ecclesiam repræsentarunt assistentes matrimonio fuerunt testes valoris illius, & satisfactum est decreto Tridentini (inquit Sanchez) Ecclesiæque constat de illius valore, & adhuc manet impedimentum occultum, supponimus enim non esse plenè probabile impedimentum in foro externo, quia vel non sunt omni exceptione maiores, vel non oculati, vel vnus tantùm ex illis scit. Hæc Sanchez, & mihi placet; sed contra ipsum inde sumitur argumentum ad probandum id, quod nuper dicebamus scilicet, quòd etiamsi ab initio vnus illorum sciuisset impedimentum, posset reualidari matrimonium occultè; nam ille solus, & vnicus est, qui scit tale impedimentum, quod non potest probari, vt supponimus, & ex alio capite fuit testis cum aliis externæ illius celebrationis.

Argumentū ad hominē propracedenti casu.

109. *Potest occultè reualidari quando Parochus solum intra confessionem nouit impedimentum.*

Vnde à fortiori etiam verum est, quod addit Sanchez, posse scilicet iterum occultè celebrari, quando Parochus, qui adstitit matrimonio, solùm nouerat impedimentum intra confessionem Sacramentalem: quia tunc (inquit Sanchez) scit solùm, vt Deus, & nullo modo in foro Ecclesiæ. Verùm (quidquid sit de illâ scientiâ, quam habet, vt Deus) satis est, quòd eam non habeat pro foro Ecclesiæ.

110. *Illatum ex dictis habere solùm locum doctrinam, quando non est periculū vt in foro externo probetur impedimentum.* Henriq. Rodriq. Perez. Sanchez. *Sanchezij aduertentia seruanda in praxi.*

Ex dictis infertur quòd supra dicebamus eam doctrinam tantùm habere locum, quando nullum est periculum, quod detegatur impedimentum, & probetur in foro externo, nam, si tale periculum sit, celebrari iterum debet coram Parocho, & testibus. Ita Henriquez *libr.* 11. *cap* 3. *num.* 6. Rodriquez *in summa tom.* 1. *c.* 220. *num.* 2. Perez *disp.* 39. *sect.* 4. *num.* 7. Sanchez *supra num.* 11. qui rectè, vt etiam dicebamus addit, etiamsi nullum sit periculum quòd tale impedimentum in foro externo probetur, si tamen sit probabile plenè in foro externo, necessariò iterandum esse coram Parocho, & testibus; quia licèt in aliis decretis occultum vsurpetur, quatenùs distinguitur contra publicum, vel contra id, quod deductum est ad forum externum, vt cum multis docet idem Sanchez eodem *nu.* 11. in præsenti tamen occultum meritò putat dici impedimentum, quatenùs distinguitur contra plenè probabile; quando enim plenè probari potest in foro externo, si matrimonium clàm ratificatum validum esset, sequerentur omnia inconuenientia, quæ voluit vitare Tridentinum, quæ sequebantūr olim ex matrimonio clandestino valido: nam semel probato impedimento, posset alter coniux aliud matrimonium inualidum inire, & in perpetuo adulterio viuere, cum Ecclesiæ non constet de occultâ reualidatione matrimonij illius publici; quod propter impedimentum plenè probatur fuisse nullum, vt suprà notabamus.

111. *Quid sufficiat vt sit impedimētū plenè probabile in foro externo?* Sanchez. *Qui dicantur testes omni exceptione maiores.* Sanchez. Mascard.

Illud autem impedimentum dicitur plenè probabile in foro externo ad dissoluendum matrimonium publicè contractum, quod duobus testibus exceptione maioribus probari potest, vt habetur expressè *c. Quoties de Testibus & attestat.* & docet Sanchez illo *num.* 11. cum Mascardo *de probat. conclus.* 410. *num.* 19. *iuncto nu.* 9. Illi verò testes debent esse omni exceptione maiores, quibus scilicet nihil possit opponi, vt cum multis à se relatis docet idem Mascardus *conclus.* 1203. *de probationibus à num.* 4. *vsque ad* 14. Vnde si solâ relatione coniugis tres, vel quatuor scirent impedimentum, adhuc censeretur occultum dum non est publica fama; illi enim testes non possunt facere plenam fidem pro dissoluendo matrimonio, tantùm enim deponunt de coniugis confessione.

112. *Aliud in praxi maximè notandū.* Henriq. Sanchez. *Recentiores.*

Illud etiam maximè placet, quod docet Hēriquez *citato num.* 6. cum eo Sanchez *num.* 12. atque Recentiores impedimentum scilicèt redactum ad forum externum, si non probetur, aut falsâ informatione pronuncietur sententia pro matrimonio publicè contracto, manere adhuc occultum, cùm matrimonij valor constet Ecclesiæ, ac proinde poterit conualescere per mutuum consensum occultum inter coniuges, sublato impedimento.

113. *Aliud inde illatum pro facultate dispensandi concessa Episcopu.*

Ex quo etiam sequitur quâ ratione intelligenda sit lex Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* Vbi conceditur facultas Episcopis dispensandi in delictis occultis non deductis ad forum contentiosum. Qua de re latè diximus agentes de Censuris *in tractat.* 10. *disp.* 3. maximè *dub.* 4. *sect.* 2. quando enim lata est iam sententia in fauorem rei, siue falsis testibus, siue defectu probationis, illud crimen non censetur iam deductum ad forum contentiosum cum effectu, sunt enim verba cum effectu recipienda *c. Relatum de Clerico non residente*, & notauit Sanchez *nu.* 12. *citato.* Legantur quæ diximus *loco notato.* Vbi plures pro hac sententia retulimus. Legantur item Sanchez *citato num.* 12. Henriquez *libr.* 14. *de irregularitate c.* 20. *num.* 4. Rodriq. 1. *tomo summæ in* 2. *editione c.* 167. *num.* 4. Viuald. *in candelabro Aureo.* 2. *p. de excom. num.* 42. Vbi ait grauissimos Salmantinos ita sensisse, quamuis alij oppositum censerent.

114. *Obseruandum ex Sanchez & Ledesma.*

Rectè etiam obseruat Sanchez num. 13. & Bartholom. de Ledesma eos, qui sublato impedimento reualidârunt matrimonium occultè, non teneri Ecclesiæ benedictiones iterum recipere, quia semel receptæ sunt, nec possent sine scandalo repeti; nec sunt de matrimonij essentia. Addit tandem Sanchez posse tale matrimonium reualidari per copulam affectu maritali habitam, nixus scilicet hic Auctor fundamento à se non semel repetito scilicet in iure Canonico,

nico. *c. is, qui fidem de sponsalibus.* In hoc tamen philosophandum est iuxta dicta *dub.* 10. *præcedenti & disp. præcedenti dub.* 41. Vbi probauimus copulam non esse ipsam expressionem consensus, neque sumi ab Ecclesiâ pro expressione consensus, sed solùm præsumere Ecclesiam præcessisse inter coniuges consensum, atque hoc olim, quando clandestinum matrimonium valebat. De quo iterum posteà dicemus *dub.* 14. Verum quidem est ipsummet conatum ad copulam, aut mutuam conuentionem habendi illam posse expressè aut virtualiter, concurrentibus aliis circumstantiis, significare internum consensum, maximè, si ipsi bonâ fide processerint, & inter se colloquentes dixerint sibi iam gratum esse, quòd possint tutâ conscientiâ in matrimonio viuere; tunc enim vterque censetur significare alteri internum animi consensum.

Aliud quod addit Sanchez an, & quatenus admittẽdũ.

115. Ad fundamentum verò primæ sententiæ respondetur constare ex dictis in Tridentino tantùm irritari matrimonia inita absque præsentiâ Parochi, & testium sufficiente ad impedienda prædicta incommoda, quę ex matrimonio clandestino sequebantur; ad hoc autem sufficit præterita illa præsentia, & assistentia ad cõtractum præteritum nullum ob defectum occultum, & non probabile exteriùs. Sed quia sæpe hucusque dixi Tridentini legem non se extendere ad nostrum casum, oportet hoc ipsum à fundamentis declarare. Continet enim doctrinam apprimè vtilem; imò necessariam pro explicatione multarum legum. Accuratè ergo notare oportet longè diuersum esse legem aut rationem legis cessare in aliquo casu, & rationem legis, aut legem non se extendere ad aliquem casum. Cessare enim legem & rationem legis in aliquo casu necessariò inuoluit legem & illius rationem comprehendisse illum casum, & habuisse locum in illo, & posteà cessasse legem, & rationem legis. Neque enim lex, & illius ratio ibi cessasse diceretur, nisi locum aliquando cæpisset habere. Quod enim nunquàm fuit, non potest cessare, aut desinere esse. Quando autem ratio legis atque adeò lex non habuit vnquàm locum in aliquo casu, non censetur casus comprehensus sub lege, sed perinde se habet casus ille, posità lege, comparatione legis, atque si lex nunquàm fuisset aut esset posita. Hinc est, vt quamuis lex sit præcipiens, aut prohibens aut etiam irritans, non censeatur pro tali casu præcipere, prohibere, aut inualidare actum, quem non comprehendit, & ad quem se non extendit. In casu verò, quem lex aliqua iam cõprehendit, & ad quem iam se extendit, fieri potest, vt ratio legis, ob quam lex se extendebat cesset, & lex non ampliùs se extendat ad illum, & tunc cesset lex, siue quia ratio legis iam vniuersaliter cessat (quod plerique putant requiri vt lex cesset, etiam pro casu particulari,) siue quia saltem pro illo casu, aut quouis simili cessat illa ratio (quod aliqui putant satis esse, vt lex tunc cesset, & desinat in talibus casibus obligare) supponitur tamen, & requiritur ad hanc cessationem, casum illum fuisse comprehensum sub lege, & legis ratione. Hanc doctrinam diuersis verbis à Sanchez supra & ab aliis etiam datam, & approbatam explicant exemplo v.g. Præcipit superior, ne Religiosi adeant locum, vbi operarij laborant, ne cum illis loquendo ab opere eos impediant; tunc, si quis vellet adire omnino resolutus tacere, posset dici cessare in eo rationem legis, vel præcepti. Si tamen (inquiunt) die festo adirent, quando operarij vacant, nunquàm hunc casum lex comprehendit, cùm pro tali die non fuerit positum præceptum. Admitto nunc exemplum, saltem quoad secundam partem. Nam prima non caret difficultate. Iam verò applicando doctrinam ad nostram materiam. Dicimus legem Tridentini nõ se extendere ad nostrum casum, vt in illo sit necessaria præsentia Parochi, & testium, quia nulla lex se extendit, nec comprehendit casum ad quem ratio & finis legis non se extendit, est enim ratio quasi anima legis ipsius (vt cum iuristis etiam aliqui theologi loquuntur) atqui ratio & finis legis Tridentini (vt ex procœmio præmisso ante legem loco citato constat) est irritare matrimonia illa clandestina antiquo iure prohibita, ex quibus oriri poterant prædicta incommoda deserendi se, & cohabitandi cum aliis non veris coniugibus defectu probationis. In nostro autẽ casu nihil tale sequitur, quia sufficienter potest constare in facie Ecclesiæ, quòd illi sint coniuges, ergo non se extendit lex ad illum casum.

Ad fundamentum primæ sententiæ responsio.

Quomodo lex Tridentini non se extendat ad nostrum casum.

Accuratè notanda vtilis valde doctrina.

Sanchez & alij diuersis verbis tradunt eamdẽ doctrinam. Declâratur exemplo ab aliquibus.

116. Ad confirmationem respondetur concedendo quidem Clementem VIII. de facto dispensâsse, & Commissario delegato Bullæ Cruciatæ committi eam facultatem. Non tamen inde colligitur esse omnino necessariam talem dispensationem; sæpe enim conceduntur in Bullis priuilegia, & à Pontificibus dispensationes, quamuis non sint certò & indubitato necessariæ; sufficit enim; quòd sint opiniones variæ, & aliquæ difficultates quibusdam Auctoribus affirmantibus, & aliis negantibus rem licere, aut valere; tunc enim pro sedandis scrupulis, pacandisque conscientiis solent sæpè dispensationes peti, & obtineri. Vt cum Nauarro & Rodriquez notat Sanchez *citato l.* 2. *de matrimonio disp.* 37. *in fine.*

Ad confirmationem respondetur.

DVBITATIO XII.

An aliquod signum externum necessarium sit expressiuum consensus interni ad valorem matrimonij? & an, tanquã essentialis pars?

117. COnsentiunt Doctores, & constat ex dictis *dub.* 2. *& de sponsalibus disp.* 1. *dub.* 2. *n.* 36. ad contractum matrimonij necessaria esse signa externa exprimentia mutuum consensum, definiturque in Concilio Florentino *sess. vltima in Decreto Eugenij*; est enim contractus humanus factus ab hominibus. Vt autem homines contrahant, necessaria sunt signa externa. Solùm ergo est difficultas; an hæc signa externa sint necessaria, tanquàm conditio, sine qua non, vel tanquàm quid essentiale ipsi contractui?

Quid in hac re certum.

Concil. Florentin.

In quo sit controuersia.

118. Prima sententia docet solùm esse conditionem necessariam, vt vtrique contrahenti mutuus

Prima sententia.

Solùm esse conditionẽ. Maior. Veracruz. tuus consensus innotescat. Ita Maior *in 4. disputation 26. quæst. 1.* quem videtur sequi Veracruz *1. part. Speculi. articul. 3.* colligique videtur ex *c. Cum locum 14. de sponsalibus.* Vbi dicitur *matrimonium solo consensu contrahitur.* Item *ex c. Tuæ 25. eodem titulo* dum dicitur matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri & mulieris consensum; sed verba necessaria esse quantùm ad Ecclesiam. Hi tamen textus nihil probant; nam in *c. Cum locum* solum distinguitur consensus liber à consensu præstito ex metu, & dicitur metu præstitum non sufficere; sufficere tamen liberum consensum. *In c.* verò *Tuæ* solùm dicitur esse necessaria verba, vt clarè constet Ecclesiæ, & distinguitur quidem consensus verbis expressus ab expresso signis, & dicitur per vtrumque posse fieri matrimonium exemplo surdi, & muti, quæ omnia nihil probant pro nostro casu. Paulò aliter respondet Sanchez *disputat. 30. lib. 2.*

Colligunt ex iure Canonico. *Nihil probant citati textus.* Sanchez.

119. *Secunda sententia vera est signa externa esse essentialia. Communis sententia Doctorum.* Sanchez. Coninc. Basilius. Bonacina. *Multi apud citatos.* Secunda sententia est omnino vera, signa externa esse essentialia ad naturam, & valorem contractus matrimonij qualis nunc est, & absque illis non esse verum contractum: consonatque cum doctrina tradita *disp. præced. dub. 2.* estque communis sententia Doctorum. Ita Sanch. *loco citato num. 3.* Coninc *disp. 24. dub. 8. n. 63.* Basilius *lib. 2. c. 6.* Bonacin. *q. 2. puncto 1. nu. 3.* quamuis hic non ita clarè loquatur. Est tamen recepta sententia multorum apud citatos. Iuxta hãc ergo sententiam ita sunt necessaria signa externa exprimentia internum consensum, vt, quamuis Deus reuelet eisdem mutuum consensum vtriusque, non subsistat contractus, si externum signum deficiat. Ratio est, quia matrimonium est contractus humanus, pactioque humana; homines autem pacisci non possunt solis consensibus internis, neque enim consensus internus est sufficiens pro mutuâ communicatione & conuentione, quæ intercedit inter personas constantes corpore & anima, sed necessaria est aliqua externa significatio, quæ simul cum interno consensu adsit, vt sit perfecta pro tali statu communicatio. Dixi externa signa requiri ad matrimonij contractum, *qualis nunc est.* Quia, si diuinâ virtute possent vterque merè actibus intellectus secum colloqui, posset tunc sine verbis, aut signis sensibilibus esse matrimonij contractus, sed non esset qualis nunc est humanus humano modo, & hoc probat sufficienter Perez *disp. 14. sect. 3. n. 8.* Non tamen ideò negari debet externum signum esse de essentia contractus humani, etiamsi illud aliud esset verè matrimonium, & inde dominium proueniret & mutuum vinculum. Et quidem illud rem confirmat, quòd cum ex vi institutionis Sacramentorum omnia debeant esse non solùm signa; sed sensibilia; in eo casu tale non esset Sacramentum, quia non esset sensibile signum, atque adeò neque esset inter Baptizatos matrimonium, quale nunc est, ad quod vt sensibile alligauit Christus dignitatem & sanctitatem Sacramenti. Itaque oportet in hac sicut in aliis actionibus humanis inter homines secum visibili, aut sensibili modo communicantes rationem sensibilis reperiri. Videantur, quæ dixi *disputation. 1. dubitat. 2.* agendo in simili de sponsalibus. Vnde nec professio, nec traditio fit per votum merè internũ propter defectum scilicèt perfecti actus humani, qualis non est, nisi constet interno, & externo consensu.

Ratio. *Perez.*

120. *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis matrimonium contrahi potest inter absentes per Procuratores, tunc autem expressio consensuum, personarum absentium non potest esse, nisi tãtùm conditio: ergo tantùm, vt conditio, requiritur.

121. *Responsum quorumdã.* Sanchez. Respondent aliqui cum Sanchez illam expressionem, & à procuratoribus proficisci, & ab ipsis contrahentibus; sed quatenùs à contrahentibus procedit, esse de matrimonij essentia, tanquam partem illius; quatenus verò procedit à Procuratoribus esse conditionem sine qua non. Ita Sanchez *supra numer. 4.* & quidem hoc sufficere etiam ad rationem Sacramenti, sicut ad rationem contractus, vt ex dicendis in sequentibus constabit. Probabilis est hæc responsio; sed multò probabilius respondet Coninc *disputation. 24. dubitation. 9. numer. 74.* quem sequitur Perez *disputation. 14. section. 4. numer. 4.* ipsam expressionem Procuratoris, quâ exprimit se contrahere nomine alterius esse de essentiâ. Quia ideò inter præsentes externa signa sunt de essentia, & pars essentialis contractus, quia ipsimet contrahentes per ea signa dirigunt necessariò vnus ad alterum suum consensum. Atqui ad absentem non minùs dirigunt vnus alterum suum consensum per actum expressionis, qui fit à procuratore, sine quo in eo modo contrahendi non potest esse vera ratio contractus & mutuæ traditionis, ergo etiam expressio illa, quatenùs est à contrahente, eâque ratione est expressio, & significatio animi & consensus, erit pars contractus & Sacramenti. Confirmo & declaro. Matrimonium quod nunc est, esse debet Sacramentum & contractus humanus, ergo debet esse in illo ratio signi sensibilis, illius (inquam) signi, per quod innotescat res significanda illi, cui debet significari; ergo illius signi, per quod vnius consensus alteri innotescat: sed, sicut in præsentia contrahentium verba, aut signa ab ipsis exhibita sunt de essentiâ in illo modo contrahendi, quia per illa significatur res significanda; ita in modo contrahendi in absentiâ, verba & signa Procuratoris erunt de essentia; quia per illa significatur res significanda, id est consensus contrahentis per talem Procuratorem.

Brobabilior alia responsio. Coninc. Perez. *Confirmatur responsio.*

DVBITATIO XIII.

An requirantur verba vel sufficiat aliud signum absque verbis ad valorem matrimonij, vel saltem ex præcepto requirantur?

122. *Multi possunt contrahere matrimonium validè & licitè. Constat ex iure Canonico.* CErtum est non potentes loqui posse contrahere validè, & licitè solis signis, aut nutibus iuxta *cap. Cum apud 23.* & *cap. Tuæ. 25. sponsalibus.* Solum ergo quærimus de potentibus loqui.

Non

123. *Ius non mutis Requirunt multi verba.* Bartholus. *Et alij apud* Sanchez. Richard. Durandus. *Sed tantum id putant iure Ecclesiastico. Probant ex iure Canonico.*

Non pauci Iurisperiti, quos refert Sanchez *lib.2.disp.31.* inter quos Bartholus *l. Nuptias num. vnico ff. de Regul.iur.* & ex Theologis Ricardus *in 4.dist.27. art.1. quæst.3.* (videturque docere Durandus ibidem *quæst.1.* quamuis non ita clarè.) docent in ijs, qui possunt loqui, necessaria esse verba ad matrimonij valorem non quidē iure naturali nec Diuino Christi; sed iure positiuo Ecclesiastico; id enim decernitur, aut supponitur in dicto c. *Tuæ* ibi. *Sed necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti.*

124. 125. *Secunda sententia vera communis Theologorum non esse necessaria verba.* Vasquez. Sanchez. Coninc. Basilius. Bonacina Perez. *Alij apud citatos. Probatur ex Florentino Concilio. Ratio.*

Secunda sententia omnino vera, Theologorumque communis docet non esse necessaria verba etiam in potentibus loqui; sed sufficere quæuis signa sufficienter exprimentia consensum. Ita Vazquez *disp.3.de Matrimonio cap.7.* Sanchez *disp 31.lib.2.* Coninc *disp.24.dub.8.* Basilius *lib.2.de Matrimonio cap.7.* & multi apud ipsos, & apud Bonacinam *de Matrimonio quæst.2. puncto 1. num.3.* & apud Perez quos ipse sequitur *disp.15. sect.1.nu.3.* colligique potest *ex Decreto Fidei Eugenij 4.* in *Concilio Florentino* §. *Septimum Sacramentum*; ait enim *causam efficientem Matrimonij* (nempe vinculi) *regulariter esse mutuum consensum verbis expressum*, vbi expēdenda est particula *regulariter* quâ denotatur, etiam effici posse aliis signis, & per eandem particulam declaratur, & quasi limitatur regula illa generalis, quæ prius ibi fuerat tradita, quod scilicèt omnia Sacramenta efficerentur verbis vt formâ, & rebus, vt materiâ. Ratione verò probatur, quia ex nullo capite constat verba ita esse necessaria, vt alia signa non sufficiant, atque inprimis non requirunt verba iure naturæ, seu ex naturâ contractus, possunt enim contrahentes aliis signis pacisci de mutuâ corporum traditione, mutuumque consensum exprimere iuxta dicta *disp.1.dub.2.* & diximus in *nostro opere de iustitia & iure lib.2.tract.3. disp.1. dub.19.* generaliter de omni contractu disputantes. Deinde non sunt necessaria verba ex Christi institutione, quamuis enim eleuauerit contractum Matrimonij ad dignitatem Sacramenti, nihil tamen constat innouâsse circa naturam huius contractus. Denique non videntur necessaria iure Ecclesiastico; nam illo c. *Tuæ* quo vtuntur aduersarij tantùm significatur verba esse necessaria, vt de tali contractu clariùs constet Ecclesiæ, neque aliud inde colligi potest. Neque ex eo, quòd huiusmodi contractus sit Sacramentum, requiruntur verba (quidquid affirmet Canus 8.*de Locis cap.5. ad 3.*) quando enim Christus Sacramentum hoc instituit, nihil mutauit (vt notabam) ex iis, quæ pertinent ad rationem contractûs, ad quā non sunt necessaria verba, ac proinde, nec ad rationem Sacramenti; idque significat, vt dicebamus, Eugenius 4 in illa particula *regulariter.*

Respondetur ad textum in contrarium.

126. *Aliqui negarunt immerito matrimonium nutibus contractum esse Sacramentum.* S. Thom. Scotus.

Vnde non placet quod docet D. Thomas in *4.dist.1.quæst.1.art.3.* Scotus *dist.26. q. vnica litera L* §. Sed hic est dubium. Canus loco citato, qui negant Matrimonium nutibus contractum esse Sacramentum. Oppositum enim est communis Theologorum sententia, siue quia nullum fidelium Matrimonium est, quod non sit Sacramentum (vt multi volunt teste Henriquez & Rodriquez, quos refert & sequitur Sanchez *disp.illâ 31 num.8.*) siue, quia quando non adest intentio contraria; sed voluntas potiùs, saltem confusa, contrahendi, sicut contrahunt fideles sufficit (vt suo loco ostendemus) ad rationem Sacramenti, siue quia etiam sufficit ad rationem contractus, quam Christus nō mutauit; sed solū eleuauit ad rationem Sacramenti, vt dictum est. Canus. *Ratio.* Henriq. Rodriq. Sanchez.

127. *An sit præceptum vtēdi verbis? Affirmant aliqui.* Ledesm. Rodriq. Henriq.

Quæret tamen aliquis, an saltem ex præcepto adhibenda sint verba? Affirmant Petrus de Ledesma *de Matrimonio q.45. art.2.* Rodriquez in *Summa c.216.* Henriquez *lib.11. de Matrimonio cap.2.num.6.* Sed hic Auctor, sicut & Ledesma. non sentiunt esse peccatum graue.

128. *Nullum est peccatum, quia nullū præceptum.* Basilius. Coninc. Bonacina. Perez. *Probabile est aliquando posse esse veniale.* Hurtado. Perez. *Alij. Varij modi sine verbis cōtrahendi. Taciturnitas puellæ an aliquando sufficiat.* Rebellus. *Quid de subarrhatione?* Sanchez. Bonacina. *Alij apud ipsum.*

Absolutè asserendum est nullum esse peccatum. Ita Sanchez *sup.n.10.* cum multis. Item Basilius, Coninc, & Bonacina suprà & alij, quos refert & sequitur Perez suprà *num.11.* & *seqq.* licèt non improbabiliter aliqui putent aliquando posse esse veniale, sed ordinariè non esse. Quod meritò intelligunt, quando est iusta aliqua causa non exprimendi consensum verbis, nam, si nulla sit causa, erit peccatum veniale, vt iidem Auctores concedunt, cum videatur à ratione alienum verbis non vti in tàm graui cōtractu. Ita Hurtado apud Perez & alij. Itaque habemus Matrimonium validè contrahi, non tantùm verbis; sed etiam Scripturâ, aut nutibus. Imò non pauci putant, etiam taciturnitate puellæ, vel pueri, quando altero contrahente consensum ex parte suâ exprimente, pater, vel mater, vel curam gerens puellæ, aut pueri respondet pro puella, vel pro puero exprimens eius consensum; imò, vt docet Rebellus *lib.2. q.10. sect.1.* etiam validè contrahitur subarrhatione, id est traditione annuli; sed in his omnibus philosophandum est iuxta dicta disp.1. dub.2. in explicatione tertiæ conditionis; & legi potest Sanchez locis citatis, & Bonacina cum aliis, quos refert. Legantur quæ ibi diximus. Argumenta verò contra datam hucusque doctrinam aut cessant aut ex dictis soluta manent ideò non immoror.

DVBITATIO XIV.

An sponsalia transeant in Matrimonium per copulam subsequentem?

129. *Occasio huius dubitationis ex textibus iuris Canonici sumpta.*

OCcasionem huius dubitationis præbuerunt *c.Veniens 15.* & *c.is qui fidem 30.* & *c.finale de sponsalib.* ex quibus constat olim Ecclesiam ex copulâ habitâ post sponsalia præsumere Matrimonium, vt iam notauimus tùm præcedenti *disp.dub.41.* tùm in hac *disp. dub.10.* Quibus in locis ostendimus Ecclesiam ideò præsumere illos veros coniuges, ne præsumeret illos ad nō propriū coniugem accessisse. Ideò iudicabat illos, antequàm accederent, priùs contraxisse; quod non præsumebat ex solâ cohabitatione, aut ex osculis. Hæc autem præsumptio adhuc locum habet in iis Regionibus, in quibus non est receptum Tridentinum.

130. *Aduertendum iuxta priùs dicta contra aliquos.*

Aduertendum est tamen iuxta dicta locis notatis contra Sanchez, & Henriquez ibi relatos, & iterum posteà referendos; ideò à nobis appellati huiusmodi Matrimonium præsumptum, quia Ecclesia olim, & nunc etiam vbi Tridentinum

dentinum non viget, præsumebat quidem, & præsumit intercedere Matrimonium; non tamen eo ipso transibant sponsalia in verum Matrimonium, sed tantùm in præsumptum, non solùm, quando copula fiebat animo fornicario (in quo omnes consentiunt) sed etiam, quando fiebat affectu coniugali, vt rectè docent Bassolis in 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. Basilius *lib.* 2. *cap.* 12. in illis enim capitibus absque vllâ distinctione affectus, ex quo fieret copula, absolutè dicitur transire sponsalia in Matrimonium; quod verum esse non potest, nisi in Matrimonium præsumptum, quando (vt dicebam) fiebat animo fornicario. Itaque vt *dub. illâ* 41. notauimus, copula non erat signum exprimens consensum sufficientem ad Matrimonium; sed tantùm pium quoddam indicium, & prudens quòd contractus præcessisset ante copulam; nam, si copula ipsa censeretur signum, quo significaretur consensus Matrimonialis, non fieret contractus, nisi per ipsam copulam; atque adeò ipsamet copula tanquàm causa essentialiter requisita nempe, vt signum externum præcederet ipsam translationem dominij corporis, atque adeò esset illicita; esset enim accessus ad nondum coniugem. Vnde Ecclesia non posset præsumere illam fuisse licitam, & sanè quamuis tunc haberetur affectu; seu intentione mutuæ traditionis de præsenti, si talis affectus non alio signo antecedente copulam significaretur, copula ipsa non sufficeret, quia actus copulandi se neque est ex se signum consensus Matrimonialis, cùm possit sine tali consensu fieri, nec est res instituta ad id significandum, neque si esset, posset ipsa copula licitè fieri, quia copula licita supponit Matrimonij vinculum, non efficit. Vide quæ dicemus infra *dub.* 21. *n.* 239. & locis ibi notatis.

Bassolis. Basilius.

131. *Controuersia præsens habet locum post Tridentinum, vbi viget.*

Iam verò locus manet dubitationi, an post Tridentinum vbi hoc Concilium viget, possint sponsalia per copulam subsequutam transire in Matrimonium, siue verum iuxta sententiam aliorum, siue præsumptum iuxta nostram, & eorum, quos retulimus.

132. *Quid certũ primus sit.*

In quâ re primò certum sit, vbi Tridentinum viget, nullo modo transire, quoties, neque sponsalia, neque copula habeantur coram Parocho & testibus, sine quorum præsentia nunquàm validè contrahitur Matrimonium.

133. *Certum 2.*

Certum secundò sit, etiam, quando copula non haberetur coram Parocho & testibus, quamuis sponsalia coram eis fuissent celebrata, non transire copulam in Matrimonium; tunc enim Parochus & testes non assisterent illi actioni, de qua disputamus, an sit signum sufficiens externum consensus interni, quod signũ in nostro casu deberet esse copula; necesse autem est, iuxta Tridentinum, quòd Parochus & testes assistant illi expressioni, quâ consensus Matrimonialis exprimitur.

134. *Certum 3.*

Certum quoque tertiò sit, etiamsi copula haberetur coram Parocho & testibus, non tamen sponsalia coram ipsis præcessissent, adhuc non transire in Matrimonium; tunc enim tantùm possent testificari de copulâ coram ipsis habitâ, non verò de sponsalibus, ac proinde non possent testificari, quòd sponsi sibi expressissent consensum, etiamsi alioquin vellemus admittere copulam post sponsalia esse sufficiens signũ; neque enim in eo casu esset tale pro illis testibus, qui non adfuerunt celebrandis spõsalibus.

Tota ergo difficultas est, quando & sponsalia & copula habita fuerunt coram Parocho & testibus.

135. *Status quæstionis.*

Prima sententia docet transire in Matrimonium. Ita Sanchez *lib.* 3. *disp.* 40. *num.* 7. Henriqu. *lib.* 11. *c.* 3. *num.* 7. qui testatur idem olim sensisse Couarruuiam, Valdes, & alios Theologos consultos de hac re, item Spino *in speculo testament. Gloss.* 15. *num.* 65. *& 66.* Præcipuum fundamentũ huius sententiæ est ratio à priori, quia mutuus consensus de præsenti sufficienti signo externo manifestatus coram Parocho & testibus constituit Matrimonium; sed tale signum est copula illa post sponsalia, quando vtrumque notum est Parocho, & testibus: ergo etiam post Tridentinum sponsalia transeunt in Matrimonium, copulâ subsequutâ, & eisdem Parocho, & testibus notâ, in verum quidem Matrimonium, si animo verè coniugali copula fiat, præsumptum verò, si tantum affectu forniçario.

136. *Prima sententia affirmat transire in matrimonium.* Sanchez. Henriq. *Cum alijs.* Spino. *Præcipuum fundamentum & ratio à priori.*

137. *Assertio & negatiua sententia.*

Asserendum nihilominùs est, non transire in Matrimonium, etiam præsumptum. Ita inter alios Perez *disp.* 15. *sect.* 4. *num.* 5. & priùs dixerat *disp.* 8. *sect.* 5. *num.* 9. cum Hurtado *disp.* 3. *diffic.* 14. *num.* 55. & alijs, in quibus Basilius Pontius *lib.* 11. *illo* 12. Referunt Perez & aliqui Recentiores pro hac sententia, quam sequuntur, Conink. *disp.* 21. *nu.* 21. sed ibi, quamuis subobscurè loquatur, non loquitur in nostro casu præciso, quando & copula, & sponsalia fuerunt coram eisdem Parocho & testibus; imò posteà *disp.* 22. *num.* 57. oppositum docet, si talis casus possit contingere; cum enim dixisset, vbi receptum est Tridentinum, non habere locum talem præsumptionem matrimonij subiungit, *nisi tàm sponsalia, quàm subsequuta copula fierent coram Parocho & testibus.* Nostram verò sententiam declarauit Congregatio Cardinalium teste Rebello *lib.* 2. *q.* 10. *num.* 42. Ratio verò est, quia copula adhuc præcedentibus sponsalibus, non censebatur verum signum consensus Matrimonij, quod tunc per ipsam copulam fieret, sed tantùm erat prudens indicium contractus ante copulam ipsam facti. Ex quo fit, vt, quamuis & sponsalia, & copula fiat coram Parocho, & testibus, non transeant in Matrimonium; non quidem ex defectu præsentiæ ipsius affectus, & prædictorum assistentium, sed ex defectu signi externi, sine quo fieri non potest contractus Matrimonij. Vnde neque in præsumptum matrimonium transit; nam, vbi Tridentinum viget, ad valorem contractus matrimonij requiritur, quod fiat coram Parocho, & testibus; copula autem adhuc præsuppositis sponsalibus coram testibus eisdem, non est indicium, quòd contractus fiat, vel factus fuerit coram Parocho & testibus, quia neque hoc erat signum ante Tridentinũ. Ergo ex copulâ quantumuis habitâ coram Parocho, & testibus, & post sponsalia coram ipsis celebrata non præsumet Ecclesia factum fuisse contractum matrimonij, vbi Tridentinum viget. Et sanè cùm requisiuerit præsentiam Parochi, & aliorum testium, præceperitque Parocho, vt nomina testium, & coniugum, diemq;

Conink non satis clare loquitur, & deinde oppositum docet.

Congregatio Cardin. nobiscum sentiens apud Rebellũ. Ratio.

&

& locum celebrationis contractus scribat, & apud se custodiat, non vult matrimonium præsumi, nisi expressione consensus coram prædictis factâ.

138. *Aduertendum ex alio. inter quos Sanchez. Perez. Non accipit vim ex iuramento adiuncto quod alioquin non valebat.* D. Thom.

Tandem aduertendum est cum Sanchez & Perez aliisque *supra* non transire sponsalia in matrimonium quantumuis iuramento firmarentur olim ante Tridentinum, & nunc vbi Tridentinum non viget, vt rectè idem probat Sanchez *num.*5. ex D. Thoma *in* 4. *dist.*28. *q. vnicâ art.*1. nam iuramentum, si spectemus ius naturæ, tantùm confirmat verba contractus, seu promissionis, neque eorum vim, & naturam mutat, solumque addit obligationem Religionis ortam ex iuramento, Iure autem positiuo (in quo falsò nonnulli fundantur asserentes oppositum) non dantur talis vis iuramento, vt patet discurrendo per Textus, qui afferri solet, nam *in c. Si quis diuinis* 30. *q.*5. Vbi dicitur. *Si quis diuinis tactis iurauit mulieri legitimam se eam vxorem habiturum, sit illa legitima vxor.* Solùm denotatur teneri ad illam ducendam; non verò, quòd statim incipiat esse vxor ipsius; id enim significat illud verbum *sit*; quod est imperatiui modi *in c. verò Ex parte 9. de sponsalibus* tantùm agitur de matrimonio de præsenti contracto, verbis quidem de futuro; sed æquiualentibus verbis de præsenti, ratione particulæ *ab eo tempore.*

Respondetur. Quibusdam textibus obiectis in contrarium.

139. *Sententia nostra ratione probabilior. Opposita vero probabilis propter multorum auctoritatem.* Sanchez. Henriq. Bonacina. Ledesma. Gutierrez. *Multi Recentiores. Declaratur quo sensu & modo censeatur à suis auctoribus probabilis ea sententia.*

Quamuis autem nostra sententia de sponsalibus per copulam non transeuntibus in matrimonium probabilior sit, si ratione agamus, opposita nihilominus sententia propter multorum auctoritatem satis probabilis est, quam præter Sanchez & Henriquez citatos, sequitur Bonacina *q.*2. *puncto* 1. *nu.*4. Petrus de Ledesma *de Matrimonio q.*46. *dub.*2. Gutierrez *c.*40. *num.*13. & est hoc tempore multorum Recentiorum, & quidem, quamuis ipsa copula, supposítis etiam sponsalibus, non censeatur licita, nisi præcedat consensus sufficiens ad matrimonium; ipse tamen accessus, seu aggressio, quâ mutuò sponte conueniunt prædicti sponsi non improbabile videtur multis quòd spectatis circumstantiis prædictis præcedentium sponsalium coram Parocho, & testibus, qui etiam testes sint prædictæ aggressionis, censeatur significatio quædam externa interni consensus. Et hac ratione eo ipso, quòd prædictis testibus constet de copulâ, constat de consensu, quod in ipsa aggressione ad copulam continetur, ita, vt quando iam copula exerceri incipit, licitè exerceatur, quia nimirum in ipso congressu, seu aggressione proximè, & immediatè necessariò præcedẽti, censetur factum matrimonium; & hæc fortasse est causa, ob quam Ecclesia præsumit matrimonium præcessisse ante copulam, quia nimirum, qui sic copulam aggrediuntur, censentur tacitè tunc animo coniugali accedere. Vnde, si hoc fiat coram Parocho & testibus modo explicato, erit locus tali præsumptioni; erit autem veræ præsumptio, si verus etiam sit animus iuxta hanc probabilem sententiam. Nihilominùs contra hoc est difficile argumentum petitum ex *c. finali de sponsalibus.* Vbi consultus Papa Gregorius IX. in casu, quo quidam adolescens, qui contraxerat sponsalia cum vnâ conatus fuit sæpe illam cognoscere, sed non potuit, & deinde cum alia contraxit per verba de præsenti, respondet secundam, & non primam debere habere, quia conatus non habuit effectum. Verùm illum textum accuratè expendendi & exponentes casum glossas, neque inueni, vnde prouenerit, quòd ille iuuenis conatus, seu (vt loquitur Pontifex) *nisus* eam carnaliter cognoscere, non potuerit. Vnde credere possumus vnum è duobus, vel quòd sponsa restiterit, & sic ex parte ipsius defuerit consensus matrimonialis, & ideò dixerit Pontifex *cum quâ nec fuerit verum Matrimonium ex forma contractus, nec præsumptum cùm conatus non habuisset effectum*, vel forte ex eo conatu constitit in adolescente fuisse respectiuam impotentiam comparatione primæ & non comparatione secundæ. Quod autem Perez adhuc supra opponit, quòd dispositio quæ exorbitat à iure (qualis est hæc de præsumpto matrimonio ex copulâ) requirat factũ vt non sufficiat conatus, non multum negotij habet, id enim quantumuis detur esse verum vniuersim; intelligendum est ad pœnam infligendam vel incurrendam pro delicto v.g. ad incurrendam censuram aut etiam ad inhabilitatem, qualis agnoscitur in irregularitate, non verò idem iudicium est, quando solùm agitur de sumenda indicatione, aut suspicione affectus, & voluntatis. Nam hoc iudicium non minùs sumitur ex conatu, aut nisu, quam ex effectu. Imò vt dicebam paulo ante ipsemet conatus & aggressio, quæ præcedit copulam, est quòd multis videatur esse indicium ad præsumendum consensum præcessisse ante copulam, vt iam copula ipsa censeatur venire post consensum & affectum coniugalem.

Euasioni aliquo locus.

Oppositio Perezij.

Adde hoc saltem videri non posse negari in casu, quo priùs inter sponsos coram Parocho, & testibus conuenisset, quod, si ad se mutuò accederent carnaliter; eo ipso censerentur velle de præsenti in matrimonium consentire; tunc enim suppositâ conuentione partium, ille accessus sufficienter significaret, tùm ipsis accedentibus, tùm Parocho, & testibus, qui præsentes sunt, animum coniugalem de præsenti in ipso accessu ante peractam copulam.

140. *Quo casu probabilius valet tale matrimoniũ & copula vel aggressio significet consensum.*

DVBITATIO XV.

An valeat Matrimonium celebratum per procuratores, vel per litteras, etiamsi contrahens fiat amens?

141. *Assertio affirmatiua. Nil obstat Tridentinũ vtpote non contrarium.*

ASserendum est validè contrahi matrimonium inter absentes per litteras, vel per procuratorem, tàm masculum, quàm feminam, tùm ante, tùm post Tridentinum, etiam vbi id viget, constatque ex *c. finali Procuratoribus in* 6. circa quod nihil innouauit Tridentinum, solùm enim requisiuit præsentiam Parochi, & testiũ, quando celebratum fuerit matrimonium. Ratio verò ex natura rei est, quia contractus naturã vniuersum postulat, quòd possit celebrari per litteras, vel per procuratorem inter absentes, ac proinde matrimonium, cùm sit contractus humanus, non est cur ab eâ communi regulâ, seu lege excludatur, nisi fortè iure irritetur,

Ratio ex natura rei suffragatur.

Argumentũ nihilominus difficile contra se habet petitum ex iure Canonico. Greg. IX.

tur, nullum autem extat ius positiuum, vnde constet ipsum irritari. Idque totum satis declarat praxis, & vsus Ecclesiæ communisque Doctorum consensus. Vt verò contractus matrimonij per procuratores validè celebretur, tria requiruntur in prædicto *c. finali de procuratoribus in 6.* primum, quòd procurator habeat specialem commissionem ad id; secundum, quòd per ipsum id præstet, nec substituat alium, nisi fortè id expressè habeatur in commissione sibi datâ: tertium, quòd commissio non sit reuocata tempore, quo celebratur contractus; quando enim reuocata est, etiamsi constituens procuratorem iurâsset, se non reuocaturum, valet reuocatio, sicut etiam, si solùm internè pro foro conscientiæ valet, & quantumuis procurator ignoret reuocationem, valebit; neque enim, quando est reuocata externè vel internè, potest procurator validè consentire nomine principalis, cùm iam non subsistat commissio, & matrimonium non celebretur, sicut plerique alij contractus, per consensum debitum; sed per consensum verum, qui tunc iam non est.

Praxis & vsus declarat hoc & confirmat.

Tria iura requisita pro tali modo cõtrahendi. Primum. Secundum. Tertium.

142. Poterit tamen assignari procurator tantùm verbis absque vllâ Scripturâ; neque est necessarium (etiam post Tridentinum) quod talis assignatio fiat coram Parocho, & testibus, imò neque necessarium est illis ostendi, quando fit contractus, dummodo contractus ipse coram ipsis fiat à procuratoribus. De quibus omnibus legi potest Cardinalis Tuscus *tomo 5. conclus. 124.* & alij Auctores paulò post referendi, maximè Sanchez *lib. 2. disp. 11.* alia explicabimus *infra*.

Sufficit verbis absque Scriptura procuratorẽ hunc assignare etiam sine Parocho & testibus assignationẽ. Tuscus. Sanchez. Et alij referendi.

143. Circa matrimonium verò per litteras celebrandum, id constat ex *L. mulierum ff. de ritu nuptiarum* in quo Doctores conueniunt, si loquamur de tempore ante Tridentinum; vt notat Sanchez *lib. 2. disp. 12.* multis relatis. Vtrum autẽ id locum habeat etiam post Tridentinum? non omnes consentiunt. Negant aliqui inter quos vterque Ledesma, & Rodriquez apud Sanchez *suprà num. 2.* in quod etiam magis inclinat Veracruz *in Appendice. ad speculum dub. 3. in fine* quia nimirum consensus coram Parocho, & testibus præstari debet, quando autem alter recipit litteras, licèt consentiat coram Parocho, non sufficit, nisi alter acceptet, non videtur autem fieri posse, vt vtriusque consensus possit coram eodem Parocho, & testibus præstari mediâ epistolâ. Id ipsum contra Sanchez illumque incõsequentiæ arguens docet Card. Lugo *de Sacramentis disp. 9. num. 136.* In quo agnoscunt prædicti discrimen inter procuratorem & Epistolam, quod procurator potestatem habet acceptandi, non verò epistola. Probat à posteriori, quia, si ego per Epistolam, aut nuncium alicui promittam, aut me obligem, possum reuocare consensum & Epistolam, aut nuncium, antequàm ad notitiam venerit illius, cui me obligare volebam, non potest enim subsistere obligatio, antequàm ille alius sciat me obligari, vt fatetur Sanchez *lib. 1. de Matrimonio disp. 3. nu. 5. & disp. 6. num. 3.* ideò enim non potest homo irreuocabiliter obligari alteri homini per actum merè internum cùm ergo obligatio illius, qui Epistolam accepit, nondum sit nota illi, qui Epistolam misit, poterit reuocari ab ipso, qui Epistolam accepit, & per consequens Matrimonij contractus nondum est perfectus, hic enim non est dissolubilis voluntate contrahentium, ita ibi Lugo.

De Matrimonio per litteras, si agatur de tempore ante Tridentinũ, omnes idem docent. Controuersia de tempore post Trid. Negant aliqui Ledesma vterq; Rodriquez. Veracruz. Ratio. Lugo id ipsum docet contra Sanchez, quem arguit inconsequentia. Probat à posteriori.

144. Probabilius nihilominus est valere. Ita Sanchez *supra num. 3.* Coninc *disp. 24. dub. 9. num. 80.* Henriquez *lib. 11. cap. 2. num. 6.* Molina *tomo 2. de Iustitia disput. 254. in principio* Vega *lib. 4. Summæ casu 264.* & alij apud Sanchez & post alios Perez qui testatur de communi sententia Doctorum *disp. 15 sect. 9. num. 4.* Ratio verò est, quia potest quis per literas proprium consensum coram Parocho, & testibus exprimere, & simul ex tunc per easdem literas alterius consensum, si verè consentiat, acceptare, quod rectè explicant aliqui citati, præsertim Perez eodem *nu. 4.* ita vt vtriusque consensus coram Parocho & testibus exprimatur. Nam, si femina priùs scribat viro se in eum de præsenti consentire, & vicissim ille in iisdem litteris à se remissis scribat se illius consensum acceptare, & in eam similiter de præsenti cõsentire, & illa rursus istum illius consensum scripto acceptet, & illi manifestet, & hæc omnia exhibeantur coram Parocho & testibus, qui prædicta legant, & videant ab vtroque signata & scripta; iam vtriusque consensus, & acceptatio sufficienter explicatur coram illis. Scio alium modum ab alijs assignari, vt videre est apud Perez, sed possent multæ difficultates circa illum moueri. Sufficit nobis prædictus modus. Nec aliquid contra illum probant ea, quæ ab aduersarijs opponuntur, iam enim patet in eo modo vtriusque consensum & acceptationem manifestari coram Parocho & testibus, quod ipsi putabant non posse per literas fieri. Neque est inconueniens quòd interim fieri possit vt alter contrahentium reuocârit suum consensum & acceptationem; id enim etiam potest habere locum in matrimonio per procuratorem, quia interim, dùm procurator contrahit, vel vult contrahere, fieri potest, vt tunc temporis etiam reuocauerit, licèt procurator ignoret; & solùm hoc dubium talis possibilis reuocationis probat, quòd non possumus esse omnino certi de perfecto Matrimonio donec posteà aliunde constet, quod tempore, quo Matrimonium per procuratorem aut literas celebrabatur contractus, non fuerat reuocatus consensus, aut plenipotẽtia. Et quidẽ quoad hæc nõ video maiorẽ difficultatẽ in hoc Matrimonij contractu, quam in alijs, vbi requiritur, quoties celebratur in absentia per litteras, & requisitis testibus, quòd id totum & testibus innotescat, & quòd consensus vnius, & acceptatio innotescat alteri parti, & quòd quando secundus contrahens consentit, alius non reuocauerit. Eaque propter etiam in alijs est locus dubio, aut suspensioni certitudinis perfecti contractus, donec sciatur, quòd eo tempore, quo secundus admisit & consensit, non reuocauerat primus. Verùm id totum non impedit, quo minus valeat contractus Matrimonij, etiamsi non fiat licitè, quando sine iusta causa eo modo contrahitur.

Probabilius est valere. Sanchez. Coninc. Henriq. Molina. Vega. Alij. Perez, qui testatur de communi. Ratio.

Explicatur rectè à Perez. & alijs.

Alius difficilior modus à Perez.

Respondetur obiectis in contrarium

145. Aduertendum verò est eodem modo philosophandum esse de contractu Matrimonij per Epistolam celebrato, atque de Matrimonio celebrato per nuncium. De quo etiam Auctorum

Eadem doctrina valet pro celebrãdo matrimonio per litteras, quæ pro celebrãdo per nuncium.

Applicatur ad celebrationem per nuntium.

res citati consentiunt posse per illum celebrari. Illum verò, cui mittitur Epistolâ, aut nuncius exprimens consensum mittentis, debere suum cõsensum, & acceptationem traditionis sibi factæ exprimere ipsi mittenti, vel per alteram epistolã, vel per nuncium; est enim eidem ipsi facienda expressio correspondentis consensus, & acceptationis, quia cum eo contrahitur, siue id fiat in suâ propriâ personâ, siue alteri habenti commissionem ad id, quam solet habere nuncius, qui tunc quando eam habet, censetur (quantum ad id) habere munus procuratoris, cui nomine alterius exprimitur consensus; imò etiam quoad expressionem exteriorem factam ab ipso nũcio induit etiam rationem procuratoris, cùm nomine alterius mittentis exprimat externo signo consensum illius; quãuis non censeatur in omnibus procurator, cùm, quod attinet ad consensum, non consentiat nomine alterius; sed eiusdem alterius tantùm consensum explicet.

Partim nuncius est assimilis procuratori, partim differt ab illo.

146. *Aliquod discrimen inter modũ celebrandi per nuntium quoad verba, & celebrandi per Epistolam.*

Quamuis autem contractus per Epistolam eisdem verbis scriptis celebrari possit, quibus potest in præsentia celebrari; non est eadem ratio de nuncio; per hunc enim celebratur referendo, & exprimendo, vt nuncius est, nomine mittentis consensum ipsius vt, si dicat: *Petrus me misit, vt nuntiem tibi eum te velle, aut te accipere in vxorem.* Ex quo patet discrimen inter Matrimonium per nuncium, aut per Epistolam, & per procuratorem, quod, quando fit medio nuntio, aut Epistolâ, ex parte mittentis requiritur consensus, atque is non reuocatus; nemo enim tunc nomine ipsius consentit, sed solùm nuncius, aut Epistola ipsius consensum exprimit. Quando verò fit per procuratorem habentem plenipotentiam, sufficit & requiritur, quòd procurator ipse nomine principalis, commissione ab ipso acceptâ, expressè pro illõ consentiat, & hunc ipsum consensum exteriùs exprimat; quia principalis illi commisit integrum contractum tàm, quoad consensum, quàm, quoad expressionem illius. Vnde contractus Matrimonij à procuratore his, aut similibus verbis celebrari debet, *Ego nomine Petri contraho tecum Matrimonium; vel nomine Petri te in vxorem illius accipio.*

Aliud discrimen inter modum per procuratorẽ & per nuncium aut litteras.

147. *Cur licet possit matrimonium inter absentes per litteras celebrari nõ valeat Sacramentum Pœnitentiæ per litteras?*

Ex dictis iam constat differentia inter Sacramentum Matrimonij, & Pœnitentiæ; nam Sacramentum Pœtentiæ & absolutio Sacramentalis impendi non potest absenti per litteras, aut internuncium, iuxta dicta *Tract.* 8. vbi egimus de Pœnitentia, *tum disput.* 5. *dubitat.* 4. *tum disput.* 8. *dub.* 2. Vbi id totum reuocauimus in institutionem Christi sic volentis instituere Sacramentum Pœnitentiæ, vt, quamuis in ceteris alijs negotijs ratio iudicij, & sententiæ latæ à iudice constare possit, & fieri per litteras; tamen ratio iudicij Sacramentalis confessionis noluerit Christus, quod fieret inter absentes, aut per litteras. De hac autem voluntate Christi constat (vt ibi diximus) tùm ex cõmuni sensu Ecclesiæ, tùm ex Clem. VIII. declaratione, & Pauli V. confirmatione, quas ibi retulimus. In nostro autem casu de matrimonio, etiamsi matrimonium inter baptizatos per litteras, aut per procuratorẽ celebratus sit verè Sacramentũ, vt dicemus *dub.* 17. noluit tamen Christus aliquid mutare circa naturã contractus humani matrimonij; sed illũ ipsum eleuauit ad dignitatẽ, & naturam Sacramenti, &, quia cõtractus hic humanus celebrari potest per procuratorẽ, per litteras, & per nuncium: Hinc est, vt, quantumuis sit Sacramentum, possit prædictis modis fieri, vt *eadem dubit.* 17. amplius declarabitur.

148. *Quid si mãdans procuratori incidat in amẽtiam? Duæ sententiæ Diana.*

Dubitare iam posset aliquis, an valeat matrimonium per procuratorẽ, si mandans, quo tempore procurator contraxit, inciderit in amentiã? In quâ re duas inuenio sentẽtias oppositas, quas refert Diana 3. *p. Tract.* 4. *Resol.* 249. sed retulisse contentus (quod sæpè facit) nihil decidit, nõ defectu vel doctrinę, vel prudentiæ, & iudicij, quibus maximè valet, & pollet, sed ex abundantia modestiæ liberam aliis relinquens censendi potestatẽ. Prima sentẽtia affirmat valere. Ita Henriq. *lib.* 11. *c.* 4. *n.* 4. Bonacin. *de Matrim. q.* 2. *punct.* 5. *n.* 13. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 11. *nu.* 12. Probat verò Sanchez, non, quia in alijs contractibus ita seruatur (vt falsò illi tribuitur, vt legenti constabit) sed, quia manet virtute prior consensus, cum reuocatus non sit, sicut Baptismus furiæ tempore receptus, petitus ante furiam, validus est ex cap. *Maiores* de *Baptismo*, sicuti, si tunc temporis esset dormiens, valeret matrimonium, consentit Perez *disp.* 15 *sect.* 8. *n.* 3.

Prima sententia affirmans valere.

Henriq. Bonacina. Sanchez.

Perez.

149. Basil. Pont. Card Lug. *Probat hic.*

Secunda sententia negat valere. Ita Pontius *de Matrimon. lib.* 2. *c.* 15. *n.* 14. Card. Lugo *de Sacrament. disp.* 8. *n.* 108. Probat. *Quia regula generalis est, quod mandatum sicut expirat morte mandantis sic etiam expiret mandante facto furioso, vel amente,* & affert ex Molina *tomo* 2. *de Iustit. disput.* 552. *in fine* legem *qui seruum suum nu.* 47. & legem *si quis alicui ff. de acquirendâ vel omittendâ hæreditate,* vbi id habetur. Hoc eodem fundamento etiam vsus est Pontius, dum dixit. *Si moreretur mandans eo tempore, nihil ageret procurator, ipsâ enim morte cessaret consensus, ergo etiam amentiâ, quæ æquiparatur morti quoad consensum.* Hæc Pontius. Vt mirandum sit Eminentissimum Cardinalem dixisse, referendo illum, rationes Pontij satis efficaces non esse, cum tamen ipsemet Cardinalis non alio fundamento nitatur, nisi quòd amentia morti æquiparetur, quantum ad hunc effectum. Addit quidem alia Pontius, quæ mihi non placent, sed hoc quod dixi præcipuum vtriusq; Auctoris fundamentum est.

Molina.

Eodem fundamento Pontius vtitur. vnde non deberet Lugoni displicere.

150. *Vtraque sententia probabilis: in quo differat vna ab altera. Vna putat cessasse consensum, altera negat cessasse per amentiam. Discutiendum quo iure possit cessare, naturali an positiuo.*

In hac re vt video, Auctores vtriusque probabilis sententiæ in hoc maximè dissentiunt, quod prior sententia putet consensum non esse reuocatum, aut cessâsse; posterior verò contendit reuocatum censeri seu potiùs cessasse. Hæc autem cessatio ex duplici capite potest intelligi, vel ex iure positiuo, vel ex iure naturali. Videamus ergo, an satis probetur ex iure positiuo, deinde ex naturali. Multum autem refert videre an iure naturali; an positiuo, præsertim, si tantùm sit ius positiuum ciuile in materiâ matrimonij annullandi, in quo non habet vim saltem comparatione baptizatorum, quorum matrimonium, cùm sit Sacramentũ, solùm à iure & iudice Ecclesiastico dependet, maximè quod attinet ad nullitatem. Item ius cõmune nõ habet vim cõparatione eorum, qui tali iuri non

subduntur, vt sunt Hispani, & Galli, nisi aliquid simile habeant in suis propriis legibus.

151. *Aliquæ leges ciuiles ideo ita statuunt.* Quod ergo attinet ad ius Ciuile positiuum, sunt quidem aliquæ leges, quæ ita statuunt, vt sunt duæ illæ citatæ, in quarum priori redditur ratio, ob quam seruus, qui à Domino acceperat mandatum adeundi hæreditatem, & dominus factus est furiosus, antequàm seruus adiret, non possit adire validè hæreditatem. Ratio verò legis est. *Quoniam non, nisi voluntate Domini adquiritur hæreditas; furiosi autem voluntas nulla est.* Simile quid, licèt non ita clarè, habetur in alterâ lege citata. Quibus adde Regulam iuris 40. ff. *de diuersis regulis iuris* vbi dicitur *Furiosi nulla voluntas est.* Posset quidem responderi in illis duabus legibus reperiri circa subiectam materiam specialem rationē sic statuendi, quamuis, vt verum fatear, ratio legis vniuersalis videatur, & illa Regula iuris nullâ designatâ particulari materiâ vniuersim loquatur. Quidquid tamen de hoc sit, & quidquid iura ciuilia disponant in aliis rebus; pro valore matrimonij parum refert, si alioquin iure Canonico aut naturali voluntas & consensus non censeatur cessare.

152. *Pro resolutione præmittendum æquiparationem furiæ & mortis nec veram vniuersim, nec iure naturali fundatam. Etiam mortui voluntas potest manere moraliter.* Vt in hac re aperiam, quod sentio, præmittendum est æquiparationem illam mortis, & furiæ, in quâ fundatur Pontius, & Lugo, nec vniuersim veram, nec in iure naturali fundatam, imò neque in ipsa morte naturali semper locum habere; sæpè enim & ordinariè contingit mortuum esse, & eius voluntatem manere. Quod satis probant testamenta, & ceteræ vltimę voluntates, quæ post mortem hominis manent, saltem quoad effectum, imò per mortem confirmantur, etiam commissiones ad contrahendum. Quâ ratione solet testator mandare executori testamenti, vel hæredi, vt emat, aut vendat talem domum (ecce propriissimus contractus) emptionem verò aut venditionem tunc ille celebrat nomine defuncti, cuius consensus & volũtas censetur durare, quoad talem effectum. Adde, quòd etiam extra vltimas voluntates in donatione inter viuos, si contingat aliquid committi mandatario donandum operi pio, etiamsi casu contingat mandantem mori, antequàm mandatarius exequatur, adhuc censetur perseuerare voluntas, & consensus mandantis, quantumuis in alijs donationibus ad res profanas, si mandatarius, (etiam inculpabiliter non exequatur mandatũ reuocatus censeatur consensus, sic disponente iure positiuo, eo ipso, quòd mandans moriatur. quod intellige de putè mandatario. Nam de mandatario, qui simul sit procurator est alia ratio, vt notauimus *in nostro opere de Iustitia & iure lib. 2. tract. 4. disput. 1. dub. 10. num.* 158. & seqq. Vbi inter cetera dixi hoc esse discrimen inter merum & simplicem mandatarium; & inter procuratorem, quòd acta per merum & simplicem mandatarium regulariter sunt inualida, postquàm mandatum vel expresè, vel tacitè (mandantis morte) est reuocatum, etiamsi mandaturus, & is, circa quem mandatum exequitur, reuocationem ignorent; acta verò per procuratorem, antequàm de reuocatione facultatis constet, valida sunt, vt ibi ex multis iuribus, & Auctoribus probauimus, vbi simul notauimus, hoc non habere locum in matrimonio, quamuis enim ignoretur reuocatio, non valet matrimonium, vt *suprà* in hac *dubit.* diximus.

153. *Predicta in iure positiuo fundantur.* Molina. Hæc autem omnia in iure positiuo fundantur, vt rectè notauit Molina *tomo 2. disputat. 263. vbi num.* 7. in fine loquens de dispositione legum statuentium morte mandantis expirare mandatum, & videns inconuenientia, quæ sequi possunt præsertim, quod qui culpabiliter omisit exequi mandatum donandi alicui teneatur duplicem facere restitutionem, alteram donatario, & alteram hæredibus mandantis donatoris; nihilominùs concludit id ita esse seruandum *interim dum leges ciuiles citatæ hac in parte non reuocantur, &c. nihil impediente, quod contrarium rationi esset magis consentaneum, & quod secluso illis legibus contrarium esset dicendum, standō in solo iure naturali.* Quibus apertè docet solo iure positiuo introductum fuisse, vt superueniente morte censeretur cessâsse voluntas, & consensus mandantis in plerisque donationibus. Vnde, quando *in lege mandatum*, Codice *mandati* dicitur *mandatum re integrâ domini morte finitur.* Id in iure positiuo in casibus non exceptis à iure intelligi debet; quia cum ea extincto sit solo iure positiuo, ad eos tantùm casus se extendit, in quibus tale ius locum habet.

154. *Nec morte physica iure naturæ cessat vis consensus non reuocati. Multo minus propter amentiam.* Ex his patet illud, quod probandum assumpsi, scilicèt, neque ipsâ morte physicâ iure naturæ extingui vim consensus illius præstiti in vita; atque adeò multò minus amentiâ & furiâ, quæ vtcumque dicitur morti æquiparari. Et quidem æquiparatio non debet in omnibus tenere, vt videre est in ipso Matrimonij vinculo iam contracto, quod quantumuis dissoluatur per mortem, non dissoluitur per amentiam, vt omnes fatemur, etiam secluso iure diuino, & eleuatione, quâ eleuatur contractus ad rationem Sacramenti. Sed quidquid de hoc sit præsertim cùm vinculum non sit contractus ipse, sed effectus illius; etiamsi vigeret ius illud positiuum aliquâ ratione æquiparans amentiam & furiam cum morte, & sermo esset non de contractu iam facto, sed de consensu in aliquid futurum faciendum, adhuc non est vniuersim vera regula, quòd sicut morte cessat consensus, ita etiam cesset superueniente furiâ vel amentiâ. Hoc rectè probat Sanchez suprà, vt vidimus exemplo illo de eo, qui ante furiam petijt Baptismum, cuius voluntas non cessat superueniente furiâ, si non retractauerat voluntatem, & idem est de confessione, & absolutione.

Fallentia regula seu æquiparantia mortis & amentiæ amplius ostenditur. Sanchez.

155. *Euasio.* Respondebit fortè quispiam ex doctrina Pontij supra citati diuersam esse rationem in Matrimonio & in Baptismo. Nam, vt Baptismus effectum habeat, satis est, voluntatē præcessisse, nec fuisse reuocatam. Eo enim ipso posità materiâ ponitur effectus. At in Matrimoniis est necessarius consensus perseuerans, etiam in ipso fieri, quia consensus per verba expressus, vel signa est forma Matrimonij. Idem est in Sacramẽto Pœnitentiæ; potest enim absolui, qui ante amentiam dedit signa contritionis; neque enim necesse est simul sint in pœnitentiâ

nitentiâ materiâ & forma eius Sacramenti. Hæc Pontius.

156. *Præcluditur euasio.* In his multa falsa & insufficientia inuoluuntur. Quod enim primò ait, vt Baptismus effectum habeat, satis est voluntatem præcessisse, neque fuisse reuocatam, verissimum quidem est, sed hoc sufficit, vt voluntas censeatur adhuc permanere. Quod isto syllogismo, me quidem Iudice, efficaci probo. Sola voluntas, seu propositum habitum ante amentiam & non retractatum intelligitur in amentiâ perdurare, sed in nostro casu baptismi (sicut & Matrimonij) supponimus omnes præcessisse propositum & non fuisse retractatum ante amentiam, ergo tale propositum intelligitur durare, consecutio huius syllogismi euidens est, minor est ipse casus, quem supponimus, & de quo disputamus: tota ergo difficultas est in maiori. *an scilicet propositũ habitũ in amentia & non retractatũ adhuc intelligatur in amentia perdurare.* Hanc autem propositionem diserti ssimis verbis definiuit Pontifex Innocentius III. *in illo c. Maiores* §. *Item quæritur* versu *Dormientes autem.* Vbi declarat illos, qui ante somnum, aut amentiam habebant propositum contradicendi Baptismo, etiamsi immergantur non suscipere characterem: redditque rationem. *quia si priùs, quàm amentiam incurrerent, aut dormirent in contradictione perstiterent; in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, &c.* & addit. *Secus autem si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.* In quibus verbis duo notanda sunt. Primò, quod asserat propositum habitum, & non retractatum ante amentiam intelligi *perdurare*, cuius contrarium dicebat Pontius contendens, neque in Baptismo quidem perseuerare; sed sufficere, quod præcesserit, neque pro Matrimonio perseuerare, sed cessare, & non sufficere, quòd præcesserit, quia *in Matrimonio* (inquit) *necessarius est consensus perseuerans, etiam in ipso fieri.* talem verò negauerat perseuerare; sed omnino dixerat cessare *nihilq; agere procuratorem* (ait Pontius) *ipsa enim morte cessaret consensus.* Secundò contra eundem Pontium, qui contendebat diuersam esse rationem de eo, qui habuit propositum, *si in amentiam incidat, aut, si dormiat*, ille enim capax est habendi *consensum, hic verò minimè* cum tamen Pontifex æquè dormientibus, & amentibus *doceat propositum perdurare.*

Innoc. VIII. pro hac doctrina in textu citato.

157. *Aliud falsò additum à Pontio pro Sacramento Pœnitentiæ.* Illud verò, quod docet Pontius de Sacramento Pœnitentiæ, *quòd non sit necesse, vt simul sint in Pœnitentiâ materiâ & forma eius Sacramenti.* vt hâc ratione defendat contritionem præcedentem ante amentiam, non censeri durare in amentiâ. atque adeò, quando in amentiâ absoluitur, non tunc existere contritionem, falsissimum est, ne amplius dicam. *Reiicitur.* Nam contritio vel attritio est pars essentialis Sacramenti, atque adeò, quando existit Sacramentum existere debent omnes partes eius essentiales; cumque Sacramentum tunc sit, quando absolutio impenditur, hæc autem in nostro casu impendatur in amentiâ, necesse est, vt tunc sint partes essentiales atque adeò contritio, seu attritio. Imò inde sumitur argumentum pro casu nostro de Matrimonio, quia non minùs essentialis est Contritio seu attritio pro Pœnitentiæ Sacramento, quàm consensus pro Matrimonio, & tamen sufficit ante amentiam habuisse, & non retractâsse contritionem seu attritionem, vt censeatur adhuc durare, quando absoluens profert verba absolutionis, ergo etiam sufficiet præcessisse consensum ante amentiam, quando designauit homo procuratorem, qui illum consensum explicaret, vt censeatur etiam adhuc durare, quando mandans exequitur mandatum. Et sicut non obstante iure Ciuili statuente aut dicente, furiosi nulla voluntas est, manet adhuc voluntas doloris furiosi pro Sacramento Pœnitentiæ, tanquam pars essentialis Sacramenti, vt hoc tempore furiæ fiat cùm suis partibus essentialibus, eâdem ratione manebit voluntas consentientis furiosi, vt contractus & Sacramentum fiat tempore furiæ cum suis partibus essentialibus.

Ex dictis argumentũ pro nostro casu.

158. *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis cum Pontio. Si ille, qui incidit in amentiam præsens esset, & antequàm incideret in amentiam explicâsset suum consensum, non satis esset, vt altero consentiente fieret Matrimonium, ergo neque per procuratorem fiet. *Respõdetur.* Respondeo id futile esse. nam in eo casu consensus alterius coniugis non amentis & insuper acceptatio eiusdem non coniunguntur cum consensu dato ab amente, quia neque amens ipse acceptat, nec alius, qui accepisset mandatum ab illo, vt supponimus.

159. *Quid concludatur ex dictis hucvsque.* Ex omnibus huc vsque dictis concludo ex eo præcisè capite quod voluntas amentis nulla dicatur in iure, non censeri inualidum tale Matrimonium, cùm satis probatum sit, manere adhuc voluntatem, quando non retractauit ante amentiam, parumque refetre, quòd aliquando pro aliquibus contractibus voluntas furiosi nulla iam censeatur, & reuocata.

160. *Examinatur an alia via sit nullus talis cõtractus post amentiam. Potest hoc esse aliis vijs & ex aliis causis seu capitibus. Declaratur & probatur à simili satis probabili.* Iam verò examinandum est, an ex aliquo capite censeatur voluntas mandantis nulla, vel aliâ via contractus nullus? mihi ergo videtur alijs viis posse valdè probabiliter, aut etiam probabilius censeri contractum nullum. Atque in primis, si vera sit, vt est probabilissima opinio, quæ docet conditionem seruitutis ignoratam ab altero contrahente iure naturæ reddere nullum contractum, (quâ de re dicemus *disput. 7. dub. 6.*) eâdem ratione dicendum erit iure naturæ, conditionem amentiæ ignoratam ab altero contrahente annullare contractum; imò multæ ex rationibus, quas afferunt, qui putant iure naturæ irritare conditionem seruilem, potiori ratione locum habent in hoc casu. Vnde, sicut in casu seruitutis ex eò, quòd seruilis conditio reddat hominem impeditum ad indiuiduam vitæ Societatem, & minùs expeditam facultatem ad reddendum debitum habeat, alijsque similibus argumentis graues auctores putant probabilissimè eam seruitutem ignoratam reddere nullum contractum, potiori ratione propter eadem argumenta, quæ maiorem vim habent in amente sentient inualidum esse Matrimonium sic contractum.

161. *Alia via satis probabilis.*

Aliâ adhuc viâ potest me quidem iudice, satis probabiliter explicari, & probari, quòd consensus, nec ex parte amentis censeatur permanere, neque ex parte alterius, qui illam admittit censeatur haberi. Quia nimirum, nisi explicetur satis clarè, non censetur quis velle efficere contractum, qui, esto, si fiat, valeat, illicitè tamen & imprudentissimè fiet, adeoq; non sine peccato. Sed contrahere cum furioso habente lucida interualla illicitum est, ergo potiori ratione contrahere cum furioso non habente ea lucida; ergo, quando in nostro casu alter coniux ignorat furiam alterius, & cum procuratore contrahit nomine iã furiosi, nõ censetur præbuisse cõsensũ pro casu, quo sit furiosus, nec voluisse furiosum admittere, quem non putabat talem.

162. *Illicitum esse cum furioso contrahere etiam habente lucida inter valla, multorum sententia est.* D. Thom. D. Bonau. Sotus. Ledesma. Sanchez.

Porro illicitum esse cum furioso contrahere multi docent, inter quos videtur esse D. Thom. in *supplem. 3 partis q.* 58. desumpta est *ex* 4. *dist.* 34. *q. vnicâ art.* 4. vbi de furioso habente lucida putat, quòd non sit tutum quòd matrimonium contrahat, quia nesciret prolem educare, cui cõsentit Bonauentura *ibid. q.* 1. vbi ait non debere contrahere propter periculum, idem docet Soto ibi *art.* 4. *concluſ.* 1. Petrus Ledesma *de Matrim. q.* 58. *art.* 3. *dub.* 2. qui duo aiunt aliquam iniuriam irrogari Sacramento. Quibus omnibus consentit Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 8. *n.* 18. & quamuis ipse cum Soto limitet, vt non sit mortale si per alias coniunctas personas prolis educationi satis consuleretur, quidquid de hoc sit, satis apparet rem non esse appetibilem prudenter, nisi aliquæ rationes vrgentes cogant ad huiusmodi coniugium, idque maximè ex parte coniugis sani, qui posset alium sanum inuenire, & imprudenter tam graue onus sũbiret, præsertim, si insanus esset maritus, qui ex naturâ rei est capur, & rector familiæ, ergo non censetur habere voluntatem ad rem illicitam impudentémve, & à se ignoratam. Ex parte etiã ipsius amentis possumus argumentari, quia nisi aliud explicet non censetur habere voluntatem pro casu quo incideret in amentiam. Nam, si illicitum est, habenti lucida interualla (nisi aliunde excusetur) inire Matrimonium, saltem non præmissis cautelis, vel ad non occidendam, vel ad debitè educandam prolem, quantò magis erit illicitum velle, quando sanus est, sic contrahi nomine suo à procuratore, etiam, vt fiat casu etiam quo ante contractum factus sit amens? talis enim voluntas esset illicita, ergo non censendus est illam habuisse, nisi alioquin constet illum sic voluisse. Itaque existimo in tali casu non fieri validum contractum, non, quia cesset voluntas antecedens propter aduentum furiæ vel amentiæ; sed, quia nunquam censetur fuisse voluntas ex parte illius, vt procurator contraheret etiam casu, quo priùs ipsemet mandans in amentiam, seu furiam incidisset. Item, quia neque altera pars censetur consentire in matrimonium cum amente, quando ignoret ipsum, quem putabat sanum, amentem esse, atque adeò illicitè, & imprudenter illum susciperet, si consentiret.

163. *Limitatio doctrinæ pro quodam casu.*

Non tamen ideò negauerim valere Matrimonium cum amente, aut delirante, aut alienato à sensibus vi morbi iam moribundo, quando ille, vt satisfaceret suæ obligationi dederat potestatem alicui, vt nomine suo contraheret cum aliquâ absente, cui debebat Matrimonium, quod nisi contraheretur, maneret illa infamis, & fortè illegitimi filij, tunc enim iustum est sic contrahere, & ex parte vtriusque coniugis censetur adesse volunras, etiam pro casu furiæ & amentiæ, seu alienationis à sensibus, quia vtrumque contrahentem sic contrahere honestum est in eo casu, atque adeò & voluntas fuit ante amentiam, & non censetur retractata, aut cessare in amentiâ, & in tali casu vera est sententia Sanchez & Henriquez.

DVBITATIO XVI.

An Matrimonium baptizatorum sit Sacramentum gratiam conferens?

164. *Quid in hac re certũ.*

COnstat ex dictis de Sacramentis in genere Matrimonium esse vnum ex septem Sacramẽtis Ecclesiæ *Tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 12. gratiamque conferre, sicut cætera Sacramenta nouæ legis iuxta dicta ibidem *disp.* 2. *dub.* 1. *& sequentibus* estque res omnino certa apud Christianos Catholicos contra Hæreticos (quibus videtur Durandus fauere *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 3. *art.* 2.) definitumque est, ab Eugenio IV. *in Concilio Florentino in suo Decreto fidei*, & à Tridentino *sess.* 7. *Can.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 1. *Canone* 1. satisque olim significauerant Gregorius, imò Leo Primus, Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus, Siricius Papa, & Innocentius III. Quidam Gregorio sunt antiquiores, & Matrimonium appellant Sacramentum, & de eo, tanquàm de vno ex nostris Sacramentis tractant, vt latè & eruditè more suo probat Bellarminus *de Matrimonio cap.* 3. & ex ipso Vazquez *de Matrimon. disp.* 2. idque constat ex perpetuâ Ecclesiæ traditione, ratione cuius id ipsum Eccelesia definiuit. De intentione verò necessaria adhoc, vt Matrimonium sit Sacramentum, diximus *dub.* 8. maximè §. *obijciet tamen*, & deinceps.

Durand. *Definita veritas ab Eugenio IV.* Florentin. Trident. S. Gregor. S. Leo. Chrysost. Ambros. Augustin. Siricius. Innoc. III. Bellarmin. Vazquez.

165. *Plura obijciunt Hæretici futilia apud Vazq. & Coninc.*

Aduersus hanc veritatem plura obiiciunt Hæretici, quæ nullius momenti sunt, & videri possunt tum apud Vazquez loco citato, tum apud Coninc *disp.* 24. *dub.* 2. iisque omissis, audiamus obiectiones Catholicorum, quibus etiam Hæretici vtuntur.

166. *Obiectio* 1. *Catholicorum.*

Obiici potest primo. Si matrimonium esset Sacramentum, illicitum esset accipere, aut offerre pecuniam pro Matrimonio; esset enim Simonia accipiendo, vel dãdo aliquid pretio æstimabile pro re spirituali, & pro Sacramento, & tamen sæpe in Matrimonio datur, & accipitur pecunia.

167. *Respõdetur. Ex Coninc & alijs.*

Respondetur cum Coninc *suprà*, & alijs cõmuniter non accipi pro matrimonio vt est Sacramentum, sed vt est contractus ciuilis, & ad sustentanda onera matrimonij, quæ sunt pretio æstimabilia: quâ ratione Simonia non est accipere pro calice consecrato ratione materiæ, imò & ratione laboris, & sumptuũ, qui impensi sunt in quærendo & procurando Consecratore, &c.

168. *Obiectio* 2.

Obiicies 2. Ecclesia non potest mutare ea, quæ pertinent ad essentiam, materiam, & formam Sacramentorum iuxta dicta *tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 1.

dub.1.& 2. & sæpe alibi: sed Ecclesia apponit aliqua in matrimonio, quæ sunt de ipsius necessitate ad valorem, atque adeò ad essentiam; reddit enim inhabiles personas ad contrahendum requirens ad hoc, vt matrimonium sit validum, quod fiat coram Parocho, & testibus: ergo matrimonium non est Sacramentum.

169. *Respondetur ex Vazquez Sanchez. Coninc. Valentia. Et alijs.*

Respondetur cum Vazquez *disput.3. de Matrimon.c.5.* Sanchez *lib.3.disput.4. num.6. conclus.3.* Coninc *disput.27. numer.8.* Valentia *tomo 4. disput.10.quæst.5.part.1.* & alijs communiter Ecclesiam posse in matrimonio, quatenùs contractus est humanus, ita disponere, vt valeat contractus sub talibus, aut talibus circumstantiis, & sine iis non valeat; potest enim Princeps in his & similibus disponere, quæ subdita sunt suæ potestati; cùm autem Christus eleuauerit ad rationem Sacramenti contractum ipsum humanum matrimonij non mutando naturam contractus, & hic subiectus sit dispositioni Principis; hinc est, vt Princeps atque adeo Pontifex, & Ecclesia statuendo, (vt potest) quòd contractus non valeat, nisi cum talibus circumstantijs indirectè etiam, &, quasi per resultantiam, faciat quòd non sit Sacramentum, quia cùm Sacramentum matrimonij fundetur in verâ ratione contractus humani: hoc deficiente deficiet matrimonij Sacramentum; hoc enim non est directè disponere, circa materiam, formam, aut essentiam Sacramentorum, neque in potestate Ecclesiæ est, quod ponatur verus contractus Matrimonij cum intentione alioquin sufficiente, & quòd non fiat Sacramentum. Vnde solùm disponit, quâ ratione debeat valere contractus, quod autem contractus valens inter Baptizatos intendentes Sacramentum efficere, Sacramentum non sit, non efficit, nec efficere potest Ecclesia. Cùm ergo hoc habeat peculiare Sacramentum matrimonij, vt scilicèt materia ipsius, quæ est contractus, subdatur dispositioni Ecclesiæ, efficere potest, vt non valeat talis materia, nisi sub certis circumstantiis, quod non potest in alijs Sacramentis, in quibus materia naturalis est: verbi gratia in Baptismo non potest facere, quod ablutio, & aqua naturalis non sit materia Baptismi, & non fiat validè Sacramentum, quando cum cæteris requisitis adhibetur, quia illa naturâ suâ & independenter à voluntate Ecclesiæ est vera aqua, & vera ablutio.

170. *Obiectio 3.*

Obiicies 3. Si matrimonium est Sacramentũ, violatio thori triplicem habebit malitiam, scilicèt, Luxuriæ, iniustitiæ, & Sacrilegij contra Religionem Sacramenti: quod vltimum videtur absurdum. *Respondetur cum Vazq.* Respondetur cum Vazquez *disp.3. num.88.* negando consequentiam, quia vsus matrimonij non est sacer, neque Sacramento ipso matrimonij consecratur, ideo, qui abutitur thoro non est sacrilegus. Esset autem sacrilegus, qui priore viuente, aliam duceret, vt docuit Siricius Papa *Epistol.1.* dicens apud fideles id esse instar cuiusdam sacrilegij, quia nimirum is, qui viuente priore, aliam ducit, tùm quantùm in ipso est, dissoluit vinculum prioris; tùm volens contrahere cum aliâ, & consensum exprimens, irritum Sacramentum attentat, materiam indebitam adhibens.

Siricius Papa.

Ideò autem semper diximus matrimonium Baptizatorum esse Sacramentum, vt significaremus matrimonium non Baptizatorum, quantumuis fidelium, non esse verè, & propriè Sacramentum, quale nullum esse potest ante Baptismum, qui est ianua cæterorum. Vtrum autem matrimonium celebratum ante Baptismũ superueniente Baptismo sit Sacramẽtũ gratiã conferens, non consentiunt Doctores.

171. *Solum baptizatorum matrimonium est Sacramentũ, etiamsi fideles id est veram fidẽ habentes sint.*

Aliqui affirmant. ita Sanchez *libro secundo disput.9.* Gutierrez *de Matrimonio cap.42. numero 5.* & alij multi apud eundem Sanchez *num.4.* Negat Vazquez *disput.2. de Matrimonio cap.10.* Coninc *disput.24. num.25.* & alij apud ipsos. Qui affirmant, in duas partes diuisi sunt, vt videre est apud Vazquez, & Sanchez; aliqui enim putant, eo ipso quod Baptizantur, fieri Sacramentum, censerique in Matrimonium denuò consentire absque vllo alio expresso consensu. Alij verò, in quibus est Sanchez, & alij apud eundem *num.5.* & apud Vasquez *suprà num.152.* putant fieri quidem Sacramentum propriè, si denuò consentiant, idque significent exterius verbis, aut nutibus sufficientibus.

Quid de Matrimonio cui superuenit baptismus.

172. *Quidam affirmant esse Sacramentũ gratiam conferens. Sanchez. Gutierrez. Alij multi. Alij negant. Vazquez. Coninc. Alij apud illos.*

Ex his tamen omnibus mihi placet sententia Vasquezij & aliorum absolutè negantium esse Sacramentum, quantumuis repetant consensum; nam, vt inciperet esse Sacramentum, oportet, vt contractus fieret denuò re ipsâ, & non tantùm verbis; si enim solùm verbis fiat absque eo, quòd ex nouo consensu explicato nouam firmitatem, & robur contractus ipse recipiat, non est caput, vnde dicamus fieri Sacramentum; nam Sacramentum in ratione contractus consistit; hic autem supponitur factus ante Baptismum, & iam transiuisse, solumque manere vinculum Matrimonij; ac proinde non adest materia & forma Sacramenti, quod Sacramentum (sicut cætera omnia præter Eucharistiam) in fieri consistit; quamuis autem concedamus vinculum Matrimonij contracti, & consummati ante Baptismum fieri per Baptismum coniugatorum ita indissolubile, vt neque causâ fidei dissolui possit, non ideò censetur fieri de nouo contractus, vt latè probat idẽ Vazq. loc.citat. neque enim id accipit matrimonium ex consensu coniugum, quia postea baptizãtur; sed ex ipsâ professione fidei in Baptismo. Vnde, vt rectè notat Vazqu. si vterque nesciens Baptismum alterius, baptizaretur, maneret illorum matrimonium ratum, & firmum, & tamen non adesset nouus consensus; imò etiamsi vterque sciret Baptismum alterius, & expressè nollẽt in eo matrimonio cõsentire, adhuc maneret firmũ matrimoniũ eo ipso, quòd baptizarẽtur.

173. *Præfertur negans sententia Vazquezij & aliorum. Ratio à priori.*

Vazquez.

Tandẽ aduertendum est ex Vazq. & Coninc (id quod iam significauimus) matrimonium à Christo institutũ in Sacramentum, esse ipsummet contractum, qui in fieri consistit, non verò vinculum, quod permanet. Id enim est Sacramentum nouę legis, quod ex *opere operato* cõfert gratiam sanctificantẽ, vinculũ autem permanẽs in facto esse non est, quod gratiam confert, sed contractus, qui postquàm factus est, transit.

174. *Aduertendum ex Vazquez & Coninc.*

175. *Quo sensu vinculum matrimonij dicatur Sacramẽtum.*

Non tamen ideò negandum est Matrimonium sumptum pro vinculo relicto ex contractu esse, & appellari debere latiori significatione Sacramentum, est enim sub ea ratione signum rei Sacræ, quatenùs ob eam indissolubilitatem, quam habet, repræsentat vnionem, indissolubilem Christi cum Ecclesia in Incarnatione factam.

176. *Distinguũtur in Matrimonio Sacramentũ tantum res tantum, & res & Sacramentum simul.*

Ex quo fit in matrimonio ita distinguenda esse Sacramentum tantùm, & rem Sacramenti tantùm, & rem & Sacramentum simul, vt contractus ipse sit Sacramentum tantũ; gratia verò Sacramentalis sit res Sacrameti tantùm; vinculum verò sit res, & Sacramentum simul; quia nimirum contractus significat; & non significatur, gratia verò significatur, & non significat: vinculum verò significatur, & est effectus ipsius contractus, & significat ob sui indissolubilitatẽ coniunctionem Christi cum Ecclesiâ. Quæ doctrina consonat cum iis, quæ diximus *Tract.* 4. agentes *de Eucharist. disp. p. 1. dub. 2. n. 29. & Tract.* 8. *agentes de pœnitent. disp.* 4. *dub.* 8. à principio, vbi generaliter explicuimus, quid sit Sacramentum tantùm? quid res Sacramenti tantùm? quid verò Sacramentum & res Sacramenti simul, & in alijs Sacramentis ibi etiam hoc declarauimus & aliquid tetigi *supra dub. 1. n. 4. in fine.*

DVBITATIO XVII.

An baptizatorum Matrimonium celebratum per procuratorem sit propriè Sacramentum gratiam conferens, sicut & Matrimonium per Epistolam?

177. *Negans sententia.* Durandus. Caietanus. Victoria. *Alij multi.* Bassolis.

NEgant multi esse Sacramentum. Ita Durandus *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 3. *num.* 11. Caietanus *tomo* 1. *Opusculorum Tract.* 12. *de Contractu Matrimonij quæst.* 2. Victoria *in summa num.* 244. & alij multi apud Sanchez item Bassolis *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 1. & omissis aliis rationibus leuioris momenti, &, quæ nituntur falso fundamento, existimantium ministrum Sacramenti esse Sacerdotem coniungentem ipsos contrahentes, de quo dicemus dub. 22.

178. *Tria argumenta pro hac sententia. Primum argumentũ à simili de absolutione Sacramentali.*

Sufficiant nunc pro hac sententia tria argumenta petita ex similitudine aliorum Sacramentorum. Primum; quia Pœnitentia postulat præsentiam pœnitentis ad absoluendum, cùm in eius forma dicatur *ego te absoluo*; sed in Matrimonio etiam dicitur *ego te accipio in coniugem*, ergo pari ratione requirit Matrimonium præsentiam contrahentium.

179. *Respondetur & reijcitur.*

Hoc argumentum nullius momenti est; neganda est etenim paritas, siue, quia (vt multi volunt) verba absolutionis sunt determinatè requisita à Christo ex ipsius institutione, & ad eorum veritatem requisita est præsentia, siue quia, vt diximus *dub.* 15. ex doctrina data *tract.* 8. *de Pœnitentia disp.* 5. *dub.* 4. *& disp.* 8. *dub.* 2. quamuis ratio iudicij constare possit inter absentes & per Scripturam, tamẽ Christus Dominus solùm voluit, quod iudicium Sacramenti Pœnitentiæ fieret verbis inter præsentes; ab ipsius autem voluntate pendet hoc, aut illo modo Sacramentum institui, & valere, ac non aliter; sic verò instituisse constat ex definitionibus Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. quos ibi retulimus, & ex communi sensu, traditione, & consuetudine Ecclesiæ, cui innixi Pontifices id definierunt. In Sacramento verò Matrimonij nihil tale constat; sed (vt *eâdem dub.* 15. *dicebamus*) Christus contractum humanum Matrimonij) qualis fit inter homines eleuauit inter Baptizatos ad Sanctitatem Sacramenti nouæ legis; neque ex vllo capite constat requiri præsentiam contrahentium, vt posteà dicemus, & illa verba *ego te accipio in coniugem*, vel alia æquiualentia significantia prædictum consensum, sicut explicari possunt per procuratorem, aut literas validè ad rationem contractus, poterunt etiam validè ad rationem Sacramenti. Clem. VIII. Paulus V. *Communis sensus & traditio Ecclesiæ.*

180. *Secundum argumentũ.*

Probant 2. quia effectio Sacramenti est actus personalis, vt patet in alijs Sacramentis; ergo Matrimonium celebratum per alterum, vel per litteras non erit Sacramentum.

181. *Respondetur ex eodem principio.*

Hoc etiam argumentum soluitur ex eodem principio; respondetur enim ex institutione Christi cætera Sacramenta habere, quòd sint actiones personales; non verò actionem, qua fit Matrimonium, quia hoc Sacramentum instituit in solo contractu, cuius actiones non ita sunt personales, vt non possint fieri per procuratorem, & litteras, maximè, quod attinet ad externam expressionem consensus.

182. *Tertium argumentũ.*

Probant 3. quia, si esset Sacramentũ, contingeret quòd dormiens posset gratiam recipere, & etiam peccare; si enim ipso dormiente, & existente in gratiâ, matrimonium celebretur à Procuratore, vel per litteras; gratiam recipiet; si verò existat dormiens in peccato, mortaliter peccabit, quia ponit obicem.

183. *Respõdetur.*

Neque hoc argumentum aliquid probat; sed admittendũ est recipere quidẽ gratiam, si, quando celebratur matrimonium, existens in gratiâ dormiat, id, quod etiam accidere potest, quãdo quis in infirmitate dormiens absoluitur, aut sacro oleo vngitur; tenetur tamẽ sub mortali peccato esse in statu gratiæ eo tempore, quo prudenter iudicat fieri posse, vt tunc celebretur cõtractus, peccabitq; mortaliter, si non sit in statu gratiæ tunc, vel quãdo iuxta prudens iudicium ipsius celebrandũ est matrimonium, si tunc sit in vigilia, si verò dormiat, nõ committit peccatũ, quãdo dormit; sed, quando præuidens se exponeret periculo perseuerandi in statu peccati mortalis, interim dum dormit & celebratur Sacramentum, se somno tradidit, non priùs iustificatâ animâ. Quæ doctrina multorum immò cõmunis est *in Tract. de Peccatis* disputanda.

184. *Secunda sententia vera affirmat esse Sacramentũ.* Vazquez. Sanchez. *Alij multi.* Conine. Basilius. Rebellus. Bonacina. *Ratio.* Florentin. Tridentin.

Ideò meritò secunda sententia docet Matrimonium per procuratorem (& idem est per litteras, aut internuntium) esse verum Sacramentum. Ita Vazquez *disp.* 3. *de Matrim. c.* 4. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 11. *nu.* 27. cum multis aliis, quos refert. Item Coninc *disp.* 24. *dub.* 2. Basilius *cap.* 10. *lib.* 2. Rebellus *lib.* 2. *q.* 5. Bonacina cum aliis *q.* 2. *puncto* 5. *à principio.* Ratio verò est sæpe indicata; quia, vt deducitur ex Florentino, & Tridentino absolutè definientibus & absque vlla limitatione Matrimoniũ baptizatorum esse Sacramentum, Christus absque restrictione aliquâ instituit Ma-

matrimonium legitimum in Sacramentum.

185. *Procurator in tali casu non est minister in tali casu.*

Rectè autem docet Sanchez *num.*28. Estque communis sententia, maximè Recentiorum, Procuratorem non esse ministrum in tali Sacramento;de quo nos dicemus agentes de ministro huius Sacramenti *dub.*22.

DVBITATIO XVIII.

An matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, sit Sacramentum?

186. *Vnum supponitur & alterum quæritur in hac dubit.*

SVpposito valore matrimonij inter Baptizatum,& non baptizatum, de quo suo loco disputabimus, quærimus nunc, an tale matrimonium sit Sacramentum ex parte baptizati, nam ex parte alterius,certum est Sacramentum non esse,cùm non sit capax alterius Sacramenti ante Baptismum susceptum.

187. *Prima sententia affirmans.* Rebellus. Eckius. Bonacina.

Prima sententia affirmat.Ita Rebellus *libr.*3. *q* 9.Sotus *in* 4.*distinct* 26.*q.*2.*art.*3. quamuis hic solùm id admittat,quando ex pontificia dispensatione inter fidelem, & Catechumenam fit. Quo sensu etiam locutus est Eckius *tom.*4.*Homil.*73.*de Sacram.* Item Bonacina *q.*2. *puncto* 2. *num.*3.referens aliquot alios,qui non omnes id dicunt,quin potiùs oppositum. De hoc Sacramento claudicante hac supposita pro tunc in exemplum sententiâ mentionem fecimus *tomo præcedente tractat.*1.*disputation.*3.*dubitation.*10. *numer.*239.Sed in hunc locum remisimus resolutionem vltimam.

188. *Secunda sententia vera negat.* Vasquez. Coninc. Henriq. Ledesma. Angles. Reginald. Gutierr. Sanchez. *Alij multi.* *Ratio.*

Secunda sententia, & vera docet, nec ex parte fidelis baptizati esse Sacramentum. Ita Vasquez *disputat.*2.*num.*113.Coninc *disp.*24. *dub.* 2. Henriquez *libr.*11.*cap.*1. Petrus de Ledesma *de matrimonio q.*59.*articul* 2.*dub.*1. Angles *in floribus* 1.*part. de matrimonio quæst.*12. *de disparitate cultus.*Reginaldus *libr.*31.*numer.*2. Gutierrez de matrimonio. *capit.*42 *numer.*4. Sanchez *libr.*2. *disputation.*8. & alij multi. Ratio verò est, quia Christus instituit Sacramentum integrum, & perfectum contractum matrimonij ita, vt sicut inter vtrumque contrahentem est vnus contractus, sit etiam vnicum numero Sacramentum:& sicut matrimonium inter vtrumque est vnicum,& non duo; ita Sacramentum sit vnicum inter vtrumque. Cùm ergo alter illorum non sit capax, neutrobique erit Sacramentum; non quia baptizatus non sit capax Sacramenti, sed,quia huius Sacramenti, quod essentialiter petit duas personas constituentes illud,non potest esse causa effectiua, aut receptiua ille,nisi in consortio alterius similiter capacis, qui tamen capax non est.

DVBITATIO XIX.

An sit possibile inter baptizatos verum Matrimonium,quod non sit Sacramentum?

189. *Prima sententia negat.*

PRima sententia negat. Ita plures & graues Doctores,quos refert, & sequitur Sanchez *libr.*2.*disp.*10 *num.*6. Coninc *d.*24. & alij apud Dianam 3.*part.tract.*4. *Res.*255. & alij Recentiores nostra ætate aliique plures apud citatos, & Bonacina *q* 2.*p.*5. vbi refert pro eadem sententia Suarium *tomo* 1.*de Sacram.disp.*13. sed falsò; ibi enim omnino abstinet ab ea quæstione prope finem sectionis,vbi ait: *An verò validum esset matrimonium in ratione contractus* alterius est considerationis. Alios etiam refert Bonacina pro ea sententia, qui non omnes eam clarè docent.Legatur Suar.ibi *sectione* 2.in fine, vbi docet si dicatur Christum inseparabiliter instituisse rationem Sacramenti à ratione contractus, valorem contractus pendere ab intentione faciendi Sacramentum, vt notaui *tractat.* 1. *qui est de Sacramentis in genere disputat.* 1. *dubitat.*19. *numer.*354.

Sanchez. Coninc. *Alij apud Dianam.* *Recentiores.* *Alij plures apud citatos.* *Bonacina falsò refert Suarium & alios non clarè loquentes.* *Suarius legendus.*

190. *Probatur prima sententia ab eius auctoribus ex concilio.* Florent. & Tridentin.

Probari verò potest hæc prima sententia, quia Christus inseparabiliter addidit contractui baptizatorum rationem Sacramenti,idque deducunt ij Auctores ex eo, quod Eugenius IV. & Tridentinum absolutè & absque vllâ limitatione dixerunt matrimonium baptizatorum esse Sacramentum;inde enim videtur inferri nullum esse validum matrimonium,quod non sit Sacramentum.

191. *Secunda sententia probabiliter affirmat posse valide separari cõtractum à Sacramẽto.* Vasquez. Rebellus. Basilius. Bonacina. Durandus, Canus Victoria. Ledesma. Caietan. Hurtado. Diana. *Cũ multis.* Villalobos. Perez. *Ratio.*

Secunda sententia probabiliter docet, posse validè celebrari matrimonium,quin fiat Sacramentum.Ita Vasquez 3.*par.disp.*138.*num.*63. Rebell.*lib.*2 *q.*5. Basil. *lib.*1.*cap.*9. Bonacina *loco citato num.* 4. & alij. Ante quos omnes id ipsum docuerunt Durand.in 4. *distinct.* 26.*q.*3.*num.*11. Cano de locis *lib.*8.*cap.*5.& Relect. *de pœnitentia p.*5.*fol.mihi* 13. Victoria *in sum. num.*22. Martin. Ledesma *tom.*2.4.*q.*44.*art.*8.& latè Caiet. *in Opusculo de matrimonio q.* 1. tandem secutus est Hurtado de matrimonio *disp.*3,*diff.* 19. & Diana 3.*p.tract* 4.*Resol.*255.referens Villalobos cum aliis in copia,quos ipse sequitur. Item Martinus Perez *disp.*19.*sect.*10.vtramque sententiam probabilem, sed secundam putat probabiliorem. Ratio est; quia nulla ratio cogit asserere Christum ita inseparabiliter vtramque rationem coniunxisse, vt deficiente ratione Sacramenti, deficiat etiam ratio contractus, volueritque irritum esse contractum. Erit quidem Sacrilegium contra Reuerentiam Sacramento debitam contractum absque ratione Sacramenti celebrare; tunc enim actio Sacramentalis irritabitur defectu intentionis debitæ.Vide dicenda *num.*228.

192. *Explicatur.* Concilia Florent. & Tridentin.

Neque Eugenius IV. aut Tridentinum oppositum asserere cogunt;illâ enim absolutâ loquutione solùm significant Christum omnem Contractum matrimonij baptizatorum validum instituisse in Sacramentum;id autem non probat, quòd, si contractus sit validus,non possit non esse Sacramentum ex defectu intentionis,sicut,quamuis verum sit,Christum instituisse in Sacramentum v.g.Baptismi omnem ablutionem factam aquâ elementari super nondum baptizatum ab eò,qui verba legitima proferat:non ideò negandum est quòd, si deficiat intentio efficiendi Sacramentum, Baptismus non fiat, neque enim minùs omnia prædicta constituunt Baptismum,quàm contractus matrimonij constituit Sacramentum,& tamen so-

Declaratur doctrina à simili.

lus intentionis defectus tollit rationem Baptismi: ergo pari ratione, quamuis absolutè dicatur, quòd contractus matrimonij baptizatorum validus sit à Christo institutus in Sacramentũ, quantumuis permaneat valor contractus, potest intelligi ex defectu intentionis non esse Sacramentum. Alia in confirmationem nostræ sententiæ dicemus *num.* 218. & 271.

DVBITATIO XX.

An matrimonium ante legem gratiæ fuerit propriè Sacramentum gratiam conferens?

193. *Quando inceperit in lege naturæ matrimoniũ vt contractus & quo iure institutum sit.* Sanchez. Vasquez. Reginald. Henriq *Alij apud illos.* Rebellus. Coninc.

LEgantur quæ diximus *Tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 14. vbi de hoc aliqua indicaui ad initium. Matrimonium institutum dicitur à principio in lege naturæ, quando Deus tradidit potestatem communicandi corpora illis verbis, *crescite & multiplicamini*, idque constat apud omnes ferè Catholicos (quamuis aliqui ex aliis verbis, quàm ex prædictis id colligant) & legi potest Sanchez *lib.* 2. *disp.* 4. *n.* 2. & 3. Vasquez *de matrimonio disp.* 2 *c.* 2. & 3. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 9. Henriquez *lib.* 11. *c.* 1. *n.* 3. & alij apud citatos, item Rebell. *l.* 2. *q.* 3. *n.* 10. Coninc *disp.* 24. *dub.* 2. imò probabilius est matrimonium institutum esse solo iure naturæ, vt Vasquez contendit ibidem *disp.* 1. *c.* 2. si loquamur de matrimonio, quatenùs est contractus humanus, & in bonum naturæ, vt dicemus *dub.* 23. vbi id latiùs declarabimus, quia tamen ad *Ephes.* 5. dicitur *Sacramentum magnum in Christo, & in Ecclesiâ*, non pauci etiam Catholici existimarunt matrimonium ab initio mundi à Deo institutum fuisse tanquam Sacramentum. Ita Henricus Rex Angliæ, dum adhuc esset Catholicus in assertione septem Sacramentorum contra Lutherum. Roffensis in defensione illius. Castro, Catherinus. Petrus Soto, & alij apud Vasquez *disp illâ* 3. *c.* 2.

ad Ephes. 5. *Quidam Catholici putarunt ab initio institutum vt Sacramentum.* Henricus Rex Angliæ. Roffensis. Castro. Catherin. Petr. Soto. *Alij apud Vasquez.*

Probari potest primò, quia Deus *Genes.* 1. benedixit coniugio Adami, & in eo reliquis, dum dixit *Crescite & multiplicamini*. Benedictio autem Dei debet esse efficax. Secundò, quia in citato loco ad *Ephesios* dicitur *Sacramentum hoc magnum est*: hoc autem intelligitur à principio mundi, vt ex ipso contextu, & ex multis expositionibus colligitur.

195. *Probatur* 1. Genesis 1. *Probatur* 2. Ad Eph. 5.

Asserendum nihilominùs est, nunquàm fuisse Sacramentum gratiam conferens vsque ad nouum testamentum. Ita Vasquez, Coninc, & Rebell. suprà & alij multi apud ipsos, videturque definitum ab Eugenio 4. in Concilio Florentino *in suo Decreto fidei* distinguente Sacramenta nouæ legis (inter quæ refert matrimonium) à Sacramentis antiquis, & docet nouæ legis Sacramenta gratiam conferre, secus verò antiqua. In Concilio verò Tridentino *sess* 24. *c.* vnico dicitur. *Cùm igitur matrimonium in lege Euangelicâ veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet: meritò inter noua legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, Et vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Et Canone 1. damnatur, qui *dixerit matrimonium non esse verè, & propriè vnum ex septem Sacramentis legis Euangelicæ à Christo Domino institutum.* Non diceretur autem à Christo Domino institutum, si iam ante ipsius institutionem fuisset institutum, gratiamque conferret. Legatur Vasquez loco citato maximè *n.* 16. & 17.

196. *Assertio negans tale fuisse ante nouam Testamentũ.* Vasquez. Coninc. Rebellus. *Alij multi. Probatur ex Florentino, Item ex Tridentino.*

Aduersariorum verò fundamenta nullius momenti sunt. Ad primum respondetur, benedictionem illam Dei datam fuisse ad corporalem multiplicationem, non verò ad gratiam spiritualem, similem enim benedictionem impertiuit cæteris animantibus, quæ non sunt capacia gratiæ. Ad secundum respondetur Paulum latiori significatione appellasse matrimonium Adami Sacramentum (vt diximus *Tract.* 1. *disp.* 1. *citata dub.* 14.) non quia ex tunc gratiam conferret; sed, quia per sui indissolubilitatem repræsentat indissolubilẽ coniunctionem Christi cum Ecclesiâ; quod etiam nunc conuenit matrimonio Gentilium. Quâ de re videri potest Vasquez in inchoato Tractatu de matrimo. *disp.* 2. *cap.* 6. Martinus Perez *disput.* 19. *sect.* 4. qui rectè probant cum plerisque aliis quidquid videatur velle reclamare Basilius Ponce *libr.* 1. *cap.* 11. *n.* 9. & 11. cum quibusdam matrimonium ab initio mundi repræsentare vel Charitatem Dei cum anima, vel coniunctionem Christi cũ Ecclesiâ per charitatem & vnionem naturæ humanæ cum verbo Diuino in incarnatione, quod latis significarunt Patres, vt ex illis probant iidem Auctores. Nec est cur in hac re immoremur, quando alia difficiliora nos vocant.

197. *Respondetur argumentis oppositis. Ad primũ.* *Ad secundum.* Vasquez, Perez. Basilius.

DVBITATIO XXI.

Quæ sit materia & forma Sacramenti matrimonij.

198. *Multitudo magna sententiarum in hac re.*

IN tot sententias diuisi sunt auctores circa hanc rem, vt omissis aliis minoris momenti vix possint ad septem vel octo reuocari; quas non libet, nec vacat latè referre; sed perstringere tantùm, & indicare Auctores illarum, breuiterque reiicere, quæ non videantur admittendæ, licet cum aliquibus paulò diutius agere oporteat?

199. *Præmittendum de quâ materiâ & forma sermo sit in præsenti.*

Illud autem inprimis præmittendum est, hîc non agi de materia & forma matrimonij completè sumpti; quatenus Sacramentum, quodcunque constans ex suis partibus essentialibus est quoddam opus artificiosum ad placitum institutum à Deo, & assumptum ad significandum iuxta doctrinam à nobis ex instituto explicatam pro omnibus Sacramentis. *Tractat.* 1. *disp.* 1. *dub.* 4. *n.* 41. & deinceps. Vbi latè declarauimus, in Sacramentorum partibus res se habere, vt materiam, & verba vt formam, si hæc inter se comparentur; sed illud compositum, seu complexum ex rebus & verbis, tanquàm ex materia & forma, posse esse subiectum, & materiam alterius formæ artificialis seu moralis superuenientis; quæ forma est significatio illa Sacramentalis, quâ ex impositione Christi illud complexum rerum, vt materiæ, & verborum, vt formæ constituitur in esse signi practici, & sensibilis rei sacræ sanctificantis homines, atque adeò in essentia Sacramenti. Id quod ibi explicuimus

cuimus similitudine compositi artificialis, signique moralis ad placitum. Ibi legatur. In præsenti ergo non agimus de hac forma & materiâ completi, & integri Sacramenti; sed de materia & forma materialis Sacramenti; nam, si de materiâ & forma completi Sacramenti agatur, facilè est dicere ipsummet matrimonium, seu cõtractum, qui eleuatur ad sanctitatem Sacramenti, & signi rei sacræ sanctificantis, esse materiam Sacramenti completè sumpti; ipsam verò significationem practicam gratiæ esse formam. Solùm ergo quærimus de materiali huius Sacramenti completè sumpti (quod materiale iuxta doctrinam loco notato traditam cõponitur materiâ & formâ) quid in eo se habeat, vt materia, & quid vt forma

200. *Quomodo idem sit quærere in præsenti materiam & formam Sacramenti, atque quærere materiã, & formam cõtractus.*

Ex quo fit, quod, cum materiale prædictum, ex quo constat simul cum significatione Sacramentali hoc Sacramentum completè sumptum, sit ipsimet contractus matrimonij, in quo tanquàm in materiâ Christus posuit significationem practicam gratiæ, perinde sit quærere materiam & formam Sacramenti, de quibus nunc disputamus, atque quærere materiam & formam contractus matrimonialis. His suppositis.

201. *Prima sententia Catherini.*

Prima sententia est Catherini *opuscul. de matrim. q.* 1. qui docet materiam Sacramenti matrimonij esse signa externa, quibus contrahentes sibi mutuò exprimunt consensus, formam verò esse illa verba *Genes.* 2. *& Matth.* 19. Quibus Deus sanctificat matrimonium, scilicèt *Propter hanc relinquet patrem suum, & matrem & adhærebit vxori suæ.* Quamuis enim illa semel prolata fuerint, putat seruire pro omnibus matrimoniis. Hæc autem doctrina vix digna est, quæ audiatur, nedum admittatur. Ideò meritò eam reiiciunt Doctores, & omissis aliis multis rationibus contra ipsam, satis reiicitur ex eo, quod ad nouum distinctumque Sacramentum, quod nouam habet, distinctamque materiam, noua simul requiritur forma de nouo repetita: ergo non sufficiunt illa verba, quæ semel fuerunt ad summum prolata; neque illa possunt censeri hîc, & nunc toties significare, quoties de nouo fit contractus.

Merito ab omnibus reiicitur. Ratio omissis alia.

202. *Secunda sententia Cani.*

Secunda sententia est Cani, qui putat materiam esse actus contrahentium scilicèt consensus, & signa externa, quibus exprimuntur, formam verò illa Sacerdotis verba dicentis *Ego vos coniungo &c.* Hæc autem sententia audaciæ multum, rationis, & fundamenti parum, imò nihil continet, maximè in scriptore, qui longè post Concilium Florentinum scripsit, in quo Eugenius IV. in sua instructione Armeniorum, & Decreto fidei de hoc Sacramento loquens ait *causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Nullamque aliam causam assignat. Loquitur autem de causâ efficiente matrimonij, id est vinculi orti ex ipso contractu eleuato ad Sacramentum. Sentit ergo consensum contrahentium per verba de præsenti expressum perficere Sacramentum matrimonij, non autem verba Sacerdotis, vt Canus vult, ac proinde verba Sacerdotis non erunt forma illius, neque actus contrahentium erunt illorum materia respectu illorum verborum.

Reiicitur ex Concilij Florentini doctrina.

Tertia sententia est quorundam aliorum, inter quos Victoria *in summa n.* 245. Richard. *in 4. dist. 26. art. 4 q. 2.* & alij apud Sanchez *l. 2. disp. 5. n. 5.* qui putant verba vnius contrahentis, qui primò ea profert, esse materiam, verba verò postremò proferentis esse formam, est enim materia quid determinabile per formam, & forma quid determinans materiam; priora autem verba sunt, determinabilia per posteriora, & posteriora determinant priora, vt cum ipsis perficiant contractum, & Sacramentum. Hic etiam modus facilè reiicitur, & omissis aliis sufficiat, quòd in hoc Sacramento semper eadem materia, & forma assignari debeat, cùm sit vnum secundum speciem. Quando autem ambo simul verba proferunt exprimentia suos consensus, alius modus quærendus esset materiæ, & formæ, cùm non sit maior ratio, cur verba vnius sint materia, & verba alterius forma, vel è contra: ergo modus iste assignandi materiam non sufficit, vt interim omittam, etiam, quando non simul proferunt, non minùs determinari posteriora verba à prioribus, quàm è contra; sicut enim priora non sufficiunt ad constituendum matrimonium sine posterioribus, ita nec posteriora sine prioribus. Sola verò temporis præcedentia non sufficit, vt vna pars dicatur materia, & determinabilis, & altera forma, & determinans, vt videre est in plerisque Sacramentis v.g. in Baptismo, vbi quamuis verba præcedant & ablutio subsequatur, non ideò verba sunt determinabilia per ablutionem, sed è contra, ac proinde seclusâ temporis simultate, vel præcedentia in ipsis partibus Sacramenti quærenda est ratio, ob quam vna censeatur & sit materia, & altera forma.

203. *Tertia sententia quorumdam.* Victoria. Richardus. *Alij apud Sanchez.* *Reiicitur.*

Quarta sententia est Suarij *tomo* 3. *in* 3 *p. disp.* 2. *sect.* 1. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 5. *n.* 6. Coninc *disp* 24. *dub.* 3. Bonacina *q.* 2. *puncto* 4. & post illos Perez *disp.* 14. *sect.* 2. tum *disp.* 19. *sect.* 4. *n.* 6. cum aliis apud citatos, qui docent verba, seu alia signa contrahentium exprimentia mutuum consensum, seu (quod idem ferè est) mutuum consensum per ea verba, aut signa expressum simul esse materiam & formam secundùm diuersam rationem; materiam quidem, quatenùs significant mutuam corporum traditionem; formam verò quatenùs mutuam corporum acceptationem significant; nam, vt significant mutuam corporum traditionem determinatur per eadem, vt significant acceptationem mutuam, eo modo quo acceptatio determinat, & perficit traditionem. Est autem proprium materiæ determinari per formam. Hæc sententia variis modis solet impugnari. Impugnat Vasquez *n.* 18. quia confunditur materia cum formâ. In his enim contractibus mutuis neuter contrahentium tradit absolutè, sed sub conditione, si alter tradat ex parte suâ; atque adeò, qui acceptat censetur etiam velle ponere ex parte suâ conditionem, scilicet reciprocam traditionem; atque adeò ipsamet acceptatio est etiam traditio ex parte acceptantis, ergo, si quatenùs acceptatio est, etiam sit traditio, quatenus forma est, etiam erit materia, & materia cum formâ confunditur.

204. *Quarta sententia.* Suarius. Sanchez. Coninc. Bonacina. Perez. *Alij apud illos.* *Hæc sententia variis modis solet impugnari.* *Impugnat Vasquez.*

Hanc impugnationem impugnat Lugo Cardinalis 205.

Lugo impugnat Vasquij impugnationem.

dinalis *de Sacramentis disp. 2. n. 25.* quia licèt traditio coniugis non sit absoluta, sed sub conditione reciprocæ traditionis, adhuc in acceptatione alterius coniugis possumus inuenire duas rationes formales adæquatè distinctas, traditionis, & acceptationis, quas posset diuersis verbis exprimere. Nam, si Petrus promittat librum mihi, si ego ei volo dare pallium, ego ei possum respondere, *volo tibi dare pallium, & nolo acceptare promissionem libri*, ecce promissionem reciprocam sine acceptatione: possem item respondere *accepto promissionem tuam conditionalem, & cogitabo paulisper de conditione ponenda, vel non ponenda*: ecce acceptationem sine promissione: possem denique dicere, *promitto tibi pallium, & admitto promissionem tuam*: ecce promissionem & acceptationem significatas tamen per verba diuersa. Sic ergo putat posse responderi pro Suario, cùm coniux dicit, *accipio te in coniugem* illa verba æquiualere his, *trado tibi corpus & accepto promissionem tuam.* Atque adeo absque vlla confusione materiæ & formæ posse eadem verba habere rationem vtramque.

206. *Hæc impugnatio minus placet quam Vasquij impugnatio, quã impugnat.*

Hęc impugnatio impugnationis, minus mihi placet, quàm impugnatio ipsius Vasquij, quam impugnat. Nam, omissâ doctrina exempli in promissione, quam appellat reciprocam, quod difficultate non caret, cùm saltem ex naturâ rei non sit reciproca; sed ex intentione promittentium (quidquid de hoc sit) certè in nostro casu locum habere non potest, si penitius inspiciatur natura matrimonij, qui contractus essentialiter est mutuus, & reciprocissimus, ita, vt cogitari nequeat traditio matrimonialis, quin ipsissima sit acceptatio alterius in suo essentiali cõceptu, alioquin non esset matrimonialis, sed alia, neque potest acceptatio matrimonialis concipi, quin ipsissima sit quoque traditio. & hoc est, quod Vasquez contendit, nec impugnatur exemplo promissionis, quod abs re valdè affertur. potest enim acceptari illa promissio sine promissione meâ, tùm, quia illa promissio libri absolutè existit, & à me acceptata sine repromissione meâ, parit obligationem saltem expectãdi euentum conditionis; tùm quia promissio libri ex se non habet essentialem connexionem cum datione aut promissione pallij ex parte meâ. In matrimonio verò non potest traditio essentialiter subsistere sine acceptatione ad vllum effectum, nec esse matrimonialis (vt dicebam) nisi simul acceptatio sit. Traditio enim matrimonialis, non est traditio corporis alteri, vt alieno, vel alteri secundum se abstrahenti ab alieno, & suo; sed formaliter, vt suo, ita, vt ipsâ traditione, quâ se facit alterius, faciat etiam alterum esse suum, atque adeò illa traditio, quâ causat ius alterius in se; simul debet causare ius suum in alterum, quod non contingit in promissione libri & pallij vbi non formalis tantùm, sed realis etiam distinctio esse potest inter acceptationem libri, & promissionem pallij.

207. *Significatio traditionis in matrimonio est significatio simul acceptationis indiuisibiliter.*

Ex his ergo patet significationem verborũ, quæ est significatio traditionis, esse etiam significationem acceptationis, & è contra, nec posse diuidi in duas significationes, quarum altera sit compars cum altera, sed esse vnam simplicem significationem complectentem acceptationem, & traditionem, & non vnam sine alterâ; tantùm abest, vt sint duæ rationes formales adæquatè distinctæ, vt Eminentissimus contendit, sed ad summum se habent sicut ille respectus ad medium simul & finem, qui est in intentione & electione præsertim determinati finis, & medij, in quibus iuxta multorum sententiam, & quidem (vt ego puto) veram, vnicus & simplex actus vnico & simplici respectu respicit medium & finem, & quatenùs est amor finis obtinendi per medium, appellatur intentio, quatenus verò est amor medij ad obtinendum finem, appellatur electio. In nostro ergo casu non potest esse duplex adæquata ratio, aut respectus alter acceptationis, alter traditionis, sed ipsamet significatio traditionis est etiam significatio acceptationis, & è contra, sicut acceptatio ipsa traditio etiam est, & è contra. Itaque maritus vnico consensu, & expressione verborum per modum vnius exercet actum maritationis, & vxorationis, ita, vt actus maritationis feminæ, sit actus vxorationis sui ipsius & illam constituendo maritatam, constituat se ipsum vxoratum, neque potest præscindi actus maritationis ab actu vxorationis; maritat autem vxorem tradendo se illi in maritum; vxorat etiam se, accipiendo illam in vxorem. Sicut ergo maritare vxorem, & vxorare se, non sunt duo actus sed vnus; ita tradere se vxori, & illam sibi acceptare non sunt duo actus, sed vnus. Eadem ratione, ordine tantùm inuerso, philosophandum est in vxore; quæ vxorat maritum, tradendo se illi in vxorem, & maritat se accipiendo illum in maritum; nec talis vxoratio, & maritatio sunt duo actus, sed vnus atque adeò vnus est actus tradendi se, & acceptandi alterum.

208. *Data doctrina locũ habet in aliis contractibus mutuis.*

Hæc doctrina non solùm habet locum in matrimonio; sed in quouis contractu mutuo, in quo interuenit traditio, & acceptatio propria naturæ contractus, vt videre est *in emptione & venditione*, vbi non sunt duo actus volendi acceptare rem pro pretio, & volendi dare pretium pro re, sed eodem actu, quo quis vult dare pretium pro re, vult acceptare rem pro pretio, idque significat particula *pro*, qua denotatur actus animi significatus in ea oratione *volo dare pretium pro re* non solum terminari ad accusatiuum transitionis scilicèt *pretium*, sed ad ablatiuum præpositionis scilicet re, pro quâ datur pretium. Rectè ergo Vasquez impugnauit sententiam prædictam ex eo, quòd acceptatio includat traditionem, & è contra; atque adeò cõfundatur materia, & forma in matrimonio, si traditio assignetur, vt forma, & acceptatio, vt materia. Quod autem affert Cardinalis Lugo de casu, quo disertis verbis separetur traditio ab acceptatione, vt cum dicitur *trado tibi corpus & accepto traditionem tuam*, nihil obest, quamuis enim sit idem actus, potest diuersis verbis significari sic in exemplo electionis, & intentionis possum dicere *intendo hunc finem per hoc medium, & eligo hoc medium ad hunc finem* sicut de via Athenis Thebas, è contra; sæpeque fit, vt, quod iam erat in præcedentibus contentum, expressiùs dicatur iter um, sic in absolutione Sacramentali, quæ sufficienter continentur in vocibus

Recta est impugnatio Vasquij impugnantis eam sententiam. Respondetur Cardinalis Lugonis argumento.

bus *absoluo te* exprimitur per pronomen *ego* & per voces *à peccatis tuis.* Vnde in re præsenti ea traditio, quæ exprimitur in illis verbis *trado tibi corpus* (sufficienter explicaretur simul cum acceptatione in illis verbis *accipio te in coniugem*, & quamuis post hæc verba addantur illa traditionis, vel post illa, hæc acceptationis, non obest, quo minùs in alterutris vtrorumque significatio contineatur.

209. *Alia Vasquij impugnatio magis placens Lugoni.*

Magis placet Cardinali eidem *supra n.26.* alia impugnatio eiusdem Vasquij *n.16.* quia in aliis contractibus non potest esse acceptatio forma, & traditio materia. Nam in donatione acceptatio non est ex se posterior, potiùs, quàm prior donatione, sicut enim potest donatio præcedere, & subsequi acceptatio; ita potest hęc præcedere, & illa subsequi; ergo non magis acceptatio complet promissionem, quàm è contrà. Porrò acceptationem præcedere posse probant ex *l.1.§. si quis ff. de verborum obligationibus*, nam, si quis rem ab alio postulat, postulatio habet vim acceptationis sine alio consensu, & suaptè naturâ non debet subsequi, sed potius præcedere; ideò in ea lege dicitur. *Si quis ita interroget, dabis? & respondeat, quidni?* obligationem oriri stipulationis. Ex quo infert Vasquez verba, aut signa traditionis suâ naturâ non esse materiam, cùm in hoc casu vim habeant determinandi & complendi contractum.

210. *Absre videtur & falsa ea impugnatio & eius doctrina.*

Verum hæc impugnatio, eiusque doctrina, & absre videtur & falsa. Inprimis non est ad rem. Nunc enim agimus de contractu mutuo, & reciproco, quale est matrimonium, & Suarius contendit verba contrahentium se mutuò determinare, & à se mutuò determinari, scilicèt, verba vnius, quatenùs sunt traditio determinari & compleri à verbis alterius, quatenùs sunt acceptatio, & è contrà, nec posse exercere vnum munus, sine altero propter mutuam connexionem. Vnde ex hoc præcisè capite, quod in donatione aut promissione illud contingat, dummodò in mutuis contractibus aliter se habeat, parum refert, oportebat ergo probare eam præcedentiam acceptationis reperiri aliquando in contractibus mutuis (quòd non facilè fiet) vel esse eandem rationem in his, atque in non mutuis.

211. Verùm (quidquid sit de hoc) etiam in non mutuis fallit doctrina, & ex illâ stipulatione & postulatione citatæ legis, quod assumitur, argumentum est satis inefficax. Nam, satis difficile per se apparet, quòd acceptatio præcedat dationem, aut traditionem; nec enim videtur esse posse acceptatio eius; quod nondum datur, nisi impropriè in præparatione animi, si daretur, & tempore, quo detur, quo casu illa voluntas, & significatio illius tantùm habebit rationem acceptationis, non, vt priùs existens, sed vt post traditionem, & oblationem adhuc (saltem moraliter) perseuerans, & qui hoc modo interpretatur legem illam, non facilè conuincetur, scilicèt, quia lex prudenter existimat eum, qui rogauit, altero annuente (maximè statim in continenti, vt in casu legis) adhuc perseuerare in ea voluntate admittendi, quæ voluntas, vt perseuerans, iam censetur complere promissionem, & traditionem, quæ acceptationem requirit.

Confirmatur & declaratur, quia eo ipso quod rogatus annuit, & qui rogauit tacet, videtur consentire iuxta receptum axioma, quod in eo casu, vel maximè videtur posse, & debere habere locum, quando preces aut saltem interrogatio præcessit. Responderi ergo potest legem pro acceptatione habere illam taciturnitatem, aut silentium, & sic corruit tota doctrina, & argumentum à lege petitum. Ideò enim putat lex non esse necessariam aliam acceptationem præter antecedentem illam interrogationem in eâ stipulatione, quia illâ suppositâ, *qui tacet consentire, & acceptare videtur.* *Confirmatur & declaratur data doctrina.*

212. *Alia Vasquij & Lugonis impugnatio.*

Vlterius impugnat Vasquez, & Lugo locis citatis sententiam Suarij, quia acceptatio non habet maiorem in se determinationem, ratione cuius potius determinet significationem traditionis, quàm è contra, cùm tam determinata sit traditio corporis, quàm acceptatio illius, videmus autem materiam in omnibus cõpositis esse magis indeterminatam, & determinabilem esse per formam, quæ non est indifferens, sicut materia, vt vniuersim loquens de omnibus Sacramentis docuerat Vasquez *tom.2. in 3. part. dist.* 129. & Lugo impugnans aliam sententiam *n.*10.

213. *Non caret difficultate ea impugnatio.* *Assumit nõ satis certum in Philosophia & Theologia principium.* *Instantia.* *Prima.*

Hæc etiam impugnatio, & doctrina difficultate non caret. Primò, quia non est ita certa in philosophia, & Theologia, quin possit dici, nec formam esse ex se determinatam semper ad vnum subiectum, nec semper materiam esse magis indifferentem; præsertim cùm sermo sit de forma metaphoricè, & per similitudinem. Id verò possumus instantiis iuxta varias philosophorum, & Theologorum sententias ostendere. Atque inprimis, quod attinet ad determinationem materiæ, vulgatissima & receptissima sententia est, cuiuslibet cœli præsertim Empyrei materiam esse distinctæ rationis à sublunari, & determinatam ad formam, quam habet, ita, vt eius materiæ potentia non respiciat alias formas alterius naturæ, sed hanc, saltem hanc in specie, quod si recurras ad indifferentiam illius materiæ ad varias formas eiusdem speciei; eandem ego indifferentiam inueniam in forma, sicut enim ea materia capax est recipiendi non solùm hanc, sed aliam; ita ego dicam formam capacem esse informandi, non solùm hanc materiam, sed aliam, præsertim, cùm satis multi doceant indiuiduationem formæ, quæ hîc & nunc producitur, etiam in sublunaribus, reuocandam esse in primam causam, non solùm illarum formarum, quæ naturâ suâ postulant dispositionem specialis rationis in subiecto, sed etiam illarum, quæ primò afficiunt subiectum, atque adeò ea forma cœli æquè indifferens erit ad alias materias, atque materia ad alias formas. Similem aliam instantiam assignare possumus in ipsis cœlis comparatione luminis, quod recipiunt à sole, si cum probabili sententiâ dicamus illuminabilitatem, & capacitatem passiuam luminis, quam habent cœli non differre à cœli naturâ, atque adeò, si eorum materia est diuersæ speciei, aut generis physici (vt dici solet) iam forma accidentalis, quæ est lumen magis indifferens est quàm quodcunque subiectum illuminabile, quia forma *Alia secunda instãtia.*

ma luminis potest informare materias diuersæ naturæ, cum tamen materia non possit recipere formas lucis diuersæ speciei, quia (iuxta probabilem saltem opinionem) non sunt luces specie diuersæ, sicut neque calores, albedines &c. Et tamen harum opinionum vel sectatores, vel impugnatores non hærent in hoc, quòd materia, seu subiectum sit magis, aut minùs indeterminatum quàm forma. Imò in calore, & similibus etiam in summo gradu non minus indifferens est calor ad hoc vel illud subiectum, quàm subiectum adhunc vel illum calorem.

Tertia instantia. Tertiam instantiam possumus assignare in iis, quæ modo nostro concipiendi & præscindendi concipimus in Deo, in quo attributa, & actus intelligendi, & volendi concipimus, vt formas, & naturam, vt subiectum, & tamen nō latiùs patet subiectum talis formæ, quam forma, etiam modo nostro concipiendi, adeo, vt, si per impossibile distingueretur aliquâ reali distinctione (aut illa quæ tribuitur Scoto) sapientia à naturâ in Deo, licet ea forma non posset aliud subiectum habere, neque subiectum aliâ sapientiam, non ideò hæc desineret esse tanquàm forma respectu naturæ.

214. *Quarta instantia.* Quartam & clarissimam instantiam possumus assignare in propriis passionibus, vt risiuum comparatione hominis, quâ formâ non latius patet subiectum nec minùs determinata est materia id est homo ad eam formam, quàm ea forma ad materiam.

Quinta instantia minus clara.

215. *Ratio quasi à priori.* Quinta instantia est in subsistentiâ seu personalitate, & similibus quæ omitto, quia patent, calumniæ aut euasioni. Ex his & similibus instantiis sumitur ratio quasi à priori, ob quam ratio formæ, & materiæ, siue propriè dictæ, siue metaphoricæ non dependeat ab hoc, quòd sit magis, aut minus latè patens, quia materia, seu subiectum comparatione formæ solùm dicit posse illam recipere, & cum illâ recepta vltimò rem constituere, & componere, & forma, vt forma, tantùm dicit posse subiectum, seu materiam informare, & actuare, & vltimò complere, quod autem materia possit alias formas, vel forma alias materias attingere, vel non; impertinens est ad rationem causæ formalis aut materialis, quam hic & nunc exercet comparatione huius, formæ vel materiæ. Sicut in causis efficientibus contingit, in quibus satis est quod causa habeat virtutem ad effectum, quem hîc & nunc producit, quidquid sit, an possit alios producere, vel non.

216. *Quid concludatur ex prædictis.* Hæc omnia hucusque dixerim, vt ostenderem eam doctrinam, quam assumunt hi auctores, quòd materiâ debeat esse (vt verbis Vasquij vtar) ex se indifferens ad plura, & (vt sæpe vterque repetit) forma debeat esse magis determinata, & minus indifferens; non esse vniuersim veram, non tamen puto ad præsens negotium nostrum id referre, vt iam ostendo.

217. *Impugnatur vlterius eorumdem doctrina, & impugnatio.* Secundo ergo principaliter impugnatur doctrina & impugnatio horum auctorum. Quia, licèt illis concedamus id, quod est materia, debere esse magis indifferens, & indeterminatum, & id quod est forma, magis determinatum; falsò assumunt, in nostro negotio traditionem non esse magis indifferentem, quàm acceptationem, sed æquè determinatam. Nam, si rectè attendamus, traditio, donatio, aut datio, aut promissio, quæ, vt probauimus, præcedit acceptationem, & ab eâ præsupponitur, indifferens est ad hoc vt acceptetur, vel vt repudietur. Sic sæpe solet repudiari hæreditas, sic dona, quæ offeruntur, & promissiones, quibus vnus alterum vult allicere ad aliquid faciendum, sic in sponsalibus vnus potest alteri promittere matrimonium, & alter repudiare. Hanc autem indifferentiam non habet acceptatio, quia cùm hæc supponat iam promissionem, donationem, traditionem, aut oblationem, ad quam necessariò respicit (quia aliquid ex his acceptat, quicumque acceptat) omnino ad id determinata est, nec potest ad aliud se extendere, vt patet. Vnde pro sententia Suarij responderi potest traditionem, quæ ex se est indifferens, vt acceptetur, aut repudietur ab altero consorte, determinari per acceptationem, quæ ex se non habet eam indifferentiam, & sic corruit argumentum Vasquij.

Traditio, donatio, promissio, &c magis indifferentes sunt quàm earum acceptationes.

Inde sumitur responsio pro sententia Suarij.

218. *Alia meliori impugnatione vtitur Lugo contra Suarium.* Melius impugnat idem Lugo in fine numeri 26. eundem Suarium. Quia in hac sententia non explicatur, quomodò in hoc Sacramento concurrant res & verba; nam tota illa traditio, quæ ponitur pro materiâ, non minùs constat ex solis verbis, quàm acceptatio, quæ ponitur pro forma, ergo tandem totum Sacramentum fit per sola verba, tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ. Eâque ratione impugnantur alij docentes verba vtriusque coniugis, vt procedunt ab ipsis, tanquam à ministrantibus Sacramentum, esse formam, & vt procedunt tanquàm à suscipientibus esse materiam, in quâ sententiâ tantùm verba essent Sacramentum matrimonij. Omitto alia contra hunc dicendi modum. Solùm aduerto hac vltimâ impugnatione, qua vtitur Eminentissimus, suam ipsius sententiam labefactare, vt posteà ostendam, quando probabimus, etiam ex meris verbis Sacramentum matrimonij componi ab hoc authore, si rectè expendamus, quæ docet. Imò, si vera esset doctrina ipsius, facilè iuxta illam posset Suarius respondere. Nam, sicut ipse dicit *num.* 29. in verbis contrahentium reperiri distincta virtualiter duo, *& traditionem rei, & verba*, idem posset Suarius respondere, scilicèt in verbis reperiri, & rationem verborum, & rationem acceptationis, & traditionis, atque adeò non potest vti eo argumento contra Suarium, cùm etiam vim habeat contra ipsum, vel nullam habeat contra alterutrum; sed de hoc posteà.

Extenditur impugnatio ad aliorum sententiam.

Hac impugnatione suam sententiam labefactat Card. Lugo.

219. *Quinta sententia.* Nauarr. *Alij apud Sanchez.* Rebellus. Quinta sententia docet materiam esse consensum vtriusque contrahentis internum, formam verò esse verba, seu signa externa, quibus hic exprimitur. Ita Nauarrus *in summa c. 22. n. 20.* & alij, quos refert Sanchez *disp. illâ 5. n. 2.* quamuis non omnes satis clarè loquantur. Adde Rebellum *lib. 2. q. 4. sect. 3.* Estque satis probabilis sententia pro hoc, & omnibus contractibus, pro quibus potest seruire. In omni enim contractu hæc tantùm videntur proximè concurrere, nempe verba, & consensus (nomine verborum etiam intelliguntur alij nutus, & signa exprimentia consensum) ex his autem duobus resultat

resultat obligatio, hæc autem ex contractu oritur, ergo in illis duobus consistit contractus, atque adeò inter illa duo debet quæri materia & forma; inter illa verò potiùs verba videntur habere rationem formæ, quia hæc sunt, quæ afficiunt consensus, nimirum consensus sunt significabiles, & significati per voces, aut alia signa, inter illa verò, quæ comparantur inter se tanquàm signum, & res significata, satis apparet signum assimilari formæ, rem verò significatam materiæ; id autem contingit in contractibus in totâ suâ latitudine, scilicèt, quatenùs comprehenduntur etiam pacta. Vnde pactum definitur ab Vlpiano *l.1.ff. de pactis duorum aut plurium in idem placitum, & consensus* debet autem id placitum, & consensus significari aliquo signo externo, vt fiat humano modo, arque adeò consensus est materia significabilis, & signum, scilicèt verba, vel nutus, erit forma significans, cuius sententiæ probabilitas ex imbecillitate impugnationum ampliùs patebit, & parum distat hæc sententia, nisi fortè in modo loquendi ab vno modo explicandi sententiam nostram, vt infrà notabimus in hac dubitatione *numer.* 273. in appendice dubio, vbi agimus de distinctione materiæ proximę & remotæ in hoc Sacramento. Veniamus ergo ad impugnationes.

Vlpianus.

220. *Impugnat Sanchez hanc quintam sententiam.*

Impugnat Sanchez hanc sententiam. Quia Sacramentum est humanum, & sensibile signum, humani autem & sensibilis signi materia tota nequit esse insensibilis, qualis est consensus internus; quamuis enim in Sacramento Pœnitentiæ dolor, seu cõtritio interna animi sit pars materiæ illius Sacramenti, fiatque sensibilis per externam confessionem; non tamen est contritio tota materia, nec fit sensibilis per formam illius Sacramenti, sed per confessionem, quæ etiam pertinet ad materiam, ita, vt forma absolutionis absolutè cadat suprà præsuppositam materiam sensibilem. In hac verò sententia forma matrimonij absolutè cadit supra materiam, quæ tota ex se est insensibilis, & tantùm per formam censetur fieri sensibilis, quæ ratio probabilis est, vt infra dicemus.

221. *Reiiciunt hanc impugnationem Vasquez & Lugo.*

Hanc impugnationem reiiciunt Vasquez *supra numer.* 24. & Cardinalis Lugo *numer.* 9. Quia supponit probandum, nempe materiam totalem non posse esse per se insensibilem, & fieri sensibilem per formam, quod difficilè potest probari, quia sicut materia partialis potest secundum se insensibilis fieri sensibilis per alteram compartem materiæ, cur non poterit etiam materia totalis, quantumuis per se insensibilis, fieri sensibilis per formam, tanquàm per compartem eiusdem compositi? sicque adhuc seruabitur definitio Sacramenti, quòd sit signum sensibile. Hæc impugnatio, nisi aliud addatur, & probetur contra quintam hanc sententiam, ostendit non satis efficaciter reiici à Thoma Sanchez. An verò aliquâ ratione possit probari totam materiam non posse esse insensibilem, posteà videbimus, quod vix fieri potest.

Quid probet præcta impugnatio impugnationis.

222. Aliter impugnant Vasquez *numer.* 25. & Lugo ipse *numer.* 10. ex illo principio iam à nobis reiecto, quod scilicèt id, quod gerit munus materiæ in ordine ad alteram compartem, quæ gerit munus formæ, debet esse magis indifferens, & determinabile ab altera parte, quæ ideò dicitur forma, quia est vltimus actus determinans, & actuans indifferentiam materiæ. Consensus autem internus non magis est indifferens, aut indeterminatus, quàm verba externa in matrimonio, cùm feratur ad talem numero coniugem perpetuò accipiendum, & ad omnia alia, ad quæ feruntur verba; ergo non est, cur consensus sit materia respectu verborum.

Alia impugnatio Vasquij & Lugonis.

Hoc fundamentum iam satis supra reiectum est, examinando præcedentem sententiam, vbi ostendimus non esse semper necessarium; imò extra rationem materiæ, & formæ esse, quod illa latiùs, hæc minùs latè pateat. Sicut autem ibi rursus ostendimus, etiam concessâ doctrinâ prædictâ; acceptationem esse magis determinatam, & traditionem esse magis indeterminatam, & indifferentem, ita etiam nunc adhuc concessâ eâdem doctrinâ, responderi posset pro hac sententiâ, actus internos consensus esse magis indifferentes, quàm verba illos significantia. Sunt enim consensus interni significabiles per illa verba, aut signa, atque adeò capaces, vt significentur per verba & signa, vel non significentur, neque ex parte materiæ, seu subiecti requiritur alia potentialitas, aut indifferentia comparatione suæ formæ. Itaque verba significatiua consensuum ex se sunt determinata ad eos significandos, nec sunt indifferentia ad non significandos, vt patet, quando sibi mutuò dicunt hæc, aut æquiualentia verba, aut signa *volo esse tuus maritus, & quod sis mea vxor, & volo esse tua vxor, & quod sis meus maritus* quæ verba (suppositâ impositione vocum ad significandum) non sunt indifferentia ad significandos consensus, sed determinata ad eos significandos. Ipsi verò consensus indifferentes sunt, vt exprimantur, vel non exprimantur per voces aut signa, & possunt esse, quin significentur, cum tamen verba non possint existere, quin significent, in quo apparet consensuum similitudo cum materia, & verborum cum forma, quam auctores prædicti desiderabant.

223. *Nititur infirmo fundamento & iam reiecto ea impugnatio.*

Et adhuc admissa ea doctrina nõ obesset.

Confirmatur, & declaratur ampliùs hæc doctrina, quia verba sunt ex se, & per se signa sensibilia, consensus verò ex se, & per se ipsos non sunt sensibiles, fiunt autem sensibiles per verba, quibus significantur, vt expresè concedunt Vasquez *numer.* 24. & Lugo *numer.* 9. contra quos agimus, ergo verba determinant consensus ad esse contractus humani sensibilis, & ad hoc, vt simul cum verbis fiat compositum quoddam signum sensibile gratiæ à Christo eleuatum ad esse Sacramenti, in quo iam apparet, quòd verba determinent consensus ad hoc, vt sint materia capax, & sensibilis. Vnde etiam apparet non esse verum quod ait Lugo *numer.* 10. in fine *Consensus internus coniugis non magis est indifferens, aut indeterminatus, quàm verba externa, cùm feratur ad talem numero coniugem &c.* Responderi

224. *Confirmatur & declaratur quod dictum est.*

Ad hominẽ contra Vasquez & Lugo argumentum.

enim potest pro hac sententiâ, quam ab eius impugnatione defendimus, consensum internum ex se non esse determinatum ad rationem signi sensibilis, sed determinari per verba, vt simul cum illis componat vnum sensibile morale compositum, qui est contractus, & sic (vt sensibilis) habeat congruentem proportionem, & capacitatem, vt assumatur à Christo ad signum sensibile gratiæ, quod est Sacramentum, vt dictum est.

225. *Noua alia impugnatio solius ipsius Cardinalis à simili de Sacramento* Ordinis.

Nouam impugnationem solus ipse eminentissimus sine Vasquez addit *numer.* 11. à simili de Sacramento Ordinis, quia, si in Sacramento matrimonij consensus internus coniugis esset materia; eodem modo consensus internus Episcopi ordinantis esset materia Sacramenti ordinis; nec enim magis significatur internus consensus coniugis per verba externa, quibus significat se dare coniugi potestatem supra suum corpus, quàm consensus Episcopi per verba, quibus significat se conferre potestatem ei, quem ordinat, nec minus essentialiter requiritur consensus internus Episcopi ad valorem Sacramenti Ordinis, quàm consensus internus coniugis ad valorem matrimonij, ergo non minus erit materia vnus consensus, quàm alius: nemo autem dixit consensum internum Episcopi esse materiam, ergo nec hunc alium dicere debemus esse materiam matrimonij.

226. *Reiicitur ea impugnatio.*

Multò minorem vim habet hæc impugnatio. Atque inprimis hîc agimus de contractu, & quærimus materiam & formam illius, quam, si inueniamus, illam ipsam admittere debemus pro Sacramento, cùm contractus ipse sit eleuatus ad Sacramentum. Posset ergo respondere hæc sententia contractum definiri, quod sit *duorum aut plurium in idem placitum & consensus.* In Sacramento autem Ordinis non assumpsisse Christum aliquem contractum, *sed sacram quandam externam ceremoniam, quâ alicui peculiaris potestas traditur in ordine ad altaris ministerium vt diximus tract. 6. qui* est de *ordine* definientes ordinationem ipsam *dub. 1. in principio.* Vnde ad componendum Sacramentum Ordinationis solùm verba, & externæ actiones in vno quoque ordine requisitæ, quibus sacra ceremonia constituitur, ingrediuntur: intentio verò ministri tanquàm causa essentialiter requisita ex institutione Christi, qui, & inter actiones requisitas ad rationem sacrarum ceremoniarum requisisset aliquem actum voluntatis tanquàm partem illius compositi, etiam ille actus esset pars Sacramẽti, vt contingit in confessionis Sacramento, quia ergo in Sacramento matrimonij elegit contractum, & iuxta probabilem sententiam imò cõmunem, & ferè receptam in ratione contractus continẽtur consensus, ideò consensus sunt pars Sacramenti, quod non reperitur in Sacramento ordinationis, vt dictum est.

227. *Confirmat vlterius idẽ auctor præcedens argumentum, seu nouũ potius format.* Concil. Florentin.

Confirmat vlterius *n.* 12. præcedens argumẽtum, vel potiùs fere nouum format petitum ex concilio Florentino vbi, Eugenius 4. *in Decreto ad Armenos* apertè distinxit inter materiam Sacramenti, & intentionem ministri, dum dixit. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicèt rebus tanquàm materiâ, verbis tanquàm formâ, & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia &c.* ergo consensus contrahentium non est materia: nam ille consensus est intentio celebrandi matrimonium; neque enim habent aliam voluntatem, & intentionem internam coniuges, nisi illum consensum internum, quem exprimunt per verba, vel certè non est alia necessaria intentio. Nam consensus ille est voluntas se obligandi alteri coniugi, hæc autem est voluntas faciendi id, quod necessarium est ad obligationem contrahendam, ac per consequens faciendi verum, & legitimum matrimonium. Ex quo infert, quòd sicut intentio Episcopi conferentis ordinem non intrat, ita neque intentio contrahentis matrimonium intrabit materiam huius Sacramenti iuxta doctrinam ibi traditam ab Eugenio.

228. *Reiicitur.*

Hæc etiam confirmatio nullius roboris videtur. Nam inprimis Pontifex requirit intentionem in ministro faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intentio formaliter, & præcisè non est intentio ipsa efficiendi verùm contractum obligatorium, & validum, sed alia, quæ hanc quidem essentialiter supponit, habet tamen distinctum obiectum iuxta doctrinam, quam supra *dub. decimonono.* tradidimus, vbi probauimus cùm multis posse separari rationem contractus à ratione Sacramenti, etiam in baptizatis, quod tunc habet locum, quando quis habet intentionem celebrandi contractum, sed expresè renuit facere Sacramentum, quod saltem contingere potest in hæreticis, quales sunt multi nostri temporis, qui tantùm concedunt duo Sacramenta nouæ legis scilicèt Baptismum, & cænam Domini, atque adeò possunt expresè habere animum non faciendi, quod facit Ecclesia Romana. Imò & Catholici (si per nefas excludant talem voluntatem faciendi, quod facit Ecclesia) non efficient Sacramentum. Quod loco citato declarauimus exemplo Baptismi. Sicut enim Christus Dominus voluit eleuare contractum matrimonij in baptizatis ad esse Sacramenti, ita voluit eleuare ablutionem externam cum illis verbis *ego te baptizo &c.* in nondũ baptizato ad esse Sacramenti baptismi; & tamẽ omnes fatemur, quamuis baptizans habeat intentionem ponendi omnia materialia, & formalia baptismi, quę sunt illa ablutio, & verba, si adhuc non habeat aliquâ ratione voluntatem efficiẽdi Sacramentum seu (quod idem est) voluntatem saltem virtualem, & moraliter prẽsentem faciẽdi, quod facit Ecclesia, nullum fore Sacramentũ. Eâdem ergo ratione, quando duo contrahunt matrimoniũ, & habent intentionem celebrandi contractum, quantũuis velint ponere omnia requisita ad materiam & formã Sacramenti, quæ sunt contractus ipse matrimonialis materiâ suâ & formâ constitutus; si tamen adhuc non habeant, vel expresè, vel virtualiter voluntatem, & intentionem efficiendi Sacramentum, vel faciendi, quod facit Ecclesia, non efficient Sacramentum; non quidem defectu intentionis ponendi requisita ad cõtractum (cui extrinsecũ, & accidentale est, quòd fuerit eleuatus ad esse Sacramẽti) sed defectu intentionis efficiẽdi

Sacra-

Sacramentum per ea, quæ ponuntur, & sufficientia essent ad id.

229. *Colligitur doctrina ex dictis.*

Ex his patet contrahentes per mutuum consensum habere intentionem sufficientē ad efficiendum contractum, non verò sufficientem ad efficiendum Sacramentum, nisi adsit alia, atque adeò, licèt consensus mutuus intret materiam contractus, adhuc esse aliam intentionem distinctam à materia contractus, quæ dici potest, & est intentio ministri, atque hanc requiri ad rationem Sacramenti, non verò ad rationem contractus. Ex his patet nihil esse in hac sentētiâ contrarium verbis Pontificis distinguentis intentionem ministri à materiâ & formâ, cuius Pontificis doctrinam iterum in fine huius dubitationis declarabimus.

230. *Adhuc admisso quod auctor idem assumit, in suis principiis non probaret intentum.*

Quidquid autem sit de eâ doctrinâ, quam puto veram, etiamsi concederemus huic auctori nullam aliam physicè distinctam intentionē reperiri, aut requiri in contrahentibus baptizatis præter illam, quâ voluit celebrare contractum, sufficere illi deberet iuxta doctrinam suam, quòd in vnâ & eâdem intentione ratione possent distingui voluntas celebrandi contractum, & voluntas efficiendi Sacramentum, quæ sunt distincta obiecta. Sicut enim Pontifex verbis citatis, connumerauit inter illa tria, quibus perficiuntur Sacramenta intentionem ministri tanquàm distinctam à materiâ & formâ, ita ipsam materiam, & formam connumerauit, tanquàm distinctas inter se, & constare dixit Sacramenta *rebus tanquàm materiâ, verbis tanquàm formâ &c.* & tamen ipsemet Auctor *numer.* 29. docet ipsamet verba continere materiam, & formam, & solùm virtualiter distingui, vt iterum videbimus, ergo eodem modo, si auctores huius sententiæ, de quâ nunc agimus duplicem rationem virtualiter distinctam agnoscant inter materiam huius Sacramenti, quam dicunt esse cōsensum, & inter intentionem ministri, adhuc vera erunt verba Pontificis, & nihil dicetur cōtra illa. Propter omnia hucusque dicta pro hac sententiâ, ea mihi videtur satis probabilis, prædictisque argumentis non satis impugnari, neque vllum occurrit argumentum, cui non possit responderi satis probabiliter.

Concluditur probabilitas dictæ quintæ sententiæ.

231. *Magis rationi consonum videtur non tantùm formā per se sensibilem assignare, sed materiam.*

Nihilominùs magis mihi rationi consonum videtur, quoad fieri possit, si pro signo, & composito sensibili non solam formam sensibilem assignemus; sed etiam materiam formę sensibili proportionatam, scilicèt materia sit prius sensibilis, nec tantùm sensibilis per ipsam formam, quod non contingit in aliis; atque hoc est, quod dicere videtur Sanchez, quando, vt vidimus impugnauit, hanc sententiam, & assignauit disparitatem inter hoc Sacramentum, & Sacramētum Pœnitentiæ in eo, quòd in pœnitentiâ iam præsupponatur materia sensibilis, supra quam caderet forma sensibilis; in hoc verò nulla præsupponitur iuxta hanc sententiam, sed tota sensibilitas est, quam secum affert forma, scilicèt verba, vel nutus. Itaque priùs debet præsupponi materia, quæ sensibilis sit, tanquàm proportionata formæ sensibili, vt dicamus hoc Sacramentum ex pluribus sensibilibus assumptis, & institutis à Christo componi, sicut & cœtera Sacramenta alioquin hoc Sacramentum non constaret ex sensibilibus partibus. Nam, si consensus tantùm sensibilis est per verba, & vt sensibilis, intrat Sacramentum, iam includeret in se verba, atque adeò, quę dicitur materia, non esset pars compositi, sed compositum totum, sicut ergo album non componitur ex corpore, vt affecto albedine, & ex albedine ipsa, sed ex corpore secundùm se, & ex albedine; ita Sacramētum & suâ materia & forma, ita, vt materia non includat ipsammet formam, quærenda ergo est materia, quæ per se sit sensibilis, vt ex vtraque parte sensibili Sacramentum constituatur, si velimus Sacramentum hoc, perinde atque cœtera facere compositum ex materiâ & formâ, de quo infrà dicemus explicando sententiam nostram.

232. *Sexta sententia.*

Sexta iam sententia est, quasi inuersa præcedentis nempe verba, seu signa externa esse materiam, & formam, quia nimirum consensus determinant verba, seu signa, quæ sine consensu nihil efficerent. Ita Maior *in* 4. *distinction.* 26. *q.* 1. Hæc sententia ab omnibus reiicitur, & sine fundamento asserit verba determinari per consensus ex eo, quòd sine consensu nihil efficerent; nam eâdem ratione consensus nihil efficerent sine verbis, idque commune est vtrique parti essentiali compositi cuiuscumque, vt neutra sine alterâ possit compositum constituere, ergo ex eo capite nullum est argumentum ad affirmandum vnam partem potiùs quàm aliam esse materiam, aut formam. Omitto alia, quæ contra hanc sententiam dici possent.

Maior. *Ab omnibus reiicitur.*

233. *Septima sententia. Nouissimè inuenta & inuecta à Card. Lugone.*

Septima sententia est, quā nouissimè inuenit Eminentissimus Lugo citatâ *disputation.* 2 *de Sacramentis numer.* 29. dum ait in eisdem verbis, seu signis contrahentium reperiri materiam & formam. Nam in illis (inquit) reperiuntur distincta virtualiter traditio rei, & verba, quæ duo, quando condistinguuntur inter se, sunt materia & forma in aliis Sacramentis v. g. in Sacramento Ordinis reperitur traditio calicis cum vino & aquâ, & patenæ cum hostia, & prætereà verba, traditio quidem, vt materia, verba autem, vt forma. Sic etiam in emptione potest interuenire, & traditio clauium domus venditæ, & simul verba, quibus fit venditio.

234. *Pergit explicando à simili.*

Aliquando verò potest contractus emptionis verbis perfici, quæ habeant vtramque vim absque aliâ traditione. Nam de substantia emptionis non est traditio, licèt ad transferendum dominium regulariter requiratur traditio, non ex naturâ rei; sed ex iure Ciuili, quę omnia affert ex Lessio *l.* 2. *de iust. c.* 21. *n.* 1. *& c.* 3. *dub.* 3. Sic ergo in contractu matrimonij (inquit Lugo) absque aliâ actione externâ, per sola verba, quæ significant traditionem, perficitur contractus, non minùs, quàm, si realis traditio externa intercederet. Ex quibus paulò post concludit, habere verba illa, quibus matrimoniū perficitur vtrāque vim, scilicèt obligationis, & traditionis, quę possent (inquit) separari, & fieri singula per signa diuersa: quare, quando eadem verba gerunt vtrumque munus, ibi possumus distinguere virtualiter traditionem, & obligationem personalem, & dicere, quòd verba illa, vt sunt traditio

Lessio.

corporum; sint materia, vt verò sunt verba inducentia obligationem personalem, sicut alia verba, sint forma, eò quòd habeant in se simul illa duo, quæ in contractu emptionis reperiuntur regulariter in verbis simul, & in traditione rei venditæ. Hactenùs eisdem ferè verbis eminentissimus.

235. *Difficilis sententia prædicta, non placet.*

Hæc sententia, & quando primò eam legi difficilis, & quando accuratiùs & attentiùs relegi multò difficilior visa est. Atque inprimis illud, *quòd in verbis, seu signis contrahentium reperiatur materia, & forma*, alij multi dixerunt, vt vidimus in quartâ sententiâ. Quod verò *in illis reperiantur distincta formaliter traditio rei & verba*, quòd etiam *ea duo* scilicèt *verba*, *& traditio sint materiâ & formâ*, quatenùs *distincta virtualiter* nemo, quem viderim dixit, neque ipsemet Eminentissimus auctor dicere potest iuxta suã doctrinam. Nam ipsemet in *eâdem disp. tum n.* 10. cum Vasquez, tum *n.* 26. *&* 27. *&* 28. & sæpe alibi impugnando alias sententias, vt vidimus suprà, contendit id, quod habet rationem materiæ, debere esse magis indifferens, & indeterminatum, id verò, quod habet rationem formæ, magis determinatum, & illud debere determinari per hoc, & ex eo impugnat Suarium, & alios, qui dicunt eadem verba, vt habent rationem acceptationis habere rationem formæ, &, vt habent rationem traditionis, habere rationem materiæ; quia nimirum traditio non est magis indeterminata, quàm acceptatio, nec acceptatio magis determinata, quàm traditio; *tam* enim *est* (inquit ille *nu.* 26.) *determinata traditio corporis quàm acceptatio corporis* & priùs *n.* 10. probans cõtra alios; consensum non posse esse materiã, & verba externa formam, ex eodem principio argumentatur, & ait, *consensus internus coniugis non magis est indifferens, aut indeterminatus, quàm verba externa, cùm feratur ad talẽ numero coniugẽ perpetuò accipiendũ, & ad omnia alia, ad quæ feruntur verba.* Hoc argumentũ non minùs habet locũ contra illius sententiã, quia non minùs determinata est traditio, quàm verba; ergo non minùs repugnabit ex eo capite, quòd traditio sit materia, & verba forma. Ad nihil enim aliud se extendit traditio, quàm ad id, ad quod se extendunt verba, vt ex se patet. Confirmatur, & declaratur, quia, vt ipse tandẽ se declarat *n.* 29. paulò post medium *verba illa, vt sunt traditio corporũ sunt materia, vt verò sunt verba inducentia obligationem personalẽ, sunt forma* & paulò ante. *Habent ergo verba illa, quibus matrimoniũ perficitur vtramq; vim obligationis, & traditionis*, sed ad id ipsum, ad quod se extendit traditio se extendit obligatio, & è contra; ergo iuxta suam doctrinam non magis traditio, quàm obligatio habet rationem materiæ, nec è contra, cùm sint æquè determinata. Adde quod vix potest percipi traditio distincta ab obligatione, quia in hoc contractu non aliâ ratione se tradit, quàm se obligando, nec aliâ ratione se obligat, quàm se tradendo.

Redarguitur argumentũ ad hominem.

Confirmatur etiam argumento ad hominẽ.

236. *Vrgetur vlterius.*

Præterea modus ille loquendi, & distinguẽdi duo membra in eisdem verbis placere non potest; dum ait, *in illis reperiuntur distincta virtualiter traditio rei, & verba.* Nam quæro, vel illa traditio fit verbis ipsis, quatenùs verba sunt, & signa, vel non: hoc secundùm dici non potest, quia huc verba non intrant secundùm esse physicum sed secundùm esse morale signi ad placitum, vt patet, ergo etiam, vt continent rationem traditionis sunt verba, ergo malè distinguitur traditio rei à verbis dum dicitur de verbis *in illis reperiuntur distincta virtualiter*, *& traditio rei, & verba.*

237. *Adhuc vrgetur.*

Vlteriùs vt ipsemet fatetur, *verba vtramque vim habent scilicèt obligationis*, *& traditionis*; & hæc duo contendit virtualiter distingui. Vim autem obligationis, eatenùs habent, quatenùs, sunt signum, & causa illius obligationis, quâ tanquàm illorum verborum effectu manet formaliter coniux coniũgi obligatus; atqui vim etiam traditionis eatenùs habent ipsamet verba, quatenùs sunt signum, & causa illius traditionis, quâ tanquàm effectu eorundem manet formaliter coniux coniugi traditus; ergo non minùs sunt verba, quatenùs traditio, quàm quatenùs obligatio, malè ergo tanquàm de duobus membris loquemur, si admittamus, quod ait, *reperiuntur distincta virtualiter traditio rei, & verba.*

238. *Nouum ex dictis argumentum ad hominem.*

Ex quo adhuc sumitur aliud ad hominem argumentum, quia non minùs distinguuntur in eisdem verbis ratio traditionis, & acceptationis, vt volunt Suarius, & alij auctores quartæ sententiæ, quàm distingua tur ratio eiusdẽ traditionis à ratione obligationis, sicut distinguit ipse, & tamen idẽ ipse ex eo impugnat illos auctores in fine *n.* 26. *quia tota illa traditio nõ minùs constat ex solis verbis, quàm acceptatio, quæ ponitur pro forma ergo tandem totum Sacramentum fit per sola verba tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ*, quæ ratio eodem prorsus modo vim habet cõtra ipsum, vt patet, nec enim minùs consistit in eius sententiâ tota forma & materia in solis verbis, quàm in sententiâ aliorum; quod si recurrat ad distinctionem virtualem idem recursus esse potest in sententiâ, quam impugnat; atque in vniuersum vix potest inueniri argumentum contra illam sententiam acceptationis, & traditionis quod non habeat locum etiam contra hanc obligationis, & traditionis; præsertim, si argumentemur ad hominem.

239. *Aliud quod difficile est in eâdem sententia.*

Illud etiã maximè difficile est, quod affert ad suam sententiam explicandã, dum loquens de obligatione, & traditione in matrimonio ait, *quæ possent fieri singulæ per signa diuersa*: & paulò post *n.* 30. *&* 31. id ipsum explicat in casu, quo matrimonium fit per copulã carnalẽ maritali affectu habitam, iuxta ea, quæ priùs dixerat *num.* 22. in quo casu putat tale matrimonium fieri per res formaliter, & per verba virtualiter, quia nimirum illam copulam putat esse traditionem formaliter; virtualiter verò, seu equiualenter, verba. In quâ doctrina multa continentur difficilia. Atque inprimis, quòd per illam copulam non fiat matrimonium, sed Ecclesia in eo casu præsumat matrimonium fuisse, & præcessisse satis probauimus *suprà dub.* 14. adiunctis quæ diximus *dub.* 10. *& disp.* 1. *dub.* 41. Sed quidquid sit de hoc, etiamsi concedamus cum aliis auctoribus per illam copulam suppositis spõsalibus perfici matrimonium, non probat, nec poterit probare illã copulã ibi se habere tãquàm traditionẽ formaliter, sed tanquàm signũ coniugalis consensus,

perinde

perinde atque si fierent alij nutus & signa, ita, vt non sit traditio ipsa pertinens ad essentiã matrimonij, sed signũ traditionis sicut verba, quod probari potest tum absolutè, tum ad hominem. Primò ad hominem. Nam ipse *cit. n. 31. & præcedentib.* ait, *quando matrimoniũ fit per sola verba absque reali traditione, tunc interueniunt formaliter verba, res autem, seu traditio realis interuenit virtualiter, & æquialenter, prout includitur in illis verbis.* Iam quæro, illa traditio, quæ includitur in verbis, quid est? estne ipsa copula, de qua ibidem dicit, *quando matrimoniũ perficitur per realem traditionẽ corporum, nempe per copulam carnalem affectu maritali habitam?* &c. quo casu ait formaliter esse rẽ, scilicèt traditionem, si hoc dicit, ergo verba cõtinent æquialenter copulam affectu maritali habitã, & æquialent copulæ, quod nemo somniauit. Si verò dicat traditionẽ, quæ in verbis continetur, non esse copulam; sed aliquid aliud, ergo iam copula ipsa nõ est formaliter traditio illa matrimonialis, de qua agimus, & quæ ad essentiam huius contractus requiritur, sed ad summum erit signum in quibusdam casibus significans ipsum affectum coniugalem suppositis aliis circumstantiis, de quibus diximus locis notatis, ex se verò tantùm est vsus ipse iuris acquisiti per contractum; non verò contractus ipse, aut pars essentialis illius, vt dicam.

240. *Adhuc nouum argumentum ad hominem secundum.* Secundò etiam ad hominem, quia ipsemet, cùm dixisset obligationem, & traditionem *posse fieri singulas per signa diuersa* explicans postea, quæ sint signa illa diuersa, per quæ fieri possunt ait traditionem fieri per *copulam carnalem affectu maritali habitam*; iam ergo concedit copulam ipsam esse signum traditionis, per quod fit ipsa traditio, ergo copula non est traditio ipsa: nam ipsamet res non est id, per quod res ipsa fit, sicut neque res significata per signum est ipsummet signum, neque signum est propriè ipsamet res significata, (quidquid aliqui dicant) cùm de ratione propriè dicti signi sit, quod aliquid aliud à se distinctum significet.

Tertium argumentũ. Tertiò ad hominem, quia copula, vt realis traditio, est materia in eius sententiâ, sed materia in eius sententiâ latiùs debet patere, & esse magis indeterminata quàm forma; in eo autem casu copula, vt formaliter traditio, non est magis indifferens & indeterminata, quàm forma in ipsâ copulâ (etiam in eius sententiâ) virtualiter inclusa, ergo non potest esse materia.

241. *Quartum argumentũ.* Quartò absolutè probatur copulam non esse traditionem, de qua agimus, sed vsum iuris, quod supponitur acquisitum, neque esse casum, in quo propriè traditio, quæ fit formaliter per copulam ipsam, efficiat, sed supponat ipsum cõtractum, saltem immediatè factum; nam, vt omittam, quod copula ipsa ex se non habet tribuere dominium corporum se copulantiũ, sed supponit, vt licitè fiat, vt dixi *dub. illa* 14. & locis ibi notatis; adhuc ante ipsam copulam est accessus, & aggressio intendentium se copulare, in quâ est satis clara significatio affectus maritalis, vt notaui citatâ *dub.* 14. atque adeò copula nullo modo potest pertinere ad essentiã, quæ iã præcessit in alio signo immediatè præcedente.

242. *Quintum argumentũ* Quintò, quia (vt ipse *n.* 30. concedit, & plerique Auctores) materia remota huius Sacramenti sunt corpora contrahentium, materia autem remota eatenùs intrat Sacramentum quatenùs subest proximæ, ipse autem ibi, & sæpe ait traditionem horum corporum esse materiam proximam, & hanc dicit statim *n.* 31. esse copulam. *Perficitur* (inquit) *per realem traditionẽ, nempe per copulam carnalem*, ergo corpora cõtrahentium eatenùs sunt materia huius Sacramẽti, quatenùs subsunt copulæ carnali, nec posset fieri contractus, atque adeò nec Sacramentum, nisi intercederet copula formaliter, vel virtualiter, & quãdo ab hoc authore dicitur verba esse virtualiter traditionem, idem erit atque esse virtualiter copulam, vel si est alia traditio, iam copula non erit traditio ipsa, sed aliquid aliud habebit rationem traditionis, & quando fit per copulam, non fiet per realem traditionem.

243. *Aliqua ex eadem sententia sequerentur vix audiẽda. Primò sequeretur. Secundò sequeretur.* Ex eadem doctrina sequerentur aliqua, quæ vix possunt audiri. Primò sequeretur, quòd deberemus dicere matrimonium componi ex copula formali, vel virtuali, & hoc ita necessariò, vt sine copulâ non possit constare, sicut compositum quoduis sine parte materiali componẽte. Secundò quod naturalissimus modus contrahendi stando præcisè in iure naturæ (etiã in lege gratiæ) esset copulando se carnaliter. Nam cùm verba tantùm sint virtualiter traditio in eius sentẽtia; copula verò sit traditio ipsa, & traditio sit de essentia huius contractus, magis naturæ contractus congruere videtur (seclusis legibus humanis positiuis) vt, pars quæ essentialiter requiritur, & per se ipsam potest intrare compositionẽ contractus, intret. Quæ omnia, & alia, quę possemus inde inferre saltem sunt extra cõmunem modum loquendi, & sentiendi.

244. *Aliud falsum quod inuoluitur dum dicitur copula esse virtualiter verba.* Tandem illud non omittam notare, omissis aliis, quæ contra hanc sententiam occurrebant, etiam dato quòd copula esset formaliter traditio, quæ est pars contractus, falsum omnino nõ esse, quod *numero* 31. dicitur *quando matrimonium perficitur per realem traditionem, nempe per copulam carnalem &c. tunc interueniunt formaliter res, verba verò solum virtualiter.* Cuius doctrinæ vltima pars de verbis virtualiter contentis videtur procedere ex falso alio iudicio, quòd alia signa, exprimentia consensum, censeantur in contractibus quasi vicaria, aut substituta verborum, quòd falsum est. Nam cætera signa (excipio scripturam) ipsa per se absque vllo ordine ad verba significant illud ipsum, quod verba, & causant per se, sine vllo ordine ad verba obligationem contractus, quam causarent verba, non, quia sint substituta verborum, sed, quia illud ipsum significant alia signa v.g. nutus mouendo caput versus pectus. Ex quo fit, vt, si copula sit in casu aliquo non solùm traditio, sed etiam signum consensus, id non habeat in ordine ad verba, sed, quia ipsa per se significat tunc illud ipsum quod verba. Vnde sicut verba vnius linguæ, puta Italicæ non dicuntur esse in aliquo contractu virtualiter latina, aut Germanica, sed illa ipsa per se intrant contractum, sine vllo ordine ad latina, quatenùs illa ipsa per se significant illud ipsum, quod significant latina absque vllo ordine,

dine, aut dependentia vnius linguæ ad aliam; sic in nostro casu copula (sicut etiam nutus, & alia quæuis signa, præter scripturam) si significat consensum, & constituit contractum, causatque obligationem, non solùm vt traditio; sed vt signum, non dici debet, quòd sit verba formaliter, aut virtualiter, sed quod ipsa per se copula carnalis sub circumstantiis, de quibus diximus *dub.*14. sit signum consensus, perinde atque verba, id quod docuerunt Sanchez, & alij ibidem citati, & videtur sequi, & manifestè supponit idem Eminentissimus, vt constat ex verbis proximè citatis.

245. *Confirmatur prius dictum.* Ex quo amplius confirmatur id, quod in fine *numeri* 243. dicebamus, scilicèt, ex eâ sententiâ sequi naturalissimum & magis congruum naturæ matrimonij contrahendi modum esse per ipsam copulam carnalem, cùm hæc & formaliter sit traditio, & etiam in eâ occasione sit signum non minùs verè & formaliter, quàm verba, neque enim habet à verbis, aut per ordinem ad verba esse signum consensus maritalis, sed ex se, & suis circumstantiis. Ergo iam tunc formaliter interueniunt in eo contractu, & signum, & realis traditio, quod autem tale signum sit, vel non sit verbum, & sonus vocis, materiale est ad rationem contractus, vt videre est in aliis contractibus. Imò etiam ad rationem huius Sacramenti, in quo quę sufficiunt ad contractum sufficiunt ad Sacramentum, vt sæpe diximus.

246. Excepi autem à ratione signi sine ordine, aut dependentia à verbis scripturarum, quia hæc sola habet esse virtualiter verba, & immediatè non significat res illas, quæ significantur per verba; sed verba, quod latiùs declarare non est huius loci; vnde propriè loquendo, tunc tantùm matrimonium fit per signum, quod sit virtualiter verba, quando fit per scripturam; reliqua verò signa ipsa per se sunt, quæ significant id ipsum, quod significarent verba, si adhiberentur, censentur tamen comprehendi sub numine verborum, quando Concilia, præsertim Florentinum, dicunt omnia Sacramenta constare rebus & verbis, tùm, quia ita *regulariter* fit etiam in matrimonio (quo verbo vtitur Florentinum) tum, quia tantundem valent alia signa, atque valerent verba, in quo sensu posset dici, cætera signa esse æquiualenter verba, sicut è conuersò, nisi quòd magis frequens est in contractibus verborum vsus, quàm aliorum signorum; quodlibet nihilominus aliud signum præter scripturam immediatè per se, & formaliter sine ordine ad verba significat, atque adeò intrat compositionem contractus, vt dictum est. Nec omittendam puto ad extremum mirabilem mutuam inclusionem virtualem; dum ait de matrimonio per verba. *Traditio realis interuenit virtualiter, prout includitur in illis verbis.* & posteà cum dixisset copulam esse realem traditionem, ait tunc *matrimonium perficitur per realem traditionem nempe per copulam carnalem* & in tali casu ait *tunc interueniunt formaliter res, verba verò virtualiter.* Ecce traditio realis, id est copula, continet virtualiter verba, & vicissim verba continent virtualiter traditionem, id-est copulam. Quis hæc audiui? aut quis hæc credet?

247. *Octaua & vera sententia.* Octaua tandem, & vera sententia est, materiam esse corpora contrahentium legitima; formam verò, esse consensus, per verba vel alia signa legitimè expressos, vel (quod idem est) verba, seu signa exprimentia consensus, atque adeò eos continentia. Ita Vasquez *tomo quarto in tertia part. inchoato opere de matrimonio disputation. tertia capit. quinto* quem postea secutus est Basilius *libr. primo capit. septimo* pro qua sententia ex Theologis refert Vasquez Petrum de Soto *de institution. Sacerd. lection. tertia de matrimon.* vbi de forma, & *lection. quarta* vbi agit de materia Adrianum *in quarto de matrimon.* Adde apud Sanchez *supra* Palatium, & probabilem iudicantes Capreolum, & Bartholomæum de Medina, & ex iurisperitis Couarruuiam *secunda part. de matrimon. capit. primo paragrapho vnico*, qui duo non omnino mihi videntur clarè locuti, sed non leuiter indicant: Antoninum etiam *tertia part. titul. primo paragrapho primo non longè à fine*; quamuis aliquid aliud addat, vt videre est apud Vasquez, qui etiam refert S. Thomam *in quarta distinction. 28. q. vnicâ articul. tertio in secundo* argumento sed *contra* vbi hanc sententiam videtur indicâsse, verum ipse Vasquez non multum fidit huic auctoritati, & meritò. Eandem sententiam tum ipso Vasquio viuente, & testante, tum etiam ipso mortuo multi recentiores me etiam teste sequebantur in Complutensi Academia in publicis lectionibus, & disputationibus, inter quos Gaspar Hurtado *disputation. tertia de matrimonio difficultat.* 21. vbi non consentire omnino videtur cum Vasquio (quem tamen pro sua sententia refert) ipse enim distinguit etiam in matrimonio, sicut in cæteris Sacramentis, materiam proximam, & remotam, cuius oppositum docet Vasquez *n.*70. sed hoc posteà examinabimus. Eandem sententiam testatur Perez *disp. illâ* 19. sequi non paucos Recentiores hâc ætate.

Vasquez. Basilius. Petrus de Soto. Adrianus. Palatius. Capreolus. Medina. Couarr. S. Anton. S. Thom. *Plures Recentiores Complutenses.* Hurtado. *Alij non pauci teste Perez.*

248. *In quo præcipuè sit difficultas huius sententiæ. Explicatur sententia.* Huius sententiæ difficultas maior, aut ferè tota est in explicando, quonam modo corpora contrahentium esse possint materia contractus; nam quòd, hoc supposito, verba & cõsensus per verba expressi sint forma, satis clarum videtur, cùm sint id, quo vltimò completur, & constituitur hic contractus, sicut & cæteri alij. Porrò in vniuersum materiam cõtractus esse id, de quo dicitur esse, & circa quod versatur contractus, & nullam aliam materiam requiri in contractu, contendit Vasquez præsertim *à numer.*58. *& deinceps*, & consequenter docet nullam aliam materiam esse quærendam pro Sacramento; quia, vt sæpè notauimus, Sacramentum secundùm materiale adæquatum, supra quod cadit significatio Sacramentalis, & ipsemet contractus matrimonij. Vnde quod sufficit pro materia contractus, sufficiet pro materiâ Sacramenti. Docet ergo Vasquez in contractu permutationis v. g. aut in contractu venditionis res ipsas, quæ mutuò dantur, & accipiuntur esse materiam contractus, sicut in commodato etiam materia est res, quæ datur, & commo-

Vasquez.

datur,

datur, & in aliis eodem modo ; atque adeò idem erit de matrimonio, qui contractus cum consistat in mutua corporum traditione, materia erunt ipsa corpora.

249. *Præcipua probatio sita est in dissoluendis obiectionibus, quæ in contrarium obiiciuntur.*

Huius doctrinæ præcipua probatio est sita in dissoluendis argumentis aduersariorum, nam, si nihil in contrarium præualeat, cùm tota ratio materiæ, & formæ in contractibus pariter, & Sacramentis per quandam analogiam assignetur, non deest analogia in rebus, circa quæ fiunt contractus, vt dicamus eam esse materiam illorum, sicque solemus dicere hunc contractum esse in hac materiâ, puta pecuniæ, vt cambium, illum in alia, domus, & pecuniæ, vt venditio domus &c. ita matrimonium dicemus esse in materia corporum legitimorum in ordine ad generationem. Videamus ergo, quid concludant argumenta aduersariorum.

250. *Obiectio 1.*

Obiiciunt. Primò, Sacramentum nouæ legis producit gratiam, & ad eam producendam concurrere debet etiam materia; contrahentes verò non concurrunt per se ad gratiam; sed mediis actibus, ergo non sunt materia. *Respõdetur.* Respondetur negando minorem. Nam contrahentes simul sunt, & ministri, & materia, atque vt sunt ministri concurrunt mediis actibus elicitis à se, vt verò sunt materia concurrunt etiam, tanquàm pars Sacramenti, siue physicè, siue moraliter ad gratiam, neque in hoc est inconueniens, vt ex aduersariis etiam admittit Lugo *n.*14. & ex nostris docuerat Vasquez *n.*74.

Lugo.

Hæc solutio admittit vel dat corpora contrahentium, esse materiam intrinsecè aliquâ ratione componentem Sacramentum. Nam, si dicamus Matrimonium, sicut cæteros contractus, tantùm habere materiam, circa quam, & extrinsecam, facilè respondetur illam solùm materiam Sacramenti, quæ est intrinseca pars componens Sacramentum, concurrere ad efficiendam gratiam; non verò, quæ est materia extrinseca, & circa quam. Adde; quamuis diceremus aliquâ ratione etiam materiam, circa quam posse effectiuè concurrere, nihil esset incommodi, nam si dicamus Sacramentum solùm moraliter causare gratiam, non video, quomodò in suo genere non etiam possit causare gratiam materia extrinseca, & circa quam, quatenùs est id, circa quod versantur actus componentes Sacramentum. Sic peccata aliquando commissa, quatenus sunt obiectum, & materia, circa quam versatur actus confitendi, dolendi, absoluendi, ex quibus componitur Sacramentum pœnitentiæ possunt dici moraliter concurrere ad ipsum effectum gratiæ, præbendo obiectum & materiam actibus illis, qui, nisi peccata commissa haberent pro obiecto, existere non possent, atque adeò nec moraliter causare gratiam, eaque ratione possumus commendare & laudare sapientiam Dei, & explicare aut applicare ad id illa verba Pauli ad *Roman.* 8. 3. *de peccato damnauit peccatum*, scilicèt ipsamet peccata sui destructionem causant concurrendo tanquàm obiectum ad actus, ex quibus moraliter mouetur Deus ad conferendam gratiam destruentem peccatum. Sic ergo in nostro casu corpora legitima sunt materia, circa quam, actuum ex quibus intrinsecè componitur Sacramentum, eâque ratione poterunt etiam moraliter ad gratiam concurrere. Si verò dicamus Sacramenta etiam physicè causare gratiam, non est necessarium, vt omnes partes Sacramenti illam causent; quod si necessarium esset, nulla melius id posset efficere, quàm ipsi contrahentes, qui necessariò existunt, & necessariò sunt præsentes sibi ipsis, vt patet.

252. *Obiectio 2.*

Obiiciunt Secundò, quidam Recentiores in fauorem Lugonis cum ipso *supra numer. decimoquinto* quòd in aliis Sacramentis non est materia Sacramenti id, quod tradi intenditur, sed id, per quod significatur illius traditio v. g. in Ordinatione Episcopi, quæ est quoddam Matrimonium spirituale, quod Episcopus contrahit cum Ecclesiâ sua &c. nemo dixit ipsam Ecclesiam, seu illos fideles, ex quibus Ecclesiâ constat, esse materiam in eo Sacramento, sed potiùs vnctionem, vel id, per cuius traditionem significatur traditio potestatis supra ecclesiam. Idem argumentum Lugo sumit ex ordinationibus aliis, vt Ostiarij, & Sacerdotis, in quibus non est materia illa res, circa quam datur ordinato potestas; sed in ostiario claues & porta, & in Sacerdote vel manus impositio apud Græcos, vel traditio calicis, & patenæ cum hostia & vino pro priori munere sacrificandi, vel etiam manus impositio cum illis verbis *accipe Spiritum Sanctum* &c. pro secunda parte, scilicet potestate absoluendi, vbi id, quod tradi intenditur est potestas supra fidelium animas, & tamen fideles nõ sunt materia, ergo non rectè argumentamur in matrimonio, ex eo quòd tradantur corpora, materiam esse ipsa corpora.

253. *Obiectio hæc quàm extra rem sit.*

Hæc obiectio adeò extra rem mihi videtur, vt cùm in eam legendo incidi, miratus fuerim Recentioribus illis viris doctissimis in mentẽ venisse argumentari in matrimonio à paritate aliorum Sacramentorum, & velle in Sacramẽto Ordinis, siue Episcopalis, siue Sacerdotalis, siue alterius cuiusuis inuenire rationẽ matrimonij spiritualis, aut aliquam rationẽ contractus inclusam in ipso Sacramento, vel, si illã fortè extrà, & consequentẽ, vel annexam inueniant, non vidisse, esse eandem prorsus rationem ibi, extra rationem Sacramenti, atque hîc in matrimonio intra ipsam Sacramenti essentiam, quæ omnia possumus facilè ostendere. Vide dicenda *disp.7. n.*28. & locis ibi notatis.

254. *Respõdetur.*

Respõdeo igitur obiectioni falsam esse doctrinã, quæ affertur in aliis Sacramentis, atq; adeò paritatem nullã esse, vel, si vera esset, idẽ quoq; quoad illam partẽ fore dicendum de illis, atque de matrimonio. Imprimis ergo neq; episcopatus, neq; alius ordo habet essentiã consistentem in ratione contractus, neq; rationẽ contractus inuoluit in suâ essentia; matrimoniũ verò essentialiter consistit in contractu; falsum itaq; omnino est, Episcopatũ sumptum pro Sacramento esse matrimoniũ quoddam spirituale, & quidẽ de omni Ordine constat in pueris, in quibus valet ordo & nullus esse potest contractus. Verùm neque in adultis contractus inuoluitur

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ibi, vt dicam nu. 271. vbi alia de hac re. Nam, si nulla assignatâ Ecclesiâ quis consecretur Episcopus, essentia Sacramenti tota subsistit, & nullum est matrimonium tale, neque cum Ecclesiâ vniuersali, quod est solius Summi Pontificis, neque cum aliquâ particulari determinata, vt supponimus, cum indeterminatâ verò & confusè esset ridiculum id somniare, ergo cum nullâ, ergo non consistit eius essentia in contractu. Vnde Suarius *tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 16. num 9.* ait probabilissimum esse olim ordinatos fuisse Episcopos nullâ designatâ Ecclesiâ: sic multos credere, fuisse ordinatos à Petro Linum & Cletum, aliaque ibi addit ad id probandum. Idem docet Vazquez *tom. 3. in 3 part. disp. 241. cap. 1. num. 10.* Quorsum ergo affertur matrimonium Spirituale, in quo non consistit Sacramentum Ordinis, vt ex eo sumatur argumentum ad nostrum casum? Adde quòd quando Episcopus, nondum consecratus, est legitimè electus, & confirmatus; iam iniuit matrimonium illud Metaphoricum cum suâ Ecclesiâ, & accepit potestatem in illam, & posteà accedens consecratio solùm dat illi potestatem ordinis, quæ separabilis est ab illo matrimonio & consecratio Metaphoricè aliqua ratione potest dici consummatio quædam matrimonij, vt docet Vazquez *supra*, vtcumque tamen sit, essentiâ Sacramenti illius non est contractus, nec illum includit. Totam hanc doctrinam declarauit Innocentius III. *cap. inter corporalia de translatione Episcop.* vbi ait *inter personas eligentium, & electi fit coniugium spirituale*, & loquitur seclusâ consecratione, vt legenti constabit, idemque suo modo est de Parocho nondum Sacerdote, qui posteà fit Sacerdos, &c. Quod si fortè recurras ad plenitudinem potestatis, quam videtur quasi consummatam accipere, quando consecratur aut ordinatur, omnino falsum est. Nam illud matrimonium qualequale est, non consistit, nec fit per ordinationem, & consecrationē, quia potest deesse, & superuenire ratio matrimonij post rationem ordinis, non solùm in casu proposito eius, qui consecratur nullâ Ecclesiâ designatâ, in qua sit Episcopus, sed in casu frequentissimo, quando Episcopus, qui fuerat vnius Ecclesiæ, transfertur ad aliam, tunc non negabis hunc cum secundâ Ecclesia contrahere suum illud Metaphoricum matrimonium, & tamen non ordinatur tunc, ergo, falsum est dicere agendo *de Ordinatione & consecratione Episcopi, quod sit matrimonium quoddam Spirituale, quod Episcopus contrahit cum suâ Ecclesia, &c.* vt dixit Cardinalis Lugo. ergo non mirum, quod cætera Sacramenta non habeant eandem rationem materiæ, quam habet matrimonium, cùm hoc consistat essentialiter in contractu, non illa. Accedit quòd iuxta receptissimam multorum sententiam, inter quos Suarius & Coninc, quos referemus *disp. 7. dub. 1.* Episcopus ex vi suæ ordinationis nullam habet iurisdictionem. Vbi ergo ius matrimoniale, aut quasi matrimoniale, vt velis id Sacramentum conferre cum Sacramento matrimonij? vide quæ infra dicimus *num. 271.* vbi Vazquium refero & plures alios.

Innoc. III.

255. Quod si loqueremur de ipso matrimonio spirituali, quod in quâdam siue tacitâ siue expressâ cōuentione & contractu spirituali consistit, quo Episcopus, aut suo modo etiā Parochus (quāuis de hoc sit multò minùs propria locutio) suscipit in sponsam suam Ecclesiam, tunc nihil prohibet sequentes Metaphoram, seu allegoriam matrimonij dicere etiam ipsos contrahentes Episcopum, & subditos fideles esse materiam, est enim eadem ratio, sed hoc (vt dicebam) est extra rationem Sacramenti, & solùm spectat ad rationem contractus, qui tunc expressè, vel virtualiter fit, de quo nunc nihil definio. Imò neque potestas Episcopi in subditos, aut ius subditorum erga ipsum oritur ex ipsarum partium sola, sed ex superioris voluntate, nempe, vel Christi, vel Papæ iuxta varias sententias.

256. *Obiectio 3.* Obiicies 3. ex eodem ibi *num. 16.* etiam in contractibus non esse materiam contractus id, quod per contractum tradi intenditur. Nam in emptione v.g. domus, id, quod tradi intenditur, est ipsa domus, id autem per quod significatur, & celebratur ipsa traditio, sunt claues, vel Scriptura, per quarum traditionem celebratur contractus, quare (inquit) claues, vel Scriptura sunt materia, ex quâ propriè constat contractus ille; domus verò est materia, circa quā, seu obiectum, quod intenditur vendi, & transferri. Nos autem in præsenti non quærimus de materiâ, circa quam, sed agimus de materia, ex quâ conficitur Sacramentum, & per quam effectus, qui intenditur, significatur, in quâ consideratione (ait) non est in venditione materia res ipsa, quæ venditur, vel datur; sed illa, per quam id significatur.

257. *Responsio posset adhiberi ex Vazquio.* Huic obiectioni responderi posset ex doctrina Vasquij *suprà cap. 6.* in principio, non in omnibus Sacramentis requiri materiam, ex quâ; putat enim Vasquez in Eucharistia non dari materiam, *ex quâ*; sed *circa quam* scilicèt panem, & vinum. Hæc tamen doctrina, quod attinet ad Eucharistiam, mihi non placet, & rectè illam impugnat Cardinalis Lugo, quia falsum est in Eucharistiâ non esse materiam *ex quâ*. Nam species panis & vini, & corpus Christi componunt illud Sacramentum, & non tanquàm forma, ergo tanquàm materia.

258. *Incipit statui vera responsio.* Ideò Respondeo negando in contractibus non esse materiam, eam quæ tradi intenditur, vt posteà videbimus contra eundem Cardinalem; falsumque est materiam esse claues, aut Scripturam, &c. in venditione domus; solùm enim illa sunt signa quædam interni consensus, & solemnitates, aut modi requisiti aliquando in iure positiuo ad celebrandum contractum, & admittuntur, vt signa consensus contrahentium præsertim Scriptura; claues verò (nisi fortè alicubi requirantur necessariò pro solemnitate ad transferendum dominium) sunt signum translati iam dominij aut iuris ex consensu vēditoris, & fictione iuris est clauium traditio idem, quod traditio domus, aut possessio illius, ipsam tamen domum dicimus esse materiam contractus. Adde, quòd sicut in consecratione Episcopi; Abbatis benedictione, & Canonici institutione solent dari aliqua, quę vt in *Tract. 1. de Sacramentis* dixi *disp. 2. dub. 5.* solùm sunt signa, non causæ, v.g. traditio baculi, libri, & similium,

lium, ita & traditio clauium, & similia possunt accipi vt signa. Vtrum autem domus & similia in contractibus sint solùm materia *circa quã* aut etiam *ex quâ*, magnâ ex parte potest censeri quęstio vocis. Si tamen aliquid habeat de re; vtrumque est probabile, & posteà sigillatim explicabo.

259. *Respondetur ergo 1. negando in matrimonio materiam ex quâ, & concedendo circa quã.*

Responderi ergo potest primò (quidquid sit de Eucharistia) in matrimonio non dari materiam, *ex quâ*, sed *circa quam*, sicut in aliis contractibus, in quibus verba & alia signa spectãt ad formam, res autem, quæ tradi intenditur est tantùm iuxta hunc modum philosophandi, materia *circa quam*, & nulla alia requiritur, neque in hoc habere locum argumentum petitũ à similitudine aliorum Sacramentorum, quia, cùm solum matrimonium sit contractus, non cætera Sacramenta, mirum non est, quod hoc præter cætera habeat materiam instar aliorum contractuum. Vnde non cogit argumentum, quo vtitur Lugo à paritate aliorum Sacramentorum, vt probet *num.* 18. debere matrimonium necessariò habere aliquam materiam, quæ existat ibi, vbi fit Sacramentum, quam tamen non habet, quando fit Sacramentum per procuratorem, nisi dicamus ipsa verba simul esse materiam & formam modo ab ipso explicato. Nam cùm matrimonium sit contractus, si contractûs materia potest procul abesse è loco, in quo celebratur contractus, poterit etiam materia huius Sacramenti, quod consistit in contractu procul abesse. Ratio verò pro omnibus contractibus esse potest; quia, cùm materia contractuum sit tantùm materia, *circa quam*, (vt modo suppono) ea solùm materiæ præsentia requiritur, quæ sufficiat, vt actus, qui circa illam versari debent, possint sic versari; ad hoc autem non requiritur præsentia localis, saltem in iis contractibus, qui physica, & reali traditione non celebrantur, quorum vnus est matrimonium, (si verum est, quòd celebretur, vbi ipsimet contrahentes non sunt) possunt enim actus procuratorum, per quos potest contractus celebrari, versari circa obiectum & materiam absentem, sunt enim actus consentiendi, loquendi, & similes, qui non requirunt, vt materia, circa quam est consensus, & locutio, sit loco præsens loquenti, vt patet.

Disparitas inter hoc & alia Sacramenta.

260. *Aliquando contractus fit vbi sunt contrahentes, aliquando non.*

Dixi *si verum est, quòd celebretur contractus, vbi ipsimet contrahentes non sunt*, fieri enim potest, vt aliquando sint absentes contrahentes, & tamẽ contractus celebretur in locis, vbi ipsimet sunt, & non, vbi consensus explicantur saltem pars aliqua essentialis contractus necessariò est, vbi ipsi contrahentes sunt, quod videtur clarè probari in matrimonio per Nuntium, vel litteras, de quo egimus *suprà dub.* 15. vbi hoc discrimen assignauimus inter hoc matrimonium, & celebratum per procuratorem, quod celebratum per inter Nuntium, aut litteras non requirat consensum Nuntij, aut ferentis litteras, sed mittentis, cuius consensus per inter Nuntium, aut litteras tantùm explicatur; cùm tamen celebratum per procuratorem requirat consensum procuratoris plenipotentiarij.

261. *Explicatur amplius.*

Vnde, licèt quis possit dicere absolutè totum matrimonium celebrari, vbi procurator adest, & principalis abest, quia *ibi* consensus, & verba physicè à procuratore eliciuntur, quamuis moraliter censeantur eius, cuius nomine consentit, & loquitur; in eo tamen, quod celebratur per internuncium, aut litteras, ibi non adest consensus internuntij aut ferentis litteras, est autem de essentiâ matrimonij consensus contrahentium non minùs, quàm consensus expressio, quæ verbis aut alijs signis fit.

262. *Ex dictis reijcitur prædicta obiectio.*

Ex qua doctrina matrimonij per Scripturam, aut Nuncium, (quę ante Tridentinum erat omnium, & post Tridentinum paucissimi non admittunt) possumus argumentari & reijcere obiectionem prædictam. Quia vel in eo casu dicitur matrimonium fieri, vbi adest Nuntius, aut litteræ, vel vbi adest contrahens, qui misit, si dicatur primùm, ergo iam matrimonium existit, vbi non est ipse consensus, qui non minùs est pars essentialis contractus, quàm verba internuncij, aut litteræ consensum exprimentes; si dicas secundum; ergo matrimonium fit, vbi non adsunt verba seu signa scripta exprimentia consensum, quæ etiam sunt de essentiâ contractus, imò in Cardinalis prædicti sententiâ sunt materia, & forma, quatenùs sunt obligatio, & traditio. Ergo tandem neque in eâ sententiâ displicere debet, quod aliquid pertinens ad materiam (maximè, si sit materia *circa quam*) non existat secundùm suam entitatem ibi, vbi fit cõtractus; talia in hoc modo philosophandi sunt corpora contrahentium, circa quæ possunt versari ea, quæ constituunt contractum, etiamsi, quando fit contractus, non sint in eodem loco corpora.

263. *Impugnatur ex eadẽ doctrina aliud, quod dicebatur.*

Hinc etiam corruit, quod dicebat ipse Eminentissimus *num.* 17. sumpto argumento à cæteris Sacramentis, in quibus nomine materiæ Sacramentalis id omnes intelligunt, cuius interuentu exercetur, & ponitur Sacramentum, in omnibus autem cæteris interuenit realiter ipsa materia, ergo in hoc, ergo non sunt corpora materia, quæ possunt non adesse in matrimonio, quod fit per procuratorem, quod totum ex dictis corruit, quia cùm cætera Sacramenta contractus non sint, sicuti matrimonium, neque materiam debent habere, sicuti matrimonium, quod illam habet, qualem debet habere contractus, scilicèt materiam, circa quam, vt iam sæpè diximus.

264. *Respondetur iam potest 2. secundò,*

Responderi iam potest 2. concedendo corpora contrahentium non solùm esse materiam, *circa quam*, sed etiam, *ex qua* respectu contractus, atque adeò etiam respectu Sacramenti huius eo modo, quo vniuersim de omni cõtractu id explicuimus in nostro opere *de Iustitia & iure Tract.* 3. *disp. vnicâ de Contractibus in genere num.* 7. *& seqq.* quam sententiam etiam sequitur Vasqu. *citatâ disp.* 3. *de Matrimonio num.* 73. & hoc modo videntur sentire in matrimonio auctores citati pro nostrâ sententiâ, & alij quos tetuli *loco citato de Iustitia.*

265. *Explicatur in aliis contractibus v.g. in venditione.*

Vnde contractus v.g. *venditionis* dici potest constare ex re, quæ venditur & pecunia, quâ emitur, & eam esse materiam, item consensu verbis, aut alijs signis expresso, & hanc esse formam, ita, vt quamuis res & pecunia respectu consensus, & verborum sit materia, *circa quam* versan-

versantur, respectu tamen ipsius contractus rectè dicitur materia, *ex qua* contractus ipse constat, atque ita in matrimonio philosophandum est, & hoc sufficit pro materiâ & formâ Sacramenti huius consistentis in ratione contractus, vt sæpe dictum est. Atque hanc secundam responsionem probabiliorem iudicaui *in eo citato loco de Iustitiâ* idemque nunc iudico, & infrà *in appendice dubio* explicabo alium modum materiæ *ex qua*.

266. *Obiectio 4.* Obijcies tamen 4. ex eodem *num. 19.* contra hanc vltimam doctrinam contendente falsum esse, contractum constare tanquàm ex materiâ ex re v.g. quæ emitur in emptione, quia, si hoc esset verum, sequeretur, quòd contractus stipulationis, quâ Petrus v.g. promittit Paulo scribere librum, constaret ex libro, qui promittitur scribendus, qui solus est materia, circa quam huius contractus; consequens autem est falsum; quia licèt liber posteà non scribatur, contractus tamen validus fuit; & perfectus in ratione contractus, ergo non constabat ex libro scribendo; nam liber nunquàm fuit scribendus, ergo neque contractus emptionis constat ex ipsa domo empta. Huius doctrinæ rationem reddit, quia contractus in ratione contractus est vltrò citroque obligatio, seu vltrò citroque obligationem ex consensu contrahentium pariens, in quâ definitione non includitur res ipsa, *circa quam* contrahitur obligatio, licèt ipsa sit terminus obligationis, ergo contractus non constat ex re ipsâ, sed est obligatio formalis, vel causalis, quæ ordinatur ad illam rem. Ergo idè erit de corporibus in cõtractu matrimonij.

267. *Retorquetur obiectio in obijcientem.* Hæc obiectio inprimis retorqueri potest in ipsum obijcientem, quatenùs inuoluit pactum promissionis rei futuræ cum alijs contractibus, & pactis rei præsentis, inter quæ extrema non minùs ipse, quærere debet, & assignare disparitatem in suâ doctrinâ, quàm nos in nostrâ. Nã ipse in emptione & venditione, & similibus; atque adeò etiam in matrimonio, vt videre est præcipuè *num. 29.* & sæpè alibi, contendit verba contractus quatenùs verba, esse formam, & quatenùs traditio sunt, esse materiam: hoc autem non potest reperiri in contractu illo stipulationis, & promissionis, cuius essentiæ repugnat traditio, tanquàm pars constitutiua illius materialis, aut formalis; alioquin non esset promissio, sed fortè donatio liberalis; similiter in contractu sponsalitio, quantumuis mutuo, nulla traditio est, sed repugnat. Ergo in his contractibus verba, vt sunt traditio, non possunt esse materia illorum, aliter ergo debet ille in his philosophari, quam in alijs: Ergo, sicut ipse necessariò fateri debet in promissione, & similibus tàm mutuis, quàm non mutuis pactis rei in futurum non esse materiam traditionem, sed aliquid aliud (ipse viderit quid) præter ipsa verba, aut in ipsis verbis aliter consideratis, quàm vt sunt traditio, vel certè concedere, saltem eiusmodi genus contractuum non habere materiam *ex quâ*; ita non debet in nobis mirari, si aliquid etiam diuersum agnoscamus in similibus contractibus, & velimus, non esse eandem rationem in pactis circa aliquid futurum, & faciendum, atque in pactis & contractibus alicuius rei præsentis, & existentis.

268. *Quomodo etiam in ijs pactis sit materia suo modo ex qua.* Nihilominùs, quamuis hoc ita sit, possumus etiam suo modo doctrinam accõmodare eiusmodi pactis, aut contractibus, *promissioni, stipulationi, sponsalibus*, & similibus, qui, etiamsi nunquàm res fiat, quæ facienda promittitur, possunt intelligi componi ex ipsis rebus, quæ fieri promittuntur, vt in exemplo promissionis libri scribendi, etiam casu, quo nunquàm scribatur liber, qui promittitur scribendus; adhuc dici potest liber esse materia, ex quâ fit ille contractus. Nam compositum, & compositio, de quâ agimus, non est compositum, aut compositio physica, & propria, sed metaphorica, & moralis, &, vt plerique volunt, est merum ens rationis, aut extrinseca denominatio, qua res, quæ promittitur denominatur promissa ab actione promittendi, ita, vt ex promissione cadente supra rem promissam, & ex ipsâ re, quæ promittitur componatur contractus, seu pactum, &, quia caret nomine, accommodamus illi vocẽ, quâ alteram partem nominamus, appellando compositum ipsum promissionem, non, quia sit sola actio promittendi, sed quia compositum caret speciali nomine, quo appelletur; id, quod sæpe fit, & in Sacramentis & in contractibus, alijsque similibus, in quibus ab alterâ parte siue materiâ, siue forma accipitur nomen ad significandum compositum illud morale artificiale, & rationis, non physicum; sic appellamus primum Sacramentum *Baptismum*, non, quia sola tinctio, seu ablutio sit totum compositum Sacramentum, sic appellamus aliud Sacramentum *Pœnitentiam*, item *absolutionem*, item *confessionem*, quamuis non sit vna ex istis partibus tantùm, sed omnes simul. Eâdem ergo ratione appellamus promissionem compositum ex re, quæ dicitur promissa, & ex promissione ipsâ, seu actione promittendi. Ad hoc autem, vt hæc compositio fiat, & hoc compositum morale censeatur fieri, & esse, non requiritur alia existentia partis, quàm, quæ sufficiat ad hoc, vt ea pars possit componere illud qualecunque compositum simul cum suâ comparte. Imò, si aliqua alia existentia repugnet eiusmodi compositioni, necessariò illam debet excludere, vt fiat cõpositio. An idem Eminentissimus non vult peccata esse partem intrinsecam Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi iam non sint, solùm quia illorum est confessio & dolor? Ergo non debet hoc displicere, cùm non minus promissio esse possit rei futuræ quàm confessio, & dolor peccati præteriti, licèt vtriusque materia non existat. Adde ipsum auctorem requirere propositum etiam expressum pro materiâ confessionis, & tamen propositum est de obseruatione futurâ mandatorum (id enim est propositum non peccandi) quæ obseruatio fortè nunquàm erit sicut ipse dicebat de libro nunquam fortè scribendo. Ergo, sicut peccata, quæ iam non sunt putat esse materiam Sacramenti, quia de illis est retractatio & dolor & Confessio; etiam obseruatio mandatorum, quę nondum est; forteque non erit, debet admitti pro materiâ in eius sententiâ; quia propositum, quod docet esse partem Sacramenti, non minùs est de futurâ obseruatione, quàm dolor, detestatio, & confessio de præte-

Declaratur doctrina in alijs Sacramentis.

Vrgetur ad hominem contra obijcientem.

præteritis peccatis. Dicere autem eam obseruationem esse materiam debet ipse approbare, si consequenter loquatur ad ea quæ ex ipso retulimus.

269. *Ex dictis constat qua ratione res, quæ non est, aut forte nō erit possit esse materia.* Hâc doctrinâ præsuppositâ, pronum est iam probare scriptionem libri, qui nunquàm scribetur, solâ suâ existentiâ possibili habere existentiam sufficientem ad hoc, vt simul cum actione promittendi coniungatur morali illâ coniunctione, quæ sufficiat ad hoc, vt denominetur promissa, imò hanc debere tantùm habere, & alteram existentiam actualem extra causas excludere. Nam ad promittendum aliquid faciendum inposterum, satis est quod promittens nouerit illud esse possibile, possèq; se illud facere, vt ex se satis constat, imò, si iam factum esset, non esset eius fieri obiectum promissionis. Ergo, vt actio promittendi possit afficere rem, quæ promittitur, hæc res non debet actu existere secundùm id, quod promittitur, id est, si promittitur fieri, non debet esse facta, si dari, non debet esse data, si liber scribi, non debet esse scriptus, sed posse scribi, & sub hac posibilitate potest esse materia, supra quam cadat promissio eâque ratione simul cum actione promittẽdi componit vnum compositum morale constans ex actione promittendi, quâ exprimitur internus animi consensus, & ex re, quæ promittitur; ad hoc autem, vt hoc morale compositum existat, non requiritur alia existẽtia rei promissæ, vt explicatum est. Itaque non solùm contractus circa materiam actu existentem, vt matrimonium, sed contractus circa materiam possibilem, vt promissio prædicta, possunt dici componi ex re, circa quam versatur altera pars, vt dictum est in hoc secundo modo respondendi. Vlterius etiam ad hominem possumus argumentum sumere contra eundem. Nam ipse concedit corpora coniugum esse materiam remotam, ergo idem dicet in promissione libri scribendi, qui nunquàm scribetur, quæramus ergo ab eo quomodò possit esse materia (etiam remota) id, quod nunquàm est, nec fuit, nec erit? quod si respondeat, quòd ad hoc, vt sit materia remota, sufficit, quòd sit res possibilis, circa quam possit versari actio promittendi; hoc ipsum possumus nos dicere, vt sit proxima, quiâ ad hoc genus compositionis cum ipsâ actione promittendi sola ea existentia sufficit, &, quia ad eam compositionem proximè concurrit, dicimus eam esse materiam proximam.

Vrgetur adhuc argumento ad hominem.

270. *Obiectio 5. ex eodem.* Obiicies 5. ex eodem *num.*20. quia, si Sacramentum matrimonij eo, quòd detur in eo potestas suprà corpora, dicitur constare ex ipsis corporibus; eodem modo dici debet Sacramentum Ordinis constare ex animabus subditorum, cùm in ordinatione Presbyreri detur etiam ei potestas supra animas fidelium; & multò magis in consecratione Episcopi detur ei potestas supra Ecclesiam, cui verè obligatur tanquàm sponsæ, consequens autem nemo cõcessit, ergo neque in matrimonio id debet admitti.

271. *Solutio constat ex dictis ad secundã obiectionem.* Ad hanc obiectionem constat ex dictis ad secundam, quæ vix differt ab hac, & ibidem notaui falsum assumi ab auctore in ordinatione formaliter, quâ Sacramentum est, contineri desponsationem aliquam, aut aliquod formale, vel virtuale pactum. Legi potest etiam Vasquez *tomo* 3. *in* 3. *p. disp.* 241. vbi latè, & ex institutò declarat, & probat matrimonium spirituale Episcoporum non pertinere ad essentiam consecrationis. Legi potest etiam Diana *part.* 8. *Tract.* 1. *resol.* 32. vbi præsertim in fine affert Præpositum Turrianum, Ochagauiam, Auersam, Tannerum id ipsum sentientes & explicantes. Et præter dicta loco notato faciunt ad hoc quæ diximus *tractatu* 6. qui est *de Sacramento Ordinis disp. vnica dub.* 21. *num.* 309. Vbi cum communi sententia S. Thomæ docuimus etiam infantibus validè conferri omnes ordinum gradus, etiam Episcopatus, & tamen illi sunt incapaces alicuius pacti aut contractus, nedum desponsationis, aut alterius obligationis. Nec video quomodo tàm frequenter eo loci vsurpet argumẽtum pro matrimonio à paritate aliorum Sacramentorum cum in hoc solo reperiatur ratio contractus & nunc de materia contractus disputemus, quam etiam aduersarij fatentur sufficere pro Sacramento, vt sæpè diximus.

Vazquez. Diana. *Præpositus.* Turrianus. Ochagau. Auersa. Tannet.

272. *Aliud argumentum ad hominẽ.* Tandem sicut in præcedente obiectione, & alijs argumentati sumus ad hominem, etiam in hac possumus. Nam ipse *num.* 30. admittit (vt notabam) corpora contrahentium esse materiam remotam; ex quo simili modo argumentari licet, quia, si Sacramentum matrimonij, eo quod detur in eo potestas supra corpora, dicitur habere pro materiâ remota ipsa corpora, eodem modo dici debet Sacramentum Ordinis habere pro materia remota animas subditorum, cum in ordinatione Presbyteri detur etiam ei potestas supra animas fidelium, & multò magis in consecratione Episcopi detur ei potestas supra suam Ecclesiam, cui verè obligatur tanquàm sponsæ; consequens autem nemo concedet aut concessit, ergo neque in matrimonio id debet admitti. Ecce argumentum eodem planè modo, & eisdem verbis mutatâ solùm materiâ proximâ in remotam. Constat autem materiam remotam in Sacramento Ordinis præsertim in eius sententia *num.* 29. esse alias res & eorum traditionem esse materiam proximam v.g. in ordinatione Presbyteri traditio calicis cum vino, & aquâ, & patenæ cum hostiâ est materia proxima, atque adeò ipsæ res, quę traduntur, sunt materia remota, non animæ subditorum, quæ fortè nullæ sunt, aut erunt, vt contingere potest in Episcopis titularibus, aut sine titulo ordinatis, alioquin sicut traditio calicis & patenæ, &c. est materia proxima, & pars componens Sacramentum, etiam traditio animarum deberet esse materia proxima eiusdem Sacramenti, & pars componens illius, & tamen sine his potest subsistere Sacramentum ordinis vt suprà probatum est.

APPEN-

APPENDIX DVBIVM.

An in matrimonio sit distinguenda materia proxima, & remota? vbi declaratur doctrina Concilij Florentini.

273. *Quorumdã sententia.* EX ijs, qui nobiscum sentiunt, & ex iis etiam, qui aliter assignant materiam, aut formam, docent aliqui corpora contrahentium esse materiam remotam, proximam verò esse traditionem, ita, vt eadem corpora, vt subsunt traditioni, sint proxima materia. Huius opinionis meminit Vasquez *supra num.* 70 & 71. nullo nominato auctore. Posteà verò Gaspar Hurtado, & alij id ipsum expresè docent & Cardinalis Lugo postquàm latè conatus est, vt vidimus, excludere corpora contrahentium legitimâ à ratione materiæ, tandem *num.* 30. sic ait. *Per hæc autem non intendimus excludere ipsa corpora contrahentium omninò à materia remota illius Sacramenti, &c.*

Hurtado. *Alij.* Lugo.

274. *Vasquij sententia.* Vasquez verò id non probat, quia, si in aliis Sacramentis, vt in Baptismo v.g. remota materia est aqua; proxima verò est ablutio, hæc proxima nihil aliud est, quàm ipsamet remota, prout existens sub motu, seu actione sensibili distinctâ ab actione verborum, quæ pro forma assignatur, eò quòd, vt sit materia; sensibilis esse debet, & cùm ad ipsam referatur forma verborum, ab actione proferendi verba debet esse distincta. Traditio autem in matrimonio non est actio, seu motus sensibilis, sub quo contrahentes possint esse materia propinqua Sacramenti. Ideò putat Vasquez consensus expressionem proximè versari circa corpora contrahentium, & operari vinculum obligationis, quæ semper in ipsis manet, atque adeò ipsa per se erunt materia proxima, & nulla distinctio inter proximã & remotam.

275. *Dupliciter in hac re philosophãdum iuxta duplicem rationem assignandi materiam.* In hac re mihi diuersò modo philosophandum videtur iuxta duplicem rationem assignandi materiam in hoc Sacramento in nostrâ sententiâ. Nam, si dicamus hoc Sacramentum, sicut & cæteros contractus, tantùm habere materiam, *circa quam*, & non *ex quâ*, vt supra probabile diximus, mihi maximè placet, quod docuit Hurtado suprà citatus, & *num.* 80. traditionem scilicet corporum esse materiam proximam, ipsa verò corpora remotam. Nam contractus hic ita versatur circa corpora, vt circa traditionem mutuam iuris vnius contrahentis in corpus alterius in ordine ad generationem, & copulam versetur, & hoc ius causat contractus ipse, quo iure causato, eo ipso formaliter dicuntur corpora sibi mutuò tradita; non quidẽ traditione illâ, quam dicebat Lugo, scilicèt copulâ, sed mutuâ obligatione, & legitimâ potestate, quâ iustè & sine peccato vllo potest alter alterius corpore vti in prædictum vsum & finem, & alter tenetur illi hoc debitum reddere. Neque ab hac sententia hoc modo explicata videtur dissentire Vasquez *n.* 71. imò eam non obscurè affirmat, quamuis enim ibi dicat non esse necessarium in hoc Sacramento materiam remotam & propinquam assignare, sed pro materia solùm ipsos contrahentes legitimos, & corpora ipsorum; pro forma verò expressionẽ legitimam consensus; quamuis (inquam) hæc dicat, simul tamen de tali expressione & forma subdit. *Quæ proximè circa corpora contrahentium versetur, & operetur vinculum obligationis &c.* quibus apertè docet huiusmodi contractum operari vinculum, merito quidem quia materia, circa quam directè versatur aliqua causa operatiua, est effectus ab eâ causandus, vt patet.

Vasquez.

276. *Colligitur doctrina pro primo modo assignandi materiam.* Hinc est, vt matrimonij contractus operatiuus prædictæ obligationis, seu traditionis, & vinculi, id ipsum habeat pro formali, & directa & proxima materia circa quam, imò circa corpora non aliâ ratione versatur, nisi causando in illis huiusmodi morale vinculum, atque adeò operatio huiusmodi vinculi, & ipsummet vinculum, tanquàm terminus in facto esse est id circa quod contractus ille versetur, & non aliâ ratione habet pro materiâ corpora, neque enim corpora ipsa efficit, sed vinculum eorum, ergo proximè & formaliter circa vinculum producendum versatur, & non circa corpora, nisi vt vinculanda.

277. *Explicatur iuxta secundum modum. Iuxta hunc placet Vasquij sententia.* Si verò iuxta secundum modum explicandi nostram sententiam dicamus hunc contractum matrimonij, sicut & cæteros alios, habere materiam, ex quâ, & hanc esse corpora contrahentium, sicut in venditione & emptione res, quæ venditur, & pecunia, quâ emitur, si hoc (inquã) dicamus, rectè mihi videtur dixisse Vasquez corpora ipsa esse materiam proximam, ipsam verò traditionem, seu vinculum & obligationem mutuam non esse materiam, ex quâ, sed effectum resultantem ex corporibus, & consensu, & expressione contrahentium, ex quibus, vt dicebamus, componitur illud compositum morale, qui dicitur contractus, in quo ipsa corpora, quæ, vt materia tradenda & vinculanda, dicuntur causa materialis, habent rationem effectus non secundùm suum esse, sed secundum rationem vinculati, sicut in physicis ipsummet corpus, quod est subiectum & causa materialis caloris in ipso subiecto producendi, habet rationem effectus, non secundùm suum esse corporis, sed secundùm esse calefacti, aut calidi. Vnde, sicut in hoc physico accidentali composito corpus capax caloris dicitur materia proxima, ex quâ constat concretum illud, quod appellatur calidum, ita in hoc morali contractu, quod appellatur siue matrimonium, siue coniugium, & ipsimet contrahentes dicuntur coniugati, colligati, aut vinculati matrimoniali vinculo; ipsamet corpora sunt causa materialis, & subiectum ipsius matrimonij, & quidem proximum subiectum, proximaque materia. Nisi fortè sicut in physicis multis compositis v.g. in composito substantiali ex materia & forma, materia proxima, & remota distinguitur, ita, vt materia secundùm se absque dispositionibus dicatur materia remota, cum vltimis tamen dispositionibus, dicatur materia proxima; sic etiam in hoc morali composito ipsa corpora, seu ipsimet contrahentes secundùm se seclusis aliis requisitis, dicantur materia remota, positis verò requisitis dicantur proxima, nempe contrahentes nondum habentes legitimam ætatem, vel plenum rationis vsum, vel non

dum

dum liberati ab aliquo impedimento (si forte sit) vel nondùm actu præsentibus testibus, aut Parocho, & similibus, dicantur materia remota; his omnibus verò, & cæteris requisitis concurrentibus, dicantur materia proxima, in quo loquendi modo nihil video incommodi, imò id mihi maximè placet, sed hæc omnia magnâ ex parte ad loquendi modum spectant, &, ad diuersas considerationes & similitudines.

278. *Alius adhuc modus explicandi materiam ex quâ.*

Alio modo possumus explicare paulò aliter rationem materiæ, ex qua iuxta dicta loco citato *de Iustitiâ*, & materiam etiam proximam & remotam assignare; nempe etiamsi dicamus contractum Matrimonij solùm consistere in mutuo consensu legitimo, & expressione verbis aut signis factâ, possumus dicere id totum esse quoddam accidens morale, quod afficit ipsos contrahentes; sicut ergo in physicis subiectum, quod afficitur accidente dicitur & est materia *ex quâ* educitur illud accidens, etiamsi non sit pars componens tale accidens, verbi gratia corpus mixtum est materia, *ex qua* educitur color, etiamsi color ipse non componatur ex corpore; sic Matrimonij contractus est accidens quoddam morale, quod per modum vnius adæquati subiecti censetur afficere vtrumque contrahentem, & vterque contrahens potest censeri subiectum, ex cuius potentia educitur tale accidens morale. Et sicut in Physicis corpus, vt proximè aptum & dispositum tali formâ substantiali postulante tale temperamentum primarum qualitatum, vt ex eo resultet talis color, dicitur & est materia proxima, *ex qua* color ille educitur, corpus verò ipsum secundùm se nondum sic dispositum est materia remota; pari ratione in hoc accidente morali contrahentes secundùm se, nondum positis requisitis omnibus, vt valeat Matrimonium, dicentur materia remota; iis verò positis dicentur proxima.

279. *Aduertendum. Nihil habere contra hoc Concilium Florentinum. Eugen. IV.*

Tandem pro maiori securitate nostræ doctrinæ aduertendum est, siue dicamus matrimonium habere materiam tantùm extrinsecam, & circa quam; siue materiam intrinsecam ex quâ, nullo modo esse contrarium Concilium Florentinum. Nam, dum *in eo Decreto* citari solito in materiâ & formâ Sacramentorum Eugenius IV. docet omnia Sacramenta *perfici rebus, vt materiâ, & verbis, vt forma* non accipit semper materiam, & formam tanquàm partes intrinsecè componentes. Assignat enim pro materia Eucharistiæ panem & vinum, & tamen non sunt partes componentes Eucharistiam, vt patet, & suo loco vidimus: item forma verborum Eucharistiæ non est pars componens Eucharistiam iuxta probabilem sententiam; vt vidimus etiam suo loco. Accedit, quòd eodem tenore verborum ait Eugenius Sacramenta perfici intentione Ministri, & tamen ea intentio (quidquid solus dicat Lugo) non est pars componens intrinsecè Sacramentum; ideò, vt aliqui notant consultò videtur Pontifex abstinuisse, à verbo, constat, & vsum fuisse verbo, perficitur, quod accommodari potest causis etiam extrinsecis, vt intentioni, de qua dixit Vasquez *tom.3. in 3. par. disp.129. num.39. Manifestum autem est Sacramentum non constare intentione Ministri, siquidem intentio non est pars.*

Et iuxta hunc vltimum modum explicandi materiam & formam possemus dicere, illas duas componentes inter se habere se, vt materiam & formam, ita, vt cõsensus interni sint materiâ & expressio externa sit forma, sicut dicebat quinta sententia suprà relata, quam diximus probabilem, ex ipsis autem duabus cõponi vnam formam totalem, quæ habeat pro materiâ ipsa corpora contrahentium, & hæc materia proxima sit, vel remota iuxta nuper dicta, secundùm quod est proximè, vel remotè apta ad hoc, vt illi cõsensus & expressiones possint constituere Matrimonium, & hâc ratione non multùm differret hæc sententia ab iliâ quinta relata, nisi fortè in modo loquendi, sicut & multa, quæ in hac re ab Auctoribus dicuntur, ad modum loquendi videntur pertinere.

280. *Applicatur & explicatur iam tertius iste modus.*

DVBITATIO XXII.

Quisnam sit Minister Sacramenti Matrimonij?

INdignus est, qui audiatur Catherinus citatus dub. præcedenti, qui dixit Deum esse Ministrum, & formam à Deo proferri illis verbis *Genes.2.& Matth.19. Propter hanc relinquet homo Patrem suum, &c.* Quæ doctrina merè fictitia est, & absque fundamento, vt ibi notauimus in prima sententiâ hac: ergo sententiâ omissâ.

281. *Catherinè indigna auditu sententia.*

Prima sententia est, Ministrum Matrimonij, in quantum est Sacramentum, esse Sacerdotem, ac proinde ante Tridentinum fuisse quidem legitimum Matrimonium illud, quod celebratur clandestinè sine Parocho, ita, vt valeret contractus; non tamen fuisse Sacramentum. Probant verò Auctores huius sententiæ, primò; quia actio Sacramentalis est Sacra: ergo postulat Ministrum Sacrum, nè sit contractus purè ciuilis, & profanus. Secundò, quia saltem post Tridentinum videtur constare, Nam *sess.24.c.1.* de Matrimon. iubet, vt Parochus habito contrahentium consensu, dicat ea verba *Ego vos coniungo*: ergo Parochus verè coniungit; alioquin verba essent falsa. Alia argumenta affert Sanchez in fauorem huius sententiæ *lib.2.disput.11.* dum disputat *de Matrimonio contracto per procuratorem.* Qua de re iam diximus *dub.17.* Hanc sententiam sequitur Canus *lib.8. de locis cap.5.* Petrus de Ledesma de Matrimon. *q.42.art.1.dub.4. concluf.4. iunctâ concluf. vnicâ.* Loquitur autem ante Tridentinum, pro quo tempore putat hoc fuisse probabile; secus verò post Tridentinum. Eandem sententiam docet Enchiridion Concilij Colonienſis §. *de Ministro* & §. *verbum itaque.*

282. *Prima sententia ministrum esse Sacerdotem. Probant 1.*

Probant 2. Tridentin.

Alia argumenta remissiuè. Canus. Ledesma. Enchirid. Concilij Colonienſ.

283. *Secunda vera sententia Ministri sunt ipsi contrahentes.* Sanchez. Coninc. Rebellus. Henriq. Suarius. Gutierrez. Perez. Rodriq. Reginald. *Communis sententia.*

Secunda & vera sententia docet Ministrum in Sacramento Matrimonij esse ipsos contrahentes; non verò Deum, neque Sacerdotem. Ita Sanchez *lib.2.disput.6.* Coninc *disput.24. dub.3.* Rebellus *q.4.n.6.* Henriquez *lib.11. cap.2. num.7.* Suarius *tomo 1. de Sacramentis disput.16. sect.1.* Gutierrez *cap.41. num.2.* Perez *disput.19. sect.7.num.2.* Rodriquez *1.p. cap.216.* Reginald. *lib.31.num.52.* estque communis Doctorum sententia

Ratio. tentia. Ratio est, quia cum Christus assumpserit ipsum contractum pro Sacramento, vt sæpe explicatum est, minister huius contractus erit minister huius Sacramenti, ipsi autem contrahentes sunt, qui efficiunt contractum, & (vt sic dicam) alter alteri illum administrat: ergo ipsi sunt etiam minister Sacramenti; sunt autem ambo simul vnus totalis minister; duo verò partiales, eodem prorsus modo, quo ambo sunt vna causa totalis, & duæ partiales eiusdem contractus.

284. *Aduertendum cum quibusdam.* Vasquez. Basilius. Sanchez. *Cum aliis.* Perez. Hurtado. *Etiamsi per Procuratorẽ contrahant ministri sunt contrahentes ipsi non ille.* Aduertendum etiam est cum Vasquez *disp.3. num.86.* & Basilio *lib.1.cap.10.* & ante ipsos docuit Sanchez *lib.2. disput.11. num.28.* cum aliis; deinde verò Perez *supra num. 4.* & docuerat Hurtado *disput 3. diffic.22.* ipsos contrahentes esse ministros matrimonij, non solum quando immediatè per se ipsos celebrant contractum; sed etiam quando per procuratorem; ipsum verò procuratorem non esse ministrum, neque in ipso recipi Sacramentum; nec verba ipsius esse materiam, aut formam Sacramenti; sed ipsos principales contrahentes, non solùm esse ministros, verum in ipsis recipi Sacramentum, & eorum verba seu signa habere rationem formę, & corpora, traditionemq; & acceptionem mutuam habere rationem materiæ, iuxta nostram sententiam. *Ratio.* Ratio omnium est, quia ipsi sunt, qui moraliter dicuntur contrahere. Quamuis enim procuratores ipsorum, & non ipsi hîc, & nunc physicè eliciant consensum aliquem, & illum exprimant, id tamen faciunt virtute, & commissione principalium ipsorum, & eorum loco; non verò nomine proprio, nec pro se ipsis. Ideò ipsi principales sunt, qui moraliter dicuntur absolutè, & simpliciter contrahere; procuratores verò non, nisi cum addito, nempe instrumentaliter, seu tanquàm instrumentales ministri. Censentur autem ministri instrumentales, tùm, quia virtute & commissione principalium contrahunt; tùm, quia contrahunt pro ipsis principalibus, eisdem accipientes alterum in coniugem, non sibi. Atque hinc est, quòd consensus & consensuum expressiones, quatenùs vice, & nomine principalium fiunt à Procuratoribus, & quatenùs ad principales moraliter pertinent, ad essentiam contractus & Sacramenti omnino pertineant. Ideoque principales ipsi, pro quibus, & ex quorum commissione fit talis contractus, non solùm sint, qui moraliter censentur facere contractum, & Sacramentum, sed etiam contractum, & Sacramentum suscipere; ipsi enim solùm censentur, & verba proferre, & consentire, & ea in se habere, & suscipere, non verò Procuratores.

285. *Ex dictis constat statũ gratiæ pro Sacramento nec in Parocho neque in Procuratore exigi vi Sacramenti. Ratio.* Vazquez. Hinc etiam est, vt neque Procuratores, neque Parochus, seu Sacerdos assistens, quando fit hoc Sacramentum, teneantur ex vi talis muneris à se præstiti esse in statu gratiæ; quia nec Sacerdos illud efficit, aut suscipit, nec Procuratores; tenentur autem ipsi principales, vtpotè Sacramentum efficientes, & suscipientes, siue, quia illud suscipiunt (in quo cũ Vasquez *disp.3. de matrimonio num.86.* consentiunt Doctores) siue etiam; quia illud efficiunt (vt vult Vasquez *3.p.disp.136.* contra Sanchez *disp.6.citatâ.*) Qua de re generaliter in administratione Sacramentorum diximus *tract.1.disp.3.dub.10.* vbi præter doctrinam generalem pro omnibus Sacramentis administrandis, de matrimonio in particulari diximus *à num.237.* & disputauimus, an duplex peccatum committat, qui non solùm suscipit; sed etiam ministrat Sacramentum in peccato mortali.

286. *A fortiori constat ex dictis contrahentes esse ministros quando per litteras aut nuntios contrahunt. Pertinent tamen Scripturæ aut nuntij verba ad essentiam.* Ex dictis constat, si, quando per Procuratores matrimonium fit, ministri matrimonij non sunt Procuratores; sed ipsi contrahentes, multò potiori ratione eosdem contrahentes esse ministros, quando cõtrahunt per Epistolas & per nuncios; tunc enim ipsi sunt, qui physicè consentiunt, &, quando per Epistolas contrahitur, ipsimet exprimunt consensus, atque adeò tunc ipsæmet Scripturæ, quibus exprimuntur consensus, pertinent ad essentiam contractus, & Sacramenti, perinde, atque verba & nutus inter præsentes. Quando verò per nuncios exprimũtur consensus, ipsamet verba nuntij pertinent ad essentiam contractus & Sacramenti.

287. *Quid si Procurator aut nuntius sit in amentia? Valere putant aliqui.* Vazquez. Basilius. *De Procuratore non placet sententia.* Vtrum autem sufficeret Procurator, aut nuncius, quando nuncius aut Procurator sunt in amentia, aut ebrietate, ita, vt si posset mandans per illos exprimere suum consensum, valeret matrimonium? affirmare videtur Vazquez *citat.disp.3.n.86.* & Basilius *supra.* Verùm de Procuratore non video, quâ ratione id possit affirmare, quia cùm iuxta dicta *dub.15.* in eo differat Procurator à nuntio, quòd Procurator debeat præbere consensum, & acceptare consensum alterius; nomine tamen sui principalis, & mandãtis; nuncius verò (si præcisè nuncius sit) tantùm debeat alterius scilicèt mandantis, consensum exprimere, necessariò requiritur, non tantùm, vt significetur à Procuratore, quid voluerit mandans, sed, vt nomine mandantis ipse per se consentiat, cùm autem consensus debeat esse humanus, & humano modo factus, non poterit amens, aut ebrius tali modo consentire.

288. *Nec de nuntio apparet quomodo possit fieri.* De Nuntio verò, non ita facilè conuincitur falsa prædicta sententia; quia nuntius tantùm debet significare consensum mandantis. Vnde, si fieri possit, vt per verba in amentiâ aut ebrietate dicta significetur consensus, facilè admitterem per illum posse validè fieri; sed non video, quâ ratione possit prudenter admitti pro signo consensus absentis mandantis id, quod dicit nuntius in amentiâ, aut ebrietate. Quapropter Vasquez loquens de Procuratore conditionaliter loquutus est, scilicèt, si rectè per illum exprimeret mandans suum consensum. Quæ doctrina potiùs habet locum in nuncio, quàm in Procuratore; nam Procurator, vt procurator distinctus à nuntio, non tam exprimit consensum alterius, cuius est Procurator, quàm elicit, & exprimit suum proprium consensum pro alio, à quo accipit plenipotentiam adcontrahendum nomine illius; ideò diximus consensum humanum ipsius Procuratoris esse requisitum.

DVBITATIO XXIII.

A quo fuerit institutum Matrimonium?

289. *Vt Sacramentum à Christo fuit institutum. Quæstio est de eo vt est contractus.*

NOn quærimus de institutione Matrimonij in Sacramentum propriè dictum nouæ legis; id enim satis constat institutum fuisse à Christo Domino, sicut cætera alia Sacramenta nouæ legis, solùm ergo quærimus de institutione Matrimonij vt contractus in officium naturæ, & in remedium concupiscentiæ.

290. *In eo sensu à Deo fuit institutum.*

Certum inprimis est Matrimonium fuisse institutum à Deo, vt habetur *cap. vnico de voto, & voti redemptione in 6.* insinuaturque illis verbis *Matth.19. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

291 *Quãdo fuerit à Deo institutum? Sanchezij sententia. Bonacina cum multu probabilem putat. Alij Deo inspirante Adamum instituisse. S. Augustin. Magister. Alensis. Bonauent. Alij multi.*

Hâc doctrinâ suppositâ, multi dicunt, in quibus est Sanchez *lib.2.disp.4.* institutum fuisse à Deo *Genes.1.* illis verbis *Crescite & multiplicamini*, quam sententiam putat etiam probabilem Bonacina *quæst.2. punct.2.* cum multis etiam aliis. Alij Deo inspirante etiam dicunt institutum fuisse ab Adamo illis verbis *hoc nunc os ex ossibus meis*, quam sententiam videtur sequi Augustinus *lib.14. de Ciuitate Dei cap. 22.* Magist. *in 4. distinct.26.* Alens. Bonauent. & multi alij Theologi, & Iurisperiti apud eundem Sanchez *ibid.num.2.*

292. *Vazquezij sententia vera si rectè explicetur, nec opponitur aliis sententiis.*

Vasquez verò *disputat. prima de Matrimonio cap.2.* docet solo iure naturæ non humanâ aut diuinâ voluntate Matrimonium esse institutum. Quæ doctrina mihi maximè placet, si rectè explicetur, vt ab ipso explicatur, nec videtur contraria præcedentibus sententiis, imò omnes possunt facilè conciliari. Quod vt fiat.

293. *Notandum cum Vazq. Duobus modis posse intelligi hanc institutionẽ. Primò. Secundò.*

Notandum (id, quod paulò aliter & fusius notat ipse Vasquez) institutionem Matrimonij sumi & intelligi posse duobus modis; primò pro ordinatione, vel quasi ordinatione ipsius contractus Matrimonij possibilis secundùm suam essentiam, scilicèt, quod fieri possit, id est, non repugnet esse, sed homines sint illius capaces. Secundò pro primâ exequutione & celebratione ipsius, siue liberè facta à contrahentibus, siue ex præcepto, & mandato sic contrahendi.

294. *Priori modo omnino placet Vazquij sententia.*

Si loquamur de Matrimonio primo modo, verissima est sententia Vasquij loco citato, scilicèt, non fuisse factam à Deo neque ab hominibus eam institutionem peculiari aliqua voluntate nouâ superadditâ creationi naturæ humanæ, sed ex naturâ rei, nempe ex ipsâ naturâ humanâ suppositâ ipsius creatione fuisse contractum ipsum possibilem. Suppositâ enim maris & feminæ creatione, quales nunc sunt, in ipsis est facultas celebrandi huiusmodi contractum ad tradendum sibi mutuum corporis ius in ordine ad generationem prolis, idque independenter ab aliquâ nouâ voluntate, & ordinatione Dei, vel hominum superaddita ipsi creationi, non secus atque ad alios contractus emendi, vendendi, permutandi, &c.

295. *Si secundo modo quo sensu tribuenda sit primis Parentibus?*

Si verò institutio Matrimonij sumatur posteriori modo, solaque ipsius Matrimonij prima exequutio, seu celebratio consideretur, omnino facta fuit à primis parentibus liberè consentientibus, & sibi mutuò explicantibus absque vllâ aliâ Dei voluntate, quæ id efficeret independenter ab eorum consensu; neque enim Matrimonium quale nunc est factum fuit à Deo independenter à consensu primorum parentum, vt notauimus contra nonnullos *dub.6. in fine.* Et in hoc sensu vera est doctrina Augustini, & aliorum pro secundâ sententiâ.

In explicato sensu admittitur Augustini & aliorum sententia.

296. *Quid si spectemus Deũ vt Auctorẽ naturæ? Etiam ille instituit. Bonifac. VIII.*

Quod si spectemus Deum, tum vt Auctorem & creatorem naturæ, tùm, vt specialiter præcipientem hominibus contrahere Matrimonium in ordine ad propagationem, vera est sententia, & in hoc casu intelligenda sunt verba Bonifacij Octaui *c.illo vnico citato*, dum ait *Matrimonij verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium conditore ipsum in Paradiso, & in statu innocentiæ instituente, &c.* quia nimirum Deus est Auctor talis naturæ, quæ ex se sit capax huius contractus, & vnionis: item quia Deus contractum Matrimonij, vel præcepit, & mandauit fieri (vt aliqui non improbabiliter volunt) vel certè peculiariter excitauit, vel intetiùs, vel etiam verbis externis primos parentes ad contrahendum, & vtendum Matrimonio; quod videtur significari dùm dicitur postquàm Deus adduxit Euam ad Adamum ipsum dixisse *Genes.2. Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea.* quibus verbis vel consensum præbuit ad Matrimonium, vel iam factum supponebat, dum statim subiunxit, *quam ob rem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et forte adhoc Deus adduxit Euam ad Adamum. Accedit, quod Deus contractum ipsum approbauit, & benedixit coniuges dicendo *Crescite & multiplicamini* quamuis enim ea verba dicantur *Genes.1.* credendum nihilominùs est per anticipationem fuisse narrata, vt sæpe fit in Scriptura; nam talis benedictio supponit ipsam Euam allatam fuisse ad Adamum, ipsumque dixisse prædicta verba, amboque simul fuisse à Deo benedictos. Atque hac ratione omnes sententiæ prædictæ facilè possunt Conciliari, scilicèt quòd Matrimonium fuerit institutum à Deo, tanquàm ab Auctore naturę, & tanquàm ab interiùs, vel forsan etiam exteriùs excitante illos ad contrahendum, contractumque approbante, & benedicente coniuges. Item, quod institutum fuerit, ab ipsis primis parentibus, tanquàm per se ipsos primò contrahentibus, & consentientibus; ac denique quòd sine vlla speciali voluntate Dei, aut hominum ipsamet essentia possibilis Matrimonij instituta fuerit, eo ipso, quod à Deo talis natura humana cum eo sexus discrimine & aptitudine ad generationem condita fuerit.

Quid circa hoc colligatur ex Scriptura. Gen.2.

Gen.1.

Concilianter ex dictis omnes sententia.

DVBITATIO XXIV.

An coniugium sit res licita, & honesta?

297. *Hæreticorũ error circa hoc contra quos Vasquez. Constat ex sacra scriptura.* 1.Cor.7. 1.ad Timoth.4.

NOn pauci Hæretici dixerunt Matrimonium non esse à Deo, sed à Dæmone, quâ de re latè agit Vasquez *disputation.* 1. *capit.* 3. eorumque errorem ex multis Patribus refutat. Sufficiatque ille locus paulò ante relatus *Crescite & multiplicamini*, & illud Matthæi. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* & 1.ad Corinth. 7. *qui matrimonio iungit virginem suam bene facit.* Et paulò post *si nupserit virgo non peccabit.* Item 1. *ad Timoth.* 4. inter alios errores, & doctrinas Dæmoniorum connumeratur error *prohibentium nubere.* Constatque ex perpetuâ Ecclesiæ traditione, & vsu vt ex pluribus Patribus ostendit Vasquez *suprà* definiturque in Concilio Gangrensi. *Canone* 1. & in Brachatensi 1. *Canone* 11. Ratione verò satis constat, quia contractus Matrimonij est aptum medium ad propagationem generis humani modo satis consono rationi, nempe mutuâ & perpetuâ corporum traditione. Qui plura volet circa hanc rem legat præter Vasquez citatum Bellarmin. *de matrimonio capit.* 3. Vbi latè probat doctrinam Catholicam quam suprà statuimus *dub.* 16. vbi ex ipso & aliis probauimus Matrimonium esse Sacramentum nouæ legis, à Christo Domino institutum. Ex quo euidenter infertur esse non tantùm licitum; sed opus valdè honestum, neque enim Christus instituereet Sacramentum in re, quæ non esset licita & honesta. Aliqua solent obiici ex Patribus, in quibus supponere videntur matrimonium esse malum, quæ quidem futilissima sunt, & more suo ab hæreticis absre, & siniſtrè allata, & explicata, quale est illud Augustini *libr. de Nuptiis capit.* 11. & 12. vbi videtur supponere matrimonium esse malum, dum ait mattrimonium excusari tribus bonis propriis ipsius, scilicèt, *prole, fide, & Sacramento*, hoc est perpetuitate, & indissolubilitate, *per quam repræsentat indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesiâ factam in incarnatione.* Non diceret autem Augustinus excusari; nisi putaret aliquod malum esse; quod enim malum non est, non eget excusatione. Hoc sanè nullius momenti est, respondeti enim potest primò, excusari quidem, non à malitiâ, seu culpâ, sed ab aliqua fortasse specie, aut apparentia mali; neque enim homo ita cordatè, & prudenter contraheret matrimonium, cui tot onera grauissima sunt annexa, &, vt (dixit Apostolus) in quo statu contrahentes *tribulationem carnis habebunt*, nisi prædicta onera & tribulationes compensarentur tribus illis bonis enumeratis ab Augustino; vel secundò dici potest esse quidem matrimonium bonum, sed meliorem esse statum virginitatis, & cœlibatus iuxta illud Apostoli eâdem 1. *Ad Corinth.* 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam benè facit, & qui non iungit melius facit.* Et paulò post *Beatior autem erit, si sic permanserit*, nempe liberata *à lege viri.* Ille autem, qui huiusmodi consilium non sequitur, excusatur ab eo non sequendo, non quidem, tanquàm à culpâ, quam committat, sed tanquàm à non amplectendo meliori statu, propter illa tria bona ab Augustino enumerata, quæ reperiuntur in matrimonio. Aliis obiectionibus leuioribus satisfacit D. Thomas 3. *p. q.* 41. *artic.* 3.

Ex Ecclesiæ traditione & vsu idem probatur. Multi Patres Cõcilia. Ratio.

Vasquez legi potest circa hoc.

Obiici solent aliqua ex S. Patribus ab Hæreticis satis abs re. Obiicitur S. August.

Respondetur 1.

Respondetur 2.

1.ad Corinth.7.

Aliis leuibus respondet S. Thom.

DVBITATIO XXV.

Quo fine contrahi debet matrimonium vt licitè fiat?

298. *Primus matrimonij finis procreatio & propagatis generis humani.* Genes.1. Augustt. *Secundus finis post peccatum est remediũ cõcupiscentiæ.* 1.ad Corinth.7. *Tertius in solis Baptizatis. Gratiæ collatio.*

COnstat matrimonium primò, & per se fuisse institutum ad honestam multiplicationem generis humani, qui finis etiam locum habuit in statu innocentiæ, vt patet ex *primo cap. Genes. vers.* 28. docetque Augustinus *libr.* 9, *super Genes. capit.* 7. & cum eo communiter Doctores. Post lapsum verò in peccatum, secundarius alius finis matrimonij est remedium concupiscentiæ iuxta illud Pauli 1. *ad Corinth.* 7. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.* & posteà, *iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Præter hos duos fines potest assignari tertius, qui solùm habet locum in baptizatis, nempe finis Sacramenti, qui est collatio gratiæ, Isti tres fines sunt quasi intrinseci, & communes omnibus matrimoniis baptizatorum. Alij verò sunt fines extrinseci, qui possunt intendi per matrimonium à contrahentibus, vt pax, diuitiæ, nobilitas, & alia similia bona. Non agimus autem in præsenti de fine vsus matrimonij, seu copulæ coniugalis; quâ de re in sequentibus disputabimus.

Prædicti fines quasi intrinseci. Alij fines extrinseci Pax, diuitiæ, nobilitas &c.

His præmissis certum sit licere primum illũ finem intendere in contrahendo matrimonio, ita, vt primariò, & principaliter quis velit generationem prolis; est enim primus, & præcipuus finis matrimonij à Deo, & à naturâ ordinati ad id. 299. *Primus finis certò licet.*

Certum secundò sit licitum esse intendere secundariò minusque principaliter secundum illum finem, scilicèt remedium concupiscentiæ, suppositio primario altero illo fine; neque in hoc video alicuius momenti controuersiam, cum hoc satis videatur constare ex citatis verbis Apostoli. 300. *Secundum quoque finem minus principaliter intendere licet.*

Iam verò dubitatur apud Auctores primò, an liceat contrahere matrimonium ex primaria & principali intentione remedij concupiscentiæ, & vitandæ fornicationis? Consentiunt verò in eo, quòd non sit peccatum mortale sic contrahere. de veniali verò peccato non est eadem omnium sententia. 301. *An secundũ primario intendere liceat? Saltem non est mortale. Dubitatur de veniali.*

Prima sententia docet esse veniale. Ita Petrus Soto *lection.* 16. de Matrimonio. Quam sententiam approbat & limitat Sanchez *libr.* 2. *disputation.* 29. *numer.* 26. vt tantum locum habeat, quando contrahentes possunt iuxta communem spem generare prolem. Si verò non possint, nullum putat 302. *Prima sententia affirmat.* Petr. Soto. *Sanchez cũ limitatione.*

putat esse peccatum solùm, aut principaliter intendere remedium concupiscentiæ. Primam partem suæ sententiæ probat; quia contra rationem est præponere finem secundarium primario. Secundam verò partem probat, quia, si finis primarius est impossibilis, licet eligere secundarium; neque enim impossibile potest intendi; quod si non liceret, senes generationi inepti semper peccarent contrahendo. Pro quâ sententiâ refert plures alios.

Probat priorem partem suæ sententiæ.

Probat secundam.

Alios refert pro sua sententiâ.

Asserendum nihilominus est, nec veniale peccatum esse primario, & principaliter intendere remedium libidinis. Ita Coninc *disputation. 25. numer. 17.* Basilius *libr. 1. capit. 21.* Couarruu. *4. Decretal. 2 par. cap. 1. paragrapho vnico numer. 7.* & *lex Regni Castellæ 4. titul. 2. Partita 4. quæ* sicut & Couarruu. indifferenter dicunt ineundum esse matrimonium, vel propter sobolem, vel propter vitandam fornicationem; idque videtur supponere Armilla. *verbo matrimonium numer. 66.* dum ait peccare, qui non ob prolem, vel vitandam fornicationem nuptias celebrat, docetque expressè Palatios *in 4. distinction. 31. disputation. 2.* & alij multi Recentiores teste Petro de Soto suprà, & hâc nostrâ ætate multi etiam sequuntur. Probariqúe potest ex citato loco 1. *Ad Corinth. 7. Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat.* vbi id docet absque vllâ distinctione contrahentium, potentium, aut non potentium generare. Ratio verò est, quia talis finis licitus est, & honestus & proprius huius contractus, etiamsi in eum suâ naturâ secundariò ordinetur, poterit ergo licitè iste solus intendi, aut primariò, & principaliter; nulla enim lex est, quæ obliget ad faciendum opus propter finem principalem; id enim gratis assumit Sanchez, & non probat, sed tantum asserit esse contra rationis ordinem, quod negamus.

303. *Assertio negans esse veniale primario id intendere.* Coninc. Basilius. Couarruu. Lex Castellæ. Armilla.

Palatios. *Alij multi Recent.*

Probatur ex 1. ad Cor.

Ratio.

304. *Confirmant aliqui.*

Confirmant aliqui nostram sententiam, quia aliàs sterilis, etiam iuuenis, non posset licitè contrahere matrimonium, quamuis graues stimulos carnis sentiat; quod est absurdum. Quodsi iuuenis sterilis potest licitè ob vitandam fornicationem principaliter, imò relicto fine generationis matrimonium inire, poterit etiam ille, qui est fœcundus, quia quòd sterilis non possit generationem intendere, & fœcundus possit, non sufficit, vt sterilis, fine generationis relicto, possit licitè intendere principaliter vitare fornicationem, & non possit fœcundus, quia contractus matrimonij in vtroque naturâ suâ ordinatur ad eosdem fines, & eodem modo. Ac proinde, si ratio exigeret, vt in assumptione alicuius operis, eius finis principalis principaliter intenderetur, qui non posset illum principaliter intendere (vt non potest sterilis in assumptione contractus matrimonij) non posset licitè opus illud assumere, vnde sterilis non posset licitè contrahere matrimonium.

305. *Non videtur omnino firma confirmatio.*

Hæc tamen ratio, seu confirmatio non videtur omnino firma; responderi enim posset obligationem intendendi finem primarium primariâ intentione tantùm esse, quando finis est possibilis; si verò finis ille possibilis non sit, licitum nihilominùs esse, secundarium solùm intendere; Ideò sterilem, aut senem, quamuis non possit generationem intendere, posse solùm intendere remedium libidinis. Quòd non liceret solùm, aut primariò intendere, quando finis primarius simul possibilis esset ab operante. Ideò placet sola prior ratio, quòd scilicèt, nullo iure probetur; sed gratis assumatur esse necessarium, quando plures sunt fines honesti eiusdem operis, illud efficere propter primarium principaliter intentum, & non posse principaliter intendi secundarium.

Sufficit prior ratio.

Secundò dubitatur apud Auctores, an licitũ sit inire matrimonium propter alios fines eidem matrimonio extraneos; licitos tamen, aut honestos, vt ob pacem, nobilitatem, aut diuitias?

306. *An liceat propter fines illos extrinsecos.*

In qua re non video auctores affirmantes esse illicitum adhuc venialiter contrahere intendendo secundariò, & minùs principaliter prædictos fines, quando primariò intenditur vel prolis generatio, vel vitatio fornicationis; hâc enim ratione contrahendo nulla apparet inordinatio, quia contractus Matrimonij verè est vtilis ad prædictos fines, qui fines non sunt illiciti. Tota iam difficultas deuoluitur ad solam intentionem talium finium, vel ad primariam intentionem illorum, an liceat sic illos intendere?

307. *Intendi secundariò nõ videtur illicitum.*

Quid de sola aut de primaria intentione talium finiũ?

Sanchez *citatâ disputation. 29. numer. 21.* Petrus Sotus *supra* Angelus *verbo Matrimonium 2. numer. 25.* Couarruu. *4. Decretalium part. 2. cap. primo* & alij apud Sanchez putant non esse licitum sic intendere, imò Couarruu. & Angelus putant esse peccatum mortale; videtur enim illis graui irreuerentia facta Sacramento, si ordinetur in finem extraneum.

308. *Negant aliqui licere.* Sanchez. Petr. Sotus. Angelus. Couarruu. *Alij.*

Eorum quidam putant esse mortale.

Probabiliùs nihilominus puto id nullum esse peccatum. Ita Basilius *libr. primo capit. 21.* Coninc *supra numer. illo 17.* & alij multi maximè Sotus *in 4. distinction. 30. quæst. 1. articul. 2. conclusion. 3.* Plaza *de delictis libr. primo capit. 6. numer. 34.* & alij multi Recentiores hac ætate. Ratio verò est similis præcedenti factæ pro fine vitandæ fornicationis; quia nimirum absque fundamento asseritur, esse contra rationẽ, quod efficiens aliquod opus, illud ordinet ad finem, & effectũ alioquin ex se licitũ, quãuis sit finis minùs principalis, & minùs etiam honestus, quàm primarius. In hoc enim nulla apparet inordinatio, quia nemo tenetur operari propter præstantiorem, aut præstantissimum finẽ; sufficit enim propter bonum finem operari, etiamsi non sit melior, aut omnium optimus. Quâ ratione, qui fundit preces, aut facit sacrũ, vel pro se curat fieri, vt obtineat v.g. Castitatẽ, & ex affectu Castitatis orat, aut offert sacrificiũ, etiamsi principaliter propter hunc finem faciat, qui est minùs honesta virtus, quàm Religio, sitque finis extrinsecus operis, cùm tamen Religio sit magis intrinsecus finis, non ideò malè, & inordinatè operatur; sed honestè,

309. *Nullum est peccatum.* Basilius. Coninc. *Alij multi.* Sotus. Plaza. *Recentiores plures huius ætatis.*

Ratio.

Explicatur à simili.

& secundùm rationem ; ordinat enim opus ad id, ad quod tanquàm ad honestum finem potest ordinari,alioquin,& Beata Virgo Maria illicitè contraxisset matrimonium , quod neque ordinauit ad prolis generationem,neque in remedium concupiscentiæ , & senes etiam, qui iam steriles sunt, nec carnis vllos stimulos sentiunt , nullo modo possent licitè contrahere matrimonium;quia neutrum prædictorum finium possunt intendere, sed alios fines extrinsecos.

Confirmatur exemplo B. Virginis Mariæ.

310. *Ratio Sacramenti, quæ est in matrimonio non obest prædicta doctrina.*

Quod verò attinet ad rationem Sacramenti repertam in matrimonio, nihil obest prædictæ doctrinæ; tum, quia , qui contrahit ob prædictos fines extrinsecos licitos,non ordinat matrimonium,quatenùs Sacramentum ad tales fines,sed quatenùs contractum; in quo nulla fit iniuria Sacramento , imò neque fieret,etiamsi illud Sacramentum in tales fines alioquin honestos ordinaret , dummodò positiuè non excluderet finem proprium Sacramenti , scilicèt recipiendi gratiam (quem finem nemo excludit)quodsi excluderet, graue peccatum sacrilegij committeret.

311. *Si finis extrinsecus sit solum venialis peccatum etiam erit veniale.* Sanchez. Nauarr. Rodriq. *Ratio.*

Si verò finis intentus extraneus sit illicitus tantùm venialiter(quidquid dicat Couarruuias supra citatus)peccatum erit tantùm veniale, vt si quis contrahat ob vanam gloriam , sic rectè docet Sanchez *supra num.*27. cum Nauarro in summa *c.*22.*n.*79.Rodriquez 1.*tomo summa in* 2. *editione c.*241.*n.*2.quia talis est actus , qualis est finis *c.*Cùm minister 23.*q.*5.

312. *Erit mortale si finis sit mortalis. Quæstio est quot sint malitia in eo actu. Quidam putant duplicem.* Ledesma. *Sanchez triplicem. Vera est Sanchezij doctrina. Et plures mortales esse possunt.*

Hinc à fortiori colligitur cum eodem Sanchez *n.*28. esse peccatum mortale , si finis sit mortalis,quod nemo negare potest , sed quot sint culpæ , seu malitiæ in eo actu,non omnes consentiunt. Petrus de Ledesma *de matrimon. q.*48.*art.*2.*dub.*2. dicit duplicem esse culpam lethalem , alteram indignæ receptionis Sacramenti, alteram praui illius finis. Sanchez verò putat esse triplicem , nempe tertiam desiderij consequendi illum malum finem ; nam desiderare rem mortaliter malam est culpa mortalis,distincta à Sacrilegio ordinandi rem sacram ad talem finem malum obtinendum.Quæ doctrina verissima est,imò sæpe fieri potest,vt sint plures malitiæ , quando scilicèt finis intentus plures etiam habet malitias,vt,si quis ordinaret matrimonium,quod contrahit cum vnâ sorore, ad adulterium cum altera vxoris sorore coniugata,cum quâ simul sub eodem tecto degens occasione prædicti matrimonij posset peccare. Quæ omnia satis ex se patent ex principiis generalibus,in tractatu *de Bonitate,& malitiâ , & peccatis.*

313. *Sanchezij doctrina circa hoc. Quo sensu sit admittenda, & quo sensu minimè.*

Tandem docet Sanchez *num.*29. si contrahentes expressâ conditione excludant matrimonij fines proprios, lethaliter peccare. Quæ doctrina,si intelligatur de matrimonio , vt Sacramento,verissima est, & iam diximus finem gratiæ non posse positiuè excludi absque peccato.Si verò loquatur de finibus intrinsecis primario,& secundario, scilicèt prolis generatione,& remedio libidinis, non semper est verum, fieri enim potest matrimonium cum expresso pacto nunquàm vtendi , quale putatur fuisse matrimonium Beatæ Virginis , acproinde potuit contrahere,& contraxit excludendo intentionem generandi prolem ex suo coniuge , & vtendi tali matrimonio in remedium libidinis, quo remedio neque indiguit,neque vti voluit, nec potuit : ergo tales fines positiuè excludere non est ex se vllum peccatum.

Beata V. Maria contraxit excludendo intentionem vsus matrimonij ad generationē, aut remedium libidinis.

DVBITATIO XXVI.

An sit,aut fuerit præceptum contrahendi matrimonium , & quid si tantùm essent iam in mundo habentes votum castitatis.

QVod in principio mundi fuerit obligatio ineundi matrimonium, sicut & immediatè post diluuium,ad propagandum scilicèt , & reparandum genus humanum, omnes ferè fatentur,ita, vt illis temporibus obligarentur in actu secundo.

314. *Aliquando fuit obligatio ineundi matrimonium.*

Post sufficientem verò mundi propagationem,& repletionem terræ non obligari singulos,quasi in actu secundo ad matrimonium satis constat ex doctrina Christi Domini *Matthæi* 19.vbi consilium dedit seruandi perpetuam continentiam , sicut & Paulus 1. *ad Corinth.*7. qui etiam dedit consilium virginitatis , & addidit,*Qui matrimonio iungit virginem,bene facit;& qui non iungit,melius facit.* Quam doctrinam latè , & eruditè explicat & confirmat noster Cardinalis Bellarminus *libr.*1.*de Clericis c.*21.

315. *Post sufficientem propagationem mundi non obligantur singuli quasi in actu secundo.* 1.ad Cor.7. Bellarm.

An verò præceptum illud esset naturale, vel diuinum?non omnes consentiunt.Coninc disp. 25.n.7. Ochagauia & aliqui Recentiores putant præceptum fuisse diuinum, vt primi homines contraherent ; quia Deus volebat humanum genus propagari, idque per matrimoniū. Vnde colligunt Deum hoc præcepisse ; erat enim hic conuenientissimus modus suam voluntatem exequendi. Accedit quòd alioquin liberum fuisset Adamo diuinam institutionem circa propagationem hominum frustrari;quod videtur absurdum.

316. *An præceptum ineundi matrimonium, quando fuit esset naturale, an diuinum controuersum est Aliqui putant diuinū.* Coninc. Ochagau. *Recentiores quidam.*

Alij verò communiter probabilius docent præceptum fuisse naturale;tunc enim matrimonium non contrahere omnino erat contra rationem;ratio enim exigebat eo tempore propagationem generis humani, quod sine matrimonio licitè propagari non poterat. Quæ doctrina mihi magis placet.

317. *Probabilius est fuisse naturale commune sententia. Ratio.*

Negari quidem non potest, possibile fuisse præceptum diuinum ; sed neque necessarium videtur,neque vllum est caput, vnde illud colligamus;si qua enim verba Textus id significarent,maximè illa *Genes.*1. & 9.*Crescite & multiplicamini*.hæc tamen,quamuis , vtcumque insinuent,vel indicent præceptum naturale, vt aliqui volunt,nullo autem modo continent verè, & propriè præceptum; eadem enim verba etiam dixit Deus benedicens cætera animantia eodem *Genes.*1.*num.*22. quæ tamen non sunt capacia præcepti.

318. *Præceptum diuinum possibile,sed non necessarium, nec constat fuisse.*

Restat modò controuersia inter Doctores , an huiusmodi obligatio cessauerit post genus humanum multiplicatum satis , vt videmus?

319. *An cessauerit iam tale præceptum?*

Scotus

Scotus *in* 4. *dist.* 26. *q.* 1. Richardus *ibidem art.* 3. *q.* 3. Bonauentura *ibi art.* 1. *q.* 3. Alexander de Neuo *Rubrica de Sponsalib. n.* 2. putant cessasse; solum enim obligabat propter paucitatem hominum, quæ iam cessauit, tot multiplicatis.

320. *Affirmans sententia. Scotus. Richard. S. Bonau. Neuo. Ratio.*

S. Thomas *in* 4. *dist.* 26. *q.* 1. Paludanus ibidem *q.* 3. Durand. *q.* 2. Henriq. *lib.* 11. *de matrimonio c.* 1. *num.* 5. Petrus de Ledesma *de matrimonio q* 41. *art.* 2. & alij multi, quos referunt, & sequuntur Sanchez *libr.* 2. *disp.* 3. *num.* 3. Vasquez *disp.* 1. *de matrimonio* omnino negant cessasse tale præceptum, est enim naturale; naturalia autem præcepta nunquàm extinguuntur cessante necessitate, quamuis pro tempore, quo necessitas cessat, non obliget, vt videre est in præcepto eleemosynæ.

321. *Negans sententia. S. Thom. Paludan. Durand. Henriq. Ledesma. Alij multi. Sanchez. Vasquez. Ratio.*

Mihi sanè hæ duæ sententiæ non omnino discrepare videntur; nam Scotus, & alij, qui dicunt cessâsse præceptum, procul dubio intelligunt, quantùm ad obligationem hîc, & nunc contrahendi de facto ita, vt nemo in particulari absolutè obligetur suppositâ tantâ hominum multiplicitate. Sanctus verò Thomas, & alij solùm dicunt præceptum non cessasse, quasi in actu primo, & quoad vim obligandi quotiescunque fuerit necessitas; non negant tamen cessâsse, quoad eius obligationem actualem, id est, actu vrgentem, suppositâ multiplicatione generis humani, sicut neque Scotus, & alij negare videntur adhuc durare vim obligandi pro casu, quo iterum vrgeret necessitas.

322. *Non omnino discrepare videntur hæ duæ sententiæ. Conciliantur.*

Hâc ratione intellectâ vtraque sententia verissima est, atque inprimis non cessasse pro tempore necessitatis propagationis probari potest; quia in rectâ ratione, seu naturâ rationali, vt rationalis est, inest vis ad obligandum, quando sit tanta paucitas hominum, vt meritò iudicetur tali paucitati subueniendum; in hoc autem consistit ratio præcepti naturalis. Quod verò obligatio actualis, seu obligatio quasi in actu secundo, rebus, vt nunc, cessauerit, probari potest ex eo, quia genere humano multiplicato, nemo determinatè in particulari, & in actu secundo tenetur matrimonium contrahere. Vis enim præcepti solùm est quando adsit necessitas propagationis, & non aliter de facto obligat, sicut dicebamus de Eleemosyna, quæ tantum obligat de facto, & in actu secundo, quando est extremè, aut grauiter indigens; semper autem est naturalis vis obligandi, pro tempore, quo fuerit talis necessitas, seu indigentia.

323. *Veritas vtriusque ostenditur.*

Pro huius doctrinæ declaratione obseruant aliqui discrimen inter præcepta affirmatiua, siue naturalia siue positiua ex vnâ parte, & inter negatiua ex alterâ, quòd affirmatiuum ita potest existere, eiusque vis obligandi perseuerare, vt simul possit cessare eius obligatio, seu actus secundus obligandi, ita, vt præceptum quidem semper sit obligatiuum; sed non semper actu obliget: negatiuum verò præceptum semper obliget in actu secundo, quamdiu ipsum, & eius vis obligandi perseuerat. Vnde fluxit illa, quasi axiomatica distinctio inter præcepta negatiua, & affirmatiua, quod præcepta negatiua obligent semper, & pro semper; obligent quidem semper, quatenus semper habent vim obligandi, obligant verò, etiam pro semper, quatenùs eorum obligatio semper in actu secundo vrget; præcepta verò affirmatiua obligent semper; sed non pro semper; quamuis enim semper habeant vim obligandi, eorum tamen obligatio non semper in actu secundo vrget. Hac ratione exempli causa præceptum negatiuum non mentiendi semper habet vim obligandi, & simul etiam semper obligat in actu secundo; semper enim tenemur, & obligamur ad non mentiendum. Præceptum verò affirmatiuum audiendi missam, semper, quamdiu non abrogatur, etiam in die non festo habet suam vim obligandi, non tamen obligandi pro tunc in actu secundo, sed tantùm pro die festo, & in die festo, in quo actu vrget, & obligat. Hoc tamen exemplum, quamuis à multis afferatur, mihi non placet, vt posteà videbimus nisi melius explicetur, vt infrà, explicabitur.

324. *Obseruandum pro huius doctrinæ declaratione ex quorumdam sententia.*

Exemplorũ declarant.

Exemplum non placet, nisi melius explicetur.

Sunt qui dicant id tantùm regulariter esse verum, quia quandoque aliquod affirmatiuum etiam obligat pro semper, vt præceptum restituendi. Sed an præceptum restituendi sit affirmatiuum, vel negatiuum? controuersum est apud Auctores. Quâ de re nos latè diximus *in nostro opere de iustitia, cæterisq; virtutibus Cardinalibus*, vbi *Tractatu secundo de Restitutione disp.* 1. *dub.* 5. probauimus sententiam, quæ asserit, esse præceptum negatiuum cum Vasquio 1. 2. *in artic.* 6. *q.* 72. & cum multis aliis. Item putant aliquod præceptum negatiuum non obligare pro semper, vt præceptum ieiunandi, seu non comedendi carnes, & non sæpius, quàm semel in die, & potuissent addere præceptum non laborandi, seu non faciendi opus seruile. Quæ exempla veram quidem continent doctrinam; quia talia præcepta non semper id est omnibus diebus obligant, sed certis quibusdam diebus, quamuis lex existat toto anno; Sed abs re afferuntur huiusmodi exempla; nam præceptum ieiunandi, seu non comedendi (& idem est de præcepto non faciendi opus seruile) non est positum pro omnibus diebus; sed pro certis quibusdam, & pro illis diebus obligant semper, & pro semper, nempe pro toto die festo, aut die ieiunij, aut veneris, ita, vt, si in quacunque parte diei quis comedat carnes, vel exerceat opus seruile, peccet contra præceptum negatiuum, & idem puto veriùs speculatiuè loquendo de eo, qui sæpius comedit in die ieiunij ita, vt toties quoties, peccet; quia nimirum pro tempore toto, quo positum est præceptum, obligat semper ad non faciendum tale opus prohibitum, præceptum autem propriè loquendo non existit, nisi tunc, quando vrget obligatio non faciendi.

325. *Aliqui eam diuersitatẽ solum regulariter admittunt, nõ semper. Probant exemplis.*

Exempla nõ videntur ad rem.

ideo dixi *suprà* non placere pro præcepto affirmatiuo illud exemplum audiendi sacrum in die festo; nam propriè loquendo præceptum audiendi sacrum (nisi sit quæstio de voce, & nõ de re ipsâ) non est, nisi in tali, aut tali die; ideò communiter dici solet, hodie non est dies præcepti, vel hodie non est præceptum audiendi sacrum. Hoc tamen est discrimen inter hoc præceptum affirmatiuum, & illa alia negatiua, quòd præceptum affirmatiuum non obligat semper & sub omnibus circumstantiis. Ideò

326. *Cur exemplum supra positum displiceat.*

Quasi axioma circa obligationẽ præcepti affirmatiui, & negatiui.

non semper toto die festo tenetur quis audire sacrum, semper autem toto die festo tenetur non exercere opus seruile, & toto die ieiunij non comedere carnes, aut non comedere sæpiùs, quàm semel in die. Qua de re latiùs alibi.

327. *Regula generalis in vtriusque præcepti obligatione seruanda.*

Sufficiat verò nunc (vt breuiter dicam quod sentio) in illa generali doctrinâ præcepti affirmatiui, & negatiui, obligantis, aut non obligantis semper, & pro semper hanc esse regulam pro vtrisque seruandam; quòd quoties circumstantiæ, sub quibus aliquid præcipitur, aut prohibetur, semper & pro semper occurrunt, semper & pro semper obliget præceptum non solùm in actu primo, sed in actu secundo; quãdo verò non semper, nec pro semper occurrunt prædictæ circumstantiæ, neutrum præceptum obligat semper, & pro semper; quia tamẽ in præcepto negatiuo (maximè, si sit iuris naturalis) sæpius aut ferè semper occurrunt circũstantiæ, sub quibus obliget, dicitur absolutè, aut à toto genere pro semper obligare: in affirmatiuo verò, non ita semper occurrunt circumstantiæ, sub quibus obligat, hinc est, vt non censeatur pro semper obligare; sed sub certis quibusdam circumstantiis, quando illæ concurrũt; cùm tamen in præcepto negatiuo plerumque sit obligatio sub omni circumstantia, vt contingit in prohibitione eorum, quæ sunt intrinsecè mala v.g. mentiri. Potest autem contingere, quod præceptum negatiuum sit prohibitio actus, qui non sit intrinsecè malus, vel non sit sub omni circumstantia malus, & tunc fieri potest, vt actus ille prohibitus non semper sit peccatum, nec censeatur pro semper prohibitus; sed pro tali tempore, aut occasione, quod accidere potest, tàm in præceptis iuris naturalis, quàm positiui. Sic comedere carnes, qui actus non est opus intrinsecè malum, potest esse prohibitum pro tali tempore & sub talibus circũstantiis, ita, vt hodie quidem extet siue in scriptis, siue in notitiâ hominum lex, quæ prohibeat pro tali die carnes comedere, etiamsi hodie nõ sit illa dies, & in hoc sensu dicunt supra citati Doctores, esse hodie præceptum ieiunandi, non hodie, sed tali die. In quo modo loquendi non multum inuenio proprietatis, sed neque multum inconuenientis. Sic etiam in iure naturali prohibitum est comedere carnes, aut alios cibos, quando nocituri sunt sanitati, aut valetudini; quia tamen non semper nocituri sunt, non pro semper est obligatio. Vnde, si quis dicat, semper quidem esse præceptum naturale non comedendi carnes, quando nocituræ sunt, sed non pro semper obligare, quia non semper occurrit occasio, in quâ nocituræ sint: non repugnabo in isto modo loquendi; hæc enim videtur illa distinctio actus primi, & actus secundi in præcepto obligante in actu primo, & in actu secundo; hoc autem, si eo modo intelligatur perinde locum habet in præceptis affirmatiuis & negatiuis, iis tantùm exceptis, quæ sunt prohibitiones actus sub omni circumstantia, qualis præcipuè est prohibitio actus intrinsecè mali, v.g. actus mentiendi. Quia tamen in præceptis affirmatiuis ratò, aut nunquàm reperiri potest, quod actus præceptus obliget semper, & sub omni circumstantia, hinc est, vt absolutè affirmari possit, quòd præcepta affirmatiua non obligent semper & pro semper, etiamsi alioquin præceptum adhuc existat non pro semper, sed pro tali tempore, & cum talibus circumstantiis.

Declaratur exemplis obuiis.

328. *Applicatio doctrinæ ad præsentem matrimonio.*

In nostro ergo casu dicimus legem, seu præceptum naturale esse contrahendi matrimonium, non pro semper, & sub omnibus circumstantiis; sed pro tempore, & casu necessitatis modo explicato.

329. *Dubiola quædam soluenda. Primum.*

Restant ex traditâ doctrinâ dubiola aliqua soluenda. Primum in casu necessitatis talis, vt non omnes personas tunc existentes obliget, sed aliquas propter necessitatem Reipublicæ; quasnam Personas præcipuè tale præceptum obliget?

330. *Quorumdã sententia.* Valentia. Bonacina. *Recentiores.*

Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *q.* 1. *puncto* 4. Bonacina *q* 2. *num.* 2. & alij Recentiores putant præcipuè obligare Rectores communitatum, nam regenti communitatem eo ipso, quod specialiter incumbit procurare bonum communitatis, incumbit etiam procurare propagationem humani generis. Quæ doctrina probabilis est; probabilius tamen mihi videtur distinguendum; nam, si gubernatores communitatis tales sint propter ætatem, aut sanctitatem sui status & professionis, vt minùs deceat matrimonia inire, poterunt, imò fortè debebunt, aut decentius erit, alios potiùs cogere magis aptos, aut minùs impeditos ad id præstandum. Verùm nõ est cur etiam in paucitate hominum prædicti gubernatores communitatum sint admodum soliciti in eo periculo præcauendo dummodò sint aliqui alij; ipsi enim homines per semetipsos sunt satis procliues, & proni ad matrimonium.

Probabilis est ea sententia. *Probabilius est esse distinguendũ.*

331. *Secundum dubium de solis habentibus votum castitatis.*

Secundum dubium est, an, si tantùm in mũdo manerent Religiosi, aut habentes votum Castitatis illi tenerentur matrimonium inire?

332. *Quidam negant teneri.*

Non consentiunt Auctores, quidam satis probabiliter negant. Ita Durandus *in* 4. *q* 2. *n.* 6. Paludanus *q.* 3. *art.* 1. Vasquez *de matrimonio disp.* 1. *c.* 3. *num.* 32. & 33. aliique Recentiores inter quos Basilius Pontius & alij apud Dianam 3. *p. tract.* 4. *disp.* 289. Quidam verò affirmant. Ita Sãchez *disp.* illâ 3. *num.* 4. Sotus, Angelus, Viualdus, Ledesma, Ludouicus Lopez. Vega apud Sanch. Molina *tomo* 1. *de iustitia tract.* 2. *disp.* 22. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 8. Bonacina *supra num.* 3. & alij apud Dianam quos ipse sequitur, quia nimirum præceptum matrimonij naturale est; tunc autem maximè vrgeret, neque contra hanc sententiam putant vim habere rationem Vasquij & aliorum, quod scilicèt, credi posset iam esse impletum numerum prædestinatorum, & adesse tempus consummationis sæculi eò ipso, quòd Deus ita res disposuisset, vt morerentur omnes præter prędictos; negant enim hoc esse credendum.

Probabilis est sententia. Durand. Paludan. Vasquez. *Recentiores.* Basilius. *Alij apud Dianam.* *Quidam affirmant.* Sanchez. Sotus. Angelus. Viualdus. Ledesma. Lopez. Vega. Molina. Reginald. Bonacina. *Alij apud Dianam &* *ipse Diana.*

Mihi videtur in eo casu (qui nunquam eueniet) distinctione vtendum, nempe, tunc credendum esse instare finem sæculi, quando ex aliis signis in scripturâ traditis pro sæculi consummatione prudenter coniici posset; secùs verò probabiliorem esse alteram sententiam, quia suppositâ reuelatione signorum, quæ debent præcedere, iis deficientibus non prudenter

Ratio. *Respondent fundamento Vasquij.*

333. *Distinctionis opus est in hoc casu.*

denter crederetur instare finem sæculi.

334. *Tertium difficilius dubium.*

Difficilius est tertium dubium pro casu, qui non videtur impossibilis; an scilicèt, si contingat aliquas personas vtriusque sexus in paruo numero tempestate deferri in insulam, locumue adeo semotum ab habitatione hominum, vt vix aut ne vix quidem, spes affulgeat, quod possint in aliorum hominum consortium venire; quarum multæ vel pleræque voto sint Castitatis adstrictæ, licitum sit initis connubiis, solitudinem tueri susceptisque liberis, superstites iuuare, vt nati succedant in locum decedentium, ne paulatim miseri è vita decedentes cogantur reliqui omnino soli manere? In quo casu duo quærere possumus. Primò, an liceat non obstãte voto? Secundò, an teneantur?

Diuiditur difficultas in duas partes.

335. *Prior pars resoluitur.*

Et quidem quòd liceat in eo casu, omnino mihi verum apparet; neque enim promissio, quantumuis Deo facta, & rei tam grauis censetur obligare pro casu tam rarò, & difficili, qui, si proponeretur, non includeretur in voto, nec videretur expediens includi; atque hoc quidem ex parte hominis vouentis, ex parte autem Dei etiam prudenter credi potest pro tali casu, vel non admittere, vel certè remittere verbũ promissionis.

336. *Incipit secunda pars resolui.*

Si verò loquamur de præcepto, & obligatione ineundi matrimonium, id non facilè admiserim, nisi in casu, quo pro illâ paucorum hominum communitate ita expediens iudicaretur, vt prudenter timendum esset breui tempore paucos, & insufficientes mansuros superstites, qui possint se in vitâ, humanâque Societate tueri, maximè ad conseruandam fidem veri Dei, ita vt maiores doceant posteros, & seniores, iuniores. Vnde facilè timeatur, nisi se aliquâ multitudine tueantur, posteros omnes in magnos venturos miserias spirituales, aut temporales, quibus vtcunque subueniri potest propagatâ posteritate, vt sibi posteri mutuò subueniant.

337. *Resoluitur.*

Quod si pauci admodum sint, qui ad eum locum, seu insulam fuerint tempestate delati, & tales, de quibus sperari possit, quod per Dei gratiam, se vtcumque tueri, & in fide, diuinoque obsequio perseuerare velint, & possint, non video, quâ ratione præceptum sit, & obligatio ineundi coniugia, etiamsi alioquin nullo essent voto adstricti, nedum, si haberent votum Castitatis, neque enim pro tali casu tanta est, vel propria, vel proximi spiritualis necessitas, vt cogat votum deserere, & obliget in conscientiâ matrimonium inire.

338. *Vrgetur amplius & explicatur casus, etiã pro priori parte dubij.*

Illud mihi etiam satis probabile videtur, si scilicèt, vnus, & vna in eum locum tempestate deferrentur, aut alio casu, & in eâ ætate vtriusque, vt inito matrimonio possint prolem sperare, quâ susceptâ solitudinem suam tuerentur, & fortè possent in senectute subuenire etiamsi alioquin essent voto Castitatis adstricti, posse matrimonium inire, maximè cùm ex vno capite non videatur licitum, aut certè expediens, quod alter alterum deserat, & ab illo fugiat, quin se mutuo iuuent, & mutuis officiis solitudinem subleuent; & ex alio capite satis periculosum sit die nocteque simul versati in eâ ætate vitum & feminam, quin meritò possit timeri lapsus aliquis præ humana fragilitate. In hoc ergo casu satis probabile existimauerim etiam esse obligationem ineundi coniugium; non quidem propter finem propagandæ speciei in mũdo; id enim non necessarium esset (cùm alibi plures essent homines) sed vel propter vitandum periculum labendi in peccatum, vel simul etiam ad subueniendum necessitati vtriusque per susceptam prolem, vt dictum est.

339. *Quartum dubium.*

Quartum dubium est, an etiam suppositâ multitudine hominum possit esse præceptum & obligatio versanti inter illos ineundi coniugium ex alio fine, quàm propagandæ speciei humanæ?

340. *Resoluitur affirmatiuè.*

Respondeo posse, vt, si quis vnius hæres Regni, aut Prouinciæ sit, quo non ineunte coniugium, seditiones timerentur, & bella in Republicâ, quibus damnis posset occurri per coniugium, & prolem susceptam, in eo enim casu teneretur non ex præcepto matrimonij, quatenùs est medium ad propagandum genus humanum, sed quatenus ex alio capite tenetur impedire damna, & incommoda Reipublicæ. Ita Martinus de Ledesma, quem refert & sequitur Sanchez citatâ *disputat.* 3. *in fine.* Reginald. *citat. libr.* 31. *num.* 8. Bonacina *q.* 2. *puncto* 3. *num.* 4. Rebell. *libr.* 2. & alij Recentiores, inter quos Diana *loco citato in fine.*

Ledesma. Sanchez. Reginald. Bonacina. Rebellus. Diana. *Alij Recentiores.*

DVBITATIO XXVII.

An matrimonium sit indissolubile?

341. *Proponitur quæstio.*

DIximus *dub.* 1. *huius disputationis* Matrimonium esse indissolubile, idque explicuimus in duplici definitione ibi assignatâ. oportet nũc de hac indissolubilitate disputare, atque inprimis an talis indissolubilitas sit? Qua de re multi latè disputant, nos verò, quia res est certissima, breuiter hanc difficultatem expediemus.

342. *Gentiliũ & Hæreticorũ quorumdã sententia, & praxis dissoluendi matrimonium. Argumentum insufficiens.*

Nonnulli Gentiles; atque etiam Hæretici putarunt matrimonium pro arbitrio coniugum posse dissolui, nullâ prorsus aliâ causâ requisitâ, ideoque de facto Gentiles & Hæretici nonnulli repudiatis prioribus coniugibus, cum aliis contrahunt; cuius erroris illa potest esse vt-cumque apparens ratio, quòd (vt habetur *c.* 1. *de Regulis iuris*) *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Sed matrimonium solo coniugum consensu fit & nascitur: ergo solo eorum consensu, sicut & quilibet alius contractus, dissoluitur.

343. *Matrimonium etiam non baptizatorum est indissolubile.*

Certum nihilominus est matrimonium, etiam nõ baptizatorum esse indissolubile, & perpetuum. In quo Doctores consentiunt, & generaliter de omni matrimonio docet Tridentinum *sess.* 24. *in principio* satisque significat Gregorius IX. *in c. finali de conditionibus appositis*, docens conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij esse contra illius substantiam, inferturque ex *Genesi* 2. illis verbis *Quamobrem relinquet Patrem suum, & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, & ex *Matth.* 19. vbi de matrimonio dicitur. *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* Item Marci 10. & *Lucæ* 16. dicitur de omni, qui dimittit vxorem suam, & aliã ducit, moechari: & adhuc clariùs ex illo

Res est certa. Tridentin. Greg. IX. Genesis 2. Matth. 19. Marci 10. Lucæ 16.

Ad Ro. 7. ad Romanos 7. *mulier viuente viro alligata est legi.* Hæc autem indissolubilitas non solùm locum habet in matrimonio consummato, vt ex dicendis *dub. sequenti* constabit. Et quidem in citatis locis *Marci* 10. Lucæ. 16. *& ad Romanos* 7. absolutè id dicitur de Matrimonio omni, nullâ factâ distinctione inter ratum, & consummatum.

344. *Ad argumentum in contrariũ.* Ad illud verò argumentum desumptum ex Regula iuris respondetur illud Axioma, & regulam habere locum in aliis rebus, quæ alioquin dissolui possunt; non verò in matrimonio; quæ res est alioquin indissolubilis, vt amplius ex dicendis in sequentibus declarabitur.

DVBITATIO XXVIII.

Quo iure constet indissolubilitas matrimonij?

345. *Matrimonium consummatum est iure diuino in dissolubile à tempore Christi.* Matth. 19. Ad Cor. 7. QVod matrimonium consummatum sit indissolubile iure Diuino à tẽpore Christi, ita, vt nec licitè, nec validè dissolui possit, in confesso est apud Catholicos, deduciq́ue videtur ex illis verbis Christi. *Matth.* 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et adhuc clarius ex illis verbis Pauli 1. *Ad Corinth.* 7. *iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego; sed Dominus vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat.* Quibus verbis non solùm significat Apostolus nomine Christi illicitum esse, sed etiam quod licet de facto separentur, maneat adhuc vinculum validè.

346. *Status quæstionis.* Quærimus ergo, an matrimonium tam ratum, quàm consummatum sit ex suâ naturâ, seu iure naturali omninò indissolubile, nempe licitè simul, & validè? Quidquid sit an vel à Deo suprema potestate dissolui possit, vel dare etiam potestatem homini ad dissoluendum illud, siue per dispensationem siue per repudium, de quibus dicemus sequentibus dubitationibus. Ideò non placet quod ait Perez citandus sensum quæstionis esse; an sicut odium Dei, & mendacium nullâ possunt dispensatione licere; ita nec dissoluere matrimonium. Non enim id quærimus, sed an ex naturâ suâ ipse contractus sit humanâ potestate indissolubilis, quidquid sit à Deo, vel ex concessione ipsius.

Aliter quæstionem sed immerito proponit Perez.

347. *Prima sententia negat indissolubile iure naturali.* Medina. Sanchez. Coninc. *Plures alij.* Perez. Prima sententia est matrimonium adhuc consummatum non esse indissolubile iure naturali, seu ex naturâ rei. Ita Michaël de Medina *lib. 5. de Sacram. homin. continent. c. 89.* Sanchez *libr. 2. disp. 13.* Coninc *disp. 26. dub. 2.* & plures alij apud ipsos tam Theologi, quàm iurisperiti, quibus annumerandus est Perez *disp. 20. sect. 2. à num. 4.* & deinceps, vbi fatetur quidem conforme esse naturæ matrimonij quòd indissobile sit, eius tamen indissolubilitatem, seu necessariam consonantiam ad naturam rationalem negat, ac proinde ait non esse in hoc sensu iure naturali necessariò debitam ipsi Matrimonio. Hæc ille, quibus verbis, vt ex sequentibus liquet, solùm vult significare non esse intrinsecè malum dissoluere matrimonium, sicut est intrinsecè malum mentiri, nec ita intrinsecè repugnans ipsi contractui, vt nequeat licitè, & validè fieri accedente Dei dispensatione, sicut non potest licere mendacium, aut odium Dei, quorum malitia non potest in liberè factis iis actibus non reperiri, nec dari Dei dispensatio circa id. Quæ doctrina hoc sensu omnino vera est, & meritò dicit hoc sibi esse certum, sed non id quærimus, sed an ex se quidem habeat perpetuitatem licet à Deo tanquàm supremo Domino possit in eâ re quasi dispensari & indulgeri hominibus, vt non indissolubiliter contrahant, etiamsi naturâ suâ contractus, vt præcisè more humano, & vt natura ipsa dictat habeat esse perpetuum & indissolubile id autem videtur hic auctor in sequentibus negare cum citatis, qui negant indissolubilitatem, nisi ex Dei institutione. Idq́ue videtur colligi ab Augustino *de bono coniugali c. 7. 15. 18. & 24.* Quibus in locis ostendit & probat matrimonium esse indissolubile, quia est Sacramentum; quia nimirum, significat coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia mediâ incarnatione; quam significationem non putant habere matrimonium ex suâ naturâ. Et ex alio capite hic contractus est, quidam contractus humanus: Sicut ergo cæteri humani contractus, possunt dissolui, ita hic contractus dissolui potest spectatâ præcisè suâ naturâ, nisi ex alio capite Deus institutione suâ in Sacramentum indissolubile reddidisset.

Quo sensu verum sit quod ait Perez. Sed non id quærimus. S. August.

348. *Quidam à Christo: quidam à principio à Deo putant institutum fuisse indissolubile consummatum.* Medina. Prædicti tamen Doctores non omnes consentiunt in eo, quod ex præcisâ institutione Christi in lege nouâ oriatur indissolubilitas matrimonij, etiam rati nondum consummati; multi enim putant ex institutione Dei à principio mundi factâ prouenire eam indissolubilitatem. Ita Medina *suprà*, qui etiam addit eam habuisse tantùm vsque ad tempus legis Mosaicę: quo tempore existimat Deum illam abrogâsse concedendo repudium, deinde Christum renouâsse indissolubilitatem matrimonij consummati Ecclesiam verò indissolubilitatem matrimonij rati. Alij verò putant matrimonio ex naturâ suâ conuenire quidem aliquam indissolubilitatem; sed omnimodam & perfectam tribuisse Christum, eleuando ad statum Sacramenti. Ita Richardus *in 4. distinction. 27. articul. 2. q. 2.* Anton. *3. par. tit. 14. cap. 10. paragrapho 1.* & alij. Richard.

349. *Assertio. Matrimonium etiam ratũ nondũ consummatum esse ex naturali iure indissolubile.* Vasquez. Bellarm. Rebell. Basilius. Bonacina. *Alij apud illos.* Hurtado. Becanus. Mæracius. *Communis sententia Theologorũ.* Tridentin. In hac re omissis aliis sententiis seu modis explicandi prædictam sententiam, asserendum omnino est matrimonium etiam ratum nondum consummatum iure naturali, seu ex naturâ suâ esse indissolubile. Ita Vasquez *disput. 2. de matrimonio c. 7.* Bellarmin. *libr. 1. de matrim. c. 12.* Rebell. *q. 15. sect. 1.* Basil. *lib. 1. c. 13.* Bonacina *q. 2. puncto 11.* & alij apud citatos, quibus adde Hurtadum *disp. 8. difficult. 2.* Becanum *de matrimon. c. 47. q. 1.* Mæracium *tract. de matrim. disp. 6. sect. 1. & 2.* latè agentem de hac re. Estque communis Scholasticorum sententia *in 4. dist. 33.* Et quidem Tridentinum *sess. 24. in principio de matrimonij Sacramento* ait, *matrimonij perpetuum indissolubilemq́; nexum primus humani generis parens Diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cùm dixit; hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ, quamobrem relinquet homo Patrem suum, & matrem & adharebit*

hærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna quibus significare videtur ex prædictis verbis. Genes. 2. colligi talem indissolubilitatem; sed hanc matrimonium tunc habuisse ex aliquâ peculiari institutione Dei gratis, & absque fundamento dicitur, cùm id non constet, ac proinde dicendum est id, habere matrimonium ex naturâ suâ. Vlterius in prædictis verbis etiam innuitur indissolubilitas matrimonij, non tantùm consummati; sed etiam rati. quia priùs quàm dixisset *& erunt duo in carne vna* (quibus verbis significatur matrimonium consummatum) posita fuit indissolubilitas, quam Tridentinum colligit, in illis scilicèt verbis. *Quamobrem relinquet homo Patrem & matrem &c. & adhærebit vxori suæ.*

Genes. 2.

350. Eandem doctrinam possumus colligere ex *c. finali de conditionibus appositis.* vbi dicitur non valere matrimonium, si supponatur conditio repugnans perpetuitati matrimonij, qui tunc cõtrahitur, vt si quis dicat *contraho tecum donec inueniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem.* vbi apertè sermo est etiam de matrimonio rato, nã in ipso contractu, qui tunc fit, non potest præsupponi consummatio. Sentit ergo Pontifex esse matrimonium (etiam ratum) indissolubile secundum suam substantiam, & naturam.

Colligitur eadem doctrina ex iure Canonico.

351. Duplici verò ratione probari potest sententia nostra; altera ab absurdo, altera verò à priori.

Duplex ratio.

352. Prima Ratio ab absurdo est, quia, si matrimonium naturâ suâ esset dissolubile non perpetuum, posset, seclusâ diuinâ institutione, fornicatio non esse illicita, ita, vt toties quoties vir accederet ad feminam, posset pro illo tempore dare potestatem, & dominium corporis, sicut & femina viro, ac proinde accessus esset ad suam pro eo breui tempore, vt patet, supposito quod post actum illum iam transactum possent illud breuissimum matrimonium dissoluere. quod maximum esset inconueniens, & contra bonum prolis, & propagationis, vt ex sequenti ratione amplius constabit. Non putauit hoc inconueniens Caramuel in suâ Theologiâ morali alioquin doctissimâ, qui latè contendit probare *lib. 3. num. 1600. si Deus fornicationem non interdixisset, non esse malam, nec peccatum.* Quod tamen plerique aut ferè omnes Catholici auersantur. Quod si non benè audiebat Durandus olim & Martinus de Magistris, quos retuli in *meo opere de iustitia lib. 1. disp. 3. dub. 16.* & impugnaui, fatentes peccatum esse, sed non mortale; quid dicet tanta Theologorum caterua, si aliquis diceret naturâ suâ non esse peccatum? Certè homines non solùm rudes, & barbari; sed culti & sapientes gentilium potuerunt, & poterunt excusari, imò in lege naturæ ante legem scriptam, imò & post legem scriptam, (quæ solum fuit pro determinatâ gente Israelitica) poterant ignorare. Imò non constabat illis de prohibitione Dei comparatione ipsorum; atque adeò non solùm repudium, sed quæuis coniunctio saltem soluti cum solutâ, etiam pro vna vice, potuit illis licere, non ex ignorantiâ vel errore sed absolutè, quia nulla lex positiua (etiam diuina) obligat sine sufficiente intimatione, & notitia illius; huius autem legis (si naturæ rationali opus ex se non dissonat) quotus quisque gentium etiam eorum, qui satis erant exculti, habebant olim notitiam aut hodie habent. Sed de hoc alibi fortè plura dicam. Post hanc materiam sic obiter & leui manu à me nunc tactam incidi in sapientem de more & eruditam 9. partem Dianæ vbi rem hanc pluribus & me inter illos citatis latè impugnat omnino legendus. Vtinam correctior fuisset typus. Vide ergo illum *part. 9. Tr. 9. res. 59.*

Prima ab absurdo.

353. Secunda Ratio à priori est, quia matrimonium naturâ suâ ordinatur, tum ad propagandam prolem, tum ad benè illam instituendam, & educandam; sed, si matrimonium dissolui posset, esset contra prædicta bona, vt ex se pater, ordinariè loquendo (quidquid Caramuel reclamet) nam, quòd aliquando possent eiusmodi inconuenientia vitari, per accidens est: ergo dissolubilitas est contra naturam matrimonij naturâ suâ ordinati in prædicta bona. Cùm ergo naturâ suâ talia bona postulet, etiam naturâ suâ postulat indissolubilitatem, & aliter factum non solùm est illicitum, sed inualidum. Nec Deus dedit potestatem transferendi Dominiũ, nisi perpetuò.

354. Neque Augustinus locis citatis pro sententiâ contrariâ nostræ doctrinæ repugnat; neque enim dixit, ideò matrimonium esse indissolubile, quia vnionem Christi cum Ecclesiâ significat, aut repræsentat; sed tantùm à posteriori deduxit eius indissolubilitatem ex eo, quòd assumptum fuerit ad repræsentandam hanc indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesia, ad quam repræsentandam ideo tanquàm aptum signum assumptum est matrimonium, quia est vinculum indissolubile, idque præsuppositum fuit ex parte matrimonij, vt congruenter assumeretur ad illam repræsentandam. Nam (vt rectè Vasquez *supra num. 70. notat*) in iis, quæ assumuntur in Sacramentis ad repræsentandum, debet esse quædam naturalis aptitudo, vt assumantur, id quod latè docuerat *tom. 2. in 3. p. disp. 128. c. 4.* & nos docuimus *tract. 1. de Sacramentis in genere disp. 1. dub. 1. & 4.* illa enim res, in quâ non est aliqua aptitudo, & proportio ad aliquid significandum non assumitur, neque instituitur ad eam significationem. Hinc est quod matrimonium etiam Gentilium, tanquàm naturâ suâ indissolubile assumptum fuerit congruenter ad significandam vnionem Christi cum Ecclesia; id quod satis significatur *c. Gaudemus 8. de Diuortiis.* Vbi etiam matrimonium Gentilium appellatur Sacramentum, dum dicitur *respondemus, quòd cum Sacramentum coniugij apud fideles, & infideles existat* &c.

Significatur satis hac doctrina in iure Canonico.

355. Neque hoc vnquàm negauit Augustinus, in illo enim *lib. de Bono coniugali c. 18. & 24.* docens solùm in populo Dei, & in eius Ecclesiâ matrimonium esse Sacramentum, id est significare indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesiâ, id docuit intelligens nomine Ecclesiæ, & populi non solùm Ecclesiam Christianam; sed etiam antiquum populum fidelium, in quo etiam agnouit hanc significationem. Ideò autem negauit eam significationem habere apud Gentiles, quia nimirum apud ipsos, etiam sapientes matrimonium fiebat solubile, atque adeò non verum,

Explicatur mens Augustini.

verum,& proprium matrimonium, sed tantùm existimatione; in populo autem Dei matrimonia fiebant indissolubilia tum verè, tum existimatione communi.

356. *Respondetur argumento aduersariorũ.* Ad rationem verò petitam pro aduersariis ex similitudine aliorum contractuum, qui suâ naturâ dissolui possunt, per voluntatem contrahentium, respondetur negando paritatem propter specialem naturam contractus matrimonij,qui ordinatur ad prolis propagationẽ & educationem, cui fini repugnat dissolubilitas matrimonij,vt explicatum est;

357. *Quid de indissolubilitate matrimonij rati iure humano?* Habemus ergo matrimonium etiam ratum esse iure naturali indissolubile, consummatum verò etiam iure Diuino. Vtrum autem matrimonium ratum non consummatum sit iure etiam humano indissolubile? non constat, rebus vt nunc sunt; nullum enim hucusque apparet ius humanum,quo statuatur matrimonium ratum esse indissolubile. Supponitur quidem in aliquibus textibus esse tale, non tamen ibi statuitur.

358. *Argumentũ ex Coninc. quo aliqui Recentiores vtuntur.* Iam verò respondere oportet cuidam obiectioni contra prædictam doctrinam, quo argumento vtuntur quidem Recentiores. Illud autem suppresso nomine acceperunt à Coninc *citata disp.26.n.25.* argumentum verò est, quo Coninc duo contendit probare, scilicèt neque solubilitatem matrimonij, neque polygamiam ita repugnare iuri naturæ,quin si non licitè,saltem validè,possit vtrumque fieri seclusâ institutione diuinâ, quia, quamuis rationes petitæ ex fine matrimonij alioquin essent firmissimæ, solùm tamen probant illicitè fieri solutionem, & polygamiam,non verò inualidè;nam eadem damna contra bonum prolis,seu educationem, & contra pacem etiam, & amorem inter virum & vxorem sequuntur ex matrimonio Catholici cum peruersâ hæreticâ, & longè magis hæc coniunctio repugnat bonæ prolis institutioni,& paci domesticæ, quàm polygamia & matrimonij dissolubilitas,& tamen illud matrimonium validè fit,ergo etiam hoc validè poterit dissolui.

359. *Respondetur.* Respondetur negando antecedens,& etiam paritatem,quâ probatur;nam eo ipso,quòd dissolubilis coniunctio sit contra bonum prolis, eiusque decentem; & congruentem naturæ propagationem, rectè colligimus non esse potestatem in hominibus transferendi dominium corporis dissolubiliter; neque enim est conforme iuri naturæ,quòd homo habeat eam potestatem absolutè loquendo, & spectato per se iure naturæ (nam quòd possit Deus dare homini eam potestatem,non negamus)paritas autem sumpta ex matrimonio fidelis cum infideli nulla est;ea enim damna, si sequantur ex tali matrimonio,omnino per accidens sequuntur, & illa disparitas cultus,& Religionis omnino est accidentaria materiæ ipsius contractus secundum quod ordinatur in naturale bonum propagationis,& educationis prolis consideratâ educatione in ordine ad bonum naturale inferioris ordinis, id est humani secundùm rationem Societatis humanæ, & humanæ vitæ præcisè sumptæ,& vt abstrahit ab ordinatione in finem supernaturalem,hoc enim tantum respicit contractus matrimonij, si stemus præcisè in iure naturæ, atque hoc bonum æquè potest habere locum cum quauis disparitate cultus inter cõiuges,quod non potest æquè locũ habere, si dissolubilis sit contractus matrimonij, & ad tempus possit tradi dominium corporis,ex quo sequeretur incertitudo filiorum, & minùs amoris parentum in liberos,& è contra, & minùs vnionis & conformitatis parentum inter se,& inordine ad procurandum bonum naturale prolis.Propter quæ omnia,vt dicebam,credendum non est inesse homini eam potestatẽ transfe ẽdi dominium dissolubile, & non perpetuum.Quæ omnia ampliùs explicabuntur ex dicendis in sequentibus.

DVBITATIO XXIX.

An sit potestas in Ecclesiæ capite ad dissoluendum matrimonium Baptizatorum?

360. *Matrimonium baptizatorum consummatum non posse ab Ecclesia seu Papa dissolui. De rato non consummato tantum est quæstio.* CErtum sit apud omnes Doctores Catholicos matrimonium baptizatorum consummatum non posse ab Ecclesia vel Papa dissolui;nam, & eius dissolubilitas iure simul diuino,& naturali constat, & ex nullo capite affirmari potest hanc potestatem dissoluendi esse concessam Ecclesiæ & Pontifici. Solùm ergo quærimus,an possit Pontifex dissoluere matrimonium baptizatorum ratum, non dum consummatum?

361. *Negant multi posse Papam.* Negant multi,& graues. Ita Scotus *in 4. dist. 31.q.1.* Paludanus *dist.27.q 1.art.2.* Sotus *q.1.ar.4.* Basilius *lib.9.cap.3.*& Couarr.4. *Decretal.p 2 c. 7.§.4.nu. 13.* aliique multi Theologi & iurisperiti apud citatos & apud Sanchez *libr.2. disp. 14.num.1.*quibus adde Mæratium *disp. 6. sect.7.* Texadam *in Theologia morali tom.2.lib.4. tract.1. num.290.*& sequentibus. Imò Sotus loco citato,& *lib.7.de iustitia q.2.art.5.* ita firmiter adhæret huic sententiæ, vt dicat contrarium, nec vmbram probabilitatis habere. Item Petrus de Ledesma *q.67.de matrimonio art.2.dub.1.* ait oppositam sententiam esse improbabilem. Probant ergo hanc sententiam hi Auctores ex illo *Matthæi 19. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet:* ergo nemo,etiam Summus Pontifex poterit matrimonium nondum consummatum dissoluere.

Scotus. Paludan. Sotus. Basilius. Couarr. *Alij multi.* Mæratius. Texeda. *Contrariã sententiam appellat Sotus carentẽ omni vmbra probabilitatis. Ledesma appellat improbabilem.*

Ratione verò probant primò ex significatione talis matrimonij, qua significat vnionem Christi cum Ecclesiâ: sicut ergo vnio Christi cum Ecclesiâ dissolui nequit,matrimonium etiam dissolui non poterit à Pontifice. *Probant ex Matth.19.*

362. *Probant ratione 1.*

Probant secundò quia tale matrimonium tam iure naturali, quàm Diuino est indissolubile: ergo Pontifex non potest illud dissoluere. 363. *Probant 2.*

Tertiò, quia Pontifex matrimonium consummatum baptizatorum non poterit dissoluere:ergo neque etiam ratum, quod est eiusdẽ naturæ, & essentiæ, & solùm accidentaliter differunt. 364. *Probant 3.*

Quartò; quia sequeretur etiam Principem sæcularem,aut Gentilem posse dissoluere matrimonium 365. *Probant 4.*

trimonium ratum suorum subditorum; neque enim minorem habet auctoritatem in contractibus ciuilibus,& profanis subditorum, qualis est contractus matrimonij non baptizatorum, quàm Pontifex habet in contractu matrimonij sacro baptizatorum,habet enim Princeps Gentilis supremam auctoritatem in suos. Et idem à fortiori posset Princeps Christianus erga subditos non baptizatos.

366. *Secunda affirmans & vera sententia.* Nauarr. Henriq. Sanchez. *Referens plurimos.* Bonacina. Rebellus. Coninc. Reginald. Bellarm. *Alij multi.* Diana. Perez.

Secunda & vera sententia docet posse Pontificem ex causâ dissoluere. Ita Nauarrus *cap.* 22. *num.* 21. Henriq. *lib.* 11. *c.* 8. Sanchez *disp.* 14. *nu.* 2. vbi pro hac sententiâ plurimos refert. Quibus adde Bonacinam *q.* 2. *punct.* 11. *numer.* 4. Rebell. *lib.* 2 *q.* 15. *num.* 4. Coninc *disp.* 26. *dub* 3. *n.* 33. Reginaldum *lib.* 31. *n.* 38. Bellar. *l.* 2. *de Monachis c.* 8. & alios multos hâc nostrâ ætate. Præsertim Dianam de hac re latè & eruditè agentem 8. *p. tr.* 1. *resol.* 62. *& tr.* 3. *resol.* 97. item doctè & copiosè Perez *disp.* 20. *sect.* 7. *n.* 2.

367. *Probatur ex vsu Pontificum.* Caiet. Henriq. Antonin. *Referunt dispensasse Pontifices. & sape.* Eugen. IV. Paulus III *Teste Nauarro.* Adrian. IV. *Mihi satis constat de tali dispensatione.* Gr. XIII. *Vndecim tales cõcessit vnâ die.* *Suarius apud Dianã.* *Ratio satis probabilis.* *Confirmatur ex dissolutione per professionem solemnẽ, vt constat ex iure Canonico.* Tridentin.

Atque inprimis id non leuiter probant facta Pontificum qui re ipsâ dissoluerunt: nam teste Caietano,Henriq. & Antonino 3. *p. tit.* 1. *c.* 2. dispensarunt Martinus V. & Eugenius IV. Paulus III. & Pius IV. à quibus duobus Nauarrus affirmat se plures obtinuisse dispensationes idemque fecisse Adrianum IV. refert Bonacina; & postea mihi constat de vna tali dispensatione datâ. Imò Henriq. testatur Gregorium XIII. vnâ die vndecim tales dispensationes expediuisse. Et Suarius quem refert Diana,testatur se vidisse Bullam continentem dispensationem in matrimonio rato, vt videre est *libr.* 6. *de Relig. cap.* 16. *numer.* 6. Ratio verò huius potestatis satis probabilis est, quia talis dissolutio matrimonij rati sæpe expedit bono fidelium, & sæpe fieri potest absque magno inconuenienti: ergo non immeritò iudicare possumus Pontificem eam potestatem à Christo ad id accepisse. Accedit quod matrimonium ratum, vt posteà ostendemus, dissoluitur per professionem solemnem in Religione constatque ex *cap.* 27. & 14. de conuersione coniugatorum, & aliis textibus,atque ex Tridentino *session.* 24. *Canone* 6. *de Sacramento matrimonij*, & tamen (vt dicemus *dub. sequenti*) non dissoluitur iure naturali neque iure diuino,sed iure Ecclesiastico: ergo ius Ecclesiasticum, aut Pontifex poterit hoc facere.

368. *Non fit ea dissolutio potestate ordinaria generali.* *Sanchez & alij multi.*

Aduertit verò Sanchez,& alij multi, quos sequitur, eam dissolutionem matrimonij non fieri à Pontifice potestate ordinariâ generali superioris humani,sed, vt gerente vicem Dei peculiari & extraordinariâ potestate, superadditâ potestati ordinariæ, quâ non posset separare, quod Deus coniunxit.

369. *Sine causa ea dissolutio non solum illicita esset sed inualida.* *Sanchez & alij.* Hurtado. Baunius. Diana.

Ex quo infert idem Sanchez cum multis eam dissolutionem absque rationabili causâ factam non solùm fore illicitam (quod etiam haberet, si fieret potestate ordinariâ absque causâ)sed etiam inualidam; neque enim credi debet eam potestatem extraordinariam accepisse Pontificem ad eâ vtendum validè pro solo arbitrio absque rationabili causâ,vt cum eodem Sanchez docent alij inter quos Hurtâdo *disp.* 8. *diff* 3. *n.* 12. Baunius *to.* 1. *in Theologia morali tr.* 12. *de impedimentis matrimonij*, quos sequitur Diana *sup. resol.* 63. Ochagauia *tractat.* 2. de Sacramenti matrimonij essentiâ. Affert etiam causas dispensandi 1. notabilis disparitas in qualitate: 2. magnum scandalum quod timeatur: 3. lepra aut similis grauis morbus: 4. impotentia superueniens matrimonio rato: 5. vt vir maximè conueniens bono communi fiat Episcopus,in quibus consentiunt Præpositus *in* 3. *par. q.* 5. *de insolubilit. matrimon. dub.* 8. Tannerus *tomo* 4. *disputation.* 8. *q.* 5. *dub. numer.* 68. Neque contra hanc sententiam sic explicatam vim habent argumẽta aduersariorum. Legatur Diana 8. p. tr. 1. res. 65. §. *sed his non.*

Ochagaū. *Causa dispensandi. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.* Præpos. Tanner. *Contra hãc sententiam sic explicatã non habent vim argumenta allata.*

Ad testimonium Matthæi 19. respondetur intelligendum esse de matrimonio consummato, idque colligi ex contextu, quod etiam docet Alexander III. *c.* 7. *de conuersione coniugatorum.*

370. *Ad testimoniũ Matth.* 19. *respondetur.* Alex. III.

Ad primum argumentum respondetur matrimonium ratum non significare vnionem Christi cum Ecclesiâ factam mediâ incarnatione,quam significat matrimonium consummatum ratione commixtionis corporum,quâ cõiuges fiunt vna caro. Ratione tamen coniunctionis animorum,quæ reperitur in ipso matrimonio rato,quod etiam est quodammodo indissolubile(cùm dissolui non possit à Pontifice potestate ordinariâ) congruè posse significare, & assumi ad significandam vnionem Christi cũ Ecclesia mediâ charitate factam. Quæ vnio cũ ipsa Ecclesia vtpote semper sancta indissolubilis est,quamuis cum particularibus illius membris dissolui possit.

371. *Ad primũ argumentũ.*

Ad secundum respondetur concedẽdo quidem obligationem radicalem ortam ex contractu matrimonij,& correspondentem ex parte vnius coniugis illi dominio, quod reperitur in altero non posse naturâ suâ, id est iure naturali extingui,& dissolui ab ipsis coniugibus solâ, & præcisâ ipsorum voluntate,neque etiam à Pontifice ex vi solius potestatis ordinariæ;posse tamen ab illo dissolui extraordinariâ potestate,vt explicatum est Eaque propter etiamsi alioquin vera esset sententia illorum, qui putant id totũ posse Episcopum in suâ diœcesi, quod Papa in totâ Ecclesia, si non sit illi à Pontifice reseruatum,non posset hoc,de quo agimus. Quia hæc potestas non conuenit Papæ ex vi meræ ordinariæ potestatis Pontificiæ,sed extraordinariæ quam Episcopo communicatam esse non possumus cum fundamento affirmare. Præsertim cum multa etiam, quæ Papa potest ordinariâ potestate non possit Episcopus maximè quando concernunt aliquid, quod possit redundare in aliquod malum, aut aliqualem turbationem pro aliis Ecclesiis. Sic Episcopus non potest dispensare in gradibus prohibitis ad matrimoniũ contrahendum,nec posset irritare matrimonia clandestina, sicut Papa. Nec etiam instituere potest censuras, etiamsi hæc & similia non sint speciali lege Episcopis prohibita. Frustra ergo nobis obiiciunt aliqui tanquàm inconueniens,quòd sequeretur, si posset Papa dispensare in matrimonio rato,posse etiam Episcopũ, cum falsum sit tantundem posse in omnibus quâ de re videri potest Suarius de censuris *disp.* 7. *n.* 5. quod aliis in locis repetit: inter alios qui

372. *Ad secundum.* *Hoc non potest episcopus in priuatâ Diœcesi sicut neque aliqua alia. Ratio.* Suarius.

Diana. Perez. Contra. Baunium.

qui id etiam negant. Item Diana 8. *par. tracta* t. 1 *resol.* 64. contra Baunium ex Perez quem refert, qui recte id probat.

373. *Ad tertiũ.*

Ad tertium respondetur concedendo eandem esse naturam & essentiam matrimonij rati, & consummati. Quia tamen consummatum præter essentiam ipsam matrimonij rati addit carnalem commixtionem, factoque fuisse coniuges vnam carnem, quod ad perfectionem integralem spectat, & quia, hoc præsuppositio, nequit regulariter fieri dissolutio matrimonij absque maximo inconuenienti; non censetur Pontifex accepisse à Deo peculiarem illam & extraordinariam potestatem, quam censetur accepisse pro dissolutione matrimonij rati non consummati.

374. *Ad quartũ.*

Ad quartum respondetur ideo non posse Principem Gentilem aut etiam merè sæcularem dissoluere matrimonium ratum non consummatum, quia tantum habet ordinariam potestatem superioris humani, secundùm quam solam neque Pontifex potest. Extraordinariam verò & peculiarem potestatem satis est, quòd concedamus Pontifici; absque fundamento autem illam diceremus concessam cæteris profanis superioribus, ex hoc intulerim non solùm Pontificem, quà Pontifex est, non posse dissoluere matrimonium infidelium, qui nullâ ratione in temporalibus subduntur illi, sed neque si in temporalibus eidem subditi sint, quia vt Pontifex est non sunt ei subditi, quatenus verò est temporalis Princeps, non habet eam potestatem. Legatur Diana *resolution. illâ 63 paragrapho* notandum 3. Plura possemus addere circa hoc; sed dicta sufficient. Qui plura volet legat Dianam omnibus locis citatis, vbi more suo multa habet ex grauibus auctoribus eruditè & copiosè collecta, vt vix possis aliquid addere.

Diana.

DVBITATIO XXX.

An? & quo iure matrimonium baptizatorum dissoluatur per solemnem professionem Religiosam?

375. *Non per quodcũque castitatu votum solemne dissoluitur matrimonium. Constat ex iure Canonico. Dissoluitur per solemnẽ professionem in Religione. Constat ex iure Canonico. Tridentinũ id etiam habet. Non dissoluitur consummatum.*

COnstat ex Extrauag. *Antiqua de voto.* Matrimonium ratum baptizatorum non per quodcunque votum solemne Castitatis dissolui, ibi enim definitur matrimonium prædictum non dissolui per susceptionem Ordinis sacri, neque id vllo iure illi competit, etiam Episcopatui, quantumuis in sacri Ordinis susceptione votum fiat solemne Castitatis. Dissoluitur tamen per professionem solemnem ab alterutro coniugum in Religione factam iuxta *cap.* 2. & 7. & 14. de *Conuersione Coniugatorum* & iuxta Tridentin. *sessio.* 24. *Can.* 6. de *Sacramento matrimonij* vbi anathema dicitur ei, qui dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi. Ex quo fit posse alterum ad alias nuptias transire. Nullo autem iure constat per eam professionem dissolui posse matrimonium iam cõsummatum.

Illud verò mihi absonum, & absque vllâ ratione dictum videtur, quòd nonnulli ausi sunt affirmare, scilicèt prædictum matrimoniũ non dissolui per professionem solemnem vtriusque simul coniugis, sed alterius tantùm, neque enim apparet cur vnius tantùm professio sufficiat ad dissoluendum & vtriusque professio non sufficiat. De quo legatur Sanchez *l.* 2. *disp.* 20.

376. *Etiam si vterque professionem emittat dissoluitur ratum non cõsummatum.* Sanchez.

Iam verò quæstio est, quo iure matrimonium ratum per professionem solemnem dissoluatur?

377. *Dubitatur quo iure dissoluatur.*

Prima sententia ait habere naturâ rei professionem quòd matrimonium ratum dissoluat. Itaque id totum tribuunt iuri naturali diuino. Ita videtur sentire D. Thomas in 4. *distinction.* 27. *q.* 1. *articul.* 3. *quæstiuncula* 2. in corpore. Richardus, Durand. Paludanus, & alij nonnulli Theologi, & iurisperiti apud Sanchez *disp.* 19. *num.* 1. *libr.* 2. inter quos Bellarmin. *l.* 2. *de monachis cap.* 38.

378. *Prima sententia putat ex natura rei id habere.* D. Thom. Richard. Durand. Paludan. *Quidã alij Theologi & iurisperiti.* Bellarm.

Probari verò potest primò, quia professio solemnis est mors ciuilis, aut spiritualis: ergo suâ naturâ sufficit ad dissoluendum matrimonium ratum, quod ante consummationem tantùm est vinculum spirituale animorum, perinde atque mors naturalis suâpte naturâ dissoluit vinculum carnale matrimonij consummati.

379. *Probant* 1.

Probant secundò, quia licitum est iure naturali ab imperfectiori statu transire ad perfectiorem, quando nulla iniuria illata est tertio, vt cõtingit in hoc casu, quia neque fit iniuria proli, quæ nondum suscepta est; neque fit iniuria alteri coniugi, quia potest aliud inire matrimoniũ; sed coniux profitendo solemniter in Religione, transit ad statum perfectiorem; ergo sic poterit dissoluere statum priorem coniugij, omitto leuiora argumenta.

380. *Probant* 2.

Secunda sententia docet id habere professionem ex solo iure Diuino positiuo, concedente Christo hoc priuilegium professioni. Ita Sanchez *citatâ disputation.* 19. *num.* 3. Basilius *l.* 9. *cap.* 5. Scotus, Abulensis Victoria, Sotus & alij multi Theologi & iurisperiti apud Sanchez, & Basilium, inter quos Rebellus *libr.* 3 *q.* 4. *sect.* 2. & 3. aliique posteriores. Quam sententiam videtur etiam sequi Bonac. *q.* 3. *puncto* 4. *n.* 4. dum probat ideò dirimi matrimonium ratum per professionem, quia hic effectus ex priuilegio diuino concessus fuit professioni, refert autẽ pro hac sententia Lessium, qui non pro hac; sed pro sequenti sententia referri debet.

381. *Secunda sententia putat id habere solo iure diuino positiuo.* Sanchez. Basilius. Scotus. Abulensis. Victoria. Sotus. *Alij multi apud citatos Rebellus. Bonacina falso referẽs Lessium.*

Probatur verò hæc sententiâ primò ex *cap.* 7. de conuersione coniugatorum, vbi Alexander III. ait id, quod dicitur in Euangelio *non licere viro, nisi ob causam fornicationis vxorem suam dimittere, intelligendum esse secundùm interpretationem sacri eloquij de iis, quorum matrimonium carnali copulâ est consummatum.* Inde videtur deduci secũdùm interpretationem sacri eloquij, quando matrimonium non est sic consummatum, posse dissolui per ingressum Religionis; & ita permittit facere *in eo c. Cuidã femina.* Præterea *c. Ex p.* 14. eodẽ titulo Cælestinus III. ait Sanctos ex Diuina reuelatione trãsiisse à matrimonio rato ad perfectiorem statum; ergo id non habet ex naturâ suâ, sed ex peculiari cõcessione Dei sic reuelãtis.

382. *Probant* 1. *ex iure Canonico.* Alex. III. Cælest. III.

Proba-

383. *Probant 2. ratione.*

Probatur 2. ratione, quia professio solemnis non dissoluit matrimonium ex naturâ rei, seu iure naturali, neque ex iure Pontificio, & tamen certum est dissoluere: ergo id habet ex iure diuino. Quod nō dissoluat iure naturali, probabimus posteà in fundamento tertiæ sententiæ. Quod verò non dissoluat iure positiuo Pontificio, probatur ex eo, quòd nullum tale reperiatur ius scriptum; prædicta enim capita 7. & 14. *de conuers. coniugat.* solùm id supponunt, non statuunt, neque alius Textus affertur, & tamen Ecclesia admittit matrimonium ratū dissolui per professionem: signum ergo est hoc fuisse Ecclesiæ concessum per Christi priuilegium.

384. *Tertia sententia probabilior putat dissolui iure positiuo Ecclesiastico.* Medina. Gandauo. Lessius. Coninc. Vasquez. Suarius. Hostiensis. Ioānes Andreas. Anton. de Butrio. Ancarran. Felinus. Layman. Hurtadus. Perez.

Tertia sententia, probabilior præcedenti (quæ etiam satis est probabilis) docet matrimonium ratum dissolui per professionem iure Ecclesiastico. Ita Michaël de Medina *libr. 5. de Sacrorum hominum continentiâ cap. 86. & sequentibus.* Gandauo *Quodlib. 5 q. 35.* Less. *libr. 2. cap. 41. dub. 8. numer. 69.* Coninc *disputation. 26. dub. 3. numer. 37.* Vasquez citatus dub. seq. Suarius *tomo 3. de Relig. libr. 9. cap. 23. num. 20.* & Iurisperiti Hostiensis *c. Ex publico.* super *verbo consummatum de conuersione coniugatorum*, & ibi Ioannes Andreas *num. 9.* Antonius de Brutio *n. 16.* Ancar. *repetitione super c. Canonum nu. 28. de Const.* Felinus *cons. 26 nu. 19.* quibus adde Layman *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n 3.* quibus adde ex Theologis Hurtadum *disp. 8. diffic. 4. nu. 17.* Perez *disp. 20. sect. 3. n. 7. & seqq.* Fundamentū huius sententiæ est, quia matrimonium ratum nec dissoluitur naturâ ipsâ, seu iure naturali professionis, nec iure Diuino: ergo solùm iure Ecclesiastico. Consequentia patet à sufficienti partium enumeratione. Prima pars antecedentis, quod non dissoluatur iure naturali probatur; quia traditio, quâ quis per professionem traditur Deo, & Religioni, non est naturâ suâ incompossibilis cum vinculo matrimonij: ergo illud non dissoluit. Antecedens patet in eo, qui post matrimonium consummatum ex licentiâ alterius coniugis profitetur solemniter, & tamen manet vinculum, vt omnes concedimus: ergo hæc duo ex naturâ rei non ita pugnant, quin possint esse simul. Probatur 2. idem antecedens, quia professio solemnis non est incompossibilis cum matrimonio ratione traditionis, quâ se homo tradit Deo, nec ratione traditionis, quâ se tradit illi Religioni, in quâ profitetur: ergo ex nullo capite est incompossibilis; atque inprimis non ratione traditionis, quâ se tradit Deo: nam, si ratione illius, id maximè proueniret ex voto solemni Castitatis, quod in professione emittitur: hoc autem verum esse non potest, quia non aliter homo se per votū tradit Deo, quàm obligando se ex virtute Religionis ad seruandā Castitatem, sicut voto simplici etiam obligatur; hæc autem obligatio non est incompossibilis cum vinculo, seu obligatione radicali iustitiæ ad reddendum debitum coniugi; nam, qui votum habet simplex Castitatis validè contrahit matrimonium, & tamen in eo adhuc perseuerat obligatio seruandi Castitatem; quia, cùm obligatio Religionis, & obligatio iustitiæ sint diuersæ rationis, non sunt incompossibiles, etiamsi circa obiecta incompossibilia versentur.

Fundamentum, & probatio sufficienti partiū enumeratione quia non prouenit ex aliis. *Prima pars antecedētis nempe de iure naturali probatur 1.* *Probatur 2.*

385. *Secunda pars antecedentis probatur.*

Quod verò professio Religiosa non sit incompossibilis cum vinculo matrimonij ratione traditionis, quâ homo se tradit Religioni, probari potest ex eo, quòd per eam traditionem tātùm se tradit Religioni, vt obediat Superioribus, ab eisque dirigatur in iis, quæ pertinent ad obseruantiā Religiosam. Quod si obligatio Religiosa, etiam quantum ad Castitatem, adeo non est incompossibilis cum vinculo matrimonij, vt perseuerante vinculo (sicut perseuerat in religioso post matrimonium consummatum) possit simul esse professio solemnis: eâdem ratione, neque traditio, quâ se tradit Religioni; erit incompossibilis, idque maximè verū erit, si Religiosus tantùm tradatur Religioni ob prædictā obseruantiā ex mera virtute Religionis, & nō ex virtute iustitiæ, nēque tanquàm seruus aut mācipium; sed, vt filius, & subditus, vt multi docēt, de quo nunc non disputo. Imò etiāsi dicamus tradi ex iustitiâ, & quasi ex pacto, vt compelli possit & dirigi, id non impedit, quo minùs simul esse possit vinculū, & obligatio iustitiæ propria matrimonij ad reddendū debitum; neq; enim reddendo efficeret contra obligationē iustitiæ, quā in se suscepit, vt possit dirigi, & compelli.

386.

Sed quidquid sit de hoc, etiamsi concederemus, quod professio solemnis naturâ suâ esset incompossibilis cum vinculo matrimonij non ideò probarent aduersarij, quod professio dissolueret vinculum matrimonij, potius hoc vinculum, tanquàm antecedens professionē, eiusdem professionis valorem impediret; quia per contractum matrimonij iam coniux est ex iustitia sub potestate alterius vt constat ex Apostolo 1. *ad Cor. 7.* quapropter non esset in suâ potestate alteri posteà per professionem se valide tradere. Omitto alias rationes, quas affert Sanchez pro hac parte nostræ sententiæ, quatenùs etiam congruit cum suâ, quæ sanè rationes, vel coincidunt cum iis, quas adduximus, vel patent calumniæ aduersariorum. 1. ad Cor. 7.

387. *Non habent vim argumenta 1. sententiæ.*

Neque argumenta primæ sententię, quę omnino sunt contra hanc primam partem sententiæ nostrę, seu antecedentis à nobis assumpti (quod scilicet ex naturâ rei non sit talis repugnantia) vim vllam habent.

388. *Ad primum Respōdetur.*

Ad primum respondemus negando consequentiā; quamuis enim sit mors ciuilis, aut spiritualis, id metaphoricè dicitur, & in eo tātùm sensu, quòd quis iam teneatur deserere priorem vitam sæcularem & mundanā; hoc tamen mortis genus non ita pugnat cum vinculo matrimonij, vt illud excludat, vt patet in Religioso post matrimonium consummatum emittente professionem de licentiâ sui coniugis.

389. *Ad secundum.*

Ad secundum respondetur negando licere iure naturali ad perfectiorem statum transire, si alioquin quis tenetur ex iustitiâ alteri ad permanendum in alio statu. Si enim ea doctrina vera esset, plura sequerentur absurda: atque in primis sequeretur matrimonium consummatum posse transire in Religionem; nec refert si dicas fieri iniuriam proli, & coniugi relicto. Contra hoc enim est, quod saltē fieri posset, quando non esset proles, & coniux relictus cōsentiret: tunc enim dissolueretur etiā vinculum,

Inconuenientia quæ sequerentur si tale argumētum vim haberet.

Primum.

Vlterius sequeretur posse mancipium domino

Secundum.

inuito Religionem profiteri, vt eligeret meliorem statum.

390. *Secunda pars nostri antecedentis probatur.* Veniamus nunc ad secundam partem nostri generalis antecedentis quod scilicet dissolutio matrimonij rati per professionem non fiat iure diuino. Nam ab ipsâ Christi ascensione nullum habemus ius diuinum, & tamen solemnitas votorum introducta est, & inuenta ab Ecclesiâ, vt expressè definit Bonifacius Octauus *c. vnico de voto & voti redemptione in* 6. ibi. *Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex solâ Ecclesiæ constitutione est inuenta*, id quod etiam declarauit Gregorius XIII. in Bulla edita in fauorem nostræ Societatis, quæ incipit *Ascendente Domino*; hanc autem professionem, & voti solemnitatem meritò putant multi fuisse introductam multò post Christi ascensionem. Ex quo infertur, quòd nõ iure Diuino dissoluat matrimonium ratum, nec vero simile apparet, Christum concessisse hanc vim solemnitati votorum, quæ nondum erat inuenta, & introducta, & quam solâ Ecclesiæ institutione inuentam esse Pontifex definit, atque expendẽdum est illud verbum *sola*, quod contra ponit Pontifex vinculo matrimonij, quod à Deo omnium conditore, & Ecclesiæ capite dixit prouenire, quod quâ ratione intelligendum sit, diximus suprà *dub.* 23.

Bonifacius VIII.

Greg. XIII.

391. *Exclusis aliis capitibus, solùm restat quod iure Ecclesiastico id habeat.* Hoc suppositò si matrimonium ratum non dissoluitur iure naturali aut Diuino per professionem solemnem, nihil aliud restat, quàm vt dissoluatur iure Ecclesiastico; quamuis enim hodie non extet scriptum, sufficit quod, vel olim haberetur scriptum, quamuis posteà decursu temporis scriptura illa perieriit, vel quod quãuis nunquam fuerit scriptum; per traditionem viuâ voce factam ad nostra vsque tempora perseueret. Hoc autem ius Ecclesiasticum siue aliquando scriptum, siue traditione in Ecclesia promulgatum, introductum est non auctoritate ordinariâ Pontificiâ sed illâ extraordinariâ, quã suprà explicuimus.

392. *Ad fundamentum secundæ sententiæ Respondetur ex dictis.* Atque hac ratione satis soluitur argumentum à ratione petitum pro secunda sententia Basilij & Sanchez; respondetur enim concedendo non reperiri tale ius scriptum, in quo primo, & denuo id statuatur, sed in Textibus, qui nunc sunt, supponi potius, quàm statui. Id tamen non obstat, quo minùs id, quod in iis textibus supponitur, prouenerit ex iure Ecclesiastico, siue scripto, siue viuâ voce tradito.

393. *Ad textum in contrariũ respondetur & explicantur loca Euangelij.* Quod autem contra nos adducitur ex *cap. illo* 7. *de conuersione Coniugatorum* nullius momenti est, neque enim ibi dicitur dissolutionem matrimonij deduci ex sacri eloquij interpretatione; sed id quod Christus *Matth.* 5. & 19. dixit nempe non esse dimittendam vxorem, nisi ob fornicationem intelligi de matrimonio consummato, quamuis autem inde, quasi per exceptionem, quæ firmat regulam in contrarium, velit quis deducere matrimonium ratum, etiam aliâ viâ posse dissolui; ineptè id faciet; neque enim ex eo, quòd matrimonium consummatum dissoluatur, non quoad vinculum, sed quoad thorum, & habitationem, idque Christus statuerit, aut declarauerit licere, colligi poterit matrimonium ratum dissolui posse ex Christi sic mandantis & instituentis voluntate, etiam quoad vinculum per professionem solemnem, id enim absque fundamento vllo dicetur, vt patet.

Illud autem quod afferebatur ex *capit.* 14. eodem titulo nullo modo aduersatiis fauet, quin potiùs eisdem aduersatur, ibi enim dicitur de quibusdam Sanctis reliquisse coniuges ex reuelatione Diuinâ, quæ superat omnem legem, quod, si factum fuit emissâ professione solemni (cuius nullum extat sufficiens argumentum) satis declarat id non factum fuisse communi aliquâ lege iuris Diuini, cum Pontifex dicat factum fuisse ex reuelatione Diuina, quæ superat omnem legem. In quo patet non fuisse tunc iure Diuino concessam hanc vim voto aut professioni solemni, si enim fuisset concessa, non fuisset necessarium recurrere ad specialem reuelationem; sicut hodie sine vlla speciali reuelatione fit. Si verò illud non factum fuit ab illis Sanctis emittendo professionem solemnem, sed solùm emittendo quodcunque votum simplex, vel abstinendo eb vsu, & cohabitatione cum coniuge absque vllâ dissolutione vinculi, aut etiam cum vinculi dissolutione ex peculiari Dei inspiratione, aut reuelatione, nihil probat contra nostram sententiam, vt ex se patet. Nec videtur omnino improbabile, quod sub dubio docet Layman *suprà* olim fortasse etiam votum simplex Castitatis habuisse eam vim extinguendi vinculum matrimonij, ex eodem scilicèt iure Ecclesiastico extraordinario, etiamsi hodie solùm professioni solemni tanta vis tribuatur. Et fortasse id colligitur ex facto Sanctæ Teclæ, Sanctæ Ceciliæ, & Sancti Alexij, de quibus Bellarminus *libro secundo de Monachis capit.* 38. Sanchez citat. *libr. secundo disputation.* 18. *numer.* 3. Quæ omnia nihil possunt obesse nostræ doctrinæ, quin potiùs illam confirmant, vel, si quid videntur probare, probant etiam vota simplicia, quæ ex se nullo modo essentialiter differunt à solemnibus habere eandem vim, quod tamen aduersarij non concedunt, de quo posteà videbimus.

394. *Alter textus in contrariũ allatus explicatur, & retorquetur.*

Laymani probabile dictum de voto simplici olim habẽte eam vim.

Exempla Sanctorum circa hoc. Bellarm. Sanchez.

Si argumẽtum probaret etiam contra ipsos aduersarios id esset.

Ex dictis colligitur, si quis post initum contractum matrimonij Religionem ingressus, & professus posteà iterum ex causa cum eo dispensetur in professione, vt possit matrimonium inire, non teneri ad redeundum ad prius matrimonium; illud enim iam fuit extinctum ita, vt liceat manenti in sæculo ad alias nuptias transire. Vnde, si iterum velint vterque coniux in eo casu matrimonio copulari, debent iterum contrahere, de nouo Sacramentum & contractum celebrando. Vide alia circa hoc in Perez, quæ in dictis à nobis etiam continentur. Pergamus.

395. *Illatum ex dictis notandum.*

Perez.

DVBI-

DVBITATIO XXXI.

An matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per vota simplicia Societatis Iesu post biennium emissa? aut per vota ibidē quoque emissa, & simplicia Coadiutorum formatorum?

396. *Basilij Pontij parum fundata sententia concedens eam vim iis votis. Probat.*

NOn desunt, qui putent per ea vota dissolui matrimonium. Hanc sententiam tenuit Basilius *libr. 9. de matrimonio capit. 6.* eo nixus fundamento, quòd professioni solemni ex eo censetur talis vis concessa, quòd constituat statum Religiosum, & olim ante introductionem solemnitatis professionis per statum Religiosum (qui tunc votis solùm simplicibus constituebatur) dissoluebatur vinculum matrimonij rati: atqui prædicta vota simplicia Societatis, quæ per biennium solent emitti (vel vota Coadiutorum formatorum post plures annos) etiam constituunt quantumuis simplicia, statum Religiosum, vt definiuit Greg. XIII. in Extrauag. *Ascendente Domino*, & confirmauit Gregorius XIV. ergo etiam per tria talia dissoluitur.

Greg. XIII. & Greg. XIV

397. *Opposita sententia vera ab omnibus traditur.* Valentia. Henriq. Bonacina. Suarius. Hurtad. Perez. *Societas nostra constanter eam tenet, & alij. Ratio.* Tridentin. *Dissoluitur fundamentū oppositum.*

Opposita nihilominus sententia meritò à cæteris traditur. Ita Valentia *tomo 4. disputation. 10. q. 5. numer. 6.* Henriquez *libr. 11. cap. 8. numer. 7.* Bonacina *q. 3. puncto 4.* Suarius *tomo 4. de Relig. libr. 4. cap. 2* Hurtadus *disp. 8. difficult. 5.* Perez *disp. 20. sect. 4. num. 2.* estque in nostra Societate constanter admissa sententia sicut & apud alios & alij communiter. Ratio vero est; quia iuxta dicta dub. præcedenti status Religiosus solùm id habet iure Ecclesiastico ex quo solùm constat id professioni solemni conuenire; non verò cōstat de simplicibus votis. Vnde id tantùm solemni tribuitur in Tridentino *session. 24. Canone 6.* quamuis autem *cap. 2. 7. & cap. 4.* de conuersione coniugatorum, & aliis in locis id tribuatur absolutè statui Religioso, nihil probat pro Basilij sententia, tunc enim non erat vsus alterius status Religiosi, nisi eius, qui constituebatur per professionem solemnem. Vnde eo ipso, quòd tribuebatur statui Religioso ea vis, perinde erat, atque tribui voto solemnis professionis. Posteà verò aduenient Societate Iesu, in illa non tantùm sunt professi trium, aut quatuor votorum solemnium, sed etiam sunt Scholares approbati; & Coadiutores temporales non formati; qui post biennium, vt minimum transactum tria vota simplicia emittunt, & constituuntur verè & essentialiter Religiosi. Item sunt Sacerdotes, qui Coadiutores Spirituales appellantur formati. Item sunt fratres, qui Coadiutores temporales formati dicuntur. Et hi omnes tantùm vota simplicia emittunt, & verè ac substantialiter Religiosi constituuntur. Ideò iam supposito hoc vsu non est generaliter dicendum, nec tribuendum statui Religioso; sed professioni tantùm solemni prædicta vis dissoluendi matrimonium.

398. *Ratio peculiaris ob quā non expediat habere talia vota eam vim.*

Est autem peculiaris ratio, ob quam id non tribuatur votis prædictis simplicibus Societatis, quia vsus trium votorum prædictorum simplicium, qui in Societate est, solùm est votorum simplicium, quæ non sunt absolutè perpetua ex parte Religionis, & superioris admittentis illa; potest enim ex rationabili causâ sic vouentes è Societate dimittere, quo casu cessant prædicta vota, cùm tamen vota aliarum Religionum, & vota etiam solemnia professorum eiusdem Societatis sint absolutè perpetua, tam ex parte vouentis, quàm ex parte admittentis illa. Vnde absque iure & fundamento dicitur ea vota simplicia dissoluere matrimonium ratum, vt rectè Vasquez expendit *citat. disp. 165. cap. 9. & 19.*

Vasquez.

399. *Ex his constat solutio argumenti quo vtebatur.* Basilius.

Ex hoc patet responsio ad fundamentum Basilij: dicimus enim professioni solemni id conuenire non præcisè, quia constituit statum Religiosum, sed quia professio solemnis est iuxta dicta. Omitto alia, quæ ex dictis facilè diluuntur & videri possunt in citatis auctoribus latius explicata.

DVBITATIO XXXII.

An per vota Ordinum militarium, item Mantellatorum & Mantellatarū, Tertiariorum, & Eremitarum dissoluatur vinculum matrimonij rati?

400. *Dissoluitur per vota Clericorum & Monialium eorum Ordinum viuentium in Claustro.* Sotus. Sanchez. Omnes.

CIrca Ordines Militares certum sit dissolui tale vinculum per vota Clericorum & monialium in iis Ordinibus in claustro viuentium; sunt enim vota solemnia & absoluta. Ita post Sotum in *4. distinct. 27. q. 1. art. 4.* docet Sanchez *libro 2. disp. 18. num. 7.* vbi testatur esse omnium sententiam.

401. *Quæstio est de equitibus.* *Prima sententia negat de omnibus.* Sotus. Sarmiento. *Secunda sententia distinguit merito. Ordinis S. Ioannis Militum vota dissoluit ratum.* Sanchez. Nauarr. Corduba. Henriq. *Alij multi.* Azor. Basilius.

Circa equites verò ordinum militarium nō omnes consentiunt. Nam Sotus supra, & Sarmiento *libr. de Reditibus Ecclesiasticis par. 4. cap. 1.* de omnibus absolutè negant per eorum vota matrimonium dissolui. Alij verò meritò sub distinctione loquuntur, & docent vota Ordinis militaris Sancti Ioannis dissoluere prædictum matrimonium, quia nimirum prædicti milites solemniter vouent castitatem absolutā absque restrictione. Ita Sanch. *supra n. 8.* Nauar. *l. 3. consil. tit. de conuersione coniugatorum in 1. edit. consil. 1. in 2. verò cons. 2.* Corduba *in summa q. 178.* Henriq. *l. 11. de matrim. c. 8. n. 6.* qui refert ita fecisse de cōsilio Sapientium Don Gaston Ducem metinæ; & in statutis horum equitum approbatis à Sede Apostolica haberi, quod possint ad eam Religionem admitti alligati matrimonio rato. Idem docent alij multi apud Sanchez, quibus adde Azor *to. 1. l. 13. c. 6. q. 4.* & Basilium *l. 9 c. 7.*

402. *De equitibus S. Iacobi, Calatraua, Alcantara negant.*

Quoad vota verò Equitum Calatrauæ, Alcantaræ, & Sancti Iacobi, meritò docent prædicti Auctores, non dissolui matrimoniū, etiāsi alioquin concedamus esse verè Religiosos; matrimoniū enim antea factum non repugnat cū eorum votis, qui solùm vouent Castitatem cōiugalem.

403. *De Mantellatis. S. Francisci, & S. Dominici. Etiā distinguendum.*

Per vota etiam Mantellatorum, seu Mantellatarum Sancti Francisci, aut Sancti Dominici, quos alij Tertiarios, Tertiarias seu Beatas vocant; si sint de numero earum feminarum, quæ collegialiter viuunt sub Regimine

Sanchez. Basilius. Prælati, meritò putat Sanchez *eâdem disp.*18. & Basilius *libr.9.cap.*8. dirimere matrimonium ratum, non consummatum; emittunt enim professionem solemnem in regula approbata Sancti Dominici & Sancti Francisci, & de Franciscanis testatur Angelus, & declarauit *Sixtus V.* esse veras Religiosas, & de Dominicanis testatur Sotus *7.de iustitia q.5.articul.*3. Alij verò viri Tertij Ordinis Sancti Francisci, & quædam fœminæ, quas Beatas vocant Sancti Dominici Religiosæ non sunt; neque enim professionem emittunt, neque alio voto se adstringunt nisi simplici. Ita Sanchez *supra num.*4. cum Abbate, Angelo, Lancelot, Victoria, Soto, Ledesma, & aliis. Et quidem Paulus III. consultus à Patribus Dominicanis circa prędictas Mantellatas collegialiter viuentes respondet esse veras Religiosas, nihil enim deficit illis, vt vota illarum sint solemnia, solemnisque professio.

Angelus. Sixtus V. Sotus.

Sanchez. Abbas. Angelus. Lancelot. Victoria. Sotus. Ledesma. *Alij.* Paulus III.

404. *Idem iudicium de Mantellatis S. Augustini.*

Et idem ob eandem causam de votis Mantellatarum Sancti Augustini collegialiter viuentium sub regimine Prælati, ex vi suæ Regulæ, docet Basilius Augustinianus & ipse (quidquid in contrarium sentiat Rodriquez *tom.*3.*Regularium q.*72.) Mantellatorum verò, & Mantellatarum Sancti Dominici, item Sancti Francisci Tertij Ordinis, & Sancti etiam Augustini non collegialiter viuentium, sed in propriis domibus, communiter quidem dicuntur eorũ vota non dissoluere Matrimonium ratum; Basilius tamen non improbabiliter affirmat dissolui matrimonium per vota illorum, qui, quamuis in propriis domibus degant, viuunt tamen sub arbitrio & Regimine Prælati, quamuis in propriis domibus, quia eo ipso censentur eorum vota solemnis professio.

Basilius. Contra Rodriq.

De quibusdam in propriis domibus viuentibus sub obedientia tamen Prælati.

DVBITATIO XXXIII.

Quantum temporis concedatur coniugibus ante consummatum matrimonium, vt possint deliberare de ingressu Religionis?

405. *Duo menses in iure concessi sunt ante consummationem ad deliberandũ.*

IN capite *ex publico 7. de conuersione coniugatorum.* Secundùm communem Doctorum interpretationem, de qua dicam paulo post conceditur coniugibus ab Ecclesia spatium duorũ mensium, vt in eo tempore teneantur ingredi Religionem, si velint, vel illo transacto matrimonium consummare; in illo enim c præcipitur iudici, vt coniugi de Religionis ingressu ante matrimonij consummationem deliberanti bimestre spatium definiat; intra quod vel propositum Religionis exequatur, vel coniugi suo debitum reddat.

406. *In quo sit maior difficultas circa huius concessionis intelligentiam & praxim.*

Hæc doctrina faciliùs intelligitur, si adhuc cogitat, vel deliberare vult de ingressu Religionis, atque in hoc sensu non est tanta controuersia in intelligendo prædicto textu. Quâ de re legi potest Sanchez *l.*2.*disp.*24. & Basilius *libr.9. cap.*9. Dixi tamen in prædicto textu id haberi secundùm communem Doctorum interpretationem. Quia nimirum ita extendunt illũ textum communiter Doctores: si tamen stemus textui & casui illius, non videtur satis clarè inde colligi lex generalis extra illum casum, & circumstantias illius. Agitur enim ibi de quâdam renuente cum marito cohabitare & reddere, & eapropter excommunicatâ, quæ asserebat se virginem & velle Religionem ingredi. Quo casu Pontifex Alexander 3. mandauit Episcopo Brixensi, si id ita esse deprehenderet eam absolueret à censurâ datâ cautione, quod intra bimestre vel Religionem esset ingressura, vel ad virum reditura. Inde ergo non satis videtur colligi lex generalis. Vnde Suarius de Religione *tomo* 3.*libr.9.de voto Castitatis capit.*25. *numer.*3. & Coninc *disputation.*26.*dub.*4.*num.*44. Perez *disp.*20.*sect.*5.*n.*2. & 4. meritò putant non inueniri ius scriptum certum, sed in illo speciali casu iuxta circumstantias illius ita fuisse à Pontifice illum terminum præfixum. Vnde rectè Suarius & ex illo Perez in hac re arbitrium iudicis excludendum non esse. Vide infrà *quæsit.*3. *n.*414. Quibus omnibus non obstantibus, cẽseri potest, & debet prædictum tempus regulariter assignatum à iure & esse quasi ius commune, vt rectè notat Perez *n.*5. siue, quia ita iam sentiunt Doctores: siue, quia licèt Papa loquatur in casu particulari, non obest, quò minùs lex iam fuerit posita in corpore iuris communis, siue etiã; quia iam est vsu & consuetudine receptum in Ecclesiâ dare coniugibus tale spacium, infra quod non cogantur consummare, sed possint deliberare de ingressu religionis. Restant verò adhuc aliqua circa prædictum textum disputanda & examinanda sequentibus quæsitis.

Non videtur satis colligi ex iure scripto.

Negant alij qui merito ius scriptum sufficienter clare loquẽs: Suarius. Coninc. Perez.

Perez.

407. *Quæsitũ 1.*

Primò ergo quæritur, an coniux nihil cogitans, aut deliberans de ingressu Religionis, sed, qui omnino & absolutè decreuit non ingredi Religionem, possit adhuc licitè non reddere alteri coniugi petenti toto illo bimestri?

408. *Prima sententia affirmat posse non reddere.* Sanchez. *Cũ multis.* Basilius. *Ratio.*

Prima sententia satis probabilis est, licitè posse non reddere. Ita Sanch. *disp.*24.*n.*25. cum multis iurisperitis, & Theologis Basil. *cit.l.*9.*c.*9. Quorum fundamentum est, quia illud tempus conceditur ad deliberãdum de mutando statu; potest enim intra illud tempus propositum in melius commutare, ac proinde licebit id tempus expectare. Præterea (inquit Sãchez) id bimestre non tantùm ad hoc conceditur, sed etiãm vt sponsi præparent necessaria solemnitati nuptiarum, & ne sponsus citò sibi traditam sponsam parui pendat; pluris enim eam faciet, si traditio differatur crescente in eo cupidine fruẽdi illâ.

409. *Secunda sententia negat licere tũc differre.* Nauarr. Angelus. Coninc. *Ratio.*

Secunda sententia etiam satis probabilis docet non licere differre in eo casu redditionem debiti; sed ante elapsum tempus illud esse reddendum. Ita Nauarr. *c.*16.*n*26. *in summâ Hispanâ*, in Latinâ verò *n.*27. Angelus *verbo debitum n.* 14. Coninc *disp.*26.*concl.*2. Ratio verò est, quia statim, ac fit contractus matrimonij, dominium traditur & ius in corpus coniugis, cuius effectus restringi non debet, nisi quatenùs ea restrictio legitimo iure fundata est, atqui nullo iure constat id restringi, neque rationabiliter restringi posse videtur, nisi in casu, quo alter coniux Religionem ingredi cogitet, ergo non est vnde liberetur pro eo tempore à tali obligatione. In eandem sententiam consentit Perez *disp.*20.*num.*14. notat verò id intelligi per se loquendo, & ex naturâ contractus, seclusâ legitimâ consuetudine in contrarium aut conuẽtione

Perez consentit cum limitatione aliquâ.

ne partium, si cum hac libertate contraxerint; tunc enim licebit differre.

410. *Prior sententia videtur probabilior. Ratio.*

Nihilominus mihi probabilior videtur prior sententia. Videtur enim id concessum vnicuique contrahenti matrimonium in fauorē status perfectioris, qualis est Religiosus; non solùm, vt, qui cogitat de ingressu Religionis possit circa id deliberare, sed etiam, vt, qui nondum cogitat, neque intendit, possit, si velit, de hoc cogitare, & nescit homo, qui hodie non vult esse Religiosus, an cras voluturus sit. Quod autem in eo capite. *Ex publico.* citato solum dicatur id esse concedendum feminæ cogitanti de ingressu Religionis, non sufficit, vt dicamus non esse concedendum aliis, nondum cogitant de ingressu; præsertim cùm concessio spatij prædicti non habeat præcisè fundamentum in eo textu, nisi adiuncta consuetudine, & receptâ extensione ad alios casus, etiamsi in eis non concurrant omnes circumstantiæ, quæ in illo concurrerūt, vt *suprà* notabamus; alioquin posset etiam quis dicere non esse concessum huiusmodi tempus, nisi receptâ prius sufficienti cautione, quòd vel ad Religionem transibit, vel ad virum suum redibit. Item eam facultatem non habere locum, nisi, quando præcessit præceptum Episcopi cum excommunicatione, à quâ non sit absoluendus coniux, donec talem cautionem præbeat; id enim totum in eo casu, & capite continetur: ergo, si neque hæc requiruntur, etiam non requiritur, quòd cogitet de ingressu Religionis; sed ideò concessit ibi duos menses cogitanti Religionem ingredi, quia absolutè iudicauit Pontifex omnibus coniugatis ante consummationē id tempus esse concedendū, & consuetudo (vt audio) ita pro occasione solet seruari. De modo verò computandi bimestre breuiter dico debere esse à puncto rati matrimonij vsque ad punctum, in quo finiatur. Ita Sanch. *disp. illa 24. n. 22.* quia agitur de re fauorabili. Consentit Perez *sup. n. 17.* & alij argumento à simili de professione Religiosa iuxta Trid. *sess. 25. c. 15.* & idem putant de ieiunio eius, qui nondum impleuit vsque ad certum punctum tēporis annos, in quibus obligat lex. Omnium ratio est, quia, quoties lex tempus designato termino præscribit in re fauorabili; omninò completè debet assignari, & in hoc casu fauorabilis res est. Sed quid, si menses à puncto contracti matrimonij sint longiores vt Iulius & Augustus qui continēt 62. dies, vel vnus sit breuior vt Februarius? Probabile est posse extendi ad 62. in fauorem Religionis sed de modo computandi etiam dies bissextiles in annis, vide, quæ dixi *tomo præcedente Tractat. de Ordine*, qui est *6. dub. 22. numer.* 324. & sequentibus & loco, quem refero ibi. *num.* 327. in fine, & quæ diximus *supra disp. 1. nu.* 249. circa finem.

Computandum bimestre à puncto rati matrimonij vsque ad vltimū punctum bimestris. Sanchez. Perez. Alij. Probant à simili professionis ex Tridentino; & de tēpore requisito ad ieiunium. Ratio omnium. Quid si menses sint longiores vt iulius & Augustus? aut breuiores?

411. *Quæsitū 2.*

412. *Resoluitur. Sanchez. Coninc. Basilius. Layman. Perez. Alij apud ipsos. Ratio.*

Secundò quæritur, an, transacto iam bimestre, liberum sit adhuc coniugi ingredi Religionem dummodò matrimonium nondum consummatum sit;

Respondeo liberum esse, etiamsi plures anni transierint ab inito matrimonio. Ita Sanchez, Coninc, Basilius Layman Perez cum aliis apud ipsos locis citatis: id quod locum habet etiamsi ab illo tempore, quo elapsum est bimestre, iniustè negauerit debitum ille coniux, qui iam statim vult Religionem ingredi. Fundamētum huius sententiæ est ius positiuum, à quo res tota dependet sic disponens; nam in *cit. cap.* Ex publico absolutè conceditur facultas ingrediendi Religionem ante consummatum matrimoniū, tēpus autem bimestre tantùm assignatur, vt intra illud nō possint cogi ad consummādū; possint autē post illud transactū cogi, vel ad consummandum, vel ad statim ingrediendum Religionem, non verò ad hoc vt statim teneātur consummare & non possint ingredi.

413. *Notandum pro praxi contra Basilium.*

Quapropter etiam post transactum bimestre ante consummationem volenti ingredi statim Religionem, irrogabitur iniuria, si per vim cogatur ad consummationem, quidquid in contrarium sentiat Basilius nullo vel debili fundamento. Vide *n.* 430.

414. *Quæsitū 3.*

Tertiò quæritur, an sit arbitrarium iudici causâ cognitâ prædictum bimestre producere, vel restringere.

415. *Negans sententia multorum. Ratio. Bartholus. Molina. Glossa. Baldus. Felinus. Decius.*

Negant nonnulli, quia ex vnâ parte terminus bimestris in prædicto Textu assignatur, & ex aliâ etiam ponitur pœna inobedienti. Quāuis enim ex causâ possit iudex terminum lege præscriptum restringere, & propagare iuxta Barthol. *l. 2. n. 4 ff. de sent. & re iudic.* quem communiter alij sequuntur teste Molina *l. 2. de Primogen. c. 14. n. 19.* Hoc autem non habet locum, quando lapso termino assignatur pœna, vt ibidem docet idem Molina cum Glossa Bald. Felino, & Decio, quos refert.

416. *Assertio affirmans posse restringere aut prorogare. Ratio. Sanchez cū multis. Perez.*

Asserendum nihilominus est posse iudicem causâ cognitâ eum terminum restringere, & prorogare; quamuis enim lege assignāte terminū absque iudicis ministerio, non possit iudex, qui supra legem non est, illum terminum prorogare, aut restringere; potest tamen, quando terminus committitur ministerio iudicis assignandus, vt cum multis iurisperitis & Theologis docet Sanchez ead. *disp. 24. n. 12.* & Perez *suprà*. Præsertim cum vera sint, quæ diximus supra ex Suario, & aliis quòd in eo textu non tollatur arbitrium iudici, etiam in illo casu, nisi ob circumstantias occurrentes, quibus variatis, potest arbitrari iudex aliter. Quid enim fiet, si non tā citò possit inueniri religio, quam possit ingredi quis, vel sint aliqua expedienda priùs, quæ requirant longius tempus, vt contingit in iis, qui rationibus reddendis obligati sunt, aut ære alieno adstricti cum spe soluendi non multò post?

Proponitur casus, in quo ita debeat fieri.

417. *Quæsitū 4.*

Quartò quæritur, an prædictum bimestre sit præscriptum ad professionem, ita, vt non satis sit Religionem ingredi, sed necessarium sit eo cōpleto, vel statim profiteri, vel matrimonium cōsummare, si alter requirat.

418. *Sententia putans statim debere profiteri. Nauarr. Alij apud Sanchez. Probant 1.*

Nauarrus *in summa c. 16. n. 27.* & alij apud Sānchez *supra n. 2.* putant coniugem eo complero statim debere profiteri, quia *in citat. c. Ex publico.* præscribitur terminus, vt debeat femina illa, *vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire*; trāsire autem, vel ingredi Religionem est ad professionem admitti; nam in eodem textu dicitur per ingressum Religionis dissolui matrimoniū quod de solâ professione verum est. Hoc tamen argumentum nihil probat, quia, neq; ibi dicitur per ingressum dissolui, vt legenti constabit,

Non habet vim argumentum.

neque quamuis dicatur esse cogendam, si ad Religionem transierit ad restituendum alteri, *quod ab eo noscitur recepisse*, ideò intelligendum est, per illum transitum significari ipsum Religionis ingressum per professionem tantùm; sed sufficit, quòd intelligatur iuxta subiectam materiam, vt scilicèt ipsa trãseunte ad Religionẽ, & existente in viâ nouitiatûs, id, quod restituendũ est restituatur, quasi in sequestro, aut depositò expectando, scilicèt euentũ professionis; quâ sequutâ absolutè & plenè fiat restitutio. Nec immeritò potest in nostro casu accipi transitus ad Religionem pro transitu ad assumendum habitum nouitiorum; quamuis enim non tàm propriè dicatur ille transitus ad Religionem, debet nihilominùs sic intelligi, ne inducatur correctio Iuris. Nam correctio semper vitanda est, quantum fieri potest, & hâc ratione explicatur *cap.* 14. eodem titulo, vbi transire significat profiteri iuxta subiectam materiam, quod non tollit nostram explicationem.

Declaratur amplius non habere vim.

419. *Probant 2.*

Probant 2. quia fieret iniuria alteri coniugi, qui toto illo tempore Nouitiatus teneretur expectare, & abstinere à secundis nuptiis.

420. *Neque hoc argumentũ probat.*

Hoc tamen nullius etiam momenti est, nam in hoc negotio æqua est vtriusq; conditio, cùm vtrique eadem potestas concessa fuerit. Præterea Religionis bono expedit, quod non coarctetur nouitiatûs annus.

421. *Secunda sententia distinguens. Aliqui apud Sanchez. Nullo niti tur fundamento ea sententia.*

Ideò secunda sententia sub distinctione loquitur, & ait bimestre esse concessum ad professionem tunc emittendam, quando quis citra consensum alterius cõiugis ad Religionem trãsit; quando verò transit ex consensu illius debere dari annum integrum Nouitiatus. Ita nonnulli quos refert Sanchez *disp. illâ 24. nu. 3.* Quæ sententia nullo idoneo argumento probatur, ideò de ea nihil curandum.

422. *Tertia & vera sententia; bimestre dari ad deliberandum de ingressu. Sanchez. Cum pluribus. Coninc. Basilius. Perez. Layman.*

Tertia & vera sententia sit, bimestre dari ad deliberandum de ingressu, ad profitendum verò dari integrum annum, ita vt satisfaciat ingrediendo intra bimestre, & posteà suo tempore profitendo. Ita Sanchez *n. 4. suprà* cum pluribus quos refert. Item Coninc & Basilius & Perez *supra num. 9.* & Layman, qui etiam aduertit cum alijs persistendum esse in Nouitiatu non solùm integro anno, sed etiam diutius, vsque ad expletum annum 16. ætatis iuxta Trident. *sess 25. c. 15.* Ratio est, quia annus Nouitiatus non tantùm cõceditur in nouitij fauorẽ, vt experiatur onera Religionis, sed etiã in fauorẽ Religionis, vt experiatur Nouitij mores *c. Ad Apostolic. de Regularib.* Quamuis ergo Nouitius posset ob factum suum iure suo spoliari, non tamen poterit Monasterium. Accedit quòd eo ipso, quo permittitur sponso ingredi Religionem, censetur permissum cum Priuilegio ~~Iuris~~ experiendi integro anno. Legatur Sanchez loco citato.

Et in nouitiatu expectandum vsque ad annum ætatis 16. Ex Trid. Ratio. Probatur. Ex Iure Canonico. Confirmatio.

423. *Quæstiũ 5.*

Quintò quæritur, an, si intra tempus permissum à iure vel à iudice Maritus coniugem deliberantem per vim opprimat, sufficiat, vt Matrimonium censeatur consummatum, ita, vt non possit femina ingredi Religionem?

424. *Assertio prima. Matrimonium tunc fit indissolubile. Sanchez. Perez. Ratio.*

In hac re breuiter asserendum est primò cum Sanchez *lib. 2. disp. 22. num. 4.* Perez *disp. 20. sect. 6. num. 8.* Matrimonium illud fieri prorsus indissolubile, quia eâ copulâ etiam vi ex tortâ matrimonium consummatur, & coniuges fiunt vna caro, vt constat *ex c. discretionem de eo, qui cognouit consanguin.* vbi definitur inde oriri affinitatem, vt constabit ex dicendis *sequenti dubitatione.*

Constat ex Iure Canonico.

425. *Assertio 2. virum per vim consummantem non posse ingredi Religionem. Sanchez. Cũ multis. Ratio. Peccat vir mortaliter in tali casu Perez.*

Asserendum est secundò virum per vim sic consummantem non posse ingredi Religionem. Ita Sanchez ibidem cum multis, qui etiam in præcedenti assertione consentiunt. Ratio est, quia ex parte viri omnia requisita ad consummationem reperiuntur, vt supponimus, & ille nullam vim passus fuit; imò ex hoc confirmatur præcedens assertio; quia matrimonij vinculum non potest, vt aiunt, claudicare: ergo, si ex parte viri, etiam ex parte feminæ consummatum erit. Lègatur Sanchez loco citato. Peccabit autem vir mortaliter ob grauem iniuriam illatam auferendo integritatem, ad quam tollendam non habet ius expeditum intra illud tẽpus, vt rectè notauit Perez *disp. 20. sect. 6. n. 10.*

426. *An tunc sponsa intra bimestre possit ad Religionem transire?*

Tota iam difficultas est, an saltem possit sponsa vi cognita intra bimestre ad Religionem transire?

427. *Multi probabiliter negant apud Sanchez. Basilius. Ratio.*

Multi apud Sanchez *num. 5.* satis probabiliter negant, quibus adde Basilium *suprà*, quia in iure vniuersim dicitur matrimonio consummato neutri cõiugi, altero inuito, licere ad Religionẽ transire. Cùm ergo iura non distinguant, vtrùm copula vi, vel sponte habita fuerit, nec nos distinguere debemus. Legatur Sanchez citato *nu. 5.* vbi alias rationes affert leuioris momenti.

428. *Alij probabilius affirmant.*

Alij verò multò probabilius docent posse spõsam intra dictum bimestre iniustè coactam, etiam coactore inuito, Religionem ingredi; hâc enim ratione sibi, vtcunque satisfiet, si non censeatur illi ablatum ius ab Ecclesia concessum ingrediendi Religionem: coactor verò non poterit aliud matrimonium inire, quamdiu coacta viuat, neque enim tale matrimonium dissoluitur, vtpote consummatum. Ita Paludanus *in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 2.* Perez *disp. 20. sect. 6. num. 8. & 9.* Sanchez *citatâ disp. 22. num. 6.* cum multis quos refert, vbi id pluribus rationibus, & Textibus probat, sed omnes nituntur prædicto fundamento. Idem docet Bonacina *quæst. 3. punct. 4. num. 8.* Layman *lib. 5 tract. 10. p. 3. 6. num. 3.* Coninc *disp. 26. dub. 4. conclus. 7.* & alij apud citatos estque satis recepta sententia.

Coactor non poterit tunc aliam ducere viuente coactâ. Paludan. Perez. Sanchez. Cũ multis & late probat. Bonacina. Layman. Coninc. Alij apud citatos.

Rectè autem aduertunt Sanchez, Layman & nonnulli alij ex Petro de Ledesma de matrimonio *quæst. 61. art. 1.* per accidens posse feminã vi oppressam impediri à Religionis ingressu, nempe ratione damni prolis ex ea copula sequutæ, si non possit absque matre commodè educari, secus, si possit.

429. *Per accidens potest impediri femina. Sanchez. Layman. Alij. Ex Ledesm.*

Quod diximus de coacta ante bimestre, consequenter etiam dicendum est de coacta post bimestre, quando volebat statim ingredi Religionem, quod iustè facere poterat iuxta suprà dicta. Vnde absolutè non placet (nisi restringatur) quod docet Perez *disp. 20. sect. 6. num. 7.* certum esse, si sermo sit de copula vi extorta post bimestre concessum vxori ad deliberandum de ingressu Religionis, neutri licere ad Religionem transire, quia vir vtitur iure suo: hoc (inquam) non placet nisi restringatur ad casum, quo illa non velit statim ingredi Religionem, si enim velit ingredi statim, non potest cogi iuxta

430. *Eadem ratio est de coacta post bimestre, si vellet statim ingredi. In quo non placet Perez. dum id negat, nisi restringatur.*

dicta

Nec placet Basilius.

dicta *num.*412 & 413. contra Basilium, eritque iniuriosa coactio, nec vir vtetur iure suo.

431. *Ad argumentum oppositæ sententiæ.*

Ad argumentum verò oppositæ sententiæ respondetur prædicta iura intelligenda esse de matrimonio consummato absque iniuria, quando verò talis iniuria interceſſit, non cogere ad manendum cum coniuge, qui iniustè coegit, vt eâ ratione compensetur iniuria, & dolus non patrocinetur doloso, vt ex multis iuribus probat Sanchez citata *disp.*22.*n.*10. habito respectu *ad num.*6.

DVBITATIO XXXIV.

Quid requiratur vt Matrimonium censeatur copulâ consummatum?

432. *Requiritur in primis semen prolificum recipi intra vas, siue penetretur siue non.*

STatuendum in primis est requiri quòd semẽ prolificum viri receptum sit intra vas femineum, etiamsi vas penetratum non fuerit, id enim satis est ad generationem, ad quam commixtio carnalis, & copula matrimonialis ordinantur. Ita docent communiter Doctores, vt videre est apud Sanchez *disp.*21.*num.*2. vbi ex multis asserit quacunque arte etiam dæmonis tale semen recipiatur intra vas.

433. *An sufficiat sola penetratio?*

Dubitari autem potest primò, an sufficiat sola vasis penetratio absque dicta seminis prolifici effusione intra illud?

434. *Affirmans sententia.* Ledesma. Medina. Rodriq. *Alij apud* Sanchez. *Ratio. Ex iure.*

Affirmant aliqui: Petrus de Ledesma *de matrim.quæst.*61.*art.*1. Medina *lib.*5. *de Sacrorum hominum continentia cap.*76.*&* 79. Rodriquez 1.*tomo Summæ in* 2.*editione cap.*239.*num.*2. & alij apud Sanchez, quia *in c.*14. *de conuers. coniugator.* supponitur matrimonium consummari carnali copulâ, & in *c.*7. carnali cognitione; *in c.verò* 2. carnali commixtione. Vasis autem penetratio, etiam absque effusione seminis intra idem, carnalis copula, cognitio, & commixtio censetur; sufficit ergo ad matrimonij consummationem.

435. *Assertio negans.* Sanchez. Coninc. Basilius. *Alij multi apud Sanchez. Ratio.*

Asserendum nihilominùs est, non sufficere. Ita Sanchez *citata disp.*21.*num.*5. Coninc *disp.*26. *num.*50. Basilius *supra* & alij multi apud Sanchez. Ratio est; quia sola vasis penetratio non est cõmixtio perfecta, & sufficiens ad generandum: ergo non consummat matrimonium ex se ordinatum ad generationem. Et *in c.illo* 2. citato pro præcedenti sententia manifestè supponitur commixtionem carnalem, cuius defectu matrimonium non consummatur, debere esse sufficientem, vt per eam coniuges fiant vna caro, id autem non fit deficiente seminis prolifici emissione intra vas, vt dicemus agentes de affinitate, quod est vnum ex impedimentis matrimonij; & agentes de impedimento impotentiæ, de quibus dicemus *disp.*7.*dub.*34.*&* 46.

436. *An sufficiat solum virile semen, non satis certũ. Vtrumque probabile. Res tota pendet ex Philosophica doctrina. Aristoteles putat solum virile sufficere ad generationem.*

Vtrùm autem sufficiat tantum viri semen intra vas receptum, vel requiratur etiam semen feminæ? non est satis certum; vtrumque probabile est; id enim totum, vt rectè notat Sanchez *suprà num.*11. pendet ex quadam doctrina Philosophica, & Medicâ, an scilicet ad prolem sufficiat solùm semen viri, vel requiratur etiam femineum semen? Quæ res satis controuersa est inter Medicos, & Philosophos, multis affirmantibus sufficere virile, cum Aristotele *in lib.*2. *de generatione animalium.* Galeno *in* 1. *lib. de sanit. tuend. c.*1. & *lib.*2. *de natural facult. cap.*3. Auicena *lib.*9. *animal. c.*1. Multis etiam negantibus cum Hypocrate & Galeno sibi contrario quos refert Iauellus 8. *Metaphysicæ quæst.*17. & alijs multis Philosophis & Medicis, qui dicunt requiri semẽ femineum. Hinc est quòd Suarius 3 *p.q.*32.*art.*1. *disp.*10.*sect.*1. dicat cum alijs esse probabile adfuisse in vtero Beatæ Virginis semen illius absque omni prorsus inordinatione, vt ministraret conceptioni Christi materiam, vt eâ ratione esset vera & naturalis Mater Dei. Itaque vtraque sententia satis probabilis est, atque adeò satis probabile, quod matrimonium consummetur per solam viri seminationem intra vas; & quod non consummetur. Qua de re iterum incidet sermo loco citato.

Item Galenus, & Auicena, sed alij multi cũ Hypocrate negant, imò & Galenus sibi contrarius. Suarius iuxta hoc loquitur de B. Virgine concipiente Christum.

437. *Illatum prò praxi volentis ingredi Religionẽ post nimia familiarem consuetudinem cum tali femina. Distinguendum de ingressu valido & licito.* Henriq. Coninc.

Ex doctrinâ traditâ infertur posse aliquem validè ingredi Religionem, & in eâ profitendo matrimonium dissoluere, etiamsi tantam familiaritatem, & tactus habuerit cum sponsâ post ratum matrimonium, vt inde nota inureretur feminæ, multumque difficiles redderet ei alias nuptias imò etiamsi bonâ fide putando consummare matrimonium virginem defloraſſet sine consummatione. Dixi autem *validè* quia non videtur licitè id facere inuitâ sponsa, neque enim videtur habere ius ingrediendi Religionẽ cum tanto feminæ dispendio. Ita Henriquez *lib.*11.*c.*8.*num.*8. Coninc *disp.illâ* 26.*n.*51.*& alij.*

438. *Aliud quod circa hoc notat Sanchez.*

Sanchez verò in vno casu putat etiam licitè posse transire, quando scilicèt vel accessit animo consummandi, & non potuit propter debilitatem, aut, quia alius tunc casu superuenit, & ideò impeditus fuit ratione honestatis, vel, quia forte in ipsomet actu Spiritus Sanctus Religionem inspirauit, & tunc ante consummationem se retraxit. Probat tunc posse licitè ingredi Religionem; quia nulla iniuria irrogatur sponsæ, cùm nihil tunc fraudulenter egerit sponsus, nec delicti reus sit, & iure suo vtatur. Vnde absolutè Pontifex concedit bimestre, vt possint Sponsi non consummare & ingredi Religionem, licèt eo tempore moraliter loquendo contingant oscula, tactus, ex quibus Sponsa non leuiter damnum patiatur ad alias nuptias. Cùm ergo eo nõ obstante Sponsus suo iure vsus sit, etiam poterit licitè ad Religionem transire.

439. *Probabilius videtur tũc non licere ingredi. Ratio.*

Nihilominùs probabilius videtur, quod prius dixi cum Henriquez, semper enim habenda est ratio damni illati; quamuis enim absolutè ille iniuriam non irrogauerit, ea faciendo absque dolo; tamen, si sponsa sciret fore, vt à suo sponso sic desereretur meritò renuere posset illa pati. Quare tacitè videtur intercedere inter vtrumque, quando ad eum statum res deueniunt pactum, vt non se mutuò deserant, quod pactum sub iis tactibus delitescens non minùs videtur obligare, quàm pactum, quod intercedit inter sponsos de futuro, & ex vi illius obtinetur ab honestâ sponsâ copula, aut defloratio, aut etiam solùm tactus, vel familiaritas, quæ reddat illam non sequutis nuptiis suspectam; & tamen, si prædicti tactus aut familiaritas interceſſit, non licèt sponso de futuro eâ inuitâ Religionem ingredi ob damnum, quod parti inde sequeretur, vt docet idem Sanchez *lib.*1.*disp.*44.*num.*3.*&* 4. etiamsi sponsus de futuro, qui tunc habet tactus,

A simili argumentum ad hominẽ

ctus,aut oscula, vtatur iure suo, & in eo non faciat iniuriam sponsæ, pari ergo ratione in nostro casu.

440. *Respondetur ad fundamentum*

Quod autem ait Sanchez communiter intercedere inter sponsos tactus, & oscula & familiaritatem, & nihilominus ius eis concedere prædictum tempus, vt de ingressu Religionis deliberent, nihil probat; negandum enim est ius voluisse, vt non obstante tali damno dato posset sponsus ab sponsâ recedere, nec supposuisse talem familiaritatem intercedere,nisi inter eos, qui iam decreuerint in matrimonio permanere absque vllo transitu ad Religionem; imò, nec Ecclesia (vt rectè notat Coninc) ei, qui talem familiaritatem habuit,permitteret ad Religionem transire, neque professionem factam validam putaret, nisi clarè probaret matrimonium non fuisse consummatum. Legatur Coninc *n.*52.

Sanchezij. Coninchi recte notatũ in hac re.

441. *Casus quidam,in quo videtur probabilis opposita sententia.*

Sanè in vno casu videtur probabilis opposita sententia,nimirum,quando aliter potest damnum sponsæ illatum æquè benè reparare iuxta doctrinam traditam in simili de sponsalibus *disp.*1.*dub.*9. & sequentibus ex aliquibus auctoribus, qui putant promittentem fictè, & sub eâ spe virginem deflorantem non teneri determinatè ad illam ducẽdam; sed solùm ad resarciendum damnum aliâ viâ, si potest,vt constituendo dotem, quâ possit æquè benè nubere. Sic ergo in nostro casu dici posset non minori imò maiori probabilitate talem sponsum in eo casu transeuntem ad Religionem satisfacere, constituendo dotem Sponsæ,vt æquè benè possit nubere, maximè cùm ea familiaritas permissa sit à femina,subsistente tam vero & rato matrimonio, ita, vt æquus rerum æstimator non ita leuem aut minùs honestam possit censere feminam talia consentientem post ratum matrimonium,atque,si consentiret ante illud.

442. *Adhuc nihilominùs probabilius est non licere,femina inuitâ. Ratio.*

Nihilominùs probabilius iudico, etiam non posse licitè transire ad Religionem sic compensando feminæ alioquin inuitæ; nam iuxta principia suprà tradita in hac dubitatione, & iuxta dicta de sponsalibus *loco citato*,quando ea femina prædictam familiaritatem admisit, censetur si non expressè, saltem tacitè præcessisse pactum consummandi matrimonium, & quòd se mutuò non desererent: neque censetur, si sapit, femina alioquin honesta consensura in similia,nisi sub eâ spe datâ ex parte viri,& admissa ex parte ipsius. Quando autem aliquis ex iustitiâ commutatiua debet rem aliquam determinatam, non satisfacit restituendo tãtundem, seu æquale inuito creditore, *vt dub.illâ* 9. cum Vasquez & Sanchez probauimus. Cùm ergo vir ille debeat corpus suum in compensationem prædicti damni ex vi talis tacitæ, vel expressæ promissionis consummationis matrimonij, sub cuius spe(saltem tacitè datâ & acceptatâ)femina in eam familiaritatem consensit, non satisfaciet dando æquiualens (etiamsi concederemus esse possibilem æquialentem satisfactionem) sed debet illud ipsum in specie dare, ad quod se obligauit.

Vasquez. Sanchez.

443. *Aduertendũ copulam præcedentẽ contractum non esse consummationẽ matrimonij.*

Tandem aduertendum est, tanquam certum non sufficere ad consummationem matrimonij, quod copula præcesserit ipsum contractum, estque recepta Doctorum doctrina, vt testatur Perez *disp.*20.*sect.*6.*nu* 2. Ratio,omissis aliis est, illa enim copula non potest esse consummatio sequentis contractus;quod enim inceptum non est, non potest consummari. Vtrum autem filius natus ex eâ copulâ antecedenti censeatur legitimus, etiamsi alter coniugum transeat ad Religionem, & dissoluatur vinculum? posteà suo loco dicemus. Omitto alia quędam, quæ vel facilia sunt,& ex dictis constant; vel ab hoc loco sunt aliena.

Perez. Cum communi sententiâ. Ratio.

DVBITATIO XXXV.

An matrimonium infidelium consummatum dissoluatur per conuersionem alterius ad fidem?

444. *Assertio 1.*

Assero 1.quando infidelis non vult habitare cum fideli, potest fidelis deserere coniugem non baptizatum, etiam post priùs consummatum matrimonium, & nouum matrimonium inire; item quando infidelis vult quidem cohabitare cum fideli, sed non sine iniuria creatoris. Ratio est, quia cum fidelis tunc non possit cohabitare cum infideli, æquum est vt possit dissoluere matrimonium, idque saltem ex priuilegio Diuino. Colligitur hæc doctrina ex illo 1.*ad Corinth.*7.*Quod si infidelis discedit,discedat, non enim seruituti subiectus est frater,aut soror in huiusmodi,in pace autem vocauit nos Dominus.* Atque in hoc sensu intelligit Ecclesia prædicta verba Pauli,& definitur *in c.Quanto* 7. & *in c.Gaudemus* 8.*de Diuortiis.*

Ratio.

Colligitur ex 1. *ad Corinth.*7. *Constat sensus Apostoli Pauli ex iure Canonico.*

445. *Quæsitum. Respõdetur.*

Si quis autem quærat, qualis sit talis iniuria creatoris? Respondeo tunc contingere, quando non baptizatus non vult cohabitare, nisi compellendo fidelem ad peccatum mortale, vel quando non vult nomen Dei, aut Christi audire, nisi cum despectu, vel quando nomen Dei blasphemat, vel impedit quo minùs debitus honor, aut laudes exhibeantur Deo, vel retrahit familiam à Christi fide. Ita Sanchez *lib.*7.*de matrimonio disp.*74.*num.*6. adiunctâ doctrina *num.quarti.*Rebellus *lib.*3.*q.*10.*sect.*2.*nu.*2. Valentia *tomo* 4.*disp.*10.*quæst.*1.*puncto* 3. Henriq. *lib.*1.*cap.*8.alijque multi, post quos Perez *disp.*36. *sect.*4.*num.*1.*&* 2.*& seqq.*

Sanchez. Rebellus. Valentia. Henriq. Alij multi. Perez.

446. *Fauor hic Christi quẽ agnouit Ecclesia habet locum etiam in consummato matrimonio.*

Itaque in verbis Pauli agnoscit Ecclesia peculiarem concessionem Christi Domini ad dissoluendum matrimonium etiam consummatum in fauorem Baptismi; qua de re legi potest Sanchez *citato num.*4.cum multis, quamuis aliqui putent dissolui iure Pontificio sic interpretante ius Diuinum; probabilius tamen credo nullam esse potestatem in Ecclesia dissoluendi matrimonium consummatum etiam non baptizatorum. Vnde verba illa Pauli *cæteris ego dico non Dominus*; solùm referuntur ad verba immediatè sequentia; in quibus dat consilium baptizatis non dimittendi coniugem infidelem consentientem cohabitare pacificè, non verò referenda videntur ad illa valdè procul posita. *Quod si infidelis discedit,discedat;non enim seruituti*,&c.

Sanchez cum multis. Quidam putant fieri iure Pontificio. Probabilius est esse à Christo.

447. *Causa huius fauoris seu dispensationis.*

Huiusmodi autem priuilegii, seu dispensationis Christi causa fuit necessitas, quâ adstringitur

gitur fidelis ad separándum se à suo coniuge, quando infidelis coniux non vult cohabitare sine prædictis incommodis ; tunc enim meritò Christus in fidei fauorem instituit, integrum esse fideli dissoluere matrimonium, & cum alia contrahere, neque enim voluit Christus quempiam obligare absque propriâ voluntate, & culpâ ad cælibem vitam ducendam, quam ducere teneretur, si ex vno capite non posset habitare cum infideli propter prædictum periculum, & ex alio capite non posset matrimonium dissoluere, & cum aliâ contrahere. Quod inconueniens etiam sequeretur, si, quando infidelis discedit & non vult cohabitare cum fideli, teneretur fidelis à nuptijs abstinere.

448. *Discessus prædictus nõ solum physicus, sed moralis sufficit.* Vnde meritò Ecclesia ex illis verbis, *Quod si infidelis discedit, discedat* colligit conuersum, seu iam baptizatum posse dissoluere matrimonium, quando infidelis, aut physicè aut moraliter discedit, id est, quando re ipsâ non vult, nisi cum iniuriâ creatoris, aut cum intentione pertrahendi alterum ad peccatum mortale, hâc enim ratione moribus suis cogit alterum discedere.

DVBITATIO XXXVI.

An fidelis possit dissoluere matrimonium, quando infidelis non vult conuerti, etiamsi velit habitare absque iniuria creatoris?

449. *Prima sententia affirmans posse probabilissima est.* Bellarmin. Coninc. *Alij Recentiores.* PRima sententia docet posse dissoluere, quæ sententia probabilissima est, eamque docet Bellarminus *lib.1. de matrimon. cap.12.* Coninc *disp.26.dub.5.* & alij Recentiores, quorum fundamentum est locus ille *1. ad Corinth.7.* quod scilicèt Baptizatus non dimittat coniugem non baptizatum volentem cohabitare pacificè, nempè absque iniuriâ creatoris explicatâ, vbi putant Paulum tantum dedisse consilium non præceptum, idque putant colligi ex contextu, docetque Augustinus *1. de adulterinis coniugiis cap.13. & 18.* Potest ergo coniux baptizatus dimittere non baptizatum, etiamsi pacificè velit cohabitare. Putant verò hi Auctores dimissionem, de quâ ibi loquitur Paulus, esse absolutam quoad vinculum, non secùs, atque absoluta est discessio, de quâ idem Apostolus posteà loquitur, dum ait : *quod si infidelis discedit, discedat*, scilicèt fidelis : suppositum enim illius verbi discedat est fidelis conuersus baptizatus : ergo in tali casu potest dissoluere matrimonium, & aliud inire. Legatur Coninc *suprà n.61.*

Ratio 1. Ex 1. ad Corinth. 7. Augustin.

450. *Ratio 2.* Secundò probari potest hæc sententia, quia eo ipso quod infidelis nolit conuerti, & baptizari, est contumelia creatoris : ergo, quamuis velit cohabitare pacificè quoad cæteta, non vult cohabitare absque contumeliâ creatoris, ac proinde conuersus poterit matrimonium illud dissoluere, & aliud inire.

451. *Secunda sententia magis communis negat licere, nempe seclusa prohibitione saltè Ecclesiæ.* Secunda sententia multò magis communis docet non licere dissoluere. Quæ sententia intelligenda est seclusâ prohibitione, quâ prohibeatur fidelis conuersus cohabitare cum infideli. Nam suppositâ prohibitione, aut lege etiam positiuâ Ecclesiâstica, quæ prohibeat cohabitare fidelem conuersum cum coniuge infideli, alia quæstio & difficultas est dubitatione sequenti examinanda.

452. *Status quæstionis præsentis in quo loquitur communior sententia.* Nunc ergo solum quærimus ; an quando infidelis vult cohabitare pacificè absque iniuriâ creatoris, & absque eo quod consortem pertrahat ad peccatum ex hoc præcisè capite, quòd non velit conuerti, abstrahendo ab hoc, quod est esse talem cohabitationem alioquin prohibitam, possit matrimonium dissoluere: atque in hoc casu videtur loqui communis hæc sententia, scilicèt, non eo ipso, quòd non velit conuerti, posse fidelem dissoluere matrimonium. *Fundamentum huius sententiæ.* Fundamentum est, quia facultas dissoluendi matrimonium concessa baptizato est illa, quæ deducitur ex illis verbis Pauli; *si discedit, discedat.* Inde enim eam deducit Ecclesia in citato *c. Quanto* & c. *Gaudemus* de *Diuortiis.* Ex illis autem verbis solùm deducitur, quando infidelis non vult cohabitare absolutè; tunc enim physicè discedit, aut quando non vult cohabitare, nisi cum contumeliâ creatoris, vel pertrahendo ad peccatum; tunc enim discedit moraliter; quia tunc non potest baptizatus cohabitare cum infideli, sed cogitur ab illo discedere, quicunque verò alius casus expressè excluditur *in c. Gaudemus*, & implicitè saltem *in c. Quanto*, absque vllo ergo fundamento, imò contra interpretationem Ecclesiæ adhibitam illis verbis Pauli, affirmatur ex eo præcisè, quòd infidelis non velit baptizari & conuerti, etiamsi alioquin velit pacificè cohabitare, posse dissoluere matrimonium, quia ex eo præcisè, quòd non se conuertat, non afficit contumeliâ creatorẽ, neque intendit pertrahere alterum ad peccatum mortale alioquin Paulus non consuleret baptizato, vt non dimitteret coniugem infidelem, etiam non volentem se conuertere, quando pacificè vult cohabitare, cùm tamen, saltem consilium non discedendi, det *in cit. c.7.* Potest autẽ infidelis siue coniux sit, siue Dominus cum seruo habitans, aut cum coniuge habitare, nihil dicendo, vel efficiendo, quod cedat in iniuriam creatoris, neque intendendo verbis, aut factis alterum pertrahere ad peccatum mortale, aut re ipsâ ad id pertrahendo; imò in illis capitibus iuris supponitur infidelem, qui non vult se conuertere, posse cohabitare cum baptizato absque contumeliâ creatoris, vel absque intentione pertrahendi, & absque actuali ipsâ pertractione ad peccatum mortale, eo ipso, quòd dicitur conuersum ad fidem posse discedere, seu dissoluere matrimonium, quando infidelis non vult cohabitare sine prædictis inconuenientibus, alioquin frustra adderet Ecclesia ex doctrinâ Pauli sic intellectâ, & explicatâ illam quasi restrictionem scilicèt pro casu quo nolit cohabitare sine iniuriâ creatoris, aut pertrahendo ad peccatum ; si enim semper eo ipso, quòd non vult conuerti, liceret matrimonium dissoluere, absolutè dixisset Ecclesiâ posse fidelem dissoluere matrimonium, & discedere ab infideli manente in infidelitate, & nolente conuerti. Signum ergo est non eo ipso præcisè, quòd non velit conuerti, censeri nolle cohabitare cum iniuria creatoris. Arque ex hac doctrina solutum manet secundum argumentum præ-

Explicantur textus iuris Canonici.

Ex dictis manet soluta secunda ratio oppositæ sententiæ.

S.Thom. Bonauent. Durand. Paludan. Richard. *Alij antiqui apud Sanch.* Toletus. Valentia. Huttad. Perez. *Alij multi apud Sanch.* *Ipsemet Sanchez si recte intelligatur consentit.*

præcedentis sententiæ. Ideò huic secundæ tanquam probabiliori assentior, quam ex Theologis tenent D.Thomas *in 4. distinct.39. q. vnicâ art.*5.Bonauentura, Durandus, Paludanus, Richardus & alij antiqui apud Sanchez, item Toletus *lib.7. Summæ c.7.nu.*3. Valentia *tomo 4.disp.*10. *quæst.*1.*puncto* 7.& *in controuersijs lib.vnico de insolubilit.matrimon.*Quibus adde Hurtadum *disp.*8. *difficult.*11.Perez *disp.*36.*sect.*5.*num.*3.consentiunt etiam alij multi apud eundem Sanchez *lib.*7. *disp.*74.*num.*8.imò & ipsemet, si rectè intelligatur; sequitur hanc sententiam; quamuis enim *num.*9.*sequenti* sequatur sententiam aliorum asserentium posse fidelem dissoluere matrimonium; quando infidelis non vult conuerti ad fidem, loquitur, suppositâ prohibitione Ecclesiæ, qua prohibetur coniux fidelis cohabitare cum coniuge infideli: de quo casu dicemus *dub.sequenti* Ideò pro præsenti casu meritò referunt illum Hurtadus & Perez.

Meritò Hurtadus Perez illum pro se referunt.

453. *Ad primum argumentũ. Respõdetur.* Basilius.

Ad primum ergo argumentum desumptum pro priori sententia ex citato loco Pauli concedimus (quamuis probabiliter posset negari cũ Basilio *lib.9.cap.*4.) id,quod Paulus eo loco admonet, scilicet, baptizatum non dimittere coniugem non baptizatum, non fuisse dictum à Paulo tanquàm præceptum; sed tanquàm consilium, ac proinde esse licitum coniugem dimittere, non tamen ibi loqui Paulum de dimissione quoad vinculum, sed de dimissione quoad torum, & quoad habitationem;idque supponit Augustinus *cap.*18.*de Adulterinis coniugijs in fine.* Ex quo fit posteriorem discessionem de quâ loquitur posteà Paulus, esse discessionem, quoad vinculum, ita, vt matrimonium dissolui possit, & aliud iniri, quod non intelligitur de priori discessione aut dimissione. Idque videtur Paulus satis significare, dum reddens rationem posterioris discessus, ait *non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*; appellat autem seruitutem ipsum matrimonij vinculum, declarans in eo casu, scilicèt, quando infidelis discedit, siue physicè siue moraliter,non manere fidelem vinculo subiectum. Accedit, quòd Ecclesiâ in citatis Textibus illam facultatẽ dissoluendi matrimonium tantùm deducit ex illis verbis, *si discedit, discedat*, non verò ex eò, quod sit datum, tanquàm consilium à Paulo, quod conuersus fidelis non dimittat coniugem infidelem. Veniamus iam ad casum prohibitionis Ecclesiæ.

S.August.

Confirmatur solutio & doctrina.

DVBITATIO XXXVII.

An,suppositâ prohibitione cohabitandi cũ infideli coniuge,possit conuersus dissoluere matrimonium,& aliud contrahere, eo ipso,quòd non vult conuerti coniux infidelis,etiamsi velit pacificè cohabitare?

454. *Vnum supponit hæc dubitatio & alterum quærit.*

HÆc dubitatio vnum supponit, & alterum quærit, supponit enim esse prohibitionem, quâ fidelis prohibetur habitare cum infideli. Vtrum autem de facto sit talis prohibitio in Ecclesia non satis constitutum est apud Auctores. Nam Rebellus *lib.3. quæst.*10. *sect.*1. putat non esse de facto prohibitionem aliquam,quia neque est prohibitio introducta per consuetudinem, quin potiùs oppositum seruatur in Indiâ, & in Iaponiâ, neque etiam constat scripto aliquo authẽtico.Præterea in Canone *Iudæi* 28. *quæst.*1. qui desumptus est ex Concilio Toletano 4. *cap.*62. in quo solo aliquod vestigium prohibitionis reperitur, solùm statuitur Iudæos habentes vxores Christianas, separandos esse ab illis, nisi ab Episcopo admoniti conuertantur; in eo tamen Canone nihil dicitur de viris fidelibus; sed tantùm de vxoribus, quia facilius potest vxor ab illo peruerti, quàm è contra, nec sermo est de quocunque infideli, sed tantùm de Iudęis ob eorum vel peculiarem obstinationem, vel astutiam, & fortè, quia non tantùm discedit à nostra fide, quantùm Gentium idololatria. Neque etiam præcipitur vxori,quod à Marito Iudæo statim discedat, sed tantùm postquam Episcopus mouerit, & Iudæus noluerit baptizari, quod iudicium & sententiam Iudicis postulat. Accedit quòd illud Concilium ex quo desumptus est Canon, non est generale, sed Prouinciale, aut nationale; quod tantùm vim habet in proprio districtu.

Sitne talis prohibitio in Ecclesia? Negant alij. Rebell. Probat negando consuetudinem. Negando etiam ius scriptum. Explicat textum in contrarium ex Concilio Toletano.

Nihilominùs vt notat Coninch.*disp.*26. *n.*56. *in fine* praxis multis in locis, & Doctorum auctoritas probat esse tale præceptum, quamuis certâ lege scriptâ cautum non sit & sanè spectanda est cuiusque loci, aut Regionis consuetudo, imò & ratio postulare videtur diuerso modo id habere locum in Regionibus, in quibus nunc primò nascitur fides,vt in Indiâ,Iaponiâ, atque in alijs Regionibus,vbi fides est propagata. Ideò multi distinguunt tria tempora in nostris hisce Regionibus, quæ suâ proportione locum habere possunt in alijs; aiunt enim primis 600.annis nascentis Ecclesiæ, quo tempore multi & facilè conuertebantur ex infidelibus ita,vt spes esset coniugem infidelem per fidelem esse conuertendum, quo tempore etiam gratia dabatur amplior, & fidelium feruor erat maior, nec adeò timendum quòd fidelis ab infideli coniuge peruerteretur, tunc ergo putant fuisse consilium, quod fidelis coniux maneret cum infideli, quamdiu affulgebat spes conuersionis, quamuis tunc etiam esset liberum discedere, & iuxta hunc sensum intelligendus est Apostolus 1. *ad Corinth.*7. dum dat consilium non discedendi, de quo diximus dub. præcedenti, & ita docet Augustinus *lib.*1.*de Adulterinis coniugijs c.*13.& 18.quem ibi retulimus.

Cõfirmatur infirmando auctoritatẽ Concilij non Generalis Valentis in suo tantum districtu.

455. *Praxis & Doctorum auctoritas praceptum probat,licet non constet scripto. Spectanda Regionum consuetudo, & ratio pro illarum diuersitate, & tempora varia. Tria tempora distinguenda. Primum tempus.*

S.Augustin.

Secundum tempus fuit aliquorum annorum post prædicta tempora,nempe,vt multi arbitrantur, vnius sæculi aut etiam duorum, in quibus licuit fidelibus conuersis manere cum infidelibus coniugibus, qui sæpe conuertebantur, exceptis tamen infidelibus Iudæis,qui censebantur multò magis obstinati, & multò magis periculosum fidelibus cum eis agere, & eò fortasse respexit Canon ille *Iudæi* citatus *ex Concilio Toletano* 4.desumptus & illud quod ibi decretum fuit,pluribus alijs in locis vel receptum posteà creditur, vel etiam scriptum, licèt Scriptura non extet.

456. *Secundum tempus.*

Tertium denique tempus fuit reliquum vsque ad nostrum tempus,in quo Doctores communiter

457. *Tertium tempus.*

muniter putant esse hanc prohibitionem, ratione cuius non licèt fideli conuerso cohabitare cum coniuge infideli. Quâ prohibitione suppositâ siue vbique vigeat, siue in aliquibus solùm Regionibus (in quo nihil certi possumus dicere; sed standum erit consuetudini receptæ) quærimus nunc, an liceat dissoluere matrimonium quoad vinculum coniugi fideli, etiamsi coniux infidelis velit pacificè cohabitare?

Ex dictis explicatur status præsentis controuersiæ.

458. *Prima sententia negat posse dissolui.* Hurtad. Paludan. Toletus. Valentia. *Auctores supra relati. Alij apud* Sanchez. *Non tamen omnes plene id docent.*

Prima sententia est, non posse dissolui tale matrimonium. Pro hac sententiâ referunt Auctores aliqui Recentiores, in quibus Hurtado, qui illam sequitur *disp. illa 8. diff. 12. num. 44.* plures alios, inter quos Paludanum, Toletum, Valentiam, & illos omnes Auctores, quos retulimus *dubitat. præcedenti* pro nostrâ sententiâ & alios quos refert Sanchez *lib. 7. disput. illa 74. num. 8.* qui tamen multi & in magna copia relati ibi non possunt omnes plenè referri pro hac sententia, neque enim de pleriſque constat loqui in hoc casu suppositâ prohibitione cohabitandi, sed absolutè affirmant non posse dissolui, quando infidelis vult cohabitare absque iniuriâ creatoris, & absque pertractione ad peccatum. Auctores autem sequentis sententiæ, vt videbimus putant eo ipso, quod infidelis non velit conuerti, esse impossibile cohabitare sine pertractione ad peccatum suppositâ prohibitione, etiamsi, prohibitione seclusâ, concedi posset casus, in quo infidelis cohabitaret absque iniuriâ creatoris, aut pertractione ad peccatum. Auctores verò huius primæ sententiæ, nisi admodum pauci non expresè loquuntur suppositâ prohibitione; sed absolutè in casu, quo infidelis cohabitat pacificè.

459. *Probatur predicta sententia.*

Hæc ergo sententia, cuiuscunque sit, probari potest ex eo, quod Christus non dederit potestatem conuerso dissoluendi matrimonium, quando infidelis cohabitat cum conuerso perseuerans in sua infidelitate, sed tantùm quando non vult cohabitare cum ipso conuerso, aut, quãdo cohabitat cum iniuria creatoris, seu pertrahendo conuersum ad peccatũ mortale; nullo modo autem concessit Christus eam facultatẽ ex eo præcisè, quòd infidelis cohabitans in suâ infidelitate perseueret, neque enim ea perseuerantia sufficit ad matrimonium dissoluendum, alioquin posset præcisè ex eo, quòd infidelis perseueret, siue cohabitet, siue non cohabitet, matrimonium dissolui; quod putant contra doctrinam Pauli, ex qua Ecclesia prædictã concessionem Christi deduxit: Paulus enim supponit infidelẽ posse permanere in suâ infidelitate, quin eo ipso discedat physicè, aut moraliter discessione sufficiente, vt conuersus possit dissoluere matrimonium. Præterea Ecclesia *in c. Quanto* & *c. Gaudemus* de *Diuortiis* (quos Textus expendimus *dub. præcedenti*) supponit posse infidelem perseuerantem in infidelitate cohabitare cum cõuerso absque eo, quòd is possit dissoluere matrimonium. Discessio ergo moralis ex parte infidelis cõsistens in contumeliâ creatoris, aut in prouocatione ad mortale, sufficiens ad dissolutionẽ matrimonij non est cõtumelia, aut prouocatio orta immediatè, & præcisè ex cohabitatione permanẽdo in infidelitate; sed ex alio actu distincto & superaddito ipsi cohabitationi, & permanentiæ. Pluribus *alijs* argumentis probari posset prædicta sententia; sed omnia ad prædictũ fundamentũ generale reuocantur, quòd Christus scilicèt non dederit facultatem dissoluendi matrimonium solùm propter præcisam perseuerantiam in infidelitate; si alioquin non sit iniuria creatoris, aut prouocatio ad peccatũ. Ideò cætera argumenta omitto, quia si hoc pro præsenti casu prohibitionis Ecclesiæ eneruetur, cætera corruunt.

460. *Secunda sententia probabilior suppositâ prohibitione licere ex vi concessionis Christi. Auctores pro nobis citati dub. præcedente.* Bellarmin. Coninc. *à fortiori.* Sanchez. Rebellus. Henriq. Basilius. Perez. *Alij multi apud Sanchez.*

Secũda sententia (quam ego verissimã puto, etiamsi præcedens sit probabilis) est, suppositâ prohibitione prædictâ, licere dissoluere matrimonium ex vi illius concessionis Christi, quæ colligitur ex Pauli verbis sæpè citatis. Ita docẽt Auctores relati *dub præced.* pro prima sententia, nempe Bellarm. & Coninc, in qua sententia cõprehẽditur hæc; si enim abstrahendo à tali prohibitione ex solâ perseuerantia in infidelitate, potest fidelis dissoluere matrimonium, potiori ratione poterit suppositâ prohibitione cohabitandi. Præter illos etiam tali prohibitione suppositâ, hanc sententiam sequitur Sanchez *citatâ illâ disp 74. num. 9.* Rebellus *lib. 3. quæst. 10. sect. 2.* Henriquez *lib. 11. c. 8.* Basilius *lib. 9. cap. 4 num. 22.* seu vt refert & sequitur Perez *disp. 36. sect. 6. numer. 3. lib. 7. cap. 48. num. 21.* & alij multi apud Sanchez, qui rectè probat hanc sententiam, quam sic breuiter probo.

461. *Probatur ex citatis verbis Pauli.*

Ex citatis verbis Pauli colligitur tunc fidelem non esse subiectum seruituti prioris matrimonij, quando infidelis discedit; tunc autem, vt Ecclesia interpretatur, censetur discedere, quando vel omnino non vult cohabitare, vel talem cohabitationem elegit, quæ fideli sit illicita *iuxta c. Quantum* & *c. Gaudemus*, atqui suppositâ prohibitione, quâ fideli non licèt cohabitare cum infideli coniuge pertinaci in infidelitate, censetur infidelis re verâ discedere, & fidelem relinquere ex eâ solùm perseuerantiâ in infidelitate: ergo propter illam perseuerantiam licebit matrimonium dissoluere, Minorem probo; quia eo ipso quòd fidelis, & infidelis cohabitent suppositâ prohibitione, fidelis peccat; huius autem peccati causa est ipsa perseuerantia infidelis in suâ infidelitate: ergo tunc censetur moraliter discedere infidelis eo ipso, quòd non vult habitare, nisi eo modo, quo peccet mortaliter fidelis admittendo illum; in casu autem, quo sic peccat fidelis, & sic discedit infidelis, licet ex concessione Christi (iuxta interpretationem Ecclesiæ in verbis Pauli declaratam) matrimonium dissoluere: ergo nunc licebit.

462. *Confirmatur & declaratur.*

Confirmatur & declaratur, quia, quãuis Paulus solùm expresè loquutus fuerit de discessu physico, quando infidelis renuit cohabitare; Ecclesia nihilominùs rectè intulit inde alios duos casus, pro discessu morali, nempe, quando non vult habitare sine contumelia Dei, vel pertractione ad peccatum; tunc enim censetur moraliter discedere infidelis, cùm solam cohabitationem amet, quę fideli est interdicta; sed suppositâ prohibitione cohabitandi cũ infideli, eo ipso, quòd velit infidelis permanẽs in infidelitate cohabitare cohabitatione prohibita fideli, est causa peccati, quod cõmittit fidelis habitãdo

cum illo,& cum teneatur fidelis non cohabitare, eo ipso censetur modo prædicto discedere infidelis,ergo tunc licebit dissoluere.

463. Probatur secundò quia, si non liceret tunc
Probatur 2. fideli dissoluere matrimonium, subiectus esset seruituti prioris matrimonij absque suâ culpâ, cùm tamen Paulus dicat. *Non enim*
464. *seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.*
Probatur 3. Tertiò, quia ideò concessit Christus priuilegium dissoluendi matrimonium, ne fidelis coactus discedere propter iniuriam creatoris, aut prouocationem ad peccatum compelleretur absque suâ culpâ vitam cælibem traducere, &, ne timore continentiæ seruandæ retraherentur fideles à fide suscipiendâ; quæ ratio locum habet in nostro casu suppositâ prohibitione, quia quoties infidelis non vult conuerti,cogitur fidelis ab eo diuertere; quod si non possit aliam ducere,cogetur absque suâ culpâ continentiam seruare, & in cælibatu permanere: ergo eâdem ratione locum habet priuilegium Christi in nostro casu,atque in reliquis.

465. Respondent ex aduersarijs nonnulli hanc
Quorundã responsio. coactionem, quâ conuersus in casu dictæ prohibitionis cogeretur vitam cælibem transigere non tàm esse ab infideli, quàm ab Ecclesiâ cohabitationem prohibente, imò tantùm esset (inquiunt) per accidens, sicut quod ipsa prohibitio existat. In coactione autem contingente, & per accidens nullum est inconueniens;idque putant significari *in c. Quanto* de *Diuortiis.*

466. Hæc tamen responsio nullius momenti est, nam coactio illa in eo casu non minùs proueniret ab infideli, quàm in cæteris aliis casibus; quia,si ex eo dicitur illam coactionem non prouenire ab infideli, quia non cogeretur ab illo discedere, nisi Ecclesia prohibuisset cohabitationem cũ infideli, etiam alioquin pacificè cohabitante, sequeretur eodem modo posse dici, nunquàm dissolui posse vinculum, quoties infidelis coniux solùm pertraheret ad peccatum contra præceptum positiuum maximè Ecclesiasticum v.g. etiamsi coniux pertraheret fidelẽ coniugem ad non seruanda ieiunia,vel ad non seruandum aliquod mandatũ Superioris,etiam sub excommunicatione, non censeretur iuxta aduersarios illũ pertrahere ad peccatum per se, sed tantùm per accidens, idq; maximè,quando non ex intentione pertrahendi ad peccatum; sed ex alio capite ad id cogeret,quod peccatum est propter præceptum positiuum,vt,si cogeret non seruare ieiunia,non vt coniux peccaret,sed vt minus expenderet non parando diuersos cibos pro coniuge; in iis enim casibus illa prouocatio per accidens iuxta aduersarios diceretur prouocatio ad peccatũ;quia nisi Ecclesia id præcepisset,aut prohibuisset,non esset peccatum id facere,aut omittere,atq;adeò nec pertractio illa cõiugis esset pertractio ad peccatum, sicut in nostro casu cohabitatio fidelis cũ infideli nõ esset peccatũ nisi ab Ecclesiâ fuisset prohibitũ;ergo,si in illo casu nõ audebunt aduersarij dicere infidelem tãtùm per accidens esse causam peccati in cõiuge fideli, & nõ licere dissolui matrimonium,etiã in nostro casu dicere non debent. Imò eodẽ modo philosophãdũ esset in peccatis cõtra ius naturale, aut contra ius positiuum diuinũ,quia,nisi opus aliquod esset tali iure præceptũ,aut prohibitũ,pertractio ad faciendum vel omittendũ tale opus nõ esset ad peccatũ, atque adeò per accidens diceretur coniux infidelis ad id pertrahens,pertrahere ad peccatũ.Quapropter ita philosophandũ est in hac re,quantùm ad nostrũ casum, & ad quælibet alia præcepta positiua affirmatiua, vel negatiua, vt per accidens quidẽ sit,quod tale præceptũ ponatur;semel autẽ posito præcepto, nõ sit per accidens sed omnino per se, quod prouocatio ad id, quod præcepto opponitur, sit prouocatio ad peccatũ, ac proinde in nostro casu, etiãsi per accidẽs fuerit, quod posita sit ab Ecclesiâ talis prohibitio cohabitandi cũ coniuge infideli;semel autem positâ prohibitione,nõ est per accidẽs,sed omnino per se,quod cõiux infidelis renuens se cõuertere cogat suum coniugem ad vnum è duobus,scilicèt, vel ad cohabitandum cum illo non cõuerso, ac proinde ad existendum in peccato,vel ad transigendam vitam cælibem,nisi priuilegiũ Christi ad nostrum casum se extendat. Itaque potest Ecclesia suo præcepto facere,vt talis cohabitatio sit peccatum; semel autem positâ tali prohibitione,quâ fiat cohabitatio peccatum, ex naturâ rei resultat casus ipse, pro quo Christus concessit tale priuilegium.

467. Ex tradita doctrina colligitur 1. (vt rectè
Colliguntur quædam ex dictis. Sanchez *suprà n.*10. *& alij*) etiam admisso nostro
Colligitur 1. ex Sanchez & aliis. casu,non dicendum esse,quòd mutatum sit priuilegium Christi, aut extensum ad alios casus, quàm ad illos,pro quibus fuit concessum; nam à principio concessum fuit pro omnibus illis euentibus, in quibus illicita esset coniugi fideli habitatio cũ infideli permanente in infidelitate: tũc enim cẽsetur infidelis recedere iuxta dicta. Cũq; iã interdicta sit habitatio,vt supponimus, etiamsi infidelis velit habitare pacificè modo explicato, iam adest casus, pro quo Christus priuilegium concessit. Explicat hoc optimè Sanchez exemplo matrimonij clandestini, quod olim validum erat, & nunc est vbi Tridentinum non viget; iam verò post Tridentinum est irritum, non per aliquam materiæ,
Explicatio Sanchezij optima à simili. vel formæ Sacramenti mutationem (in hoc enim nihil potest Ecclesia) sed per mutationem consensuum legitimorum; qui, si non sint legitimi, vtpote irritati ab Ecclesiâ, eo ipso desinit esse contractus, & hoc desinente desinit esse id,quod Christus assumpsit. Vnde,sicut, licèt Ecclesia non possit mutare materiam & formam Sacramentorum, quia tamen potest facere, vt consensus, qui sufficiebant ad contractum, non sint sufficientes sub tali circumstantia; Christus autem instituit pro materia Sacramenti contractum ipsum, & inde fit, vt eo ipso desinat esse materia assumptibilis, vt sic dicam ad Sacramentum; pari ratione, licèt Ecclesia non possit efficere, vt matrimonium dissoluatur in tali aut tali casu, sed solùm dissolui possit pro casu, in quo Christus id concessit; quia tamen Ecclesiâ præcepto suo potest facere, aut constituere casum illum scilicèt,quòd talis cohabitatio sit peccatum, & Christus dedit priuilegium dissoluendi matrimonium pro casu, quo cohabitatio sit peccatũ, (tunc enim censetur moralis discessus) inde fit,

vt

vt eo ipso, quod Ecclesia prohibet, & facit vt cohabitatio sit peccatum; adsit iam casus, pro quo Christus concessit priuilegium absque vllâ mutatione ipsius priuilegij.

468. *Colligitur 2.* Colligitur secundò. Ad prædictam matrimonij dissolutionem, ex eo quod infidelis renuat conuerti, siue (etiam iuxta aliam opinionem) ex eo quòd non velit habitare sine Dei contumeliâ, vel pertractione ad peccatum, non esse necessariam Iudicis sententiam, sed illâ non expectatâ posse ad alias nuptias transire. Constatque ex *c. Quanto* de *Diuortiis* & *c. finali* 28. *quæst.* 2. vbi habetur contumeliam creatoris soluere ius matrimonij ex parte eius, qui relinquitur, eique licere ad alias nuptias transire. Præterea cùm huiusmodi priuilegium sit concessum à Christo, vt diximus, sequitur, quòd sicut priuilegium, quod est iure concessum ab eodem extraordinariâ potestate, quam dedit Pontifici, vt per professionem dissoluatur matrimonium ratum, non requirit sententiam iudicis (vt Auctores consentiunt & praxis declarat;) multò potiori ratione non requiratur ad hanc dissolutionem, cùm non constet esse vel decretum, quo statuatur talis dissolutio, vel declarationem talis priuilegij & concessionis ita fuisse commissam iudicibus Ecclesiasticis à Christo, vt eorum sententia debeat expectari. Legatur Sanchez *loco citato*, qui pro hoc Corollario plures refert contra Turrecrematam à se relatum *num.* 11.

Probatur ex iure Canonico.

Sanchez in hac re legendus.

469. *Limitatur data doctrina vt requiratur ad licitè dissoluendum sententia Ecclesiæ, si matrimoniũ sit publicum & causa dissoluendi occulta. Sanchez & alij.* Non negauerim tamen cum eodẽ Sanchez, & alijs, quos refert, tunc necessariam esse sententiam Ecclesiæ quando matrimonium est publicum, & causa dissolutionis occulta, non quidem vt talis dissolutio valeat, & aliud matrimonium initum firmum sit; sed, vt ritè rectèque factum esse iuridicè constet, & scandalum vitetur; sicut quando adulterium est occultum, & ex diuortio oriretur scandalũ, exigitur iudicis sententia, vt licitè fiat. Quod tamen absque eâ factũ validum esset, imò & ritè etiam fieret, si absque sententiâ iudicis scandalo occurreretur, & à fortiori requireretur sententia, vbi pro vtraque parte sunt rationes probabiles; tunc enim necesse est vt iudex expendat rationes vtriusque partis, iisq; expensis sententiam proferat, ne sequatur scandalum, aut ne sequatur bellum iustum ex vtrâque parte; quod multi putant maximum inconueniens; de quo alibi diximus, & *in Tract. de Legibus* iterum dicemus.

Item si pro vtraque parte sint rationes probabiles.

470. *Colligitur 3. monendum esse alterum coniugem.* Colligitur 3. necessarium esse monere infidelem coniugem, an velit cohabitare sine cõtumeliâ creatoris, & pertractione ad peccatũ, & suppositâ prohibitione cohabitandi cum coniuge infideli, interrogandus est, an velit conuerti, ipso autem renuente legitimã cohabitationem, licebit matrimonium dissoluere, & ad aliud transire. Ita cum multis Sanchez *n.* 12. qui rectè hoc requisitum temperat, nisi aliunde constet obstinatio infidelis nolẽtis prædicta præstare; si enim hoc constet superuacanea erit talis interrogatio, cùm aliunde oriatur certitudo moralis, ratione cuius tantùm necessarium erat interrogare. In quo etiam consentit Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *c.* 5. *nu.* 26. & constat ex motu Pij V. vbi quæsitus circa Indos nouæ Hispanię quid faciendũ esset in multis casibus, in quibus conuersi ad fidem relictis coniugibus infidelibus, de quibus latebat, an aliqui essent superstites, non poterant illos inuenire? Respondit Põtifex eos in matrimonio post conuersionem inito persistere debere. Rationẽ reddit Vasq *supra* & ex eo Sanchez *n.* 13. referens Nauarrum, & Henriquez, qui id ipsum affirmant, & alios, qui probabile putant, quia nimirum præsumebatur fore, vt coniuges illi, qui ab Indis recens conuersis inueniri non poterant, nollent conuerti, aut habitare legitimè, & ideò Pontifex iudicauit posse dissolui prius matrimonium integrumq; esse conuersis ad fidem cum posterioribus coniugibus permanere.

Sanchez.

Alij multi. Excipe nisi aliunde constet esse obstinatum.

Vazquez. Pius V.

Ratio. Vazquezij. Sanchezij. Nauarri. Henriquezij & *aliorum.*

Vnde fit non esse opus monitione, quoties infidelis adeò distat, vt commodè requiri nequeat, quia moraliter certum est, vt res modò se habent, quòd ille nolet suos, suaq; relinquere, vt legitimè cohabitet, maximè cùm requisitio sit illa moraliter impossibilis. Ita ex citato motu proprio colligit Sanch. *n.* 14. & docent Ledesma & Henriqu. & Veracruz ibid. relati. Neque est eadem ratio de hac certitudine, & de illâ, quam debet habere vnus coniux etiã fidelis de morte alterius cõiugis fidelis, vt possit aliud matrimonium inire vt rectè contra Barthol. de Ledesm. & Vegam docet ibi Sanchez, dicentes quantũuis distet infidelis, & sit impossibilis monitio, eam esse necessariam, sicut, quamuis sit impossibilis certitudo mortis alterius coniugis eam esse necessariam, vt possit aliud matrimonium inire. Disparitas autem in eo consistit, quòd non præsumitur mors prioris coniugis, ac proinde eius certitudo præmittenda est; at verò, vt res modo se habent, iure præsumitur, ac moraliter certa est tã longè distantis infidelis obstinatio.

471. *Item non est opus monitione si nimium distat nec commode queat inueniri.* Sanchez. Ledesma. Henriq. Veracruz. *Occurritur obiectioni à simili. Sanchez rectè contra alios id docet.* *Disparitas inter prædicta.*

Obijcies, nemo præsumitur malus, nisi probetur: ergo nõ debet obstinatus præsumi infidelis ille, donec requisitus ostẽdat, suã obstinationẽ.

472. *Obiectio.*

Respondetur ipsam distantiam locorũ, difficultates & circumstantias, quæ concurrunt habitâ etiam ratione miseriæ, & imbecillitatis humanæ, quâ non facilè homines auitam religionem deserunt, & in longinquas partes concedunt, tantùm ducti affectu Religionis alienæ, & monitionis factæ à procul existentibus, esse sufficientia signa, & probationem, vt præsumatur, & credatur persistens in suâ infidelitate.

473. *Respõdetur.*

Item sufficit facto ipso ostendere infidelem suam volũtatem persistendi in infidelitate, quia voluntas etiam factis sicut verbis declaratur *L. Paulus* ff. *rem ratam haberi* vt ex Menoch. probat idem Sanchez *n.* 15. exemplum adhibet in infideli ineunte aliud matrimonium, quo facto (quantumuis inualidè) satis declarat suam voluntatem.

474. *Sufficit si obstinatio facto ipso ostendatur. Ratio ex iure.* Sanchez. Menoch.

Rectè verò admonet Sanch. ex Abulẽsi, quod si fortè vxor infidelis repudiata iam erat à viro, qui conuertitur, & ideò alij viro nupserat, teneri adhuc priorem virum posteà ad fidẽ conuersum, monitionem præmittere, quia matrimonium illud ex necessariâ repudij causâ initum cum posteriori coniuge non explicat voluntatem infidelis renuentis legitimã cohabitationẽ. Idemque iudicium est, quando vxor illa repudiata alteri nuberet post viri prioris conuersionem, tunc enim, cùm infidelis putet solutum

475. *Limitatur proxima doctrina ex Abulensi & Sanchez.*

esse matrimonium priùs ratione repudij, & ideò alias eligat nuptias, non satis explicat liberam voluntatem recedendi à priori viro. Ita Sanchez supra. atque id maximè verum puto, quando inuita fuit repudiata femina & adhibuit media, ne repudiaretur; tunc enim præsumi facilè potest voluntas persistendi in priori matrimonio,& cohabitandi legitimè. Ideò necessaria erit interrogatio.

476. *Adhuc alius duplex casus, in quo requiritur interrogatio.*

Vnde à fortiori ex præcedenti doctrinâ colligitur necessaria interrogatio, quando fidelis conuersus esset dubius de infidelis obstinatione, tunc enim præmittenda est monitio, quâ certior reddatur. Item quando solùm mouetur præsumptione, si causa præsumpta verè nõ subsistat, vt, si præsumatur infidelis nolle cohabitare legitimè, & re ipsâ vult, tunc matrimonium secundum erit nullum, nisi præcesserit dispensatio Papæ, quæ sufficiet, cum possit ex iustâ causâ, qualis est hæc in matrimonio rato, & legitimo dispensare illudque dissoluere. Sufficiet autem nuntius certus, & fide dignus, qui per verba verosimilia deponat de coniugis obstinatione. Sic præter Sanchez *n.6.* docet Bartholom. de Ledesma *de matrimon. dub.56. conclus.*8. Vega *2.tom.Summæ c.*34.*casu* 151. Legatur Sanchez loco citato, qui duo aduertit.

Sanchez. Barthol. Ledesm. Vega.

477. *Duo aduertenda ex Sanchez contra Hostiensem, Ancarranum, & alios.*

Primum contra Hottiensem, Ancarranum, & alios, non esse necessarium præfigere terminum auctoritate Ecclesiæ, vt conuertatur, quia cum hoc matrimonium solo Iure Diuino dissoluatur, non est necessarium aliquod iudicis ministerium. Pro quâ doctrinâ refert Sanchez Abbatem Angelum, Abulensem, & alios.

Primum nõ requiri terminum præfigi. Abbas. Angelus. Abulensis. *Alij.*

Non tamen ideo negandæ sunt induciæ ad conuersionem, si citra fraudem petat, tunc enim non contradicit; sed tempus deliberandi postulat. Ita Palacios *in 4. dist.39. disp. vnicâ* Sanchez *suprà nu.*18. qui cum alijs rectè aduertit, si procrastinauerit, non esse diutiùs immorandum, quin liceat fideli ad alias nuptias transire.

478. *Non tamen sunt negandæ ad conuersionem inducia.* Palatios. Sanchez.

Secundum, monet Sanchez sanum esse Consilium, licèt non necessarium, testes adhibere, dum infidelis monetur, aut renuit conuerti, seu legitimè cohabitare, vt, si fortè Lis intentetur, de valore matrimonij à fideli initi, possit probari legitima monitio, & renitentia. Idem docent alij multi apud Sanchez.

479. *Secundum aduertendũ, nec testes adhibere necesse est dum monetur, sed bonum esse cõsilium. Ita alij multi.*

Tandem aduerto cum Sanchez *supra num.*5. & cum Abulensi *1.Regum 8.quæst.*55. & sequitur Perez *disp.36.sect.4.num.22.* & alij posse contingere, vt infidelis licitè nolit cohabitare cum fideli, atque adeò non possit fidelis matrimonium dissoluere, nempe, quando fidelis est adulterij reus, siue tempore infidelitatis, siue post conuersionem, nec Adulterij iniuria sit remissa ab innocente. Tunc enim, si ratione adulterij diuerteret infidelis, non posset fidelis prius matrimonium dissoluere, quia priuilegium Christi solùm concessum fuit in gratiam conuersi, ne absque suâ culpâ cogeretur cælibem vitam ducere. In hoc autem casu non cogitur propter fidem susceptam; sed propter suam culpam adulterij commissi, cuius ratione infidelis iustè diuertit: ergo non est cur fidelis possit dissoluere matrimonium. Confirmatur, quia tunc infidelis recedens non delinquit contra legem matrimonij; imò ipsâ concedente diuertit.

480. *Aduertendum vlterius.* Sanchez. Abulensis. Perez. *Nota pro praxi. Ratio.*

Confirmatur.

Quod si contingat, etiam infidelem in Adulterium incidere, vel condonare iniuriam adulterij commissi à fideli, tunc locum habebit generalis doctrina, poteritque fidelis dissoluere matrimonium, si infidelis physicè discedat, aut moraliter, nolens cohabitare legitimè.

481. *Exceptio, qua posita generalis doctrina ibi cum habet.*

DVBITATIO XXXVIII.

Quando dissoluatur matrimonium conuersi fidelis cum infideli nolente cohabitare absolutè, aut nolente cohabitare legitimè?

PRima sententia docet matrimonium dissolui, simul ac licitum est conuerso aliud inire, etiamsi nondum ineat, atque adeò cum primum infidelis renuit cohabitare physicè, aut legitimè. Ita Richardus *in 4.dist.39. art.2.qu.2.* Panormitan. *id c.Quanto* de *Diuortijs n.6.* Rodriquez *1.tomo Summæ in 2.edit.cap.230.in fine* Abulensis *1.Regum 8.quæst.30.* & alij multi apud Sanchez *lib.7.disp.75.num.2.*

482. *Prima sententia.* Richard. Panormit. Rodriq. Abulensis. *Multi apud* Sanchez.

Secunda sententia non multum differt, fatetur enim matrimonium dissolui à fideli, antequàm ipse fidelis aliud ineat; differt tamen à præcedenti sententiâ, quod illa statim putat dissolui, cum primum infidelis monitus renuit legitimè habitare: hæc verò secunda non, nisi quando auctoritate Ecclesiæ concesso termino, infidelis renuit legitimè habitare cum fideli. Addit, etiamsi transacto illo termino solutum sit matrimonium, si tamen infidelis conuertatur ante transitum fidelis ad alias nuptias, restituetur ille infidelis iure postliminij ad priùs matrimonium, & compelletur fidelis ipsum recipere, iterumq; contrahere cum illo. Si verò pendẽte adhuc compulsione ineat fidelis aliud matrimonium, putat id fore validum, quia prius fuerat omnino solutum. Ita Hostiensis Ioann. Andr. & Ancarran. *in c.Gaudemus* de *Diuortiis*, & alij apud Sanchez *suprà n.3.*

483. *Secunda sententia parum diuersa.*

Aliud quod addit hæc sententia difficilius.

Hostiensis. Ioan Andr. Ancharran. *Alij apud* Sanchez.

Tertia & vera sententia docet prædictum matrimonium non dissolui statim, ac licitum est conuerso aliud inire; sed, quando posterius aliud contrahitur ita, vt posterioris contractio sit prioris distractio, aut dissolutio. Ita Sanchez *supra num.4.* Coninc. *26.n.63.* Rebellus *lib.3 qu.10. sect.2.* Basilius *lib.9.c.4. & lib.7.cap.48. num.17.* Perez *disp.36.sect.7.num.2.* & alij multi Theologi & Iurisperiti apud Sanchez supra. Ratio videtur efficax, nam *c. Gaudemus* 8. de *Diuortiis* expressè habetur coniugem fidelem teneri alterum coniugem recipere posteà conuersum, antequàm ipse legitimum inierit matrimonium, cuius nulla ratio est alia, quàm quòd prius matrimonium non erat solutum; si enim solutum fuisset, non posset compelli ad recipiendum eum, qui verè coniux iam non est. Aliquas huius efficacis argumenti solutiones refert, & reiicit Sanchez, quæ; quia non magni momenti sunt, omitto, & apud ipsum videri possunt. Nec apparet quomodo potuisset reuiuiscere, si iam fuisset extinctum.

484. *Tertia & vera sententia negat statim dissolui sed quando alius initur contractus.* Sanchez. Coninc. Rebellus. Basilius. Perez. *Alij multi. Ratio petita ex iure Canonico.*

Obiicies

485. *Obiectio 1. ex iure Canonico & ex 1. ad Cor. 7.*

Obiicies pro aduersariis Canonem *si infidelis* 28. *quæst.* 2. vbi habetur contumeliam creatoris soluere ius matrimonij, idque videtur colligi ex illis verbis Pauli sæpe citatis 1. *Ad Corinthios.* 7. *Si discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Ex quo sic licèt argumentari. Si conuersus, quando alter discedit, siue physicè siue moraliter, non est subiectus seruituti, id est liber omnino est à seruitute, seu vinculo coniugij cum altero, sequitur tunc dissolui matrimonium; alioquin non esset liber à tali seruitute.

486. *Respõdetur.*

Respondetur in illo Canone. *Si infidelis*, ideò dici contumeliam Creatoris soluere matrimonium, quia, illâ perseuerante, non impeditur conuersus aliud contrahere; atque hac ratione intelligenda sunt verba Pauli, dum ait fidelem non esse subiectum seruituti; nempe; quia omnino potest, aliud ineundo matrimonium, illius præcedentis obligationem dissoluere.

487. *Obiectio 2.*

Obiicies secundò posterius matrimonium nequit validè contrahi perseuerante priori: ergo antequam posterius contrahatur, præsupponitur priùs matrimonium dissolutum.

488. *Respõdetur.*

Respondetur concedendo non posse contrahi posterius, nisi dissoluto priori, ac proinde priùs matrimonium non perseuerare in eo instanti, in quo posterius perficitur; perseuerare tamen vsque ad illud instans exclusiuè ita, vt, quando sit verum dicere *nunc existit primò matrimonium posterius, & immediatè antea non erat* sit etiam verum dicere, *nunc primo non est priùs matrimonium, & immediate anteà erat*: atque hoc commune est etiam in rebus physicis, quando vna forma in instanti inducitur primò in materiam, & ad eius ingressum excluditur alia repugnans. In quo nullum est inconueniens. Sic etiam professio solemnis dissoluit matrimonium ratum, & tale vinculum perseuerat vsque ad instans exclusiuè, in quo primò est verum dicere *nunc est facta professio, immediatè anteà non fuit*; tunc enim etiam verum est dicere, *nunc non est matrimonium, immediatè anteà fuit.*

Declaratur exemplo physico.

Item exemplo morali.

489. *Nonnulla colligenda pro praxi. Colligitur 1.*

Ex dictis pro praxi nonnulla colligenda sunt. Colligitur primò. Etiamsi Ecclesia declaret liberum esse fideli transire ad alias nuptias, non dissolui priùs matrimonium, donec de facto transeat, quia sententia Ecclesiæ non dirimit, sed declarat causam dirimendi. Ita Sotus *in 4. dist. 39. quæst. vnicâ art. 4.* Sanchez *suprà num. 5.*

Sotus. Sanchez.

490. *Colligitur 2.*

Colligitur 2. Si ante matrimonium secundũ contractum à fideli, infidelis transeat ad alias nuptias, eas fore irritas, ac proinde, si conuertatur ad fidem, debere separari ab illis, & restitui pristino coniugi. Priuilegium enim dissoluendi matrimonium non concessit Christus infideli, sed fideli in fauorem Fidei, vt habetur *c. Quanto*, de *Diuortiis & cap. finali* 28. *quæst.* 2. Ita Perez *suprà num.* 4. Sanchez *suprà numero 6.* Abulensis, Nauarrus, Henriquez & alij, quos ibi refert. Quamuis autem matrimonium claudicare nequeat quoad vinculum; sed eo dissoluto ex parte vnius dissoluatur ex parte alterius, non repugnat claudicare, quoad effectum & obligationem, vt videre est in coniuge adultero, qui non liberatur à vinculo, & obligatione cohabitandi, cùm tamen alter innocens liberetur ab eâ cohabitatione.

Perez. Sanchez. Abulensis. Nauarr. Henriq.

Alij apud illum.

Matrimonium licet nequeat claudicare quoad vinculum, potest quoad obligationẽ & effectum.

491. *Colligitur 3.*

Colligitur tertiò. Non dissolui matrimonium per alias nuptias ab infideli initas, cum irritæ sint, & nihil possint operari, vt cum multis docet Sanchez *num.* 7.

Sanchez.

492. *Colligitur 4.*

Colligitur quartò. Si infidelis adulter sit, & posteà conuertatur ad fidem, antequàm prior fidelis aliud inierit matrimonium, poterit quidem prior fidelis eum expellere ob adulterium; non tamen poterit ad alias nuptias transire. Primum constat *ex cap. Gaudemus citato.* Secundum probatur ex eo, quod iam cessauerit pertinaciæ coniugis infidelis. Ratione cuius pertinaciæ licebat dissoluere matrimonium. Ita Abulensis 1. *Regum* 8. *quæst.* 55. & 127. Bartholomæus à Ledesma, & Vega, quos refert, & sequitur Sanchez *num.* 8. qui etiam rectè num. 10. reiicit Innocentium cap. 4. num. vnico dicentem fidelem, qui ad aliud matrimonium transiit, eo quòd infidelis monitus legitimam habitationem renuerit, teneri soluto eo matrimonio per mortem alterius coniugis admittere in consortium coniugale priorem coniugem infidelem, si tunc ad fidem reducatur, quia soluto posteriori matrimonio cessat impedimentum admittendi coniugem conuersum. Quæ doctrina satis falsa est, eamque rectè impugnat Abulensis *suprà q.* 117. prius enim matrimonium solutũ omnino fuit; ac proinde non est cur cogatur fidelis illi stare. Accedit, quod *c. Gaudemus* solùm dicitur compellendum fidelem ad recipiendũ infidelem iam conuersum, quando prior fidelis nondum contraxit aliud matrimonium; tunc enim adhuc priùs matrimonium perseuerat: In præsenti autem casu dissolutum fuit: nec potest illum admittere, nisi nouo matrimonio inito, cum priùs fuerit extinctum; ad hoc autẽ nõ est, vnde cogatur. Omitto alia leuioris momenti, quæ videri possunt apud Sanchez *n.* 11. Illud aduerterim Fidelem conuersum & habentem ius dissoluendi matrimonium transeundo ad alias nuptias, interim, dum non transit si fornicetur peccare peccato adulterij, quia non dũ est dissolutum vinculum. Illud apparet difficilius. An, si inde in eo tempore intermedio concipiatur, & nascatur filius, is legitimetur per matrimonium subsequens? Ratio dubitãdi pro parte negatiua est, quia ille est filius adulterij, vt patet ex dictis, & adulterinus non legitimatur per subsequens matrimonium, vt suppono ex receptâ doctrinâ. Pro parte verò affirmatiuâ. Ratio est, quia tunc aliquis filius cẽsetur legitimabilis per subsequẽtes nuptias inter parentes, quãdo tẽpore vel Natiuitatis, vel cõceptionis poterat esse matrimonium legitimum inter illos, poterat autẽ in præsenti casu. Vtriusq; rationis dubitãdi fundamẽtum præbet caput *Tãta 6. qui filij sint legitimi.* Vbi principio dixit Alexand. Papa III. *Tanta est vis matrimonij, vt qui anteà sunt geniti post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Quod vt dicebam, locum habet, quando proles fuit suscepta à parentibus habilibus ad contrahendum matrimonium, vt ex eo textu & alijs supponit cum multis & docet Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp.* 44. in principio, & nos aliquid cum Molina & aliis diximus *in nostro opere de Iustitia & iure*

Abulens. Barth. Ledesma. Vega. Sanchez.

Reijcitur Innocent. 4. doctrina.

Abulens.

Aduertendum.

Dubium inde obortum.

Ratio dubitandi pro vtraque parte.

Fundamentum ad dubitandum pro vtraque parte habetur in iure Canonico.

Sanchez. Molina.

iure lib.2.tract.19. disp.1.num.331. ex quibus videtur probari pars affirmans esse prolem legitimam. In eodem verò capite subiungitur. *Si autem vir viuente vxore suâ aliam cognouerit, & ex eâ prolem susceperit, licèt post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* In nostro autem casu verum est quòd viuente vxore, quæ adhuc exstit vxor, donec dissoluatur vinculum, aliam cognouit & ex eâ natus sit filius, ergo spurius erit. In hac re nihil video ab auctoribus dictum, & mihi videtur problematicè posse alterutrum defendi. Aliquid simile potest afferri in filiis parentum habentium votum castitatis, vt equites S. Iacobi habent, & est probabile quòd filij sic suscepti sint naturales quoad hoc, quia votum illud Castitatis coniugalis non impedit matrimonium inter parentes, licut nec matrimonium in nostro casu dissolubile impedit aliud subsequens.

DVBITATIO XXXIX.

An matrimonium conuersi cum infideli contractum ante baptismum dissoluatur per solemnem professionem in Religione? aut per Sacros Ordines?

493. *Non in omnium sententia habet locum hæc dubitatio. In nostrâ locum habet. Status quæstionu exponitur.*

AVctores qui putant matrimonium statim dissolui, atque licitum est conuerso aliud inire, non dant locum huic dubitationi; quando enim fidelis profitetur, iam supponitur pertinacia alterius infidelis. In nostrâ autem sententiâ locum habet dubitatio, an sicut dissoluitur per nouum matrimonium conuersi, ita etiam dissoluatur per professionem solemnem illius? Non verò disputamus, quando matrimonium nondum est consummatum; tunc enim perinde potest dissolui, atque matrimonium ratum celebratum post Baptismum; est enim vel maior, vel saltem eadem ratio; solùm ergo quærimus de matrimonio consummato.

494. *Duplex probabilis sententia. Prima affirmans.* Sanchez. Henriq. Bonauent. Richard. Maior. Sotus. Palatius. *Alij multi. Communis sententia. Probatur à simili. Confirmatur 1.*

Duplex est sententia satis probabilis; Primam affirmantem sequitur Sanchez *lib.7. disp.76. n.9.* Henriquez *lib.11. cap.8.* Bonauentura *in 4. dist.39. art.2. quæst.2.* Richardus *ibi*; Maior, Sotus, Palacios, & alij multi apud Sanchez, varijsque rationibus probant, imò Sanchez testatur, hanc esse communem sententiam Theologorum deductam ab ipsis argumento à simili de matrimonio rato inter fideles; si enim professio religiosa illud dissoluit, potiori ratione etiam dissoluet matrimonium consummatum tempore infidelitatis, cùm hoc matrimonium ratũ sit, iuxta *c. Quanto, de Diuortiis.* Confirmatúrque potest argumento à fortiori; quia magis est indissolubile matrimonium ratũ fidelium, quàm consummatum infidelium; matrimonium enim fidelium ratum est Sacramentum, non verò infidelium; sed illud potest dissoluere professio, ergo & hoc. Vlterius matrimonium ratum posterius initum à fideli conuerso dissoluit priùs matrimonium consummatum tempore infidelitatis initum; ac proinde fortius est tale ratum, quàm præcedens consummatum. Sed professio vincit illud ratum: ergo vincet consummatum; *quippe si vincam vincentem te, à fortiori vincam te.* Propter hæc, & similia argumenta valde probabilem puto hanc sententiam, quam posteà amplius confirmabo maximè propter multitudinem Auctorum. *Confirmatur 2.* *Probabilitas magna huius sententiæ ex dictis.*

495. *Opposita sententia non videtur minus probabilis.* Coninc. Hurtado. Perez. Diana. *cum aliis. Alij Recentiores.* Abulensis. *Ratio.*

Non minùs probabilis videtur opposita sententia negans, eam vim professioni. Ita docet Coninch. *disp.26. dub.5.* Hurtado *disput.8. diff.14.* Perez *disp.36. sect.8. num.3.* Diana nouissimè cum alijs citatis *9. part. Tract.7. Resol.47.* alijque Recentiores, & ante ipsos Abulensis 1. *Regum 8. quæst.68. & 74.* Ratio verò est, quia tota vis professionis solemnis ad dissoluendum matrimonium ratum baptizatorum nititur iure Ecclesiastico iuxta dicta *dub.29. & 30.* acceptâ ad id extraordinariâ & peculiari auctoritate à Christo: ex nullo autem *c.* aut *textu* constat eam esse concessam facultatem ad dissoluendum matrimonium consummatum in infidelitate, vt per professionem solemnem conuersus illud dissoluat. Prætereà ratio, ob quam Christus concessit matrimonio rato fidelis conuersi posse dissoluere matrimonium prius etiam consummatum ante Baptismum, non habet locum in professione solemni; nam tota illa vis concessa fuit, ne conuersio esset onerosa conuerso, qualis esset, si cogeretur, aut vitam cælibem transigere, aut cum infideli molestè habitare; hoc autem locum non habet, quando conuersus profitetur solemniter; neque enim onerosum illi est quod permaneat antiquum vinculum, cuius dissolutio non ipsi Religioso esset vtilis, sed tantùm infideli pertinaci. *Probatur vlterius.*

496. *Ad fundamenta prioris oppositæ sententiæ Respõdetur.*

Ad fundamenta aduersariorum, neganda est paritas, quæ affertur, quamuis enim professio dissoluat matrimonium ratum fidelium; non ideò sequitur posse dissoluere matrimonium consummatum infidelium; quia tota vis pendet ex concessione factâ; tum à Christo extraordinariâ Pontifici, seu Ecclesiæ ad id statuendum; tùm immediatè ab ipsâ Ecclesiâ, seu Pontifice sic statuente, non constat autem, vt dicebam, de tali iure Ecclesiastico, neque ratio sic statuendi eadem est pro vtroque casu, vt dictum est; quod enim dicitur de maiori indissolubilitate matrimonij rati fidelium, quàm consummati infidelium, ex eo quòd alterum habeat esse Sacramẽtum; alterum verò minimè, nihil probat; neque enim indissolubilitas matrimonij rati prouenit ex eo, quod sit Sacramentum, sed ex eo quòd sit ratum, vtpotè contractum inter duos baptizatos; quod dissolui non potest, etiamsi alteruter labatur in infidelitatem, & nolit cohabitare sine iniuriâ creatoris, de quo posteà dicemus, agendo de causâ diuortij, cùm tamen matrimonium legitimum quidem, sed nõ ratum, quantumuis consummatum quale est matrimonium infidelium, dissolui possit, quando alter conuertitur ad fidem, & alter non vult cohabitare legitimè. Ad dissoluendum autem matrimonium consummatum (etiam infidelium) absque fundamento asseritur datam esse potestatem Ecclesiæ, vel immediatè à Christo; neque regula illa *si vinco vincentem te, à fortiori vincam te*, locum habet semper in iis, quæ pendent ex mero iure positiuo humano, vel Diuino, sed solùm, quando eadem ratio est in vtroque casu & fit eodem iure; non est autẽ hîc

eadem

eadem ratio, vt *suprà* dicebamus, neque vtraque dissolutio fit eodem iure. Nam potestas dissoluendi matrimonium ratum fidelium per professionem constat iure Ecclesiastico sic statuente ex peculiari & extraordinariâ potestate Christi concessâ ad id statuendum. Potestas verò dissoluendi matrimonium consummatum in infidelitate, de quo nunc agimus, constat iure Diuino Christi posse fieri per matrimonium nouum ratum iuxta dicta *dub. præcedenti*: ergo minus aptè sumitur argumentum à virtute, quã habet professio solemnis ad dissoluendum matrimonium iure Ecclesiastico, vt inferatur potestas dissoluendi matrimonij consummati infidelium, cuius dissolutio solùm concessa est iure Diuino.

497. *Quia probabilis est prior sententia, respondetur etiam fundamẽto secundæ.*

Sed, quia probabilis est prior sententia, oportet etiam secundæ fundamento probabiliter respondere. Dici ergo potest vim quidem, & efficaciam professionis ad dissoluendum matrimonium ratum, prouenire ex iure Ecclesiastico iuxta alia dicta locis notatis ex facultate illâ extraordinariâ à Christo concessâ; tamen eo ipso, quòd Ecclesia concessit, quod professio solemnis dissolueret matrimonium ratum, & Christus ipsi Ecclesiæ potestatem sic statuendi; probabiliter etiam iudicari posse hoc ipsum cõcessisse ad dissoluendum matrimonium in infidelitate consummatum; quod (vt sic dicam) subditum est dissolutioni faciendæ per matrimonium ratum posteà superueniens, eamque concessionem probabiliter credi posse factum in fauorem Religionis, sicut & concessionem dissoluendi matrimonij rati.

498. *Occurritur suasioni.*

Neque obstat si dicas id, quod *supra* dicebamus pro secunda sententiâ, scilicèt perseuerantiam vinculi antiqui, non esse onerosam ipsi Religioso, sed solùm infideli pertinaci; nam eâdem ratione in matrimonio rato posset dici talem fauorem dissolutionis matrimonij, per professionem non esse vtilem ipsi Religioso, quia perseuerantia vinculi antiqui non est ipsi onerosa; sed tantum alteri consorti, & nihilominùs in honorem & gratiam professionis Religiosæ concessa est illi ea vis. Pari ergo ratione intelligi potest in nostro casu concessam esse eam vim in honorem eiusdem Professionis Religiosæ, ita, vt probabiliter possimus iudicare non minorem habere professionem ad dissoluendum prædictum matrimonium infidelium consummatum, quàm habeat matrimonium ratũ, cum hoc matrimonium ab ipsa professione possit dissolui.

499. *Occurritur adhuc alteri suasioni. Primò.*

Quod si dicas Ecclesiam noluisse consultum esse indemnitati alterius coniugis manentis in sæculo; quando per professionem dissoluitur matrimonium ratum. In altero autem casu nõ esse cur consulat bono coniugis infidelis manentis in sæculo pertinacis. Contra hoc est primò, quia etiam auctores oppositæ sententiæ concedunt matrimonium non consummatum infidelium, per conuersionem vnius ad fidem, posse dissolui emissâ professione solemni, & tamen tunc illa dissolutio tantùm prodest iuxta eorum principia ipsi infideli pertinaci; nam fideli profitenti solemniter nullo modo molestum est, quod vinculum maneat, & nihilominùs censetur fauor & honor professionis Religiosæ, quod dissoluatur vinculum, etiamsi non intendat Ecclesia directè illum fauorem, aut beneficium infidelis pertinacis.

500. *Occurritur secundò.*

Præterea quando vterque fidelis post matrimonium ratum simul profitentur solemniter, neutri illorum vtile est secundum Auctores oppositæ sententiæ, quod vinculum matrimonij dissoluatur, quia nec molestum est, aut onerosum quod maneat, & tamen in gratiam, fauorem, & honorem illius status soluitur vinculum: ergo etiamsi neutri sit onerosum, potest intelligi, quod vinculum dissoluatur. Vnde in nostro casu dici etiam potest vinculum matrimonij consummati ante Baptismum posse dissolui per professionem, & probabiliter censeri concessam hanc vim professioni eo ipso, quod concessa est vis dissoluendi matrimonium ratum, etiamsi non sit onerosum fideli conuerso, & profitenti.

501. *Quid de sacris ordinibus in hac re?*

Quod verò attinet ad sacros Ordines omnino verum puto non dissolui tale matrimoniũ, vt rectè contra aliquos docent Perez, Sanchez, Coninc locis citatis. Bonacina *q. 3. puncto 7. num. 10.* Oppositum enim absque vllo fundamento dicitur.

Non videtur per illos dissolui. Perez. Sanchez. Coninc. Bonacina.

Vtrum autem, qui legitimè est professus, aut sacris initiatus, quia coniux infidelis noluit cohabitare legitimè si postea conuertatur, debeat illi restitui maritus? affirmant aliqui apud Sanchez *disputat. 76. num. 6. & 7.* quos rectè ibi reiicit, tunc enim infidelis debet sibi imputare, quòd tardè venerit ad fidem; coniux enim priùs conuersus vsus est iure suo & legitimè assumpsit statum. Idemque iudicium meritò putat Sanchez esse, quando coniux prior emiserat iam votum Castitatis absolutæ; est enim eadem ratio, sicut, si tempore diuortij legitimi ob adulterium vnus coniux emittat votum Castitatis; tempore tunc legitimo emisit. Quando autem prius conuersus adhuc est in Nouitiatu nondum professus, etiamsi susceperit habitum Religionis, restituendus erit coniugi postea cõuerso, vt contra Abulensem docet Sanch *n. 7.* & alij citati.

502. *Quid si post professionem aut sacros ordines alter cõuertatur? Quidam putant restituendum coniugem. Non placet* Sanchez. *Idem dicendum si iam emiserat votum absolutæ castitatis. Explicatur à simili. Quid si sit nouitius in Religione? Videtur restituendus.*

DVBITATIO XL.

An dissoluto matrimonio per transitum fidelis coniugis ad aliud coniugium, vel ad professionem posit licitè, & validè infidelis relictus ad alias nuptias transire, siue conuertatur, siue non?

503. *Assertio est valere.* Sanchez. Perez. *Ratio.*

Asserendum inprimis est tale matrimonium fore validum, vt tanquàm certum tradit Sanchez *disp. 77.* & eum sequitur Perez *disp. 36. sect. 9. num. 1.* Neque enim matrimonium potest claudicare quoad vinculum. Vnde dissoluto vinculo ex parte fidelis conuersi (quacunque ratione dissoluatur iuxta varias sententias) eo ipso solutum erit ex parte infidelis. Vnde siue conuertatur posteà, siue non, poterit ad alias nuptias transire.

504. *Aduertẽdũ.*

Rectè autem aduertit Sanchez, quod cùm in nostrâ sententia non statim atque infidelis

monitus tenuit legitimè cohabitare, dissoluatur vinculum, atque adeò nec per votum simplex Castitatis, nec per susceptionem sacrorum Ordinum, si tamen posterior conuersus inueniat suum consortem tali voto aut ordinibus initiatùm, poterit etiam licitè, & validè ad Religionem transire, & votum Castitatis absolutè emittere: in hoc enim nullum præiudicium infert priori conuerso, sicuti quando celebrato diuortio ratione adulterij vir innocens sacris initiatur, poterit vxor ingredi Religionem.

505. *Quaritur iã an licite possit sicut potest valide inire nouum matrimonium.*

Iam verò difficultas est, an peccet infidelis, siue ante, siue post conuersionem transeundo ad alias nuptias?

506. *Prima sententia docet peccare.* S. Thom. Sotus. Vega. Lopez. Alij. Diana. Basilius.

Prima sententia indistinctè docet peccare, non, quia maneat vinculum primum, sed, quia illi est interdictum contrahere; quamuis enim Ecclesia non habeat iurisdictionem in non baptizatum, putant huiusmodi prohibitionem esse ex iure naturali Diuino. Ita S. Thomas, Sotus, Vega, Ludouicus Lopez & alij apud Sanchez *supra num.* 3. & apud Perez *supra num.* 2. Diana 9. part. tract. 7. resol. 48. cum aliis & alij posteriores Basilius Pontius de matrimonio *l.* 7. *cap.* 48. *num.* 25. Probatis ex cap. *si infidelis* 28. *q.* 2. ibi tamen nihil est, quod cogat asserere prohibitum esse infideli in pœnam; quia ibi solùm dicitur fidelem non teneri infideli seruare ius coniugij, de hac autem pœna nulla mentio. Vnde frustrà colligit inde eam pœnam Deum infligere & Ecclesiam esse illius promulgatricem; esto dicat infidelem non conuertendo se, atque dãdo separationis occasionem, & *in Deum peccare, & in matrimonium.* Probant vlterius, quia infidelis ille nolens conuerti non solùm peccat contra ius diuinum præcipiens Baptismum; sed etiam contra matrimonij legem, vt probat idē Sanchez *libr.* 7. *disputation.* 73. *numer.* 9. ergo contra eandem matrimonij legem peccat, si ad aliud transeat.

Probatur ex iure Canonico. Non est ad rem textus.

Probant vlteriùs.

507. *Secunda sententia putat peccare aliud ineuntè ante baptismum, secùs post baptismum.* S. Bonau. *Alij apud Sanchez.*

Secunda sententia ait peccare, si transeat ad aliud matrimonium ante Baptismum, secus verò si post Baptismum, quia in pœnam peccati prohibebatur contrahere; per baptismum verò tollitur culpa & pœna. Ita Bonauentura & alij apud Sanchez *n.* 4.

508. *Tertia sententia.* Ledesma.

Tertia sententia est pertinacem in infidelitate, si sit subiectus principibus Christianis, peccare; secùs verò, si non sit subiectus. Ita Petrus de Ledesma *de matrimonio q.* 59. *articul.* 4. *dub. vnico.*

509. *Quarta sententia & vera docet absolutè licere.* Sanchez. Henriq. Bonacina. *Alij apud ipsos,* Filliucius. Coninc. Perez. *Ratio.*

Quarta & vera sententia est absolutè licere. Ita Sanchez *supra num.* 6. Henriq. *lib.* 11. *de matrimonio c.* 8. *num.* 5. Bonacina *supra num.* 7. & alij apud ipsos. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *num.* 248. Coninc *disp.* 26. *dub.* 5. *nu.* 66. Perez *supra n.* 3. Ratio est, quia nullo iure humano, Diuino vel naturali prohibetur. Nam humanum Ecclesiasticum esse non potest, quia nullam habet Ecclesia iurisdictionem in infidelem; humanum verò sæculare nullibi reperitur; nullum autem ius Diuinum, aut naturale infidelibus id prohibet; quamuis enim peccet violans ius Diuinum naturale prioris matrimonij non sequendo priorem coniugem, semel tamen dissoluto vinculo, nulla apparet lex Diuina naturalis, vel ius diuinum positiuum, quod id prohibeat. Legatur Sanchez *loco citato.*

510. *Argumenta opposita nullius roboris, soluenda prima tantũ sententia.*

Argumenta aliarum sententiarum nullius momenti sunt, & solutis argumentis primæ sententiæ, manent reliqua satis soluta.

511. *Ad primũ.*

Ad primum respondetur negando esse aliquod ius infligens talem pœnam, vt declaratum est.

512. *Ad secundum.*

Ad secundum concedendum est peccâsse priùs contra præcedens matrimonium; post illud verò dissolutum, iam non peccare transeundo ad aliud. Omitto alias obiectiones leuioris momenti.

513. *Explicãtur textus iuris in contrarium allati.*

Quando autem *in c. Quanto.* De *Diuortiis*, & in *canone finali* 28. *q.* 2. dicitur matrimonium prius tantùm dissolui, quoad coniugem fidelem, intelligendum est, quantum ad ius dissoluendi per aliud matrimonium, aut etiam per professionem, vt id soli fideli competat. Semel autem per fidelem dissoluto matrimonio, vterque manet liber à præcedenti.

DVBITATIO XLI.

An in lege veteri dissolueretur matrimonium quoad vinculum per libellum repudij? & quid de repudio Gentilium?

514. *Deuteron. c.* 24. *verba circa hoc.*

PRæmittendum est Deuteronomij 24. sic haberi. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo suâ. Cumq; egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitq; ei libellum repudij & dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, & abominabilis est facta coram Domino.* Circa huiusmodi legem disputant Doctores an per libellũ illum repudij dissolueretur matrimonium, etiam quoad vinculum?

Dubium præsens circa hæc verba versatur.

515. *Prima sententia negat dissolui quoad vinculũ, sed quoad thorum & habitationem.* Magister. S. Bonau. Couarr. *Alij apud Sanchez.* Glossa. S. August. Origenes. Alij PP. Matth. 19. *Videtur significari.*

Prima sententia negat quoad vinculum dissolui; sed tantùm quoad thorum, & habitationem. Ita Magister *in* 4. *dist.* 33. Bonauentura ibidem, & Sotus. Item Conarruu. 4. *Decret.* 2. *p. c.* 7. §. 4. & alij apud Sanchez *lib.* 10. *disp.* 1. *numer.* 5. Item Gloss. *in citatum c.* 24. *Deuteron.* Augustin. Origenes, & alij Patres apud eundem Sanchez. Idque videtur significare Christus *Matthæi* 19. dum dixit *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras*; quibus significatur permissio non concessio, ac proinde non dissolui quoad vinculum. Nam dissolutio vinculi absque Dei concessione fieri non potest.

516. *Probatur vlterius ex citato loco Deutero.*

Præterea in citatis verbis Deutoronomij dicitur de vxore repudiata, quæ alterum virum duxerit, eo mortuo, aut etiam repudiante, non posse iterum à priori viro admitti, *quia polluta est & abominabilis facta coram Domino*: ex nullo autem capite fiebat abominabilis coram Domino, nisi ex eo quòd secundo viro nupsisset, & ab illo fuisset cognita: ergo prius matrimoniũ non dissoluebatur, illo enim dissoluto, neque per contractum, neque per vsum sequentis matrimonij fuisset abominabilis.

517. Secunda & vera sententia est matrimonium per

Secunda & vera sententia est dissolui. Bellarmin. Maldonad. Sà. Henriq. *Alij multi Auctor operis imperfecti in Matt. Recentiores.* Coninc. Basilius. Perez. Suarius.

per talem libellum dissolui, quoad vinculum. Ita Cardinalis Bellarmin. *lib.1. de matrimon. c.17. in solutione ad 14. obiectionem.* Maldonado *in c.19. Matth. num.8.* Sà ibidem *n.8. & c.5. num.31.* Henriquez *lib.11. de matrimonio c.8. n.13.* & alij multi apud Sanchez *supra num.7.* Cuius sententiæ fuit etiam Chrysostomus seu Auctor operis imperfecti *in Matth. Homil.34.* aliique multi Recentiores, inter quos Coninc *disp.26. dub.1.* Basil. *l.7. c.50.* Perez *disp.55. sect.1. n.2. & 3.* Suarius infra citandus. Ratio verò desumitur ex verbis Deuteronom. citatis, in quibus satis clarè significatur vxorem repudiatam validè nubere alteri, ac proinde prius matrimonium dissolui. Præterea si repudium non liceret, credibile non est, Deũ tam longi temporis ignorantiâ permissurum laborare populum Israëliticum à se electum, quin saltem aliquis ex prophetis, qui solebant talia vitia carpere, istud reprehendisset.

518. *Respondetur ad locũ Matth. in contrariũ.*

Ad locum *Matthæi 19.* allatum pro contraria sententia respondetur verbum illud *permisit* etiam posse significare concessionem. Hâc ratione dici solet *permitto tibi vsum mei libri;* item dicimus *die veneris, aut Sabbathi interdicitur esus carnium, cæteris verò diebus permittitur.* Vbi permissio non excludit concessionem; atque in vniuersum, quoties aliquid lege prohibitum erat, & posteà desinit esse prohibitum, dicimus, quod priùs non erat permissum, iam esse permissum, vbi nomen permissionis pro ipsâ concessione vsurpamus. Sic ergo Moyses nomine Dei supremâ potestate permisit, quod prius non permittebatur, hoc est concessit, quod non concedebatur.

519. *Ad secundum.*

Ad secundum ex Deuteron. respondetur vxorem repudiatam ab altero post repudium ductam ideò dici pollutam & abominabilem coram Domino, quia publicè, atque adeo à fortiori coram Domino, fuit à priori marito talis iudicata, ob eamque rem non permittebatur iterum à præcedenti marito recipi. Non verò dicebatur polluta, & abominabilis quia alteri nupserat, quasi in eâ re peccâsset.

520. *Quando cessauerit ea lex repudij.*

Hæc autem lex repudij, & dissolutionis matrimonij non solùm, vt quidam volunt, cessauit post mortem Christi, à quo tempore omnes antiquæ leges positiuæ Diuinæ generaliter cessarunt, sed etiam ipso adhuc Christo viuente; fuit enim reuocata ab ipso Matthæi 19. vt habetur *in c. Gaudemus* 8. de *Diuortiis.* quâ de re legi potest Sanchez *supra num.9.* In quo auctores non consentiunt, quia non est improbabile, imò mihi probabilius primò, & non ante, cessasse à die Pentecostes, vt latè, & doctè id probat Suarius *lib.9. de legibus* præsertim *nu.6. & 7.* vbi docet Christum citato *capite 19. Matthæi* dixisse tantùm illam legẽ repudij fuisse ex Moysis dispensatione, quæ iam suo tempore cessatura erat; non tamen tunc illam, vel generaliter, vel in particulari abrogâsse; sed tantùm ad reuocationem futuram animos præparâsse, & declarâsse veritatem rei, non verò promulgationem tunc noui præcepti, quod statim in puncto inciperet habere vim, nec illam legem potiùs quàm alias desiuisse habere vim in illo puncto temporis; sed simul cum aliis cessasse. In quo etiam consentit Perez *in illa disputation. 55. section. primo numer. 4.*

Matth. 19. Sanchez. Suarius. Perez.

Quod autem attinet ad gentiles etiam asserendum est cum eodem Sanchez *supra num.8.* & Soto *in 4. dist.33. q.2. art.2.* contra Abulensem *ad c.19. Matthæi q.76.* in responsione ad vltimum & contra Veracruz *2.p. speculi art.13.* nunquàm illis fuisse licitum, aut validum repudium, quo re ipsâ dissoluerent matrimonium; id enim est contra ius naturæ, cuius vi matrimonium est indissolubile iuxta dicta *dub. 27. & 28.* Cùm ergo ex nullo capite constet esse, aut fuisse concessam talem dispensationem aut facultatem à Deo, absque vllo fundamento affirmabitur facultas licitè aut validè repudiandi.

521. *Quid in hoc pro Gentilibus?* Sanchez. Sotus. *Contra Abulensem & Veracruz.*

Ex his patet Iudæos pariter, & Gentiles repudiantes vxorem grauiter peccare, nisi fortè ignorantiâ excusentur, quam esse possibilem etiam inuincibilem rectè docet Sanchez *supra numer.10.* cum Abulensi. Nam indissolubilitas matrimonij non innotescit hominibus immediatè aut valdè proximè ex principiis per se notis; solùm enim deducitur per remotas consequentias; & quamuis iam sit satis promulgata lex Euangelica, non obest, quo minùs possit dari ignorantia inuincibilis huius præcepti.

522. *Iudæi & Gentiles peccant in hoc nisi forte excusentur ignorantia.* Sanchez. Abulensis.

Patet. Secundo infideles conuersos, si tempore infidelitatis legitimas vxores repudiârunt, cogendos esse ad illas recipiendas; nisi fortè contingat dissolui matrimonium propter causam in præcedentibus assignatam nolentis scilicet cõiugis infidelis legitimè cohabitare, & ideo contractum fuerit secundum matrimonium; idque apertè deciditur in *c. Gaudemus,* & cum multis docet Sanchez *n.11.* Vnde relinquẽda est secunda vxor, si fortè fuit superinducta, & prima recipienda.

523. *Cogendi cõuersi ad fidẽ recipere legitimam vxorem antea repudiatam.* *Probatur ex iure Canonico.*

Dixi autem, *si legitimas vxores repudiârunt;* sæpè enim potest contingere, vt notauimus *dub.4.* matrimonium Gentilium non esse legitimum; quia nimirum præter alios defectus (qui etiam esse possunt) solet consensus & intentio contrahentium non fieri in matrimonij perpetuitatem; sed tacitè, vel expressè ita, vt liceret, quoties vellent, contractum dissoluere, & vxores repudiare. In tali autem casu non est cur cogatur ex vi matrimonij priùs initi recipere vxorem primam, qui conuertitur; imò, si plures simul habet, aut habuit alias, potest, quam velit, eligere, imò & nouam aliquam, vt diximus citatâ *dub.4.* ibi legatur. Omitto alia, quæ videri possunt apud Sanchez *loco citato*, & alia circa dissolutionem, dicemus agentes de diuortiis.

524. *Sæpe repudiata non fuit legitima defectu legitimi consensus.*

DVBITATIO XLII.

An pluralitas coniugum licita simul sit, vel illicita, & nulla?

525. *Constat ex sensu & praxi Ecclesiæ debere esse vnius cum vna tantũ, dũ viuunt.*

QVod matrimonium necessariò debeat esse vnius cum vnâ ita, vt vxore viuente aliam ducere, aut viuente viro alteri nubere illicitum sit, & inualidũ constat ex sensu, vsu & praxi Ecclesiæ Catholicæ, idque definitum est *in c. Gaudemus 8.* de *Diuortiis* & ex aliquibus scripturæ

Probatur ex iure & scriptura sacra.

turæ locis satis colligitur. Nam præter illud *Genes.2.erunt duo in carne vna.* vbi supponitur non posse esse plures quàm duos,ex eodem ipso loco Christus Dominus.*Matthæi* 19. probat fore adulterum,qui dimissâ vxore ducat aliam; talis autem non esset,si viuente priore,etiam posterior fieret vxor illius;inde etiam patet non solùm illicitum,sed inualidum esse aliam superinducere;nam,si valide, quantumuis illicitè illam duceret,non fieret adulter ad illam accedendo, esset enim propria.Legatur Perez *disp.* 35. *sect.*1. *num.*1.*& seqq.*

Matth.19.

Perez.

526. *Iure diuino illicita polygamia.*

Quod autem hæc polygamia . seu pluralitas coniugum simul sit illicita iure Diuino , communis consensus est Doctorum maximè propter citatum locum.Matth.19.

527. *Quæstio est de iure naturali.*

Solùm ergo quærimus an etiam illicita sit, & inualida iure Naturali?

528. *Pluralitas Maritorum iure naturæ illicita.*

In qua re certum primò sit pluralitatẽ Maritorum esse iure naturæ illicitam,& nullam, est enim contra finem primarium contractus matrimonij , scilicet contra prolis generationem, cui nocet virorum pluralitas , & contra bonam prolis educationem , quam etiam matrimonium respicit;nemo enim virorum illorum satis amanter prospiceret educationi prolis,quam nemo illorum pro certò agnosceret suam.Tota iam difficultas deuoluitur ad pluralitatem vxorum simul.

529. *De pluralitate vxorũ quæstio est.*

Quærimus ergo;an pluralitas vxorum sit etiam iure naturali illicita & irrita?

530. *Prima sententia. Putat non esse irritam iure solo naturæ.* Abulensis. Caietan. Durand. Palatius. Veracruz. *Alij apud Sanchez.* Augustin.

Prima sententia docet non esse irritam nec illicitam solo iure naturæ spectato. Ita docent Abulensis 1.*Reg.*8.*q.*25.*c.*19.*Matth q.*30.*in solutione ad* 2.*& q.*33.*in corpore & ad* 1. Caietanus *c.*16. *in Genesim.* Durandus *in* 4. *dist.*33.*q.*1. Palatios. Veracruz & alij apud Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio disp.*80.*num.*5. *prope finem.* videturque id docuisse Augustinus 16.*de ciuitate c* 38. dum ait pluralitatem vxorum nullâ lege fuisse prohibitam,id,quod docet etiam aliis in locis,vel certè id valde significat,dũ excusant antiquos Patres ab vxorum pluralitate , & hanc pluralitatem non aduersari naturæ matrimonij, vt videre est lib.vnico *de bono coniugali c. finali lib.*2. *Contra Faustum c.*47.*&* 48.& habetur *c.obiiciuntur* 32.*q.* 4.Item *lib.*1.*de nuptiis cap.*9. & *l.de bono viduitatis c.*7.*& l.de doctrinâ Christianâ c.*12. Idem quoque probari potest auctoritate aliorum Patrum; nam Hieronymus Epistola *ad Occeanum* videtur sentire nullâ lege interdictam esse polygamiam.Præterea Gregorius 3. *Epistolâ* 4. *ad Bonifacium.*& habetur *c. Quod proposuisti* 32.*q.*7. concessit cuidam vxorem secundam ducere ob primæ ægritudinem,quod fieri non potuisset , si esset contra ius naturæ,Idemque probare videtur vsus plurimarum Gentium,apud quos pluralitas vxorum permittebatur,nec videtur credibile tot gentes adeò lumine aut ratione naturali destitutas esse , vt non viderent id esse contra ius naturæ.Signum ergo est tali iuri non aduersari. Imò plures Imperatores legem tulerunt,quâ concedebatur pluralitas vxorum , vt ex Tiraquello *l.*7.*de lege connubiali n.*16.& ex Alexandro ab Alexandro *l.*1.*dierum genialium.cap.* 24.& ex Menochio *de Arbitr.l.*2.*centur.*5.*casu* 40. *à num.*72.& ex aliis refert Sanchez loco citato,

Alij PP. S.Hieron.

S.Gregor.

Vsus multarũ gentiũ.

Tiraquell. Alexan.ab Alexand. Menoch. *Apud Sanchez.*

idque maximè confirmat, quòd viri sanctissimi in lege veteri, vt Abraham , Iacob, Helcana, Moyses & alij plures , quam vnam habuerunt vxores simul vt constat Genes,16.*&* 29. *&* 30. Numeror.12.*&* 1.*Regum* 1.nec de dispensatione constat. Signum ergo est iuri naturæ non aduersari. Ratione verò probari potest ; primò; quasi à priori;quia,si esset contra ius naturæ,id proueniret ex eo , quod ducere secundam sit contra ius primæ, ergo saltem primâ cedente iure suo,siue quando fit contractus,siue posteà, posset vir iure naturali validè , & licitè aliam ducere.Probatur 2.à simili,quia,si licet vxori in totum cedere iuri suo indulgendo , vt maritus profiteatur, cur non poterit etiam cedere iuri suo,vt alteram ducat?& ex parte remittere solutionem debiti,vt tantundem soluat alteri?

Vsus virorũ Sanctorũ in lege veteri.

Ratio quasi à priori.

Secunda ratio à simili.

531. *Secunda sententia extremè opposita præcedenti. Fundamentum.* Aureolus. *Victoria refertur à Sãchez sed non inuenitur. Alij non satis clarè loquuntur.*

Secunda sententia præcedenti extremè opposita est polygamiam adeò pugnare cum naturâ matrimonij iure naturæ , vt nullo modo possit subsistere verum matrimonium cum secunda vxore.Quorum fundamentum est, quia non potest esse matrimonium absque mutuâ corporum traditione ; omnino autem repugnat,quod vni traditum est,alteri tradi.Ita sentit Aureolus apud Capreolum *in* 4.*dist.*33.*q.*1.*ar.*2. Pro eadem sententia refert Sanchez Victoriam, Relectione *de matrimonio* 1.*p.Relectionis in priori parte illius numer.*3. Sed nihil inuenio ibi , quod satis sententiam hanc significet. Alios etiam refert Sanchez , qui etiam non satis clarè loquuntur.

532. *Tertia & vera sententia admittit posse esse à Deo dispensationem in eo iure naturæ.* Sanchez. Bellarm. Bonacina. Couarruu. Henriq. Valentia. Pereira. D.Thom. Hurtado. *Alij multi. Videtur cõstare definitione Eccles.*

Tertia & vera sententia est polygamiam vnius viri cum pluribus vxoribus esse quidem contrariam iuri naturæ,non tamen ita contrariam , quin Deus possit in illa dispensare. Ita docent Sanchez *l.*7.*disp.illa* 80.*n.*8. Bellarminus *l.*1.*de matrimon. c.*11. Bonacina *q.*3.*puncto* 10. *num.*3. Couarruu.4.*Decretorum* 2.*p.c.*7.§.3.Henriq.*l.*12.*c.*6.Valentia *tomo* 4.*disp.* 10.*q.*1. *puncto* 3. Pereira *in c.*16.*Genes.disp.*1.*n* 22.D.Thomas *in* 4. *dist.*33.*q.*1.*art.*1.*in corpore* & *ad* 1.6.*&* 9.*& art.*2. *in corpore* Hurtado *disputat.*9.*diff.*1. aliique multi quos refert , & sequitur Sanchez loco citato. Quæ doctrina definita videtur *in c.Gaudemus* 8. *de Diuortiis* vbi dicitur,*nec vlli vnquàm licuit simul plures vxores habere, nisi cui Diuinâ reuelatione concessum.* Vbi satis supponitur id fuisse iure naturali illicitum, si enim iure naturali licuisset,aliquando fuisset licitum,scilicèt, antequàm iure positiuo prohiberetur.Præterea, si iure naturæ *sic.* licuisset,non fuisset necessaria diuina reuelatio. Et in eodem *c. citato* statuitur etiam Ethnicos ad fidem conuersos vnam solam retinere posse vxorem. Signum ergo est eam legem etiam apud ipsos vim habere,quia,si ante licuisset, Baptismus non tolleret tale dominium , neque enim Baptismus soluit coniugia, vt ibidem dicitur. Quod si iure naturali est illicitum habere plures vxores,iure etiam naturali erit inualidus, & irritus contractus ; quia, si esset iure naturali validus, quantumuis homo contrahendo peccaret,posteà licitum esset semel inito contractu vxores retinere. Vlteriùs in eodem capite dicitur Patriarchas excusari ab adulterio ob diuinam concessionem.Si verò absque diuinâ concessione possent validè , quamuis illicitè aliam

ducere,

ducere.etiam possent absque adulterio eam cognoscere,esset enim propria,& adulterium non committitur per accessum ad propriam. Ratione verò absolutè probatur; quia tale matrimonium repugnat fini , & bonis matrimonij saltem secundariis , neque enim tantùm matrimonium ordinatur ad prolis generationem, & educationem ; sed etiam ad reciprocum amorem inter coniuges cum æqualitate iuris coniugalis ad conuictum, societatemque pacificè transigendam,ad gubernationem, & communicationem operum , & etiam ad euitandum periculum fornicationis ex parte vxoris, perinde,atque ex parte viri. Quæ omnia bona magnâ ex parte impediuntur , aut frustrantur per pluralitatem vxorum, vt, liquet exemplis scripturæ,etiam in piis alioquin familiis,vt in Sara,& Agar vxoribus Abrahæ,Rachele, & Lia vxoribus Iacob,Anna & Phenenna vxoribus Helcanæ,Et quidem vt Aristoteles ait Ethic.8.c.12. Vir & vxor non solùm coniunguntur ad procreādum,vt cætera animantia,sed etiam ad cohabitandum pacificè, & ad pacificè regendam familiam,partitis inter se domesticis curis, seque mutuis officiis fouendo, & iuuando. Quibus omnibus pluralitas vxorum maximè potest obesse,cùm quælibet illarum possit prætendere domum regere & gubernare. Vnde rixæ , & iurgia frequenter emergerēt, nec mirum quòd quælibet id vellet,aut posset prætendere,neque enim vxor,quamuis viro subdatur , illi subditur,vt ancilla,aut famula,sed vt socia, & collateralis.Quapropter etiam est Domina in domo habens in eâ auctoritatem,& dominatum , qui oritur necessariò ex inito matrimonio, neque potest id à viro pro libito impediri, neque potest ipsa cedere tali iuri necessario resultanti ex naturâ ipsius contractûs, sicut nequit cedere iuri radicali,quod habet in corpore mariti. Ex quibus omnibus satis constat pluralitatem vxorum solo spectato iure naturæ, esse illicitam, & contra naturam contractus matrimonij naturâ suâ ordinati,ad prædictos fines, quamuis secundariò,eaque propter non solùm sit illicita,sed etiam inualida prædicta polygamia. Post hæc scripta incidi in sententiam Martini Perez *disp.35.sect.2.* quam putabam discrepare ab hac 3.quam sequimur,sed, licèt aliqua videatur aliter explicare,eadem est.Quando enim *n.5.* & 6.ait non esse contra ius naturæ spectatâ præcisè naturâ Matrimonij præscindendo ab omni institutione diuinâ;idque sibi certum videri: suppositâ verò diuinâ institutione esse irritum iure naturæ, & in hoc sensu conuenire se cum iis auctoribus, quos pro primâ sententiâ à se relata(quæ est tertia nostra) quando (inquam) hæc, ait,solùm vult, aut probat naturam huius contractus non esse talem, vt ita necessariò debeat esse vnius cum vnâ, vt non possit Deus si velit aliter instituere,& concedere pluralitatem vxorum, neque enim est hic contractus, si fiat cum pluribus,sicut mendacium , quod ita est intrinsecè malum,vt nullâ spectatâ Dei prohibitione,nequeat non esse suâ natura malum;sed potiùs tale esse, vt positâ institutione , seu concessione Dei , possit licere & non esse malum. Porro hoc sensu auctorem sapientissimum loqui constat ex initio sectionis illius primæ, & ex rationibus , quibus vtitur contendens ex doctrinâ à se datâ aliis in locis ; Deum posse concedere, vt nos ipsos vel alium etiam innocentem occidamus exemplo Abraham id volentis , & Sanctæ Apolloniæ se proicientis in ignem,quæ actiones , & similes non sunt ita malæ, quin possint Deo concedente tanquàm Domino supremo,licere,quod nostra sententia non negat ; sed docet; hoc tamen totum non obest,quo minùs,si ipsa natura huius contractus spectetur,non sit ita conforme rationi esse matrimonium vnius cum vnâ, vt nisi supponatur Deum pluralitatem vxorum indulgere, non sit conueniens plures habere.Ita, vt non solùm sit conueniens esse talem contractum vnius cum vnâ,quia Deus non indulsit polygamiam ; sed potius,ideò Deus non indulsit, quia non est cōueniens. Adeò,vt,si poneremus Deum neutrū prohibere aut præcipere,adhuc esset conforme rationi,cum vnâ tantùm potius,quàm cum pluribus simul contrahere consortium , & vitam communem. Sicut est conforme & magis decens non occidere alium aut se ipsum etiam non spectatâ positiuâ prohibitione. Ideò optimè docet idem auctor *num.7.*(quod etiam nostra sententia non negat) ante omnem scilicèt prohibitionem Dei prohibentis polygamiam, esse ipsam irritam , & inualidam solâ positâ nō concessione.Nam, vt rectè ibi supponit ex doctrinâ à se data *disp.20.sect.1.n.3.* & 4.& 5.Cùm Deus sit , qui propriè habet dominium summum , & absolutissimum nostrorum corporū, membrorum vitæ iure creationis;homines verò propriè solùm habeant dominium in res externas sublunares, & solùm vsum & quasi custodiam vitæ suæ corporum & membrorum; sola non concessio potestatis ad transferendū dominium simul pluribus in ordine ad prædictos fines matrimonij satis est absque alia prohibitione. Sicut, vt ego inualidè vendam pallium Petri non est opus , vt Petrus prohibeat venditionem,sed satis est, quòd non concesserit illam. Ita satis est , quod Deus non concesserit homini potestatem dandi ius pluribus vxoribus , & his dandi ius ei,qui habet simul aliam vxorem.

Probatur ætiā absolutè ratione.

Martini Perez in hac re sententia.

Aliud quod rectè docet idē Auctor.

533. Ex prædicta doctrina infertur non posse Pontificem in hac pluralitate dispensare. Est enim,vt probatum est,contra legem naturalem, & præterea contra legem Diuinam Christi , vt notauimus in principio dubitationis. Constatque ex *c.Gaudemus de Diuortiis*, vbi,vt vidimus, nunquàm licuisse dicitur nisi ex diuina dispensatione , & concessione ; atque ita docet D. Thomas *in 4.distinction.33. q.1. articul.2.* & alij multi , quos refert & sequitur Sanchez *supra numer.9.*

Ex dictis infertur 1. nec Papam in hac pluralitate posse dispensare.

D. Thom. *Alij multi.*

534. Infertur 2. cum eodem *numer.10.* & Antonino, Soto, Couarruu. & aliis ibi relatis nullâ consuetudine posse fieri licitâ vxorum pluralitatem, nulla enim consuetudo præualere potest contra ius naturale,& Diuinum positiuum, sed solùm contra humanum *cap. finali de consuetud.*

Infertur 2. cum aliis.

Anton. Soto. Couarruu.

Nulla consuetudine id posse licere.

535. Secunda verò pars nostræ sententiæ , quod scilicèt non ita aduersetur iuri naturæ , quin Deus

Secūda pars nostræ sententiæ probatur.

Deus possit dispensare in eâ vxorum pluralitate traditur etiam ab eodem D. Thoma *supra art.* 2. & à multis aliis, quos referunt, & sequuntur Sanchez *supra numer.* 12. & 13. Tannerus *disp.* 8. *de matrimonio q.* 2. *dubitation.* 6. *numer.* 102. & alij multi Recentiores. Præter Perez citatum.

D. Thom. *Alij multi.* Sanchez. Tanner. *Plures Recentiores.* *Perez citatus.*

536. *Pro explicatione notandum putat Sanchez.*

Notandum verò est pro illius explicatione ex Sanchez, præcepta iuris naturalis quædam esse vniuersalia, & quasi prima principia iuris naturæ, qualia censentur præcepta decalogi: Alia verò sunt, quæ ex primis principiis deriuantur, tanquàm conclusiones; & de his secundis putat Sanchez *suprà* posse esse dispensationem maximè ab ipso Auctore naturæ; atque adeò putat in nostro casu posse esse dispensationem in pluralitate vxorum; quia hæc prohibitio iuris naturalis est secundi ordinis non primi.

337. *Proprie loquendo in nullum ius naturale cadit dispẽsatio.* Suarius. *Cũ multis.* Vasquez. Basilius. Nauarr. Couarr. *Alij multi apud Sanch.* D. Thom. *Ratio.*

Nihilominùs, vt agentes de legibus dicemus, omnino verum puto in nullum ius naturale propriè, & directè cadere dispensationem etiam à Deo, nedum ab alio vice ipsius. Ita Suarius *lib.* 2. *de legibus c.* 14. *n.* 5. cum plurimis quos refert & *c.* 15 *num.* 2. & 26. Vasquez *disp.* 179. *c.* 2. Basilius de Leon *lib.* 8. *c.* 2. *num.* 4. Nauarrus *cons.* 4. *de dispensatione impuberum num.* 16. Couarruu. Regula peccatum *p.* 2. *c.* 6. §. *num.* 3. & alij multi apud Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *num.* 4. In quibus est D. Thomas Quodlibet. 4. *art.* 3. *in corpore & ad* 1. Ratio est, quia tunc dispensatio est, quando lex obligat absque mutatione circumstantiarum causantium obligationem; sed Deus nunquàm in iure naturali dispensare potest; quin aliquam circumstantiam ita mutet, vt eâ mutata cesset obligatio: ergo nunquàm potest in iure naturali dispensatio Dei directè cadere. Minorem, in quâ solâ est difficultas, sic probo. Ea, quæ sunt de iure naturali, habent intrinsecam quãdam honestatem, debitamque decentiam per conformationem ad rectam rationem omni seclusâ lege extrinsecâ; atqui rebus omnibus inuariatis eam conformitatem Deus mutare nõ potest; est enim rerum essentia inuariabilis, & in eo Deus ipse sibi esset contrarius: ergo nec immutare potest debitam honestatem illarum, ac proinde nec dispensare; est enim dispensare idem, quod facere licitum ex voluntate superioris, quod alias non licitum est rebus omnibus immutatis. Hanc doctrinam latiùs *in tract. de legibus* Deo dante explicabimus. Vnum nunc aduerto magnâ ex parte controuersiam hanc videri vocum potiùs, quàm rerum, vt inter alia declarat exemplum in eâ, quam appellant dispensationem matrimonij rati, quam, si propriè loquamur, non puto appellandam esse dispensationem; est enim matrimonium illud ita naturâ indissolubile ex voluntate contrahentium, vt nullatenùs per illam dissolui possit. Ex voluntate autem Dei supremi Domini voluntatis humanæ, & vinculi inde consurgentis non est indissolubile. Vnde, quando ex voluntate Dei immediatè per se, aut per alium dissoluitur matrimonium non est propriè dispensare in matrimonio, sed tollere matrimonium, perinde atque quando Respublica dissoluit alios contractus legitimè factos; non dicitur dispensare tunc, sed potestate suâ dominatiuâ vti, vt rectè docet Vasquez *disputation. illâ* 179. *cap.* 3. ad finem, & Basilius supra *numer.* 14.

Quæstio fere de nomine.

Declaratur doctrina exemplis. Vasquez. Basilius.

Ideo loco illius distinctionis præceptorum naturalium, quam adduximus ex Sanchez, aliam puto magis ad rem, scilicèt, quædam esse præcepta, quæ sub omni circumstantiâ obligant, quædam verò, quæ non sub omni circumstantiâ; Illa censentur, sub omni circumstantiâ obligare, quorum materia non pendet ex dominio Dei, qualia sunt mentiri, falsos Deos colere, odio Deum habere, & similia; Alia verò sunt, quorum materia ex Dominio Dei pender, quia scilicet illa non semper, & sub omni circumstantia possibili obligant, quin saltem à Deo possit tolli, vel apponi aliqua circumstantia, quâ positâ, vel ablatâ desinat obligare præceptum. Hâc ratione cùm Deus Abrahamo imperauit occidere filium suum, & Oseæ copulari mulieri fornicatiæ, & Israëlitis Ægyptios spoliare, propriè non dispensauit in præcepto naturali non occidendi, non fornicandi, aut non furandi (hæc enim omnia semper inuariata perseuerant;) sed apposuit conditionem, quâ illorum obligatio cessaret, & quâ positâ ius naturale non prohibet occisionem, cõmixtionem corporum, aut expoliationem. Cõditio verò illa fuit, quòd Deus voluerit vti potestate supremâ dominatiuâ. Cùm enim sit Dominus absolutus omnium creaturarum, & omnium iurium, quæ in ipsis possunt reperiri, potest pro libito de omnibus disponere, ac proinde de quosdam potest spoliare, alios ditare; quosdam occidere, quosdam seruare, quibusdam concedere corporum commixtionem, quam alijs negat. Idemque iudicium est in aliis multis similibus, in quibus omnibus cessat sub tali conditione naturalis obligatio; non verò tunc propriè loquendo dispensatio est.

538. *Aliud notandũ magis aptum ad rei explicationem.*

Hæc doctrina declaratur in exemplo voti (de quo in proprio tractatu dicemus) neque enim potest Deus facere, vt manente voto, eiusque acceptatione, non teneatur vouens votum implere; hoc enim est intrinsecè debitum rationi; & intrinsecè malum quòd subsistente voto, & acceptatione illius non impleatur, quia tamen Deus, tanquàm promissarius, cui facta est promissio; & tanquàm supremus Dominus potest remittere, aut non acceptare verbum promissionis, potest etiam obligationem relaxare, quæ remissio acceptationis non est propriè loquendo dispensatio. Neque enim est actus iurisdictionis, sed dominij, & posita illa remissione, cessat obligatio iuris naturalis; præceptum naturale, & materia illius; solet autem appellari dispensatio; sed impropriè; ideo dixi quæstionẽ esse vocum, non rerum.

539. *Explicatur exemplo voti data doctrina.*

In hoc ergo sensu dicimus posse dispensare Deum in pluralitate vxorum utens potestate dominatiuâ, & concedens, vt vnus atque idem homo possit dare dominium sui corporis pluribus feminis, simul, & corporum earundem dominium accipere, vt ex sequenti dubitatione amplius constabit. Et ex hac doctrina sequentisque dubitationis, constat satis ad ea, quæ obiiciuntur pro primâ sententiâ.

540. *Applicatur exemplũ & doctrina ad præsentem materiam.*

DVBIT.

DVBITATIO XLIII.

An pluralitas coniugũ simul fuerit aliquando valida, & licita, tam pro masculis, quàm pro feminis, saltem possibilis?

541. *Occasio id quærendi.*

SVpposito quod ex concessione Dei id possit fieri iuxta dicta *dub. præcedenti*, quærunt Doctores, an olim id concessum fuerit aliquibus?

542. *Patriarchæ antiqui id fecerunt ex diuinâ concessione. Constat ex iure Canonico. Occurritur obiectioni. Gen. 25. & 26. Iudicũ 19. Alteri obiectioni occurritur. 3. Reg. 11.*

Consentiunt Auctores fuisse concessum antiquis Patriarchis, vt expressè dicitur *in c. Gaudemus* de *Diuortiis* satisq; clarè supponitur Deuteron. 21. *v.* 15. *si habuerit homo duas vxores vnã dilectã, alterã odiosam* &c. Neque obstat, quòd posteriores vxores aliquando in scripturâ vocẽtur concubinæ; hoc enim nomine etiam appellãtur vxores. *Gen. 26. & 25.* imo etiam vnica vxor Leuitę *Iudicũ 19.* appellatur concubina. Solent autẽ in scripturâ concubinæ nomine appellari vxores illæ, quæ tantùm assumebantur ad generationem, & non ad domus administrationẽ, imò & ancillæ solent appellari. Nec Salomon. *3. Reg. 11.* reprehẽsus fuit (vt quidam volunt) quia plures habuit vxores, sed, quia alienigenas, alienæ scilicèt Religionis contra præceptum Dei.

543. *Tertiæ obiectioni occurritur ex dictis.*

Neque obstat, quod illa pluralitas sit contra ius naturæ, quia iuxta dicta *dub. præced.* positâ cõcessione Dei desinit esse contra ius vxoris, cùm Deus tanquàm supremus Dominus corporũ, possit viro concedere facultatem, vt validè, & absque iniustitiâ erga vxorem, tradat etiã suum corpus aliis vxoribus; item, vt tradat gubernationem Domus ei, quam ipse elegerit, quod nõ est propriè dispensare, vt ibidem dicebamus.

544. *Potest Deus si velit dispensare vt vna mulier plures simul viros habeat. Negat tamẽ Bellarminus & quidam alij sine idoneo fundamento. Concedunt recte alij.* Sanchez. Ledesma. Tanner. Coninc. Perez Hurtado. *Alij plures. Ratio.*

Hâc etiam poterit ratione Deus, si velit, dispensare, vt vna mulier habeat simul plures viros, quamuis enim id neget Bellarm. *l. 1. c. 11.* & alij, non video repugnantiam, quæ satis conuincat, & nostram sententiam tradunt viri satis docti. Inter quos Sanchez *disp. 80. num. 15.* Maior *in 4. dist. 33 q. 1.* Petrus de Ledesma *de matrimonio q. 65. art. 2. dub. 2.* Adamus etiam Tannerus, probabilem putat *disp. 8. q. 4. dub. 6. num. 102.* Coninc *disp. 26. n. 29.* Perez *disp. 35. sect. 4. num. 3.* Hurtado *disp. 9. diff. 2.* & alij plures. Ratio est eadem, quia Dominus, vt supremus Dominus corporũ omnium, potuit concedere vxori facultatem, vt validè, & absque iniustitiâ mariti etiã tradat dominium sui corporis aliis, & vt ab eis accipiat dominium corporum illorum, cæteraque necessaria præstet ad huiusmodi contractus. Hoc tamen nunquàm Deus concessit.

545. *Non constat de tempore loco & determinatis omnibus quibus id fuerit concessum.*

Vbi autem, & quando, & quibus facta fuerit prædicta concessio? non constat; multi putant factam primis Patriarchis populi Dei; erat enim vsu recepta in toto populo vxorum pluralitas, & à nullo Prophetarum reprehenditur.

546. *An etiam concessio fuerit facta Gentilibus. Probabile putãt aliqui.* S. Augustin. Bellarm. Ledesma.

Vtrum autem prædicta consuetudo simul, & dispensatio, seu concessio pluralitatis vxorum extensa quoque fuerit ad Gentiles? non consentiunt Auctores. Aliqui dicunt esse probabile ad illos etiam peruenisse. Ita videtur docere Augustin. *l. 22.* contra Faustum *c. 47.* docetque Bellarm. *l. 1. de matrimonio c. 11. Propositione 6.* Ledesma 2. *p. 4. q. 67.* Valentia *tomo 4. disp. 10. q. 1. puncto* 3. Sanchez citatâ *disp. 80. lib. 7. num. 13.* Tannerus *supra num. 104.* Valentia. Sanchez. Tanner.

547. *Probabilius est fuisse id datum populo fideli & reuocatum à Christo.* Sotus. Sanchez Angles. Henriq. Barth. Ledesma. *Alij Recentiores. Nulli iam id licet. Tridentinũ contra Lutherum. Idem habetur in corpore iuris.*

Probabilius tamen est, quod docet idẽ Sanchez ibi & Sotus *in 4. disp. 33. q. 1. art. 2.* Angles in Florilegio *1. p. de matrimonio q. 7. art. 1. diff. 3.* Hẽriquez *lib. 11. de matrimonio c. 2. n. 3. & lib. 12. cap. 6. n. 2.* Bartholom. de Ledesma *de matrim. dub. 72. concluſ. 6.* aliique Recentiores, tum Scholastici, tum expositiui docentes, quod ea concessio populo fideli facta sit in lege veteri, & reuocata sit à Christo Domino. *Matth. 5. & 19.* vbi reduxit matrimonium ad suam pristinam & naturalem institutionem, dum dixit mœchari, & adulterum esse eum, qui dimissâ vxore aliam duxerit. Hinc est, vt nulli quantumuis baptizato, liceat habere plures vxores, vt contra Lutherum definit Tridentinum *session. 24. Canone 2.* docens id esse iure diuino prohibitum & legi potest Bellarminus *1. de matrimonio c. 10.* Legatur etiam Canon. *si quis 3. 2. q. 2. & c. Gaudemus* de *Diuortiis*, eademque doctrina constat ex toto titulo *de sponsa duorum.*

DVBITATIO XLIV.

An pluralitas coniugum successiue sit valida & licita?

548. *Hæretici quidam negarunt valere aut licere, vt cõstat ex Patribus testatur hoc. S. Augustin. Nicænum. Concil. & alij Patres apud Bellarminum & alios.*

NOn pauci Hæretici, vt Montanus, & Cataphrygæ, item Cathari, teste Augustino *lib. de hæresibus cap. 26. & 38.* & Tertullianus *lib. De Monogamia*, teste eodem Augustino *cap. 86.* item Nouatiani, vt constat ex Concilio Niceno *Canone 8.* aliique apud Bellarminum & alios Recentiores, putarunt secundas nuptias, etiam mortuo priore coniuge, omnino esse damnandas in Ecclesia Dei, vt videre est apud Bellarm. *libr. 1. de matrimon. cap. 9.* apud Sanchez, & Coninc infra, qui rectè prædictos hæreticos reiiciunt.

549. *Assertio certa in Ecclesia nullo iure prohiberi. S. Ambr. S. Hieron. S. Augustin. S. Chrys. Omnes Doctores Theologi vt testantur multi.* Bellarm. Sanchez. Coninc. Perez. *Constat ex Scriptura.* Ad Rom. 7. 1. ad Cor. 7. *Vsus, & praxis Ecclesiæ.* Concil. Florentin.

Asserendum ergo est, tanquam certum in Ecclesia Dei, nullo iure esse prohibitas secundas nuptias. Ita docet Ambrosius *lib. de viduis.* Hieronymus *epistol. 11.* Augustinus *libr. de bono viduitatis.* Chrysostomus *Homilia 21. in Epistolam ad Ephes.* Cum quibus id docent, tanquam fide certum omnes Doctores Theologi, vt testantur Bellarminus supra. Sanchez *libr. 7. disput. 81.* Coninc *disputat. 26. num. 2.* Perez *disput. 35. sect. 5. num. 1.* idque satis constat ex Paulo ad *Roman. 7.* & *1.* ad *Corinth. 7.* & ex vsu praxique Ecclesiæ, & omnium Gentium expresseque definitur ab Eugenio 4. in Concilio Florentino *in institutione Armenorum.*

550. *Ratione probatur. Secundum matrimonii fidelium est Sacramẽtii.*

Ratio verò est; quia primæ nuptiæ morte alterius coniugis dissoluuntur, ac proinde nullum possunt sequentibus ineundis impedimentum præstare, neque aliquis est, cui sit superstes coniux obligatus: ergo tanquàm liber poterit contrahere cum altero, neq; ex priori matrimonio vllum restat impedimentum, & adhuc manet finis vterque matrimonij, prolis scilicet generatio, & concupiscentiæ remedium, & nihil etiã deest huic secundo matrimonio, quo minùs sit verè, & propriè Sacramentum iuxta definitio-

Trident. definitionem Tridentini *sessio.24. Canone* 1. De Sacramento matrimonij; vbi sine vlla exceptione definit matrimonium in Ecclesia Dei esse vnum ex septem Sacramentis: Atqui secundæ nuptiæ, & quæuis vlteriores sunt legitimum matrimonium in Ecclesiâ: ergo & Sacramentum.

551. *Occurritur obiectioni.* Quod autem iuxta vsum Ecclesiæ soleat negari benedictio secundis nuptiis, maximè quando alteri præsertim feminæ iam fuit concessa, non ideò fit, quia sunt inualidæ, aut illicitæ nuptiæ; sed ne benedictio repetitione vilescat, & adhuc moraliter censetur durare præcedens.

552. *Occurritur alij obiectioni.* Concil. Laodicen. Minùs etiam obstat, quod in Concilio Laodiceno, *Canone* 1. imponatur Pœnitētia illis, qui ad secūdas nuptias transeunt; neque enim id fit propterea quòd putentur illicitæ secundæ nuptiæ, cùm ibi absolutè dicantur licitæ; sed tātùm imponitur ob præsumptam intemperantiam.

553. *Occurritur Tertiæ.* Multò etiam minùs obstat, quòd in Ecclesiâ ob hanc polygamiam statuatur irregularitas; id enim non fit propter culpam, quasi polygamia sit res illicita; sed, quia in secundo matrimonio deficit perfecta ratio Sacramenti non quidem quatenus est vnum ex septem nouæ legis gratiam conferens; hæc enim significatio nullo modo deficit; sed Sacramenti latiore aliâ significatione sumpti, quia, scilicet, in secundis nuptiis non reperitur perfecta significatio coniunctionis vnius Christi cum vnâ Ecclesiâ. Quâ de re dicimus *Tractat.* 10. qui est de Censuris agentes de irregularitate *disp.7.dub.12.* vbi etiā dicimus à quibus, & in quibus casibus irregularitas incurratur.

554. Vtrùm autem secundis nuptiis licitum sit adhibere benedictiones nuptiales? dicemus *disp. sequenti.*

DISPVTATIO TERTIA.

De matrimonio clandestino & carente debitis solemnitatibus.

1. *Solemnitates aliquæ in hoc contractu ex præcepto Ecclesiæ seruandæ.* VT ex dicendis hac disputatione constabit, requiruntur in matrimonio, saltem ex præcepto Ecclesiæ aliquæ solemnitates, siue pro ipso contractu, siue post ipsum ad accidentale complementum illius. de quibus placet nunc in particulari disputare.

DVBITATIO I.

Quid sit matrimonium clandestinum? & an sit illicitum?

2. *Non omnes modi clandestini matrimonij à quibusdam assignati admittuntur.* *Duæ quasi species tantum admittendæ.* Sanchez. *Primus modus clandestini magis propriè.* *Secundus modus clādestini minùs propriè.* OMitto plures modos clandestini matrimonij, quos aliqui comminiscuntur, quosque refert, & meritò reiicit Sanchez *libr.3. de matrim.disp.1.n.1.2.* & 3. vbi duas tantùm, quasi spēcies matrimonij clandestini meritò agnoscit: alteram omnino propriam: alteram minùs propriam. Quæ distinctio ex ipsa nominis notatione colligi potest; nam clandestinum dicitur, quod clam fit, id est occultè. Sic ergo matrimonium dicitur clandestinum, quod contrahitur absque testibus sufficientibus ad plenam illius probationem: eâ enim ratione contractum non poterit sufficienter Ecclesiæ constare iuxta ipsius præscriptum. Alio modo minùs propriè dicitur clandestinum, quando fit quidem coram sufficientibus testibus; sed absq; præmissis denunciationibus ab Ecclesiâ requisitis, tunc ergo secundùm quid dicitur clandestinum, nimirum quatenùs est aliquo modo occultum, quia non fuit iuridicè denunciatum, seu publicum. Nunc ergo in hac dubitatione, & proximè sequentibus de primo & proprio modo clandestini matrimonij disputamus. Tale autem dicitur matrimonium (vbi Tridentinum Concilium receptum est,) si fiat absque Parocho, vel alio sacerdote de consensu ipsius, & absque aliis duobus testibus. De clandestino verò posteriori modo, & de solemnitatibus, seu benedictionibus nuptiarum, quæ etiam pertinent ad aliqualem matrimonij publicam notitiam, postea dicemus. *Nunc de primo agendum.* Trident. *Postea de secundo.*

3. *Proponitur quæstio præsens.* Quærimus ergo, an sit illicitum matrimoniumiclandestinè contrahere, saltem iure Ecclesiastico?

4. *Illicitum est sic contrahere ante & post Tridentinum.* Consentiunt Auctores esse illicitum, non solùm Auctoritate Tridentini *sess.24. c.1. de Refor. matrimonij* sed multò ante 30. *q.5. Canone* 1. & 2. *& in c. finali de clandestina desponsatione.* Vbi etiā erat prohibitum matrimonium factum absque testibus; imò in eo *Canone* 2. prohibetur etiam fieri absque præsentiâ sacerdotis, vbi sermo videtur esse de Sacerdote proprio, id est proprio Parocho; quod si prohibitum est & illicitum procul dubio mortaliter illicitum erit. estque communis sententia Doctorum & vera. post S. Thomam *in 4. distinction. 28. q. vnicâ artic.3. & 3. par. q.45. artic.5.* satisque probatur ex *citata causa 30. q.5. cap.1. & 2. citatis*, satisque patet ex periculis, quæ ex matrimonio clandestino facilè possunt euenire; quia *frequenter* (inquit S. Thomas *suprà ad 3.*) *in talibus est aliqua fraus ex altera parte; frequenter etiam ad alia coniugia transeunt, dum pœnitet de illis, quæ subitò facta sunt &c.* Vnde sumunt occasionem viuendi in perpetuo adulterio, & quidem Ecclesia, vt iam alibi notauimus; poterit cogere aliquem ad viuendum & habitandum cum vxore non verâ, relictâ verâ; quia nimirum de primo matrimonio verè contracto clandestinè, si validum sit, non constat Ecclesiæ, cui constat de secundo inualido; ac proinde potest, & solet cogere stare secunda matrimonio falso, prætermisso primo vero, & ad hæc, & similia inconuenientia vitanda meritò potest censeri materia grauis huius præcepti, *Mortale erit id non seruare.* S. Thom. *Constat ex iure Canonico & ex Ratione. Ratio S. Thomæ.*

atque

atque adeò peccatum mortale illi contraire.

5. *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis, post Tridentinum, vt postea videbimus, matrimonium clandestinum est irritum, & inualidum, ac proinde cessant antiqua damna, solumque videtur actus quidam otiosus, quia sic contrahens videns matrimonium non valere, non habet efficacem voluntatem contrahendi, quia hæc ad impossibile ferri nequit: ergo saltem post Tridentinum vbi illud viget, non erit mortale.

6. *Respondetur.* Respondetur cum Sanchez *lib.3.disp.3 nu.6.* etiam post Tridentinum ex ipsomet Tridentino satis constare esse peccatum mortale; nam citatâ illâ *sess.24.c.1.* seriò præcipit, ne contrahatur absque Parocho, & testibus; nec iura antiqua, quibus attentis erat mortale, corrigere intendit, quin potiùs ait se ipsorum vestigiis inhęrere. Quamuis autem consensus efficax esse non possit circa obiectum impossibile; nihilominùs ipsa attentatio, complacentiaque contraueniēdi tali præcepto, meritò censetur graue delictū, maximè cùm inter fideles contractus sit etiam Sacramentum, in quo etiam irreuerentia, & irreligiositas apparet. Verum quidem est pœnas impositas in matrimonio clandestino valido non incurri in clandestino inualido, vt probat Sanchez *lib.3.disp.2.numer.* 5. & iterum dicemus *dub.23.remissiuè.*

7. *An sit illicitum etiam iure naturali.* Iam vero disputandum restat; an non solum iure positiuo Ecclesiastico peccatum sit clandestinè contrahere; sed etiam iure naturali?

8. *Parochus iure naturali non requiritur ad matrimonium. Quæstio est de testibus.* Certum est, quod attinet ad Parochum, iure naturali non requiri, vt ex se patet. Solùm ergo restat, an adhibere testes aliquos contrahendo matrimonio, sit iure naturæ requisitum, ita, vt omittere sit mortale?

9. *Sententia affirmans esse mortale contra ius naturæ.* Sanchez. *Ratio.* S.Thom. Caietan. Petr.Soto. Palatios. Veracruz. *Alij apud* Sanchez. Sanchez citatâ *disp.3.n.8.* putat non adhibere testes esse mortale contra ius naturæ; quia sic clandestinè contrahere expositum est periculo deserendi proprium coniugem, transeundi ad alias nuptias, & aliis etiam incōmodis, de quibus suprà cum S.Thoma *in 4. dist.18.q.vnicâ ad 3.* dicebamus. Imo addit S.Doctor sic contrahere speciem mali habere. Eiusdem sententiæ est Caietanus in Summa verbo, matrimoniū. Petrus de Soto. Palatios, Veracruz Mathienzo & alij quos refert Sanchez.

10. *Assertio negans.* Coninc. Caietan. *Sibi contrarius,* Sotus. Barthol. Ledesma. Hurtado. Perez. *Ratio.* Asserendum nihilominus est non esse peccatum mortale. Ita Coninc *disp.27.dub.1.* Caietanus sibi contrarius to.1.opusc. *tract.12. de matr. q.2.* Sotus *in 4.dist.28.q. 1. art.2.* Bartholom. à Ledesma *dub. 21. de matrimonio* qui rectè inde infert contrahentes non baptizatos non peccare, quia Ecclesiæ legibus non adstringuntur. Hurtado *disp.5. diff.1.n.3.* Perez *disp.39. sect.2.n.4.* Ratio verò huius veræ sententiæ est, quia, si contrahere absque testibus iure naturali esset peccatum, ideò esset, quia sic contrahentes exponerentur tali periculo; huic autem regulariter non exponuntur; quamuis enim id aliquādo accidat ob peculiarem quorundam malitiam, aut fragilitatem; non tamen id adeò frequens est, neque homines ad id tam proni sunt, vt meritò generaliter quisque possit timere de se ipso, quod deseret suum coniugem; nisi in contractu adhibeat testes; maximè cùm possit huic periculo subueniri aliis viis, vt si paulò post velint alios certiores facere de inito matrimonio, aut Chirographum tradere, aliaúe similia remedia adhibere; non ergo sic absque testibus contrahere est iure naturali, seu ex naturâ rei illicitum, cùm ex naturâ rei non sit tale periculum annexum, & in iis casibus, in quibus fortè sit, possint alia remedia adhiberi.

DVBITATIO II.

An matrimonium clandestinum sit irritum & nullum iure naturæ? Vbi de iure Ecclesiastico potente irritare.

11. *Quidam putarunt etiam ante Tridentinū fuisse irritū.* Cassanæus. *Alij apud Sanchez. cōsentiunt ex parte Basilius.* NOn desunt, qui putent etiam ante Tridentinum à tempore Euaristi Papæ fuisse irrita matrimonia clandestina. Ita Cassanæus *in Catalogo gloriæ mundi p.12.consid. 36.* & alij apud Sanch. *l.3. disp.3.n.1.* quibus ex parte assentitur Basil. *l.5. de matrimonio c.3.*

12. *Oppositum est veri, & colligitur ex Tridentino.* Oppositum nihilominus colligitur ex Cōcilio Tridentino, vbi in posterum ea matrimonia irrita redduntur *sess.24.c.1. de reform. matrimonij.* vbi dicitur talia matrimonia esse rata, & vera, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, ex quo satis constat iure præciso naturæ non esse irrita, alioquin semper fuissent irrita, & inualida & etiam infra supponit, dum ait Sanctam Dei Ecclesiam semper illa matrimonia detestatā fuisse, & prohibuisse, etiam huiusmodi prohibitionem propter inobedientiam non prodesse; descenditque ad irritandum matrimonium eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddens & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernens. Quod si iam ante Tridentinum essent nulli non esset cur Tridētinū iactaret se nouum remedium efficacius adhibere; sed tantùm dixisset antiqua decreta Ecclesiastica statuere, aut renouare, aut etiam declarare iure naturæ non valere nec valuisse etiam olim. Quod autē possit irritare contractum, & hunc irritando non fieri Sacramentum, cùm hoc non subsistat absque contractu, constat ex iis, quæ diximus variis in locis, præsertim de Sacramentis in genere *to.1.tr.1.disp.1.n.367.* & locis ibi notatis, ideò repetenda non sunt. Vide etiam quæ dicemus *disp.7.dub.1. vbi plura de hoc.*

13. *Vbi Tridentinum non viget adhuc valet clandestinum.* Ex hac doctrina infertur, vbi Tridentinum non viget, adhuc matrimonium clandestinum esse validum; quidquid aliqui dicant absque fundamento, vt mox declaro.

14. *Occurritur obiectioni quæ peti posset ex iure Canonico.* In *Canone* 1.30.*q.5.* vbi matrimonia clandestina, hoc est absque testibus, appellantur stupra, & contubernia non legitima, dicuntur tamen talia, solùm quoad præsumptionem Ecclesiæ, quæ non præsumit esse aut fieri id, quod occultatur ipsi, & ita clam fit, vt iuridicè constare nō possit, quando præsertim est contra legem ipsius, vt erat matrimonium clandestinū. De potestate vera Ecclesiæ ad irritandum matrimonia clandestina vide *infra disp.7.dub.1.*

DVBITATIO III.

An matrimonium Clandestinum absque Parocho & testibus inualidum saltem valeat, vt sponsalia?

15. *Prima sententia affirmans.* Coninc. Henriq. *Alij.* Congreg. Cardinal. *Ratio. Ex iure Canonico à simili.*

PRima sententia est valere. Ita Coninc *disp.* 21. *dub.* 4. Henriq. *l.* 11 *c.* 5. & alij apud Sanch. *l.* 1. *disp.* 20. *n.* 2. testaturque Henriquez ita declarâsse Congregationem Cardinalium. Probari verò potest ex *c. vnico de desponsatione impuber. in* 6. vbi decernitur matrimonium impuberũ, quod est nullum, efficere obligationem sponsalitiam, vt actus, qui non valuit eo modo, quo gestus est, valeat saltem eodem modo, quo geri poterat, quod cõfirmari potest, & declarari, quia, vbi id, quod fieri poterat, includitur sub eo, quod fit, actus licèt sit inualidus eo pacto, quo fit; valet eo pacto, quo fieri poterat *L. Tam angusti ff. de seruitute.* Sed contractus matrimonij includit contractum sponsalitium, vt docet Couarr. 4. *Decretal. 1. p. c. 3. in fine.* Probarique potest, quia, cùm matrimonium sit vinculum perpetuum, vt deinceps coniuges vnum sint, eo ipso quòd consentiunt in matrimonium, volunt tunc & tempore futuro iungi, ergo obligari volunt in futurum; hoc autem est velle sponsalia, ergo valebit, vt sponsalia clandestina, quæ valida sunt iuxta dicta *disp.* 1. *dub.* 24.

Confirmatur ex iure ciuili. Couarr.

16. *Assertio cũ contraria sententia negante.* Nauarr. Gutierr. Palatios. Ledesma. Rodriq. Vega. *Alij apud* Sanchez. *Verum est hoc etiamsi iuramento firmetur.* Gutierrez. Azeuedo. Diana. *Cum aliis.* Perez. *Ratio. Ad textum in contrarium. Explicatur & ostenditur non esse ad rem.*

Asserendum nihilominus est, neque vt sponsalia valere. Ita Nauarr. *l.* 4. *consilior. in* 1. *edit. tit. de sponsalib cons.* 1. *n.* 3, in secunda verò *tit. de clandestina desponsatione cons.* 3. *n.* 3. Gutierr. *de iuramento* 1. *p. c.* 51. *à n.* 28. Palatios, Petrus de Ledesma, Rodriquez. Vega & alij apud Sanch. *cit. disp.* 20. *n.* 3. qui etiam & meritò *n.* 4. addit idem dicendum esse, etiamsi matrimonium iuramento firmetur. Ita etiam Gutierr. *suprà*, & Azeuedo *l.* 5. *Recopil. tit.* 1. *n.* 28. Diana cum aliis 3. *p. tr.* 4. *res.* 258. Perez *disp.* 17. *sect.* 12. *n.* 11. Ratio verò est efficax; quia tale matrimonium clandestinum non obligat iure naturali, tanquàm contractus sponsalitius, verba enim de præsenti nullam continent promissionem de futuro adhuc implicitè. Deinde nullo iure positiuo obligat, vt sponsalia; nullum enim ius afferri potest, quod ita decernat. Nam quod affertur *ex c. vnico de desponsatione impuber.* tantùm de impuberum matrimonio loquitur, & quidem publico, non verò de clandestino matrimonio puberum, de quo nunc agimus, & quamuis matrimonium puberum clandestinum iuramento firmetur, nihil fit, quia vel cadit iuramentum suprà contractum contra bonos mores, & ideò ius tali iuramento resistit; vel iuramentum solùm cadit supra contractum inualidum, atque adeò non confirmat, quod non est. Quodsi aliquando iuramentum superueniens iuuat, vt contractus alioquin inualidus valeat, hoc est ex dispositione iuris, quâ de re dicimus agentes *de iuramento disp.* 3. *dub.* 11. *& sequentibus.*

17. Ex dictis patet âd fundamentum aduersariorum; constat enim in citato Textu tantùm agi de matrimonio impuberum.

18. Ad probationem verò & confirmationẽ negandum est in eo Textu inferri matrimonium impuberum nullum in ratione matrimonij valere, vt contractum sponsalitium ex eo, quòd actus, qui non valet, vt geritur, valeat, vt potest, quasi ibi supponatur verba de præsenti in se ipsis includere obligationem sponsalitiam. Nã eo textu absque illatione vlla illud decernitur pro matrimonio impuberum, ita, vt valeat pro sponsalibus ex interpretatione iuris, tantumq; in eo Textu infertur, quod contractus matrimonij impuberum, qui non valuit vt agebatur, sed vt ex iuris dispositione potuit; nempe, vt sponsalitius, inducat impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex contractu sponsalitio. Præterea illud axioma, quòd quando actus non valet, vt agitur, tunc valeat eo modo, quo valere potest, solùm intelligi debet, quando est defectus ex parte causæ efficientis, seruatâ alioquin legitimâ formâ, vt contingit in matrimonio impuberum, quod tantùm deficit ex parte ætatis cõtrahentium, in nostro autem casu defectus est ex parte causæ efficiẽtis, & etiam formæ. In quo casu non subsistit contractus, vt cum Barthol. & aliis probat Sanchez *supra.* Quod autem sit defectus ex parte causæ efficientis constat ex Tridentino *sess.* 24. *c.* 1. ibi. *Ad sic contrahendum eos Sãcta Synodus omnino inhabiles reddit.* Quotiescunque autem contractus claudicat ex parte causæ efficientis etiam solius, si ius illi resistat; nec valet tunc, vt agitur, neque vt agi potuit, vt probat etiam cum aliis idem Sanchez, constatque *ex c. Quod in dubiis de Renunciat.* Tridentinũ verò omnino resistit matrimonio clandestino, atq; adeò contractus nec valet, vt agitur, neque vt agi potuit.

Ad probationem & confirmationem. Respõdetur. Barthol. Sanchez. *Alij.* Trident.

19. *Ex alio capite potuit in clandestino inualido in alterutro vel vtroque contrahente oriri obligatio.* Sanchez.

Poterunt tamen contrahentes, vel alter illorum manere obligati ad contrahendum, siue ratione damni illati, quando v. g. vir contrahens clandestinè copulam habuit, siue ratione volũtatis satis explicatæ, quam habuerunt contrahentes se obligãdi eo modo, quo possunt. Cùm enim potuerint per sponsalia se obligare, tunc manebunt obligati, non tamen merè & præcisè ex vi matrimonij clandestini attentati; sed ex vi adiuncti animi, & contractus sponsalitij ibi imbibiti. Legatur Sanchez supra *n.* 5. *&* 6. vbi rem latiùs explicat, & plures Auctores refert.

20. *Ad declarationem congregationis Cardinaliũ. Respõdetur opponendo etiã declarationẽ talẽ.*

Quod verò attinet ad declarationem Congregationis Cardinalium opponi potest declaratio Congregationis, etiam Cardinalium, quã Rebell. affert agens de hoc ipso matrimonio clandestino *n.* 59. ex quo credi potest, aut relationem ab Henriquez factam non esse legitimam; sed fortè deceptum fuisse ex eo, quòd Congregatio Cardinalium id declarauit de matrimonio impuberum, quod non est ad rem nostram; vel certè illi declarationi obiicimus alteram oppositam (quod non semel solet contingere in prædictis declarationibus) nisi dicamus declarationem factam pro sententiâ aliorũ solùm fuisse in casu particulari, in quo ex aliis signis, & argumẽtis potuit colligere congregatio Cardinalium esse voluntatem in contrahentibus se obligandi eo modo, quo possint, in quo iam diximus posse reperiri obligationem sponsalitiam.

DVBITATIO IV.

An matrimonium clandestinum sit aliquando validum?

21. *Valet vbi Tridentinũ nondum est publicatum aut receptũ.*

STatuendum inprimis est ex communi Doctorum consensu valere in locis, in quibus Tridentinum non est publicatum, imò etiamsi publicatum sit; sed non receptum. Primum cõstat ex ipso Tridentino *sessione.* 24. Secundùm ex doctrinâ generali, quòd leges non obligant, quousque sint receptæ. Quâ de re legi potest Sanchez, & alij, quos refert *libr.* 3. *disputation.* 18. *in principio* & Perez *disputat.* 39. *section.* 4. *numer.* 1. imò ipsum Tridentinum non obligat ad eam legem; nisi post triginta dies numerandos à publicatione in vnaquaque Parochia. Quod si iam decem anni transierint post publicationem, & non recipiatur lex; communis est sententia Doctorum *in cap.* 1. *de Treguâ, & pace*, non obligare. Docentque pro nostro casu Nauarrus, Ledesma, Rodriquez, quos refert & sequitur Sanchez ibidem. Item valebit, si Pontifex in ea lege dispenset vt notat Perez supra & alij, in quo non licet dubitare.

Sanchez cũ Aliis. Perez.

Tridentinũ non absolute obligat. Si decem anni transeant post legis publicationem & non recipiatur, non obligat lex. Nauarr. Ledesma. Rodriq. Sanchez. Perez.

22. *Leges Ecclesiastica solùm obligãt spiritualiter Ecclesiæ subiectos.*

Certum vlteriùs est etiam subditos Ecclesiæ in temporalibus, & habitantes vbi Tridentinũ est receptum, non teneri; quia leges merè Ecclesiasticæ, qualis est hæc, solùm obligant eos, qui sunt Ecclesiæ spiritualiter subiecti.

23. *Res tota quæsitis variis decidenda.*

Solùm ergo quærimus in aliis casibus particularibus sigillatim decidendis in hac & sequẽtibus dubitationibus.

24. *Quæritur* 1.

Quæritur primò; an quando in articulo mortis, aut extra nequit matrimonium omitti, aut differri absque graui incommodo, & Parochus nequit haberi, celebretur validè absque? eo nomine Parochi intelligimus etiãeum, qui vices illius gerit.

25. *Prima sententia affirmans Veracruz putat probabilem.*

Prima sententia docet valere dummodo fiat coram aliis testibus, quantumuis Parochus absit. Ita Veracruz *in Appendice ad speculum dub.* 4. & 5. *in solutione ad* 2. *obiectionem.* Id autem docet tanquàm probabile putans Tridentini decretum intelligi, vbi est copia Parochi. Quare in Hæreticorum locis, & in nouo orbe vbi, vel non est Parochus, vel per integrum annum non habetur, probabile aliqui putant posse matrimonium celebrari cum duplici teste absque Parocho. Idem docet Vega pro articulo mortis, vel quando tutores volunt indigno matrimonio collocare puellam. Item Capua *libro* 2. *Decisionum cap* 85. *numer.* 8. & quod attinet ad articulum mortis dubius manet Azebedo *libr.* 5. *recopil. titul.* 1. *l.* 1. *numer.* 38. Cuius sententiæ fundamenta latè affert Sanchez *libr.* 3. *disputation.* 17. *numer.* 3. Sed omnia argumenta, si rectè expendantur, reuocari possunt ad vnum, scilicet, quòd lex positiua, præsertim humana, non obligat cum graui incommodo, vt in lege ieiunandi, recitandi Diuinum officium, atque vniuersim leges omnes positiuæ accipiunt interpretationem ex Epiikia pro casibus cum talibus circumstantiis, cum quibus non censetur mens legislatoris obligare velle. Vnde præceptum Ecclesiasticum in magnâ necessitate non obligat. Sic in magnâ necessitate possunt non præmitti denuntiationes, quas etiam requisiuit Tridentinum in matrimonio, etiam non consulto Episcopo, quando est periculum in morâ; neque etiam credendum est olim Concilium Lateranense prohibuisse, & detestatum fuisse matrimonia clandestinè contracta in vrgentissima necessitate: ac proinde neque Tridentinum, quod hanc legem irritantem sanciuit Lateranensis Concilij vestigiis inhærendo, vt idem Tridentinum testatur *c. illo* 1. credi debet voluisse pro tali casu obligare; idque maximè in articulo mortis, vbi inconuenientia, quibus occurri voluit, locum non habent, nullum enim est periculum perpetui adulterij cùm statim matrimonium illud sit morte dissoluendũ. Et quidem, si saltem loco Parochi adsit alius Sacerdos, credendum videtur prudẽter, quòd Parochus pro eo casu concederet licẽtiam Sacerdoti: ergo sufficiet illa licentia præsumpta: imò idem credi debet de iure ipso; sicut enim pro articulo mortis conceditur, quòd plus est, cuilibet Sacerdoti, nempe absolutio à quibuscumque peccatis & Censuris: ita etiam cõcedi præsumitur, quod minùs est, nẽpe assistere matrimonio.

Ioan. de Dicastillo de Sacram. Tom. 3.

Vega alios casus affert in quibus putat valere. Capua. Azebedo. *Probant pluribus argumentis quæ reuocantur ad vnum. Argumentũ generale.*

Adiungunt aliquid simile. Lateran. Cõcilium.

Confirmant à simili.

26. *Secunda & vera sententia negat valere.* Sanchez. Coninc. Basilius. *Alij apud* Sanchez. Diana. Perez. Hurtado. *Probant.*

Secunda nihilominùs & vera sententia est non fieri tunc validum matrimonium absque Parocho, quantumuis fiat coram multis testibus. Ita Sanchez *citat. disp.* 17. *n.* 4. Coninc *disp.* 27. *dub.* 1. Basil. *l.* 5. *c.* 6. & alij multi apud Sanch. quibus adde Dian. 3. *p. tr.* 4. *res.* 234. & 5. *p. tr.* 3. *res* 98. Item alij apud Basilium, & docet Perez *sup. n.* 4. & Hurtado *disp.* 5. *diff.* 3. qui omnes rẽ latè probant, præcipuum tamen fundamentum est, quia Tridẽtinum ita irritat matrimonium, vt reddat personas inhabiles ad clandestinè contrahendũ; nullâ adhibitâ limitatione talis inhabilitatis: ergo tales personę nullâ necessitate possunt habiles fieri, & matrimoniũ sic ab illis contractũ valere; quamuis enim vrgens necessitas excuset ab obligatione legis præcipientis, aut prohibentis, etiamsi lex sit diuina, quatenùs prudenter iudicari potest pro tali casu non prohibere: non tamen ea necessitas efficit habilem aliàs factum inhabilem per legem, neque efficit validũ, quod aliàs per legem irritantem factum est nullũ, vt videre est in lege irritante matrimonium inter consanguineos factos inhabiles per legem ad contrahendum inter se, quæ inhabilitas nullâ vnquã necessitate, euanescit. Ex quo fundamẽto corruunt omnia, quæ pro contrariâ sententiâ adducta sũt; neq; enim illa Epiikia pro legibus præcipientibus, & prohibentibus, habet locum in legibus irritantibus, aut inhabitantibus.

Ex dato fundamento corruunt oppositа argumenta.

27. *Expenditur verbum in Tridentino.* Sanchez. *Cum aliis.* Tanner.

Recte etiam expendit Sanchez illam particulam Tridentini, dum ait *omnino inhabiles*: particula enim *omnino* significat in omni euentu, sine vllâ exceptione, quia nimirũ est dictio præcisa, vt latè probat idem Sanchez cum aliis *l.* 1. *disp.* 32. *nu.* 6. & sequitur Tanner. *disp.* 8. *q.* 3. *dub.* 6. *numer.* 115.

28. *Quid de locu in quibus nequit Parochus haberi? Testatur Coninc ex Cle. VIII. valide fieri ibi sine Parocho.*

Quod verò attinet ad oppida in quibus haberi nequit Parochus, nec adiri in locis proximis. Coninc *supra* ait Clementẽ VIII. declarâsse matrimonium in talibus oppidis validè fieri sine Parocho; quod tali Auctori sic testanti

Potest videri non pura declaratio illa Papæ sed dispensatio. Perez.

credi potest; possumus autem dicere illam non esse puram declarationem, vt putat Perez *n.5.* sed fuisse dispensationem in lege Tridentini; quamuis ex alio capite possumus etiam dicere fuisse declarationem puram, quia nimirum in illis locis desinit esse Ecclesia, & Parochia etiamsi olim publicata lex fuerit; si enim in illis locis, nequit haberi Parochus, quia Parochus iam non est, imò nec Parochia propterea, quod superuenientes Hæretici, aliúe infideles omnia destruxerunt, censetur moraliter destructa Parochia etiamsi alioquin maneant & templum materiale, & aliqui subditi fideles. Destructâ autem Parochiâ cessat lex aut certè promulgatio legis in tali & pro tali Parochia; si enim hęc non est; nec promulgatio in illa erit; tale enim accidens morale destructo subiecto morali destruitur, sicut in physicis dixit Philosophus *corruptis nobis, corrumpuntur ea, quæ sunt in nobis.* Deficiente autem promulgatione, deficit etiam vis legis Tridentini inhabitantis, & potiori ratione vis legis antiquæ prohibentis matrimonium clandestinum. Atque in hoc sensu rectè potuit etiam merâ declaratione declarare Clemens VIII. Legem Tridentini non habere vim in tali casu.

Probabile etiam fuisse declarationem.

29. *Notandum pro praxi casum possibilem in quo sine Parocho valeat.*

Et sanè durum satis videtur, etiam seclusâ quauis Pontificis declaratione non posse contingere casum, in quo lex in aliquo loco, seu Regione promulgata inhabilitans contractum, seu personas contrahentes ad contrahendum intelligatur cessare: Quis enim dicat non posse validè contrahi matrimonium absque Parocho & testibus, si in Hispaniâ v.g. iterum (quod Deus auertat) superueniant Mauri, & Templis, parochiis Ecclesiisque destructis pauci fideles baptizati ibi maneant? An fideles ibi manentes Parochis, & Episcopis, aliisque superioribus Ecclesiasticis orbati non poterunt ibi contrahere matrimonium, sed cogentur cælibem vitam agere, vel ad alias Regiones extra Hispaniam transire, vt ibi possint coram Parocho, & testibus inire matrimonium? Ego certè nunquàm credam, quamuis enim ibi promulgatum fuerit Tridentinum, & inhabiles reddiderit fideles ad sic contrahendum, postea nihilominus destructâ Ecclesiâ, Parochiis & Diœcesibus censetur destructa promulgatio in Parochiis, cùm nulla iam restet in eo Troiano excidio Ecclesia, aut Parochia; sed *campus vbi Troia fuit.* Pari ergo ratione in his Regionibus, Septemtrionalibus præsertim in Saxonia, & similibus, vbi ne nomen quidem Parochi auditur, aut Parochiæ Catholicæ (etiamsi fortè olim alicubi fuisset promulgatum & receptum Tridentinum) intelligi iam potest lex, aut illius promulgatio cessâsse, & valere atque licere matrimonium sine Parocho initum, cessante ipsâ inhabilitate per legem inductâ. Atque in hoc sensu intelligi potest Veracruz suprà citatus, & Vega *lib.3. Summæ* casu 361. & hoc ipsum breuiter docet Layman *libr.5. tractat.10.p.2.c.4.n.7.* de quo iterum *dub.10.*

Declaratur exemplo.

Veracruz. Vega.

Layman.

DVBITATIO V.

An ignorantia legis Tridentini excusęt ab obligatione & inhabilitate?

30. *Aliqui testę Conine & Perez dicũtur sentire ignorantiam sufficere inuincibilẽ vt valide fiat. Probatur. Sanchez. Trident.*

NOnnulli apud Coninc *disp.27.n.12.* & Perez citandum dicuntur sentire ignorantiã inuincibilem excusare, vt validè ignorantes cõtrahant absque Parocho & testibus. Probari verò potest, quia inhabilitare est pœna quædã; & statutum inhabilitans censetur pœnale, & odiosum, vt ex aliquibus probat Sanchez *l.3.disp.17.n.9.* Sed Tridentinum *sess.24.c.1.* inhabilitat clandestinè contrahentes: ergo illa lex est pœnalis, pœna autem non afficit inuincibiliter ignorantes, eo quòd culpâ vacent: ergo neque hæc inhabilitas. Confirmatur; quia, quamuis Canon habeat clausulam annullantem, non ligat ignorantes; habet enim in se tacitam conditionem, si peruenerit ad subditorum aures, cumque clausula annullans sit Canoni accessoria; sicut ignorantia excusat à transgressione Canonis, sic etiam ab illa annullatione accessoria excusabit, vt docent Cardinalis Clementina 1. *de Elect. q.18.* & alij apud Sanchez *supra.*

Confirmatur.

Cardinalis & alij apud Sanchez.

31. *Assertio. Nulla ignorantia excusat inhabilitatem sed culpam. Coninc. Perez Hurtado. Sanchez Tanner. Alij.*

Asserendum nihilominus est cum Coninc *supra n.13.* Perez *disp.39. sect.5.* & cum Hurtado *disp.5. diffic.3.n.11.* & Sanchez *n.10.* Tannero *disp.8.q.3.dub.6.n.115.* & aliis apud Sanchez (estque communis Doctorum sententia) nullam ignorantiam inuincibilem excusare ab ea inhabilitate; quamuis enim ea ignorantia excusęt à culpa contra legem præcipientem, aut prohibentem: (deficit enim tunc requisitum voluntarium, quo sine reperiri non potest culpâ) non tamen excusat contra irritantem legem à nullitate, quæ contrahitur ex defectu solemnitatis ad valorem actus requisitæ ex legis præscripto. Præterea, vt rectè notat Sanchez cum multis à se relatis, quoties constitutio exprimit à quo tẽpore debeat obligare, afficit ignorantes, quoad nullitatem actus, licet non afficiat, quoad alias pœnas. Quam sententiam communem esse testatur Nauarrus *l.3.consilior.in 2.edit.tit.de Regul. con.31.n.4.* atqui decretum irritans Tridentini assignat tempus, à quo incipit obligare, nempe transacto mense à publicatione in qualibet Parochia: ergo ab illo tempore obligat, quoad annullationem matrimonij etiam ignorantes. Supponit hæc doctrina duo maximè notãda in hac re. Primum est, duplex esse genus legis irritantis: aliud simpliciter, & absolutè tale, quod fit quando ob bonum, quod est in eo, quod actus sub talibus circumstantiis non valeat, nõ solùm prohibetur, sed etiã annullatur v.g. in fauorẽ & commodũ siue communitatis, siue membrorũ illius, & solet fieri statuẽdo actũ non valere absque tali, vel tali v.g. solemnitate. Aliud verò est genus irritantis legis propriè in pœnã inductã in odium culpæ, vt, qui sic peccat, puniatur nullitate actus, idque primariò intenditur. Quando ergo quis ignorat inculpabiliter, prius illud genus irritantis legis, excusatur quidem à culpâ, sed actus non valet, quia annullatio non

Conflitutio designans tempus à quo incipiat obligatio, afficit ignorantes quoad nullitatem.

Duo maxime notanda in ea doctrina suppo-nuntur. Primum.

Secundum.

non est in pœnam delicti; sed propter bonum quod etiam habet locum, quamuis actus fiat inculpabili ignorantia, atque adeò sine peccato. Quando verò irritatio actus tantùm est in puram pœnam peccati, non habito alio respectu, tunc, si ignoretur inuincibiliter lex; non incurritur ea pœna, quia deest culpa. Quodsi cõtingat hominem ignorare quidem pœnam, sed non prohibitionem, atque adeò peccare; tunc poterit incurri pœna (nisi fortè sit imposita pœna ob specialem contumaciam, quæ non incurritur, nisi cognoscatur etiam pœna, & eâ non obstante velit quis peccare, de quo disputare nõ est huius loci.) Ratio priùs dicti est, quia talis pœnæ ignorantia non excusat à culpâ contra legem, ergo neque à pœnâ irritationis, quæ non infligitur ob specialem contumaciam, qualis reperitur, quando non obstante excommunicatione quis sciens pœnam peccat. Aliquando verò potest infligi pœna irritationis prædicto duplici modo, quia nimirum, & expedit talem actum non habere vim, sed esse irritum, quoties fit sub certis circumstantiis, & quia vult etiam legislator punire eos, qui id faciunt, vel attentant, quo casu dummodò alterutra ratio maneat, satis est, vt incurratur pœna; siue enim quis inuincibiliter ignoret, prohibitionem, siue irritationem, siue vtramque, non valebit actus, quia, licèt non irritetur, vt pœna, irritatur propter bonum commune. Tale autem est genus irritationis in nostro casu, siue enim peccet, siue non, qui clandestinè contrahit, irritatur actus, quia expedit bono communi talia matrimonia non esse valida, vt tollantur inconuenientia, quæ possint ex iis sequi aut timeri, & quamuis in aliquo casu fortè non sequantur, satis est, quòd sit res eiusmodi periculo exposita. Quæ omnia latiùs persequi non est huius loci: ideò etiamsi inuincibiliter ignoretur lex, non valet actus. Legantur Auctores citati præsertim Perez *disputation. illa 39. sect. 5. n. 4. & seqq.* de quibus nos alibi latiùs ex instituto.

Applicatur doctrina ad rem præsentem.

32. Ad fundamentum verò oppositæ sententiæ respondetur nullitatem, & inhabilitatem censeri quidem pœnam, quando inducitur ad puniendos licitè contrahentes; secùs verò, quando ob defectum solemnitatis; in nostro autem casu inhabilitas ponitur in odium matrimonij clandestini, cui deficit prædicta solemnitas assistentiæ Parochi, & testium ob inconuenientia, quæ inde oriri possunt. Præterea, quando clausula irritans apponitur per modum pœnæ, non afficit ignorantes, quoad ipsam pœnam, secùs verò, quando non apponitur per modum pœnæ.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ.

DVBITATIO VI.

An Christiani incolæ, & indigenæ locorum, in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant sine parocho, & testibus in locis, in quibus non obligat? vel è contra?

33. CErtum sit ex communi sententiâ Doctorum validè in his locis in quibus Tridentinum non obligat, contrahi matrimonium ab iis, qui, quantumuis nati, aut incolæ fuerint locorum, in quibus obligat, veniunt cum animo permanendi, aut figendi domicilium; ex tunc enim censentur Parochiani locorum illorum, in quibus non obligat, & non ampliùs eorum locorum, in quibus anteà fuerunt.

Valide sit vbi non obligat Tridentinum ab iis qui ibi figunt Domicilium.

34. Iam verò difficultas est; an validè contrahant, quando in iis locis sunt per modum transitus, aut hospitij? Quidam volunt hoc pendere ex illa quæstione celebertima discutiendâ ex instituto *in tract. de legibus.* an scilicèt peregrini teneantur legibus loci, per quem transeunt, & sui etiam domicilij? Quæ quæstio, eiusue decisio in præsenti supponenda potius est, quã decidenda, de quâ Deo dante dicemus in *Tractat. de legibus.*

In quo sit præsens difficultas. Quorumdã sensus circa hoc dependens ab alterius quæstionis decisione.

35. Henriquez 11. *de matrimonio c.* 3. Rodriq. *to.* 1. *Summæ c.* 219. aliique nonnulli negant posse validè contrahi: huiusque sententiæ fuit etiam olim Vasquez hac de re non semel quæsitus, cuius ego etiam propriâ manuscriptum vidi; nixi scilicèt eo generali fundamento, quod prædicti iam semel comprehensi fuerint lege Tridentini, vt supponimus, atque adeò facti inhabiles ad sic contrahendum; semel autem inhabiles facti, quocunque se transferant, secum ferunt suam inhabilitatem, quia inhabilitas illa immediatè afficit personam.

Prima sententia negãs valere. Henriq. Rodriq. Alij Vasquez. *Fundamentum.*

36. Confirmarique potest à simili de Censurâ maximè excommunicatione, quæ, quia ligat immediatè censuratum quocunque se transferat, secum fert suam censuram.

Cõfirmatur à simili.

37. Secunda sententia probabilior est, magisque communis, quam sequitur Sanchez *lib.* 3. *disp.* 18. *num.* 28. habito respectu ad doctrinam à se datam *num.* 18. nempe ex eo principio generali, quod peregrini in alium locum per modum transitus & hospitij confluentes non teneantur extra proprium domicilium seruare leges & consuetudinem sui domicilij. Eandem sententiam tenent Coninc *disp.* 27. *dubit.* 1. *nu.* 14. Tannerus *disp.* 8. *q.* 3. *dub.* 6. putans hanc sententiam esse valdè probabilem *num.* 121. Basilius *libr.* 5. *c.* 9. Rebell. *lib.* 2. *q.* 7. *sect.* 3. Petrus de Ledesma *de matrimonio q.* 45. *art.* 5 *puncto* 3. Reginald. *l.* 31. *num.* 176. Gutierrez *c.* 61. *de matrimonio num.* 12. Bonacina *q.* 2. *puncto* 7. *n.* 4. & alij Recentiores in quibus Hurtado *de matrimonio disput.* 5. *diff.* 4. *num.* 14. Perez *disp.* 39. *sect.* 6. *n.* 4. Fundamentum verò, quod mihi magis placet, est non solùm, quod peregrini absentes à proprio domicilio non teneantur legibus illius, si contrariæ vigeãt in loco, vbi reperiuntur, sed etiam, quia, licèt concederemus obligari sui domicilij legibus, nihilominùs, quod attinet ad contractus, eorum, scilicèt solemnitatem; seruandæ leges sunt loci, in quo celebrantur, vt constat *ex c. vltimo de foro competenti* & *ex l. si fundus* 6. ff. *de euictionibus* ibi. *si fundus venierit ex consuetudine eius regionis, in qua negotium gestum est, pro euictione caueri oportet.* Quam doctrinam ex multis confirmat Sanchez *numer.* 10. & nos tradidimus in *nostro opere de iustitia* agentes de contractibus in genere, & de Testamentis. Cum ergo matrimonium sit quidam contractus, qui conirahunt in locis, vbi decretum Tridentini nõ viget, validè

Secunda sententia probabilior. Sanchez. Coninc. Tanner. Basilius. Rebell. Ledesma. Reginald. Gutierrez. Bonacina. *Alij Recentiores.* Hurtad. Perez. *Ratio potissima.*

Fundatur ratio in iure Canonico & ciuili. Sanchez.

contrahent absque Parocho,& aliis testibus.

38. *Consequenter ex contrario fundamento pro aliunde venientibus ad locum vbi lex viget dicendũ est oppositũ.* Sanchez. Ledesma. Reginald. Coninc. Bonacina.

Ex hac doctrina colligitur decisio inuersi casus, an scilicèt, si incolæ locorum, in quibus non obligat Tridentinum se transferant,etiam in transitu ad loca, in quibus obligat, possint absque Parocho, & testibus validè contrahere. Consequenter enim dicendum est non posse, quamuis enim concedamus peregrinos non teneri legibus loci transitus, tamen, quod attinet ad contractus solemnitatem,illa regula generalis locum non habet. Ita Sanchez *disp. illâ* 18.*num.*26.Petrus de Ledesma *quæst.*45 *art.*5.*puncto* 3 *dub.vltimo.*Reginaldus *lib.*31.*num.*176. Coninc *supra* Bonacina *suprà num.*5.

39. *Aliorum probatio ex alio principio.* Bonacina. *Sanchezij doctrina reuocans aliã à se datam.*

Alij,inter quos Bonacina,probant hanc doctrinam ex eo, quòd lex generalis, qualis est hæc, etiam obliget vbique,quamuis in proprio territorio non vigeat, quam doctrinam cum multis docet Sanchez *lib.*1.*Summæ num.*39. inde meritò colligens, non licere Castellano transiens per Lusitaniam vesci in die Sabbathi intestinis animalium,etiamsi in propriâ patriâ liceat;sicut Mediolani non licebit peregrino vesci carnibus in quatuor primis diebus quadragesimæ, id enim totum est de iure communi,& non eximitur homo à tali obligatione propter mutationem domicilij, quam doctrinam Sanchez contra se ipsum tradidit loco citato,reuocans eam, quam tradiderat prædicta *disp.*18. *de matrim. num.*7. Ex hoc ergo principio volunt probare aliqui nostram conclusionem, quòd teneantur prædicti transeuntes, per loca vbi viget Tridentinum,seruare prædictum decretum ita,vt inualidè cõtrahant,si ibi absque Parocho & testibus ineant, propterea quòd ea lex iuris communis, est, & lex generalis.Quæ ratio seu discursus mihi non placet; quamuis enim omnino concedamus eam doctrinam de lege cõmuni obligante illum, qui comprehensus fuit lege, etiamsi forte sit in loco, vbi ex consuetudine, & præscriptione, aut priuilegio talis lex non seruetur;nihilominùs ea doctrina pro nostro casu applicari non posset,quantumuis alioquin verissima sit, eamque copiosè, & eruditè probet Suarius *tomo* 1. *de Religione lib.*2.*cap.*14. *num.*27.*&* 28.Neque enim pro nostro casu imò absolutè Lex illa Tridentini censeri debet Lex generalis, quamuis enim lata sit à superiore generali, quale est Concilium, & Pontifex illud confirmans;tamen non censetur adhuc Lex generalis; sed restricta ad loca,in quibus specialiter, & in particulari promulgata fuerit, ita, vt robur non habeat in vnâquaque Parochia, nisi post triginta dies numerandos à die primâ publicationis in eâdem Parochia factæ,vt constat ex ipso Textu.Hinc est vt talis Lex,etiamsi à superiore generali lata sit non fuerit lex, quę primò, & per se generaliter obliget omnes, & posteà peculiari priuilegio, aut consuetudine legitimâ aliqui vel homines, vel loca liberata fuerint ab eiusmodi obligatione, quin potiùs talis lex fuit à principio, vt loca respiciat non absolutè omnia, sed ea, in quibus iam ante triginta dies in propriâ Parochiâ fuerit promulgata. Potest ergo hæc lex censeri alligata cuilibet loco promulgationis,ac proinde(nisi aliud impediret) ex hoc præcisè capite,qui ex loco, vbi lex nondum est promulgata, neque obligat, veniret ad locum, vbi promulgata est, & ibi in transitu non figens domicilium iniret matrimonium, valeret, quia esset ex loco, in quo nondum lex illa viget, neque vnquàm lata fuit absolutè pro loco illo. Placet ergo magis alia ratio petita ex natura contractus, cuius solemnitates requisitæ ad valorem, fieri debent iuxta consuetudinem loci,aut Regionis,in quâ fit.

Ex ea doctrina probant.

Non placet ea ratio.

Doctrina vera sed in hac re non habet locũ.

Suarius.

40. *Ad fundamentum oppositæ sententiæ.*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ contendentis in priori casu de matrimonio contracto in loco, vbi non viget Tridentinum, non valere contractum ibi initum, respondetur ex doctrinâ traditâ id esse peculiare contractibus, vt valeant si fiant iuxta morem Regionis, vt dictum est, & inhabilitatem illam, quam priùs contraxerunt, pendere in fieri, & conseruari à vigore legis.Vnde, vbi non viget, cessabit inhabilitas.

41. *Ad confirmationem.*

Ad confirmationem respondetur,censuram non tolli, nisi per absolutionem;quia sic voluit Ecclesia iuxta ea quæ dicimus *de censuris tract.*10. *disp.*3.*dub.*37. atque adeò non est eadem ratio.

42. *Doctrina quorumdã quæ posset addi.* Sanchez. Rebellus. Coninc.

Addendum præterea videri posset cum Sanchez, Rebellus, & Coninc. *Locis citatis* adhuc verum esse,validè contrahi matrimonium, ab incolis loci, in quo Tridentinum viget, in loco in quo non viget, etiamsi eo transierint ob finem clandestinè contrahendi, quidquid in contrarium dicant non pauci, quos refert Sanchez *suprà num.*29. in qua re posteà eundẽ Sanchez sequitur Pontius quem refert & sequitur *Diana* 3.*parte Tract.*6.*resol.*28.*in fine*, & non solùm validè, sed licitè posse fieri, seruando in alijs ius antiquum. Quamuis enim in eum finem transierint, vt non obligentur Tridentini decreto, quo obligabantur in proprio loco, cuius erant incolæ, non ideò obligatio legis ad ipsos, & cum ipsis transfertur ad locum, quo sunt profecti, neque censentur propriè id facere in fraudem legis. Habent enim ius eundi ad illum alium locum, qui autem vtitur iure suo, non censetur operari in fraudem; neque bona aut mala intentio, etiamsi sufficiat ad excusandum vel committendum peccatum, sufficit ad annullandum, vel validandum actum; cùm intentio maneat in mente, neque effectum influat in opus externum. Ac proinde,si matrimonium seclusâ eâ intentione esset validum,etiam cum illâ validum esset. Post hæc scripta incidi in huius rei quæstionem more suo eruditè à Diana resolutam *6.parte tract.*7. *Resolut.*19. vbi in fine fatetur semper fuisse huius sententiæ,nõ tamen putare iam recedendum à præcedente, quia nouissimè Franciscus Zipæus,quem refert, testatur anno 1628. sacram congregationem ipsi petenti respondisse matrimonium, de quo est quæstio, esse nullum. Verùm adhuc non video hoc testimonium satis esse, quia plura possunt concurrere in tali casu particulari, vt ita censeret Congregatio. Quidquid sit de auctoritate priuatæ cuiusdam responsionis ad priuatam interrogationem, & ideò post hæc tenet Perez hoc ipsum *disp.*39.*sect.*3.*num.*5.propter rationem datam, Decisionibus autem Cardinalium sępe opponuntur Doctores imò Decisiones sibi sunt contrarię frequenter. Quid ergo fiet?

Circa transeuntes in finem contrahendi clandestinè ad loca vbi lex non viget.

Diana.

Zipæus. *Congregatio sacra Cardinalium.*

fiet? Multo magis iam in hac re vrget similis alia Resolutio Cardinalium quâ resoluunt sic transeuntes non validè contrahere. Quæ resolutio Robur accepit maximum ex Breui Pontificio Vrbani VIII. ad instantiam Archiepiscopi Colonienſis dato Anno 1627. 14. die Augusti vbi cum Eminentissimi in suâ responsione dixissent suam sententiam circa tria quæsita, quorum primum & secundum erant an tales retinentes domicilium in loco, in quo Concilium in hoc puncto est promulgatum, validè possint contrahere, vbi non est promulgatum. item *si solo animo absque Parocho & testibus contrahendi se transferant habitationem non mutantes.* Responderunt *ad primum & secundum non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude.* Hanc responsionem Pontifex laudat & approbat in illo Breui, dum ait, *resolutionem huiusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus.* Subiungit deinde omnes firmitates adhiberi solitas eiusmodi. Breuibus & Bullis, cum derogatoriis contrariorum quorumcumque, etiamsi scienter vel ignoranter à quoquam contingat aliquid in contrarium attentari. Huic resolutioni, quæ iam ipsiusmet Pontificis est, standum erit. Solùm aduerto, quòd, cùm declaret non esse legitimum, additâ illa particulâ *cum fraude* (quæ tamen in quæsito non continebatur) requiri videtur fraus. Vnde, si non adsit animus fraudulentus, sed existimatio quòd hoc fieri sic possit, non apparet, cur sit inualidum, matrimonium ex vi huius declarationis. Item si (vt suprà indicabam) ille animus non significetur exteriùs, sed sine vllo signo externo sola sit interna intentio, non est fraus, quæ possit iudicari in foro externo. Vix tamen potest contingere quòd sic facientes non præbeant aliquod signum externum talis animi & finis. Res itaque iam est valde periculosa, & tale matrimonium rebus, vt nunc, valde dubium aut inualidum (probabiliter saltem) vt sic maneat porta ad resiliendū, nisi reualidetur legitime, aut ad iudicandum contra illud.

DVBITATIO VII.

An fideles in Prouinciis infidelium, vbi non sunt Parochiæ, in quibus Tridentinum potuerit publicari, validè contrahant sine Parocho & testibus?

43. *In quo sita sit præsens quæstio, aut dubitatio.*

QVamuis constet Christianos habitantes in locis infidelium, vbi nunquàm fuerit Tridentinum publicatum, & à fortiori etiam ibi natos, validè clandestinè contrahere, quia Decretum Tridentini in eis Prouinciis nondum viget defectu publicationis ab ipso Tridentino requisitæ; & quamuis etiam constet captiuos Christianos, & mercatores, alioſque quoscunque habitantes in dictis Prouinciis, natos verò in Prouinciis Christianorum, in quibus Tridentinum non est publicatum, validè prædicto modo contrahere, quia Tridentinum non habet vim in suis Prouinciis, neque in Prouinciis infidelium, in quibus habitant; restat nihilominus difficultas, an Christiani habitantes in Prouinciis infidelium, & nati in Prouinciis, vbi Tridentinum viget, validè contrahant sine Parocho, & testibus?

Negant nonnulli inter quos Petrus de Ledesma *quæst.45.art.5.* quia prædicti non habent Parochiam, nisi in propria Prouincia, in qua nati sunt; in ea verò Decretum Tridentini obligat. Quam sententiam etiam approbat Henriquez *lib.11.cap.3.* quando prædicti Christiani habitant in eis Prouinciis infidelium absque animo ibi permanendi; tunc enim retinent propriam Parochiam in propria sua Prouinciâ, in quâ viget Tridentinum. Idem quoque sentiebat olim Vasquez dummodò ante profectum dictorum Christianorum ad infideles Decretum Tridentini iam vigeret in suâ Prouinciâ & Parochia; secus verò, si nondum vigebat. Ita docet Veracruz *in appendice ad speculum dub.14.in fine* temperans, quod dixerat *dub.5.* vbi absolutè docuerat esse probabile valere matrimonium captiuorum absque Parocho & testibus inito.

44. *Negatiua sententia.* Ledesma. Henriq. *cum limitatione.* Vasquez. *cum alia limitatione.* Veracruz.

Asserendum nihilominùs est absolutè validè contrahere iuxta principia data *dub. præcedenti.* Ita Sanchez *lib.3.disp.illa 18.num.35.* Rebell. *lib.2. quæst.7.sect.3.* Basil. *lib.5.cap.9.* Palatios *in 4.dist.29. disp.1.* vbi absque distinctione aliquâ docet matrimonium horum captiuorum valere, idque maximè cùm non interueniat fraus, de quâ diximus ad finem dubitationis præcedentis; quâ non interueniente, non declarat aut decernit aliquid in contrarium Declaratio Cardinalium; & eis roboratio facta in Breui Pontificio ibi citato. Ideò, etiamsi in his Prouinciis absque animo ibi permanendi tunc sint, & quamuis eò venerint post receptionem Tridentini in suâ Prouincia validè contrahent sine Parocho & testibus. Idem docet Perez *disput.39. sect.6.num.4.* Ratio est, quia contrahentes, quoad contractus fortiuntur forum loci, in quo contrahunt, & tantùm legibus illius loci contrahere debent iuxta dicta *dub. præcedenti*, etiamsi tantùm transeunter, & per modum hospitij ibi sint: ergo prædicti validè celebrant contractum matrimonij in illis locis etiamsi careant solemnitate Parochi, & testium, quæ solemnitas ibi necessaria non est. Omitto argumenta, quæ contra hanc doctrinam obijci possunt, & leuia sunt, facileque ex fundamento in hac & præcedenti dubitatione posito solui possunt, & negari quæuis paritas sumpta ex alijs legibus, quæ latæ sunt in diuersâ materiâ, quàm contractus, imò non requirunt publicationem in Parochia, qualem requirit hæc lex inualidans matrimonium clandestinum. Vide, quæ in simili dicemus dub.10.

45. *Assertio.* Sanchez. Rebellus, Basilius. Palatios. Perez. *Ratio.*

DVBITATIO VIII.

Quis? & cuius contrahentium Parochus? & in quo loco possit, & debeat assistere matrimonio vt validum sit?

ASserendum inprimis est, ad validè contrahendum requiri præsentiam proprij Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia illius, vel

46. *Assertio.*

vel de licentiâ ordinarij, vt posteà dicetur.

47. *Quis censeatur quoad hoc proprius Parochus.*

Ille autem censetur proprius Parochus, qui Parochus est in Parochia, vbi contrahens habitat animo ibi perpetuò manendi, etiam quando incipit habitare, sufficit autem quòd ibi habeat non solùm domicilium; sed quasi domicilium; tunc autem censetur quis habere quasi domicilium in aliquo loco, quando ibi habitat animo permanendi per medietatem anni, etiam quando incipit ibi existere cum intentione gerendi aliquod negotium, quod maiorem anni partè postulat, sicut contingit Scholasticis residentibus in vniuersitate. Vnde Parochus alienigenarum censetur ille, in cuius Parochia alienigenæ habitant maiore anni parte, vt latè, & rectè ostendit Sanchez *lib.3.disp.23.* Gutierrez *c.63 & 20.* Coninc *disp.27.dub.2.n.18.* Riccius *in praxi decis.244.* Menoch. *lib.4. cons. 398.num.33* Nomine verò domicilij non significatur originis domicilium sed habitationis, vt communiter Doctores docent, & notauit inter alios Perez *disp.40. sect.2. num.1.* Quando enim Tridentinum requirit Parochum proprium, non debet intelligi proprius, qui solùm est originis, sed qui est habitationis. Nam verba in dubio debent accipi propriè; non censetur Parochus propriè, qui solùm est originis. Si autem ius vellet nomine Parochi intelligi, Parochum originis, id non omitteret explicare, sicut explicuit, quando voluit Episcopum proprium requisitum ad Ordines, sufficere Episcopum originis vt videre est cap. *cùm nullus de tempor. ordinationum in 6.* sed vt ingenuè fatear hæ aut similes rationes & coniecturæ non conuincunt, possuntque facilè eludi. Solùm ergo ita sentio, quia in communi vsu, vt doctores concedunt non censetur Parochus proprius, nisi Parochus habitationis.

Domicilium aut quasi Domicilium requisitum ad hoc.

Sanchez. Gutierrez. Coninc. Riccius. Menoch.

Perez.

Non conuincit ea ratio.

48. *Notandum pro eo qui minore parte anni habitat sine animo figendi Domicilii.*

Sanchez. Menoch. *contra* Basilium & Sà.

Ex quo fit, vt, qui extra proprium domicilium minore tempore anni in eo loco habitat, tanquàm hospes, seu animo citò redeundi, non habeat alium Parochum, adhuc in ordine ad matrimonium, quàm Parochum sui domicilij, aut quasi domicilij, vt rectè probat Sanchez *citatâ disp 23.* & Menoch. *cons.378.* quidquid in contrarium sentiat Basilius *lib 5. cap.17.* & Sà *verbo Paroch.num.2.* qui absque ideo fundamento affirmant modicam seu breuem habitationem in Parochia alicuius, etiamsi recreationis causa fiat, sufficere, vt quis in ordine ad matrimonium habeat illum, vt Parochum. Fundamentum nostræ doctrinæ generale est, quia in tali casu contrahens domicilium, aut quasi domicilium, meritò censeri debet incola illius loci, ac proinde habere domicilium Parochiale ad suscipienda Sacramenta, excepto tamen ordine, & tonsurâ, de quibus alia est ratio. Vnde potest etiam ibi sepeliri, & adstringitur ad leges illius loci, ac proinde meritò poterit etiam coram illius loci Parocho matrimonium celebrare. Idem puto de eo, qui promiscuè & æquè duo habet domicilia, vt contingit iis, qui cuticulam suam accuratè curant & vnum habent domicilium pro hyeme; alterum pro æstate, censentur enim vtriusque Parochiæ incolæ. Ita contra quosdam docet Sanchez *lib.3.dist.24.n.2.* quem sequitur Perez *disp.20. num.2.* esse verò

Fundamentum nostræ sententiæ.

Quid de promiscuè habente & æquè duo Domicilia.

Sanchez. Perez.

vtramque Parochiam eiusdem habitatoris, licet non mathematicè æquè habitet in vtrâque, dummodò moraliter censeatur in vtroque loco habitare, rectè ex vsu & sensu legum probat Sanchez ibidem, & alia addit. Sufficit verò prædictum fundamentum, neque enim ille nullius illarum censeri debet, cumque non sit maior ratio in morali æstimatione cur sit vnius, & non alterius; vtriusque censeri debet Parochianus.

49. *Illatum pro praxi ex datâ doctrinâ.*

Hinc est, vt validum sit matrimonium cuiusdam fœminę concubinariæ, quæ transtulit se ad domicilium eius, cuius erat concubina eâ intentione, vt ibi commorans maiore parte anni posset contrahere matrimoninm coram Parocho illius domicilij, non quidem cum suo amasio, sed cum alio, qui non pertinebat ad illam Parochiam. Ratio est, quia verè contraxit domicilium Parochiale in eo loco. Ita docet Sanchez citatâ *disp.23.num.12.* Bonacina *quæst.2. puncto 8.num.3.* & alij apud ipsos. Nititur autem hæc doctrina etiam alio fundamento, quod sufficiat alterutrius contrahentium Parochus, vt mox dicemus.

Sanchez. Bonacina. *Alij.*

50. *Assertio 2.*

Asserendum 2. est, tanquàm certum, Parochum vtriusque simul contrahentis sufficere, vt validè assistat matrimonio facto in suâ propriâ Parochiâ; talis enim assistentia omnino satisfacit decreto Tridentini requirentis assistentiam proprij Parochi.

51. *Si contrahentes sint diuersa Parochia An sufficiat alterutrius Parochus?*

Solum iam difficultas est, an quando quilibet contrahens pertinet ad diuersam Parochiam, seu habet diuersum Parochum, sufficiat alterutrius Parochus?

52. *Communis sententia affirmat. Congregatio Cardinalium.* Rebellus. Riccius. Reginald. Sanchez. *Alij multi.* Hurtado. Perez. Coninc. *Ratio ex Tridentino. Sufficit quod Parochus contrahentes diuersi idiomatis intelligat per interpretem. Communis sententia.* Sanchez. Gutierr.

Cõsentiunt cõmuniter Doctores alterutrius Parochum sufficere vt validè & licitè cõtrahãt atque ita declarauit congregatio Cardinalium teste Rebello *lib.2.quæst.8.* Ita docet Riccius *decis.244.* Reginaldus *lib.31. num.177.* Sanchez *lib.3.* & alij multi. Inter quos Hurtado *disput.5. diff.6.num.22.* Perez *supra num.5.* Coninc *disp.26. dub.2.num.22.* Fundamentum est, quia Tridentinum tantùm requirit, vt matrimonium contrahatur coram Parocho, nec magis expressit Parochum viri, quàm feminæ. Item, quia quilibet Parochus habet ordinariam potestatem administrandi Sacramenta suis subditis, vnde, si quis illorum contrahere velit cum extraneo & alter, vel vterque sint diuersi idiomatis ita, vt non intelligantur à Parocho, sufficiet, quod consensum contrahentium intelligat per interpretem, sicut enim cæteri contractus celebrari possunt per interpretem, ita etiam matrimonium. Estque communis sententia quam docet Sanchez *lib.3 disp.39.num.3.* Gutierrez *c.69.nu.15.*

Ex qua doctrina infert Sanchez ibi *disp.19.* & *disp.25.num.14.* si vnus sponsorum vagus sit, posse eius matrimonio quemcunque Parochum interesse, quia vagorum quisque Parochus censetur esse proprius in loco, vbi ille pro tempore existit. Hoc autẽ intelligi debet, quantùm ad matrimonij valorẽ, assistere non tamen licitè potest Parochus quilibet vagorum matrimoniis, nisi priùs ab ordinario licentiam obtinuerit. Nam Tridentinum *sess.24. cap.7. Parochis præcipit, ne illorum matrimonijs interfint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium*

53. *Aliud illatũ Sanchezij propraxi. Quomodo id intelligendũ.*

delatâ

delatâ ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. qua de re posteà ex instituto dicemus *dub.* 15.

54. *An requiratur Parochus eius Parochiæ, in quâ fiunt nuptiæ?*

Solum verò nunc difficultas est, an saltem, licet sufficiat alterutrius Parochus, requiratur Parochus eius Parochiæ, in quâ nuptiæ celebrantur, vel sufficiat Parochus vnius contrahentis, quando matrimonium celebratur in aliena Parochia?

55. *Sententia negans.* Salzedo. Basilius.

Nauarrus *cap.* 25. *& lib.* 4. *consiliorum in prima edit. tit. de sponsal. cons.* 52. in *secunda verò* verò *tit.* de *clandestinâ despensatione cons.* 14. Salzedo *in Pract. c.* 73. *in nostra editione* Basil. *lib.* 5. *cap.* 16. negant sufficere, si celebretur in alienâ Parochiâ, idque videtur declarasse Congregatio Cardinalium, dum ait *quando matrimonium contrahitur inter virum & mulierem diuersarum Parochiarum, sufficit Parochus viri in eius Parochia, & Parochus mulieris in eius Parochia.* Quibus verbis supponi videtur non sufficere Parochũ vnius Parochiæ in Parochia alterius. Probari verò potest, quia Parochus, in cuius Parochia celebratur matrimonium, censetur potiori iure proprius Parochus; est enim Parochus vnius contrahentium, & insuper Parochus in eâ Parochiâ: ergo ad eum potiùs pertinebit assistere matrimonio celebrato in suâ Parochia quàm ad alterum.

Probant ex Declaratione Cardinalium.

Probant vlteriùs.

56. *Probabilius est sufficere alterutrius, etiam extra Parochiam suam.* Sanchez. Rodriq. Henriq. Layman. Coninc. Perez. *Alij.* *Ratio.* *Satisfit fũdamentis oppositæ sententiæ.* *Ad Declarationem Cardinaliũ.*

Probabilius tamen est sufficere alterutrius Parochum, etiamsi in propria Parochia non celebretur matrimonium, sed in aliena. Ita Sanchez *lib.* 3. *disp.* 19. *num.* 11. Rodriquez *tom.* 1. *c.* 219. *num.* 5. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. *nu.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. Coninc *disp.* 27. *dub.* 2. Perez & Hurtado *supra* & alij apud Sanchez. Ratio verò est, quia per talem assistentiam illius Parochi verè satisfit decreto Tridentini; assistit enim proprius Parochus, quod solùm requirit Tridentinum, etiamsi sit vnius tantùm contrahentium, & in Parochiâ alienâ. Ex eo verò quòd matrimonium fiat in Parochia alterius Parochi, solùm colligi potest ad hunc potiori iure pertinere matrimonio assistere, non tamen probat, quòd alter sufficienter non assistat. In eâ verò declaratione Cardinalium pro aduersariis adducta tantùm affirmatur, sufficere Parochum illius contrahentis, in cuius Parochia celebratur, non tamen negatur sufficere Parochum alterius.

57. *Quæsitum.*

Quæri tamen potest, an sufficiat assistentia Parochi alterutrius cõtrahentium extra vtriusque contrahentis Parochiam?

58. *Negant aliqui.* Nauarr. Basilius. *Probant.*

Negant Nauarrus, & Basilius suprà, quia Tridentinum requisiuit Parochum tanquàm personam publicam; talis autem non est extra suam Parochiam & territorium iuxta *l.* 3. *ff. de officio Præsidis.*

59. *Probabilius est sufficere.* *Ratio.* *Auctores pro nostra sententia citati maximè.* Perez. Hurtad.

Nihilominùs omnino verum puto sufficere assistentiam extra Parochiam vtriusque contrahentium; sic enim etiam satisfit decreto Tridentini, quia verè assistit proprius Parochus vnius, vel vtriusque. Ita Auctores citati pro nostrâ sententiâ præsertim Perez & Hurtado.

60. *Explicatur lex in contrarium allata.*

In prædicta verò lege tantùm significatur Iudicem extra suum territorium non esse personam publicam, quod intelligẽdum est, quoad iurisdictionem contentiosam, quâ constituitur Iudex exterior; de hoc enim ibi erat sermo. Quod verò attinet ad Iurisdictionem voluntariam, etiam extra territorium exerceri potest. Ita docent Sanchez & Layman *supra*, & alij multi, quos referimus agentes *de Censuris Tract.* 10. *disp.* 3. *dub.* 4. *sect.* 3. *& dub.* 26. *in principio*, quibus in locis ostendimus Iurisdictionem voluntariam, exerceri posse extra territorium ergà subditum, quidquid sit de alia quæstione, an actus assistendi matrimonio sit actus Iurisdictionis. Quâ de re dicimus nonnihil per occasionem eodem *Tract.* 10. *disp.* 2. *dub.* 41. & posteà dicemus *dub.* 10.

Sanchez. Layman. *Alij multi.*

61. *An sicut valide ita & licite id faciat Parochus.* *Negans sententia.* Henriq. Layman. *Probabilius alij affirmant.* Sanchez. Coninc. Perez. Hurtad. *Ratio.* *Secus dicendum de denũtiationibus.*

Vtrum autem Parochus extra suam Parochiam aut diœcesim licitè assistat matrimonio? non consentiunt Auctores. Negant Henriquez & Layman *supra* probabilius tamen affirmant Sanchez & Coninc, Perez & Hurtado citati cessante scandalo idemque docet Perez de Sacerdote habente licentiam à Parocho vt videre est disp. 41. sect. 3. cum Sanchez, Rebello, Coninc, Basilio & aliis, quos refert & est eadem ratio, quia hæc assistentia, vel non est actus Iurisdictionis, vel solùm voluntariæ, quæ exerceri potest, vt dicebam, extra territorium, non tamen poterit Parochus licitè in aliena Parochia denũciationes, quas appellant, seu admonitiones facere; nec solemnem benedictionem nuptiarum. Hæc enim omnia exigunt externum quendam strepitum, qui est superioribus in alieno territorio prohibitus, de quo alibi dicendum est. Omitto quædam facilia apud citatos videnda. De loco verò, in quo admonitiones fieri debeant, dicemus *dub.* 25.

DVBITATIO IX.

An Parochus assistens matrimonio, vel qui de illius licentia assistit, debeat esse Sacerdos?

62. *Occasio dubitandi pro Parocho.*

COntingit aliquem Parochum esse nondum Sacerdotem, siue, quia obtinuit beneficium, quando nondum erat Sacerdos cum obligatione tamen Sacerdotij ineundi intra annum; siue, quia Episcopus studij causâ dispensauit cum illo, ne intra septennium ad Sacerdotium teneatur promoueri. Vtrumque constat ex Iure, primum *c. licet Canon.* de *Election in* 6. secundum *c. Cùm ex eo de elect. in* 6. Quærimus ergo primo an Parochus ipse assistens debeat esse Sacerdos?

63. *Prima sententia requirit esse Sacerdotem.* Rodriq. Salzedo. Ledesm. Veracruz. *Probatur ex Tridentino.*

Prima sententia requirit esse Sacerdotem. Ita Nauarrus *lib.* 1. *Consil. in antiqua editione tit.* 31. *de off. ordinarij cons.* 1. in secunda verò *lib.* 4. *tit. de clandestina desponsat. cons.* 10. referens Cardinales in hanc partem inclinâsse, vt nec Parochus nec Nauarrus. Vicarius Episcopi non Sacerdotes validè possint matrimonio assistere. Item Rodriquez 1. *tomo Summæ in* 2. *editione cap.* 219. *num.* 9. Salzedo *in Pract. c.* 73. Probabileque putat Petrus de Ledesma *quæst.* 45 *de matrim. art.* 5. & significat etiam Veracruz in Appendice ad Speculum *dub.* 5. *concluſ.* 2. Probari verò potest ex verbis Tridentini, dum ait non posse aliter contrahi matrimonium, quam præsente Parocho vel alio Sacerdote, vbi expendenda est illa particula *alio*, quâ denotatur persona antecedens, & similis qualitatis, vt constat ex *l. Si fugitiui*, ibi *alia pœna*

(de

(*de seruis fugit.* iunctâ *Glossâ finali*, quæ ait *alia pœna scilicet simili*, & docent multi, quos refert Sanchez *lib.*3.*disp.*20.

64. *Confirmatur.* Confirmatur, quia ex antiquissimo Ecclesiæ ritu adhibendus est Sacerdos nuptiis ex præcepto, vt constat ex 30.*quæst.*5. ergo Parochus à Tridentino requisitus intelligendus est secundùm ius, id est Sacerdos.

65. *Assertio negans debere esse Sacerdotem. Ratio.* Asserendum nihilominus est Parochum non debere esse Sacerdotem, quia Tridentinum tãtùm petit, quod assistat Parochus; hoc autem assistente, etiamsi non sit Sacerdos, verè dicitur, quòd assistat Parochus, maximè cùm hæc præsentia non requiratur ad exercendam functionem Sacerdotalem. Ita Sanchez *disp.*20. *num.*3. Layman *lib.*5. *tract.*10.*p.*2.*c.*4.*num.*4. Nauarrus sibi contrarius *lib.*4.*consilior.cons.*6.*&* 9. *de clandestina despensatione in* 2.*edit. & in* 1. *tit. de sponsal. cons.*30. Henriquez, & alij multi apud Sanchez & alios suprà Coninc *disp.*27.*dub.*2. Basilius *lib.*5. *cap.*17.*num.*1. Sà *v.matrimonium.* Hurtado *disp.*5. *diff.*7. Perez *disp.*40.*sect.*3.*num.*3. alijque inter quos Suarius *tomo* 5.*in* 3.*part.disp.*11.*sect.*3.*num.*17. *&* 18.

Sanchez. Layman. Nauarr. Henriq. *Alij multi.* Coninc. Basilius. Sà. Hurtad. Perez. Suarius.

66. *Ad fundamentum oppositum.* Lucæ 23. Ad fundamentum verò oppositæ sententiæ respondetur per particulam *alius* non semper denotari personam antecedentẽ similis qualitatis, vt videre est *Lucæ* 23. vbi in Christi passione dicitur, *ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.* Præterea dici potest, quod licèt concedamus particulam *alius* referre qualitatem personæ, ideò Consilium eâ voce vsum fuisse, quia communiter Parochi solent esse Sacerdotes. Quâ ratione *in c.Omnis de Pœnit. & remis.* requiritur licentia Sacerdotis proprij, & aliquis alteri Sacerdoti confiteri possit, & tamen Doctores communiter aiunt talem licentiam à quocunque proprio Parocho, vel proprio Pastore, etiamsi Sacerdos non sit, dari posse, vt notat Sanchez *disp.*20.*nu.*3. Sotus *in* 4.*dist.*18.*quæst.*4.*art.*3. & in simili Suarius *tomo* 3.*in* 3.*p.disput.*72.*sect.*2. Layman *supra* & alij apud citatos.

Sanchez. Sotus. Suarius. Layman.

67. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem respondemus antiquo iure necessariam esse præsentiam Sacerdotis, imò & Parochi, vt licitè fieret matrimonium. Nunc verò non esse iam necessariam præsentiam Parochi Sacerdotis; quia secundum ius nouum non requiritur ad valorem matrimonij nisi Parochus (qui talis esse potest, etiamsi non sit Sacerdos) imò & licitè fit à Parocho non Sacerdote, quidquid in contrarium dicant aliqui, vt Petrus de Ledesma suprà, quem rectè impugnat Sanchez & Basilius & Perez. Nam in Tridentino, in quo ius antiquum corrigitur, iam id non requiritur.

Contra Ledesm. Sanchez. Basilium & Perez.

68. *Ex dicto cessat quæstio & constat posse Parochum non Sacerdotem dare eam licentiam alicui Sacerdoti. Etiamsi ipse per se non posset assistere adhuc posset dare Sacerdoti licentiam.* Supposità hâc nostra doctrinâ, absolutè cessat alia quæstio, an Parochus non Sacerdos possit concedere licentiam Sacerdoti; vt interfit matrimonio; si enim ipse Parochus assistere potest validè, poterit etiam assistendi licentiam concedere Sacerdoti. Nihilominùs, vt rectè contra nonnullos docet Sanchez *supra num.*7. etiamsi concederemus Parochum non Sacerdotem non posse validè assistere matrimonio, posset dare licentiam alteri Sacerdoti ad assistendum, tùm, quia durissimum esset credere, quod Tridentinum vellet vt Parochus, qui omnes puræ iurisdictionis actus potest, non possit istum exercere; tùm quia Parochus non Sacerdos potest dare licentiam Religioso ministranti Eucharistiam, quam ipse Parochus ministrare nequit, Legatur Sanchez, *citat.n.*7, vbi alios refert, & rectè aduertit id adhuc certius esse in ordinario nondum Sacerdote concedere licentiam Sacerdoti, quia in Tridentino nihil est respectu Ordinarij significans in eo desiderari qualitatem Sacerdotij.

Ratio duplex. Sanchez.

Quod attinet ad illum, cui Parochus potest dare licentiam assistendi conueniunt Doctores illum debere esse Sacerdotem, vt valeat matrimonium, siue licentiam det Parochus siue Ordinarius, id enim requirit Tridentinum, dum ait vel *alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentiâ.* Non tamen est necessarium, quòd sit approbatus ab ordinario, quia id nullibi requiritur ab eodem Tridentino ad audiendas confessiones. Legatur Sanchez *suprà n.*10.

69. *Ille vero cui Parochus potest dare licentiam debet esse Sacerdos, etiamsi non approbatus ab Ordinario. Conueniunt in hoc Doctores ex Tridentino id probantes.* Sanchez.

DVBITATIO X.

An Parochus excommunicatus validè & licitè assistat matrimonio? & an etiam prædicans Hæreticorum?

70. *Parochus excommunicatus toleratus valide assistit & confert assistendi licentiam.* CIrca primum certum sit post Concilium Constantiense Parochum excommunicatum toleratum validè assistere matrimonio iuxta, id quod dicimus *de Censuris disp.*2.*dub.*26. *&* 41. alijsque in locis. Item validè conferre licentiam assistendi matrimonio alteri Sacerdoti.

71. *Quæstio est de non tolerato, & Primò an valide?* Solùm iam quæstio est de Parocho excommunicato non tolerato, id est publicè denunciato, aut manifesto Clerici percussore? Prius dicamus, an validè, posteà *num.*78. dicemus licitè?

72. *Duæ sententia contrariæ. Præfertur affirmans.* Sanchez. Henriq. Ledesma. Vega. Coninc. Basilius. Hurtado. Suarius. Perez. *Etiamsi sit suspensus & irregularis, dum non priuatur Parochia. Assistere matrimonio non est iurisdictionis actus nec actus testificandi, sed vt possit esse testis, est actus interessendi. Dispar ratio est in Iudice & Tabellione.* Dicimus *disp.illâ* 2.*de Censuris*, duas esse sententias satis probabiles, alteram affirmantem, negantem alteram; pro quibus Auctores ibi referimus, & præferimus affirmantem *dub.*41. Ita Sanchez *lib.*3. *disp.*21. cum Henriquez Ledesma & Vega, quibus adde Coninc *disput.*27. *dubit.*2. & Basilium *lib.*5. *cap.*17. Hurtado *disp.*5. *difficult.*8.*num.*26. Suarius *de Censuris disp.*11. *numer.*2. Perez *disput.*40. *sect.*4. *num.*3. *& seqq.* quod docet habere locum, etiamsi Parochus sit suspensus & irregularis interim, dum non priuatur Parochiâ, in quo citati consentiunt, qui omnes contendunt assistere matrimonio non esse actum iurisdictionis, alioquin assistentia coacta non sufficeret, imò neque est actus etiam testis: neque enim matrimonio assistere est testificari de matrimonio; sed tantùm est actus, ratione cuius fit quis conscius, vt possit testificari: ergo quamuis excommunicatus non toleratus non possit actum iurisdictionis Ecclesiasticæ validè exercere, & quamuis non possit validè testificari, interim dum est excommunicatus, poterit nihilominùs validè assistere, maximè cùm excommunicatus non toleratus nullibi priuetur potestate assistendi, neque vrget ratio de iudice, vel Tabellione, à quorum paritate sumit argumentum Auila de Censu-

In iis etiam est quæstio an valeant eorum acta.

Censuris p.2.c.6. disp.3.dub.1. conclus.5. nobis contrarius, nam & de his etiam est in quæstione positum, an valeant eorum acta, & de iudice quidem expresè habetur in iure non valere, de Tabellione verò, & teste iam dicimus in eodem tract. de Censuris eadem *disp.2 dub.47.* eorum acta non esse ipso iure nulla, vt vult Suarius, quamuis alioquin ex consuetudine infirma sint & nulla, quam consuetudinem negamus in nostro casu. Idem meritò putat Perez *num.6.* de Parocho Sacramentorum administratione interdicto. *Decisionem Rotæ in nouissimus tomo 1. decis.429. & 750.* quia vere est Parochus retinens Parochiæ titulum, etiamsi fortè esset ad nutũ Episcopi amouibilis iuxta declarationem Cardinalium, quam refert Petrus de Ledesma *de matrimonio quæst.45.art.5.* Nempe non eo ipso quòd Parochus prohibeatur aliquos matrimonio coniungere, censeri debet potestate Parochi priuatus, & dicam iterum *num.79.* Docet etiam Suarius *disp.11. de censuris sect.3.n.9.* quem referunt & sequuntur Perez *supra nu.7.* & alij valere etiam solemnem benedictionem nuptialem datam à prædicto Parocho excommunicato, suspenso, irregulari. In quo consentiunt Sylvester, Angelus, Tabiena apud Suarium. Quia nimirum ea, quæ non requirunt iurisdictionem, sed solùm Sacerdotalem vel Episcopalem ordinem, valida sunt, si fiant ab eo, qui habet talem ordinem, si seruet in reliquis debitum ritum, etiamsi censurâ vel aliâ viâ sit actio prohibita, quia censurâ vel prohibitione non aufertur aliquid, quod sit de necessitate actionis, nec pendet actionis valor ex bonitate operantis, sicut fatentur doctores valere Sacramenta, quę non requirunt iurisdictionem, etiamsi conferantur ab excommunicato non tolerato. Potuisset quidem Ecclesia irritam reddere eiusmodi benedictionem, si voluisset, cùm ea dependeat ab ipsius Ecclesiæ institutione, sicut potuisset Christus facere, vt Sacramenta à se instituta, si fierent à prohibito ministro, non valerent; De facto tamen sicut Christus noluit tollere valorem, ita nec Ecclesia voluit valorem tollere actionis à se institutæ, sed simili modo eas actiones voluit valere, nec apparet aliquod verbum, aut caput, vnde colligatur Ecclesiam eas irritas esse voluisse. Ex quo pro praxi colligitur notanda disparitas inter assistentiam Parochi excommunicati matrimonio, & benedictionem prædictam nuptialem ab ipso collatam. Nam licet excommunicatus non toleratus assistat matrimonio, non fit irregularis, vt optimè notauit Suarius *sect.illâ 3. num.17.* quia non est actus Ordinis, nec administratio Sacramenti, nec ceremonia sacra habens annexum actum ordinis, vel affixa ordini; cùm possit sine ordine illum actum exercere licitè & validè iuxta dicta *num.65.* & dicenda *numero 78.* Benedictio verò nuptialis est vsus ordinis, quantumuis secundarius, & accidentalis. Propter omnem verò Ordinis vsum præstitum ab excommunicato prædicto incurritur irregularitas, concurrentibus alijs de quibus dicimus *in Tractat. de Censuris disp.7. dub.19. & locis ibi notatis.* Ita habet communis sententia, quam sequitur Perez *disput.4. sect.4. num.8.* vbi rectè docet eam esse materiam grauem sufficientem ad mortale contra prohibitionem, & habere annexas plures orationes benedictiones, & communicationem in diuinis & solemne ministerium publicum Sacerdotale. Adde quod simul cum sacro celebrando ab eodem Parocho solet ea benedictio conferri, atque adeò saltem hoc titulo irregularitas incurritur.

Quid de Parocho interdicto à Sacramentorũ administratione? Decisio Rotæ. Ledesma.

Perez.

Suarius.

Et alij. Etiam solemnem benedictionem nuptialem putant valere.

Sylvester. Angelus. Tabiena.

Ratio.

Potuisset Ecclesia eam actionem & similes irritas reddere, si voluisset, sed id non voluit.

Parochus excommunicatus non toleratus assistendo matrimonio non fit irregularis.

Ratio.

Suarius.

Confirmatur vero Benedictionem nuptialem fit irregularis.

Idem Suarius.

Ratio.

Communis sententia.

Perez.

73. *An facultas quam alteri dat tunc sit valida.*

Iam verò disputandum restat de facultate quam dat Parochus excommunicatus non toleratus alteri Sacerdoti, vt assistat, an sit valida?

74. *Affirmans sententia.*

Sanchez. Basilius. Henriq. Rebellus. Recentiores.

Perez. Alij.

Affirmat Sanchez *suprà* Basilius Henriquez citati & Rebellus *lib.2.quæst.8.* alijque Recentiores, vt Perez *supra num.13. & seqq.* cum aliis, quia collatio licentię non est actus iurisdictionis; neque enim est institutio iudicis, sed tantùm est quædam designatio spectatoris matrimonij, vt possit de eo testificari, facta ex ordinatione Tridentini, à quo Sacerdos, dictâ designatione suppositâ, accipit potestatem ad id, & non à Parocho, quia eâ suppositâ Sacerdos qualificatur à Tridentino ad id, & non à Parocho. Vnde collatio dictæ licentiæ non videtur actus potestatis Parochi, vt Parochus est, sed actus auctoritatis à Tridentino annexæ officio Parochi. Ita argumentantur aliqui recentiores, qui hanc sententiam sequuntur, vt videre est apud Sanchez & apud Perez suprà, qui alios refert.

75. *Sententia negans probabilior.*

Sotus. Gutierrez. Victoria. Sylvester. Suarius. Coninc. Alij multi.

Ratio.

Probabilius tamen negant Sotus in 4. *dist.18. quæst.4.art.3.* Gutierrez *cap.1. num.89.* Victoria *in summa Tract. de confessione numero 139.* Sylvester *Confessio 2.* Suarius *de Censuris disput.14. sect.1.num.7. & tomo 4.* qui est *de pœnitentia disp. 27. sect.1. num.5.* Coninc *disput.27. num.25.* & alij multi. Qua de re iam dicimus *disp.illa 2. de Censuris dub.46.* Vbi ostendimus contra Sanchez, etiamsi assistentia ipsius Parochi non sit actus iurisdictionis; nihilominùs collationem ipsam facultatis, aut commissionem assistendi matrimonio censeri posse actum alicuius iurisdictionis; sæpe enim iurisdictionis actus est collatio facultatis, aut habitatio ad aliquem actum, qui in se non sit actus iurisdictionis: verbi gratia emptio, aut venditio facta à minori apte legitimam ætatem sine consensu tutoris, aut Curatoris sæpe non valet, nisi accedente facultate, & veniâ Principis, & tamen eâ accedente valet; quamuis autem actus vendendi, aut alienandi non sit actus iurisdictionis, sed dominij, actus nihilominus ipse conferendi, siue dispensationem, siue facultatem, & veniam, vt actus ille vim habeat, procul dubio est actus iurisdictionis, ac proinde in matrimonio, licèt assistentia ipsa non sit actus iurisdictionis, ipsa tamen collatio licentię, seu facultatis ad validè assistendum potest esse iurisdictionis actus, quo argumento vsi sumus loco notato de censuris.

76. *Dare licentiam aliquid faciendi supponit aliquam iurisdictionem aut dominium in dante.*

Et rectè quidem, vt docet Coninc, nemo potest alteri dare licentiam aliquid faciendi; nisi habeat aliquam iurisdictionem, aut dominium, vel in eum, cui dat licentiam, vel in rem ipsam, circa quam dat licentiam aliquid faciendi,

Suarius. Layman. *Cum aliis.* Nauarr.

ciendi,id quod etiam notauit Suarius *de censuris loco notato.* Quam etiam sententiam docet Layman *tract.10.p.2.c.4.nu.5.* referens alios maximè Nauarrum *cons.14.de clandestina desponsatione n 6. ad 3.in 2.editione.* Vbi, postquàm docuit esse exercitium iurisdictionis dare alteri licentiam,quâ is, alioquin non qualificatus, idoneus reddatur ad legitimum valorem actus ; docet in particulari pro nostro casu dare licentiam assistendi matrimonio esse actum iurisdictionis voluntariæ;imò & ipse Sanchez *disp. 16. eiusdem libri numero 11.* sic ait, *assistere matrimonio reducitur ad iurisdictionem voluntariam*: ergo, etiam potiori ratione dare facultatem reducetur ad iurisdictionem voluntariam,ac proinde non valebit actus ab excommunicato non tolerato.

Sanchez ad hominem argumento vrgetur.

77. *Impugnatur dictũ prædictorum Recentiorum.*

Quod autem Recentiores illi dicebant pro contrariâ sententiâ , scilicèt eam potestatem assistendi , vt possit testificari non esse à Parocho acceptam , sed à Tridentino , tantum, suppositâ designatione à Parocho , falsum est, nam expressè ipsummet Tridentinum ait eam assistentiam Sacerdotis debere fieri *de ipsius Parochi vel Ordinarij licentiâ* ; vbi expendenda est vox illa *Parochi licentiâ* , quâ nihil clarius videtur dici potuisse.

78. *Excommunicatus non toleratus nõ solùm valide sed licite assistit matrimonio.* Sanchez. Perez. *Contra Basilium. Si valide conferret alteri,etiam licite faceret.*

Illud tamen mihi placet , quod docet Sanchez & Perez *suprà num.10.* Parochum scilicèt excommunicatum , etiam non toleratum, non solùm validè assistere matrimonio ; sed etiam licitè (quidquid in contrarium sentiat Basilius) imò , si admittamus probabilem sententiam , quòd validè conferat alteri Sacerdoti facultatem assistendi , eodem modo consequenter dicendum esset , etiam licitè conferre hanc licentiam , quia quamuis in his duobus communicet cum aliis ; id tamen efficit propter vtilitatem , vel potius necessitatem contrahentium , cùm absque Parocho, vel alio Sacerdote de licentiâ illius contrahere non possint , ac proinde neque ipsi contrahentes peccant.

79. *Etiamsi prohibeatur, valide faciet dum assistit, sed illicitè. Manens Parochus non potest interim priuari eâ potestate nisi à Papa vel Generali Concilio.* Sanchez. Henriq. Rodriq. *Rota decisio.* Salzedo. Ledesma. *Declaratio Cardinal.*

Vnde confirmatur illud, quod dicebamus de Parocho , quòd licèt ab Episcopo, vel alio competente iudice prohibitus sit assistere matrimonio , aut licentiam conferre ; si tamen id efficiat, quantumuis peccet,validè faciet,neque enim simplici prohibitione priuatur prædictâ potestate ; imò interim dum manet Parochus, etiamsi sit ad nutum amobilis , à nullo alio potest priuari eâ potestate , nisi vel à Papa , vel à Concilio Generali , à quibus accipit prædictam potestatem absque vllâ subordinatione, quantum ad valorem, vt rectè docet Sanchez *citatâ disput.21.* cum Henriquez *lib.11. cap. 13. numero 4.* Rodriquez *1. tomo summæ in secundo editione cap.29. num.10.* & Rota in nouissimis *tom.1. decis.429. & 570.* & ex Salzedo *in Pract. criminali cap.73. &* Petro de Ledesma *de matrimonio quæst.43. art.5.* refert idem Sanchez declarationem Cardinalium, quorum Congregatio respondit valere matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interueniat, vt testatur Ledesma quæstionem fuisse propositam Cardinalibus in casu, quo prædictus Sacerdos non erat Principalis Parochus nec verus proprietarius, sed annuus Vicarius,qui ad nutum poterat amoueri. Vide quæ dicemus *disput.5. dubit. 20. in fine num.243.*

80. Sanchez. *Parochus prohibitus Sacramenta ministrare adhuc valide & licitè assistit, aut licentiam confert.*

Docet etiam rectè Sanchez, & alij, quando Parochus tantum est prohibitus Sactamenta ministrare, posse validè & licite assistere matrimonio,& ad id licentiam alicui Sacerdoti conferre ; quia id non est Sacramentum ministrare.

81. Layman. Chapeauil. *Possem casu necessitatis alium excommunicatum eligere etiam non toleratum.*

Notat etiam Layman *suprà* cum Chapeauille, quem refert, si Parochus ipse excommunicatus non sit , posse , si non licitè , saltem validè (imò etiam licitè in casu necessitatis, vt tempore pestis) alium Sacerdotem excommunicatum eligere,etiam non toleratum.Quod satis videtur colligi ex dictis,supposito quod assistentia ipsa non sit actus iurisdictionis.

82. *De matrimonio Hæreticorum, vbi Tridentinum promulgatum est, & adest Parochus. Quæritur an valeat sine Parocho coram ministro Prædicante Hæreticorum?*

Restat nunc disputare de matrimonio Hæreticorum non quidem in locis, vbi Tridentinum non est promulgatum ; sed vbi iam promulgatum est , & adhuc adest Parochus Catholicus, qui possit assistere matrimonio, an valeat ibi contractum ab Hæreticis sine Parocho,& testibus? Quæri ergo potest, an tale matrimonium valeat celebratum coram Prædicante & ministro Hæretico , vel ablolutè sine vllo Parocho?

Hac de re non quicunque scriptores expressè disputant, sed illi, qui inter Hæreticos versantur,quales sunt Layman & Tannerus ambo nostræ Societatis Scriptores,& post hæc scripta incidi in alium etiam Societatis nostræ auctorem Stephanum Baunij,*qui in Theologia morali 1 part. tract.12.de matrimonio clandestino quæst.* 1. de hac ipsâ re disputat. Ait ergo Layman *supra num.7.* & si in aliqua ciuitate decretum Tridentini promulgatum fuerit,modò tamen, expulsis Catholicis Sacerdotibus absint proprij Pastores; validè sicut priùs coram Prædicante , vel sine Prædicante matrimonia contrahi poterunt. Cũ enim in his locis tali rerum statu decretum Tridentini seruari non possit , non est existimandum libertatem matrimonij validè contrahendi impeditam esse , sicuti Cardinalis Bellarminus respondet apud Chapeauille *cap.6. quæst.15.* Hæc Layman , & posteà subiungit licet in ciuitatibus Germaniæ,quibus Lutherani cũ Catholicis permixti viuunt,verbi gratia Augustani Ciues, reuerâ in spiritualibus subsint Episcopo suo, imò etiam Patocho Augustano , tamen existimandum non est Summorum Pontificum voluntatem esse, vt Tridentini decretum se extendat ad matrimonia illorum sine legitimo Pastore celebrata, ne multa incommoda oriantur, si eorum filij legitimè nati non sint,nec capaces officiorum , dignitatum , & Sacrorum Ordinum.Hæc etiam Layman.

83. *Agitur de hac re præcipue ab Scriptoribus nationum in quibus versantur Hæretici.* Layman. Tanneius. Bauny. *Sententia affirmans valere. Laymani verba.* *Ratio.* Bellarmin. Chapeau.

Non absimilis est Tannerus *disput.8 de matrimonio quæst.3. dubit.6. num.122.* vbi loquens de matrimoniis Hæreticorum sic ait. In locis verò , & Parochijs, vbi Concilium Tridentinum est promulgatum , & Hæretici impunè inter Catholicos tolerantur,necdum quidem inualida censeri à Doctoribus , quamuis sine vero Parocho contrahantur, propter tacitã dispensationem Pontificis , qui sciens eiusmodi matrimonia non cõtradicit,neq; irrita declarat.

84. *Consentit Laymano Tannerus eius verba.*

Hæc

Hæc Tannerus. Quam doctrinam docuerat priùs idem Auctor anno 1601. *disp. de matrimon. Thesi 56.* quam loco citato refert. Quæ doctrina mihi non displicet, sicut nec doctrina Layman, quæ eadem ferè est.

Approbatur prædictorũ sententia.

85. Illud autem non placet, quod subiungit Tannerus quamuis sub aliquâ dubitatione, scilicèt quadam quasi publicâ fictione iuris ab Ecclesiâ tacitè toleratâ in eiusmodi locis in ordine ad hunc effectum Prædicantes Pseudoparochos, quasi pro Parochis haberi. Hoc (inquam) mihi non placet, sed absolutè dicendum videtur propter tam grauia incõuenientia prædicta non censeri voluntatem Pontificum, vt talia matrimonia sine Parocho non valeant. Alioquin, si Prædicans haberetur pro Parocho ab Ecclesiâ, quantum ad hoc, sequeretur matrimonium contractum ab hæreticis sine assistentiâ sui Prædicantis non valere; nec credibile est velle Ecclesiam (etiam suppositâ hæresi contrahentium) adhiberi ab eisdem suum Prædicantem, vt necessarium ad valorem.

Aliud quod addit Tannerus non placet, in quo ipse quoque subdubitat.

Ratio cõtra Tannerum ab inconuenienti.

86. Probabilius est quod subiungit idem Tannerus pro casu, quo sectarij proprios ministros habentes in eâdem Parochia eodemq́ue fortè templo Parochiano sibi cum Catholicis communi, suum proprium Religionis exercitium habent, & si non verè, & propriè; tamen quadâm Ecclesiæ conniuentis interpretatione suam nihilominùs habere Parochiam, non loco, sed fide, & moribus distinctam, cui supradicta illa Concilij promulgatio facta non sit, quamuis in eodem Parochiæ Catholicæ loco facta sit. Quæ doctrina quamuis subobscurè dicta, mihi etiam placet ita, vt quamuis sit locus vnus, ibi existant vna Parochia, & altera Pseudoparochia, promulgatioque Tridentini censeatur facta in vera Parochia Catholicâ, non verò in Pseudoparochiâ hæreticâ.

Aliud dictũ eiusdem Tanneri probabilius.

87. Tandem aduertendum est cum communi Doctorum, non solùm verùm Parochum validè assistere matrimonio, licentiamue assistendi concedere alteri Sacerdoti; sed etiam qui verè Parochus non est; sed existimatus, dummodo habeat titulum coloratum Parochi, id est habeat titulum Parochi à Legitimo Superiore, quem tamen titulum, vel occultè amisit, vel à principio verè non accepit ob occultum impedimentum, communi tamen errore creditur habere titulum, in tali enim casu Ecclesia ob commune bonum confert potestatem, vt validè exerceat officium Parochi. Quæ doctrina generalis est pro omnibus iudicibus & officialibus habentibus dictum titulum coloratum subsistente prædicto errore populi aut communitatis iuxta L. *Barbarius* ff. de *officio Prætoris*. Quâ de re latius diximus in simili, imò difficiliori casu agentes de *Pœnitent. tract. 8. disp. 10. dub. 8.* in principio & in nostro opere de *Iustitia & iure* disputantes de iudice, illiusq́ne iurisdictione. Ideò non est cur hoc loco plura dicamus.

Aduertendum etiam Parochum non verum sed existimatum cum titulo colorato valide assistere.

Ratio ex Generali doctrina & lege Barbarius.

DVBITATIO XI.

An alius præter Parochum possit validè assistere matrimonio, & assistendi licentiam concedere Sacerdoti?

88. QVod attinet ad Romanum Pontificem, & ad Episcopum in propriâ Diœcesi, nulla est, imò nec esse potest dubitatio; est enim Pontifex non solùm Ordinarius superior ita, vt nomine ordinarij etiam in multis aliis comprehendatur Pontifex; sed etiam est supremum Ecclesiæ caput, quod omnia potest supplere, quæ sunt de iure positiuo; Episcopus verò est absolutè, & propriè Ordinarius, & Tridentinum ait præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentiâ, atque Ordinarius non solùm est Parocho superior, sed Parochus superior. Nomine etiam Ordinarij comprehenduntur habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem respectu eorum, in quos eam habent, vt sunt Abbates Ecclesiarum, quæ nulli Episcopo subiiciuntur; item Capitulum, sede vacante; succedit enim Episcopo quoad iurisdictionem ordinariam. Quam doctrinam latius explicamus *in Tract. de Censuris disput. 3. dub. 3.* in simili casu pro absolutione à censuris reseruatis, sed commissis Episcopo in foro conscientiæ, vbi ex instituto ostendimus nomine Episcopi comprehendi omnes habentes iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem. Vnde à fortiori etiam poterit Legatus à latere, vel habens potestatem Legati à latere in Prouincia suæ legationis: & legi potest Sanchez *lib. 2. Summæ cap. 11.* & Perez *disput. 41. sect. 1. num. 2. & seqq.* Ratio verò pro legato est, quia est Ordinarius in eâ Prouincia, vt constat ex *cap 2. de officio Legati in 6.* Pari etiam ratione Cardinales in Ecclesijs sui tituli, in quibus non solùm sunt ordinarij, sed etiam Parochi immediati.

Item habentes iurisdictionẽ quasi Episcopalem erga suos. Capitulum quoque sede vacante.

Legatus à latere vel habens potestatem Legati à latere, vbi exercet munus. Sanchez. Perez. *Ratio. Cardinales in suis titulis.*

89. Quod attinet ad Archiepiscopum consentiunt Doctores non posse assistere matrimonio subditorum sui suffraganei, neque enim est Ordinarius ipsorum, neque habet iurisdictionem; nisi in causis per appellationem deuolutis ad ipsum, & in alijs casibus singularibus iuxta *c. Pastoralis* in *Principio* de *officio Ordinarij*. Ita Henriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 3. num. 4.* Rodriquez *1. tomo Summæ 2. edit. cap. 219* Sanchez *lib. 3. disp. 28. num. 3.* Vnde dum actu visitat Diœcesim suffraganei poterit, quia tunc habet iurisdictionem ordinariam, sicut & quando suffraganeo nolente aliquos matrimonio copulare, & ad Archiepiscopum super eâ re appellatur; tunc enim postquam eius sententia transierit in rem iudicatam, ad ipsum deoluitur iurisdictio Ordinaria, & poterit assistere, vel licentiam assistendi conferre. Legatur Sanchez *supra nu. 4.* Coninc *disput. illa 27. num. 17.* Reginaldus *lib. 31. n. 178.* Gutierrez *cap. 62. 64. & 68.* Legantur dicta de *pœnitentia disp. 10. dub. 4. assert. 4.* & *disp. 11. dub. 16.*

Archiepiscopus non potest in matrimonijs subditorum suffraganei sui. Ratio petita exiure Canonico. Henriq. Rodriqu. Sanchez. *Potest vero dum actu visitat suffraganei Diœcesim, vel deuolutâ re ad ipsum per appellationem. Ratio.* Sanchez. Coninc. Reginald. Gutierr.

90. Iam verò difficultas est, an nomine Ordinarij, quantũ ad hoc, intelligatur Prouisor seu Vicar.

Quid de Prouisore seu Vicario Episcopi

Episcopi ita, vt ex vi sui officij absque speciali superaddita commissione possit assistere, & assistendi licentiam concedere sicut Episcopus ipse?

91. *Negant etiã aliqui qui agnoscunt illum esse iudicem ordinarium.* Sanchez. *Item est de Vicario Capituli sede vacante. Ratio negandi petita ex iure Canonico.*

Nonnulli negant (& omitto eos, qui sentiunt illum esse non iudicem Ordinarium, sed delegatum, cuius oppositum latè & eruditè probat Sanchez innumeris citatis auctoribus *disp.29. num.3.* vbi etiam *num.4.* idem probat de Vicario Capituli, sede vacante & alijs in locis nos probauimus.) Probant verò, quia Vicarius generalis ex officio suo nequit de causis matrimonialibus cognoscere, vt significari videtur *in c. Accedentibus* 12. de *Excessibus Prælatorum.* vbi dicitur eam cognitionem pertinere ad Episcopalem dignitatem: ergo nec poterit matrimonio assistere, neque ad id licentiam conferre.

92. *Assertio & sententia affirmans.* Sanchez. Coninc. Basilius. *Communis Doctorum Declaratio Cardinaliũ. Probatur ex Tridentino.*

Asserendum nihilominùs est posse. Ita Sanchez *disp.illâ* 29. Coninc *disput.27. dub.2.* Basilius *lib.5. cap.11.* estque communis Doctorum sententia, idque declarauit Congregatio Cardinalium. Probatur verò ex Tridentino *sess.24. c.1. de Reformatione matrimonij.* vbi habetur Ordinarium posse matrimonio assistere, & ad id licentiam conferre, vt vidimus; sed Vicarius Generalis Episcopi comprehenditur nomine Ordinarij, vt Sanchez ostendit loco citato, constatque ex eo, quòd Vicarius Episcopi constituat vnum Tribunal, & vnam quasi personam superioris cum Episcopo, vt habetur *in c. Romana 3. de appellat. in 6.* idque satis declarat vsus & praxis. Vicarius enim Episcopi approbat, & dat facultatem ad audiendas confessiones sæcularium, & ad ministranda reliqua Sacramenta. Eademque ratio est de Vicarijs cæterorum habentium iurisdictionem Episcopalem.

93. *Probatur fundamentum & reijcitur oppositæ sententiæ argumentũ. Explicatur textus in cõtrarium.*

Porrò Vicarium Generalem prædictum posse cognoscere de causis matrimonialibus ex vi sui officij, quotidiana praxis declarat, neque *in c. Accedentibus* pro contraria sententiâ relato aliquid est in contrarium; ibi enim per dignitatem Episcopalem non excluditur eius Vicarius Generalis, qui vnum cum eo Tribunal, & personam Iudiciariam constituit. Præterea assistere matrimonio, & ad id licentiam præbere, non est de causis matrimonialibus cognoscere, ergo extra rem obiicitur, vt patet in Parocho, qui non cognoscit de causis prædictis.

94. *Archipresbyter vt nũc solet esse, non potest nisi pro sui Parochianis, nõ aliorum Parochorũ sibi subditorum.*

De Archipresbytero dicendum est non posse validè assistere matrimonio, nisi tantùm eorum, quos habet Parochianos proprios; non verò Parochianorum Parochi sibi subditi. Loquor autem de Archipresbyteris, quales nunc sunt in plerisque locis Hispaniæ. Maximè in Archiepiscopatu Toletano. Vtrùm autem olim fuerint Archipresbyteri cum aliqua alia diuersâ potestate, quales aliqui putant fuisse, ita, vt haberent potestatem, seu iurisdictionem conferendi Presbyteris facultatem, imò & Religiosis etiam administrandi Sacramenta affirmare nihil possum certò; nec Sanchez audet affirmare citato *libro tertio disputat.27.* Legatur idem *Auctor num.2.* Ratio autem huius doctrinæ est, quia Archipresbyteri, quales nunc sunt, (nisi alicubi alia vigeat consuetudo) non sunt Parochi, aut Ordinarij subditorum pertinentium ad alios Parochos.

Ratio.

DVBITATIO XII.

An Parochus non proprietarius, sed delegatus & amobilis ad nutum Episcopi possit tum assistere matrimonio, tum ad id licentiam præbere?

95. *Assertio 1. cum consensu Doctorũ posse per se assistere.*

Asserendum primò est, (in quo Doctores consentiunt) prædictum Parochum posse assistere validè matrimonio, quoties delegatus ab Episcopo, vel eius Vicario, siue pro aliquo etiam breui tempore, vt interim, dum proprietarius eligitur, siue, quia Episcopus est immediatus Parochus, & alterum sui loco designat, siue aliâ quâuis ratione, ita, vt in dicta delegatione contineatur licentia ipsi facta ad assistendum matrimonio.

96. *Difficultas est an possit licentiam assistendi dare.*

Tota ergo difficultas iam est, an etiam possit alteri Sacerdoti licentiam conferre.

97. *Quorundã principiorũ disputatio omittenda, & supponendum aliunde quod sufficit.*

In quâ re supersedeo longissimæ & grauissimæ disputationi, quam Sanchez instituit *citato libro tertio, disput.31.* vbi à principio vsque ad *numerum duodecimum,* disputat de differentia inter Ordinarium & delegatum ad vniuersalitatem causarum, vel ad causam particularem, & de differentia inter delegatum à Principe supremo vel ab alio inferiore, & de prædictorum omnium potestate ad delegandum & subdelegandum. Quæ omnia quamuis prodesse possint præsenti instituto, non sunt huius loci, ideò supponenda potiùs sunt, quàm ex professo examinanda, maximè, cum magnâ ex parte abstrahendo ab his, possit præsens difficultas breuiter resolui.

98. *Assertio 2. affirmans.* Sanchez. *cum multis.*

Asserendum ergo est, prædictum Parochum non proprietarium posse talem licentiam conferre. Ita Sanchez eâdem *disput.31. n.15.* qui numerus debuisset esse 13. siue id factum fuerit typi errore vt fortè contigit (nam aliæ impressiones variant) siue quia aliqua pars doctrinæ suppressa fuit, vt in eo & alijs auctoribus aliquando fit. Itaque id docet in numero, qui immediatè sequitur post 12. cum multis aliis, quos ibi refert, id quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium & omissis alijs rationibus sumptis ex alijs principijs generalibus potestatis ordinariæ, aut delegatæ, id probo nunc ex Tridentino, quia Tridentinum tantùm requisiuit in alio Sacerdote licentiam Parochi ad validè assistendum; hic autem (quamuis delegatus) est verè Parochus ergo sufficit eius licentia. Consentiunt Perez *disp.40. sect.6. num.4.* Basilius *lib.5. cap.28.* Henriquez *lib.11. de matrimonio cap.3. nu.5.* estque communis sententia.

Declaratio Cardinal. *Probatur ex Tridentino.* Perez. Basilius. Henriq. *Communis sententia.*

99. *Eadem est ratio pro Vicecurato plenè delegato à proprietario.* Sanchez. perez. *Contra Basilium, & quosdam,*

Idem fundamentum probat hoc ipsum de Vicecurato plenè delegato à Parocho proprietario, vt rectè aduertit idem Sanchez & Perez (quidquid in contrarium dicat Basilius & aliqui alij) quod verum puto tam in absentia quàm in præsentia Parochi proprietarij, quia etiam in illius præsentia interim dum non reuocatur, est verè & propriè Parochus,

quam-

quamuis non proprietarius, sed delegatus, & mercenarius, & quidem licèt Basilius dicat, id nullo iure probari, & rationem iuris resistere fatetur tamen *lib.5. cap.16. num.12.* id quod diximus esse vsu receptum, & in praxi seruandum, quia in causis iurisdictionis recedendum non est ab ijs, quæ diu seruata, & recepta sunt.

Vrgetur Basilius confessis à se.

100. Dixi de Vicecurato plenè delegato; nam si non plenè delegatus sit; sed ad vnam, vel alteram functionem non poterit subdelegare. Vnde Sacerdos delegatus ad assistendum alicui matrimonio, non potest subdelegare alterum Sacerdotem, etiamsi ipse fuerit delegatus ab Episcopo. Ratio est; quia est delegatus ad vnam causam, delegatus verò ad vnam causam non potest totam causam delegare, nisi sit Principis supremi delegatus, vt latè probat Sanchez *supra num.1. & 10.* Sed quidquid sit de hac doctrinâ, (quam alioquin veram puto) independenter ab illa probatur ex Tridentino non posse conferre eam facultatem; quia Tridentinum requirit licentiam Parochi, aut Ordinarij talis autem non est ille delegatus ad illam functionem.

Vicecuratus non plenè sed ad vnã vel alteram functionem non potest subdelegare. Ratio.

Probatur etiam ex Tridentino.

101. Vlterius aduerto cum eodem Sanchez & alijs licet concedamus delegatum absolutè non posse delegare iurisdictionem, nihil inde contra nostram doctrinam colligi, quia talem licẽtiam assistendi concedere non est delegare iurisdictionem, nam assistere matrimonio non est actus iurisdictionis iuxta dicta *supra dub. 10.*

Aduertendum ex Sanchez.

102. Prætereà quamuis delegatus nequeat iurisdictionem ad omnẽ causam sibi delegatâ subdelegare, potest tamen ad vnã vel alteram, ac proinde ad assistẽdum matrimonio, etiãsi diceremus id esse iurisdictionem concedere. Legatur Sanchez *suprà num. 9. & 17.*

Aliud in confirmationem notandum.

DVBITATIO XIII.

An Parochus prohibitus à suo superiore (vt ab Episcopo, vel Synodali constitutione) dare licentiam assistendi, nisi approbatis ab Episcopo, validè nihilominùs licentiam concedat?

103. BReuiter respondeo iuxta dicta *dub.10. nũmer.79.* validam esse licentiam, & matrimonium sic contractum valere, siue licentiâ sit à Parocho proprietario, siue à delegato ad vniuersam curam Parochiæ. Ita Sanchez cum aliis *lib.3. disp.32. num.2.* quam doctrinam ille latè probat. Tota autem vis probationis consistit in principio à nobis iudicato citatâ *dubit.10.* quia nimirum ea facultas, siue ad assistendum, siue ad dandam licentiam assistendi, concessa est à Tridentino Parochis sine tali limitatione ad illum tantùm Sacerdotem, qui approbatus fuerit ab Episcopo: ergo talis Licentia limitari non poterit à Superiore aliquo, qui sit inferior ipso Tridentino. Vnde, nisi à Concilio generali vel à Papa non poterit limitari, saltem quantum ad valorem. Itaque erit fortasse in potestate Episcopi propter alias causas Parochum maximè non proprietarium, & ad nutum amobilem ab officio amouere; si tamen illum in officio retineat, non poterit Episcopus facere, quòd sit Parochus, & eius assistentia, vel licentia ad assistendum non valeat, cùm hanc potestatem à Tridentino acceperat. Ex quo principio & fundamento non habent locum illa, quæ pro contraria parte affert Sanchez *disput. 32. citatâ*, quæ ideò omitto; omnia enim eò tendunt, vt actus sit inualidus, quando fit contra mandati formam, siue id sit in habente potestatem delegatam, siue etiam in habente Ordinariam, saltem quando præceptum est negatiuum. Quod tamen intelligi debet (si tamen verum est) in casu, quo potestas ad talem actum sit dependens ab illo Superiore, qui imposuit tale præceptum, aut præscripsit talem formam seruandam, quando enim est potestas ab illo independens, valor actus non dependet à seruandâ vel non seruandâ formâ ab illo præscriptâ. Vide quæ dicemus disp.5.dub.20.num.243.

Fundamentum & ratio sufficiens.

Resolutio affirmans ex supradictis. Sanchez.

Cessant ex dato fundamento quæ possent obiici in contrarium.

DVBITATIO XIV.

Qualis licentia requiratur in Sacerdote, vt validè assistat matrimonio.

104. CIrca hanc rem variæ difficultates occurrunt sigillatim examinandæ, & pro praxi non parum vtiles.

105. Quæri primò potest, an sit necessaria licentia specialis? Non desunt, qui putent requiri specialem licentiam. Ita Spino *in specul. Testament. Gloss.15. num.37.* Veracruz *in Appendice ad specul.dub.5.conclus.7.* quam dicit non debere esse solùm specialem; sed particulariter, & nominatim ad matrimonium, quamuis non omnino firmiter videatur tenere hanc sententiam. Cuiuscunque autem sit, probari potest, quia quæ speciali notâ digna sunt, quando specialiter non notantur, censentur quasi neglecta. *L. Item apud Labeonem 15. ff. de iniuriis* matrimonium autem est res grauissima, & ardua iuxta *cap. finale de Procuratoribus in 6.* & ex se patet; ergo est dignum speciali notâ, ac proinde, quando non conceditur, censetur neglectum, & non concessum.

Quæsitũ 1. Affirmant aliqui. Spino. Veracruz.

Probatur. Ex iure Ciuili.

106. Asserendum nihilominùs est, non requiri licentiam specialem; sed sufficere generalem illam, quâ conceditur à Parocho facultas alicui Sacerdoti ad exercendum in suâ Parochiâ, quæ spectant ad curam animarum. Ita Coninc *disp.27.dub.2.* Sanchez *lib.3 disp.35.num.7.* Nauarrus *lib.4. Concilior. in 1.edit. titul. de sponsalibus conf.27. per totum. & in secundo tit. de clandest. desponsat. conf.13.* Salzedo *in Pract. cap.73.* Rodriquez *1.tomo Summæ in 2.edit. cap.219. num.13.* Rota in nouissimis, vbi testatur sic decidisse Cardinales: *decis.750. numero secundo tomo primo*, alij etiam Recentiores. Ratio verò est, quia, qui assistit ex eâ licentiâ, satisfacit Tridentino, quod tantùm requisiuit licentiam Parochi ad assistendum; illa autem generalis verè licentia est, ac proinde, vt rectè notat Sanchez, & alij, sufficiet etiam verbalis; quamuis enim Cardinalium declaratio

Assertio negans requiri licentiam specialem. Coninc. Sanchez. Nauarr. Salcedo. Rodriq. *Rotæ decisio. Cardinal. decisio. Recentiores. Ratio.*

solùm dixerit sufficere licentiam in scriptis datam, etiam generalem non dixit in scriptis requiri; sed sufficere.

107. *Non sufficit licentia administrandi omnia Sacramenta si præsens & non peregrè discessurus det.* Sanchez. *Ratio.* Rota. Henriq. *Sufficiet ea licentia, si peregrè profecturus det relinquens illum vt substitutũ.* Perez.

Non tamen ideò sufficiet licentia, quam Parochus concedit alicui administrandi omnia Sacramenta, si concederet Parochus præsens, & non peregrè profecturus; quando enim sic concedit, meritò putat Sanchez intelligendam esse licentiam, sicut intelligitur clausula Bullæ Cruciatæ in simili facultate, quæ intelligitur solùm de confessione, & Eucharistiâ, quæ sunt maximæ necessitatis. Pro quâ sententiâ refert Sanchez *num.* 8. Rotam suprà & Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 5. Si verò peregrè profecturus talem licentiam concederet relinquens prædictum Sacerdotem, tanquàm substitutum in absentia, etiamsi tantùm illi dicat, vt administret Sacramenta vice ipsius, sufficit ea licentia, vt possit assistere matrimonio, tunc enim illum censetur vicecuratum constituere in eius absentiâ. Ita etiam Perez *disp.* 41. *num.* 8.

108. *Generalis licentia administrandi ea, quæ pertinent ad curam animarum, satis est.* Perez. *Non sufficit licentia ad aliquos actus etiam digniores. Ratio.* Sanchez. *Generalis ratio pro ea & aliis rebus.*

Quando autem dicimus sufficere licentiam generalem, talem generalem intelligimus, vt sub illius licentiæ verbis generalibus comprehendatur clarè matrimonium; talis autem est licentia exercendi ea, quæ pertinent ad curam animarum, vt ibi notat Perez; non verò licentia ad aliquos actus particulares etiam digniores vt ad Confessionem, & Eucharistiam. Ratio est, quia potestas delegata non est extendenda de casu expresso ad non expressum, vt colligitur *ex c. Petro & G. de officio delegati* ibi, *Cum huiusmodi delegata iurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.* Atque hac ratione explicat Sanchez *supra num.* 9. Auctores primæ sententiæ. Cuius doctrinæ ratio est; quia potestas delegata est odiosa, vt cum alijs docet ibi Sanchez, atque adeò strictè interpretanda, & non extentenda, maximè, quando est diuersa ratio in vno atque in alio.

109. *Ad fundamentum oppositæ sententiæ.* Basilius. Henriq. Coninc. Perez. *Alij. Ratio.*

Ad fundamentum verò oppositæ sententiæ respondemus ea, quæ speciali notâ digna sunt, tunc censeri omissa, quando nec specialiter conceduntur, nec modo æquiualenti concessioni speciali. Illa autem concessio facultatis generalis ad exercendum officium Parochi, vel ad præstandum ea, quæ pertinent ad curam animarum, æquiualet licentiæ speciali ad assistendum matrimonio, quia hæc includitur in illâ. Cui concessioni non videtur æquiualere, neque sufficere facultas concessa ad administrandum omnia Sacramenta, (quidquid in contrarium sentiat Basilius *cap.* 29.) ita Henriquez *lib* 11. *cap.* 3. & Coninc *disp.* 27. *dub.* 3. Perez *disput.* 41. *sect.* 1. *num.* 8. & alij. Ratio est; quia assistere matrimonio non est Sacramentum ministrare, cuius tantùm contrahentes sunt ministri.

110. *Congregatio illa Cardin. sequuta oppositam sententiam.*

Verum quidem est Congregationem Cardinalium aliquando censuisse in eâ facultate administrandi Sacramenta comprehendi etiam matrimonio assistere; sed tunc sequuti sunt opinionem probabilem, cuius oppositam nos cum alijs probabiliorem iudicamus.

111. *An sufficiat ea generalis licẽtia quãdo Episcopus vel constitutio prohibuit Parocho illam facultatem delegare?*

Dubitari autem potest, an ea licentia generalis ad exercendum ea, quæ pertinent ad officium curati censeatur sufficiens ad assistendum matrimonio, quando Episcopus vel constitutio generalis interdixit Parocho delegare assistentiam matrimonio? Duplex est ratio dubitandi; Prima; quia voluntas Parochi debet intelligi, & explicari ab ipsius potestate; cùm ergo non possit tunc licitè delegare, non censetur velle delegato sub illis generalibus verbis. Secunda, quia in mandato generali non veniunt ea, per quæ Dominus incidit in pœnam *L.* 3 *§. Si Procurator ff. Quod quisque iuris.* In nostro autem casu Parochus incideret in pœnam constitutionis Synodalis, si talem facultatem delegâsset: ergo in generali illâ concessione non censetur ea facultas concessa. *Duplex dubitandi ratio. Prima. Secunda ex iure positiuo Ciuili.*

112. *Nihilominùs valet & sufficit. Ratio. Ex consuetudine ita declarante.* Sanchez. Rotam. *Declaratio Cardinal.*

Nihilominùs asserendum est includi & sufficere, quia satis specificè censetur concessa dum conceditur facultas ad omnia, quæ ad talem curam animarum pertinent; atque ita consuetudo ipsa declarat. Ita Sanchez *suprà num.* 13. referens Rotam, quæ testatur ita declarâsse Cardinales in nouissimis *decis.* 750. *nu.* 2. *tomo* 1.

113. *Ad 1. rationem dubitandi.*

Ad primam rationem dubitandi respondetur id esse verum, si non sit in verbis aliqua specialitas, quâ declaretur id committi, talis autem est in nostro casu, atque adeò sufficit.

114. *Ad secundam.*

Ad secundam eodem modo respondetur; in nostro enim casu specificè concedit, quia id satis verba significant, & declarauit consuetudo.

115. *Quæsitũ 2. de ratihabitione de futuro?*

Quæri potest 2. an sufficiat tacita licentia ex ratihabitione de futuro?

116. *Non sufficit tacita licentia ex ratihabitione de futuro. Communis sententia.* Sanchez. Basilius. Coninc. Perez. *Ratio. Cõfirmatur à simili. Occurritur obiectioni ex regula iuris.*

Respondeo non sufficere, quamuis probabilissimè quis præsumat quòd ratum habebit Parochus. Est communis sententia Doctorum, quam sequitur Sanchez *supra num.* 17. Basilius & Coninc locis citatis Perez supra *num.* 6. Ratio verò est, quia tunc non adest licentia actu; sed speratur concedenda; neque enim tunc est ipsa ratihabitio, sed creditur futura; ad matrimonium autem requiritur licentia de præsenti; illa enim necessaria est ad valorem contractus, & sine illa sunt inhabiles contrahentes. Quæ doctrina confirmatur ex dictis in simili *de Pœnitent. tract.* 8. *disp.* 10. *dub.* 7. *quæsito* 1. *&* 2. ibi legatur. Neque huic doctrinæ obstat regula 10. *iuris in 6. vbi* dicitur *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*; id enim intelligendum est, quando valor actus, aut contractus pendet ex solâ voluntate ratum habentis, vt loco citato notauimus. In nostro autem casu id non habet locum; quia valor non pendet ex solâ voluntate Parochi conferentis licentiam; sed ex consensu etiam contrahentium, qui tunc fuit nullus defectu actualis existentiæ talis Licentiæ.

117. *Quæsitũ 3. de ratihabitione de præsenti.*

Quæri potest tertiò an sufficiat saltem ex ratihabitione de præsenti, quæ dicitur tacita licentia præsens?

118. *Sufficit ea ratihabitio.* Sanchez. *Cum multis.* Coninc. Basilius. Perez. *Explicatur ex alia simili in facultate absoluendi.*

Respondeo sufficere. Ita contingere solet; quando Parochus videt Sacerdotem incipientem assistere, aut parari ad id, & non contradicit, cùm facilè possit. Ita docet Sanch. *disp. illâ* 35. *nu.* 20. cum multis, quibus adde Coninc & Basilium & Perez suprà. Quæ doctrina congruit cum alia in simili data à nobis citatâ *disp.* 10. *de Pœnitent. dubit. illâ* 7. *assert.* 3. vbi id ipsum tradidi-

tradidimus de ratihabitione de præsenti, quantum ad facultatem absoluendi à peccatis, & omnia ibi dicta facilè possunt huic præsenti negotio accommodari. Pro quo sufficiat nunc ratio generalis, quia illa licentia, quantumuis tacita, verè est licentia, & non merè interna, sed externa; ipsa enim taciturnitas, suppositâ rei notitiâ, sufficiens signum est voluntatis Parochi, quâ vult eum Sacerdotem assistere.

Ratio generalis.

119. *Obiiciunt aliqui.* Henriq. Veracruz *Alij. Declarationem Cardinalium.* Rebell. Bonacina.

Sed obiiciunt Henriquez *supra c.*3. Veracruz, & alij apud Sanchez declarationem congregationis Cardinalium, quæ ait non sufficere licentiam tacitam, quæ resultat ex tolerantia. Quam declarationem etiam refert, & sequitur Rebellus *post lib.*4. & Bonacina *q.*2. *puncto* 8. *numer.*11.

120. *Respõdetur.*

Respondetur nihilominus Cardinales in ea declaratione vel maximo rigore vsos fuisse ad seruandam formam Tridentini, vel certè intelligendi sunt loqui de licentiâ tacita per ratihabitionem de futuro; nam quòd quando requiritur licentia absolutè, non requiratur expressa, sed sufficiat tacita, tot, tantorumque virorum est, vt non credendum sit velle Cardinales contradicere doctrinæ tam receptæ à Theologis & iurisperitis, quos refert Sanchez loco citato, & alij quos retulimus *dub. illa* 7. *de Pœnit.*

121. *Ratihabitio de præterito etiã sufficit.* Sanchez. *In simili de pœnitentia docent hoc alij.* Sotus. Henriq. Ledesma. Vega. Maurus Antonius.

Quando verò ratihabitio est de præterito, meritò Sanchez *supra n.*1. & 21. putat esse eandem rationem, quia adhuc verificatur, quòd licentia præcedat assistentiam. Atque in simili de pœnitentia concedunt Sotus Henriq. Barthol. de Ledesma, Vega, Maurus Antonius, quos refert Sanchez ibidem. Legantur quæ diximus loco notato de pœnitentia, vbi multa pro explicatione huius ratihabitionis de præsenti dicta sunt.

122. *Quæsitũ* 4. *De licentia extorta per vim, aut metum, vel dolum. De fraude & dolo iuxta alibi dicta respondendum.*

Quæri potest 4. an sufficiat licentia extorta per vim aut metum, aut fraudem, seu dolum? Sanè quod attinet ad dolum & fraudem philosophandum puto iuxta ea quæ dixi in *opere de iustitia tract.*3. *disp.*1. de *contractibus in genere dub.* 6. per totam & locis ibi notatis, vbi variis distinctionibus ibi vsi sumus, & distinximus inter errorem circa substantiam, & accidens. Ideò omitto. Potuissem etiam omittere agere de vi, aliquid tamen breuiter dicam cum aliis, qui de vi & metu hoc loco plus quàm satis agunt.

123. *Circa vim & metum sententia affirmans valere.* Sanchez.

Sanchez *lib.*3. *disp.*39. *n.* 13. probabilius putat valere licentiam, atque adeò matrimonium, qui verius putat iurisdictionem metu extortam validè transferri, & quamuis iurisdictio non validè transferretur; quia sic disponunt leges maxime *Lex* 2. *in principio ff. de iudic.* (quam tamen legem ibi aliter explicat Sanchez) adhuc non est extendendum absque aliquo textu ad licentiæ concessionem, quæ nec actus iurisdictionis est, nec per eam iurisdictio aliqua transfertur.

124. *Sanchezio consentiunt etiam alij.* Coninc. Hurtado. Perez. *Aliqui alij probant ex principio generali.*

Eandem sententiam sequitur Coninc *disp.* 27. *num.*37. Hurtado *disp.*5. *diff.*11. *num.*39. Perez *disp.*41. *sect.*5. *num.*2. aliique nonnulli ex principio generali: in quo etiam consentit Sanchez, quia tam contractus, quàm donationes, quibus dolus vel metus causam dedit, validæ sunt, licet irritabiles, quando tales sunt, quæ *irritari* possunt, & rescripta etiam iustitiæ per dolum obtenta non vitiantur, nisi à parte elidantur.

125. *Alij prædictis consentiunt negãtque hãc esse donationem quæ non valet coacta.*

Alij etiam Recentiores, qui putant hanc licentiam valere, concedunt quidem donationem coactam ex defectu tituli non valere, quia tunc deficit liberalitas. Negant tamen hanc esse liberalem donationem, sed solùm concessionem facultatis ad assistendum, quæ absque fundamento negatur esse valida, quamuis concedatur ab inuito; si hîc & nunc efficaciter concedatur.

126. *Probabilis prædicta sententia quam sequuntur alij.* Reginald. Gutierrez. Bonacina. *Probabilior est opposita sententia negans valere. Ratio.*

Quamuis hæc sententia probabilis sit, sicut probabilem diximus agentes de pœnitentia *tract.*8. *disp.*10. *dub.*7. *num.*181. eamque præter hic & ibi citatos sequantur Reginaldus *l.*31. *nu.*182. Gutierrez *c.*69. *numer.*14. Bonacina *q.*2. *puncto* 8. *n.*17. *alias* 20. probabilior nihilominus mihi apparet opposita sententia; quòd scilicet metu extorta non valeat propter fundamentum loco citato à nobis indicatum, quia scilicèt illa collatio facultatis, etiamsi iurisdictio non sit (qualis est facultas absoluendi, de quâ ibi diximus esse iurisdictionem) est tamen gratuita collatio facultatis, vt supponimus, ita, vt sit in merè liberâ potestate concedentis illam concedere, ita, vt nullo titulo debita sit. Hoc autem sufficit ad hoc, vt actus ille concedendi censeatur dari ex merâ liberalitate; quamuis enim non sit donatio alicuius rei vendibilis, aut pretio æstimabilis, cuius dominium per illam collationem transferatur; est nihilominus facultas gratis, liberaliter, & sine vllâ obligatione collata, absque eo, quòd interueniat aliquis titulus onerosus, ex parte vtriusque siue dati, & accepti *siue facio, vt facias*, siue *do, vt des*, siue *do, vt facias*, siue *facio, vt des.* Ad huiusmodi autem liberalem concessionem probabilius existimo requiri voluntatem liberam non coactam metu.

127. *Qui tenetãtur sequi hanc sententiã consequenter.* Molina. Sotus. Nauarr. Syluester.

Hanc sententiam procul dubio sequuntur, quotquot putant ex naturâ rei contractus metu initos non valere. Inter quos est Molina *to.*2. *de iustitia tract.*2. *disp.*326. & 267. Sotus *libr.*8. *de iustitia q.*1. *art.*4. *quamuis in* 4. *dist.* 29. *q.*1. *artic.*3. contrarium docuerit. Item Nauarrus *c.*17. *n.*29. & 30. & *c.*22. *n.*51. & cap. *Non dicatis circa finem num.*100. Sylueft. *Restitut.*2. *dicto* 7. & *verbo metus* § *fin.* docentes promissionem & donationem factam metu reuerentiali esse nullam. Itaque quotquot dicunt quamcunque donationem liberalem metu, aut vi iniustè illatis non valere ex eo principio, quod in donatione non est titulus rei pro re, & ideò requiritur titulus perfecti voluntarij, quale non reperitur, quoties voluntarium non est completum absque vllâ coactione, hi (inquam) omnes, qui hoc dicunt, si consequenter loqui velint, tenentur in nostro casu etiam concedere non valere licentiam sic coactam. Vnde supra citati Recentiores omnino displicent. Si enim illa concessio facultatis, aut, potius dicam, illa facultas reperitur in tali Sacerdote, cui eam concessit Parochus; aliquo titulo eam habet; vel ergo illam habet tamquàm sibi debitam ex solutione talis debiti facta à Parocho, & hoc non concedunt, neque est noster casus; vel illam habet, tamquàm merè gratis, & liberaliter concessam (qui est vere ca-

Non placent Recentiores citati minus consequẽter loquentes.

sus noster) hæc autem liberalis concessio non censetur talis, quoties interuenit metus aut vis, perinde atque in cæteris donationibus ipsi Recentiores concedunt. Vnde magis consequenter Sanchez, Coninc Perez, & alij docent etiam donationes valere metu, aut vi factas iure naturæ, esse tamen rescindendas. Quâ de re latè tractat Sanchez loquens generaliter de omni contractu etiam de donationibus, & promissionibus *lib.4.de matrimonio disp.8. per totam vbi num.4.* prædictam doctrinam generalem tradit, & pro virili contendit etiam donationes non esse irritas sed irritandas. Quâ de re diximus in nostro *opere de iustitiâ lib.2. tract.4.disp. vnicâ dub.3.* vbi cum Vasquio & pluribus aliis negauimus valere iure naturæ ex defectu liberæ & plenæ voluntatis, vt ibi explicabam *nu.17. & seqq.* vbi reieci responsionem Laymani, cui similis est Perez *loco citato n.2. & seqq.* qui mihi non placet dum negat eam concessionem esse donationem factam Sacerdoti : est enim verè collatio licentiæ, vt loquitur Tridentinum, & confertur liberaliter non titulo oneroso, sed spontaneæ voluntatis: talem enim voluntatem requirit donatio liberalis, & non solùm quòd non detur oneroso titulo, vt dixi locis notatis *dub.3. disp. illius vnicæ tractatus 4.* citati & in eâ *disp.1.de contractibus dub.7.* nos remisimus ad priorem locum. Sanchez tamen loco citato aliquot affert iura, in quibus promissionis & donationis liberalis mentio fit, maximè, in lege finali C. de his, quæ vi ibi: *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* Similes loquutiones reperiri possunt in aliis iuribus. Ergo valebant, quia quod non est, non infirmatur.

Magis consequenter loquuntur alij supra citati. Sanchez.

Laymañ. Perez.

Immerito negant eam concessionẽ esse donationem factam Sacerdoti. Tridentinũ appellat collationem licentiæ.

Opponit cõtra hoc Sanchez. argumentum petitum ex iure.

128. Verùm, vt liberè dicam, quod sentio, nunquàm huiusmodi argumentum est satis firmũ; sæpe enim solet sententia declaratoria appellari quasi esset decretoria; sæpeque à iudice dicitur liberari ab aliqua obligatione ille, qui declaratur liber, & è contra ligatus, aut obligatus dicitur à iudice, cùm tamen sæpe iudex sententiâ suâ solùm ligatum, aut obligatũ declaret, quod sæpe contingit, tam in materia censurarum, quàm in aliis. Vnde in prædictis legibus infirmari à iudice accipi potest pro eo, quod est, vel verè rescindere & inualidare, vel certè iudicialiter declarare esse inualidum, & infirmum id, de quo agitur. Imò etiam medici solent dicere se dare licentiam vescendi carnibus in Quadragesima aliquibus valetudinariis, aut quibus alij cibi nocent, cùm tamen solùm sit iudiciũ, quo testantur de nocumento graui quod inde timeri possit, & mera declaratio illius: non ergo in eo modo loquendi oportet magnam vim ponere.

Infirmitas prædicti argumenti ostenditur.

129. Nec credendum est pro nostro casu in re tam graui, qualis est hæc (& illa etiam iurisdictio, de quâ egimus loco citato de *Pœnit.*) voluisse Tridentinum, quando requisiuit licentiã Parochi, sufficere etiam extortam.

130. Nihilominùs, quia prædictus discursus non omnino conuincit, ideò tum loco citato de pœnit. tum etiam hîc oppositam sententiam, quòd scilicèt licentia coacta valeat, satis probabilem iudico, imò (vt ibidemquoque notaui pro facultate absoluendi) in vno casu omnino verum puto coactam licentiam valere; nempe, quando tenetur Parochus illam dare, & iniustè negat; tunc enim, sicut neque licentiæ collatio est merè gratuita, & liberalis, sed ex debito; Ita neque requirit voluntarium ita plenum & liberum ab omni coactione; sed sufficit voluntarium simpliciter. Omitto alia, quæ hic possent quæri, & concernunt varias materias ab hoc loco alienas. Illud breuiter tanquam, quod à me fuit quæsitum, Nempe, an facultas assistendi, quam dedit Parochus, si antequàm Sacerdos assisteret, mortuus sit, vel amotus ab officio Parochus ille, valeat? Respondi ex generalibus principiis. Si mors Parochi, vel amotio ab officio adhuc communiter nesciatur, valet assistentia illa, quamuis enim delegati potestas exspiret per obitum, vel amotionem delegantis (quâ de re legi potest Sanchez *l.3.de matrimonio disp. 22.n.55.*) si tamen res ignoretur communiter; ille Sacerdos habet titulum, & communis error supplet quidquid requiritur ad valorem actus, quod solet probari notissimâ, & celeberrimâ lege *Barbarius ff. de officio prætoris* de quâ idẽ Sanchez *supra num.59.* omnino legendus, qui posteà non ab similem casum eodem modo resoluit *num.61.* quando Parochus reuocauit licentiam occultè; manente communi ignorantiâ reuocationis, & docet valere. Si verò iam de morte vel amotione Parochi constet, dixi non valere assistentiam, tunc enim nihil est, ratione cuius actus ille valere debeat, illa enim fuit delegata potestas & quidem ad vnum actum specialem & certum, quæ, re integrâ, cessat morte delegantis, quidquid fit, an cesset etiam quæ fit ad casus, & personas non determinatas. Legi potest Sanchez *l.8. disp.28.* præsertim *à n.64. & seqq.* Postquàm hæc ita olim resolueram, inueni nostram sententiam in Basilio *de matrimon. c.24.* Pergamus ad alia.

DVBITATIO XV.

Quis censeatur vagabundorum parochus? & quâ ratione se debeat gerere erga eorum matrimonia?

131. SVppono ex communi sententia eos censeri vagos, seu vagabundos, qui carent firmo domicilio, & certo, ac proinde nullum habent firmum ac certum Parochum. Nam ex domicilio fideles Parochum sortiuntur iuxta *c. vltimum de Paroch.* nisi aliquid alicubi speciali iure, ac consuetudine aliter sit receptum. Talabricæ quidem vulgò *Talabera de la Reyna* (nobile est in Hispaniâ municipium in Archiepiscopatu Toletano) Parochiani non ad diuersas Parochias pertinent secundùm diuersa domicilia, in quibus habitant, sed vnusquisque vel ab initio elegit sibi Parochum, & Parochiam, quam seruat pro se, & suâ familiâ sub quibusdam certis cõditionibus, vel certè Parochus ad præuentionem, cùm primùm de nouo aliquis aduenit, illum sibi cooptat in Parochianum oblato quodam siue sigillo siue numismate, quæ in particulari non sunt mihi satis explorata; maximè

Qui censeantur vagi seu vagabundi.

nunc

nunc in Germaniâ versanti. Regulariter ergo ex domicilio Parochum & Parochiam sortiuntur fideles ; qui verò carent domicilio aliquo firmo, vagi censentur. Imò & Talabricæ prædictæ, similibusque in locis ex domicilio in tali oppido censetur quis pertinere ad Parochum aliquem prædicto modo electum ex variis Parochiis ibi existentibus. Aduertere tamen in hac re oportet vsum in aliquibus locis esse, vt aliqui diu quidem aut semper maneant in eadem ciuitate, pago vel oppido, vbi sunt multæ parochiæ, sed vix habeant fixum domicilium; in domibus enim conductis variis habitant, vel etiam in domibus herorum, quibus seruiunt, & sæpe mutant, tunc autem ego existimarem illos propriè ad illum parochum pertinere, ad quem spectat domus in quâ sunt, & non censeri vagos, præsertim quantùm ad effectum, vt non possit Parochus eorum matrimoniis assistere, nisi obtentâ priùs facultate Ordinarij, quia nõ concurrunt in iis causæ, ob quas Tridentinum prohibuit Parochis interesse illorum matrimonio, quia hi sunt satis noti, & non est periculum quod vitare voluit Tridentinum, vt docet etiam Perez *disputation.* 40. *section.* 7. *num.* 4. quod extendit ad eos etiam ; qui in aliquâ terrâ ab vno oppido se transferunt in aliud, & satis noti sunt. De illis ergo vagis, qui domicilio carent, quærimus primò, quisnam sit eorum Parochus?

132. *Prima sententia putat quemcumque Parochum esse illorum.* Sanchez. Henriq. Basilius. Ledesm. *Alij multi.* *Ratio.*

Prima sententia docet vagabundos non habere proprium Parochum, quia domicilio carent, ac proinde quemliber posse eorum matrimonio assistere, & eorum confessiones audire. Ita Sanchez *lib.* 3. *disput.* 25. Henriq. 11. *de matrimonio c.* 3. Basil. *lib.* 5. *c.* 14. Ledesma *q.* 45. *art.* 5. & alij multi Theologi & iurisperiti apud Sanchez. Ratio illorum est, quia non est maior ratio de vno quàm de alio Parocho cùm nulli subdantur.

133. *Secunda sententia putat esse illum in cuius Parochia actu sunt & hospitantur.* Petr. Sot. Coninc. Perez. Hurtad. *Vtraque sententia probabilis est, consiliũ dandum de secunda.* *Si alicubi consuetudine sit designatus vagorum Parochus id erit seruandũ, vt valeat.*

Alij verò putant Parochum vagabundorum, vt eorum matrimoniis assistat, & confessiones audiat, esse illum, in cuius Parochia actu habitant & hospitantur. Ita Petrus Sotus. *Lect.* 5. *de confess.* Coninc *disputat.* 27. *dub.* 2. *num.* 20. Perez *supra num.* 6. Hurtado *disp.* 5. *diff.* 12. *numer.* 41. & alij non pauci. Vtraque sententia satis probabilis est, & in praxi tuta. Consulendum tamen omnino est, vt seruetur secunda, illud enim est certissimum in omni opinione, quod si adhibeatur Parochus eius, in qua actu habitant, aut hospitantur, valebit matrimonium. Vnde ita faciendum est, quando fieri possit, si tamen aliquibus in locis sit, vel consuetudine vel lege designatus Parochus, vel Parochia vagorum, vt fieri audio in aliquibus Hispaniæ locis consuetudo seruanda erit, & probabilius puto in tali casu non valere matrimonium coram alio Parocho, quamuis enim lex Tridentini non possit limitari, vel coarctari ab inferioribus superioribus, sed solùm à Papa, vel concilio generali: minores tamen alij, vt Archiepiscopi, Episcopi &c. possunt saltem peculiari consuetudine præscriptâ, designare Parochias, & Parochos pro iis, qui existunt in suo districtu, tum indigenis, aut habitantibus ibi, tum aduenis non habentibus alibi domicilium, & pro tempore commorantibus. Assignato verò iam Parocho pro iis, ille censetur & non alius, proprius illorum parochus pro tunc. Vnde, si in aliquibus locis ita sit statutum (vt audio factum) vt pauperes aduenæ, qui hospitantur in aliquibus Xenodochiis, aut hospitalibus, habeant vnum peculiarem Parochum pro tali loco, ille tantùm poterit assistere, cæteraque Sacramenta propria Parochi ministrare, etiamsi alioquin illud hospitale, in quo actu quis excipitur, sit in aliquo districtu pertinenti ad alicuius alterius Parochi Parochiam. Itaque (pro praxi præsertim) absolutè censeo probabiliorem secundam sententiam, nisi aliquid aliud habeat consuetudo. Ratio verò est, quia vagis assignandus est aliquis proprius Parochus, cui incumbat eorum cura; qui, si non sit prædicto modo assignatus, saltem ratione districtus, in quo actu sunt assignatus cẽsebitur, alioquin non fuisset illis sufficienter prouisum, quamuis enim possẽt, si vellent, prædicti vagi alios Parochos adire pro administratione Sacramentorum; possent tamen Parochi id recusare facere, si alioquin ex munere non tenerentur ; nullus autem potiori iure potest censeri assignatus, deficiente alicuius alterius speciali designatione, quàm ille, in cuius Parochia vagus actu est. Quod etiam praxis confirmat, quia vbi non est specialiter designatus, nemo Parochorum censetur obligatus ad audiendam confessionem, ministrandam Eucharistiam, & extremam vnctionem periculosè decumbenti vagabundo; nisi ille Parochus, in cuius Parochia actu est. *Ratio.*

134. *Quid de vago existẽte in loco nõ pertinente ad aliquam parochiam?*

Quod si contingat aliquem esse in loco non pertinente determinatè ad aliquam Parochiã, tunc pro matrimonio quicumque Parochorum sufficiet iuxta primam sententiam propter illius argumentum, quia scilicèt non est maior ratio vnius, quàm alterius. In cæteris verò casibus peculiaris ratio est in vno Parocho potius, quàm in alio; vt explicatum est. Et quoad valorem valebit quidem matrimonium ibi sine Parocho, quia, si non est ibi Parochia vlla, non est publicatio Tridentini facta in Parochia quæ non est.

135. *Notandum in 2. sententia non sufficere pro matrimonio quòd sit Parochus designatus pro confessione & communione.*

Sed quoniam de speciali assignatione Parochi pro vagis mentionem fecimus, aduertendum puto, quando vagis assignatur Parochia, solùm, vt in eâ satisfaciant præcepto confessionis, & communionis annuæ, non ideò censeri Parochum illius Parochiæ sufficientem vt eorum assistat matrimonio, si iuxta secundam opinionem sit alius Parochus domicilij in quo actu habitant, aut hospitantur. Iuxta primam verò opinionem ille, & quicunque alius sufficiet, vt patet.

136. *Probabile tamen si domicilio careant, illum sufficere Parochum cõfessionis, & communionis.* *Multa talia praxi declarari solent.*

Probabile nihilominus mihi apparet, quando designatur absolutè Parochus vagorum, aut omnium aduenarum, vt possint, aut debeant ibi implere præceptum confessionis & communionis annuæ, si illi aduenæ nullum habeant alibi domicilium, neque in aliquâ speciali domo hospitentur, sed solùm casu & in transitu sint in Ciuitate, censeri Parochum illorum, etiam quoad matrimonium, illum, qui designatus est pro cæteris Sacramentis. Sed multa talia, & similia praxis ipsa solet declarare ; & consuetudini

suetudini receptæ standum erit.

137. *Quomodo se gerere debeat Parochus cum vagis quoad matrimonium. Tridentini lex circa hoc seruanda.*

Circa modum, quo Parochus se gerere debet cum istis vagis, parum est quod dicamus: sufficiat id in quo Doctores conſentiunt, scilicèt vt non solùm validè, sed etiam licitè assistat seruandam esse legem Tridentini *sess. 24. in decreto de reformatione matrimonij c.7.* vbi præcipitur præmittenda inquisitio de vagorum statu, & sine eâ ne Parochi matrimoniis assistant, imò re priùs ad Ordinarium delatâ, & ab eo obtentâ licentiâ illos matrimonio iungendi, vt supra indicabam *n.131.* Quam doctrinam meritò cõmuniter sentiunt Doctores habere locum, etiam quando vnus tantùm vagus est, tunc verò poterit matrimonium contrahi coram alterutrius Parocho, vt notauimus *dub.8.* Imò idem putat Perez *suprà* de iis, qui ad breue tempus alicubi manent, & alienigenæ sunt ob identitatem rationis; sunt enim ignoti & possunt esse alibi coniugati, sed hoc non facilè concesserim esse necessarium, ne transferamus leges de casu in casum non comprehensum, nec video eandem esse rationem, posset enim res examinari in loco proprij domicilij; aut aliter prouidentiâ Parochi caueri periculum, quod potuisset etiam facere in aliis, nisi consilium obstitisset.

DVBITATIO XVI.

An Sacerdos qui ignorat se habere licentiam ad assistendum matrimonio, validè nihilominus assistat?

138. *Supponendũ in hac re, nõ posse vi licentiæ ipsi ignoranti & per se vel per alium nõ petenti data. Sanchez.*

SVpponendum inprimis est non posse validè assistere Sacerdotem, cui concessa est licentia non petita nomine suo, sed ab Ordinario vel Parocho suâ sponte concessa, vel rogato ab alio; ignorante tamen ipso Sacerdote. Circa quã rem latè disputat Sanch. *lib.3. disp.36.* generaliter discutiens, an priuilegium possit valere ignorãti illud à tempore, quo concessum est, vel à tempore, quo eius notitiam habet. Quæ disputatio, seu quæstio supponenda nunc potiùs est, quàm disputanda, pertinent enim propriè ad tractatum de legibus. Nunc ergo solùm supponimus cum magis communi sententia non habere Sacerdotem illum licentiam acquisitam, quando omnino sic ignorat talem concessionem, quia nondum acceptauit illam per se, nec per alium. Solùm ergo nunc quærimus, an quando Sacerdos habet licentiam à se petitam per nuncium ad id missum, eam tamen ignorat, adhuc illi valeat, vt validè assistat Matrimonio?

Si non acceptauit, non acquisiuit licentiam.

Status quæstionis. De petente per nuntiũ à se missum & ignorante id esse datam.

139. *Duæ sententiæ probabiles.*

Duæ sunt sententiæ satis probabiles, quæ etiam pendent ex generali quæstione de scientiâ & notitia requisita in priuilegiato, vt valeat priuilegium sibi concessum. Quia ergo aliqui putant sufficere, vt tibi valeat priuilegium, quod acceptes per te, vel per tuum nuncium, aut procuratorem aut per Epistolam à te missam, quà beneficium petis (illa enim censetur anticipata acceptatio) ideò hi auctores in nostro casu, aut expressè & in particulari, aut generaliter simul cum aliis concessionibus, docent, prædictam licentiam valere, quia Sacerdos habet verè licentiam acquisitam, vtpote acceptatam à nuncio misso nomine suo ad id. Ita docet Sanch. *lib. 1. de matrim. disp.6. num.3. & 20. & lib.3. disp.36. nu.8. & lib.4. in Decal. c.48.* Salas *de legibus disp.17. sect. 5. concl.2. & disp.20. sect.14. n.109.* refertur etiam Suarius *de Legibus lib.8. c.25. n.13. & 14.* Bonacina *disp.1. de legibus q.3. puncto 3. n. 5.* quamuis Suarius non videtur posse pro hac sententia referri, quia loquitur tantùm de priuilegiis, quæ fructum habere possunt, sine operatione priuilegiarij, de quo statim dicemus.

Sanchez. Salas. Suarius. Bonacina. *Suarius non videtur referendus pro hac sententia.*

140. *Secunda sententia negat quia non est acceptatio defectu notitiæ. Vazquez.*

Alij verò multi, quia putant non valere priuilegium, nisi adsit notitia, & acceptatio priuilegiarij, consequenter putant in nostro casu non valere prædictam licentiam assistendi, atque inter alios referri potest Vasquez *1.2 disp.156. c.4. num.30.31 & 32.* qui generaliter putat non valere priuilegium, quod non potest habere fructum sine operatione aliquâ ipsius priuilegiarij, quæ ante notitiam legis exerceri non potest sine peccato, in quo etiam consensit Suar. *cap. illo 25. n.25.* Perez *disp.41. sect.2. n. 4. & 5.* Basilius Põce *lib.5. c.20. n.8* Fúdamentum est, quia credi nõ potest Tridentinum & Parochum (& idem est de priuilegio dispensatiuo Principis quocumque) velle, vt licentia concessa valeat, quousque is, cui conceditur, possit eâ licitè vti; ad id enim conceditur. Qui autem ignorat licentiam esse sibi concessam; quamuis iam acquisitam acceptatione à nuncio factâ, nequit licitè eâ vti: ergo &c.

Suarius. Perez. Basilius. *Fundamentum ex parte Tridentini. & Parochi.*

141. *Aliqui putant sufficere notitiam ex testimonio fide digni, etiam contrahentium.*

Notant vero aliqui Recentiores, qui hanc sententiam sequuntur, sufficere notitiam habitam ex testimonio alicuius fide digni asserentis eam esse concessam, quando non est ratio aliqua suspicionis in oppositum, imò sufficere notitiam habitam ex testimonio ipsorum contrahentium, vel alterutrius illorum, si alioquin sint personæ fide dignæ omni exceptione maiores, non verò quando tantùm ordinario modo sunt fide digni; quia in iis, quæ pertinent ad forum externum, difficile est credendum partibus. Quæ doctrina tota satis probabilis est, & hoc, quod attinet ad testimonium aliorum prodesse maximè potest, vt tutò, & licitè fiat, quamuis, si etiam ipsi contrahentes absolutè censeantur prudenter fide digni, non oportet nimis scrupulosè agere maximè quando sunt homines bonæ famæ, & qui norunt sine prædicta facultate matrimonium non valere.

Probabilis tota hæc doctrina.

142. *Probabilior videtur prior affirmans sententia.*

Nihilominus inter has duas probabiles sententias mihi magis placet ea, quæ absolutè docet sufficere acceptationem factam per te vel per tuum nuncium, aut procuratorem, aut per Epistolam, quâ dictum beneficium seu priuilegium petiisti à superiore potente illud concedere, atque adeò etiam in nostro casu, qui est omnino similis concessionis priuilegij sufficere prædicto modo esse acceptatam licentiam, etiamsi tu adhuc per temetipsum ignores: ac proinde etiamsi licentiam, aut priuilegium sit ex iis, quæ requirunt in suo vsu operationem priuilegiarij.

143. *Probatur prior pars sententiæ.*

Primum, quòd, scilicèt, sufficiat ea acceptatio, saltem quando fieri potest sine operatione priuilegiarij (quod neque Vasquez, neque Suarius negant) probari potest; quia talis acceptatio

tatio sufficit ad constituendam validam, & firmam quamlibet aliam donationem, ergo etiã priuilegium, & etiam licentiam, de quâ agimus. Consequentia videtur legitima, quia concessio priuilegij est quædam donatio. Antecedens verò probatur, quia inter voluntatem donantis priuilegium, & voluntatem recipientis, sicut in quibuslibet aliis pactis debet esse aliqua vnio respectus & consensus mutuus; hic autem sufficienter reperitur, si nomine tuo alius acceptet; nam, quæ alius tuo nomine facit, tu facere censeris. Atque hoc est, quòd necessariò requiritur in legibus nostri Regni Castellæ pro donatione, vel promissione acceptandâ, vt videre est *lib. 4. tit. 4. Part. 5.* ibi: *Mensagero cierto quele embie adezir señalada mente loqueleda & l. 3. tit. 11. Partit. 5.* ibi: *Embiando a prometer, odezir por su carta firmada oporsu mensagero cierto.* Quod multis relatis docet Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. illâ 6. n. 3.* Ex quâ doctrinâ infertur valere priuilegium, tanquàm donationem quandam, atque adeò licẽtiam, de quâ agimus; tanquàm donationem quandam, valoremque eius incipere à puncto acceptationis per te, vel per tuum nunciũ, procuratorem, aut literas factæ.

144. *Probatur secunda pars sententiæ.* Iam verò illud secundum, quòd scilicet, etiam locum habeat hæc doctrina, quando non potest fructum habere sine tali operatione, rectè probatur à Sanchez *lib. 4. summæ c. 48. num. 9.* contra Vasquez *supra* citatum, quem retulerat *num. 8.* Quod sic probari potest, quia qui concedit priuilegium, quo dispensat tecum in lege non solùm prohibente, sed etiam irritante actum, intendit te à legis obseruatione eximere per se, & virtute priuilegij. Item, qui tibi concedit facultatem, & licentiam faciendi aliquem actum, ad quem præstandum non solùm prohibitus eras, sed inhabilis, intendit te habilem reddere, vt talem actum præstare possis; sed illa exemptio fieri, & hæc licentia concedi potest, etiamsi tu illam ignores; ergo ignorantia tua nõ potest valori priuilegij, vel licentiæ obstare. Minorem probo, lex legitimè publicata potens est ligare ignorantes, etiamsi per accidens à legis obseruatione ob ignorantiam excusentur: ergo priuilegium legitimè publicatum, & acceptatum eximit ignorantes à legis obligatione, imò etiam ab irritatione legis; etiamsi ipsi ob ignorantiam obligentur, & eâdem ratione licentia legitimè concessa, & acceptata, sine quâ tenebatur aliquis actum aliquem non præstare, & sine quâ actus ipse erat inualidus; potens est liberare eum, cui data est, ab obligatione abstinendi à tali actu, & dare valorem ipsi actui, etiamsi ob ignorantiam adhuc ille obligetur ad abstinendum à tali actu; hæc enim ignorantia est per accidens, & non per se; neque illam superior concedens priuilegium, aut licentiam, attendit. Quod enim quis suppositâ ignorantiâ peccet operando, omnino per accidens est, sicut etiam peccaret, vt notat Sanchez *suprà*, si post habitam notitiam accepti priuilegij atque adeo plenè obtenti, factus tamen immemor illius, aut credens priuilegium, vel licentiam non valere, adhuc illâ vtatur, in tali enim casu priuilegium seu licentia dans valorem actui alioquin inualido, & irrito vim habebit, & valorem dabit actui, quod neque aduersarij negabunt; ergo, quamuis quis peccet in ipso vsu priuilegij, aut licentiæ, potest alioquin licentia censeri valida.

145. *Confirmatur 1. argumento ad hominem.* Confirmari verò potest nostra sententia argumento ad hominem contra Suarium, & Vasquez; nam ipsi concedunt, sicut & alij plerique Doctores, tam nostræ, quàm suæ sententiæ, si tibi concedatur priuilegium, ne possis ligari excommunicatione latâ ab Ordinario, valere priuilegium à tempore, quo tuus procurator acceptauit, etiamsi tu id ignores; nam hoc priuilegium non petit in se aliquem vsum priuilegiarij; sed potiùs tollit vsum facultatis Ordinarij te excommunicandi. Vlterius dicunt, si tibi concedatur facultas colligendi decimas ex aliquo loco, valere priuilegium à tempore concessionis, & acceptationis factæ per tuum procuratorem, quia nimirum vt illarum sis Dominus, non est necesse, quod decimas colligas ante notitiam priuilegij. Ex hac doctrinâ sic argumentor pro confirmatione nostræ sententiæ, & infirmatione contrariæ. Fundamentum contrariæ sententiæ eò collimabat, vt probaret non esse intentionem concedentis priuilegium, aut licentiam, vt ea valeret, quousque illius notitiam habeas, quia nimirum concedens intendit licitum & honestum vsum in eo, cui concedit: hæc autem ratio, si quid probat etiam vim habet ad infirmanda prædicta exempla, & doctrinam, quam aduersarij concedunt; nam ideò eximeris ab excommunicatione Ordinarij, vt licitè possis operari, & procedere illâ nõ seruatâ, seu nõ seruato præcepto, quod sub tali pœnâ ponitur, & ideò etiam conceditur tibi ius decimandi, vt sine peccato possis colligere decimas; atqui licet de facto hæc intentio non habeat effectum ob ignorantiam priuilegiati, non obstat valori priuilegiorum: ergo neque etiam obstabit priuilegiorum & licentiarum valori, quibus conceditur, vt aliquid possit fieri non obstante lege, aut prohibitione in contrarium.

146. *Confirmatur 2.* Confirmari vlterius potest argumento petito ex matrimonio contracto per procuratorem, quod validum est & ad licitum vsum copulæ ordinatur, & tamen non potest quis illo vti sine peccato, quousque perfectam illius notitiam habeat, & generaliter loquendo quælibet donatio per procuratorem acceptata ius tribuit donatario vtendi re donatâ, & nihilominùs illâ vti non potest, quamdiu ignorat donationem: ergo sicut hæc impotentia valorem donationis non tollit, neque tollet valorem priuilegij, aut licentiæ; semper enim censetur ea impotentia per accidens, & non orta ex ratione priuilegij, aut licentiæ, eiusque manifestationis, eo ipso, quod legitima collatio illius, & acceptatio supponatur.

147. *Ex dictis soluitur ratio oppositæ sententiæ.* Hinc soluitur fundamentum oppositæ sententiæ; intentio enim concedentis priuilegium aut licentiam, atque adeò in nostro casu intentio Parochi conferentis eam licentiam ex facultate sibi ad id concessâ in Tridentino, directè tendit ad faciendum illum Sacerdotem aptum, & habilem ad illam assistentiam virtute licentiæ à se collatæ, hoc autem, vt dictum est, fieri potest per concursum vtriusque voluntatis dantis scilicèt, & acceptantis, quod contingere

potest,

potest,etiamsi per accidens sit ignorantia in acceptante per procuratorem aut per literas. Atque adeò negamus esse incredibile, quod licentia concedatur ex intentione concedentis, antequàm veniat ad licentiati notitiam, quin imò intendit illam concedere, cùm primùm legitimè acceptatur:hæc autem acceptatio fieri potest per procuratorem,nuncium, aut litteras, etiamsi licentiatus aut priuilegiatus ignoret. Sed de hac re iterum incidet latè Sermo in tr. de legibus. Imò nunc latius hac de re disputaui, quàm initio putaueram.

148. *Aduertendum ex Sanchez. Coninc. Et aliis reuocari posse ad libitum licentiam semel datã.*

Illud ad calcem huius dubitationis aduerto cum Sanchez supra *disp.illâ* 36. & Coninc *disp.* 27 *dub.*3. licentiam semel collatam posse ad libitum reuocari. Quod ego puto locum habere,non solùm quando licentia habuit effectum aliquem in aliquo, aut aliquibus matrimoniis & reuocatur,ne vlterius pergat aliis assistendo: sed etiam,quando,vel generaliter collata nondum vllum habuit effectum, vel, quando data fuit pro vno particulari matrimonio, & ante assistentiam reuocatur facultas. Illa enim facultas in fieri,& conseruari dependet à voluntate conferentis,& non reuocantis. Vnde assimilatur precario potiùs,quàm commodato.

Ratio.

149. *Non censetur reuocatio sufficiès donec intimetur per viam quæ faciat prudenter fidem reuocationis.*

Illud etiam mihi placet, quòd prædicti Auctores, & alij concedunt, congruitque cum generali doctrina reuocationis licentiarum, aut facultatum;non,scilicet,censeri sufficienter reuocatam hanc licentiam, donec reuocatio intimetur,siue per nuncium,siue per Epistolam, & non sufficere aliunde nosse reuocationem. Imò vt verum fatear, etiam oportet benè examinare fidem,seu fidelitatem nuncij,ita vt prudenter non sit suspicio fallaciæ aut falsitatis, qualis esse potest,si nuncius alioquin esset persona, cuius interfit, quod illud matrimonium non celebretur,aut differatur, quod prudentis arbitrio iudicandum est, si enim talis suspicio sit,non puto censeri sufficienter reuocatum, & sibi imputet Parochus, quod non meliore medio, aut aptiori internuncio reuocationem intimauerit.

DVBITATIO XVII.

An Sacerdos, qui accepit licentiam matrimonio copulandi Mariam, quæ volebat contrahere cum Petro, *postea verò voluit contrahere cum Ioanne, possit virtute illius licentiæ assistere matrimonio huic?*

150. *Proponitur duplex modus aut circumstantia casus. Vnus modus in quo casu non videatur sufficere.*

CAsus hic mihi fuit olim propositus, nec memini vidisse à Doctoribus in terminis disputatum. Dicam tamen, quod sentio,saluo meliori iudicio. Hic casus potest contingere ita,vt Maria sit Parochiana illius Parochi, atque etiam Ioannes,& in hoc casu non videtur sufficere prædicta licentia,nam Parochus facultatem dedit copulandi Mariam cum Petro, non cum Ioanne: ergo Sacerdos non habet facultatem ad hoc matrimonium, quod nunc contrahitur,sed ad aliud cum Petro, quod non contrahitur: quamuis enim habuerit facultatem assistendi matrimonio Mariæ, & ipsa Maria sit,quæ contrahit secundum matrimonium, & contrahere volebat primum, tale nihilominus matrimonium,quod contrahit, longè diuersum est ab illo, pro quo petita est facultas. Quæ resolutio casus,etiam habet locum,quando Ioannes est alterius Parochiæ (quidquid aliqui dixerint de hoc ipso casu interrogati) ratio enim prædicta sumpta ex diuersitate matrimonij vtrobique habet locum, nisi quòd fieri posset, quod si Ioannes non esset Parochianus illius Parochi,& haberet facultatem vt posset eius matrimonio assistere Sacerdos ille ex alio capite: tunc valeret quidem matrimonium & assistentia,non tamen quatenùs fit cũ facultate Parochi Mariæ,sed Ioannis quod extra rem est.

Ratio.

151. *Alius modus in quo maior esse potest dubitatio.*

Alio modo potest contingere casus,vt scilicèt Sacerdos obtinuerit facultatem petitione factâ vel à se,vel à Maria ad ipsam matrimonio copulandam, nullum exprimendo coniugem; quia de hoc non curarunt, etiamsi in mente Sacerdos,& Maria tunc,quando petita, & obtenta est facultas,atque acceptata, solùm haberent cogitationem,& intentionem matrimonij contrahendi cum Petro, posteà verò mutato consilio vult contrahere cum Ioanne. In hoc casu meritò dubitatur,an licentia illa valeat pro hoc matrimonio.

152. *Ratio dubitandi pro parte affirmatiuâ.*

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia concessio licentiæ fuit absolutè assistendi matrimonio Mariæ, nomine autem matrimonij,vt sic in communi,non minus comprehenditur matrimonium cũ Ioanne,quàm cum Petro; ergo facultas illa æquè potest applicari vtrilibet matrimonio.

153. *Ratio dubitandi pro parte negatiuâ.*

Pro parte verò negatiua ratio dubitandi est, quod Parochus tantùm concessit facultatem, quæ petebatur à Sacerdote, vel Maria; hæc autem solùm erat facultas pro matrimonio cum Petro,non cum Ioanne,tum,quia intentio petentium ad id solùm dirigebatur:tum,quia acceptatio eiusdem facultatis solùm fuit iuxta intentionem acceptantium;intentio autem acceptantium solùm fuit pro matrimonio cum Petro: facultas autem concedentis sine acceptatione eius,cui datur,non valet.

154.

Probabile mihi videtur in hoc casu prædictam licentiam valere pro matrimonio Ioannis, quamuis enim intentio petentium, & Sacerdotis accipientis facultatem, tunc solùm haberet in mente matrimonium contrahendum cum Petro;tamen simpliciter absolutè, & sine restrictione petierunt facultatem assistendi matrimonio,nullo explicato coniuge Marię;ea autem intentio,quam tunc habebat Maria, & etiam Sacerdos, non erat propriè restrictiua facultatis,quæ petebatur,nec propriè respiciebat ipsam facultatem seu petitionem illius; sed tantùm exequutionem & vsum facultatis, ita, vt tantum intenderent tunc vti facultate Sacerdotis assistẽdo,& Marię contrahendo cum Petro;hæc autem intentio ad determinatum matrimonium in exequutione non restringit facultatem,aut petitionem,& impetrationem ipsius, neque collationem ex parte Parochi, qui facultatem voluit dare eo modo, quo petitio offereba-

offerebatur: oblata verò peritio fuit, vt supponimus non restricta. Hęc doctrina multo magis patet si iuxta mandatum, quod solet esse in aliquibus locis conferendi talem facultatem in scriptis, existat adhuc scriptum, in quo ea facultas sic in communi contineatur, vbi Parochus se subscribens testetur dare facultatem assistendi matrimonio Marię, non exprimendo aut determinando cum quo viro; tunc enim adhuc extat in eo scripto facultas ad matrimonium sine determinatione adhoc vel illud. Vnde eo ipso, quod Maria & Sacerdos velint alteri matrimonio applicare eam facultatem, cēsentur habere voluntatem acceptandi eam facultatem, quæ adhuc moraliter præsens est in eo scripto pro secundo illo matrimonio cum Ioanne. Atque ita contigit in hoc casu; quando mihi fuit propositus. Ex quo patet ad rationem dubitādi pro parte negatiuâ. Pro complemento huius facultatis concessæ à Parocho alij Sacerdoti explicādum restabat an, & quatenùs valeat licentia sub conditione concessa, si non impleat Sacerdos conditionem de hoc tamen agam ad finē *disp. 5. dub. 20.* vt omnia, quę ad cōditiones matrimonij pertinent, & sponsalium simul coniūgamus.

DVBITATIO XVIII.

Quot alij testes assistentes, & quales præter Parochum requirantur ad valorem matrimonij?

155. *Alij saltem duo requiruntur, vt valeat matrimonium. Tridentinū id statuit.*

COnstat inprimis saltem debere reperiri alios duos, nec sufficere vnicum. Sic habetur in Tridentino *sess. 24 c. 1. de reformatione matrimonij.* ibi *sine duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit.*

156. *De qualitate testium. Quidam requirunt omni exceptione maiores. Ratio.*

Circa testium qualitatem, non desunt, qui putent debere esse omni exceptione maiores, nempe carere omni defectu ratione cuius iure possint repelli à testimonio ferendo; est enim matrimonium res grauissima, & vt constat *c. 1. de consanguinit.* & aliis Textibus, quos affert Sanch. *l. 3. disp. 41. n. 4.* ad causas matrimoniales testes requiruntur omni exceptione maiores, ergo etiam ad testificandum de celebratione ipsius cōtractus matrimonij. Ita Couarr. *4. Decretal. 2. p. c. 8. §. 18. §. 12. n. 8.* cum aliis, quos refert, dum ait ad matrimonij probationem esse necessarios testes ita integros, ac in causis criminalibus, in quibus exiguntur omni exceptione maiores, & probationes luce clariores *c. Epiphanium 5. q. 6.* & aliis iuribus apud Sanchez *suprà.* Præterea *c. cum esses de Testament.* definit Pontifex valere Testamentum factum coram Parocho, & duabus aliis personis idoneis, hoc est legitimis. Nam statim *c. Relatum el. 1.* ibidem immediatè sequenti vocat testes idoneos, & statim eosdem appellat testes legitimos. Tales autem sunt, qui non possunt iure repelli.

Couarr. *Cum aliis.*

157. *Assertio negans requiri omni exceptione maiores.*

Asserendum nihilominus est cum communi & receptâ sententiâ non requiri quod assistentes sint omni exceptione maiores. Ita Sanchez citatâ *disp. 41.* cum multis quos refert. Item Coninc *disp. 27. dub. 4.* Riccius *decis. 255.* Reginald. *lib. 31. n. 183.* Bonac. *q. 2. puncto 8. n. 43.* Layman *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 6.* Henriq. *c. 3. n. 9.* Perez *disp. 40. sect. 9.* qui etiam id ipsum docet de procuratore, quo medio matrimonium celebratur aliquando. Quamuis enim in litibus & iudiciis, vbi est dissensus & contradictio partium id requiratur, non est eadem ratio pro matrimonio, vbi consensus potius est. Accedit, quod ad alia negotia requiritur industria in procuratore, quod non contingit in nostro negotio. Cōsentiunt etiam in hoc alij multi; omnium verò fundamentum est; quia nullo iure probatur tam exactam qualitatem testium requiri; neque enim Tridentinum eam requisiuit; nec ius aliquod antiquum probat eam esse necessariam; quia, quamuis in eo *c. 1. de consanguinit.* & in aliis Textibus prædicta qualitas requiratur, solùm est ad dissoluendum matrimonium; non est autem eadem ratio pro valore matrimonii, atque pro dissolutione illius. Nam causa matrimonij est fauorabilis, semperque præsumitur pro valore illius. Ideò multo difficilius probatur irritum, quàm ratum. Et quidem auctoritas Parochi, & libri, in quo contractus matrimonij, & nomina testium describuntur, supplent magnâ ex parte defectum qualitatis testium. Quod si Parochus sit etiam aliquando infamis, vel excommunicatus, nec scripserit contractum, aut nomina testium in libro, nec tunc tale matrimonium possit alio modo iuridicè probari, adhuc dicendum est, vt rectè Coninc & Sanchez, talis Parochi & testium testimonium sufficere ad matrimonium probandum, quia causa fauorabilis est. Et huiusmodi casus est valdè ratus, ac proinde à lege non consideratur, aut præuenitur; solùm enim lex spectat ea, quæ communiter solent contingere *L. nam ad ea ff. de legibus.* Atque eâdem ratione Respondetur obiectioni, quod fieri possit, vt prædicti tales testes facilè corrūpantur, vt testentur matrimonium non fuisse contractum, ac proinde non magis possit probari, quàm, si fuisset clandestinum: Dicimus enim hunc casum esse ratum. neque omnia incōmoda posse vitari moraliter loquendo. Nam etiam fieri posset, vt testes, qui habentur omni exceptione maiores corrumpātur, vel post matrimonium contractum fiant infames, aut moriantur, & pastor nihil scripserit, aut ipse etiam intereat. Vnde debuisset Concilium pro his inconuenientibus vitandis irritare matrimonia, quæ non fuissent publicè contracta ita, vt nullo modo celari possent, quod ferè est impossibile. Accedit, quod si requirerentur testes omni exceptione maiores, plura possent matrimonia in dubium vocari, maximè in pagis, locisque minoribus, vbi tam Parochi, quàm testes & contrahentes sæpe ignorant, qui sint testes omni exceptione maiores; paterentque matrimonia, etiam in vrbibus, multis litibus, quæ moueri possent contra matrimonium ex defectu qualitatis testium. Quæ inconuenientia essent maiora, quàm, quæ voluit Concilium euitare. Atque ex dictis patet ad fundamentum aduersariorum.

Sanchez. *Cū multis.* Coninc. Riccius. Reginald. Bonacina. Layman. Henriq. Perez.

Ratio disparitatis inter litem & matrimoniū quoad testes.

Ratio qua omnes vtuntur.

Respondetur allegatis textibus in contrarium.

Respondetur alij obiectioni.

DVBITATIO XIX.

Qualis præsentia Parochi, aut testium requiratur, vt valeat matrimonium?

158. *Præsentia debet esse moralis seu humana. Esse debent non dormientes, amentes, ebrij &c. Sanchez. Coninc. Gutierr. Alij. Bonacina. Recepta sententia. Probatur ex iure ciuili.*

CErtum primò sit præsentiam Parochi, & testium debere esse moralem, seu humanã ita, vt intelligant quid agatur, & testificari possint de inito matrimonio, atque expressione vtriusque consensus; ac proinde tunc Parochus, & testes non debere esse dormientes, amentes, ebrios, aut furiosos carentes lucido interuallo. Ita Sanchez *disp.* 41. habito respectu ad *disp.* 39. *n.* 1. Coninc, Gutierrez & alij, quos refert & sequitur Bonacina *q.* 2. *puncto* 8. *n.* 42. estque recepta doctrina, & ex se patet. Ideo l. 209. ff. *de verborum signific.* dicitur. *Coram Titio aliquid facere iussus non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus aut infans sit, vel dormiat, non videtur coram eo fecisse.* Ideò debent etiam aduertere; alioquin, si ita sint animo aliud cogitantes, vt nullo modo cognoscant quid agatur, perinde est, ac si præsentes non fuissent.

159. *An sufficiat virtualis attentio.*

Dubitant verò Doctores; an in Parocho & testibus virtualis tantùm attentio sufficiat, qualis contingit, quando animo assistendi accesserunt aduertentes se accedere ad id: tamen in ipsomet tẽpore, quo exprimuntur consensus, & celebratur cõtractus, mẽtis euagatione distrahãtur, vel requiratur actualis, & expressa attentio?

160. *Affirmant aliqui. Henriq. Ratio. Merito cæteris displicet sententia. Sanchez. Ratio.*

Nonnulli affirmant sufficere virtualem. Ita Henriq 11. *de matr. c.* 3. *n.* 1. *in comment. littera* F. quia talis attentio sufficit pro aliis Sacramentis, & pro Missâ. Hæc tamen sententia meritò reiicitur à Doctoribus, eamque reiicit Sanchez. Nam quidquid sit de attentione, & intentione requisitâ pro Missâ, & Sacramentis, quâ de re egimus variis in locis huius operis, maximè *tr.* 1. *disp.* 3. *dub.* 6. in nostro præsenti negotio est longè dispar ratio. Nam Sacerdos, & alij assistentes debent esse testes: ad hoc autem est necessaria actualis aduertentia, imò & in Sacramento pœnitentiæ, quia Sacerdos debet esse peccatorum iudex, quantumuis antea voluerit aduertere, si tamen actu, quando peccata dicuntur non aduertit, non sufficit ea voluntas aduertendi, imò, neque ea dicitur attentio, vel aduertentia propriè virtualis, quamuis fortasse posset dici actu perseuerare voluntatem aduertendi, sed nõ aduertentiam ipsam, neque eo modo potest quis testificari. Multa dixi loco notato de intentione virtuali, & quamuis ibi quandam appellauerimus attentionem virtualem, quæ actualis quidem est tenuissima, vt ibi explicabam, præsertim *n.* 107. quidquid tamen de illâ sit, pro præsenti casu non videtur sufficiens, quæ non sit talis, vt virtute illius possit quis testificari.

Explicatur & applicatur hoc ipsũ Sacramento pœnitentiæ.

161. *Necessaria est actualis aduertẽtia. Ratio.*

Ideò communis sententia docet necessariam esse actualem maiorem aduertentiam, quia absque hac testes esse non possunt eorum, quæ coram ipsis gesta sunt, imò & in ipsis etiam contrahentibus requiritur actualis aduertentia & non sufficit habitualis, quam aliqui appellant virtualem, quidquid sit, an sufficiat tenuis & exigua actualis iuxta ea, quæ diximus de attentione & intentione *in hoc tr. disp.* 1. *dub.* 3.

162. Aduertendum verò est id, quod alibi etiam diximus, sufficere, quod Parochus & testes percipiant contractum per interpretem, sicut sufficit, quòd vnus contrahentium alteri per interpretem exprimat suum consensum, quia per interpretem possunt cæteri contractus celebrari. l. 1. ff. *de verborum obligationib.* ibi. *sed verũ puto, vt omnis sermo contineat verborum obligationẽ, siue per se, siue per verum interpretem.* Confirmant aliqui; quia non minus requiritur, quòd Sacerdos in Sacramento pœnitentiæ intelligat pœnitentis peccata, cùm sit iudex, & tamen sufficit quod intelligat per interpretẽ, vt omnes fatentur & diximus *tr.* 8. *disp.* 7. *dub.* 14. & praxis vsusque Ecclesiæ declarat, quando Sacerdos & pœnitens sunt distincti idiomatis. Quæ ratio nisi nitatur præcipuè in vsu recepto fidelium non caret difficultate, quia (vt notabamus in ea dubitatione 14. de pœnitentia) in multis differt vnum Sacramentum ab altero, & quod sufficit pro vno, nõ sufficit pro alio: sic potest absolui, qui post factã confessionem incidit in amentiam, potest etiam baptizari, si ante baptismum petiit, & tamẽ iuxta veram sententiam aut probabilem, etiamsi dederit procuratori facultatem contrahendi & acceptandi alterius consensum, non valet matrimonium, vt ex instituto probaui *disp.* 2. *dub.* 15. *n.* 159. è contra sufficit ad matrimonium procurator, & internuncius, & consensus per scripturam, quæ non sufficiunt ad pœnitentiam inter absentes, etiamsi iudicium possit alioquin non minùs reperiri inter absentes, & per scripturam, quàm contractus inter absentes & per scripturam potest celebrari. Totum ergo, situm est in vsu fidelium, qui ita habẽt & declarat voluisse sic Christum in nostro casu; non verò voluisse absolutionem valere per scripturam, & inter absentes, sicut Pontifex declarauit. Præterea potest opponi quod maior notitia requiratur in Parocho pro matrimonio, vt possit testimoniũ præbere, si coniuges negent dedisse cõsensum. quo casu in foro externo solùm potest Parochus dicere se ita intellexisse ab interprete, coniuges verò dicere interpretem mentitum fuisse: quo præcipuè fundamento nixus Basil. Ponce *li.* 5. *c.* 21. *n.* 10. dubitauit valere matrimonium per interpretem, si Parochus intelligat solùm ab interprete consensum. Sed immerito dubitauit, nõ aduertens hanc difficultatem habere locum in matrimonio celebrato per procuratorem, aut internuntium; quod tamen valet, vt omnes fatemur, & ipse fatetur *li.* 1. *c.* 10. in quo matrimonio Parochus nihil audit, nisi ab internũtio, nec Ecclesia, vt contractus ille valeat (vt satis vsus declarat) requisiuit in Parocho aliud testimoniũ quam celebrationis, quâ fit matrimonium, hoc autem non fit, nisi, quãdo internuntius, vel procurator celebrat nomine sui principalis, de quo etiam dixi in *Tr. de pœnit. disp.* 9. *à n.* 833. disputans per occasionem de hoc cũ Card. Lugone. Itaq; vsus Ecclesiæ & recepta consuetudo fideliũ & cõmunis Doctorũ sensus, est qui declarat in vtroque Sacramento esse satis notitiam per interpretem, nec aliud requisitum à Christo.

Sufficit quod percipiatur contractus per interpretẽ. Probatur ex iure ciuili. Confirmatio quorũdam.

Quo sensu sit accipienda ea confirmatio vt valeat.

163. *Credendũ in præsenti casu dicto solius interpretis. Sanchez. Ex aliis.*

Credendum autem est in nostro casu dicto solius interpretis; quia nõ est testis, sed declarat, ad id electus cõmuni contrahentium cõsensu. Ita Sanchez supra *n.* 4. ex Bart *l.* 1. *citatâ n.* 2. & ex aliis communiter, quos refert & sequitur

Couarruu.

Couarr. Perez.

Couarr. 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 4. §. 1. *n.* 3. Adde Perez *disp.* 40. *sect.* 10.

164. *An Parochus & testes debeant esse rogati, aut sufficiat coacti.*

Dubitari etiam potest; an sufficiat, quod Parochus & testes assistant, non solùm non rogati, sed etiam coacti?

165. *Non requiritur esse rogatos. Probatur ex iure.* Sanchez.

Circa primum non defuerunt, qui putarent debere esse rogatos, sed absque fundamento, sufficit enim, si casu interueniant matrimonij contractui; nam oppositum nullo iure probatur; imò sufficere constat ex *L.* 11. *ff. de testibus*: ibi. *Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur*, & citatâ *l.* 209. *scire autem* testis *non etiam velle debet.* Legatur Sanchez *citatus disp.* 39. *n.* 8. & 11. *disp.* 41. *n.* 7.

166. *Sententia negans sufficere coactos. Ratio.*

Circa secundum aliqui putârunt non sufficere, si coacti sint, & detenti contra suam voluntatem, quia assistentia coacta non videtur humana, seu hominis, vt homo est, cùm sit contra voluntatem, nam homo vt homo non tantùm intellectu constat, & operatur, sed etiam voluntate.

167. *Communis sententia affirmat sufficere.* Sanchez. *Cũ multis.* Basilius. Perez. Layman. *Probatur ex iure ciuili. Cardinalium declaratio. Ratio.*

Communiter nihilominus Doctores docent assistentiam coactam seu violentam sufficere. Ita Sanchez citatâ *disputat.* 39. *num.* 9. cum multis, quos refert. Item Basilius *libr.* 5. *cap.* 21. Perez *disputatio.* 40. *citata sect.* 10. *num.* 5. Layman *libr.* 5. *tractat.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *num.* 6. & habetur generaliter de omni teste citata *l.* 209. vbi cum dixisset *scire autem non etiam velle debet*, addit: *nam & inuito eo, rectè fit, quod visum est.* Atque ita declarauit in nostro casu Congregatio Cardinalium specialiter loquens de Parocho, de quo maior esse poterat difficultas. Ratio verò est; quia Tridentinum solùm requirit præsentiam Parochi, & testium, qualis sufficit ad testificandum matrimonium fuisse contractum. Quantumuis autem coactè & per vim assistant, sufficit ad testificationem, potestque esse assistentia cum actuali aduertentiâ mentis, etiamsi sit repugnante voluntate: Nam, vt rectè dixit lex nuper citata *scire testis non etiam velle debet*, & *eo inuito rectè fit.* Quod etiam eodem modo locum habet in assistentiâ per dolum procurata, vt contra Basilium (cui videtur Cardinalium congregatio fauere) docet Sanchez *supra numer. decimo* & 11. Nauarrus, Salzedo, Henriquez, Spino, Rodriquez & alij apud Sanchez, affertque Salzedo Cardinalium declarationem.

Idem est de assistentia procurata per dolum. Contra. Basilium. Sanchez. Nauarr. Salzedo. Henriq. Spino. Rodriqu. *Alij.*

168. *Graue peccatum est id facere vi aut dolo, regulariter loquendo. Ratio.*

Graue autem peccatum erit vi adigere, aut dolo inducere, vt Parochus matrimonio interfit regulariter loquendo: est enim persona publica, quæ nomine Ecclesiæ gerit illud munus, tanquàm minister ab Ecclesiâ deputatus. Vnde grauis irreuerentia irrogatur contra Religionem, sacramque duliam. Peccatur etiam contra iustitiã, aut mortaliter aut venialiter pro quantitate violentię; contra quam etiã peccãt, si contrahatur coram aliis testibus coactis, quamuis non propriè ex eo capite contra Religionẽ, saltem mortaliter. Peccant etiam contrahentes ipsi (quod commune est aliis etiam Sacramentis) quia administrant & recipiunt Sacramentum in peccato mortali. Ita auctores communiter inter quos Perez *n.* 6. & 7.

Auctores citati Perez & alij.

Dixi *regulariter*, quia quando esset grauis necessitas contrahendi, & absque iusta causa re-

169. *In aliquo casu non erit peccatũ per dolum.* Layman. Coninc. *Per vim negant. Distinguẽdum videtur.*

cusarent assistere, possunt actu aliquo vel dolosâ æquiuocatione sine mendacio induci, quando non est aliud remedium. Ita Layman supra cum Coninc *disp.* 27. *dub.* 4. *in fine.* Negant tamen sicut & alij Recentiores, posse vim inferre, & per vim cogere, quia id priuatis personis non conceditur. Ego tamen in hac re distinguendum putarem saluo meliori iudicio. Atque in primis quod attinet ad Parochum, qui ex iustitiâ tenetur assistere, quando alias matrimonium ritè contrahendum est, (maximè cùm necessitas vrget, & est periculum in mora) non video cur non possit priuatâ auctoritate Parochus per vim detineri, aut trahi reluctans ad talem assistentiam, puta ad ægrotum moribundum, qui deberet contrahere, quando actu aut æquiuocatione dolosâ non posset Parochus eo adduci; neque enim tunc illa propriè est violentia; sed recuperatio iuris sui detenti apud Parochum nolentis illud reddere & soluere, aut iusta redemptio vexationis; sicut enim, si aliter non posset, liceret per vim recuperare pallium iniustè retentum & negatum, ita videtur licere recuperare, aut accipere assistentiam ex iustitiâ debitam, & iniustè negatam. Non potest autem (vt supponimus) alio remedio id obtinere, ergo hâc via poterit.

Quando Parochus tenetur ex iustitia & non vult videtur posse cogi. Ratio.

170. *Non est ita facile in testibus non obligatis ex iustitiâ. Quid si ex alia virtute teneãtur? Explicatur à simili.*

De testibus autem qui alioquin ex iustitia non debent, non ita facilè affirmauerim per vim posse cogi, tamen, si ex alio capite ex virtute scilicet misericordiæ, aut charitatis proximi tenentur, non videtur, saltem peccatum graue, si per vim aliquam cogantur assistere, quæ non sit maximi momenti, sicut non esset peccatum graue, etiam suppositâ opinione, quòd grauiter indigenti debetur non ex iustitiâ, sed ex misericordia eleemosyna, illum, qui eam negat, aliquâ ratione cogere ad illam dandam, vel per vim aliquam extorquere. Solet etiam disputari hoc loco cui actui matrimonij debeant interesse Parochus & testes? Dico breuiter illi actui, in quo consistit & completur essentia matrimonij. Vnde si iuxta communem aut probabilem doctrinam non valeat matrimonium quibusdam requisitis deficientibus, nõ sufficiet interesse actioni non sufficienti, quænam verò sufficiant, vel non sufficiant ex propriis fundamẽtis iuxta rei naturam & institutionem resolui debet. Vnde non sufficit assistere sponsalibus iuramento firmatis. Item post Tridentinum, vbi viget, non sufficit assistere prius sponsalibus, & posteà copulæ sequutæ, suppositio, quòd nõ sufficiat hoc pro matrimonio; vel suffitiet, si hoc supponatur esse satis iuxta varias sententias. Vlteriùs non sufficit assistere matrimonio impuberum vbi malitia non supplet ætatem suppositio quòd ille contractus tantùm habeat vim sponsalium. Item in multorum sententiâ non sufficit assistere matrimonio conditionato; nisi assistant impletioni conditionis, etiam suppositâ sententiâ, quòd sine nouo consensu positâ conditione valeat. Nam ante conditionem nõdum existit matrimonium, atque adeò nõ possunt testificari, si non sciant esse impletam conditionem, quæ omnia ex diuersis sententiis & principiis dependent; & de hoc vltimo dicemus *disputation. quinta dubitation. decima.*

Cui actui debeant Parochus & testes interesse. Quædam colliguntur in praxi notanda.

Tandem breuiter indicare sufficiat satis esse quod Parochus & testes, si benè nouerint vocem contrahentium, audiant illos loquentes, etiamsi sit interpositus murus, aut cortina, vel asseres, vt contra paucos cum multis, inter quos Sanchez, Rebellus, Basilius Pontius docet Diana *Part. 8. tr. 7. miscellaneo res. 68.* Solùm enim requiritur quod possint moraliter certum dare testimonium: legatur ibi Diana.

DVBITATIO XX.

Quas pœnas incurrant contrahentes clandestinè?

171. *Prima pœna numerari solita. Non potest ea habere rationem pœnæ. Ratio.*

SOlet primo loco inter pœnas numerari inhabilitas ad sic contrahendum; hæc autem nullo modo potest habere rationem pœnæ; omnis enim pœna subitur propter delictum? præcedens; hæc autem inhabilitas non supponit delictum, sed ante omne delictũ commissum sunt homines inhabiles ad sic contrahendum. Est ergo ista inhabilitas effectus legis inhabilitantis, & nullo modo pœna, potuisset autem inhabilitas esse pœna, si propter semel initum, vel potiùs dixerim, attentatum matrimonium clandestinũ inposterum sic attentantes redderentur inhabiles ad alias nuptias, etiam cum aliis, & non clandestinas; hoc tamen non decernitur in Tridentino, quidquid aliqui in contrarium senserint, atque ita declarauit congregatio Cardinalium, & iidem publicè possunt absque dispensatione inter se iterum contrahere, vt notauit Perez *disp. 42. sect. 1. n. 2.*

Congregatio Cardinalium. Perez.

172. *Prima, quæ est verè pœna, debet arbitrio Ordinarij imponi.*

Prima ergo pœna, quâ puniendi sunt contrahentes, seu attentantes contrahere, vbi Tridentinum viget, est pœna grauis arbitrio Ordinarij, vt constat ex *sess. 24. c. 1.* imo etiam vbi non viget Tridentinum contrahentes clandestinè absque testibus (aut forsan absque proprio Sacerdote iuxta consuetudinem Religionis) puniri etiam debent pœnâ arbitrariâ, vt habetur *c. finali* de clandestinâ desponsatione. In quo *c.* etiam puniuntur sic contrahentes in eo, quod eorum proles sit illegitima, quando contrahunt in gradu prohibito, etiamsi ignoranter fecerint, nec præsumuntur bonâ fide & ignoranter fecisse. Peccabunt verò Ordinarji, si ipsos non puniant, quia desunt officio suo, & Sancta Synodus præcipit eos puniri, vt rectè notat Perez suprà & alij. Docet verò Perez posteà *sect. 2. n. 3.* pœnas positas pro matrimonio clandestino, etiam, quas paulò post recensebimus non incurri, nisi ita sit clandestinum validum, vt etiam omissæ fuerint denunciationes. Quia putat olim non haberi clandestinum nisi, quod fiebat absque testibus, & omissis denunciationibus: Vnde, si denunciationes non omittantur, & matrimonium sit validum, etiamsi fiat absque testibus, putat non incurri pœnam illegitimatis prolis in dicto capite finali, & idem censet de aliis pœnis, quæ habentur in legibus Regni Castellæ, de quibus dicemus sequentibus duabus dubitationibus, quia solùm imponuntur contra contrahentes matrimonium, quod Ecclesia habet & habebat olim pro clandestino, quale non putat, si sit præmissis denunciationibus, etiamsi fuisset absque testibus; quod olim valebat, & nunc valet, vbi non viget Tridentinum. Hoc tamen totum & singulare est, & sine fundamẽto, quia Ecclesia illud censebat clandestinum, quod non poterat probari in foro externo: tale autem erat, quod fiebat sine testibus, & in vsu, & phrasi Ecclesiæ, etiam olim appellabantur clandestina matrimonia & erant prohibita, etiam ante generalem legem denunciationum, quod euidenter (ni fallor) constat ex eodem *c. finali.* vbi Innocentius, qui primò fecit legem generalẽ denunciationum, imitando quorundam locorum consuetudinem, dicit expressè inhærendo prædecessorum vestigiis inhiberi à se coniugia clandestina, &, vt caueantur posuit legem denunciationum ergo de illis clandestinis, qualia iam erant loquitur, quando posteà tum pro contrahentibus, tum pro assistentibus Parocho, aut Sacerdoti, & aliis addidit pœnas. Semper enim loquitur appellans *huiusmodi clandestina, vel interdicta coniugia.* Clandestina verò iam erant ante ipsum, & ante præceptum denunciationum tunc à se latum. Quæ omnia clariùs constabunt legenti (quidquid idem Perez cum Basilio reclament) & sine denunciationibus sunt interdicta, sed non propriè clandestina, vt dicam *dub. 30.*

Secunda pœna non esse legitimã prolem etiãsi ignoto impedimẽto nascatur. Tenentur Ordinarij sub peccato punire illos. Perez. *Alia quæ addit idem Perez non admittẽda.*

173. *Tertia pœna.* Sanchez.

In aliquibus etiam diœcesibus contrahentes sine Parocho & testibus excommunicantur excommunicatione Synodali, ipso facto. Legatur Sanchez *lib. 3. disp. 46. n. 9.* vbi ab aliquorum calumnia defendit tales Synodales Censuras, qui putant multo consultius fore eam excommunicationẽ non fulminari. Quia nimirũ, si Pontifices & Concilia eâ censurâ opus esse iudicarẽt, tulissent vtique. Non est tamen cur ita carpantur Episcopi (inquit Sanchez) cùm adiuuent pœnas iure communi statutas, quas expedit sæpe augeri crescente hominum malitiâ.

Defenduntur à calumnia quædam Synodales censuræ contra prædictos.

Rectè autem docet *n. 10.* non esse seruandã constitutionem Synodalem Salmantinam, quãtum ad eam partem, quod sic ipso facto excommunicati ante denunciationem vitandi sint, quidquid frustra aliqui defendere conentur hanc Constitutionem, est enim contra constitutionem Martini V. in Concilio Constantiensi in *Extrauag. ad euitanda*, de qua latè diximus in tr. de Censuris maximè *disp. 2. dub. 26. & 28.*

174. *Non seruãdam ex parte constitutionem Salmantinam, vtpote non consonam* Concilio Constantiensis.

Tandem quarta pœna in Regno Castellæ erat olim statuta, quòd scilicèt ambo contrahentes clandestinè tradendi essent consanguineis propinquioribus vxoris in seruitutem perpetuam *l. finali tit. 3. partitâ 4.* Quæ pœna locum iam non habet, siue, quia desuetudine abolita est, vt Couarruu. Henriquez, Gutierrez, apud Sanchez supra n. 11. existimant; siue, quia mitior alia pœna successit *l. 49.* Tauri sicuti ex Gregorio Lopez notat ibidem Sanchez, qui posteà *disp. 47.* latè disputat de quinta & vltima pœna exhæredationis. Quâ de re seorsim cum eodem Auctore placuit disputare.

175. *Quarta pœna in Regno Castellæ erat olim. Iam non habet locũ.* Couarr. Henriq. Gutierr. Greg. Lop. Sanchez. *De quinta pœna seorsim disputandum seqq. dubitationibus.*

DVBIT.

DVBITATIO XXI.

An supposito iure Canonico valeat lex Ciuilis Castellæ imponens pœnam exhæredationis matrimonio clandestino?

176. *Materia huius dubitationis cum iis quæ concernit exponitur.*

ANtequàm explico Legem ipsam Tauri 4.9. & illius innouationem, & accrementum factum *libr.* 5. *nouæ Recopil. citatâ lege* 1. *tit.* 1. oportet explicare an attento iure Canonico correcta sit hæc lex & inualida? deinde dub. sequenti explicabitur lex ipsa. Hac de re olim egimus in nostro opere *de iustitia libr.* 2. *tractat.* 19. *disputat.* 1. *num.* 394. & in hunc locum hac & sequenti dubitatione disputandam reiecimus.

177. *Dubitant aliqui de legis illius valore.* Couarr. Matth. Afflictis. Greg. Lop. Anton. Gomez. *Alij inualidam pronũtiant. Vt quidam iurisperiti.* Veracruz.

Dubitant nonnulli de valore huius legis. Ita Couarr. 4. *Decret.* 2. *p. c.* 6. Matthæus de afflict. ab ipso relatus & Gregorius Lopez *l.* 10. *verbo Puede ad finem tit.* 1. *partitâ* 4. vbi aliis cogitandum relinquit. Vnde Anton. Gomez in eandẽ l. 49. Tauri putat rem esse adeo dubiam, vt vtraque opinio possit iure defendi. Sic sensim animati posteriores alij audent affirmare eam legem inualidam esse. Ita aliqui Recentiores iurisperiti sequuti Veracruz 3. *p. speculi ar.* 20. *concl.* 3.

178. *Assertio. Leges ciuiles esse in hac re seruandas in foro Canonico.* *Ratio* 1. *Ratio* 2.

Asserendum nihilominus est leges Ciuiles pœnales matrimonij Clandestini seruandas esse in foro Canonico, atq; adeo valere. Ratio verò est, quia quamuis iudicium de matrimonio, quoad eius substantiam pertineat ad forũ Ecclesiasticum, nullo tamen iure Canonico adempta est Principibus sæcularibus potestas statuẽdi pœnas, & condendi leges in eos, qui contra iuris Ordinem ineunt matrimonium. Secundò quamuis inferior nequeat abrogare superioris legem, potest tamen nouis pœnis eam, quo melius seruetur adiuuare. In hoc fundamento cõsentiunt Gloss. *authent. Quomodo oporteat Episcopos collat.* 1. *verbo Sancimus* & *Clementina Ne Romani verbo Tolli.* & ibi Paulus & Laurent. Cardinalis Imola, Bonifacius, Barbatius, Felinus & alij apud Sanchez *disp. illâ* 47. *n.* 11. inter quos Couarruu. *supra n.* 18. *&* 19. & Veracruz *supra concluſ.* 1. §. Dixi secundum se. Vnde mirandum est, quod hi Auctores in prædicto fundamento consentientes repugnent, aut dubitent de hac sententiâ, vt vidimus. Hoc ergo fundamento posito rectè sequitur pro nostro casu posse Principem sæcularem condere leges ad punienda matrimonia clandestina, & hac ratione nixa fuit lex Castellæ finalis *tit.* 3. *Partita* 4. vbi statuens pœnam in clam contrahentes, sic ait: *Vnde nos, por que habemos voluntad que lo que la Sancta Iglesia ordena, se aguardado* &c.

Probatur ex iure ipsoCanonico. Paulus. Laurent. Cardin. Imola. Bonifac. Barbatius. Felinus. Sanchez. *Cum aliis.* Couarr. Veracruz.

Lex ipsa se defendit sua ratione.

179. *Ratione* 3. *probatur.*

Probatur vlterius ratione generali, quia matrimonium simul est contractus ciuilis & Sacramentum; ac proinde, sicut, quatenùs Sacramentum, pertinet ad forum Ecclesiasticum, ita quatenùs contractus ciuilis, pertinere potest ad forum Principis sæcularis; non quidem quantum ad substantiam: quia hanc causam propter connexionem cum ratione Sacramenti (cuius materia totalis assumpta ad significandum est contractus ipse) ad se auocauit potestas Ecclesiastica; sed quantum ad potestatem cogendi, & puniendi debitis pœnis eos, qui non seruantes iuris Canonici Ordinem, pacem Reipublicæ turbant, quam debent Principes sæculares procurare: hæc autem maximè turbaretur per matrimonia clandestina. Vnde etiam Principes sæculares pœnas merito decernunt periuriis, vsuris, incestis nuptiis, quamuis horum iudiciũ ad Ecclesiasticum Tribunal expectet. Ideò Antonius Gomez *supra citatus num.* 2. *ad eam legem Tauri* in hanc partem magis inclinat, eamque expressè docent ex Theologis Sotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 3. *ar.* 4. *ad* 4. *vers. Duo ergo* Corduba *in Summa q.* 171. Henriquez *lib.* 11. *c.* 6. *n.* 2. Ludouicus Lopez 2. *p. instruct. de matrim. c.* 44. Bartholom à Ledesma *dub.* 24. *concluſ. vltima.* Rodriquez *to.* 1. *Summæ c.* 14. *numer.* 2. Petrus de Ledesma *de matrimon. q.* 45. *articul.* 5. & ex iurisperitis Castillo. Gregor. Lopez. Molin. Menoch. Minchaca. Burgos de Paz. Spino Salzedo Barboza Gutierrez & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *disp. illâ* 47. *n.* 11. *in fine.*

Anton. Gomez. Sotus. Corduba. Henriq. Lud. Lop. Barth. Ledesma. Rodriq. Petrus Ledesma. Castillo. Greg. Lop. Molin. Menoch. Minchaca. Burgos de Paz. *Alij apud Sanchez.*

Ex quo patet Principem sæcularem non mittere falcem in messem alienam sic decernendo pœnas prædictas, nec se intromittere in rem spiritualem, vt aliqui obiiciunt; solùm enim legibus ciuilibus coadiuuatur ius Canonicum. Neque in hoc tollitur, aut minuitur libertas contrahendi matrimonium; sed solùm impeditur, ne contra iuris Ecclesiastici Ordinem contrahatur.

180. *Occurritur obiectioni quorumdã. Item alteri obiectioni.*

Obiiciet tamen aliquis, iure Canonico inualida est exhæredationis pœna statuta per legem Cæsaream aduersus filiam nubentem absque Patris consensu, vt colligitur ex c. *Tuam de ordine cognit.* & latè probat Sanchez *lib.* 4. *de matrimonio disp.* 25. *n.* 2. noſq; que dicimus *disp. sequenti. dub.* 19. *n.* 182. *& seqq.* ergo etiam censebitur abrogata in nostro casu pœna exhæredationis iure Ciuili sita matrimonio clandestino.

181. *Obiectio à simili ex iure Canonico.* Sanchez.

Respondetur cum eodem Sanchez *disp illâ* 57. in fine disparem esse rationem; nam matrimonium initum absque parentis consensu iure Canonico non punibile est, sed permissum; matrimonium verò clandestinum, de quo agimus iure Canonico punibile est, & punitur. Ideò non mirum, quòd leges exhæredantes filiam nubẽtem absque consensu patris tanquàm iuri Canonico aduersæ repellantur; non verò punientes clandestinum, quæ ius Canonicum imitantur, & coadiuuant.

182. *Respõdetur.*

DVBITATIO XXII.

Quomodo intelligenda sit lex Castellæ exhæredans clandestinè contrahentes?

CVm probauerimus dub. præcedenti leges Ciuiles statuentes pœnas nuptiis clandestinis vim habere, atque adeò hanc, de quâ disputamus, operæpretium erit ipsam legem probè intelligere, & explicare.

183. *Posita vi legis prædictæ, explicare illã oportet.*

Quamuis ergo *l.* 49. *Tauri* inter pœnas alias

184.

Proponuntur verba legis prioris, & posterioris auctarium.

alias amissionis bonorum, exilij, pœnâ etiam exhæredationis infligatur filiabus tantùm; posteà nihilominùs L.5.nouæ Recopil. *tit.1. lib.1.* additur pœna etiam filiis. In priori ergo lege dicitur: *Mandamos, que el que contraxere matrimonio que la Iglesia tubiere por clandestino, el, y los que en ello entreuinieren, ylos testigos del tal matrimonio incurran en perdimiento de todos sus bienes, y sean desterrados de nuestros Reynos, y que esta sea iusta causa, para que el Padre, y la madre puedan descheredar, si quisieren, a sus hijas. En loqual otro ninguno pueda accusar, sino el Padre; y la madre muerto el Padre.* Posteà vero *lib.5. recopilationis l.1.tit.1.* vbi lex eadem habetur; additur pœna etiam filiis ibi *puedan descheredar si quisieren à sus hijos, y hijas que el tal matrimonio contraxeren.* Atque hoc etiam apud alias nationes similibus aliis constitutionibus obseruari tradit Peckius *libr.1. de Testam. mariti, & vxoris c.2.* ex Antonio Costano *lib.1. Quæstionum iuris c.12. ad finem*, & refert Sanchez *lib.3. disp.4.7.n.1.*

Peckius. Anton. Costanus. Sanchez.

185. *Antiquiores auctores ad filiam. Iam posteriores ad filios fatentur extendi eã pœnam.*

Vnde, quamuis olim scriptores solùm pro filiabus hanc legem valere scripserint, iam hodie constat ad filios esse extensam & docent multi apud Sanchez *supra num.2.* qui etiam notat *n.3.* cum Couarru. Veracruz, Henriquez Gutierrez, & aliis non solùm legem hanc habere locum in filiabus familias, sed etiam in ipsis viduis effectis, quia in hoc *lex 49. Tauri* non respicit patriam potestatem, cùm etiam matri id concedat, quæ caret eâ potestate patriâ; imò idem meritò putat, etiamsi non cohabitent cum Parentibus, quia lex non patriam potestatem, neque cohabitationem considerat, sed parentibus reuerentiam debitam. Cuius signum est, quod ipsis tantùm parentibus ius accusandi defert. Ita etiam Azebedo in citatam *l. Recopil.* item alij apud eundem Sanchez, qui generaliter docent posse etiam filiam viduam exhæredari, contra Castillo in citatam *l.49. Tauri*, vbi id negat, sed oppositum probatur ex Doctrinâ Oldradi, quem ipsi sequuntur, asserentis conditionem negatiuam (qualis est hæc prohibens filiam clam contrehere) esse perpetuum.

Peckius. Anton. Costanus. Sanchez. Couarr. Veracruz. Henriq. Gutierrez. *Etiam ad filias viduas extendunt legem.* *Ratio.* Azebedo. *Alij apud* Sanchez. Contra. Castillo. Oldradus.

186. *Locum habet lex etiã si filia alioquin dignè nubat. Sanchez & alij.*

Neque eximitur ab hac pœnâ, etiamsi filia alioquin dignè nubat; adhuc enim iniuriam Patri irrogat, si eo inconsulto, sic nubat, vt cum aliis probat idem Sanchez *n.4.* neque curandum est de quâdam limitatione legis prædictę, quam dicunt aliqui factam à Carolo V. in Comitiis Pincianis, id enim non habet hodie vim legis, quia talis Pragmatica non continetur in noua legum recopilatione eiusdem Regni, quod tamen necessarium erat iuxta Pragmaticam præfixam initio prædictæ nouæ Recopilationis, sicuti notauit Molina *to.1. de iust. tract. 2. disputat.176.*

Molina.

187. *An locum habeat lex, etiam si filia excedat 25. annos.*

In eâdem autem lege Caroli V. testantur multi hanc pœnam extensam fuisse ad filiam excedentem viginti quinque annos, quasi in lege Tauri non comprehenderetur, cumque hodie non habeat vim legis illa Pragmatica, vt dictum est, dubitari meritò potest, an saltem ex alio capite comprehendatur in ipsâ *l. 49. Tauri?*

188. *Negat Sanchez habere locum.*

Sanchez supra *n.5. ad finem* putat non comprehendi, neque posse ob eam causam exhæredari, quia prædicta lex duas conditiones petit, nempe clandestinitatem, & parentum iniuriam. Quare deficiente alterâ, nempe parentum iniuriâ, vt deficit in hac filiâ maiore iuxta §. *Aliud quoque* Authent. *vt cum de Appellat. cognos* non erit locus illi pœnæ.

189. *Oppositum videtur probabilius.*

Nihilominùs probabilior mihi apparet sententia Molinæ loco citato, qui ait *num.16. nec credo legem Tauri præsertim vt aucta fuit in nouâ collectione, eâ extensione egisse* (scilicèt ad filiam maiorem viginti quinque annis) *cum vniuersim de contrahentibus clandestinè loquatur, & ad filios etiam se extendat.* Hæc Molina, quibus verbis satis significat rationem ob quam extendatur: quia scilicèt vniuersim loquitur lex, maximè cùm sit lex habens conditionem negatiuam, vt ipse Sanchez concessit *supra n.3. in fine* cum Oldrado; conditio autem negatiua non minùs distributiua est, & vniuersalis pro omni significato termini propositionis, quàm pro tempore significato per verbum. Accedit quod falsò assumit Sanchez filiam maiorem viginti quinque annis clandestinè nubentem (& idem est de filio, ad quem iam lex extensa est) nullam iniuriam irrogare parentibus; quamuis enim non irroget iniuriam paren i contra patriam potestatem, quia iam excedit 25. annum, irrogat tamen contra reuerentiam debitam parentibus, quæ per totam vitam durat, maximè, vt non fiat aliquid, quod aliquâ ratione in parentum grauem iustumque dolorem, erubescentiam, aut pudorem aliamue notam possit redundare, & in communi hominum æstimatione meritò id totum redundat in parentes, qui iustè possint grauiter tristari, & dolere quòd contra tam graue præceptum Ecclesiæ, tamque grauibus pœnis commendatum filius, filiaue delinquat.

190. *Si filius, vel filia consentientibus parentibus clam contrahant, non poterunt ob id exhæredari. Sanchez cũ multis. Ratio ex prædicta lege sumitur. Temperat.* Henriq. *Non admittitur temperatio.*

Illud mihi placet quod posteà subiungit Sanchez *num.6.* scilicèt quòd si filius, vel filia clàm contrahant, consentientibus parentibus, non poterunt ob id hæreditate priuari. Pro quâ sententiâ plures alios refert iurisperitos, & Theologos, & probat ex citatâ. Lege Tauri, quæ accusationem delicti solis parentibus defert. Vnde vltra clandestinatis vitium videtur respexisse ad iniuriam, quæ parentibus irrogatur. Neque in hoc admittenda est moderatio, quam affert Henriquez *lib.11. de matrimonio c.6. n.2.* & Rodriquez *1. tomo summæ c.14.n.4.* quod scilicet id intelligatur si filia sit sub patria potestate, quasi sentiant nihil referre consensum paternum, si filia exempta sit à patriâ potestate; neque enim lex, vt suprà diximus, & docuit idē Sanchez, considerat patriam potestatem, sed parentum iniuriam.

191. *Quæritur an alia pœna incurrantur.*

Quærit deinde Sanchez an consentiente Patre in matrimonium clandestinum filij, vel filiæ, licèt non possint exhæredari, saltem incurrant tam contrahentes, quàm testes, pœnas contentas in *l. illâ 49. Tauri.*

192. *Negat Sanchez. Ratio.* Azebedo.

Negat idem Sanchez cum Couarruu. 4. *Decretal. 2. p. c.6. n.21.* quia scilicèt respectu omnium illarum personarum accusatio solis parētibus defertur, vt rectè docet Azebedo *libr.5. Recopil. l.1. tit.1. n.55.*

193.

Affirmat verò Segura *2. p. Directorij c.15.* Azebedo

Affirmat Segura. Et etiam Segura à iudice posse fieri quoad alias pœnas.

bedo tamen ipse ibidem asserit posse tunc iudicem eas pœnas exhæredatione demptâ infligere.

194. *Probabilior Azebedi sententia, nec omnino repugnat Segura.*

Quamuis omnia hæc probabilia satis sint, probabilior mihi apparet sententia Azebedi, cui non omnino repugnat Segura. Atque in primis, quod attinet ad pœnam exhæredationis, non videò dependentiam ab accusatione parentum ita, vt parentes non possint filios clandestinè contrahentes exhæredare, nisi priùs accusauerunt illos, nam in ipsa lege voluntati, & electioni parentum relinquitur infligenda pœna exhæredationis, ait enim. *Y que esta sea iusta causa, para que el padre, y la madre puedan descheredar, si quisieren à sus hiias.* Et *in noua Recopil. Y puedan desheredar, si quisieren à sus hiios y hiias.* Vnde quantum ad hanc pœnam infligendam nõ requiritur auctoritas, aut sententia iudicis, ac proinde rectè dixit Azebedo exhæredationis pœnam non posse infligi à iudice virtute illius legis, quæ totum permittit voluntati parentis. Quod verò attinet ad alias pœnas, falsò putat Sanchez, & alij accusationem faciendam coràm iudice, vt cæteræ pœnæ infligantur, & dependere ab accusatione patris, aut matris contrahentium; tum; quia ex hoc sequeretur illam legem solùm habere locum in filiis habentibus parentes cæteros verò tam contrahentes parentibus carentes, quàm testes, esse liberos à tali lege; quia nullus est parens contrahentium, qui possit deferre, & accusare tum quia falsò assumit Sanchez illam particulam *otro ninguno &c.* ita esse restrictiuam potestatis accusandi, vt omnia præcedentia in illo textu comprehendantur, ita, vt cessante iniuriâ parentum propter eorum consensum ius accusandi extinguatur, & non sit locus illis pœnis; nam, si rectè inspiciatur Textus, solùm circa filios restringitur ea facultas accusandi ad solos parentes, cùm enim dixisset: *Puedan desheredar, si quisieren &c.* subiungit: *en loqual otro ninguno pueda accusar sinò el Padre* &c. Quæ verba non cogunt esse referenda, vel ad accusationem faciendam ab aliis contra testes, & interuenientes alios, de quibus ibi fit mentio; & multò minùs, quòd auferatur potestas à iudice, vt ex officio infligat tales pœnas suppositâ facti euidentiâ, aut iuridicâ probatione.

195. *Limitatio pœnæ ab aliis meritò assignatur.*

Eandem pœnam exhæredationis aliqui limitant meritò, vt non possint parentes eam infligere; quando pessimè erga filias se habent, earumque matrimonia malitiosè differunt, ne eas dotare cogantur, & ipsæ gratiâ redimendæ vexationis æquali nuberent; tunc enim parentes immeritò conqueri possunt. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 4. Rodriquez *tomo* 1. *Summæ c.* 14. *n.* 3. Sanchez *supra n.* 8. cum aliis, qui rectè contra alios docet, si filia ingrediatur Religionem ante matrimonij consummationem, non posse exhæredari, tum, quia iuxta probabiliorem sententiam exhæredationis causæ Religionis ingressu abolentur, quàm latè probat Molina *to.* 1. *de iustitiâ tract.* 2. *disp.* 176. §. *Postremum dubium.* cum aliis, quos refert & quidem in nullo casu ita aboletur exhæredationis causa ingressu Religionis, atque in hoc, cùm per professionem dirimatur matrimonium, quoderat causa iniuriæ, ignominiæque paternæ: tum etiam, quia pœna exhæredationis ob matrimonium clandestinum tunc temporis contrahitur, quando matrimonium copulâ consummatur, & in citata *lege* 49. *Tauri* dicitur *el que contraxere matrimonio.* Nomine autem matrimonij in pœnalibus intelligitur, quando consummatum est. Ita docet Molina *supra.* Sanchez *supra n.* 9. cum aliis. Legatur idem Auctor *lib.* 1. *disp.* 1. *n.* 3. & quæ diximus in *hoc tract. disp.* 1. *dub.* 1. Illud autem pro hac, & aliis pœnis impositis matrimonio clandestino, aduertendum est, quod iam vix habet locum in Castellâ. Nam cum post Tridentinũ ibi receptum nullum sit tale matrimonium, quod nullum est, nullum producit effectum, & non entis nullæ sunt qualitates, vt circa hoc latiùs diximus *in nostro opere citato de iustitia libr.* 2. *tract.* 19. *disp.* 1. *n.* 395. & alibi vide quæ dicemus infrà in hac *disp. dub.* 30. *n.* 323. vbi probamus matrimonium clandestinum subiectum his pœnis non censeri illud, quod fit coram Parocho & testibus non præmissis denunciationibus, vide etiam quæ dicimus *in fine sequentis dub. num.* 201. & 202. alia in fauorem huius habet Perez *disp.* 4. 2. *sect.* 1. sed dicta sufficiunt, alia videri possunt apud Sanchez *lib.* 3. *disp.* 2.

Sanchez. Molina. Perez. Sanchez.

DVBITATIO XXIII.

Quibus pœnis subiaceat Parochus assistens matrimonio, aut Sacerdos de licentia illius absque aliis testibus?

196. *Prima pœna Parochi, aut Sacerdotis est suspensio (non ipso facto) per triennium.*

PArochus (& idem est de alio Sacerdote ex licentia ipsius) primò suspenditur per triennium ab officio; sed non ipso facto, nam hæc pœna, quæ habetur *c. finali de clandestina desponsatione*, solùm statuitur per verbum *suspendatur*, quod verbum est optatiui importans futuritionem, respicienſque actum & ministrum iudicis. Quæ doctrina congruit cum dictis à nobis *de Censuris in communi disp.* 1. *dub.* 5. & ita docet Sanchez *lib.* 3. *disp.* 48. *n.* 2.

Sanchez.

197. *Secunda pœna. Puniri arbitrio Ordinarij.*

Secunda pœna in Tridentino *sess.* 24. *c.* 1. est, quod Parochus, vel Sacerdos assistens matrimonio absque testibus (sicut & testes etiam assistentes absque Parocho, vel alio Sacerdote de Licentia illius) puniantur arbitrio Ordinarij.

198. *An prima pœna cessauerit post Tridentinũ?*

Sed in hoc non modica difficultas est, an per hanc pœnam Tridentini, factoque iam inualido matrimonio clandestino cessauerit prior pœna suspensionis triennalis?

199. *Negant aliqui.*

Rodriquez *c.* 221. Vega *lib.* 6. *Summæ casu* 112. Salzedo *in Practica c.* 73. Veracruz *in Appendice ad speculum dub.* 11. *Maiol. lib.* 3. *de irregularit. c.* 25. negant cessasse, & licèt soli Salzedo & Rodriquez dicant expressè non esse correctam pœnam per Tridentinum; cæteri nihilominùs eo ipso quod post Tridentinum scribant, & absolutè affirment esse hanc pœnam, satis clarè supponunt post Tridentinum non cessasse, sicut etiam Coninc, qui eandem pœnam absolutè enumerat *disp.* 27. *dub.* 10. maximè cùm dicat teneri Ordinarium eam pœnam infligere, non tenerentur autem, si cessasset. Fundamentum hu-

Rodriq. Vega. Salzedo. Coninc.

Sotus. Rodriq. *Cum aliis qui aliam addit limitationem, & meritò.* Molina.

Huius sententiæ fundamentum primò.

ius sententiæ est primò,quia Tridentinum non derogat iuri antiquo, imò ait se inhærere vestigiis Concilij Lateranensis, in quo illa pœna statuta fuit.

Secundò.

Secundo,quia quãdo vni & eidem delicto pœnæ variæ statuuntur, etiamsi diuersis legibus,omnes seruandæ sunt; præsertim si pœna,quæ in posteriori lege ponitur,quodammodò contineatur in priori lege. Cùm ergo in posteriori lege scilicèt Tridentini decernatur pœna arbitraria, sub quâ etiam comprehendi potest pœna Lateranensis, adhuc perseuerabit, maximè cum in eo Textu etiam decernatur grauius esse puniendum vltra suspensionem Triennalem,si qualitas delicti postulet.

200. *Assertio affirmans cessasse eam pœnam.* Sanchez. Mathienz. Hurtado. Basilius. Perez. *Alij. Ratio.*

Asserendum nihilominus est eam pœnam cessasse.Ita Sanchez *disp.*48.*n.*4.Cum Mathienzo *lib.*5.*Recopil.tit.*1.*l.*1. *Glossa* 7. Hurtado *disp.*5. *diffic.*8.*n.*55. Basilius Pontius & Perez *suprà*,& alij Recentiores. Ratio est, quia quando lege nouâ ponitur mitior pœna,quàm illa,quæ continebatur in antiquiore lege,cessat antiqua, idque maximè, quando delictum factum fuit minus pernicioſum Reipublicæ, vt latè probat & docet Sanchez ibidem cum aliis, quamuis enim hodie in ordine ad Deum delictum sit grauius,tamen in ordine ad Rempublicam nõ videtur ita pernicioſum, atque anteà in Ecclesiâ,postquàm Tridentinum irritauit matrimonia clandestina.

201. *Probatur vlterius.* Sanchez.

Præterea suppositâ irritatione Tridentini tale matrimonium est inualidum, quando autem clandestinum est inualidum, pœnæ olim impositæ in clandestino valido non incurruntur,vt latè probat Sanchez *lib.*3.*disp.*2.*n.*5.& nos notauimus *suprà dub.*20. *&* 22. & dicemus *dub.* 30.agentes de pœnis Parochi assistentis nõ præmissis denunciationibus,quę duæ rationes sunt longè meliores, quàm ea,quâ vsus est Basilius, quem refert & sequitur Perez *disp.*42.*sect.*4.*n.* 4.contendentes ibi solùm per clãdestinum, cui sunt appositæ pœnæ intelligendum esse id, cui non præmittuntur denunciationes & ideò non incurri,nisi tale sit, quod falsum esse diximus suprà *dub.*20. & dicemus in sequentibus præsertim *dub.*30.quia ex solo defectu denunciationum non censentur clandestina, propriè & in eo capite agitur de clandestinis, quæ solebant fieri etiam ante præceptum denunciationum.

Alia ratio Basilij & Perezij. Non probatur.

202. *Ad primum oppositæ sententiæ.*

Ad primum oppositæ sententiæ Respondetur per decretum Tridentini fuisse derogatum, non explicitè,sed implicitè,& virtualiter, quatenùs imponit aliam mitiorem pœnam,& quatenùs etiam reddit inualidum contractum matrimonij,atque adeò pœna, quæ posita erat pro contractu valido,non habet locum in inualido, vt dictum est,atque ex his,& aliis dictis pro nostrâ sententiâ constat ad secundum argumentum, cùm non sit eadem ratio de clandestino iam inualido,vt puniatur eâdem pœnâ.

Ad secundũ constat ex dictis.

DVBITATIO XXIV.

Quam pœnam incurrat Sacerdos assistens matrimonio, vel benedicens alienos Parochianos absque licentia proprij?

203. *Aliqui putant incurrere suspensionem triennalem sed absque fundamento.*

NOnnulli cogitarunt incurrere suspensionẽ triennalem,hoc tamen absque fundamẽto vllo dicitur,etiamsi matrimonio assistat, nullis præmissis denunciationibus: nam hæc pœna assistentis non præmissis denunciationibus solùm imposita est proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentiâ *in c.finali de clandestinâ desponsatione*,tunc enim matrimonium erit validum.Secùs verò,quando non est Parochus,vel Ordinarius,aut de licentiâ ipsius,quia tunc matrimoniũ non est validum,& iuxta dicta *in præc.dub.*pœnę impositæ pro clandestino valido non habent locum in clandestino inualido.

204. *Assertio.*

Asserendum ergo est solùm in nostro casu incurri pœnam assignatam in Trident.*sess.*24.*c.* 1.*de refor.matrim.*versu *quod si quis Parochus*, vbi alieno Parocho,vel Sacerdoti, etiam Regulari, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat,si assistat matrimonio sine Parochi,vel Ordinarij licentiâ, vel ausus fuerit sponsos benedicere,imponit pœnã suspensionis,quamdiu ab Ordinario, ad quẽ id munus pertinebat non absoluatur. Ex quo etiã constat correctam fuisse suspensionem triennalem prædicti *c.finalis*, quæ non erat lata,sed ferenda,nec poterat Episcopus absoluere ab eâ,sed cessabat expleto triennio, tanquàm iam finito termino præfixo nullâ requisita absolutione. Quâ de re diximus agentes de cẽsuris *tr.*10.*variis in locis* præcipuè *disp.*1.*dub.*2. *&* 3. *& disp.*2. *dub.*21.*& disp.*4.*dub.*1.quibus in locis diximus eã suspensionem esse merè pœnalẽ,& non propriè Censuram.Suspensio verò in nostro casu lata à Tridentino neque ad tempus est præcisum, sed reseruata Episcopo absoluto; neque Episcopus debet expectare Trienniũ,vt absoluat; alloquin diceremus non posse absoluere, nisi transacto triennio.Quod absque fundamento asseremus. Ita Sanch.*l.*3.*disp.* 48.*n.*6.Referens Maiolũ *li.*3. *de irregul.c.*25.*n.*12.Idem docet Perez *disp.*42.*sec.* 5.Notat verò Sanch.*n.*7.quod ad euitandã prædictam suspensionem Tridentini sufficit quælibet ignorantia,etiam crassa, dummodò non sit ita crassa,vt ingens sit temeritas: quia Tridentinum vtitur illis verbis *ausus fuerit*,& verbũ audacia dicit temeritatẽ. Quæ doctrinã mihi non displicet. Et quantum ad illam partem limitationis de ignorantiâ nimis crassa, vt ingens sit temeritas probabile iudicauimus *in dicto tr. de Censuris vbi disp.*2.*dub.*23. latè diximus, an, & quando ignorantia impediat vim Censurę,iuxta quæ in hoc casu philosophandum puto. Legatur Sanchez *citato n.*7.

Sanchez. Maiolus. Perez. *Euitatur pœna Tridentini per ignorantiã etiam crassam,si non sit ingens temeritas.*

205. *Aliud dubium excitatur à Sãchez pro Sacerdote regulari, de excommunicatione. Probabile est incurrere.*

Qui postea *n.*8.in dubiũ reuocat, an Sacerdos Regularis solemnizans matrimonium absque proprij parochi licentia,præter prædictam pœnam Tridentini incurrat etiam excõmunicationem reseruatam Pontifici per Clementinã 1. *de Priuilegiis*, & probabiliter resoluit incurrere.

Quamuis

Quamuis enim iuxta dicta in hac & præcedenti dubitatione, nouâ pœna mitior corrigat rigidiorem antiquæ legis; id tamen intelligendum putat in pœnis à iudice infligendis, non autem in iis, quæ ipso iure incurruntur, vt sunt excommunicatio illius Clementine, & suspensio Tridentini. Ita Nauarrus Maiol. Rodriquez apud Sanchez ibidem contra Henriquez *lib.13. c.38.* Bonacin. cum aliis *quæst.4. puncto 6. num.3. de Censuris disp.12. uum 13.* & alios probabiliter sentientes non incurrere. Vide *dub.31.* non longè à fine *num.339.* vbi pro hoc vltimo alios afferimus & principium Nauarri non est ita certum, quin alij negent.

Ratio.

Nauarrus. Maiolus. Rodriq. Contra Henriq. & Bonacinam cum aliis probabiliter negantes.

DVBITATIO XXV.

An? quot? & quomodò denunciationes, seu proclamationes debeant præcedere matrimonium?

206. *Quid nomine denuntiationum intelligatur.*

NOmine denunciationum, seu proclamationum intelliguntur admõnitiones quædam publicæ, quibus monentur fideles, vt, si aliquod impedimentum ineundi matrimonij nouerint, inter eos, qui iam inire volunt, illud aperiant.

207. *Requirũtur denuntiationes ex Tridentino & ante ipsum.*

Constat inprimis iuxta Tridentinum *sess. illâ 24. cap.1.* sæpè citato requiri ante contractum matrimonij publicas prædictas monitiones fieri tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter missarum solemnia. Et olim *in c. finali de clandestina desponsatione* præcipitur fieri saltem semel à Presbyteris in Ecclesiâ.

208. *Dubitatur 1. de valore sine his.*

Dubitari autem potest primò; an valeat matrimonium, vbi Tridentinum viget, omissis denunciationibus?

209. *Aliqui negarunt valere, seclusa dispensatione.*

Nonnulli putarunt esse necessarias ad valorem, si non omittantur ex dispensatione. Ratio est, quia Tridentinum *loco citato* decernit Parochum assistere debere matrimonio præmissis denunciationibus: ergo iis non præmissis, non validè assistet. Ideoque nec matrimonium valebit.

Ratio.

210. *Assertio affirmans cũ communi sententia.*

Asserendum est cum communi Doctorum valere nullis præmissis denunciationibus. Ita Nauarrus *cap.22 num.7.* Philiarchus *tomo 1. p.2. lib.2. cap.2.* Henriquez *lib.11. cap.5. num.1.* Perez *disp.43. sect.1. num.3.* Gutierrez de *matrimonio c.56. num.2.* Vgolinus *de potestate Episcopi cap.15. §.11.* Riccius *decis.134.* Coninc *disp.27. dub.5. num.49.* Reginaldus *lib.31. num.222.* Basilius *lib.5. cap.3,* Sanchez *lib.3. disp.3. num.3.* & alij apud ipsum: estque communis, & recepta Doctorum sententia. Ratio verò est; quia iure antiquo validum erat tale matrimonium; ergo etiam nunc; neque enim recedendum est à iure antiquo, nisi contrarium statuatur iure nouo. Sed iuri antiquo non derogatum est per nouum, quod attinet ad matrimonium sine denunciationibus: ergo non recedendum est ab antiquo: quamuis in Tridentino præcipiatur Parocho denunciationes præmittere, &, nisi illis præmissis, non assistere matrimonio, nisi fortè dispensatione obtentâ; nullum tamen est ibi verbum irritans matrimonium; tota enim irritatio, de quâ in eo capite fit mentio, refertur ad defectum assistentiæ Parochi, & testium. Ex quo patet ad fundamentum aduersariorum.

Cum alijs recepta sententia.

Nauarrus. Philiarch. Henriq. Perez. Gutierr. Vgolinus. Riccius. Coninc. Reginald. Basilius. Sanchez.

Ratio.

Ex dictis patet ad fũdamentum aduersariorum.

Dubitari potest 2. an, & quantum peccatum sit contrahere sine denunciationibus? 211. *Dubitatur 2. de peccato sic contrahendi.*

Certum est esse aliquod peccatum, cùm sit contra mandatum Tridentini. Vtrum autem sit mortale? non consentiunt Doctores. 212. *Certum est esse peccatũ.*

Sotus in *4. dist.28. q.1. art.2. ad 1.* putat non esse mortale ex vi præcepti Lateranensis, & Tridentini, solumque tale esse, si excommunicatio Synodalis sit in Diœcesi contra omittentes, & ante Tridentinum Petrus de Ledesma *quæst. 45. art.5. puncto 1. dub.3.* putat non fuisse mortale, sed tantum post Tridentinum. Nam, si Parochus sit moraliter certus nullum subesse impedimentum, non videtur grauis deordinatio denunciationes omittere. Idque maximè putant probabile aliqui Doctores, quando Parochus sub eâ certitudine vnam tantùm denunciationem omittit, videtur enim ea materia parua, quamuis sit reprehensione dignus, si faciat. Ita Rebellus *quæst.7. num.10.* Sanchez *lib.3. disput.5. num.7.* Speculum *1. p. art.10. conclus.3.* & alij, quos refert & sequitur Gutierrez *de matrimonio c.57.* Hurtado *disputat.5. num.59.* contra Coninc *nu.51.* qui putat etiam tunc mortaliter peccare. Cui adde Basilium Pontium *lib.5. cap.30. num.3.* & Perez supra *num.7.* 213. *Aliqui negant esse mortale nisi excommunicatio Synodalis adsit.* Sotus. Ledesma *putat tantũ post Tridentinum.* *Probat pro casu quo certus sit Parochus nõ esse impedimentum.* *Aliqui saltẽ quando vnã solum denuntiationẽ in eo casu omittit.* Rebellus. Sanchez. *Speculum.* *Alij.* Gutierrez. Hurtado. *Contra* Coninc. Basilium. Perezium.

Absolutè tamen, si omittat denunciationes omnes mortale docet esse Sanchez *supra num.6.* Henriquez *lib.11. cap.7.* Rodriquez in summa *cap.217. num.2.* Nauarrus *cap.16. num.36.* Rebellus *loco citato* Gutierrez *de matrimon. cap.56. num.3.* Riccius in praxi *decis.257. num.2.* Coninc *disp.27. num.51.* Perez *supra num.6.* Quæ sententia mihi vera apparet, & probabile, quod vnam monitionem omittere, quando res est satis clara, non sit mortale. Quod autem omnes omittere sit mortale, non video quâ ratione possit negari, cùm earum omissio sit res grauis, & illæ præcipiantur tanquàm medium prudentissimè à Cõcilio necessarium, vel valde vtile reputatum in ordine ad præcauenda matrimonia irrita ob impedimenta dirimentia, & ad vitanda alia damna, quæ ex matrimonio occultè contracto sequi, aut timeri possent. De vna verò non possum negare esse reprehensione dignissimum Parochum omittentem, nec possum non videre Tridentinum non reliquisse in hac re arbitrium Parocho; sed Episcopo, nihilominùs, quando euidenter constat nullum esse impedimentum, non apparet magnum inconueniens, quantum ad periculum præcauendum. Absolutè tamen puto graue esse peccatum propter nõ seruatam vniformitatem, ad quod etiam attendi debet, alioquin, si sola euidentia, & certitudo quod nullum sit impedimentum satis est, vt non peccetur grauiter omittendo vnam, etiam non peccaretur omittendo omnes; quia ratio quę probat pro vnâ, probat pro omnibus nempe euidentia nullius periculi. Quod si recurras ad vnifotmitatem seruandam in re tam graui, hoc ipsum debet habere vim in vnâ, si omittatur. 214. *Si omnes omittat mortale docet.* Sanchez. Henriq. Rodriq. Nauarr. Rebellus. Gutierr. Riccius. Coninc. Perez. *Vera est hæc vltima sententia & probabilis præcedenti.* *Ratio.*

Dubitari potest 3. à quo sint faciendæ eiusmodi denunciationes? & quomodo? & in quo loco? 215. *Dubitatur 3. à quo vbi & quomodò fieri debeant.*

Hac

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

216. Sanchez. *Quid olim circa hoc & vbi Tridentinum non viget hodie.*

Hac de re latè disputat Sanchez *lib.3. disp.6.* olim quidem in Lateranensi Concilio, vt habetur *c.finali de clandestina desponsatione* statuebatur, vt declamationes fierent in Ecclesijs per Presbyteros competenti termino præfixo, eaque lex adhuc viget, vbi Tridentinum receptum non est; sed iam suppositio Decreto Tridentini loco citato, vbi receptum est, debent fieri à proprio Parocho, vt in ipso Decreto præcipitur tribus diebus festiuis continuis. Sufficiet autem, si fiant à Parocho per se, vel per alium, cui ipse committat, idque praxis declarat; neque obest, quod inter dies festiuos medient aliqui non festiui; imò id prodesse poterit fini intento à Concilio; facilius enim sic detegentur impedimenta. Neque etiam necessarium est, (quidquid alij dicant) attento præcisè iure Concilij Tridentini, quod inter dies festiuos sint aliqui feriales, ita, vt non sint tres dies continui. Quāuis enim continui sint, & sibi immediatè succedentes, satisfit Decreto Tridentini, in quo tantùm dicitur *tribus continuis diebus festiuis.*

Quid vbi viget Tridentinum.

217. *Nota pro locis in quibus aliquid speciale legitimè præcipitur circa interualla denuntiationum. Concilium Colonienſe & Moguntinum.*

Dixi *attento præcisè iure Tridentini*, quia si alicubi vel per constitutionem Synodalem, vel Concilij Nationalis, aut Prouincialis statutum fuerit, vt sit aliquod interuallum inter vnum & alterum diem festiuum, seruandum est, non quidem virtute Tridentini, sed virtute particularis Constitutionis, qualis facta fuit in Concilio Prouinciali Colonienſi sub Adolpho Archiepiscopo *cap.*32. & in Moguntino, sub Sebastiano *cap.*38. quæ habentur *in 5. tomo Conciliorum in penultima editione.* Quamuis autem tribus diebus immediatis fiant denunciationes, sufficiens tempus ordinariè iudicatum est à Tridentino quidquid dicat Sanchez *supra num.*8. & Perez *supra sect.2.nu.2.* vbi falsò allegat praxim, quamuis enim in locis vbi ipse fuit aut in auctoribus, quos legerit, sic habeatur in praxi, aliis in locis non curatur tale interuallum, de quo mihi etiam constat, tùm, quia fuit occasio de hac re in praxi iudicandi, tùm, quia sic intellexi sæpè à peritis & expertis Parochis, & aliis. Quando autem dicitur *tribus* continuis diebus festiuis, Solùm dicuntur à Tridentino continui, ne scilicet inter vnam, & aliam denunciationem alij dies festiui intercedant; ne fortè tam discontinuæ, & à se inuicem distantes fiant, vt Parochiani vel obliuiscantur, vel ob longum spatium desides reddantur ad impedimenta detegenda.

Sanchez. Perez.

Occurritur obiectioni ex verbis Tridentini.

Quando vna tantùm vice fit denuntiatio non debet statim matrimonium celebrari.

Quod si vna tantùm denunciatio facienda sit, reliquis per dispensationem omissis, non immediatè post illam factam celebrandum est matrimonium; sed dandum est aliquod tempus, vt possint opponi impedimenta, ne frustretur finis Concilij; imò ex ipsius verbis mihi videtur satis colligi; ait enim. *Quibus denunciationibus factis si nullum legitimum opponatur impedimētum ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur.* Supponit ergo Concilium ita procedendum esse ad celebrationem, vt potuerit priùs opponi impedimentum; non potuisset autem moraliter opponi; nisi aliquod tempus arbitrio prudentis sufficiens expectetur post vltimam, vel post vnicam denunciationem, quando vnica tantùm fit. Ita Sanchez supra cum Segura. Si verò vnus vel alter dies festus tantùm intercederet & discontinuaret prædictas denunciationes non putat Sanchez *lib.3.disp.5. num.*8. esse mortale, nec repugnat Perez *supra num.6. in fine.* Placet hoc, imò ex causâ nullum esset peccatū, vt si ex accidenti in proximo festo nullus esset accursus populi, & in sequenti speraretur fore. Neque enim contra legem operatur, qui sensui & intentioni legislatoris adhæret.

Nō videtur mortale quod vnus aut alter dies festus interponatur inter vnam & alteram denuntiationem. imò ex causa fieri potest.

De loco verò denunciationum communiter dici solet debere esse Ecclesiam propriam Parochi, in quâ est Parochia; dicitur enim in decreto faciendas esse à proprio Parocho contrahentium. Quod si contrahentes pertineant ad diuersas Parochias, in vtriusque Parochia fieri debent, nisi fortè tàm propinquæ sint, vt in alterutra factæ sufficiant ad impedimenta manifestanda. Illa autem censetur propria Parochia, vbi vnusquisque diutiùs versatus est, & principaliorem habet larem, & vero similius est, quod impedimenta sciantur, hic enim est finis denunciationum. Legatur Sanchez *supra num.6. & 7.* vbi cum aliis probat non opus esse fieri in Parochia, in quâ est moderna habitatio. Vnde, qui iam ad vnam Parochiam pertinet, in quâ non est sufficienter notus, denunciandus est in alia, in qua notus sit; puta vbi fuit parentum antiqua habitatio, quod declarârunt Cardinales teste Segurâ *2.p.Directorij iudicum c.16.n.19.*

218. *Quo loco deberant fieri*

Sanchez.

Declaratio Cardinalium. Segura.

Neque repugnat etiam Tridentino, si fiant denunciationes extra Ecclesiam in locis competentibus, vt quando est magna populi frequentia confluens ad audiendam concionem; imò & non improbabiliter docent posse fieri denunciationem in die non festiuo, si aliqua ex causâ magnus tunc fit concursus populi, vt, quia est dies Dedicationis, Titularis, aut Patroni illius Ecclesiæ, vel insignis aliquis concionator habiturus est concionem, ad quam multi confluunt. Legatur Sanchez: *num.*9. Quidquid reclamet Perez, neque enim ita materialiter accipienda est Ecclesia, vt nomine Ecclesiæ ad prædictum finem non veniat intelligendus tunc ille locus, in quo finis legis, & mens legislatoris plenè obtinetur, & impletur. quin vox *Ecclesia* etiam ad talem concursum iuxta notionem vocis potest extendi.

219. *Non repugnat Tridentino fieri extra Ecclesiam in locis competentibus. Quid si sit magnus accursus in die non festiuo?*

Sanchez. Perez.

Quamuis autem denunciationes faciendæ sint, antequàm matrimonium contrahatur, si tamen adsit prudens suspicio, aut timor quod matrimonium malitiosè impedietur, ex eodem decreto Tridentini constat vnam tantùm sufficere ante matrimonium; imò vt multi volunt, hæc etiam differri potest post matrimonium, si ex ipsa etiam idem periculum timeatur. In iis autem casibus denunciationes sunt faciendæ post contractum quidem, sed ante consummatum matrimonium, non tamen videtur improbabile, quod aliqui dicunt vnam scilicèt tantùm sufficere: idque declarasse Congregationem Cardinalium; quia ex vno capite pro eo casu Tridentinum contentum erat vnâ denuntiatione ante contractum matrimonij faciendâ, & ex alio capite vnâ denunciatione posteà factâ satisfit Tridentino dicenti: *ante consummationem fiant denunciationes:* quia numerus pluralis potest applicari omnibus matrimoniis sic celebratis, quamuis pro vnoquoque tantùm

220. *An aliquādo possint saltem aliquæ denuntiationes post hæc poni contractui ante confirmationem.*

fiat

fiat vnica? Licebit autē omnes omittere, si Ordinarius iudicet expedire, vt cōstat ex ipso decreto.

221. *Quæsita expedienda pro praxi.* Iam verò pro praxi nonnulla quæsita sigillatim decidenda sunt.

222. *Quæsitū 1.* Quæres primò an sit mortale matrimonium contractum ante præmissas denuntiationes consummare, illis non præmissis?

223. *Negant aliqui apud Sanchez.* Sanchez *lib.3.disp.11.num.2.* refert sententiam aliquorum existimantium non esse mortale, quando scilicèt Parochus & contrahentes adhibuerunt debitam diligentiam ad inuestigandum impedimentum, & moraliter sint certi, quod nullum subsit. Ita Bartholomæus de Ledesma, Petrus de Ledesma, Rodriquez apud Sanchez ibi & alij Recentiores. Præcipua ratio est, quia vsus matrimonij tunc solùm esset mortalis propter periculum, cui se exponunt; hoc tamen cessat suppositâ morali diligentiâ, & certitudine. Quod enim priùs inique fuerit contractū matrimonium, cū saltem validum fuerit, nō erit illicitus vsus coniugis accedentis ad suum verè coniugem, sicut ante Tridentinū iniquè contrahebatur clandestinè, sed validè. Post contractum tamen non erat illicitus vsus, saltē pro breui aliquo tempore, faciendâ posteà publicatione occulti illius matrimonij, vt docet Victoria, & alij apud Sanchez. Hæc sententia non mihi videtur improbabilis. Præsertim, si vera sit, vt est probabilis sententia Granadi *1.secundæ controu.2.Tract.3.p.1.disp.15.sect.2.* & aliorum, sicut cessante fine legis in vniuersum cessat lex totaliter, ita cessante fine adæquato legis in vno casu, cessabit obligatio pro illo casu: sicut enim se habet lex in vniuersali ad rationem acceptam in generali, ita lex in particulari ad rationem acceptam in casu speciali. Adde argumentum legis, *quæ de tota ff. de rei venditione* iuxta quam tenet argumentum de toto ad partem. Vlterius lex non solùm obligat omnes in generali, sed singulos in particulari, ergo, sicut deficiente fine respectu omnium soluuntur omnes ab obligatione, ita deficiente respectu vnius, ille soluetur ab obligatione. Legatur Diana *1.Par.Tract.10.Resolut.28.* sibi contrarius *Tract.8.Resol.75.* Legatur etiam Hurtadus Mendoza *secundâ secundæ tom.1.disp.74.sect.3.§.26.* qui doctè aduertit, quòd quando lex præter finem extrinsecum & remotum habet finem intrinsecum per se honestum independenter ab extrinseco, ita, vt secundum se sit actus virtutis, non cessat tunc lex in particulari cessante tunc solùm extrinseco; sed tantùm cessat, vbi nullus est finis intrinsecus, & lex non præcipit actum per se honestum. Sic non cessat lex ieiunij quæ condita est ad sedandos in homine motus turpes, etiamsi quis eos motus non patiatur, quia ieiunium independenter ab illo fine habet honestatem Temperantiæ. Hæc tota doctrina cum limitatione Mendozæ refertur ab eodem Diana *Part.5.Tract.14.Resol.96.* estque satis probabilis. Exemplum quidem ieiunij non satis mihi placet. Neque enim præcipitur solùm ad sedandos motus obortos; sed ad præcauendos, ne oriantur, qui finis semper manet, semper enim potest esse tale periculum. Adde alium finem, vt omnes in particulari se confirment cum communitate tanquàm membra cum corpore; decet enim, vt cæteris ieiunantibus in præcepto generali etiam hic aut ille in particulari ieiunet; nec dissonet à reliquis: quæ ratio in nostro casu denuntiationum matrimonij locum habet; decet enim vt ab omnibus seruetur quod pro bono communitatis constitutum est.

Barthol. Ledesma. Petrus Ledesma. Rodriq. *Alij.* *Ratio præcipua.* Victoria. *Non videtur improbabilis sententia.* *Ratio.* Granadus. Diana. Mendoza.

224. *Concluditur esse mortale consummare ante denuntiationes.* Sanchez. Nauarr. Riccius. Coninc. Reginald. Gutierr. Spino. *Ratio 1.*

Probabilior ergo sententia est, quę docet esse mortale. Ita Sanchez *supra num.3.* Nauarrus *c.22. num.38.* Riccius *decis.258.* Coninc *disp.27.nu.51. & 58.* Reginaldus *num.237.* Gutierrez *cap.57. n.2.* Spino *in speculo Testam. gloss.16.* Fundamentum est; quia ex præcepto Tridentini perinde tenentur post contractum matrimonium sine denuntiationibus illas præmittere ante consummationem; atque ante contractum illas præmittere, quando non est legitima causa non præmittendi: Sed non præmittere ante contractum matrimonium est peccatum mortale seclusâ dispensatione, & iustâ causâ, etiamsi alioquin sciatur non esse impedimentum: ergo non præmittere ante consummationem denuntiationes omissas ante contractum etiam erit peccatum mortale, seclusâ dispensatione, & iustâ causâ, etiamsi alioquin sciatur nullum esse impedimentum.

225. *Ratio 2. Sanchezij.*

Probat 2. Sanchez; quia matrimonium intrinsecè ordinatur ad copulam, & prohibetur ante denuntiationes, vt euitetur copula, nè fortè si impedimentum subsit, committatur fornicatio: ergo etiam à fortiori prohibetur ipsa consummatio propter idem periculum.

226. *Non omnino probatur eâ ratio.*

Hæc tamen ratio non omnino mihi probatur; quia solùm habet locum, quando non certò moraliter constat; nullum esse periculum latentis impedimenti, nam, si ex alio capite certò constaret nullum esse impedimentum, nullum esset periculum fornicationis.

227. *Generalis ratio potior.*

Ideò magis placet generalis ratio pro obligatione legis aut præcepti generaliter positi (de quo latius in Tract. de legibus) scilicet legem obligare; etiamsi in particulari cesset per accidens finis intentus à lege, vel damnum, aut periculum, ratione cuius euitandi condita lex est, sufficit enim quod actui prohibito per se, aut ordinariè, aut spectato hominum more possit esse periculum; etiamsi aliquando contingat non subesse, maximè, cùm deceat, & expediat omnes præstare, quod pro bono communitatis constitutum est; vt nuper dicebam, hoc autem contingit in nostro casu; nam sicut ideò præcipiuntur denuntiationes ante matrimonium nè attentetur contractus inualidus, & posteà sequatur copula fornicaria, Lexque obligat, etiamsi in casu particulari constet non esse periculum latentis impedimenti, vt eâ ratione seruetur vniformitas in communitate, ita similiter, quando omissæ sunt à principio denuntiationis, præcipiuntur posteà ante consummandum matrimonium, lexque obligat, etiamsi in casu particulari constet non esse periculum latentis impedimenti. Semper enim oportet membra conformari cum corpore, & ob bonum communitatis debent partes ab illa non dissonare.

228. *Ratio 3. ex dictis sumitur.* Sanchez.

Atque hac etiam ratione locum habet pœnitas, quam desumit Sanchez pro tertio argumēto nostrę sententię, ex obligatione, scilicèt, Parochi ad obligationem contrahentium, quia

Paro-

Parochus tenetur sub mortali curare, vt denuntiationes fiant ante consummationem, quãdo à principio factæ non sunt: ergo ipsi coniuges peccant mortaliter consummando, his non præmissis.

229. *Etiam ante Tridentinũ erat illicitũ tùm contrahere tùm contractum consummare ante denũtiationes. Ex dictis soluitur oppositæ sententiæ fundamentum.*

Tandem ex Caietano, Petro de Soto, Nauarro & Mathienzo probat Sanchez etiam ante Tridentinum fuisse illicitum, non solum matrimonium clandestinum, sed etiam illius vsum. Quod rectè probat etiam nunc esse peccatum vsum matrimonij ante præmissas denuntiationes. & ex dictis hucusque satis soluitur fundamentum oppositæ sententiæ, & constat semper reperiri finem boni communis in dicta conformitate, quando finis in vniuersum nõ cessat.

230. *Quæsitũ 2. do specie peccati prædicti.*

Quæres 2. quod peccatum sit prædictas denuntiationes antè, vel post omittere?

231. *Ratio dubitandi an sit reducẽdũ ad fornicationis peccatũ.*

Non quæro nunc; an sit mortale? de quo proximè diximus, sed contra quam virtutem? Quamuis non viderim aliquem in particulari id explicantem ex rationibus, quibus vsus est Sanchez, posset colligere quis esse contra virtutem Castitatis. Ideò enim *num. 3. in 2. argumento* requirit denuntiationes, vel dicit requisitas à Tridentino, vt euitetur periculum fornicationis; atque adeò ad hoc vitandum debent præmitti, illasque non præmittere videtur reduci ad peccatum fornicationis, atque adeò etiam aliquando ad peccatum incestus, si fortè quis omittens denuntiationes se exponat periculo fornicandi cum cognata, vel affine intra gradus prohibitos.

232. *Non habet id semper locum.*

Verùm hoc non videtur vniuersaliter locum habere in omni omissione denuntiationum: sed solùm quando tale periculum timetur; quando enim nullum tale est, non videtur habere locum prædicta doctrina; ad vitandum enim tale peccatum sufficit moralis certitudo, quod non sit tale periculum & tamen etiam in eo casu diximus esse illicitum denuntiationes non præmittere. Tunc ergo quærimus, contra quam virtutem?

233. *Resoluitur Quæsitum. Primo est contra reuerentiam Sacramenti.*

Omissis alijs, quæ latiùs fortasse possent in disputationem vocari, duo existimo: primum esse contra Reuerentiam debitam Sacramento matrimonij, & illi statui in Ecclesia ad bonum commune approbato, quatenùs, scilicet, Ecclesia iudicauit propter Reuerentiam prædictam non solùm prohibere matrimonia iniri, & consummari subsistentibus quibusdam impedimentis; sed etiam talem, ac tantam diligentiam adhibere ad id præcauendum, qualis, & quanta in præmittendis denuntiationibus continetur, quam semper præcipit adhibere, & non permittit omitti ante contractum matrimonium, vel tunc omissas, saltem præmitti vult ante cõsummationem, vt omnino præcaueatur periculum, nec liberat ab hac obligatione quenquam, (nisi accedente dispensatione legitimi superioris, de quâ posteà dicemus) etiamsi fortè in aliquo casu particulari cesset periculum, vt dictum est: expedit enim bono communi sic hanc legem inuiolabiliter seruare; etiam, quando nullum apparet periculum, vt hoc tutiùs, & securiùs pro omni casu vitetur. Non negauerim tamen, quod si prudenter timeri possit aliquod periculum, siue attentandi matrimonij inualidi, vt sæpè contingere potest non præmissis denuntiationibus ante contractum, siue habendi copulam fornicariam, aut incestam, si saltem non præmittantur ante consummationem, tunc posse peccare prædicto peccato fornicationis aut incestus, aut attentationis matrimonij inualidi omittendo denuntiationes.

Secundò in aliquibus casibus etiã potest esse contra castitatem aut periculum incestus, & attentandi inualidè.

234. *Quæsitũ 3. An sit peccatum omissionis, aut cõmissionis. Ratio dubitandi.*

Quæres adhuc tertiò; an prædictum peccatum omittendi denuntiationes sit peccatum omissionis, aut commissionis? Ratio dubitandi est; quia præmittere denuntiationes videtur præceptum affirmatiuum Ecclesiæ præcipientis illas facere, & in Parocho si illas omitteret, clarius videtur; omitteret enim opus, ad quod præstandum ex officio suo tenetur.

235. *Est peccatũ commissionis tàm pro Parocho quàm pro coniugibus.*

Nihilominùs absolutè puto esse peccatum commissionis contra præceptum negatiuum non contrahendi, & non assistendi matrimonio; nisi præmissis denuntiationibus, & pro coniugibus etiam esse præceptum negatiuum non consummandi, nisi præmissis denuntiationibus, quas priùs ante contractum omiserant, neque enim est præceptum aliquod, quod obliget denuntiationes facere, sed non contrahere matrimonium, nisi denuntiationibus præmissis.

236. *Explicatur amplius & occurritur difficultati quæ posset opponi.*

Contingere quidem potest, vt ex suppositione quis obligetur ad faciendas denuntiationes, vel curandas fieri; sed ex alio capite, quàm ex vi præcepti affirmatiui denuntiationum. Exempli causâ contractum iam est matrimonium omissis denuntiationibus, siue ex iustâ, siue ex iniustâ causâ, & restat adhuc obligatio non consummandi ante denuntiationes. Vrgent coniuges Parochum, & femina virum, vt, quia feminam non decet id procurare, ipse procuret, vel denuntiationes fieri, vel dispensationem obtinere: tunc Parochus tenetur facere, & vir etiam procurare; sed ex alio capite, quàm ex præcepto positiuo faciendi denuntiationes; nempe; quia vir tenetur ex iustitia consummare matrimonium, (vt supponimus nisi velit ingredi Religionem) non potest autem consummare, nisi præmissis denuntiationibus. Quod si non velit consummare, peccabit contra iustitiam non consummando; non tamen contra præceptum illud Ecclesiasticum, quod diximus esse negatiuum, scilicèt non consummandi, nisi præmissis denuntiationibus. Atque adeò tunc peccatum erit iuxta diuersas opiniones, siue commissionis auferendo vel retinendo corpus suum, quod debebat coniugi se copulando; siue omissionis non tradendo corpus, & reddendo debitum, quod debebat reddere ad eum modum, quo in materiâ de Restitutione aliqui dicunt præceptũ restitutionis esse negatiuum, scilicèt, non retinendi; atque adeò peccatum esse commissionis in retinendo: aliqui verò è contra præceptum dicunt esse affirmatiuum reddendi alteri, quod suum est, atque adeò peccatum cõmissionis, id non reddendo, de quo diximus ex instituto *in nostro Opere de Iustitia lib. 2. tract. 2. disp. 1. num. 49. & seqq. & num. 60. & seqq.* Si verò velit consummare & consummet non præmissis denuntiationibus, tunc non peccabit contra iustitiam; sed peccabit contra prædictum præceptum Ecclesiasticum, non consummandi ante præmissas denuntiationis,

&

& erit peccatum commissionis, vt explicatum est, non omissionis, quia præceptum directè & propriè non est de præmittendis denuntiationibus; sed de non consummando ipsis non præmissis.

237. *Explicatur doctrina vlterius pro Parocho ante contractum.*

Quod verò attinet ad Parochum, si loquamur de tempore ante contractum, & nolit facere denuntiationes, neque assistere per se, neque per alium matrimonio, duplici peccato iniustitiæ peccat; quia iuxta veriorem sententiam tenetur ex iustitia munera Parochialia exercere ouibus maximè petentibus, & requirentibus, & in hoc casu duo munera omittit, nempe denuntiare, & post denuntiationem assistere. Si verò assistat quidem, sed non denunciet, peccabit contra prædictum præceptum Ecclesiasticum; atque adeò contra Reuerentiam debitam Sacramento, statui & vinculo matrimoniali supra explicatam, & fortasse etiam contra iustitiam, si inuitis, & requirentibus coniugibus, denuntiationes non faciat, imò etiam fortasse peccato scandali, saltem generalis, quatenùs causa est, vt etiam oues peccent sine denuntiationibus contrahendo.

238. *Explicatur pro eodem post contractum sed ante consummationem.*

Si verò loquamur de denuntiationibus ante consummationem, sed post contractum. Parochus renuens denuntiationes præmittere in primis peccat omittendo id, quod ex iustitiâ præstare debet. Deinde, si videat, aut credat fore, vt coniuges videntes illius omissionem, non adhibitis alijs remedijs, quę possent, matrimonium sine denuntiationibus consumment, peccabit etiam peccato scandali, saltem generalis, dum causa est, quòd prædicti non seruent præceptum non consummandi sine denuntiationibus, & etiam ipse peccat per se contra præceptum curandi, vt coniuges etiam seruent Tridentini constitutionem, ad quod ipse Parochus ex officio suo tenetur monendo, & hortãdo subditos.

239. *Quæsitũ 4. An toties quoties peccent per copulam ante denuntiationem.*

Quæres adhuc 4. an qui consummat ante denuntiationes non solùm primâ vice mortaliter peccet, sed etiam toties, quoties habetur copula iis non præmissis?

240. *Prima sententia negat post primam vicem ampliùs peccari.* Henriq. *Simile. Ratio. Alij aliter probant. Simile.*

Henriquez *lib.11.de matrimonio c.16.num.1.* ait consummato matrimonio semel, teneri coniugem deinceps alteri coniugi petenti reddere, secluso scandalo, atque adeò sentit post primam vicem non ampliùs peccare, sicut, qui vouit Religionem peccat primâ vice reddens, non verò deinceps. Probat verò, quia semel contracto matrimonio habent coniuges plenam potestatem, & vsum corporis. Alij verò Recentiores teste Sanchez *disp.11.num.4.* qui eandem sententiam sequuntur, aliâ vtuntur ratione, nempe; quia iam hi violarunt Ecclesiæ præceptum, nec possunt resarcire; sicut, qui die ieiunij summo manè scienter comedit; non deinceps peccat comestionem multiplicans.

241. *Assertio toties quoties peccare.* Sanchez. Nauarrus. Rodriq. *Ratio.*

Asserendum tamen est in omnibus copulis subsequentibus peccare mortaliter. Ita Sanchez *supra numer.5.* Nauarrus *in summâ Latinâ cap. 22. num.38.* Rodriquez *1.tomo Summæ cap.222. num.1. in fine.* Ratio est; quia nulla est inter primam, & secundam, & reliquas disparitas; sicut enim in primâ copulâ, vel imminet fornicationis periculum non adhibitâ diligentiâ præscriptâ ab Ecclesiâ, vel, si (vt dicebamus) moraliter certò constet aliunde nullum esse impedimentum, saltem contrauenitur præcepto Ecclesiæ, & reuerentiæ, & cautelæ, quam ipsa iussit adhiberi præcepto suo generali pro omnibus casibus, vt explicatum est: ita similiter in secundâ, & reliquis copulis adest, vel idem periculum fornicationis, vel eadem irreuerentia, cautelæq; defectus cõtra præceptum Ecclesiæ. Neque exempla in contrarium allata vllam habent similitudinẽ. Nam exemplum de vouente Religionem verum quidem est, sed longè dissimile, quia suppositâ primâ copulâ redditur vouens consummato matrimonio impotens ad implendum votum Religionis, cùm tamen eius implendi potens esset, ante consummatum per primam copulam. Ideò iam omnino subsistit plenus & consummatus matrimonij contractus, atque adeò reddere tenetur. In nostro autem casu adhuc potest impleri præceptum Ecclesiæ abstinendo à copulâ sequenti, & reliquis, donec fiant denuntiationes, neque interim tenetur reddere contra prohibitionem Ecclesiæ.

Exempla allata non sunt similia. Primum reiicitur.

242. *Reiicitur secundum exemplum quod vel nõ est verum, vel non ad rem.*

Exemplum verò ieiunij verum non est, si præcisè ratione agamus, quidquid Sanchez, & alij dicant, nunquàm enim satisfaciunt argumento sumpto ex naturâ præcepti negatiui (quale esse præceptum ieiunij efficaciter probatur,) contra quod toties peccatur, quoties actus prohibitus sit, præceptum autem ieiunij est non comedere, nisi semel, id est semel licere, vlteriùs non licere. Fingere autem præceptum Ecclesiæ, vt ipso tantùm dicatur *semel poteris comedere; non verò secundò. Quod si secundò comedas, & pecces, posteà iam non obligaris ad abstinendum*; semper mihi apparuit mera excogitatio oppositæ sententiæ ad eludendam efficacissimam vim argumenti sumpti ex præcepto negatiuo & videtur petitio principij. Sed de hoc alibi latiùs dicemus. Quidquid autem sit de hoc; adhuc pro nostro casu non est eadem ratio, quia ieiunium, vt prædicti Auctores volunt, semel fractum non potest ampliùs seruari; quia tota illius substantia destructa est, per secundam comestionem; quantumuis enim abstineat deinceps, non seruat illam formam ieiunij Ecclesiastici, quod non patitur diuisionem. In nostro autem casu tota ratio præcepti prohibentis primam copulam ante præmissam denuntionem subsistit etiam pro secundâ, & reliquis, in quibus eodem modo subesse potest, vel fornicationis, aut incestus periculum, vel saltem illa irreuerentia, quam diximus.

243. *Quæsitũ 5. de neutrum volentibus, denuntiare aut consummare.*

Quæres 5. quid dicendum quando coniuges nec denuntiationes facere, nec matrimonium consummare volunt?

244. *Sententia quorumdã.* Sanchez. Nauarr. Lopez. Rodriq.

Respondet Sanchez *supra num.6.* cum Nauarro *cap.16.num.38.* & Ludouico Lopez *1.part. instruct.cap.87.* Rodriquez *c.222.concluf.2.* lethaliter peccare, si alter coniux publicari petat, vel sit inconuenientiæ periculũ, & nulla iusta causa differendi, aliâs no peccare mortaliter differendo per breue tempus; nisi ex eâ occultatione sequerentur damna, & probabiliter timeantur, quæ

quæ ex matrimonio clandestino solita sunt sequi.

245. *Admittenda sed non ita restricta ea sententia. Ratio.* Hanc sententiam facilè admiserim; sed non ita restrictam; Nam, si non sequuntur, aut non timentur prædicta, aut similia damna non solùm per breue tempus, nec solùm non mortaliter sed, nec per totam vitam, nec venialiter peccabunt. In nullo enim apparet ratio peccati; præceptum enim præmittendi denuntiationes non est absolutum, sed ante consummationem, vel potiùs non est faciendi illas denuntiationes; sed non consummandi, nisi iis præmissis. Si ergo decreuerunt nunquam consummare; neque est aliquod aliud periculum, non est vnde etiam subveniali obligentur, maximè, si aliquod inde damnum timeant propalandi scilicèt delicti commissi contrahendo matrimonium denuntiationibus non præmissis.

DVBITATIO XXVI.

Quis possit dispensare, vt denuntiationes non præponantur, vel etiam omittantur?

246. *Parochus non potest. Ratio.* CErtum est Parochum non posse dispensare; quia neque est Ordinarius, neque habet, vt suppono facultatem ordinariam, nec delegatam; facultas autem dispensandi conceditur Ordinario in Tridentino. Nomine autem Ordinarij intelligitur Episcopus extra omnem controuersiam.

247. *An nomine Ordinarij potentis dispensare intelligatur Vicarius seu Prouisor Episcopi.* Dubitari autem potest primò an nomine Ordinarij intelligatur Prouisor, seu Vicarius Generalis ex vi sui officij absque superadditâ speciali commissione? Quâ de re in simili diximus *dub.* 11. agentes de iis, qui habent potestatem & concedendi licentiam & assistendi matrimonio.

248. *Aliqui negant.* Henriq. Basilius. Anton. Gomez. *Alij.* In præsenti casu nonnulli negant Vicarium, seu Prouisorem comprehendi. Ita Henriquez *lib.* 11. *cap.* 5. Basilius *lib.* 5. *c.* 3. Antonius Gomez *in Bullam Cruciatam c.* 4. *q.* 4. & alij apud Sanchez *lib.* 3. *disp.* 7. *num.* 9.

249. *Assertio affirmans.* Sanchez. Coninc. Riccius. Gutierrez. perez. *Alij.* Asserendum nihilominùs est nomine Ordinarij intelligi prædictos Vicarios, seu Prouisores. Ita Sanchez ibi *num.* 10. Coninc *disput.* 27. *dub.* 6. Riccius *decis.* 259. Gutierrez *c.* 56. *num.* 12. Perez *disp.* 2. *section.* 3. *num.* 4. & alij apud citatos. Ratio est, quia vt loco citato diximus, etiam Vicarius est Ordinarius, & idem tribunal cum Episcopo constituit, censenturque, quasi vna persona. Vnde licèt concedamus duo, quæ aduersarij obiiciunt: primum id, quod refertur in declaratione Congregationis Cardinalium apud Rebellus *q.* 7. *num.* 22. Pontificem, scilicèt, declarâsse nomine Ordinarij intelligi Episcopum: Secundum: quod in Generali commissione Vicariatus non claudatur potestas dispensandi, adhuc in nostro casu concedendum est posse dispensare; quia licèt Pontifex dixerit nomine Ordinarij intelligi Episcopum; non excludendus est Vicarius, quia censetur vna persona, & tribunal cum ipso. Et quamuis in eius commissione generali non includatur potestas dispensandi (de quo nunc non disputo) tamen satis est, quòd Concilium Ordinario commiserit hanc facultatem dispensandi, & quòd nomine Ordinarij intelligatur Vicarius iuxta *c. Romana de Appellat. in* 6.

Occurritur obiectis quibusdam in contrarium. Rebellus.

Idem quoque dicendum est de omnibus habentibus potestatem seu Iurisdictionem Episcopalem nulli diœcesano subiectis, quidquid reclamet Basilius, vt rectè docent Sanchez, Henriq. Coninc Perez, & alij multi citati, & apud citatos. Vnde rectè infert Sanchez Vicarios Ordinis D. Ioannis, maximè, quales sunt in Hispaniâ posse dispensare in his denuntiationibus, quia sunt Ordinarij Ecclesiarum subiectarum suis Vicariatibus. Vide dicta *dub.* 11.

250. *Alij quoque habentes iurisdictionem Episcopalem nulli diœcesano subiecti.* Sanchez. Henriq. Perez. Coninc. *Alij multi contra* Basilium.

Sed quod diximus de Vicario intelligendum est, vt Sanchez vult *num.* 13. cum Gutierrez *lib.* 1. *q. q. Canonicar. cap.* 19. *num.* 15. nisi Episcopus sibi reseruauerit. Quod quamuis verum putem propter praxim sic declarantem, audio enim, quod in aliquibus diœcesibus sibi reseruauerint Episcopi, & propter Doctorum auctoritatem, & non improbabilem rationem, quâ vtitur Sanchez scilicet, quòd sicut Episcopus potest reseruare totum officium; potest & partem: tamen, si præcisè ratione agamus, difficultate non caret hæc doctrina iuxta ea, quæ diximus suprà *dub.* 12. agentes de Parocho delegato, & de Parocho amobili ad nutum Episcopi in ordine ad assistendum matrimonio, & conferendam facultatem ad assistendum, & quæ *dub.* 13. diximus posse scilicèt validè dare eam facultatem, vel assistere per se, neque eam potestatem limitari posse à Superiore, saltem, quantùm ad valorem, quia eo ipso, quòd ille Parochus est, habet potestatem sibi concessam à Tridentino, atque adeò non poterit ab aliquo superiore minore restringi, ita, vt licèt sit in potestate delegantis illum Parochum non proprietarium, vel adnutum amobilem ab officio amouere, si tamen illum in officio retineat, non possit Episcopus facere, quòd sit Parochus, & eius assistentia, vel Licentiâ ad assistendum non valeat; quia hanc à Tridentino accipit eo ipso, quòd Parochus est. Sic ergo in nostro casu, licèt sit in potestate Episcopi non dare Officium Vicarij alicui; si tamen illi dat officium Vicarij Generalis, ita, vt absolutè censeatur, & sit Vicarius, atque adeò Ordinarius, tanquàm vna persona, & Tribunal cum Episcopo; non videtur posse impedire facultatem, quam Vicarius tanquàm Ordinarius accepit eo ipso, quod Ordinarius est, datam non directè & immediatè ab Episcopo; sed à Tridentino, supposito, quòd sit constitutus Ordinarius. Neque est eadem ratio de potestate, quam accepit ab Episcopo; illam enim, sicuti totam, vt à se collatam directè potest auferre: ita illius partem auferre poterit. Hanc verò de quâ agimus, sicuti non ab Episcopo, sed à Concilio confertur, supposito, quòd sit Ordinarius, non poterit ergo ab Episcopo tolli, aut minui directè, relinquendo illum in statu Ordinarij solumque indirectè poterit deponendo ab Officio, vel (quod idem est) ita restringendo Officium, vt meritò non censeatur Vicarius Generalis; sed foraneus aut instar foranei.

251. *Quid si Episcopus sibi reseruet? Posse putant reseruare.* Sanchez. Gutierrez. *Admittitur propter praxim & probabilem aliquam rationem. Si præcisè agamus ratione non caret id difficultate. Ratio.*

De

252. *De quibus Vicarius intelligenda sit ea doctrina quam asserunt.* Sanchez. Gutierr. Rodriq. Veracruz.

De his ergo foraneis, & non designatis ad vniuersalitatem causarum, mihi placet, quod ipse Sanchez docet *nu.*2.cum Gutierrez & Rodriq. non habere hanc facultatem absque speciali commissione, quia non Ordinarij, sed ad speciales causas delegati sunt. Ita Veracruz in *Appendice ad speculum dub.*1.*in fine.*

253. *An Episcopi & habentes Episcopalem Iurisdictionẽ possint delegare facultatem dispensandi in denuntiationibus. Negant aliqui etiam Vicario Generali.* Menoch. Zephalus.

Vtrùm autem Episcopi, vel habentes iurisdictionem Episcopalem possint, delegare facultatem in eis denuntiationibus dispensandi? non consentiunt Auctores. Multi negant posse delegare, etiam Vicario Generali, de quo tamen iam diximus. Huius sententiæ Auctores refert Sanchez *suprà num.*18. inter quos Menochius *de arbitrariis* plures alios referens *lib.*1. 54. *nu.*11. & 12. & *quæst.*68.*num.*15.& expressè *consil.*69. *à num.*55.*volumine primo* , & Zephalus *cons.*421. *à num.*72.*volumine* 3.

254. *Assertio affirmans, tã in casu particulari, quã generaliter., Ratio.*

Affero nihilominùs Episcopum non solùm in particulari casu , sed etiam Generaliter posse hanc facultatem dispensandi delegari. Ratio est , quia iure ordinario competit Episcopo; conceditur enim à Tridentino *sess.*24. *cap. illo* 1. indistinctè omnibus Ordinariis in perpetuum. Congruitque hæc doctrina cum eâ, quam tradimus agentes de Censuris *Tract.*10.*disp.*3.*dub.*3. & 4. *per varias sectiones* maximè *sect.*4. vbi per occasionem habito respectu ad dictam *dub.*3. explicamus potestatem iure communi competentem dignitati Episcopali censeri ordinariam, atq; adeò posse delegari, neq; in tali casu eligitur industria personæ alicuius in particulari cognitæ , determinatæ , & nominatæ. Legantur, quæ ibi dicimus, & Sanchez suprà *num.*20. vbi plures alios refert pro hac sententiâ, quam etiam sequitur Coninc *suprà* Reginaldus *lib.*31. *num.*235. Ceballos, Lopez & alij apud Gutierrez *c.*56.*n.*13. Perez *suprà*.

255. *Etiam Vicarius Episcopi potest eam potestatem delegare.* Sanchez. Perez.

Rectè etiam addit Sanchez & Perez ipsum quoque Vicarium Episcopi posse hanc facultatem dispensandi in denuntiationibus delegare; quia iuxta dicta est Ordinarius, & quamuis non posset alium Vicarium instituere, vt cõstat, ex *c.de Officio Vicarij* , at potest vnam, vel plures causas delegare vt docet *Gloss. c.*1.*eodem tit.in* 6.& multi apud Sanchez.

256. *An alterutrius Episcopus possit cũ vtroque contrahente in hac re dispensare? Basilius dubitat.*

Dubitari potest secundò an Episcopus alterutrius contrahentis possit cum vtroque dispensare in denuntiationibus, quando sunt diuersæ diœceses. Basil.*lib.*5.*cap.*31. dubitat ob speciales difficultates, quę esse possunt, in vna diœcesi, quæ non sint in alia.

257. *Potest dispensare.* Sanchez. Bonacina. Gutierrez. Reginald. Coninc. Perez. *Ratio à paritate.*

Respondeo nihilominùs posse. Ita Sanchez *disp.*7.*nu.*7. Bonacina *quæst.*2. *puncto* 6. Gutierrez *de matrimonio cap.* 46. *numer.* 10. Reginaldus *lib.*31.*num.*232. Coninc *disp.*27. *dub.*6.*num.*54. Perez *num.*12. qui probant à paritate, quia, sicuti alter Episcopus potest illos copulare matrimonio iuxta dicta *dub.*8. etiam poterit cum vtroque dispensare in denuntiationibus, tanquàm quid annexum, quod sequitur naturam alterius, cui annexum est. Nam eo ipso, quod dispensat cum suo subdito, censetur consequenter dispensare cum alio, quia denuntiationes & dispensatio illa ordinantur ad matrimonium, quod indiuiduum est, & respiciens duplex extremum. Hâc ratione probabili vtitur Sanchez, sed præcipuam rationem puto desumi ex ipso Trident. Decreto sæpè citato, vbi id totum relinquit prudentiæ & iudicio Ordinarii. Cui decreto satisfit, etiãsi hoc iudicium & prudentiam interponat alterutrius contrahentis Ordinarius tantùm. Accedit quòd (vt rectè notat Perez) alter cõtrahens ratione connexionis matrimonij est subditus, etiam Ordinarij alterius. Causa enim matrimonialis ratione duplicis extremi coniuncti est indiuisibilis, specialibus verò difficultatibus alterius diœcesis facilè potest occurri per Ordinarium dispensantem præmittendo diligentiam, quam dictet prudentia.

Ratio. *Confirmatur.* Perez.

258. *Bonacina restringit præcedentem doctrinam. Probat.*

Bonacina verò putat hanc doctrinam restringendam ad Episcopum, in cuius diœcesi celebrandum est matrimonium, illum verò in cuius diœcesi non est celebrandum, posse tantummodò dispensare cũ sibi subdito. Probat tùm, quia Episcopus, in cuius diœcesi non est celebrandum, nullam habet iurisdictionem directam, aut indirectam erga subditum alterius Episcopi, in cuius diœcesi celebrandum est matrimonium : tùm quia in tantùm potest dispensare , in denuntiationibus cum vtroque contrahente, in quantum ipse , vel alius loco ipsius debet assistere matrimonio sui subditi. Cùm autem in proposito casu ipse non assistat , nec alius ab ipso delegatus , aut sibi subditus eam assistentiam præstiturus sit, vt supponimus , sequitur Episcopum diœcesis , in quâ non est celebrandum matrimonium non posse cum vtroque contrahente in hoc dispensare.

259. *Probabilius est non requiri eam restrictionẽ. Ratio.*

Probabilius nihilominùs est posse ; quia etiam eo modo satisfit decreto Tridentini, quâ ratione etiam *dub.* 8. diximus posse alterutrius Parochum validè assistere matrimonio vtriusque , etiamsi fiat in diœcesi alterius, cuius non est Parochus.

260. *Respondetur fundamento contrario.*

Nec fundamentum Bonacinæ aliquid probat , & magna ex parte ex dictis ad Basilium corruit ; negandum enim est illum qualem qualem modum iurisdictionis non posse indirectè se extendere erga subditum alterius eo ipso quod debet cum suo subdito contrahere , cùm Tridentinum absolutè Ordinarij prudentiæ , & iudicio reliquerit , & hic verè sit Ordinarius pro tali matrimonio celebrando , & causa sit vnica indiuisibiliter concernens duo extrema.

261. *Reijcitur adhuc fundamentum.*

Negandum præterea est, ideò solùm posse dispensare in tali matrimonio , quia ipse, vel delegatus, aut subditus ipsius debebat assistere ; quamuis enim non assistat, nec teneatur , vel nolit assistere , satis est, quòd possit assistere, tanquàm Ordinarius, vt eo ipso habeat potestatem dispensandi, quam Concilium Ordinario commisit ; neque hoc modo confunduntur Iurisdictiones , vt Bonacina contendit ; sed alteruter Ordinarius potest , vel etiam vterque simul , si velit , vel alterutro negante sufficiet alter , in quo nullum est inconueniens ; sæpè enim sunt plures , qui vnam & eandem dispensationem possint dare modo prædicto.

Occurritur obiectioni.

262. *An Parochus possit omittere in casu urgente denuntiationes posteà faciendas. Potest iuxta dicta supra. Contrarium putat immerito Perez. Ratio ex Tridentino.*

Vtrum autem Parochus possit dispensare, seu potiùs dicam omittere denuntiationes etiam vnicam, quando est prudens suspicio, quòd matrimonium malitiosè impediatur? significauimus in præcedentibus posse, etiamsi non adsit facultas Ordinarii, neque enim id reseruatur Ordinario in eo Textu Tridentini (quidquid Perez *suprà n.*14. reclamet;) nam vt legenti constabit, antequàm arbitrium Ordinarii requireret (quod solùm requisiuit, vt omnino omitterentur denuntiationes) loquens solùm de Parocho præmissuro denuntiationes dixit. *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, &c.* subiungit *tunc vel vna tantùm denuntiatio fiat, vel saltem Paracho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur*, &c. Vbi aduerto in quibusdam libellis Coloniæ impressis gryphicis characteribus loco illius particulæ *vel* dum dicitur *vel saltem Parocho*, &c. haberi particulam *vt* atque adeò tolli eam partem disiunctiuæ orationis; in correctis tamen exemplaribus in folio præsertim in Romanâ editione Apostolicæ Typographiæ Pauli V. auctoritate facta anno 1612. haberi particulam *vel* vt sensus sit disiunctiuus, ita, vt vnũ, aut aliud fiat, nempe, vel vnam præmittere denuntiationem ante contractum, si ea suspicio sit; vel si neque hęc præmittatur, *saltem duobus vel tribus testibus præsentibus, &c.* in quo nulla fit mentio Ordinarii; neque tollitur facultas, vt tũc non possit omitti etiam vnica illa. Vide quæ diximus *num.*282. Tunc autem (vt etiam suprà diximus) denuntiationes debent præmitti ante consummatum matrimonium; vt autem omnino omittantur, non potest Parochus dispensare; sed solùm Ordinarius, quia in dicto *c.* Tridentini vbi mentio fit de omittendis omnino denuntiationibus, nulla fit mentio Parochi; sed tantùm Ordinarii (quidquid in contrarium sentiat Veracruz *in Appendice ad Speculum dub.*1. & *Candelabrum aureum* 1.*p. de matrimonio n.*243.) ita nobiscum sentiunt, Sanch. Henriq. Coninc, & Basilius supra cum aliis citatis.

Non potest Parochus dispensare vt omnino omittantur, etiam post contractum. Contra Veracruz & Candelabrũ aureum. Nobiscum sentit. Sanchez. Henriq. Coninc. Basilius. *Alij citati.*

DVBITATIO XXVII.

An? & quæ causæ requirantur, vt superior, possit, aut debeat in præmittendis denũtiationibus dispensare? & an semper sit necessario dispensatio?

263. *Certum* 1. *Necessaria est causa iusta & rationabilis. Communis sententia ex Tridentino ratione pręcita.*

CErtùm primò sit, vt omnes consentiunt necessariam esse causam iustã, & rationabilẽ, vt ordinarius possit dispensare. Nam in Tridẽtino *sess.*24. *sæpe citat. c.*1. committitur prudentiæ Ordinarij id facere, quando expedire iudicauerit. Quando verò non est causa aliqua rationabilis, non expedit, quia dispẽsatio est ruptio iuris cõmunis, quę absq; rationabili causa nõ expedit.

264. *Certum* 2. *Suspicio prudens periculi est sufficiens causa non præmittendi sed non omnino omittendi posteà.*

Certũ 2. sit suspicionẽ prudentem, quod matrimonium iustè impedietur, si præmittantur denuntiationes esse sufficientẽ causam ad dispensandum, vt non præmittantur; non verò vt omittantur, sed ita, vt fiant ante consummationem matrimonij, vel omnes tres tunc omitti poterunt faciendæ post contractum, si propter vnam etiam solam timeatur idem periculum iuxta dicta duabus dubitationibus præcedentibus, imò, si propriè loquamur, hæc causa, non tantùm censetur sufficiens ad dispensationem, quàm sufficiens, vt absque dispensatione fiat contractus illis non præmissis, id enim satis significatur in Tridentino, vt docet Basilius *c.*32. id quod maximè verum puto pro duabus omittendis, nam antequam vlla mentio fiat dispensationis faciendæ ab Ordinario præmisit Tridentinum. *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes: tunc, vel vna tantùm denuntiatio fiat.* Probabile tamen est, vt ibidem diximus etiam illam vnicam posse differri post contractum ante consummationem tamen.

Tunc non tam propriè est dispensatio quàm causa omittendi. Probatur ex Tridentino. Basilius.

265. *Certum* 3. *Posse esse iustã causam etiam posse contractum omittendi.*

Certum 3 sit etiam post contractum matrimonium posse reperiri iustas causas remittendi omnino denuntiationes; id enim supponit Tridentinum, dum etiam post contractum matrimonium ait: nisi *Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt* prædictæ denuntiationes remittãtur.

266. *Status præsentis quæstionis. Etiam iniquè non præmissas potest esse causa omittendi posteà. Contra* Zephalum. Sanchez. Coninc. Basilius. *Communis sententia. Ratio.*

Quærimus ergo causas sufficientes, siue, vt nõ præmittantur siue, vt omittantur, etiam, quando omissæ non sunt ob dictam suspicionem. Nam quòd iniquè fuerint omissæ ante contractũ, nõ tollit, quin possit occurrere causa illas omnino omittendi, etiam ante consummationem, vt cõtra Zephalum *cons.*421. docent Sanchez *lib.*3. *disp.*9. Coninc *disp.*27. *dub.*6. Basilius *cap.*32. estque communis sententia; quamuis enim Tridentinum expresè tantùm concesserit Ordinario, quod dispenset, vt non fiant post matrimonium, quando ante illud omissæ sunt ob prædictam suspicionem; nihilominùs eo ipso per rationi consentaneam interpretationem intelligitur concessum dispensare, ne fiant, etiam quando ante matrimonium fuerunt omissæ ob alias causas; sicut, quòd etiam ob alias causas dispenset, vt omittantur ante matrimonium, & postponantur; imò ad hoc vltimum, vt suprà dicebamus, non est necessaria dispensatio propriè dicta. Quare cum Concilium iuxta communem sententiam dispensandi facultatem concesserit, pro alijs occasionibus, in quibus propriè dispensatio sit, intelligi debet; & cum hac amplitudine accipiendam esse potestatem dispensandi, ipsa praxis, consuetudoque declarat, imò & Cardinalium etiam Congregatio, vt referunt Auctores citati.

Cardinal. Congreg.

267. *Distinguendum inter causas sufficientes ad dispensandũ ne præmittantur & vt omnino omittantur.*

Sed, vt aliquid in particulari dicamus distinguere oportet inter causas sufficientes ad dispensandum, vt differantur post matrimonium, & sufficientes ad dispensandum, vt omnino omittantur, & sigillatim præcipuas enumerabimus.

268. *Prima causa differendi iam dicta ex parte.*

Prima causa differendi post matrimonium est iam dicta scilicet timor, quod malitiosè impedietur. Et quamuis ad hoc dixerimus, non requiri dispensationem, hoc tamen intelligendum est, quando satis constat timorem illum esse prudentem, & sufficientem. Quia tamen aliquando non est res ita clara, quin subsit scrupulus, aut metus aliquis de sufficientiâ illius timoris; tunc prodesse poterit Superioris dispensatio, præsertim, ne se quis exponat eiusmodi periculo.

Secunda

269. *Secunda causa ponendi notabilis iactura, si præmittantur.*

Secunda causa postponendi denuntiationes est, quando non possunt præmitti absque periculo notabilis iacturæ animæ, aut rei temporalis, vt in corpore, famâ, vel bonis fortunæ, vel absque impedimento operis misericordiæ magni momenti. Quapropter, si quis debeat discedere statim valdè procul, & opus sit priùs contrahere matrimonium, vt proles legitimetur; item, si duo concubinarij volunt matrimonium contrahere, timeturque periculum fornicationis, dum fiunt denuntiationes; nisi statim matrimonio copulentur. item, si vir in articulo mortis constitutus velit concubinam ducere siue, vt legitimet filios ex eâ susceptos, siue, vt honori feminę consulat, & famæ, etiamsi non extent filij, sitque periculum in morâ: in his omnibus casibus poterit Episcopus dispensare. Et consentiunt communiter Doctores, inter quos Perez *disput.* 43. *sect.* 4. *num.* 8.

Consentiunt in prædictis communiter Doctores. Perez.

270. *Tertia causa differendi post contractum, non posse nuptias benedici si præmittantur.*

Tertia causa dispensandi vt differatur post contractum, est, quando, si præmittantur denuntiationes, non poterunt benedici nuptiæ, quia iam propè instar tempus, in quo nuptiarum benedictio prohibeatur, expeditque benedictionem præmitti ante consummationem, ad idque hortatur Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. multique putant hoc esse præceptum. Expectare autem vt matrimonium contrahatur post totum illud tempus, vel permittere, vt consummetur ante benedictionem, non videtur expedire; fieri enim potest, vt matrimonium posteà vel non fiat, vel sit periculum fornicationis, vel, si factum fuit, consummetur ante benedictiones. Quod totum euitandum est. Ita Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 16. *num.* 2. Bartholomæus de Ledesma, Salzedo, Segura, Rodriquez apud Sanchez, Perez *disput.* 43. *sect.* 4 *num.* 9. *& seqq.* & refertur decisio Cardinalium circa hoc. Aliæ causæ huius dilationis ad prædictas possunt reuocari. Veniamus nunc ad causas dispensandi, vt omnino remittantur.

Hentiq. Barthol. Ledesma. Salzedo. Segura. Rodriq. Perez. *Cardinaliũ decisio.*

271. *Prima causa dispensãdi vt omnino omittantur. Pudor contrahentiũ.* Sanchez. *Cum multis* Perez.

Prima causa dispensandi, vt omnino omittantur, est quando non possunt fieri absque pudore nimio contrahentium, vt contingit, quando valdè senes contrahunt, aut valdè senex cum valdè iuuene, aut valdè nobilis cũ valdè ignobili. Ita Sãchez cum multis *disp. illâ* 9. *n.* 3. *&* 4. & post alios Perez *supra n.* 3. *& seqq.*

272. *Secunda causa eiusdẽ dispensationis. Infamia cõtrahentium vitanda.* Sanchez. *Cum aliis* Perez.

Secunda causa est, quando non possunt fieri absque infamiâ contrahentium, vt quando sunt in concubinatu, publicè tamen communiter putantur coniugati, vt cum alijs contra Seguram docet Sanchez *suprà num.* 5. Perez *suprà* & alij communiter.

273. *Tertia causa eiusdem dispensationis, si cõtrahentes sint Principes, Magnates, &c.*

Tertia causa, quando contrahentes sunt aliqui Principes aut Magnates, & non repentè & occultè contrahunt; tunc enim absque denuntiationibus facilè constant impedimenta, si quæ sunt. Ita ijdem citati.

274. *Inde à simili in alijs si notum sit an sit vel non impedimentum.* Sanchez.

Hinc est, vt si etiam in aliis contingat satis notum & moraliter certum esse nullum reperiri impedimentum, sufficiens sit causa dispensandi. Ita Sanchez *num.* 6. *&* 7. Perez supra & alii multi. Adde Riccium *decis.* 258. Gutierrez *cap.* 37. *num* 34. *&* 5. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 235. Coninc *disp.* 27. *n.* 57. Menoch. *cons.* 69. *nu.* 7. Henriq. *lib.* 11. *c.* 16. Nauarrus verò *c.* 22. in alijs conueniens in hoc tamen vltimo casu dissentit. Perez. Riccius. Gutierr. Reginald. Coninc. Menoch. Henriq. Nauarrus.

Quarta causa est, quando matrimonium priùs publicè contractum posteà constat esse nullum ob impedimentum occultum; quamuis impedimentũ posteà publicè constet. Quę causa vt rectè Sanch. *sup. n.* 9. ab omnibus admittitur ad vitandũ scãdalũ. Idq; à fortiori dicendum est retentâ opinione, quam secuti sumus *disp.* 2. *dub.* 11. nempe non esse necessariam præsentiam Parochi, & testium, quando reualidatur matrimonium nullum ob impedimentum occultum, & priùs coram Parocho & testibus celebratum. Hoc etiam habet locum in præsenti. Nam, sicut ibi præsentia Parochi, & testium, quæ priùs fuit, sufficit, vt satis constet Ecclesiæ de matrimonio inito: potiori ratione denuntiationes factæ priùs, quando matrimonium fuit inualidum, valebunt. Vnde, si propriè loquamur non puto esse dispẽsationem; sed tunc satis impleri præceptum Tridentini per priores denũtiationes, nam illæ factæ fuerunt pro matrimonio verè contrahendo. Quòd autem non fuerit verum & validum in primo illo actu contrahendi; sed posteà, quando sublato impedimento verè fit matrimonium, nihil refert, quo minùs illæ denũtiationes seruiãt pro vero matrimonio.

275. *Quarta causa si priùs publicè contractum posteà deprehenditur nullum. Colligitur ex alibi dictis.*

Non videtur propriè dispensatio in eo casu.

Tandem vltima causa non solùm pro dispẽsatione differendi post contractum; sed omnino etiam remittendi est quæcunque notabilis cõmoditas contrahentium, siue spiritualis siue temporalis. Ex quo principio plures alij casus deciduntur, qui videri possunt apud Sanchez *disp.* 9. citatâ, vt sunt vitanda damna, siue scandali, siue vitæ siue honoris, & famæ, quæ facilè possunt reuocari ad causas numeratas. Legatur etiam Perez totâ illâ *sect.* 43.

276. *Vltima causa est notabilis commoditas spiritualis aut temporalis. Ex hac plures casus deciduntur.* Sanchez. Perez.

Quod attinet ad obligationẽ superioris dispensandi in prædictis casibus non consentiunt Auctores, an semper vel quando teneatur superior dispensare eo ipso, quòd sufficiat causa?

277. *De obligatione Superioris dispẽsandi in dictis casibus. Affirmans sententia.* Sylueſt. Rosel. Arm. l. *Alij apud* Sanchez. *Non placet sententia. Ratio.*

Sylueſt. verbo *dispensatio quæst.* 1. Rosel. *ibi num.* 4. Armil. *verbo dispensare num.* 14. & alij apud Sanchez *lib.* 3. *disp.* 10. *num.* 2. putant teneri, & peccare, si non dispenset. Sed nullo ducitur efficaci argumento. Quod enim aliqui generaliter putant Prælatum teneri dispensare, quoties subest iusta causa mihi non placet, & ex instituto reiiciemus in Tract. *de Legibus.* Nec censetur vitiosus personarum acceptor superior dispensans cum vno, & non dispensans cum alio in pari causâ, vt ibidem quoque dicemus.

278. *Non semper est obligatio. Ratio.*

Ideò asserendum est, non semper esse obligationem dispensandi, sed quandoque esse merè gratuitum ex oppositio principio; quia in iure dispensatio aliquando appellatur gratia, vt *c. licet Canon. de Elect. in* 6. ibi *posit Ordinarius gratiam dispensationis facere*, & *c. Didici* 1. *quæst.* 7. ibi: *Dispensationis enim gratia*, alijsque in locis: ergo non semper est debitum dispensare. Legatur Sanchez suprà *num.* 3. qui hanc sententiam sequitur cum multis alijs; item Coninc *disp.* 27. *dub.* 6. Basilius *lib.* 5. *cap.* 32. & alii Recentiores, post quos Perez *disput. illâ* 473. *sect.* 5. *num.* 2.

Sanchez. *Cũ multis.* Coninc. Basilius. *Recentiores.* Perez.

Quamuis autẽ prædicti Auctores nõ omnino

279.

Aliqua discrepantia in assignandis casibus, in quibus sit obligatio.

consentiant, in quibus casibus teneatur, non tamen multum inter se discrepant.

280. *Casus, in quibus videtur obligari superior ad dispensandum.*

Existimo ergo generaliter loquendo teneri dispensare quoties partibus petentibus dispensatio notabiliter prodest, aut bono communi, aut ipsis contrahentibus, siue perfectus sit in spiritualibus, siue in temporalibus. Talis autem censetur esse in prædictis casibus præterquàm in primo & tertio; & ex parte in 4. & ex iis causis, quæ sufficiunt ad omnino remittendas denuntiationes, & in tertio casu dispensandi in non præmittendis, in quibus non ita facilè concesserim obligationem dispensandi, neque enim ratio exigit, & adstringit, vt ius commune rumpatur, (quamuis alioquin possit) quando dispensatio non proficit notabiliter. Legantur Sanchez & Perez citati.

Sanchez. Perez.

281. *Si Ordinarius debità dispensationem neget an possit fieri sine dispensatione.*

Quod verò Sanchez, Basilius, Perez, & alij addunt quoties Ordinarius tenetur dispensare, & absque iusta causa id negat, aut non potest comodè adiri, licere matrimonium contrahi sine dispensatione omissis denuntiationibus, difficultate nō caret, quamuis probabile sit propter prædictorum & aliorum auctoritatem. Legatur idem Sanchez *supra num.* 27. Si tamen ratione agamus; eam doctrinam non puto generaliter veram; sed tantùm quando denuntiatio, aut mora efficiendi denuntiationes nocet notabiliter bono communi, vel ipsis contrahentibus, aut, quando impedit opus alicuius misericordiæ notabilis, vt diximus de matrimonio existentis in articulo mortis. Quando autem hi casus occurrant? vix potest (quidquid alij conentur) regula generalis assignari; sed iudicio prudentis Parochi aut alterius, qui illum consilio, iuuare possit, relinquendum est. At quando monitus, & rogatus superior id negat; nisi euidenter constet iniustè negare, semper pro ipso, atque adeò pro iure Communi seruando iudicium erit, quo casu ius possidet certò & causa est incerta.

Affirmant. Sanchez. Perez. Basilius. *Et alij.* *Difficultate id non caret.* *Imò non videtur generaliter verum.* *Nec facile potest in hoc regula generalis assignari.* *Iudici prudentis relinquitur.* *Vbi euidenter non constat iniustè negari, pro Superiori standum & pro iure Cōmuni.*

Habendum tamen semper præ oculis præceptum non contrahendi absque denuntiationibus tantum esse positiuum Ecclesiasticum, ac proinde non obligare, quando ex illius obseruatione notabile damnum sequitur. Quapropter in talibus occasionibus nulla requiritur dispensatio, etiamsi Ordinarius posset commodè adiri, sitque paratus dispensationem concedere; quia dispensatio non est necessaria cessante obligatione præcepti. Ideò, vt sæpè notauimus, Tridentinum nullâ factâ mentione dispensationis permisit contractum fieri sine denuntiationibus, quando adest periculum, quod matrimonium iustè impedietur, in quo notandum est Tridentinum non dixisse tunc tantùm posse omitti, quando est certum quòd impedietur malitiosè; sed, quando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse. Neque enim in suis legibus pia mater Ecclesia vult obligare suis præceptis merè positiuis (vbi alia inconuenientia non sequuntur) quando certum graue damnum sequitur ex obseruatione, sed etiam, quando est probabile periculum, aut suspicio eius damni, quod valet pro multis alijs casibus. Ideò ad ieiunium, vel abstinentiam à carnibus non solùm non censetur obligare, quando est certum damnum graue, sed etiam, quando est probabile periculum illius, vt, quando de eo prudenter dubitatur. Vnde tunc non est necessaria dispensatio, quæ solùm est pro casu, quo adhuc lex obligat. Quod debent aduertere Superiores, nè sint scrupulosi.

Præceptum denuntiationis cum tantum sit positiuum Ecclesiæ non in omni occasione obligat. *Tunc non opus est dispensatione.* *Consonat Tridentinū.*

Nota pro præcepto ieiunij & similibus.

283. *Dispensationis causa quâ ratione examinanda.*

Tenetur autem Ordinarius causam dispensandi sufficienter examinare, non tamen (quidquid alij dicant) videtur necessaria informatio iudicialis testibus adhibitis, & iuratis in formâ iudicij, sed sufficit extra iudicialis. Nam Tridentinum dispensationem committit prudentiæ & iudicio Ordinarij. Quod idem est, atque committi suo priuato iudicio, & conscientiæ.

284. *Dispensatio fieri debet gratis Tridentin.*

Debet autem fieri dispensatio gratis iuxta generaliter Decretum in Tridentino de Reformatione *sess.* 25. *c.* 18.

285. Sanchez. *Legendus.*

Pro his omnibus dictis in hac dub. Legatur Sanchez disputationibus 8. 9. & 10. citatis.

286. *Obligatio talis est etiā si reueletur simul aliquod peccatum.*

DVBITATIO XXVIII.

An denuntiationes obligent reuelare impedimentum occultum.

287. *Monendus tamen prius volens contrahere, vt desistat.*

CErtum est ex receptâ & communi Doctorum sententiâ esse obligationem deferendi impedimentum. Quod plenè probari potest, etiamsi ortum habeat ex infami peccato; puta, ex fornicatione cum consanguineâ, vel affini.

288. *Status quæstionis in impedimento occulto, & quod denuntiaturus nō potest probare.*

Debet tamen priùs secundùm legem fraternæ correctionis admoneri priuatim sic impeditus, quando oritur ex tali delicto occulto, aut etiam plenè probabili, vt desistat à contrahendo matrimonio. Et quamuis non possit intra terminum denuntiationis præfixum admoneri: adhuc præmittenda est monitio, quamuis facienda sit extra illum terminum.

289. *Negant aliqui teneri.* Basilius. Gabriel. Maior. *Alij.* *Limitat Maior.* *Generalis ratio.* Henriq. *cum multis.* Rosella. Nauarr. Angelus. *Aly.*

Tota iam difficultas est, an sit deferendum impedimentum occultum, quod quis solus nouit, testibusque probare non potest?

Basilius *lib.* 5 *cap.* 34. & iam olim Gabriel *in* 4. *distinct.* 28. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub. penultim.* & Maior *distinct.* 21. *quæst.* 2. alijque apud Sanchez & Basilium docent neminem teneri; sed limitat Maior, vt locum habeat tantùm, quando impedimentum occurrit ex delicto occulto. Probantque generali ratione, quia nemo tenetur denuntiare, quod probare non potest. Quâ de re quod attinet ad denuntiationem iudicialem diximus agentes de Censuris *Tract.* 10. *disput.* 3. *dub.* 44. & generaliter de qualibet denuntiatione docet Henriquez cum multis *lib* 3. *de excomm. cap.* 18. Rosell. Nauarra, Angel. apud Sanchez *lib.* 3. *disput.* 13. *num.* 1. & alij, quos loco citato retulimus.

290. *Assertio affirmans teneri, si possit absque graui proprio incommodo, & aliorum scandalo.* Sanchez. Coninc. Gutierrez. *Praxis Neapolitana.* Reginald. Rodriq. Bonacina. *Alij.* Perez. Hurtad.

Asserendum est quemlibet teneri denuntiare impedimentum occultum, etiam sibi soli notum, dummodò hoc possit facere absque graui incommodo, & aliorum scandalo. Ita Sanchez *supra num.* 2. Coninc *disp.* 27. *num.* 6. 1. *dub.* 7. Gutierrez *de matrimonio cap.* 59. *num.* 2. Praxis Neapolitana *cap.* 2. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 228. Rodriquez *in summâ cap.* 217. *nu.* 9. Bonacina *de matrimonio quæst.* 2. *puncto* 6. *num.* 20. & alij apud Sanchez, & Bonacinam. Quibus adde Perez *disp.* 43. *sect.* 6. *nu.* 8. Hurtadum *disp.* 5.

Ratio.

diff. 21. Ratio verò est, quia quilibet tenetur vitare peccatum mortale proximi, idque maximè, quando à superiore præcipitur, quando autem est impedimentum, etiamsi sit tantùm impediens, & non dirimens, peccatum est mortale, sic contrahere; & quando est dirimens, sic contrahentes viuunt in perpetuo concubinatu; quod totum potest vitare denuntiando peccatum mortale proximi, etiamsi solus ipse sciat; vnus enim solus, quantumuis sit denuntiator, si tanquàm testis deponat, & iuret, satis est ad hoc, quando agitur de euitando peccato, vt in nostro casu agitur, & non de punitione. Ex quo patet solutio fundamẽti aduersariorum. Quod intelligi debet pro casu, quo contrahentes malâ fide procedant. Quod si contrahentes sint in bonâ fide, & sciens impedimentum, sciat etiam ignorari à contrahentibus, & adeo sit occultum, vt probabile sit nunquàm venturum in notitiam aliorum, admitti poterit sententia Basilij & aliorum. Neque ratio nostra pro tali casu locum habet, quia tunc contrahentes non peccant ob inculpabilem ignorantiam, atque adeò non agitur de vitando peccato, in eo casu. Atque ita cum Basilio sentit pro tali casu Perez *supra num.* 7. Nihilominus, si sit spes quòd reuelatio habebit effectum absque incommodis grauibus, & agitur etiam de valore matrimonij, ita, vt, licèt ob bonam fidem non peccent, mansuri sint in matrimonio tantùm putatitio re ipsa inualido, omnino iudicarem esse reuelandum, vt impediatur, si ita putetur impediẽdum. Recta enim ratio postulat, vt, quando absque damno, & inconuenienti potest impederi vsus carnalis, & talis indiuidua vitæ consuetudo sub falso matrimonio; non permittantur sic manere, ideò ferè semper habebit locum nostra assertio.

Respõdetur ex dictis fundamento aduersariorum. Limitatur doctrina.

Basilius. Perez. *Sublimitatur limitatio.*

291. *Eodem modo sufficiet vnus testis ad dissoluẽda sponsalia. Requiritur vero iuramentũ, quia simul agitur de præiudicio alterius.* Sanchez. Coninc.

Hæc tota assertionis nostræ doctrina probat etiam sufficere vnum testem ad dissoluenda sponsalia, sicut ad hoc, vt matrimonium reiiciatur à iudice, vel superiore, vt significatur *in c. super eo 22. de Testibus & in c. Præterea 12. de sponsalibus.* Tũc enim agitur de euitando peccato quod sponsi committerent, si sic contraherent; requiritur autem (vt dicebam) iuramentum, vt de sponsalibus notant Sanchez *lib. 1. disp. 71.* Coninc *disp. 23. n. 78.* quia tunc ita agitur de euitando peccato, vt etiam agatur de præiudicio tertij, cùm quo nemo creditur sine iuramento; imò requiritur, quòd deponat se id certò scire, & non sufficit, quòd deponat se audiuisse, nisi ad probandam consanguinitatem; quia tunc sufficit, si deponat se audiuisse à duobus suis maioribus fide dignis, & quòd clarè distinguat gradus consanguinitatis, vt docent iidem Sanchez & Coninc, colligiturque *ex c. Licet ex quadam 47. de testibus*, non tamen requiritur, quòd nomen testis publicetur, vt supponitur *in dicto c. Præterea*, nisi, quãdo sponsalia iurata sunt, tunc enim diuersa est ratio ob fortiorem obligationẽ sponsalium iuratorum.

Ratio ex iure Canonico.

292. *Vno teste nõ iurato testiãte de impedimento potest iudex sponsalia dissoluere etiã iurata.* Sanchez. Couarr. *Contra aliquos.*

Sufficit autem vnus testis non iuratus deponens de impedimento, vt iudex dissoluat sponsalia iurata, vt contra nonnullos docet Sanchez *citata disp. 71.* & Couarruu. 4. *Decretal. 2. p. c. 6. §.* 10. quia *in dicto c. super eo* absolutè significatur sufficere vnum testem ad dissoluenda sponsalia, nullâ factâ mentione iuramenti nec positâ limitatione ad sponsalia non iurata. Quod si in *c. Præterea* citato significatur sufficere vnum testem ad dissoluenda sponsalia; nisi sint iurata, hoc additur; quia ibi sermo est de teste, cuius nomen ob timorem non fuit publicatum, qui testis absque publicatione non sufficit, quando sponsalia sunt iurata.

Occurritur obiectioni.

293. *Fama quoque impedimenti sufficit etiamsi sponsalia sint iurata.* Sanchez. Couarr. Contra. Paludanũ.

Sicut autem sufficit vnus testis pro impedimento ita etiam fama impedimenti sufficit; quod locum habet etiam si sponsalia iurata sint, vt contra Paludanum notarunt Sanchez & Couarruu. *suprà*, & communiter Doctores, quia *in c. super eo*, absolutè, & absque vllâ limitatione supponitur sufficere. In *c. verò. Cùm in tuâ 27. de sponsalibus.* Vltra famam non requiritur testis; sed vltra testem requiritur fama; nempe, quia testis ille non fuit testificatus, seu non deposuit; sed tantum denunciauit, seu detulit impedimẽtum. Sufficit autem fama, nisi clarior fama, aut alij testes admittendi Ordinarij iudicio approbati oppositum probent, vt deducitur ex eodẽ *c. Cum in tuâ.*

Limitatur seu eliditur fama aut testis alia fama aut testibus potioribus.

294. *Non sufficit solus rumor.*

Quamuis autem ad dissoluenda sponsalia sufficiat ea fama, quæ est acclamatio seu opinio maioris partis viciniæ, aut communitatis, in quâ vt minimum habitant decem; non tamen sufficit rumor, qui est opinio minoris partis.

295. *Pro matrimonio iam contracto dissoluendo requiruntur saltem duo testes omni exceptione maiores.* *Constat ex iure Canonico.* *Ratio.*

Item, quamuis ad dissoluenda sponsalia ob impedimentum sufficiat vnus testis iuratus, ad dissoluendum tamen matrimonium contractum, seu potius ad declarandum fuisse nullum, requisiti sunt saltem duo testes omni exceptione maiores, vt dicitur *in c. Licet ex quadam*, & *in c. 1. de Consanguinit.* Quamuis enim tũc etiam agatur de vitando peccato, est tamen res grauissima, & magni præiudicij.

296. *Indissolutione matrimonij ob consanguinitatem sufficiunt parentes & consanguinei testes.*

Quando tamen agitur de dissoluendo matrimonio ob impedimentum consanguinitatis, sufficiunt parentes, & consanguinei ad testificandum, vt dicitur *in c. videtur paragrapho. Qui matrimonium* deducique potest *ex c. super eo* de testibus.

297. *Non sufficit vnus testis ad dissoluẽdum sponsalia ob defectum qui nõ sit impedimentum, etiam si iuret.* Sanchez. Coninc. Contra. Paludanũ. *Ratio.*

Ad dissoluenda verò sponsalia ob defectum aliquem qui non sit impedimentum, non sufficit vnus testis iuratus, vt rectè Sanchez *supra* & Coninc *disp. 23. num. 81.* contra Paludanum; quia tunc non agitur de vitando peccato, sed tantùm de præiudicio tertij, ac proinde saltem fuerunt requisiti duo omni exceptione maiores, sicut generaliter in omnibus aliis casibus: nam quòd sufficiat vnus est speciale priuilegium in dicto *c. super eo de testibus* & *c. Præterea de sponsalibus* concessum oppositioni impedimenti, in quâ agitur de vitando peccato. Hæc dicta sint pro sponsalibus, quæ in hunc locum explicanda reiecimus *disp. 1. dub. 44. in fine.*

298. *Quod dictũ est de sponsalibus seruit magna ex parte pro matrimonio.*

Hæc doctrina magna ex parte iuuat pro iis, quæ modo agimus de reuelando impedimento matrimonij, quod diximus esse reuelandum, etiamsi sciatur ab vno tantùm & alioquin sit occultum, quia nimirum agitur de peccato vitando.

Habet autem locum hæc doctrina etiam, quamuis impedimentum occultum, & ortum

299.

Non obstat nouisse sub secreto impedimentū & ortum ex peccato, & iurasse. Ratio. Sanchez. Perez. Alij plures.

ex peccato infamante nouerit quis sub secreto, & sub iuramento non reuelandi, quia maior ratio habenda est animæ salutis proximi, quàm seruandi secretum, & famam illius, nec potest iuramento obligari ad non denuntiandum, quod aliàs tenetur, saltem ex vi præcepti superioris præcipiētis in talibus denūciationibus, vt cum multis probat Sanchez *n.*6. nec sufficit, quòd qui reuelauit secretum, dicat se id dicere in confessione, cùm tamen non confiteatur, atque adeò non sit confessionis sigillum, quantumuis genuflexus & facto signo Crucis id dixerit. Legatur Sanchez loco citato, cui consentit Perez *supra n.*8. & alij plures.

300. *Qui audiuit à fide digno si is non denuntiet, tenetur denūtiare. Sanchez. Cum aliis. Bonacina. Reginald. Gutierrez. Rodriq. Coninc. Praxis Neapolit. Alij. Secus si is, à quo audiuit non sit fide dignus, aut si non meminit, à quo audiuerit. Nauarr. Corduba. Nauarra. Alij Sanchez. Consilium bonum in hac re*

Tenetur etiam denunciare impedimentum is, qui illud audiuit à persona fide dignâ, eâ non denunciante; quia notitia ex auditu à personâ fide dignâ est vera notitia fidem faciens, potestque superior eam fide dignam personam citare, ipsiusque testimonium accipere. Ita Sanchez *supra n.*7. cùm aliis, quos refert. Bonacina, Reginald. Gutierrez, Rodriquez, Coninc, Praxis Neapolitana, & alij *supra* citati, qui rectè negant contra nonnullos alios, quando impedimentum oritur ex peccato occulto infami, non esse denuntiandum, si persona, à quâ audiuit non sit fide digna, reputaretur enim leuis solùm ex illius dicto denuncians, vt rectè ex Nauarro Corduba, Petro Nauarra, & aliis aduertit Sanchez; sicut nec tenetur, qui audiuit, nec meminit à quo, vel audiuit à persona nihil certum scienti. Ita etiam Nauarrus. Corduba apud Sanchez supra; qui cum Corduba contra Nauarram putat bonum esse consilium, vt, qui audiuit à non fide dignis personis, faciat illas testificari, quando impedimentum non est infamatorium, quia tunc nullum est periculum dāni, & potest eà denunciatio prodesse, vt impedimentum detegatur. Ego quidem ex hoc principio non tantùm puto esse bonum consilium, sed necessarium, vt qui audiuit à non fide digno, superiori significet; nisi quando res talis sit, & ex tali fundamento dicta, vt meritò contēnenda videatur.

301. *Non tenetur in omnibus prædictis cū graui suo incommodo denūtiare.*

Omnes autem istæ obligationes denunciandi semper intelligi debent absque graui incommodo denunciaturi iuxta dicta in simili *de Censuris tr.*11. *disp.*3. *dub.*48.

302. *Obligatio maior in contrahentibus vel denuntiandi vel desistendi à matrimonio. Sanchez. Coninc. Gutierr. Reginald. Basilius.*

Quod si alij, qui nouerunt impedimentum, tenentur manifestare, multò potiori ratione tenentur ipsi contrahentes vel à matrimonio desistere, vel interrogati, quamuis impedimentum sit infame, illud manifestare, si desistere nolint. Ita Sanchez *disp.* 14. Coninc *supra n.*64. Gutierrez *c.*59 *n.*13. Reginald. *lib.*31. *numer.*238. Basilius *suprà* Bonacina *suprà numer.*21. Et quidem, cùm tunc non procedatur ad puniendum, sed ad vitandum peccatum mortale, possunt ab Ordinario interrogari, quamuis nulla infamia præcedat, quia id censetur fauorabile ipsis contrahentibus. Legatur Perez *disp.* 43. *sect.*7.

303. *Si dispensatio in foro etiā conscientiæ obtenta sit non tenentur manifestare.*

Nullo autem modo tenentur manifestare impedimentum occultum, cuius adhuc dispensatio tantùm pro foro conscientiæ obtenta est, tunc enim impedimentum censetur nullum, & adhuc interrogati sub iuramento negare possunt mentali restrictione adhibitâ, Ita Auctores citati communiter.

Etiam sub iuramento interrogati negare possunt cum restrictione mentali. Communis sententia.

Ob eandem quoque rationem alij, qui sciūt impedimentum occultum, poterunt, si sciant obtentam esse dispensationem pro foro conscientiæ non tenentur manifestare, vt rectè Sanchez *disp. illâ* 14. *n.*4 *addito n.*8. *disputat.*13. Perez *supra sect.*6. *n.*2. Rectè aduertit Sanchez si esset publica vox de illo impedimento, aut concurrerent alia requisita, vt iudex iuridicè interroget, esse manifestandum iuxta doctrinam D. Thomæ 22. *q.* 69. *art.*2. & aliorum Doctorum ibi, & iuxta doctrinam quam tradidimus *in opere nostro de iustitia lib.*2. *tract.*1. *disp.*6. agentes de *iudice* & *Reo* Ratio est, quia illa dispensatio nullo modo prodest pro foro externo: ideò iudex etiam conscius illius dispensationis iuridicè interrogat, & non ex falsa præsumptione. Hinc est, vt sciens impedimentum; imò & ipse contrahens teneantur fateri; alioquin seclusâ ignorantiâ daretur bellum iustum ex vtrâque parte, quod fieri non potest, nisi fortè impropriè in aliquo raro casu cum circumstantiis, de quibus loco notato *de iustitia disp. illâ 6. n.* 20. *& seqq.* quæ nullo modo possunt habere locum in præsenti maximè, cùm non agatur de puniendo delicto, sed de vitando peccato. Legatur Sanchez locis citatis.

304. *Idem possunt alij scientes impedimentum, si etiā sciunt dispensationem obtentam. Sanchez. Perez. Restrictio Sanchezij pro casu quo esset publica vox de illo impedimento. D. Thomas Alij. Ratio.*

DVBITATIO XXIX.

Quomodo se gerere debeat Parochus, aut Ordinarius, quando norunt extra confessionem impedimentum, & quando norunt in foro conscientiæ obtentâ dispensatione?

HAc de re latè Sanchez *lib.*3. *disp.*15. cum quo supponendum est Parochum non posse peregrinos copulare, donec rem ad Ordinarium deferat, de quo iam satis diximus in præcedentibus, & constat ex Trident *sess.*24. *c.*7. Si verò neuter sit peregrinus, aut alienigena, & præmissis denuntiationibus nullum opponatur impedimentum, poterit nullâ expectatâ Licentiâ Ordinarij assistere per se, vel per alium Sacerdotem de licentiâ ipsius, vt latè probatum est ex Tridentino.

305. *Supponendum 1.*

Vlterius, si impedimentum opponatur, potest Parochus matrimonium interdicere, atque adeò debet non assistere; sed non de impedimento cognoscere; hoc enim ad Ordinarium est deferendum, vt constat ex *c. finali de clandestinâ desponsatione.* Legatur Sanchez *num.*3. qui rectè *num.*5. *&* 6. docet contra nonnullos: primò Parocho non licere assistere matrimonio frangentis fidem præcedentium sponsalium; quia præcendentia sponsalia impediunt aliud matrimonium iniri; & vbi de hoc impedimento constiterit, non illi incumbit; sed Ordinario de re illâ iudicare, neque Ordinarius poterit dare licentiam assistendi, quin potiùs debet cogere seruare priora sponsalia valida, vt supponimus, nec credendum est conscientiæ ipsius volentis contrahere, quia tanquàm iudex debet iudicare secundùm allegata, & probata; & cùm constet de obliga-

306. *Supponendum 2.*

Sanchez. *Non licet Parocho assistere matrimonio frangentis fidem præcedentium sponsalium.*

obligatione præcedentium sponsalium, debet etiam constare iuridicè, quòd iam sit ab illa liber. Secundò non posse Parochum licitè coniungere eos, qui prius affirmârunt esse impedimentum, & postea negârunt, etiamsi aliter impedimentum probari non possit. Tum quia semel concesso impedimento contrahentis confessione iam non est integrum Parocho rem non deferre ad Ordinarium, & expectare illius iudicium, iuxta *c. finale de clandestinâ desponsatione.* suprà citatum. Tùm quia nimis indignum est, vt quod suâ voce quisquam dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare possit, proprioque testimonio resistere, vt habet *c. Per tuas* de *Probat* & *l. generaliter* 13. C. *de non num. pecun.* quod maximè in hoc casu habet locum. Accedit, quòd probat confessio, etiam extraiudicialis contra confitentem, donec de eius errore constet, & dicitur melior cæteris probationibus, vt per dictam legem *Generaliter.* docet Menoch. *de Præsumption. præsumpt.* 130. *n.* 50. Legatur Sanchez loco citato.

Nec potest Parochus licitè eos coniungere qui prius affirmârunt impedimentum postea negât.

Ratio. Ex iure pro.

Confirmatur.

Menoch. Sanchez.

307. *An & quâdo iudex Ordinarius possit credere dicenti se prius contraxisse quidem cum aliâ sponsalia, sed fictè.*

Rectè etiam docet *num.* 7. Ordinarium posse credere fatenti quidem priora sponsalia cum alia præcedenti, dicenti tamen se fictè promisisse; quando notabilis est disparitas, inter promittentem, & acceptantem promissionem; quamuis enim regulariter non sit credendum dicenti se fictè promittere; si tamen alioquin sint vehementia ficti consensus indicia poterit credere Ordinarius, & non cogere ad priora sponsalia. Talia verò censentur, quæ sumuntur ex notabili disparitate, quia si vir longè disparasserens se fictè consensisse, sufficiens dat signum, vt credatur non habuisse animum consentiendi in matrimonium præcedens, vt possit credere femina priùs matrimonium non valuisse, aliudque inire cum ipso, vt idem Sanch. probauit *lib. 2. disp. 45. num.* 8. cum multis aliis; multò potiori ratione ipsa disparitas notabilis erit signum, vt credat Ordinarius prædictum consensum in sponsalibus fuisse fictum. Vnde Couarr. 4. *Decretal. 2. p. c. 2. n.* 4. & Palatios *in* 4. *dist.* 28. *disp.* 1. fatentur probabiles coniecturas consensus sumi ex magnâ disparitate generis, diuitiarum, & conditionis status. Legatur Sanchez loco citato.

Sanchez.

Couarr. Palatios.

308. *Asserendum primò.*

His præmissis asserendum est primò, quando Parocho constat impedimentum extra confessionem, & volens contrahere illud negat, vt, si fateatur, v. g. votum, asseratque ad illud non teneri, siue, quia fictè vouit, siue ex alia causâ, non poterit Parochus admittere ad matrimonium; quamuis enim Confessarius in foro cõscientiæ fidem adhibere debeat dicenti, se eo voto non teneri, quia fictè vouit. Secùs tamen est in foro externo, ad quod matrimonium pertinet, vt rectè docet Sanchez cum aliis suprà *num.* 9. referens etiam multos, qui dicunt etiam in iuramento metu coacto non credi; nisi in foro pœnitentiæ dicenti se caruisse animo se obligandi. Probatque ex *c. Pertuas de Probat. cùm nimis indignum sit, vt, quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, id eundem casum proprio valeat testimonio infirmare.* Ergo, qui fatetur votum sibi obiectum, non poterit solo suo testimonio infirmare. Secundò, quia dicere nemo præsumitur, quod in corde non habet *l. labeo.* vers. *Idem Tubero* ff. de supel. legat. ibi: *Non arbitror quemquam dicere, quod non sentit.* Ita idem Sanchez, cum Tiraquel. Menoch. & aliis apud ipsos. Omitto alias rationes, quæ videri possunt apud Sanchez *numer.* 9.

Sanchez.

Probatur 1.

Probatur 2.

Sanchez. Tiraquell. Menoch. Alij.

309. *Temperatur sententia.*

Rectè autem temperat hanc sententiam *numer.* 10. vt si nullo alio pacto constet de voto emisso nisi ex confessione volentis contrahere: tunc, si votum fateatur, & simul, defectum animi se obligandi, ei sit fides adhibenda; est enim verisimile tunc non mentiri; Nam, si mentiri vellet, facilius vtrumque negaret, cùm probationes contra ipsum deficerent, nemoque impedimentum opposuisset, vt in simili docent Abbas, & Mascard. quos refert ibi Sanchez de eo, qui confitetur homicidium in sui defensam. Quod rectè limitat Ripa. *c. Cum Ecclesia Sustrina de cauf. posses num.* 31. & ex eo Sanchez, nimirum, nisi confessio facta sit metu probationum, vt in simili etiam docet *Gloss. c. 1. v. si confessus* 16. *q.* 8.

Abbas. Mascard. Sanchez. *Limitatio Ripæ & Sanchezij.* Glossa.

310. *Asserendum secundò. Ratio.*

Assero 2. Non posse Parochum publicè petenti matrimonium assistere; quando illi constat extra confessionem de impedimento occulto; quia, vbi opponitur impedimentum, non est Parochi de illius veritate discutere, sed debet ad Ordinarium deferre, etiamsi nemo opponat; tunc enim ipse tenetur impedimentum opponere coram Ordinario; non solùm eodem iure; sed multò potiori, quàm quilibet alius teneretur. Nam ipsi ex officio incumbit impedimenta inuestigare, & ouium saluti consulere, eiusque testimonio sufficienter, & plenè probatur impedimentum, ne matrimonium contrahatur; quia vt sæpe dictum est, sufficit vnus testis ad impediendum matrimonium *c. super eo* & 2. *de Testibus*, & *attestat. & c. Præterea* & 2. *de sponsalibus*, quia in eo agitur de vitando peccato, vt post alios docet Perez *sect.* 8. *n.* 6. & anteà docuerat Sanchez *lib.* 1. *disp.* 17. *n.* 1. sequutus Henriq. *lib.* 1. *de Sacram. c. vltimo num.* 6. qui ait Parochum, qui extra confessionem nouit impedimentum occultum matrimonij præsertim dirimens, teneri impedire Sanchezium refert & sequitur Cardinalis Lugo *de Sacramentis in genere disp.* 8. *n.* 205. contra Veracruz Vegam, & Ledesmam apud Sanchez. Idem docet Maiolus *lib.* 3. *de irregular. c.* 25. *n.* 13. § *affinitas.* idemque tenentur sentire, quotquot docent, vel Parochum scientem in confessione impedimentum teneri occultè monere contrahentes, vt à matrimonio desistant, & debere negare matrimonium, si absque sigilli periculo possit. Quâ de re diximus *disp.* 12. *de pœnitentiâ præsertim dub.* 3. vbi explico *numer.* 46. quâ ratione gerere se tunc debeat Parochus.

Perez. Sanchez. Henriq.

Lugo. Contra. Veracruz. *Vegam, & Ledesmam. Consentit. Maiolus.*

311. *Disparitas in hoc inter Ordinarium & Parochum.*

Non est autem eadem ratio de Ordinario atque de Parocho, vt rectè notat Sanchez *n.* 11. Nam Ordinarius, qui nouit impedimentum, & non potest illud aliter iuridicè probare, non videtur posse publicè petenti matrimonium denegare. quia, cùm ipse sit iudex, non potest esse testis, & cùm nullo pacto possit probare causam denegandi matrimonium, tenetur secundùm allegata, & probata non denegare, sicut laborans impedimento occulto v. g. irregularitate,

tate,si publicè Ordines petat à proprio Episcopo casu,quo tenetur eos conferre, non potest expelli iuxta c Extenore.de Tempor.Ordinand.ibi. *verumtamen, quia peccatum occultum est.si promouere voluerit,eum non debes aliquâ ratione prohibere.*Et docet ibi Gloss.in fine.Legantur quæ diximus: *Tract.*1. agentes *de Sacramentis in genere disput.*3. *dub.*12.vbi cum multis generaliter docuimus in simili debere ministrare Sacramentum peccatori occulto publicè petenti, & multos ibi retulimus *n.*275.Quam doctrinam iterum statuimus in particulari agentes de Eucharistiâ *tract.* 4.*disp.*9 *dub.*12.Vnde in nostro casu, si Ordinarius compellat Parochum assistere matrimonio;quia alter purgat se ab impedimento,quod Parochus certò nouerat,& obiecerat,non peccat assistendo,quia tunc munus suum obit, nec cooperatur peccato contrahentis. Ita Sanchez & Henriquez *suprà.*

Sanchez. Henriq.

312. *Quomodo videatur etiam ex parte Ordinarij ea doctrina posse ad praxim deduci.*

Hæc tamen doctrina, quatenùs spectat ad Ordinarium, mihi videtur posse aliquantulum aliter ad praxim deduci;nam,si Ordinarius ipse nouit impedimentum, quod probare non potest aliis testibus, non video cur non possit vti aliquo remedio Superioris ad id impediendum,siue deferendo ad superiorem v.g Nuntium Apostolicum,si commodè potest, vel ad Metropolitanum, apud quem deponat de huiusmodi impedimento;neque enim apparet cur contracturus seriò monitus, & nolens desistere,non possit per Metropolitanum cogi,coram quo Ordinarius deponat,Quod si hoc ob alias difficultates videatur minùs iuridicum;non video,cur, si ille, qui nouit impedimentum sit officialis Ordinarius Episcopi,generalisque Vicarius,non possit cum tali impedimento, quod nouit,recurrere ad Episcopum, vt tandem ipse Episcopus reiiciat tale matrimonium; imò etiam è contra non video,cur, si Episcopus ipse fuit,qui nouit illud impedimentum, etiamsi ad ipsum recurratur pro tali, matrimonio, non possit,re totâ commissâ suo vicario,qui iudicet de tali causâ,ipsemet Episcopus testificari; neque enim in re tàm graui dedecet Episcopum, tãquàm testem,aut etiam denunciatorẽ prædictum impedimentum manifestare. Neque obstat quod Vicarius sit iudex à se constitutus, sicut etiam in sæcularibus negotiis non obstat, quod Rex, aut Princeps supremus in re graui dignetur,& velit testificari coram iudicibus à se constitutis. Addit Cardinalis Lugo ex Coninc,quem refert etiam ipsum Ordinarium esse posse iudicem & testem in tali causâ. Sicut & Parochus est simul accusator & testis in eo negotio. Quia tàm contra regulam seu normam aliorum iudiciorum videtur esse simul accusatorem & testem, atque iudicem & testem.Quod mihi non displicet in fauorem matrimonij legitimi ineundi, & illegitimi repellendi;maximè si agatur de impedimento dirimenti, quod est res grauissima concernens bonum commune & Pacem Reipublicæ. Verùm hæc omnia & rara sunt,& iudicio prudentis,si quando contingant,maiori ex parte decidenda.

Card. Lugo ex Coninc putat posse Ordinariũ esse in tali causa iudicẽ & testem. Argumentũ à simili. Videtur ea doctrina admittenda.

313. *Asserendũ 3.* Assero 3. si nemo denunciet impedimentum coram Parocho, vel Ordinario, etiamsi ipsis constet de impedimento, si etiam constet de dispensatione pro foro conscientiæ,possunt dissimulare,& sic impeditos matrimonio coniungere.Ita Sanch.*disp.illâ* 15.*num.* 14. quamuis enim teneantur ex officio inuestigare impedimenta,solùm ad id tenentur, ne impediti contrahendo delinquant, non tamen delinquunt in hoc casu.Cumque nullus sit denunciator, vt supponimus,qui iudicem compellat, neque iudex compellatur ex officio, cùm iam sciat contrahentes non peccare, non est vnde iudex teneatur eos compellere. Secùs verò esset, si aliquo denunciatore excitaretur iudex, aut Parochus:tunc enim neuter potest dissimulare.Nam Parochus tenetur denunciatum sibi impedimentum, ad Ordinarium deferre iuxta supra dicta; Ordinarius verò supposità iuridicâ denunciatione, non potest non ministrare iustitiam,& circa illius impedimenti cognitionem procedere. Cùm ergo sit iudex in foro externo,& in eo iam procedatur, iudicandum erit iuxta fori externi leges. Illa autem dispensatio (vt in ipsis etiam litteris dispensationis exprimi solet)nullo modo prodest, nec conceditur pro foro externo.Ita Nauarrus *lib.*5. *consiliorum in* 1.*edit,tit.de Priuileg.cons.*5.*in secunda verò lib.*2. *tit.de iudiciis cons.*4.probans,quando virtute dispensationis obtentæ pro solo foro conscientiæ contractum fuit matrimonium, si detegatur impedimentum in foro externo, debere iudicem declarare matrimonium in eo foro esse nullum.

Sanchez. *Occurritur obiectioni.*

Nauarr.

314. *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis, si matrimonium esset contractum virtute illius dispensationis in foro conscientiæ, non posset Ordinarius dispensatos sic,separare, cum coram Deo veri coniuges sint. Nec Pontifex efficere posset, vt matrimonium sit inpendenti, seu, quòd semel validum, deinceps non valeat: ergo cùm similiter coram Deo hi non sint impediti; quia habent dispensationem, de quâ constat Ordinario,vel Parocho, poterunt eos matrimonio copulare.

315. *Respõdetur.* Respondetur negando antecedens, quòd, scilicèt non possit eos separare;debet enim iudex declarare nullum esse matrimonium in foro externo, & separare contrahentes, donec pro eo foro dispensationem habeant iuxta supra dicta,neque matrimonium est in pendenti, neque Pontifex efficit, vt matrimonium semel validum sit inualidum,sed solùm dispensatione datâ pro solo foro conscientiæ fit,vt matrimonium rẽ ipsâ validum non admittatur in foro externo, tanquàm validum ad effectum consentiendi,vt simul vitam coniugalem agant, & ad hoc,vt in foro exteriori nullo modo valeant dictæ dispensationes, & antiquissimus. Curiæ stylus habet, vt litteræ dispensationis in foro conscientiæ obtentæ contineant clausulam, vt absque testibus fiat dispensatio, & eâ factâ litteræ lanientur. Nam pro foro externo exigebatur fidem fieri collatæ dispensationis per litteras continentes dispensationem, cùm tamen in hac fori conscientiæ dispensatione litteras fieri,etiam prohibeatur.Vnde in tali casu merito forum exteriùs præsumit contrarium eius, quod est re ipsâ,vel potiùs in tali foro probatur

contra-

contrarium; constat enim in eo foro esse impedimentum, & non constat esse dispensationem. Vnde non mirum, quòd aliud decernatur in foro externo, quàm in foro conscientiæ, iuxta regulas generales, quæ non sunt huius loci. Omitto alias obiectiones leuiores, quæ, vel ex dictis cessant, vel facilè soluuntur, videriq́ue possunt apud Sanchez supra n. 13. & 17.

316. *Discrimen inter contrahentes cũ impedimento, aut solùm cum peccato occulto.* *Lugo ex Coninc.* *Potest assistere Parochus etiam quando peccatum est publicum.* *Præpos.* *Layman.* *Ratio.*

Quæ hucusque diximus de assistentia Parochi debentis non assistere solùm intelligenda sunt, quando contrahentes laborant aliquo impedimento; non verò, quando solùm suscipiunt indignè propter peccatum occultum; tunc enim iuxta sæpè dicta de peccatore petente publicè Sacramentum non debet negari assistentia ex eo præcisè capite, vt cum Coninc optimè docet Eminentissimus Lugo *supra num.* 206. Imò rectè etiam addit cum Ioanne Præpositо *in 3. part. q. 7. de impedimentis matrimonij dub. 24.* & Layman *tomo 1. lib. 5. tract. 10. par. 2. c. 4.* posse assistere, quando etiam peccatum est publicum, vt in matrimonio inter hæreticos, vel excommunicatos non denunciatos, aut notorios Clerici percussores. Quia nimirum Parochus non est minister, sed testis assistens. Quod mihi non displicet, quia multæ causæ possunt occurrere sic assistendi absque eo, quòd censeatur cooperator in peccato præsertim in actione, quæ ex se non est mala, & potest benè fieri, fit autem malè ex merâ culpâ contrahentium, & Parochus alioquin debet assistentiam illi contractui legitimo, quamuis ex prauâ contrahentium dispositione aut voluntate vitietur. Sicut, quando duo contrahentes ex prauâ intentione mouentur ad celebrandum aliquẽ contractum cætero quin legitimum, rectè facit Notarius assistendo & instrumentum publicũ conficiendo.

Declaratur à simili.

317. *Quæsitum.*

Quæret tandem aliquis quid faciendum à Notario vel iudice excipiente contrahentium confessionem circa impedimenta, si ipsi contrahentes affirment se aliquo impedimento impediente, vel dirimente laborare, obtinuisse tamen dispensationem occultam in foro conscientiæ?

318. *Respõdetur.*

Respondeo Notarium & iudicem, quando nullus est exterius, qui opponat impedimentum, sed Notarius ex commissione iudicis, vel iudex ex officio confessionem illam excipit, posse id non scribere; sed admonere contrahẽtes, vt taceant, & se corrigant id negando, vt possunt vtendo æquiuocatione dicendo se non habere tale impedimentum intelligendo in mente, ita, vt impediat matrimonium, in quo verissimè dicunt; quia, quod iam non impedit, suppositâ dispensatione, non est impedimentum. Imò etiamsi iam esset scripta contrahentium confessio, nondum autem subscripta, posset adhuc Notarius vel iudex delere, & corrigere confessionem modo prædicto; quia nondum ante subscriptionem perfecta est confessio iudicialis, possentq́ue ipsi contrahentes suâ sponte se corrigere. Factâ verò iam subscriptione meritò putat Sanch. *supra n. 16.* non posse; quia iam est perfecta confessio iudicialis, cæptumq́; iudicium & impedimentum deductum ad forum contentiosum.

Neque refert si dicas nondum inchoatum esse iudicium, hoc enim constat ex iudice actore, & reo. hîc autem nullus est actor, seu denuncians, vt supponimus; Respondetur enim officium iudicis inquirentis succedere loco partis, seu delatoris, quamuis non loco partis principaliter offensæ, vt cum aliis docet idem Sanchez ibidem.

319. *Occurritur euasioni.*

Tandem aduerto nonnullos putare esse impedimentum contrahendi matrimonium ignoratio doctrinæ Christianæ, ita, vt Parochus sciens talem ignorantiam possit arcere contracturum à matrimonio donec memoriâ retineat Orationem Dominicam, Angelicam, Symbolum fidei, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, ac septem peccata capitalia, nisi præsenio aut ingenij tarditate incapax sit.

320 *Aduertendum pro praxi circa ignorationem doctrinæ Christianæ.*

Asserendum nihilominus est posse quidem Prælatum etiam censuris compellere subditos, vt discant doctrinam Christianam, & Parochos vt eam interrogent, idq́ue in aliquibus Diœcesibus Hispaniæ statutum est; nullo tamen iure constat posse ex eo præcisè, quòd prædicta non retineant memoriâ illos arcere à matrimonio contrahendo; neque enim ad Parochum vel Ordinarium spectat impedimenta matrimonij statuere. Legatur Sanchez supra *n. 19.* vbi hoc latè, & rectè docet, & tandem *n. 20.* meritò concludit vbi nullum reperitur impedimentum debere Parochum volentes legitimè copulare in facie Ecclesiæ, vt constat ex Tridentino *sess. 24. c. 1.* ibi: *si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur.* Illud autem dicitur celebrati in facie Ecclesiæ, quantùm ad præsens iuxta normam ibi datam à Tridentino, quod fit coram Parocho, & duplici teste, denunciationibus præmissis.

321. *Non possunt arceri à Matrimonio ob solam illam ignorationem.* Sanchez. *Probatur ex Tridentino.*

DVBITATIO XXX.

An matrimonium factum illicitè omissis denunciationibus censeatur clandestinum, quoad pœnas?

322. *Prima sententia affirmans.* Sanchez. Coninc. Basilius. *Alij.* *Probant.* *Ex iure Canonico Lateranensis & Tridentini.*

PRima sententia affirmat. Ita Sanchez *libr. 3. disp. 1.* Coninc *disp. 27. dub 2.* Basilius *lib. 5. c. 37.* & alij apud ipsos. Probant, quia *in c. finali de clandestinâ desponsatione.* Matrimonium absque denuntiatione in Ecclesiâ à Presbyteris factâ supponitur clandestinum, & ob illud statuuntur aliquæ pœnæ. Hoc autem etiam videtur conforme Tridentino *sess. 24. c. 1.* dum ait se inhærere vestigiis Concilij Lateranensis ex quo decretum dicti *c. finalis* desumptum est. Imò Tridentinum *c. 5.* superaddit contra contrahentes absque denunciationibus in gradibus prohibitis; quamuis ignoranter, diffidentiam dispensationis in iis gradibus.

323. *Vera tamen secunda sententia negat.* Molina. Ledesma. *Recentiores.* *Probant rectè.*

Secunda sententia vera docet prædictum matrimonium non censeri clandestinum, quoad tales pœnas. Ita Molina *tomo 1. de iustitiâ disp. 176.* Ledesma *q. 45. art. 5.* & alij Recentiores. Probant, quia matrimonium coram sufficientibus testibus, quamuis absque denunciationibus celebratum, non est simpliciter & absolutè

clande-

clandestinum, sed in facie Ecclesiæ publicè factum, & ipsi potest plenè constare. Cùm ergo pœnæ restringendæ potiùs sint, quàm extendendæ, quæcunque pœna posita fuerit pro celebrante, vel assistente, vel cooperante contractui matrimonij clandestini ita absolutè appellati, non debent extendi, nisi ad matrimonium factum absque Parocho & testibus non solùm pœnæ contentæ in Tridentino, quæ expressè tantùm ponuntur pro matrimonio absque Parocho & testibus, sed etiam aliæ, pœnæ, vt sunt exhæredatio, & aliæ, de quibus diximus *supra disp.*20.21.22.23.& 24.

324. *Dissoluitur fundamentum oppositæ sententiæ.*

Neque fundamentum oppositæ sententiæ vim vllam habet, negandum enim est, *in c.finali citato* supponi matrimonium absque denunciationibus esse clandestinum, & propter illud imponi aliquas pœnas; tantùm enim supponitur clandestinum, quod celebratum fuit, absque sufficientibus testibus. Quapropter quamuis Tridentinum inhæreat vestigiis Lateranensis, non video asserit absolutè, & propriè matrimonium absque denunciationibus esse clandestinum; neque Tridentinum inhæret vestigiis Lateranensis; nisi quoad præmittendas denuntiationes Quod autem Tridentinum *c.illo* 5. apponat pœnam diffirentiæ potiùs, significat nostram sententiam; sic enim indicat matrimoniũ absque denunciationibus celebratum non puniri pœnis generalibus clandestini, sed illâ speciali, præsumitque non bonâ fide contraxisse, qui tale medium omiserunt denuntiationum, quod si adhibuissent, venissent in notitiam impedimenti, idque vel culpabiliter ignorâsse; vel falsò simulâsse ignorationem; vt propterea tollat spem obtinendâ dispensationis. Punitur quidem Sacerdos in fine illius *c. finalis* quando est proprius Sacerdos, vt Parochus, non prohibẽs, & impediens huiusmodi matrimonia, pœnâ suspensionis triennalis, vt notauimus *disp.*24. Tunc autem non solùm loquitur de clandestinis; sed de prohibitis, inter quas coniunctiones continentur prædictæ non præmissis denunciationibus, cùm enim dixisset paulò ante. *Si quis verò huiusmodi clandestina, vel interdicta coniugia inire præsumpserit* &c. posteà subiungit: *sanè si Parochialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet, etiam Regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur.* Inter prohibitas verò coniunctiones supra numeratas, non solùm continentur clandestina matrimonia; sed etiam non priùs denuntiata; ideo hanc pœnã incurrere docet Henriq. *lib.*11. *c.*5. *n.*6. & alij apud Sanch. *lib.*3. *disp.*48. *n.*5. Inter quos Vega *lib.*6. *Summæ c.*112. qui absq; idoneo fundamento asserit incurrere Parochum eandem pœnam triennalis suspensionis, si non habeat librum, in quo nomina contrahentium & testium describat, vel non interroget contrahentes de consensu; id enim totum est contra præceptum Tridentini. Verum hoc meritò reiicit Sanch. *cit.n.*5. quia tunc matrimonium neque clandestinum est, neque alio modo inter dictũ ab Ecclesiâ. Legatur Sanchez *citato n.*5.

Henriq. *Et alij. Vega addit aliquid sed absque fundamento.*

Sanchez.

325. Prædictæ pœnæ assistentium dictis matrimoniis non præmissis denunciationibus, solùm incurruntur à proprio Parocho, vel ab alio sæculari, vel Regulari Sacerdote de licentia ipsius assistente nuptiis, alioquin validis, nam si matrimonium sit inualidum, non incurruntur. Vnde alij Sacerdotes, cùm inualidè assistant, non incurrunt eam pœnam, quia pœnæ positæ pro matrimonio valido non extendendæ sunt ad inualidum, vt notabamus supra *dub.*23. in simili de assistentia Parochi matrimonio absque aliis testibus, & latè probat Sanch. *disp.*48. *n.*6. & nos etiam notauimus locis citatis.

Prædictæ pœnæ à quo vel quibus tantum incurrantur.

Sanchez.

326. *Concluditur doctrina ex dictis.*

Habemus itaque, quoad pœnas matrimonij clandestini non comprehendi sub nomine clãdestini matrimonium sine denunciationibus factum. Parochus tamen assistens huic, ac per consequens non impediens, & prohibens, vtpotè matrimonium prohibitum, incurret suspensionem triennalem iuxta *c.finale* citatũ, alij verò inualide assistentes non incurrent, quia nõ verè assistunt matrimonio, cum illud, cui assistunt, nõ sit verè matrimonium validum prohibitũ; non est autem extendenda pœna matrimonij validi ad inualidũ iuxta dicta proximæ, & *cit.dub.*23.

327. *Quædam notanda circa dictã pœnam aut quasi pœnã diffidentiæ. Primum notandum.*

Circa illam verò pœnam, vel quasi pœnam diffidentiæ obtinendi dispensationem in gradibus prohibitis; quando absque denunciationibus contractũ fuit matrimonium duo vel tria notanda occurrunt. Primum; eam pœnam manifestè positam esse matrimonio inualido, si enim matrimonium erat in gradibus prohibitis, non erat validum, & indigebat dispensatione, vt valeret, atque huius diffidentia inducitur à Tridentino. Secundum; quòd hæc pœna diffidẽtiæ dispensationis hos habeat effectus scilicet primum quod dispensatio sit irrita, si ea circũstantia non exprimatur, vt dicemus agentes de dispensatione impedimentorum. Secundũ quòd habens priuilegium dispensandi in impedimẽtis non possit in eo euentu dispensare; nisi specialiter in priuilegio exprimatur. Ita Sanchez, & Coninc *locis citatis* addentes alium. Tertium effectum scilicèt, quòd Pontifex non possit licitè, cum sic contrahentibus dispensare absque maiori causa, quàm aliàs esset sufficiens.

Secundum notandum. Aduerte pro praxi tres effectus.

Sanchez. Coninc.

328. *Tertium notandum ex quorundam sententiã.*

Tertium notandum occurrit ex sententiâ aliquorum prędictam pœnam diffidentiæ dispẽsationis impositam à Tridentino contra contrahentes, siue scienter, siue ignoranter in gradibus prohibitis, videri substituisse aliam pœnã excommunicationis latam in Clementinâ vnicâ de *consanguinitate.* Contra scienter contrahentes in gradibus consanguinitatis, aut affinitatis prohibitis, quia positâ mitiori pœnâ per ius, aut legem posteriorem, cessat pœna grauior prioris legis, & corrigitur prior per posteriorẽ.

329. *Probabilius est oppositũ. Ratio.*

Probabilius tamen puto oppositam, eamque pœnam non cessare; illa enim Regula iuris posterioris temperantis ius antiquum, locum habet in pœnis à iudice infligendis, non autem in iis, quæ ipso iure incurrũtur, vt in simili de pœnâ suspensionis, quam Tridentinum imponit solemnizanti matrimonium absque proprij Parochi licentiâ duraturâ ad nutum Ordinarij, docet Sanchez *disp.illâ* 48. & nos cum illo diximus, & cum aliis *dub.*24. Quamuis autem videatur loqui Concilium de sola illegitimitate proueniente ex affinitate, vel consanguinitate, aut cognatione, dum dicit prolem fore illegitimam

Sanchez.

mam in iis matrimoniis contractis sine denuntiationibus, etiamsi ignorantes tale impedimẽtum contraxerint; meritò tamẽ c ommunis sententia, de qua testatur Perez *disp.* 43. *sect.* 11. *nu.* 2. illam sequens, docet esse eandem rationem de cæteris impedimentis dirimentibus, siue, quia Ecclesia illud priuilegium legitimitatis prolis tantùm concessit matrimoniis celebratis cum denuntiationibus; siue; quia eadem omnino est ratio sic priuandi eo priuilegio in cæteris impedimentis matrimonij sine denunciatione celebrati.

Perez communis sententia.

DVBITATIO XXXI.

An benedictiones nuptiales vulgo velationes adhibendæ sint?

330. *Valor matrimonij nõ pendet ab iis quia iam præcessit. Occurritur obiectioni ex iure Canonico.*

QVòd non sint necessariæ prædictæ benedictiones, quibus benedicuntur coniuges ad valorem matrimonij, satis constat apud omnes; quia, quando ipsæ adhibentur, iam supponitur matrimonium factum. In *Canone autem* 1. 30. *q.* 5. quando coniugium, cui non accedunt benedictiones, dicitur non esse legitimum, tantùm significatur non esse secundum totũ decorem, & honestatem requisitam à lege, seu Iure.

331. *Præceptum aliquod est illas benedictiones suscipiendi.*

Consentiunt etiam Doctores esse præceptũ suscipiendi benedictiones nuptiales, vt constat *ex* 30. *q.* 5. maximè *c.* 3. & ex consuetudine in omnibus ferè diœcesibus, (maximè in Hispaniâ) compellentibus ad eas recipiendas.

332. *An sit mortale omittere illas?*

Dubitari tamen potest; an sit peccatum mortale eas omnino omittere, & consummare matrimonium ante benedictiones?

333. *Affirmant aliqui.* Ochauia.

Aliqui putant esse mortale, quia sunt res magni momenti, & valde congruentes bono progressui matrimonij. Ita Ochagauia *tr.* 5. *q.* 5.

334. *Assertio negans.* Sanchez. Henriq. *Ex parte.* Gutierr. Sà.

Asserendum nihilominùs est non esse peccatum mortale consummare matrimoniũ ante prædictas benedictiones; imò illas omittere secluso contemptu. Ita Sanch. *lib.* 3. *disp.* 12. & *lib.* 7. *disp.* 82. Henriq. *lib.* 11. *c.* 16. *n.* 2. & 3. Gutierr. *c.* 106. *n.* 12. & 13. Sà *verbo matrim. n.* 6. quamuis Henriquez, si absolutè, & in totum omittantur, putet esse mortale.

335. *Ratio nostra communis sententia.*

Probabilior tamen est nostra, & communis sententia quod mortale non sit; quia tantùm sunt Sacramentale quoddam, quod non apparet magni momenti; neque ita congruens progressui matrimonij, vt eius omissio censeatur grauis. Vnde, si aliqua sit causa, vel occasio differendi illas, non videntur peccare coniuges petentes, & reddentes debitum; ante benedictiones; maximè, si aliqua ratio sit particularis ad sic petendum, vel reddendum. Ita Sanchez *disp. illâ* 12. *n.* 4. Coninc *disp.* 27. *dub.* 8. *n.* 74. Gutierr. *c.* 59. *n.* 3. Reginald. *lib.* 31. *n.* 28. & alij apud Sanchez. Vnde Trident. *sess.* 24. *c.* 1. non strictè præcipit; sed solùm hortatur coniuges, ne cohabitent ante benedictiones.

Sanchez. Coninc. Gutierr. Reginald. *Alij. Tridentinũ tantum hortatur.*

Constat etiam ex eodem Tridentino prædictas benedictiones nuptiales prohibitas esse ab aduentu in diem Epiphaniæ inclusiuè & à feriâ quarta Cinerum vsque in octauã Resurrectionis inclusiuè. In aliis verò temporibus, etiã iure antiquo prohibitis, licitè permittit fieri.

336. *Quo tempore sint ea benedictiones prohibitæ.*

An verò tantùm primæ nuptiæ sint solemniter benedicendæ (in quibus omnes consentiunt) an etiam secundæ & reliquæ? non est eadem Doctorum sententia. Varias refert Sanch. *citato lib.* 7. *disp.* 82. iis tamen omissis.

337. *An sola prima nuptia benedicẽda. Dissentiunt inter se doctores Vide apud Sanchez.*

In primis verum puto standum esse consuetudini receptæ in propria diœcesi; deinde iure communi probabiliùs puto omittendas, si alteruter coniugatorum, siue vir, siue femina in aliis antecedentibus nuptiis benedictionem accepit; neque enim benedictiones Ecclesiæ solemnes eidem rei collatæ repeti consueuerunt, vt constat *ex c. vir* 3. *de secundis nuptiis*, qnamuis primæ nuptiæ, in quibus benedictiones collatæ sunt reperiantur fuisse nullæ; cadit enim benedictio suprà personam potiùs, quàm suprà nuptias ipsas. Ita Sanch. *citata disp.* 82. *n.* 15. Henriq. *l.* 13. *c.* 38. Gutierr. *citato c.* 36. *n.* 14. & 48. Reginald. *lib.* 31. *n.* 50. Coninc *disp.* 27. *dub.* 8. *n.* 72. Rebell. *lib.* 3. *q.* 20. *n.* 3. Nauarr. *c.* 22. *n.* 83. Bonacina *de matrimon. q.* 4. *puncto* 6. *n.* 4. Perez *disp.* 35. *sect.* 5. *n.* 2. & alij multi & notat Sanchez & ex ipso Perez consuetudine seruari, vt conferantur vbi alteruter eas non suscepit, & interdici putat Perez secundam benedictionem, quando vterque iam antea susceperat. Sed hoc ex consuetudine pẽdet. Quod si alicubi vsu receptum sit, vt vterque coniux eas recipiat, quando aliquis eorum non recepit, seruanda est, vt dicebam, consuetudo.

338. *Standum consuetudini propria diœcesis. Iure communi si alteruter in aliis nuptiis sit benedictus sufficit, etiamsi fuissent inualidæ nuptiæ priores.* Sanchez. Henriq. Gutierr. Reginald. Coninc. Rebellus. Nauarr. Bonacina. Perez. *Alij multi. Alia quæ ex consuetudine pendent circa hoc.*

Prædictæ benedictiones conferri possunt, vel ab Ordinario, vel à Parocho sponsi, vel sponsæ, vel ab alio Sacerdote de ipsius licentiâ, sine quâ incurret suspensionem ab officio, donec ab Ordinario Parochi absoluatur iuxta dicta *dub.* 24. vbi id latiùs explicuimus, & etiam vt probabile diximus simul incurrere excommunicationem Pontifici reseruatam per Clementinam 1. *de Priuilegiis*; quamuis Suarius, & alij ibi citati in fine dubitationis, quibus adde Perez *disp.* 42. *sect.* 5. Hurtadum *disp.* 5. *diff.* 17. *num.* 57. (& Perez refert etiam Rebellum) probabiliter sentiant non incurrere; tum ex declaratione Cardinalium; tum, ne duplex pœna incurratur pro vno delicto iuxta doctrinam Decij *c. de causis de offic. deleg.* sed iam de duplici pœna incurrenda dixi *dub. præcedenti.*

339. *A quo possint conferri? Pœna pro conferente sine legitima facultate. Non ab omnibus omnes admittuntur.* Suarius. *Alij.* Perez. Hurtad. Rebell. Declaratio Cardinal. Decius.

An verò Parochus alterutrius contrahentis possit benedictiones impendere philosophandum est, sicut philosophati sumus *dub.* 8. agentes de Parocho, qui potest & debet assistere matrimonio, & Auctores in vtroque consentiunt.

340. *An sufficiat Parochus alterutrius contrahẽtis.*

DISPVTATIO IV.

De Matrimonio, & consensu coacto.

1. *Vtilissima disputatio hæc.*

DIsputationem hanc vtilissimam esse pro decidendis casibus sæpe occurrentibus nemo Confessarius negabit; sæpe enim solet coactio, & metus interuenire in contractibus omnibus, sicut & in votis, & in professione Religiosâ, sed antequàm in particulari descendamus ad contractum matrimonij metu initum oportet præmittere quid, & quotuplex sit metus? & quis dicatur metus cadens in constantem virum?

Prænia quædam communia prius tractanda.

DVBITATIO I.

Quid sit metus & quotuplex?

2. *Metus definitio in iure. Explicatur.*

VLpianus *L.1. ff. de eo, quod metus causa* definiuit metum esse *instantis periculi, vel futuri causâ mentis trepidationem.* Dicitur autem instantis id est mox futuri, quia remotum (quantumuis graue) non ita mentem turbat, neque illud apprehendimus ita vehementer, vt notauit Glossa *in c. Ad audientiam de iis, quæ vi, metusve causa fiunt.* verbo *Causa.* Quamuis etiam meritò vir constans timere potest malum graue, cuius euentus probabiliter timeatur, & non possit damno facilè occurri tunc enim, non tam malum ipsum, quàm suspicio probabilis illius, metum inducit. *L. Nouissimè ff. quod falsò tutore* ibi quid enim *si metu compulsus, aut metuens, ne compelleretur &c.* Vnde talis suspicio habetur pro metu, vt cum multis docet Sanchez *libr.4. disputation.1.numer.17.* Basilius de Leon *lib.4.c.3.* Quando autem *l. metum præsentem ff. de eo quod metus causâ.* Negatur suspicionem metus sufficere, intelligi debet de suspicione vanâ ex vano fundamento, vt docent Auctores citati.

Glossa.

Sanchez. Basilius. *Occurritur obiectioni ex iure contra dicta.*

3. *Metus diuisio in grauẽ, & leuem: iustum, & iniustum. In probabilem & improbabilem. In cadentẽ in constantẽ & in incõstantem.*

Metus vulgari partitione diuiditur in grauem, & Leuem: item in metum iustum, & iniustum: Vlterius in metum probabilem, & improbabilem: vlterius in metum cadentem in constantem virum, & cadentem solùm in inconstantem.

4. *Comparantur prædicta membra inter se. Explicatur metus grauis.*

Præterea, iuxta communem modum intelligendi, pro eodem reputatur metus grauis, metus iustus, metus probabilis & metus cadens in constantem virum; nam idem ipse appellatur grauis; quia est de graui aliquo damno. Iustus autem, & probabilis dicitur; quia leges sic operantem iustè & probabiliter excusant, Dicitur etiam cadens in constantem virum, seu etiam constantissimum; quia, vt dixit iuris consultus *in l. metum* La.2.*ff. de eo quod metus causa; fortitudini & constantiæ non obstat;* neque sic operans censetur amittere constantię, & fortitudinis laudem, vtpote timore maioris mali minus malum subiens; nam, si quis iacturam patiatur bonorum, ne vitam amittat, & vitæ iacturam, ne peccatum perpetret: meritò fortis haberi debet, & constans.

5. *Explicatur à contrario sensu metus leuis.*

Ex quo patet à contrario sensu metum leuem, & vanum esse eum, qui de leui malo non timendo habetur, diciq́ue iniustum, & improbabilem, cadentemq́ue in virum inconstantem; quia neque iura illum approbant; sed potiùs improbant, neque iustè admittendum censent, sed iniustum putant, & operantem ex illo iudicant inconstantem.

6. *Status quæstionis resistantis positis iam prædictis.*

His suppositis adhuc dubitari potest, an, qui eligit maius malum causâ vitandi minoris, vt, si eligat peccatum, vt declinet infamiam, vel bonorum iacturam aut mortem, censeatur moueri metu cadente in constantem virum?

7. *Sententia negans esse metum constantis viri.* Valentia. Comitol. D.Thom. D.Bonau. Scotus. Durand. Richard. Paludan. *Alij multi apud Sanchez.*

Valentia *3.par.disputation.10.q.3.punctо 2.* Comitolus *lib.2.Responsmoral.q.2.paragrapho. Quintum quæsitum.* D Thomas *in 4. distinction.29.q.* Bonauentura, Scotus, Durandus, Richard. Paludan. aliiq́ue multi Theologi, Summistæ & iurisperiti apud Sanchez *lib.4.disputat. 2. num.1.* putant non moueri metu constantis viri: atque hæc videtur esse communis sententia Doctorum;

8. *Sententia affirmans.* Nauarr. Ledesma. Menoch. Philiarch. Petrus Ledesma. Henriq. Lopez. *Sed temperant & explicant suâ sententiam diuersis respectibus.*

È contra verò alij, vt Nauarrus *in Summa Latina cap.22.numer.* 51. Ledesma *2.par.quarti q. 49.artic.3.* Menoch. *de præsumpt. libr.3. præsum.4.* Philiarchus *de officio Sacerdotis tomo 1.par.2.lib.2. cap.8.ad finem.* Petrus de Ledesma *de matrimonio q.47.art.2.& art.3. in solut. ad* 4. Henriquez *lib.11. de matrimonio cap.9. numer.3.* Ludouicus Lopez *2. par. instructorij de matrimonio cap.40.* docent quidem requiri electionem minoris mali, vt ex parte subiecti patientis metum dicatur metus cadens in constantem virum, adhunc scilicèt effectum, vt timens constanter agat, & non peccet; secùs verò, si consideremus metum grauem secundum leges & iura, & in ordine ad contractus, tum matrimonij, tum etiam alios; adhunc enim finem, seu effectum metus grauis consideratur comparatione obiecti; atque adeò, si obiectum graue sit, & de se sufficiens mouere quemlibet virum constantem, etiamsi minus malum sit, quod vitare quis intendit, quam, quod de facto elegit, procul dubio censetur metus cadens in constantem virum, saltem legaliter, quia leges ciuiles, & Ecclesiasticæ restringentes contractum ex metu, non attendunt; an constanter, vel inconstanter secundum mores procedat, qui metum patitur; sed, an grauiter pungatur, & tangatur eius voluntas. Cùm autem voluntas grauiter tunc eo metu lædatur, siue eligat peccatum, siue non censetur à iure ille metus cadens in constantem virum. Quæ sententia mihi placet, & præter citatos eam docet Sanchez citatâ *disputation.2.numer.* 3. Basilius *libr.* 4. *capit.* 3. *numer.*2. aliiq́ue

Sic explicata placet hæc sententia. Sanchez. Basilius.

Recentiores. Perez. Coninc. aliique Recentiores inter quos Perez *disput.17. sect.2.n.3.& seqq.* Coninc infra citandus.

9. Explicatur ex dictis metus grauis in ordine ad matrimonium. Habemus ergo ex dictis metum grauem, quatenùs præsenti instituto deseruit in ordine ad contractum matrimonij, sicut & ad alios contractus, esse metum probabilem, seu prudentem magni mali; non comparatiuè ad malum minus, id est, quod sit mali maioris eo malo, quod eligitur ad euitandum malum, quod timetur: sed mali magni absolutè, & in se (siue maioris, siue minoris malo electo) cuius prudenti timore vir, etiamsi sit constans, non mirum quòd cogatur ad eligendum aliquid quod necessarium est, vt malum illud, quod timet, euitet; talisque censetur metus prudens mortis, aut magni cruciatus, aut grauis infamiæ, aut amissionis honorifici status, aut notabilis partis bonorum, aut impedimenti lucri notabilis, aut grauis, & diuturnæ indignationis patris, aut superioris, vel alterius, à quo quis in multis dependet, quando scilicèt propter eam indignationem prudenter timet, aut graue aliquod malum, aut grauem cumulum malorum, etiamsi vnum quodque per se leue sit.

Aliquid à Coninc recte notatum & ex ipso notat Perez & colligitur ex dictis. Ex quâ doctrina constat, id quod recte aduertit Coninc *disputation.28.dubitation.2. numer.28.* & ex illo Perez *supra numer. 6.* posse aliquem inconstanter agere metu cadente in constantem virum. Aliud enim est inconstanter agere, & aliud id agere ex metu non cadente in constantem virum. Nam qui peccat ex metu ne viuus comburatur procul dubio inconstanter agit; est tamen timor ille grauis, adeoque cadens in virum constantem, quia mors illa acerbissima est, & graue malum secundùm se, & ex obiecto suo. Eâque propter Martyres, qui superârunt eam mortem, concussi quidem fuere tam dirâ morte licèt constantes manserint; qui vero fatiscebant; inconstanter quidem agebant; sed ex metu graui cadente in virum constantem.

Quantum malum cẽseatur graue prudenti iudicio æstimandum est pensatis circumstantiis. Dicta huc vsque simul mox in sequentibus sigillatim examinanda. Quantum autem malum, vel quantus, & qualis malorum cumulus censeatur grauis? iudicio prudentis decidendum est, pensatis circumstantiis, locis temporis, personæ sexus, & ætatis. Quòd enim comparatione vnius leue malum censetur, fortasse comparatione alterius potest censeri graue iudicio prudentis. Placet tamen in dicendis sigillatim totam doctrinam huius dubitationis examinare.

DVBITATIO II.

Quomodo pensanda sit grauitas mali, quod timetur? vbi de precibus importunis.

10. *Tres conditiones ad metum cadentem in virum constantem. Nunc 1. conditio examinanda.* COnueniunt communiter Doctores tres conditiones requiri ad metum cadentem in constantem virum; de quibus dicemus tribus sequentibus dubitationibus: primam; vt malum, quod timetur, in se sit graue: secundam, vt incutiens potens sit, & probabiliter credatur exequuturus. Tertiam, vt patiens talem metum non possit facilè resistere.

11. *Prima conditio mali in se grauis. Varia talia mala indicantur in quibus minor est aut nulla dissensio.* Circa primam ergo conditionem plerique conueniunt graue malum censeri, quodcunque ex nuper enumeratis dubit. præcedenti. & descendendo adhuc in particulari omnes ferè consentiunt timorem mortis, mutilationis, verberum, grauis seruitutis, incarcerationis, seu captiuitatis diuturnæ, stupri, seu violenti coitus propter periculum consentiendi vel amittendi famam, vel æstimationem apud cæteros, item timorem amittendi nobilitatem, aut instrumenta, seu scripturas, quibus ea posset seruari & defendi: item amissionis, status, bonorum omnium, vel maioris partis. In his, & similibus non est tanta controuersia inter Auctores: constatque ex *l. Nec timorem 7.ff.de eo, quod metus causâ l.isti quidem* L. *Ego puto* eodem titulo & *l.7.* Regni Castellæ *titul.33. Partit.7. & ex c. Cum dilectus. De iis, quæ vi.* Pro quâ sententiâ, quam sequitur & latè probat Sanchez. Refert ipse innumeros *libr.4. disputation.5.* Item Mascard. *de probat. verbo metus. conclus.* 1055. Basilius *libr.4. capit.4. numer.3.* Menochius *de arbitr. libr.2. centur. 2. casu 135.* circa finem. Sylvester verbo *Metus quæst. 2. 3. & 4.* aliique Recentiores.

Constat ex iure. Sanchez. *Cũ plurimis.* Mascard. Basilius. Menoch. Sylvest. *Recentiores.*

12. *Circa bonorum amissionem notandum.* Circa bonorum amissionem aduertendum est eam debere esse bonorum, quæ alicui propria sunt, aut aliquo modo debentur; alioquin illis carere; non posset habere rationem pœnæ sufficientis ad rescindendum contractum; neque enim pœna censetur priuationis; sed potiùs præmium, si alicui relinquatur legatum eâ conditione, vt Matrimonium ineat, vel absolutè, vel cum tali determinata persona, aut Religionem ingrediatur; alioquin non accepturo legatum illud; item si alius nolit esse amicus specialis, vel tibi in negotiis fauorem exhibere, nisi contractum celebres. In his sanè casibus nihil perditur, ad quod habebat homo ius, ac proinde illa amissio non habet rationem pœnæ; sed potius consequutione talis boni propositi inuitatur quis ad contractum illud celebrandum; censeretur autem habere rationem pœnæ solùm, quando ex Suis bonis iacturam faceret; nisi contraheret. Ita Basilius de Leon. *supra numer.10.* Perez *disputation.17. sect.2.numer.14.* & alij Recentiores. Probarique potest ex *L. Titio fundus 73. in principio* & *L. si ita legatum ff. de condit. & demonstr.* In quibus significatur satis prædictum legatum sub conditione habere potiùs rationem præmij, si facias, quàm pœnæ si non facias.

Basilius. Perez. *Recentiores. Probatur ex iure ciuili.*

13. *Illatum de eo qui vi impeditur à beneficij, vel Cathedræ oppositione, nisi contrahat.* Ex hoc infertur, quòd, qui vi impeditur, ne alicui beneficio vel Cathedræ opponatur, donec contractum celebret, cum ius habeat se opponendi, & ex eo metu celebretur contractus, iam id fiet ex metu graui, si alioquin pensatis circumstantiis id malum graue censeatur. Hoc dixerim quia, si nulla, aut leuissima spes erat obtinendi, quod ambibat, vix puto posse censeri graue damnum. Hac ratione *cap. Cùm venissent* de *institutionibus*

reuocatur renuntiatio facta quorundam iurium, à quodam Archidiacono timore, ne ab Archidiaconatus possessione impediretur, & simile quid L. *finali Paragrapho si fœnerator* ff. *De eo, quod metus causâ* decernitur, vbi mandatur restitui cuidam Athletæ pecunia, quam vltra debitum dedit cuidam fœneratori, ne à certaminibus impediretur; ad quæ ineunda ius habebat, sicuti notauit Sanchez *lib.4. disp.5. num.28.* & ab ipso accepit Basilius *supra c.4.nu.4.* & alij posteriores.

Sanchez. Basilius. *Alij.*

14. *De timore infamia. Quando censetur grauis.*

Quod attinet ad infamiam, timor grauis illius censetur, quando non facilè vitari potest, siue sit infamia facti, siue iuris. Vnde, si mineris deprehenso in graui delicto, te accusaturum illum, aut alio modo publicaturum, proculdubio graue malum tunc timet: quia iuxta sapientis dictum. *Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ*: imò sæpè tale bonum ipsi vitæ præfertur. Accedit, quòd etiam inde sæpe periculum emergat non leuis iacturæ in bonis diuitiarum, & fortè etiam vitæ. Vnde meritò censebitur metus cadens in constantem virum. Ita Glossa *L. Nec mortem* ff. De eo, quod metus causâ Sylvester *supra* Sanchez *num. 14. & 15.* Bonacina *de matrimon. quæst.3.puncto 8.num.6.* Basilius *lib 4. cap.4.* quando autem in *L. Nec timorem* ff. *de eo quod metus causa dicitur, nec timorem infamiæ hoc edicto contineri*, &c. intelligendum est de timore infamiæ leuis, aut quæ facilè potest euitari, vt notauit Basilius referens Acursium, Gothofredum, & alios sicque putat intelligendos plures Theologos vt Comitolum *lib.3. Responsionum moral.quæst.2.* dum docent metum infamiæ non esse grauem, nempe infamiæ cui facilè occurri potest.

Glossa. Sylvester. Sanchez. Bonacina. Basilius. *Occurritur obiectioni.* Basilius. Acursius. Gothofr. *Alij Theologi.* Comitol.

15. *De metu excommunicationis.*

Non pauci doctores dubitant de excommunicationis metu, an cadat in virum constantem?

16. *Negans sententia. Ratio.* Glossa. Socinus. Barbatius. Villalobos. *Alij putant grauem esse metum. Ratio.*

Negant aliqui; quia vel est iusta; & tunc sibi imputet: vel est iniusta, & tunc non ligat: ergo non est malum cuius metu quis censeatur cogi, tanquàm metu graui. Ita Glossa. *in c. Cùm dilectus* verbo *violentia.* Socinus Senior *c. Sacris num.51. de sentent. exam.* Barbatius *c. ab excommunicat.* de *Rescript.* Villalobos *in Summa Tractat.3. difficultat.8. num.5.* Alij verò putant metum esse grauem; quia semper est grauis pœna, etiamsi sit iniusta. Nam quoad externa aliqua bona priuatur, vt communicatione aliorum, si denuntietur, & assistentiâ Diuinis officiis, vsuque Sacramentorum, saltem in publico, &c. Ita Bartholomæus de Ledesma *de matrimonio dub.23.* Seraphinus *de Priuileg. iuram. priuileg.29.num.4.*

Barthol. Ledesma. Seraphin.

17. *Vtraque sententia aliquid habet veri. Quid prima? Quid secunda?*

Vtraque sententia aliquid habet veri: Prima rectè probat excommunicationem iustam non esse metum grauem in ordine ad contractus, sibi enim debet imputare, quòd iustè excommunicetur. Secunda verò sententia rectè docet excommunicationis metum esse cadentem in constantem virum, si facilè occurri illi non possit, quamuis enim in foro conscientiæ non liget coram Deo, ligat tamen in foro Ecclesiastico externo, in quo se gerere debet ita excommunicatus *iuxta c.Nobis de sentent. excommun.* Idque meritò graue malum censetur. Ita Sanchez *supra disput.5.num.16.* Basilius *lib.4. cap.4. num.7.* Bonacina *num. illo 6.* Flaminius *lib.13.de Resignat.quæst.1.num.129.* Mascardus verbo *metum concluſ.1055.num.50.* Couarruu. 4. *decretal.in 2.p.Paragrapho 4.cap.3.nu.11.* nec dissentit Perez *supra num.13.*

Sanchez. Basilius. Bonacina. Flamin. Mascard. Couarruu. Perez.

18. *De timore reuerentiali. Aliqui dubitant. Quisnam timor talis censendus, vel non.*

De timore reuerentiali aliqui dubitarunt; an sit sufficiens ad rescindendos contractus? Statuendum verò inprimis est, non esse talem timorem illum, qui potiùs est verecundia quædam, & pudor, qui solet reperiri in filiis respectu parentis, & vxoris respectu mariti, in subdito respectu Prælati, & similibus. Constat hoc *ex c.vnico Paragrapho. Porro de desponſ. Impuber.in 6.* alioquin vix faceret aliquid filius rogatus à Patre, vel vxor à marito propter illum pudorem quod non diceretur metu facere; Hoc autem concedi non debet; essent enim infirmandæ innumeræ actiones.

19. *Explicatur vlterius.*

Item non sufficit (quidquid aliqui dicant) vt quis dicatur grauem metum pati, quòd non audeat præ pudore & reuerentiâ contradicere præcipienti, etiamsi vellet, aut, quòd obediat repugnante voluntate: solùm enim talis censebitur metus; quando à tali Superiore aliquod malum alioquin graue timeatur, vt asperitas vultus, rigida tractatio, exprobratio continua, aut prædictorum probabilis suspicio. Itaque metus reuerentialis in eo debet consistere, vt sit timor alicuius mali imminentis, eo quòd quis non seruet reuerentiam ei, cui debet; est enim metus, vt diximus *dubit.præcedenti, mentis trepidatio*: Ideò, nisi sit alicuius mali trepidatio, non potest censeri metus. Cùm ergo pudor ipse, & reuerentia non sit mali imminentis trepidatio: ipsi præcisè affectus secundùm se non sunt metus ipse, licèt inde fortasse oriatur metus, qui habeat pro obiecto aliquod malum. Vnde, vt sit metus grauis, debet habere pro obiecto aliquod graue malum, quod inde ob reuerentiam non seruatam timeatur. De hoc ergo metu dubitant Doctores; an metus reuerentialis cadat in virum constantem?

In quo tandem cõsistat.

20. *Prima sententia negat esse grauem nisi alia cõcurrant.* Sanchez. Molina. Duarenus. Fachinus. Donellus. *Alij. Ratio.*

Prima sententia docet talem metum, si absint minæ, vel verbera, vel alterius grauis mali timor, non cadere in constantem virum. Ita Sanchez *disput.6.num.7.* cum multis, quos refert, Molina Iurista de primogen. *lib.2.c.3.nu.9.* Duarenus in Comment. ad tit. de eo, quod metus causa Donellus *lib.15.com.c.39. Paragrapho* inprimis voluntatem inferendi. Fachinus *lib.2. Controu.Iur.* Lessius *lib.2. de virtut. cap.17. dub.6.* & alij posteà referendi. Ratio verò est, quia sola reuerentia parentibus, marito, & consanguineis debita non videtur tanti momenti, vt à viro constanti meritò possit timeri. Ideoque in *c.Ex litteris de desponſ. impub.* vbi redduntur ob metum parentum sponsalia irrita, aduertitur puellam minis parentum impulsam concessisse. Vnde tacitè innuitur sponsalia valitura; si minæ non fuissent, sicut valet renuntiatio facta à filia in fauorem Patris; quando non fuit vi & dolo facta; *capit. 2. de pactis in 6.* aliàs si

solus

solus metus reuerentialis caderet in virum constantem, nullus ferè contractus filij vxoris Clerici, famuli, & sæpe vassalli esset firmus, facilè enim possent opponere parentem maritum Episcopum dominum suasisse contractum; ideoque inferiores consensisse, quia non ausi fuerunt præ pudore, & reuerentiâ contradicere; ergo timor reuerentiæ non est sufficiens, nisi alterius mali grauis metus adiungatur, vt, si timeret habere continuò infensum superiorem, aut passim obiecturum illam inobedientiam; quod sanè malum graue est, quod vix aliquis possit sustinere.

21. *Secunda sententia vniuersim affirmat.* Menoch. Nauarrus. *Alij multi.* Secunda sententia est metum reuerentialem semper cadere in constantem virum. Ita Menochius *de Arbitrariis lib.2. cap.136. centuria 2.* Nauarrus *in Edit. Lugdunensi lib.1. titul. de iis, quæ vi, cons.10. num.4.* & alij multi apud Sanchez *lib.4. disput.6. num.4.* omissisque alijs rationibus quibus vtuntur prædicti Auctores, præcipuè probant (plures sanè iurisperiti, quàm Theologi) ex varijs textibus, in quibus metus reuerentialis dicitur consensum & libertatem in contractibus requisitam tollere: primò in regula. *Velle* 4. de regula iuris, *velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris & Domini* ergo imperium Patris, vel Domini destruit libertatem saltem omnino expeditam. Secundò, quia in *lib.1. Paragrapho. Quæ onerandæ ff. Quarum rerum actio non detur.* conceditur actio liberto si liquidò appareat metu solo, & nimiâ patroni reuerentiâ se subiecisse, vel pœnali stipulationi se subiicere: ergo non solùm metus, sed nimia reuerentia lædit libertatem contractus. Tertiò, quia, si Patronus consentiente liberto furtum committat, non obinde censetur libertus consentire; sed actione furti agere potest. quia iuxta *L. penultimam ff. de furtis, magna verecundiâ ei, quem in præsentia pudor ad resistendum impedit, furtum facere solet*; id est, non obstat, cùm furtum fiat. Tandem si ad metum reuerentialem requirerentur minæ, nunquàm aut vix differret metus proueniens ab eo, cui debetur reuerentia, & proueniens ab alio extraneo, cùm semper minæ metum grauem inducant.

Pracipua & 1. ratio inter alias ex variis textibus.

Secunda ratio etiam ex textu.

Tertia ex alio textu.

Quarta.

22. *Tertia sententia distinguens.* Baldus. Barbatius. Sarmiento. *Alij.* Tertia sententia docet tunc tantùm metum reuerentialem censeri grauem, quando, qui patitur metum celebrat cum ipso incutiente; secùs, si cum alio tertio metus ignaro, vel certè, quando celebrat contractum redundantem in vtilitatem ipsius incutientis. Ita Baldus, Barbatius, Sarmiento, & alij apud Sanchez *citatâ disp.6. num.6.*

23. *Quarta sententia aliter distinguens.* Ancarran. Barbatius. *Alij.* Quarta sententia docet solùm metum reuerentialem patris inducere metum grauem; secùs verò aliorum, quia persona Patris est cui maximè debetur reuerentia. Ita Ancarranus, Barbatius & alij apud Sanchez *supra num.5.*

24. *Assertio 1.* Asserendum est primò metum reuerentialem sumptum pro pudore, & verecundia, quam subditus patitur, aut timet pati in negandâ petitione factâ à Superiore, non est metus sufficiens; vt cadat in constantem virum; neque enim pudor & verecundia ita debet subditi animum obruere, vt eius liberam dispositionem impediat, neque ille pudor & verecundia, quæ statim transit, tanti momenti malum est, vt ideò contractus sit à iudice rescindendus, vel leges censeantur illum rescindendum decernere. *Ratio.*

25. *Assertio 2.* Asserendum est secundò metum reuerentialem sumptum pro vultus asperitate, rigido agendi modo, continuâ vel frequenti exprobratione, ita, vt timeat, ita secum fore agendum à superiore, eumque habiturum offensum austerum, implacidum; esse metum grauem cadentem in constantem virum. Hanc sententiam si rectè intelligatur sequitur Sanchez ipse, saltem huic modo Philosophandi non repugnat, quando enim *disput.6. num.7.* docet metum reuerentialem non cadere in constantem virum, satis clarè loquitur de metu reuerentiali pudoris & verecundiæ, quem patitur subditus superiori contradicens, & colligitur ex iis, quæ posteà docet *disputat.9. num.12.* Quando verò contingit ob negatam obedientiam timere prudenter subditum rigidam Superioris tractationem, implacidum vultum, & similia; tunc expressè affirmat esse metum cadentem in virum constantem, vt videre est eâdem *disp.6. num.14.* dum ait. *Si enim timeret probabiliter diuturnam fore, indignationem, & semper habituram Patrem, aut virum valdè infestum, & indignatum, obiecturumq; passim illam inobedientiam, crediderim esse timorem cadentem in virum constantem.* Vnde non potest non displicere Basilius Legionensis, qui immeritò inuehitur in Thomam Sanchez, cuius tractatum æmulâ contentione conatus est superare, ad quem tamen longo interuallo attingere non potuit; fugillatque & arguit inconsequentiæ, vel imperitiæ tantum Doctorem cùm potiùs ipse Basilius reprehendendus sit, quippe qui non aduertit reuerentialem metum sumi posse duobus prædictis modis, & quod in vno sensu negat Sanchez esse cadentem metum in virum constantem, in alio casu concedit, & ita concessit citato *num.14.* Hanc nostram sententiam, imò & eiusdem Thomæ Sanchez sequitur etiam Lessius *lib.2.cap.17. dub.6. num.35.* dum docet, si leuiter offendatur Superior ex repugnantia voluntatis subditi, eò quòd eius indignatio citò transit, talem metum non cadere in virum constantem; secùs verò si indignatio diuturna sit. Incidi etiam post hæc scripta & notata in Perezium *supra num.17. & seqq.* qui etiam defendit nostrum Sanchez contra Basilium, quem etiam meritò carpit tanquàm immeritò inuectum contra Sanchez, & latè paulò aliter rem explicat, & doctè.

Sanchez est huius sententiæ aut illi non repugnat si rectè intelligatur.

Basilius immerito perstringit Sanchezium.

Perez etiam meritò defendit Sanchezium.

Ex hac distinctione præmissâ in duabus assertionibus nostris facilè respondetur fundamentis primæ & secundæ sententiæ; nam tertia & quarta nihil habent peculiare quod responsione indigeat. Respondemus ergo primam sententiam probare suis argumentis primam assertionem nostram, scilicèt metum reuerentialem sumptum pro pudore & verecundiâ

26. *Respondetur ex dictis fundamentis oppositis, aut nihil habent contra doctrinâ datam.*

cundiâ citò transeunte, & quæ non debet ita occupare mentem subditi, vt eius opprimat libertatem, non esse metum cadentem in virum constantem. Si verò metus sit indignationis diuturnæ, ob non seruatam obedientiam, aut reuerentiam, metum esse cadentem in constantem virum, atque hoc tantùm probare fundamenta petita ex iuribus, quibus vsi sunt Auctores secundæ sententiæ.

27. *De importunis precibus, frequẽtibus & diuturnis. Affirmandum est.* Sanchez. Lessius. Perez. Basilius. *Fundamentum.*

Restat iam tandem declarare an importunæ sæpiùs repetitæ, & diuturnæ preces ab iis, quibus reuerentia debetur, sint obiectum metus cadentis inconstantem virum. In qua re affirmatiuè puto respondendum cum Sanchez *disputation.7.numer.7.* Lessio *libr.2.cap.17.dubitation.6.numer.35.* & illos sequitur Perez *supra numer.23.* Basilius Ponce *libr.4.cap.5.numer.17.* Fundamentum est, quia huiusmodi preces sustinere molestissimum est, & quibus vix potest aliquis diu resistere, grauissimumque, & meritò censetur & intolerabile subdito, habitare cum superiore, cuius voluntati continuò non acquiescit in eâ re, quam Superior tam constanter postulat. Inde enim necessariò sequitur metus habendi Superiorem implacidum, & infensum. Præsertim, si accedant minæ, quæ graues sint & probabiliter timeantur implendæ.

28. *Etiam ab aliis non superioribus valde posse preces vexare, & vrgere putat.* Basilius. *Consentit Sanchez. Multi iurisperiti ex textibus allatis.*

Addit etiam Basilius *libr.4.* & alij apud ipsum tum illo *cap.5.nu.17. tum cap.12.numer.7.* has preces à quacunque personâ oriantur inducere grauem metum. Et quidem, quod valdè vrgeant, & vexent, & opprimant, fatetur etiam Sanchez *citato numer.7.* idque probant multi textus ab eodem Sanchez *numer.4.* allati, & iurisperiti, qui eandem sententiam docuerunt; sed non ideò censendæ sunt obstare; si ab inferioribus oriantur. Probatur, quia aliàs nihil Principes voluntariè efficerent, cùm omnia rogati faciant, imò, & sæpe velint esse rogati. Item puella precibus anasij sæpe tentata coacta diceretur, sicut & pater, si importunâ filij petitione donationem concederet. Hæc ergo omnia parum probant; nam eiusmodi precum molestia facilè vitari potest, quoties non oritur à superiori persona, à quâ quis dependentiam habeat.

29. *Argumentum ad hominem cõtra Basilium.*

Sicut enim quamuis concedamus indignationem diuturnam Patris, aut superioris sufficere ad constituendum metum grauem Reuerentialem; nihilominùs etiam Basilius ipse *c.5. nnm.7.* concedit metum non esse talem, si proueniat indignatio ab aliis hominibus, à quibus ille metuens non dependet: pari ratione, quamuis concedamus preces importunas superioris & eorum à quibus metuens habet dependentiam, sufficere ad metum grauem causandum; non sufficient, si sint importunæ preces aliorũ, à quibus non habet dependentiam; sed potiùs sunt sibi subditi. Accedit tandem; quòd neque rationem aliquam, neque textum pro se efficacem adducit Basilius, cùm tamen potuisset in hac occasione accipere ab eodem Thoma Sãchez (à quo sæpe accipit) ipse enim Sanchez eruditè more suo *disp.7.n.4.* plures allegat, & textus, & Auctores, rationesque affert, quæ possent tanquàm commune promptuarium inopiam sugillantis subleuare; & probare grauem esse molestiam sustinendi precum importunitatem. Sed in hac occasione imò & in aliis, carpere maluit, quàm decerpere.

30. *Concluditur doctrina.*

Verum itaque est huiusmodi preces importunas à quocunque proueniant, molestiam, & violentiam quandam inferre, & significatur in *Extrauag. Execrabilis* de *Præbend.* non tamen censeri debet tanta vis illa, vt virum constantem omnino moueat, vt docet etiam Perez *supra nu.* 23.24. & 25. cum Sanchez à se relato. Quapropter Samson *iudicum* 16. non constanter egit; quando vxoris amore victus & importunis precibus secretum fortitudinis illi reuelauit; quamuis enim illi molesta esset, adeo, vt per multos dies insistens spatium ad quietem non tribueret, potuisset Samson illam efficaciter repellere. Vnde sibi imputare debebat, quòd illâ non repulsâ spatium liberum ad quiescendum non permitteret. Alia de precibus importunis diximus *in nostro opere de iust. & iure l.2.tr.2. disp. 7.n.117.* & sequentibus.

Iudic.16. *Exemplum Samsonis nõ fuit grauis vel metus vel molestia non facile euitabilis.*

DVBITATIO III.

Quæ requirantur, vt incutiens metum cẽseatur; non solùm potens; sed probabiliter exequuturus malum?

31. *Assertio id pendere ex circumstantiis prudẽtis iudicio. Probatur ex iure ciuili.*

Asserendum est pensandum id totum esse ex circumstantiis iudicio prouidentis; nã, si potens sit, qui minas intentat, & ægerrimè fert suæ voluntati resisti; non immeritò timeri potest exequuturus. Vnde in *l. Famosi* ff. *Ad leg. iul.maiest.* iuris consultus dixit spectandam esse personam, & an potuerit facere, & an ante quid fecerit, significans totum metum ex conditione personæ minantis sumendum esse.

32. *Explicatur vlterius & infertur ex dictis signũ.* Sanchez. Baldus.

Ex hoc colligitur id, quod plerique docent, scilicet requiri, vt metum incutiens solitus sit minas exequi; imò oportere, quòd solitus sit exequi in eodem genere mali, vt docet Sanch. *l.4.disp.1.n.22.* ex Bald. in *l. finali. ad finem ff. de hæreditate inst.* Vbi docet ex dissimilibus non sumi coniecturam. Pro quâ sententiâ refert etiam Cynum & Alexandrum *l. metum. num.2.c. de iis, quæ vi.* Recte autem addit Sanchez sufficere, quòd solitus fuerit exequi minas in alio genere mali tam atroci; atque illud, quod minatur.

Cynus. Alexander. *Addendum & Sanchez.*

33. *Pergit explicare signa idẽ Sanchez.*

Ad dignoscendum autem quisnam dicatur solitus exequi minas, requirit Sanchez, quòd sæpius fuerit eas exequutus; neque sufficere quòd semel; quia vnicus actus consuetudinem non facit. Si tamen te ipsum malè iam semel tractauit, insficienter poteris timere iuxta ipsius sententiam, quod iterum faciet. Quæ doctrina probabilis est.

34. *Non omnino admittuntur prædicta. Ratio petita ex variis legibus.*

Verum enimuerò non video satis, quod ad incutiendum metum necessarium sit solitum esse minantem minas exequi; nam, vt omittam, quòd verba intentionem significant. *c. Humanæ aures 22. q.5.* & *l. labes* ff. de *suppellect. legat.* ac proinde, cùm verba minantis malum

lum inferendum promittant, meritò quis id poterit timere: adhuc non video cur, si homo armatus instet tibi aliquid præcipiēs minando mortem, non possis timere iustè mortem. Vnde *l.3.in principio* vers. *Qui armati* ff. *de vi, & vi armata* dicitur: *sufficit enim terror armorum, vt videantur armis deiecisse.* Et idem ferè docet lex Castellæ 15. *tit.* 2. *Partit.* 4. ibi: *como si vi esse armas:* & notat ibi Greg. Lopez, & Ioan. Garzia *de nobilit. Gloss.* 17. *n.* 16. & quamuis adhuc expressè non inferatur vis, satis nihilominùs est timere ne inferatur, vt timor in eâ occasione censeatur iustus iuxta *l. nouissimè* ff. *Quod falso tutore* ibi: *metuens ne compelletur &* l. *si donationes* c. *Quod metus causa &* l. *interpositas* c. *de Transactionibus* aliisque multis allegatis à Mascardo *de probat.* Verbo *metus concl.* 10. 55. *n.* 49. Nec sufficit ad sedandum metum, quod ferens arma, illa deponat; quando enim potest adhuc illis vti, parum refert depositio *l. Quoties* §. *Qui in potestate* & *l. indelictis* in principio ff. *de noxalib.* Ita Sanchez *l.* 4. *disp.* 5 *n.* 5. cum Gloss. super dictam *l.* 3. *verb. se deiecerunt.* & ibi Angel. Item Gregor. Lopez in citatam *l. Castellæ* super verbo *Tubiessen.* Antonius Gabriel 2. *tomo commun. opinion.* verbo *metus.* Cucus *l.* 5. *inst. Maior. tit.* 12. *n.* 159. Gutierr. *cons.* 16. *n.* 10. Quamuis ergo nunquàm alicui minans intulerit malum, potest metus cadere in constantem virum ex eo præcisè, quòd armatus præcipiat.

Lex Castellæ. Lopez. Garzia. Mascard. Sanchez. Glossa. Angelus. Lopez. Anton. Gabriel. Cucus. Gutierr.

35. *Firmatur vlterius doctrina data à simili.*

Vlteriùs; quamuis delictum factum præsumi non debeat, nisi probetur *l. meritò* ff. *pro socio*, efficiendum tamen benè potest præsumi, si ipsemet Reus efficiendum proponat, aut dicat se velle facere; nam, si quando reus dicit se delictum, commisisse, infertur saltem semiplena probatio delicti commissi, sufficiensque indicium, vt subiiciatur torturæ, docetque Decius *in c. at si Clerici* de *iudic* Immola *in c. post inquisit. de elect.* & alij, quos refert & sequitur Mascard. *de probat.* verbo *delictum concluf.* 492. *n.* 1. etiam inferetur quasi semiplena probatio, & non leuis præsumptio delicti committendi, si quis minetur, atque adeò asserat se commissurum: poterit ergo etiam à constanti viro timeri.

Decius. Immola. Mascard.

36. *Respondetur fundamento in contrarium explicando commune dictum.*

Quando autem Doctores docent ad incutiendum metum grauem requiri necessariò, quòd incutiens solitus sit minas exequi, debent intelligi, quando alioquin solitus est minari, si enim minari solitus sit, & minas non exequi, non est cur ita timeatur executurus, timendus alioquin, si minari solitus exequi, etiam solitus sit. Nam, qui minatur, & non exequitur, solùm ad terrorem censetur minari sine animo exequendi l. *metum* c. *de iis, quæ vi.* quod si non constet, illum aliàs solere minari, nulla videtur ratio sufficiens, ob quam iactatis à viro potente minis non sit grauiter timendus.

37. *Prudens additum à Sanchezio & Veroio.*

Imò rectè docet Sanchez *lib.* 4. *disputat.* 6. *numer.* 22. cum Veraio *c.* 1. *de off. deleg. numer.* 19. metum grauem posse esse in casu dubij, an quis atrox, sit, & minas exequutioni mandaturus: Ita etiam Bonacina *de matrim. q.* 3. *puncto* 8. *n.* 7. Ochagauia *de matrim. tract.* 3. *q.* 24. referens Abbatem *c.* 1. *num.* 3. *de off. deleg.* Fœlinus *ibi. n.* 2. Decius *n.* 11. Henriq. *l.* 11. *de matrim. c.* 9. *n.* 3. Basil. *l.* 4. *c.* 2. *numer.* 8.

Bonacina. Ochagau. Abbas. Fœlinus. Decius. Henriq. Basilius.

DVBITATIO IV.

An? & quâ ratione requiratur ad metum grauem quod patiens metum non possit facilè resistere? & quomodò tres conditiones prædictæ intelligendæ sint?

QVamuis malum inferendum grauissimum sit, si tamen facilè vitari possit, satis constat metum illius non posse esse grauem in eo, qui nouit vim, aut potentiam, quam habet illud euitandi. Quapropter sibi imputare debet, si malum eueniat, quod potuisset facilè arcere. Ita Sylvester verbo *Metus q.* 1. Cucus *l.* 5. *Inst. Maior tit.* 12. *n.* 155. Sanchez *l.* 4. *disp.* 1. *n.* 23. Coninc *disp.* 28. *dub.* 2. *num.* 23. Bonacina *supra*, & alij apud ipsum. Basilius *l.* 4. *cap.* 2. *numer.* 6. Iam verò circa tres prædictas conditiones aliqua sunt aduertenda.

38. *Metus mali grauis facilè euitabilis nunquam est grauis metus.*

Sylvester. Cucus. Sanchez. Coninc. Bonacina. Alij. Basilius.

Aduertendum primò metus grauitatem pensandam esse (vt dubit. 1. notabam) per ordinem ad personas quæ metum patiuntur, nam (vt rectè Menoch. *l.* 1. centur. 2. *casu* 135. *num.* 2.) non omnes vnius conditionis sumus; aliqui enim constantissimi sunt, quos nullum periculi aut tormenti genus terret, aliqui verò mustelâ ipsâ timidiores, Austri leues flatus verentur. Et quidem negari non potest, quin feminæ timidiores sint viris, & pueri hominibus prouectæ iam ætatis. Quapropter quod malum adolescentibus magnum non esset, nec sufficiens, vt eius timor esset grauis, feminæ, vel puero sufficiens censeri potest. Idque latè probat Tiraquel. deleg. connub. *l.* 9. *Gloss.* 1. *num.* 106. Menoch. *l.* 2. *de arbitr. Centuria.* 2. *casu* 133. *nu.* 5. & 5. Nauarrus *c.* 22. *n.* 11. Molin. Iurista *lib.* 2. *de primog. c.* 3. *n.* 10. Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *p. c.* 3. *paragrapho* 4. *numer.* 2. Flamin. *lib.* 13. *de Resignat. q.* 1. *n.* 58. Sanchez *lib.* 4. *disp.* 3. *à n.* 2. cum aliis multis, quos refert.

39. *Grauitas metus vnde pensanda. Menoch. Respectu personarum diuersarum grauitas pensanda.*

Tiraquell. Menoch. Nauarr. Molina. Couarr. Flamin. Sanchez. *Cũ multis.*

Illud autem in hac re difficultatem ingerit non modicam. Nam, si malum graue censeri debet habito respectu ad personam, quæ patitur metum, sæpe contingit aliquem ita esse timidum, vt malo alioquin leui, vitatuque facili moueatur, velitque potiùs contractum celebrare, quàm metui subiacere, & tamen *in L. metum.* La. 2. ff. *de eo, quòd metus causa.* Consultus docet *metum non vani hominis, sed, qui meritò & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicimus* & l. *nec timorem* 7. *vers. proinde* el. 1. ff. *de eo, quod metus causâ* dicitur: *si quis meticulosus rem frustra metueret, per hoc edictum non restituitur.* Ex quibus legibus videtur inferri oppositum eius, quod diximus, scilicèt metus grauitatem non esse sumendam habitu respectu ad patientem, eiusque phantasiam, seu imaginationem, sed ex ipsâ rei, quæ timetur grauitate, & docet Sanch. *lib.* 4. *disp.* 1. *n.* 14. aliique nonnulli.

40. *Difficultas data doctrina ex animi multorum pusillanimitate. Videri possunt leges obstare.*

Sanchez.

Verùm hæc facilè ad concordiam videntur posse reuocari; nam, si loquamur de metu, quatenùs deseruit ad annullandum contractum sic

41. *Conciliantur prædicta.*

disponente iure positiuo, non quicunque metus censetur sufficiens per respectum ad personam; sed tantùm ille, qui grauiter constantem virum mouere possit. Vnde ne litibus occasio detur, voluit ius Canonicum & Ciuile, vt solus metus de re graui contractum rescindere valeat; metus verò leuis pro nihilo habeatur, sicut expresè notauit Less. *lib. 2. c. 17. dub. 6. n. 45. in 2. editione.* Si verò loquamur de metu, quatenùs causat inuoluntarium, poterit malum etiam leue non sufficiens constantem virum mouere, causare inuoluntarium, si, tanquàm graue malum apprehendatur; non minùs quam illud, quod re verâ graue malum est; nam graue malum non aliâ ratione mouet ad sui fugam; nisi quatenùs tale apprehenditur: ergo, si leue malum tanquàm graue apprehendatur, non minus mouebit, & inuoluntarium causabit.

Lessius.

42. *Doctrina data seruiens pro contractibus mutuis & onerosis.*

Hæc doctrina maximè deseruiet pro contractibus mutuis & onerosis, de quibus in *proprio Tract.* diximus iure positiuo esse, vel irritos vel irritandos iuxta varias sententias cùm tamen validi sint iure naturæ. Quod verò attinet ad donationem, vel promissionem liberalem suppositâ sententiâ, quod donatio, & promissio liberalis requirat plenum voluntarium, dicendum videtur solam apprehensionem grauis mali sufficere, vt metus ille tollens voluntarium plenum, reddat donationem, aut promissionem liberalem iure naturæ inualidam, quando metus dedit causam promissioni, aut donationi ita, vt illo non obsistente donatio, promissione fieret, de quo diximus *in nostro opere de iustitia.*

Discrimen inter eos cõtractus & donationem liberalem, seu promissionem.

43. *Aduertendũ secundo, non requiri vt malũ quod timetur sit tantum in propria persona.*

Aduertendum est secundò non esse necessarium quòd malum cuius metu quis tenetur, sit malũ in propriâ personâ sustinendum; sat enim est, quod illud timeat in personis sibi maximè coniunctis, vt in filijs, vxore, propinquis, vel consanguineis, vel affinibus ex matrimonio proprio; horum enim malorum particeps ita quis censetur, vt meritò possit mala propria reputare, iusteque timere potest sibi inferendum malum, si ob eam causam sibi sanguine iunctis infertur. Ita cum aliis Mascardus *de Probat. concluf.* 1055. *num.* 24. Flamin. *de Resign. lib.* 13. *quæst.* 1. *n.* 158. Matienzo *lib.* 5. *Recopil. titul.* 1. *Rubr. Gloss.* 1. *num.* 189. Sanchez cum aliis, quos refert *lib.* 4. *disp.* 4. *num.* 8. & 11. Perez *disp.* 17. *sect.* 2. *num.* 15. Debent autem consanguinei vel affines esse intra quartum gradum, vt eorum malum aut metus censeatur propriùs; nam extra illum gradum communi hominum æstimatione iam non censentur consanguinei vel affines, vt docet idem Sanchez *supra num.* 12. Ochagauia *Tract.* 3. *de matrim. q.* 25. *n.* 2. Perez *suprà* & alij.

Solum consanguinei intra quartum gradũ sunt tales. Mascard. Flamin. Matienzo. Sanchez. Ochagau. Perez.

44. *Sufficit si persona sit amicissima.*

Sufficiet autem metus incussus, aut damnum graue, quod timeatur alteri amicissimo; quia bona amici propria censentur. Ita Sanchez *supra num.* 9. Ochagauia *num.* 2. Less. *lib.* 2. *c.* 17. *dub.* 6. *in principio num.* 35. Perez *suprà* & alij. Idem quoque dicendum videtur de domesticis alicuius iuxta *c. Quicunque* de *sent. Excomm. in* 6. iuncta *Gloss.* verbo *suorum* & colligitur ex Clementina 1. *de excessib. Prælator.* verbo *Seruientes.* Ita Sanchez *supra num.* 10. Ochagauia supra Basil. *lib.* 4. *de matrimonio c.* 3. *num.* 4. limitat Perez, si ex domestici iniuria grauis quoque iniuria vel simile damnum sequeretur Domino. Vix tamen poterit non sequi, idque videntur supponere cæteri Auctores, cùm damnum domestici dicunt censeri proprium; secùs esset si non censeretur; tunc enim non esset casus noster, cùm nec directè, nec per resultantiam aliquod malum tunc esset timendum, & nos agimus de casu, quo quis timeat aliquod damnum à se sustinendum, sustinet autem non solùm in propriâ persona sed in alia sibi coniuncta.

Alij. Item Domestici. Sanchez. Basilius. *Limitat Perez.*

Vix habet locum limitatio.

45. *Aduertendũ tertiò graue metum prudentis viri sed maximè iudicis arbitrio diiudicandum. Certa in hoc regula nulla.*

Aduertendum est 3. vt *dub.* 1. indicabam arbitrio Iudicis, & prudentis viri pensandum esse metum grauem *L. metus autem causa* ff. *Ex quib. cauf. maior.* ibi *non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est.* Sanè certa regula definiri non potest, sæpe enim malum, quod quis minatus est, quantumuis graue, non facilè euitari potest. Sæpe etiam, qui minatur, non valet exequi; quia is, cui minatur, validior est. Vnde ex arbitrio prudentis viri pro foro conscientiæ, & iudicis pro foro externo, huius rei cognitio, seu discretio dependet, sicut & an plura mala, singula quidem parua constituant vnum cumulum grauem? & an vnumquodque malum per se ipsum sufficiat, vt incarceratio, amissio diuitiarum, precum molestia, & similia? Ita Gloss. *L. interpositas* verbo *Cruciatum C. de Transact.* & ibi Bald. Item Gloss. *in c. penultimum de iis, quæ vi metúsue causâ fiunt.* Couarruu. *de sponsalib. p. 2. cap. 3. §. 4. num.* 8. vbi rem latè & optimè explicat multis relatis Syluest. verbo *Metus quæst.* 2. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *Centuria* 2. *casu* 135. Sanchez *lib.* 4. *disp.* 1. *num.* 1. *& sequentibus* Basilius *lib.* 4. *c.* 4. *num.* 2.

Gloss. Baldus. *Alia Gloss.* Couarr. Sylvester. Menoch. Sanchez. Basilius.

46. *Aduertunt Sanchez & Basilius contra Villalobos.*

Qui duo postremi rectè aduertunt prædictum iudicis arbitrium non solum Canonico, & Cæsareo iure; sed etiam Regio Castellæ requiri quidquid in contrarium dixerit Villalobos *in Antinomia iuris Ciuilis, & Regij verbo metus num.* 14. nam præter argumenta supra facta, præsertim quòd sæpe grauitas mali, & potestas illud vitandi non sit ita clara, quin iudicis arbitrium necessarium sit, ex ipsa etiam *l.* 7. *tit.* 33. *Partitâ* 7. satis constat; nam post enumerata aliqua mala, quæ grauem metum inducunt, subiungit: *De tal miedo como esse, o otro semejante:* ergo, vt discernatur; an simile, vel æquale malum sit illi, quod in iure est expressum, in foro externo iudicis arbitrium requiritur; in foro autem conscientię prudentis & timorati viri præsertim Confessarij.

Villalobos.

DVBITATIO V.

An matrimonium contractum ex metu cadente inconstantem virum, sit nullũ?

47. *Supponenda principia quædam ex aliis materijs. Metus leuis non infirmat matrimonium. Ratio.*

PRincipia ex aliis locis & materiis supponenda potiùs, quàm tractanda sunt. Consentiunt ergo Doctores matrimonium ex metu leui etiam iniustè à causâ liberâ incusso, & in finem extorquendi matrimonium non esse irritum ex eo capite; constatque ex vsu Ecclesiæ approbantis talia matrimonia; nullumque ius apparet, ratione cuius irritum sit, non quidem posi-

positiuum ; imò in pluribus supponitur esse validum, non etiam naturale, seu ex naturâ rei, id enim à fortiori stabit ex dicendis.

48. *Si metus grauis non sit incussus exteriùs ad extorquendum matrimonium nõ infirmat illud. Sanchez testatur esse certũ apud omnes. Coninc. Ratio.*

Consentiunt etiam matrimonium ex metu graui quantumuis iniusto contractum valere, si metus non sit incussus expressè, & exterius ad extorquendum matrimonium. Ita Sanchez *lib.4.disp.12.n.3.& sequentibus* docens hanc conclusionem esse certissimam apud omnes ; item Coninc *disp.28.num.9.* Ratio verò est, quia non iure naturali, vt ex dicendis constabit, neque positiuo ciuili, aut Ecclesiastico : nullum enim tale extat, neque ab Auctoribus producitur. Neque enim Ecclesia irritauit matrimonium contractum ex metu, quantumuis graui & iniusto, qui non fuerit ad eum finem incussus. Ideò enim irritauit matrimonia metu inita ; ne alij quemquam metu matrimonium inire cogant, & ne patiens metum per iniuriam compellatur ad rem sibi odiosam. Quæ rationes in hoc casu deficiunt ; quia tunc contrahens non adigitur ab alio ad contrahendum ; sed ipse se ipso eligit matrimonium, quia id putat esse medium ad euitandum aliud malum, quod timet.

49. *Occurritur obiectioni ex defectu voluntarij.*

Neque obstat, quòd matrimonium celebratum per metum incussum ad alium finẽ, quàm ad illud extorquendum sit aliquo modo inuoluntarium; nam tale inuoluntarium non censetur causa consensus; sed tantùm occasio, ac proinde non satis est ad reddendum irritum matrimonium.

50. *Confirmatur.*

Confirmatur; quia alioquin contrahens matrimonium, eo quòd medici iudicarent esse necessarium ad vitam seruandam, secùs nullo modo contracturus, inualidè censeretur contrahere; quod nemo affirmauerit.

51. *Status præsentis dubitationis exponitur.*

Iam verò difficultas est an matrimonium cõtractum ex metu iniusto cadenti in constantem virum, & incusso expressè, & exterius ad illud extorquendum, sit nullum?

52. *Sententia affirmans valere, sed esse irritabile. Cardin. Probat 1. Probat 2.*

Aliqui affirmant esse validum, sed irritandum. Ita Cardinalis *c.2. de iis. quæ vi q.1.* Probat verò primò, quia alij contractus non sunt irriti, sed irritandi: ergo & hic. Secundo, quia alia Sacramenta, puta Baptismum, Confirmatio, Ordo & extrema vnctio validè sic conferuntur, & suscipiuntur : ergo etiam Sacramentum matrimonij.

53. *Alij negant valere in foro externo, sed tantum in foro conscientiæ. Aliqui anonymi apud D. Thom. Probant.*

Alij putant tale matrimonium, si verè adsit consensus valere in foro conscientiæ ; in foro autem externo non valere. Ita aliqui, quos citato nomine refert D. Thomas *in 4.dist.29. q.vnicâ art.3.q.1.in corpore.* Probant, quia Ecclesiæ præsumit talem non ex animo protulisse verba : nam *in c. Cùm locum de sponsalibus* redditur ratio cur matrimonium coactum sit nullum, quia nimirum matrimonium solo consensu perficitur, & vbi coactio est, deficit consensus.

54. *Assertio, ex metu graui in eum finẽ liberè incusso in neutro foro valet. Coninc. Sanchez. Basilius.*

Asserendum est matrimonium initum metu cadente in constantem virum, & incusso ad eum finem à causa libera esse nullum in vtroque foro. Ita Coninc supra *dub. 1. num.5.* Sanchez *citatâ disp.12.n.18.* Basilius *lib.4.c.14.* alij innumeri apud citatos. Quibus adde Perez *disp.17. sect.10.num.3.& seqq.* qui in *totâ disput.illâ* latè & doctè agit de valore cuiusuis contractus tam onerosi quàm lucrativi interueniente metu, & quâ doctrinâ generali nos nunc abstinemus, cùm habeat suum locum in materia contractuum, de quo diximus *in nostro opere de iustitiâ lib.2.tract.3.dub.7.& Tract.4.dub.3.* & non pauca dixi in hoc tractatu *de matrimonio disp.1.* præsertim *dub.22.* & aliqua *dub.23.* nec oportet principia ex aliis materiis ex instituto explicare, sed supponere vt dixi in principio huius dubitationis, est enim communis Doctorum sententia. *Alij innumeri. Perez.*

Ratio verò est, quia supponitur ita in *c.significauit 2.de eo, qui duxit in matrimonio* & in *c. Cum locum 14.* & in *c.Veniens 15.* & *in c. Consultationi tuæ de sponsalib.* Quæ verba latè expendit Sanchez, ego tamen nunc non expendo, quia tam clara per se sunt, vt tantum indigeant oculis aduocatis, permittitur enim liberè à Pontificibus matrimonium metu contractum deserere, & aliud inire is, *qui vel metu coactus, qui posset in virum constantem cadere* : vel ille, *cui tanta vis illata fuerit, quòd non sponte in primam consenserit.* *Ratio generalis. Sanchez.*

55. *Ex dictis reijcitur prima sententia.*

Ex his textibus patet contra secundam sententiam non tantùm in foro exteriori, sed interiori, & re ipsa matrimonium esse nullum; quia in eis absolutè & absque vllâ restrictione supponitur esse nullum, & eo matrimonio non obstante, posse cum aliâ validè contrahi, & cum eâ perseuerare, quod esset omnino falsum (ne quid grauius dicam) si in foro interno, & re ipsâ matrimonium valeret.

56. *Habet locũ sententia etiam si metus sit incussus ab aliquo tertio.*

Habet autem hæc doctrina locum nõ solùm quando metus fuit incussus ab altero contrahente, sed etiam ab alio tertio, id enim apertè supponitur *in citato c. Veniens*, vbi casus erat de eo, qui coactus fuit ducere illam, cum quâ fuerat inuentus, & docet Pontifex cogendum quidem esse cum illâ manere, *nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsauerit.* Ita post alios Perez *supra num.5.* vbi testatur esse communem sententiam Doctorum, & idem dicendum rectè putat *num 8.* de constitutione procuratoris ad contrahendum, quia censetur adhuc durare consensus, nisi sit reuocatus, probatque ex *c. finali de procuratoribus in 6.* Res est satis clara videatur idem Auctor. Ex dictis patet ad fundamenta secundæ sententiæ. *Perez post alios & testatur de communi. Item est de constituendo procuratore ad contrahendum.*

Ex dictis solutum est fundamentum secundæ sententiæ.

Ad primum, primæ sententiæ respondemus, negando paritatem ; nam ius positiuum non voluit esse irritos cæteros contractus metu factos, sed irritandos, vt diximus *in nostro opere de iustitiâ loco citato* agentes *de contractibus in genere*, secùs verò matrimonium, quem contractum voluit Ecclesia metu graui initum non valere; quia nimirum cæteri contractus, vt *loco citato* diximus, & *in hoc etiam tract.disp.1. dub.22.* possunt facilè rescindi à iudice ; non verò matrimonium, qui contractus naturâ suâ perpetuus est, & indissolubilis. Ac proinde meritò requisiuit Ecclesia maiorem libertatem in illo, quàm in aliis. 57. *Ad primũ prima sententiæ.*

Ad secundum respondetur negando etiam paritatem & antecedens. Cætera enim Sacramenta non eâdem ratione sunt irritabilia ab Ecclesiâ, sicuti contractus matrimonij, in quo prædicta ratio irritandi vt contractum reperitur, eoque irritato deficit materia requisita, vt sit Sacramentum iuxta dicta *disp.3, dub.2.* 58. *Ad secundum.*

DVBITATIO VI.ª

Quo iure matrimonium prædicto metu initum sit nullum?

59. *Non est irritum iure diuino; id fatentur omnes.* QVod non sit nullum iure aliquo Diuino, in confesso est apud omnes; de tali enim iure nobis non constat. Solùm ergo quærimus an iure naturali? an tantùm positiuo humano? an vtroque simul sit irritum?

De naturali aut positiuo quæritur. Prima sententia putat esse irritum iure naturali. Ita Antoninus 3.*p.tit.*1. *cap.*7. Couarruu. 2.*p.c.*3.§.5. Rebellus 2.*de matrimon.quæst.*11. *sect.*1. Basilius *lib.*4.*c.*14.& alij multi apud Sanchez & Basilium tam Theologi, quàm iurisperiti quos sequitur Diana 4.*p.tract.*4. *resolut.*33. §. *notandum* vbi aliquos refert inter quos est noster Molina *tomo* 2.*de iustitia tract.*2. *disp.* 326. *in solut.*2.*argumenti* & Recentiores grauissimi. Imò multi ex iis, qui sequuntur oppositam sententiam hanc appellant vel probabilem, vel valdè probabilem, vt sunt Sotus, Victoria, Ledesma, Palatios, Ludouicus, Lopez, ibidem à Sanchez relati, & quidem mihi videtur valdè probabilis. Probatur verò primò, quia in turibus Ecclesiasticis, in quibus mentio fit nullitatis matrimonij, non irritantur matrimonia sic facta; sed supponuntur irrita, ibi enim sermo est de matrimoniis anteà contractis, quæ semel valida non possunt ab Ecclesiâ irrita fieri, & in iis textibus supponuntur priùs fuisse nulla, iure scilicèt antiquiori, non diuino, vt patet, & aduersarij concedunt: ergo naturali. Confirmatur, quia in iis Textibut nullitas matrimonij non reuocatur ad ius aliquod Ecclesiasticum; à quo fuerint facta irrita; sed tantùm reuocatur ad defectum consensus, hic autem iure naturali requisitum videtur ad valorem matrimonij: ergo iure naturali non Ecclesiastico in textibus supponitur irritum.

Primasententia esse irritum iure naturæ. Antonin. Couarr. Rebellus. Basilius. *Alij multi apud Sanch. & Basilium.* *Diana cum aliis.* Molina. *Meritò eam Recentiores Grauissimi.* *Probabilem valdè epellant sequentes oppositã.* *Item.* Sotus. Victoria. Ledesma. Palatios. Perez. *Probatur* 1. *Confirmatur.*

61. *Probatur* 2. Probatur secundò quia matrimonium ex suâ naturâ est perpetuum, & indissolubile, naturâque suâ ordinatum ad prolem amanter habendam, honestè educandam, & ad mutuum amorem, mutuaque obsequia præstanda, seruandamque fidem mutuam. Ex quibus omnibus apparet, ad matrimonium suâ naturâ non sufficere voluntarium ex metu & coactione; omnis enim violentia repugnat perpetuitati, & fini etiam matrimonij; quod enim coactè celebratum est, non videtur aptum ad omnia prædicta. Omitto alia argumenta, quæ maiori ex parte communia sunt non tantùm pro matrimonio, sed pro cæteris etiam contractibus.

62. *Secunda sententia probabilior negat iure naturali, sed tantum positiuo irrita Ecclesiastico.* *Sanchez. cũ plurimis.* Durand. Paludan. Sotus. Ledesma. Henriq. Aragon. Coninc. Bonacina. Lessius. Hurtad. Perez. *Prima ratio.* Secunda probabilior sententia docet hanc nullitatem prouenire non à iure positiuo Ecclesiastico. Ita Sanchez *citatâ disp.*14.*num.*2. qui plurimos refert pro hac sententia. Inter quos Durandus *in* 4.*dist.*29.*quæst.*2. Paludanus ibi *q.*1.*articulo* 3. Sotus *ibi quæst.*1.*art.*3. Ledesma 2. *p.quarti q.*49.*art.*3. Henriquez *lib.*11.*de matrim.c.*9. *nu.*1. Aragon 22. *q.*88. quibus & aliis adde Coninc *disp.*28.*dub.*1. *nu.*5. & deinceps Bonacina *quæst.*3. *puncto* 4 *num.*8. Lessius *lib.*2.*c.*17. *dub.*7. *num.*47. Hurtadum *disp.*6.*diff.*2. *nu.*3. Perez *disp.*17. *sect.*11. *num.*2. Ratio eorum est primò, quia matrimonium sic contractum non censetur irritum iure naturali ratione iniustitiæ illatæ in ipsâ metus grauis incussione; nam etiam quando fit ex metu leui iniustè incusso, est vera iniustitia, quamuis leuis, talisque, vt in aliis contractibus etiam obliget ad restitutionem, sicut grauis. Nec tamẽ ideò matrimonium ex dicto metu leui censetur nullum iure naturali; ergo nec ex metu graui, quantumuis interueniat grauior iniustitia. Vlteriùs non est nullum iure naturali ex defectu libertatis, (quam metus impedit) ratione cuius defectus matrimonium non censetur omnino voluntarium; nam, si hoc sufficeret, etiam matrimonium ex metu leui iniusto, imò etiam ex graui iusto, incussoque ad id extorquendum, non est omnino voluntarium; quin potiùs aliquando est minùs voluntarium, quàm factum ex dicto metu graui iniustè incusso etiam in eum finem extorquendi matrimonium, & tamen matrimonium initum ex illis aliis metibus non est iure naturæ irritum, vt fatentur aduersarij; ergo nec factum ex prædicto metu erit irritum propter defectum liberatis. Hâc ratione paulò aliter vtitur Sanchez, eamque approbant plerique Auctores moderni, qui hanc sententiam sequuntur. Verùm quamuis mihi hæc probabilis etiam ratio appareat, adhuc tamen videtur probabiliter posse ab aduersariis eneruari ex illo medicorum, quasi axiomate *singula quæ non prosunt simul coniuncta iuuant.* Fateri ergo possunt aduersarij nec solam iniustitiam, nisi hæc sit grauis, nec solùm libertatis diminutionem ex metu, nisi hæc sit iniusta, id est ex iniusto metu, neque has etiam duas, nisi sint in ordine ad exrorquendum matrimonium, posse facere, vt matrimonium sit iure naturæ nullum. Quod si omnia simul confluant, tunc prædictam nullitatem inducere, quam seorsim non possunt, quia nihil horum seorsim ita lædit arbitrium, & libertatem iniquâ necessitate cogendo, vt non dicatur matrimonium satis voluntarium, nam, si metus sit leuis, & iniustitia leuis, parum pro nihilo reputatur, & non censetur tanta vis, vt tollat voluntarium, quale requiritur ad prædictum contractum in ordine ad omnes illos fines, in quos notabat ea sententia matrimonium ordinari, nempe in perpetuitatem, prolem amanter habendam, & benè educandam, in mutuum coniugum amorem, & mutua obsequia, mutuam fidem, &c. Quæ omnia parum satis læduntur ex metu leui, quãtumuis iniusto; sicut etiam ex metu graui parum, aut nihil læduntur, quando non est incussus in eum finem, etiamsi sit iniustè incussus; nam tunc sponte & voluntate suâ mouetur ad eligendum hoc medium, vt euitet aliud damnum absque eo; quod adigatur ad illud medium. Quando verò metus est iustus, & cogitur quis iustè per grauem metum matrimonium contrahere, cum iure naturę teneatur contrahere matrimonium, non censetur contra ius naturæ, quòd quis à iustè potente iustè cogatur matrimonium contrahere, & id implere quod tenetur. Secùs verò contingit, quando omnia prædicta deficiunt, & quis cogitur non solùm metu; sed graui, nec solùm graui; sed iniusto, nec solùm iniusto; sed tendente ad extorquen-

Sanchez Paulo aliter vtitur hoc argumento cæteri eamdẽm rationẽ probant. *Probabilis ea ratio est, sed patet ouasio pro aduersarijs.* *Axioma Medicorum hîc applicatur.*

torquendum non debitum matrimonium: ergo non rectè argumentatur secunda sententia dum ostendens ex singulis capitibus prædictis non prouenire nullitatem iure naturæ, inferre vult absolutè talem nullitatem non prouenire ex omnibus illis concutrentibus, cùm id, quod non possunt impedire singula seorsim, non mirum quod possint omnia simul.

63. *Confirmatur prædicta suasio.* Confirmatur; quia in iure positiuo, in quo nos concedimus contractum esse nullum, non est nullum, nisi illa omnia simul concurrant, scilicèt quòd metus sit grauis, & iniustus, & incussus in finem extorquendi matrimonium. Illa ergo ratio, seu congruentia rationi conformis, quam fatemur mouisse Pontifices ad statuendã nullitatem matrimonij, ita omnia prædicta requirit, vt singula non sufficiant; nimirum; quia non in singulis prædictis defectibus; sed in omnibus simul talem congruentiam rationis inuenerunt, vt irritum pronunciarent & decernerent matrimonium ex tali metu ortum. Eâdem ergo ratione auctores primæ sententiæ respondere possunt id, quod illis iure naturæ sufficiens apparet, vt matrimonium metu factum sit irritum, non reperiri in singulis defectibus seorsim, sed in omnibus simul. Quod nõ video expendisse Auctores nostræ sententiæ.

64. *Alia secunda ratio potior.* Ideò placet vti secundâ ratione, quæ est quasi à priori, scilicèt. Ad valorem omnium aliorum contractuum, imò etiam ipsius matrimonij sufficiunt ex naturâ rei, seu iure naturali duo nempe titulus, & voluntarium simpliciter, & absolutè. Hæc autem reperiuntur etiam in matrimonio, quantumuis oriatur ex metu graui iniustè incusso ad illud extorquendum: ergo etiam iure naturæ valebit, & absque vllo fundamento aliquid aliud requiretur ad valorem illius. Maior prædicti syllogismi satis constat, & etiam ab aduersariis plerisque conceditur. Minor verò probatur; quia talis metus non adimit à matrimonio, quod ex ipso procedit, titulum, qui est corpus vnius datum pro corpore alterius. Nam in matrimonio corpus pro corpore confertur, sicut in emptione datur pretium pro re, & in venditione res pro pretio, &c. item non adimit voluntarium simpliciter, & absolutè; quia in tali casu matrimonium, vt supponimus est efficaciter voluntarium, quippe quod procedit ex efficaci voluntate, etiamsi habeat mixtum inuoluntarium secundum quid, quod etiam habet matrimonium procedens ex alio metu, qui sit, vel non grauis, vel non iniustus, vel non ordinatus ad extorquendum matrimonium. Omitto alias rationes, quæ possunt videri apud Sanchez, neque omnino sunt efficaces.

65. *Cõcluditur doctrina ex dictis, & probatur esse nullum iure positiuo, non diuino ergo humano. Non extat nunc tale ius in scriptis primo constituens, sed supponitur.* Ex dictis habemus matrimonium ex tali metu factum non esse nullum iure naturæ. Cùm autem ex dictis dub. præcedenti constet esse nullum: restat esse nullum iure positiuo, non verò Diuino, vt diximus: ergo iure humano Ecclesiastico, non sanè quia iure scripto, quod nunc extet, reperiatur aliquis Textus, in quo de nouo & primò irritetur, sed, quia in eo iure, quod modo extat capitibus illis citatis *dub. præcedenti* irritatur quidem verbis ex se sufficientibus ad irritandum, si alioquin non supponeretur anteà irritum, siue id fuerit iure aliquo etiam Ecclesiastico scripto quidem; sed quod iam non inueniatur (quod etiam in Sacris Scripturæ libris contigit iniuriâ temporum) siue viuæ vocis oraculo, aut aliâ via inducto. Quæ quamuis hodie non constet, non ideò reuocanda sunt ad ius naturæ.

66. *Ad primum primæ sententiæ.* Ad primum argumentum primæ sententiæ ex dictis respondetur matrimonium sic factum esse nullum iure Ecclesiastico, tùm, quod nunc habemus in prædictis Textibus tùm alio iure antiquiore, etiam Ecclesiastico, vt explicatum est, atque in Textibus, qui nunc extant, nullitas asseritur, non, quia deficiat consensus ad eorum valorem iure naturali necessarius; sed quia deficiat consensus, qualem maximè conuenit, & expedit esse; nempe non coactum metu graui iniusto, & ad illum consensum extorquendum ordinato. Quam ob causam iure Ecclesiastico talis consensus factus fuit insufficiens, sicut consensus clandestinus fuit etiam redditus insufficiens, potuitque sic fieri iuxta dicta *disp. præcedenti dub.* 2. atque ex his patet ad confirmationẽ. *Ad confirmationem patet ex dictis.*

67. *Ad secundum.* Ad secundum argumentum respondemus concedendo antecedens, quòd scilicèt matrimonium ex naturâ suâ sit perpetuum, indissolubile, & ordinatum ad prolem, amorem, mutua obsequia, fidem, &c. nego tamen consequentiam; neque enim coactio, quę non facit inuoluntarium simpliciter, seu violentum (vt reuera non facit, hæc coactio, de quâ agimus) repugnat perpetuitati matrimonij, neque prædictis finibus illius, etiamsi illis non sit satis expediens ac proinde sufficiens quidem, vt Ecclesię præbuerit causam irritandi, non verò, vt ex se fiant iure naturæ irrita matrimonia.

68. *Illatum. Matrimonio non baptizatorum ex tali metu facta valent.* Ex hac doctrina infertur matrimonia non baptizatorum ex prædicto metu facta valida esse iure naturæ, atque adeò absolutè valida; quia non reperitur aliud ius irritans, nisi Ecclesiasticum, hoc autem non comprehendit non baptizatos subditos aliorum Principum supremorum in temporalibus, vtpote non Papæ subiectos, imò etiam non comprehendit non baptizatos subditos in temporalibus Pontifici, vt in simili diximus de matrimonio clandestino *disp. præcedenti dub.* 4. quia nimirum Leges meræ Ecclesiasticę, qualis censetur hæc, solùm obligant eos, qui sunt Ecclesiæ spiritualiter subiecti.

DVBITATIO VII.

An matrimonium ex metu graui iusto, & incusso ad illud extorquendum, sit validum?

69. *Prima sententia negat valere. Sotus. Couarr. Multi apud Sanchez. Probat ex iure Canonico. Rationi probat.* PRima sententia docet matrimonium ex tali metu factum esse nullum. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. Couarruuias 4. *Decretal.* 2. *p. c.* 3. §. 4. Gloss. *in c. veniens* & 2. *de sponsalibus* & alij multi apud Sanchez *lib.* 4. *disp.* 13. *num.* 1. deducique videtur ex dicto *c. veniens.* Vbi supponitur matrimonium initum cum filia eius, qui iuuenem cum ea repererat esse nullum solùm; quia eos coegit contrahere, cùm tamen metus ille iustus fuerit. Ratione verò probatur; quia metus grauis, etiam iustus impedit plenam libertatem

non

non minùs, quàm iniustus: ergo non minùs irritabit matrimonium.

70. *Quorumdã limitatio. Rebellus. Alij quidã.* Rebellus *q.11.sect.2.lib.2.* alijque nonnulli sequentes hanc sententiam eam limitant vt solùm vera sit, quando quis cogitur nullâ à se datâ occasione ex se inducente ad eam coactionem v.g. quando post commissum homicidium incutitur alicui metus mortis alioquin iustæ, & iuridicè inferendę; nisi certam aliquam ducat; tunc enim verè cogitur ab extrinseco. Si tamen cogitur ad matrimonium occasione ab ipso data inducête ad eam coactionem, matrimonium fit validum, vt, quando quis aliquam corrupit, aut sponsalium fidem fregit, quo casu non tam dicitur ab extrinseco compelli, & cogi; quàm à se ipso, quia ex se ipso dedit occasionem inducentem, vt constringeretur ad contrahendum.

71. *Secunda sententia distinguens.* Secunda sententia distinguit, si metus ad finem matrimonij extorquendi sit lege incussus, vt cum lex statuit, quod Virginis violator illam ducat, & ad id compellatur, tunc, quamuis metu mortis ad id compellat Iudex, valere matrimonium. Secus verò, si metus non esset lege incussus. Primam partem probat, quia Iudex iuridicè procedens non censetur inferre metum, vt bene Gloss. *c. Cum dilectus* verb. *metum de iis quari* & ibi Imola *num.*8. constatque ex *L. continet* 3 *§. sed vim* ff. *de eo, quod metus causa* ibi. *Sed vim accipimus atrocem, & eam, quæ aduersus bonos mores fiat, non eam, quam Magistratus intulit, scilicèt iure licito, & iure honoris, quem sustinet.* Accedit, quòd non tàm Iudex dicitur iniicere tunc metum, quàm liberare à timore pœnæ legis concepto; neque vllâ irrogatur iniuria metum passo, cùm tunc sponte suâ delictum admittens, se fecerit ob noxium illi pœnæ; atque in hac parte non multum differt. vt patet hæc sententia à præcedenti cum limitatione Rebelli. In secunda verò parte conuenit cum prima sententia & eisdem rationibus probat. Hęc sententia sicut & prima, confirmari potest, quoad primam partem *Ex c.1. & 2. de adult.* vbi, desumitur præceptum *ex c.22. Exodi* statuitque vt deflorans dolosè Virginem, eam, & ducere, & dotare cogatur, quod tamen non statueret, si ius sentiret tale matrimonium coactum nullius esse valoris. Ita docent multi apud Sanchez *disp.13.n.2.*

Primam partem probat. Gloss. Imola. *Non multũ differt hæc sententia à præcedente, siue ob limitationem siue etiam cõsentiendo illi. Probatur quoad primam partẽ. Multi apud* Sanchez.

72. *Tertia sententia probabilior negat metum iuste incussũ inualidare matrimonium. Sanchez cum multis* Henriq. Ledesma. Coninc. Layman. *Recentiores.* Perez. Lessius. *Alij multi.* Tertia sententia probabilior docet nullum metum iustè incussum etiam absque occasione inducente ad id, reddere matrimonium inualidum. Ita Sanchez *lib.4.disp.13.citata num.5.* cum multis Henriquez *lib.11.de matrimonio cap.9.* Petrus de Ledesma *de matrimonio quæst.47. art.3. dub.1.* Coninc *disp.28.dub.1.* Laymã *lib.5. tract.10. part.2.c.5.num* 2. & alij Recentiores, vt Perez *disp.17.sect.8. & sect.16.num.10.* & *seqq.* Item Less. *lib.2.c.17.dub.6.num.40.* & alij multi.

73. *Ratio præcipua.* Ratio præcipua est, quia tale matrimonium neque est nullum iure naturæ iuxta dicta *dub. præcedenti.* Cùm talis metus neque auferat libertatem sufficientem, nec titulum corporis pro corpore, vt ibi explicuimus; neque etiam est inualidum iure Ecclesiastico, quo iure tantùm constat irritari matrimonium factum ex metu graui iniusto. Vt constat ex *c. significauit 2. & c. Cum locum* 14. & *c. Veniens* 15. & *c. Consultationi tuæ* 38. *quæ retulimus dub.5.* In quibus supponitur matrimonium ex hoc solùm metu esse irritum, non verò reperitur textus, in quo, vel dicatur, vel supponatur talis metus iustus irritare matrimonium. Imò rationi cõsonum est, vt, quamuis iniustus irritet, non irritet iustus. Nam matrimonium ex metu iniusto factum fit ab extrinseco cogente, matrimonium verò ex iusto metu non tàm dicitur fieri ab extrinseco, quàm ab ipso, qui cogitur, cùm ipse dederit causam, vt sibi licitè & iustè possit coactio inferri, etiamsi causa, quam dedit non sit ex se inducens ad eam coactionem.

74. *Illatum pro praxi & pro solutione cõfirmationis argumenti oppositæ sententiæ ex iure Canonico.* Hinc est, vt qui inuentus cum femina cum ea contrahit coactus metu accusationis, validè contrahat; id enim facit ex metu iustè illato. Secùs verò, si contrahat ex metu mortis incusso tunc ad hunc finem; quia metus ille iniustus est, & grauis, taliscque censetur ille, ex quo iuuenis, cuius fit mentio. *In citato c. veniens* contraxit. Atque hâc ratione soluitur fundamentum inde petitum pro aduersariis tam primæ quàm secundę sententiæ in eo, in quo nobis contrarium sentit secunda.

75. *Ad argumentum in contrarium* Ad argumentum verò respondetur, metum grauem quamuis iustum etiam aliquo modo impedire libertatem, sicut impedit iniustus; neutrum tamen tollere voluntarium simpliciter, & libertatem sufficientem ex naturâ rei ad contractum etiam matrimonij iuxta dicta *dub. præcedenti*, ius tamen positiuum irritâsse contractum initum ex metu graui iniusto in eum finem incusso; non verò contractum ex metu graui iusto etiam incusso in eum finem, vt explicatum est.

76. *Alia argumenta secũda sententia potius sunt pro nobis.* Farinac. Alia argumenta quibus vtitur secunda sententia probans metum lege incussum non impedire matrimonium, nostram sententiam potiùs confirmant, & in ea parte nemo ferè est; qui dissentiat, vt videre est in Farinacio *p.1. practicæ crimin. q.5.num.17.* Basilio *lib.4.c.13.num.5. & seq.* Sed adhuc pro secunda parte secundæ sententiæ, in quam consentit etiam prima sententia, nonnulla obiici possunt.

77. *Obiectio 1.* Obiicies 1. Nemo ab alio, quàm à se ipso obligari potest ad matrimonium, sicut neque ad professionem. Sunt enim status isti summam libertatem requirentes, sed ex delicto commisso non manet delinquens obligatus ad matrimonium, vel professionẽ saltẽ nõ semper: ergo, si de facto obligatur, tunc ex metu graui iniustè obligatur, neque enim iustum est matrimonium extorquere ab eo, qui iustè renuere poterat.

78. *Respõdetur.* Respondeo neminem quidem obligari posse ad matrimonium, vel professionem ab alio, quã à se ipso absolutè; posse tamen sub conditione v.g. vt tu cedas alicui iuri, quod habes aduersùs illum, ob cuius cessionem postulas matrimonium, vel professionem; tunc enim non cogis ad matrimonium, sed ipse eligit matrimonium, qui vult cessionem impetrare per illud medium.

79. *Obiectio 2. à duplici simili.* Obiicies 2. Si tu habeas ius accusandi de delicto, &, vt cedas accusationi, extorqueas à delinquente summam aliquam, qui excedat pretium iustum illius cessionis, accusationis vltra dimidium, vel, si tu, vt concedas latebras latroni fugienti extorqueas ab illo contractum nimis

grauem

grauem committis iniustitiam, rescindiq; contractus potest, vel ad æqualitatem reduci, vt docet Lessius *c. illo* 17. *n.* 45. tunc enim obligas delinquentem ad emendam cessionem iuris longè plus iusto pretio, ergo etiam erit iniustitia, si ob hanc cessionem extorqueas matrimonium ab illo, alioquin non celebraturo, tunc enim rem petis non solùm vltra dimidium; sed longè plus excedentem cessioni iuris accusandi, aut cuilibet alteri actioni, ergo matrimonium ex tali contractu celebratum est nullum. Hæc vltima consequentia probatur, quia metus & dolus, qui sufficit ad rescindendos alios contractus reddit cõtractum matrimonij nullum, eo quòd semel validum rescindi non potest, vt iam diximus & concedit Sanchez *disp. 6. nu.* 2. Cum Couarruu. 4. *Decretal. 2. p. c. 3. §. 6. n.* 4. qui testatur ab omnibus esse receptum. Item Nauarrus, Ludouicus, Lopez & alij apud Sanchez ergo, &c.

Lessius. Sanchez. Couarr. Nauarr. Lopez. *Alij.*

80. *Respõdetur.* Respondetur concedendo metum iniustè incussum sufficientem ad rescindendos alios contractus annullare matrimonium; quia tamen metus iustè incussus etiam cum enormi læsione; (qualis est metus in exemplis adductis) non rescindit cæteros contractus ratione metus (est enim iustus;) sed ratione læsionis: ideò non annullat matrimonium.

81. *Vrgebis, Respondetur.* Sed vrgebis saltem annullabit ratione læsionis? Respondetur, si læsio sit circa substantiam contractus etiam annullabit: si verò sit circa accidentia, nullo modo annullat, tunc autem læsio circa substantiam contractus matrimonij contingit quando, vel est error in personâ, vel in conditione seruili, vt, si contrahas cum Mariâ putans esse Ioannam, vel cum ancillâ putans esse liberam. Quod autem existimes esse nobilem, diuitem, vel Virginem, & reuera non sit, non pertinet ad contractus substantiam, sed ad accidentia illius, ac proinde talis læsio non annullat. In reliquis verò contractibus bonæ fidei, quælibet læsio in pretio est, læsio in substantia, eâque de causâ potest contractus rescindi, vel ad æqualitatem reduci, vt rectè docet Sanchez citata *disp. 6. n.* 15.

Sanchez.

82. *Obiectio 3.* Obiicies tertiò. Accusatio delicti ad punitionem delicti ordinatur, non ad matrimonium ergo iniustè facit, qui per accusationis minas matrimonium extorquet.

83. *Respõdetur.* Respondetur concedendo delicti accusationẽ de se ordinari ad punitionem; non ad matrimonium; non tamen ideò iniustitiam cõmittere, qui vt ab accusatione licita cesset, tanquàm in prẽmium cessationis postulat matrimonium; neque enim absolutè extorquet matrimonium; sed proponit conditionem; sub quâ recedet à iure accusandi, quod habet.

DVBITATIO VIII.

84. *De quali metu sit quæstio.* *An, si quis metu cogatur contrahere cum aliquâ ex filiabus Petri, valeat matrimonium?*

85. *Prima sententia affirmat valere. Azor. Sylua nuptialis.* LOquimur de metu graui iniusto, & ad id exteriùs ordinato, qualẽ generaliter diximus sufficere ad inualidandum matrimonium.

Prima sententia affirmat matrimonium valere. Ita Azor. *lib. 1. cap. 11. q. 11.* Sylua nuptialis *lib. 2.*

n. 119. Cosma Pragmat. sanctione *tit. de election.* §. *Ad tollendum* Ioann. Lupus *c. Per vestras de donat. inter virum & vxorem* notab. 3. §. 11. *n.* 1. Panorm. Felin. Imol. Iason. & alij apud Couarr. 4. *Decret. 2. p. c. 3. §. 5. n.* 8. & apud Dianam *p.* 4. *Tra.* 4. *resol.* 33.

Cosm. Pragmat. Lupus. Panormit. Felinus. Imola. Iason. *Alij apud Couarruu. & apud Dianam.*

Probari potest 1. quia matrimonium nõ potest dici absolutè coactum; sed omnino liberum, & voluntarium, nulla enim est coactio facta circa electionem illius feminæ, cùm possit, quam malit ex filiabus Petri, eligere: solùm autem coactio reperitur in ordine ad electionem matrimonij absolutè.

86. *Probatur 1.*

87. *Probatur 2. à simili.* Probatur secundò à simili; quia, si quis cogatur regimen Ecclesiæ sumere relictâ facultate eligendi, quàm maluerit Ecclesiam, valet electio, sicut valeret etiam electio, quâ Electores cogerentur eligere, non certam personam, sed aliquã ex certis in Regimẽ alicuius Ecclesiæ, vt docent Azor. & Couarru. suprà cum Panormitano, & communi sententia: ergo pari ratione valebit matrimonium, si quis non certam personam; sed vnam ex certis cogatur ducere; quia nimirum in eo casu substantia electionis videtur non coacta; sed libera.

Azor. Couarr. Panormit. *Communis sententia.*

88. *Assertio nõ valere.* Asserendum nihilominùs est tale matrimonium non valere. Ita Couarr. *supra* referens Bartol. Bald. Decium, & Philippum. Item Salas 1. 2. *tract. 3. disp. 3. sect. 1. num.* 27. Sanchez cum multis *lib. 4. disp. 12. num.* 20. Padilla in L. *Interpositas* C. *de Transact.* Rebellus 2. *p. lib. 2. q. 11. sect. 1. num.* 11. Basilius *lib. 4. c. 14. num.* 14. & omissis aliis rationibus, probari potest; quia, qui sic coactus contrahit, verè & propriè censetur coactus contrahere, & ex metu & coactione matrimonium assumere: aliàs non assumpturus: ergo tale matrimonium comprehenditur sub Ecclesiastico iure irritante matrimonia coacta, cùm verè sit coactum, & ex illo matrimonio infelices possint exitus timeri, sicut ex quolibet alio matrimonio coacto. Quæ ratio fuit, quæ mouit inter alias Ecclesiam, vt statueret inualidum esse matrimonium iniustè coactum. Neque argumenta in contrarium aliquid probant.

Couarr. Barrolus. Baldus. Decius. Philippus. Salas. Sanchez. *cum multis* Padilla. Rebellus. Basilius. *Ratio.*

89. *Ad primum oppositæ sententiæ patet iam responsio.* Ad primum patet responsio ex ipsâ probatione nostræ assertionis: nam ad matrimonium liberum non sufficit electio huius, vel illius personę; sed necesse est, quòd electio talis status libera plenè sit, non coacta grauiter, vel in ordine ad personas certi generis, vel in ordine ad ipsum statum.

90. *Ad secundũ responsio Sanchezij.* Ad secundũ respondet Sanchez disparẽ esse rationem de electione, & de matrimonio; nam ad electionem inter duos obligari quis poterat lege, aut præcepto superioris: ad matrimonium verò nullâ lege potest obligari: nisi priùs ex suâ voluntate obligetur. Quapropter, quamuis electio ex metu fiat; si tamen optio detur inter personas, non videtur coactio sufficiens ad irritandam electionem: quia non cogitur elector ad id, quod alioquin ex præcepto obligari non poterat.

91. *Difficultas non caret ea solutio.* Verùm hæc solutio difficultate non caret: ex illa enim sequeretur nullam electionem futuram esse irritam, quia de quâlibet esse potest Lex, & præceptum obligans fieri.

92. *Aliter respondetur.* Ideò placet respondere, quòd, si electio coacta ita irrita esset *ex c. 3. §. Cæterum de elect. in 6.*

sicut irritum est matrimonium ex metu contractum *ex c. cùm locum de sponsalib.* & ex aliis citatis *dub. præcedenti & dub.* 5. Probabilius putarem, etiamsi optio detur eligendi vnam ex determinatis personis, vel Ecclesijs (dummodò per metum iniustum cogeretur quis ad electionem) eam electionem in eo casu fore irritam, quia tamen in eo *cap.* 3. non sic est irrita electio, sicut matrimonium est irritum Ecclesiastico iure; non est eadem ratio in vno, atque in alio. Vtrum autem electio, si non sit irrita, sit saltem irritanda? non est huius loci disputare.

DVBITATIO IX.

De quibusdam in particulari resoluendis ex doctrina præcedentium dubitationum.

93. *Aliqua pro praxi deducenda ex dictis in præcedentibus. Infertur* 1. *valere matrimonium eius qui vt liberetur à morte eligit oblatum matrimonium.* Sanchez. Perez.

EX dictis hucusque placet pro praxi aliqua deducere. Infertur ergo primo ex dictis de matrimonio ex metu graui iusto, valere matrimonium eius, qui damnatus est ad mortem, & libertas illi offertur, si ducat meretricem, vel filiam, aut consanguineam occisi, tunc enim matrimonium non extorquetur propriè per metum in eum finem incussum, & iniustè; sed metu mortis iam per delictum incusso offertur illi matrimonium, tanquàm medium, quo se possit liberare à metu. Ita Sanchez cum multis *disp.* 12. *num.* 8. Perez *disp.* 17. *sect.* 9. *num.* 4. & in simili *num.* 5. & 6.

94. *Habet locũ hoc etiam si iniuste quis sit captus & condemnatus, si id nõ fiat in finem extorquendi matrimonium.* Sanchez. Valentia. Bonacina. Coninc. Nauarr. Sotus. Couarr. Basilius. Perez.

Hæc ratio & doctrina non solum habet locum in eo, qui captus est, condemnatusque iustè ad mortem, sed etiam in eo, qui iniustè sit captus, & condemnatus, dummodo non sit captus, & condemnatus in finem extorquendi matrimonium: semper enim tunc offertur matrimonium, vt medium euadendi metum. Ita Sanchez ibidem *num.* 11. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *quæst.* 3. *puncto* 2. Bonacina *de matrimonio quæst.* 3. *puncto* 8. *num.* 20. Coninc *disput.* 28. *dub.* 1. *num.* 10. Nauarrus *lib.* 1. *consilior. tit. de iis, quæ vi. conf.* 8. *in fine in* 2. *edit.* Sotus *in* 4. *distinct.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. Couarruuias apud Bonacinam, Basilius *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 2. (quamuis *num.* 3. nonnihil videatur contradicere) item Perez *supra num.* 5. & 6. quidquid aliqui videantur reclamare. Vt Basilius ipse in casu illo filiæ iudicis, sed in omnibus eadem est ratio, tunc enim eligitur matrimonium vt medium ad euadendum, & non per illam immunitatem cogitur, sed ea offertur, & ille eam eligit.

95. *Infertur* 2. *valor matrimonij Medici nolentis curare nisi ager ducat eius filiam. Occurritur obiectioni.* Rebellus. Coninc. Bonacina. Sanchez. Corduba. Sà.

Infertur secundò Medicum nolentem ægroto mederi; nisi ægrotus ducat eius filiam, valere matrimonium, neque enim matrimonium celebrat metu mortis à medico incussæ, sed tanquàm pretium curationis. Quamuis autem fortasse pretium sit excessiuum, non annullat contractum, quia non est error, & dolus in substantiâ contractus, vt diximus *dub.* 7. sed in accidentibus. Ita Rebellus *Lib.* 2. *quæst.* 9. *num.* 15. Coninc *supra num.* 11. Bonacina *supra num.* 23. Sanchez *disp.* 12. *num.* 15. Corduba *in summa q.* 171. Sà verbo *matrimonium num.* 52. qui est *num.* 9. in impedimentis dirimentibus matrimonium alijque multi apud ipsos. *Alij multi.* 96. *Limitanda ea doctrina.* Coninc. Basilius. *Recentiores. Nisi aliunde Medicus ex iustitia teneretur. Ratio.* Perez.

Hanc verò doctrinam limitandam puto cum Coninc citato *num.* 11. & 12. & cum Basilio *lib.* 4. *cap.* 13 *num.* 3. & 9. & *cap.* 19. *num.* 15. aliisque Recentioribus, nisi Medicus alioquin teneretur ex iustitia pretio communiter taxato; tunc enim, qui minatur non curare, nisi ob matrimonium, minatur metũ iniustè inferendum, ac proinde sub metu iniustè incusso matrimonium extorquet, & ordinato in finem matrimonij. Consentit Perez *supra num.* 10. paulo aliter explicans, sed in substantia idem docet.

97. *Aliqui limitationem extendunt ad obligationem ex charitate. Difficilis ea extensio. Ratio.*

Extendunt verò aliqui ex prædictis doctoribus ad casum, quo Medicus teneatur etiam curare ex charitate; quod mihi sanè difficilè apparet, tùm, quia curatio illa non debetur ex iustitiâ, vt supponimus; sed ex solâ Charitate, quæ obligat, quando ægrotus non habet aliud medium, quàm accipiendo gratis curationem à medico, & tunc fateor medicum teneri ex Charitate illum gratis curare, si sit probabilis spes curandi; sed hic non est casus præsens, nam, quando ægrotus habet aliquid, quod offerat medico in pretium curationis, non est destitutus omni medio præter curationem gratuitam, vt hic contingit, cùm habeat pro medio curationem compensatam matrimonio filiæ; medicus autem, si saltem illo modo potest habere compensationem, neque ex charitate tenetur gratis curare, neque etiam ex iustitiâ, vt supponimus. Vnde, quando pretium non est excessiuum, in primis, quatenùs ad valorem matrimonij non obstat, quia iuxta dicta ille dolus non est in substantiâ contractus, & quamuis peccet medicus, fortasse tunc contra iustitiam, teneaturque si possit, valorem compensare, non tamen id obest validitati matrimonij.

98. *Non satis constat quod medicus tunc peccet contra iustitiam.*

Dixi *fortasse*, quia, neque mihi videtur in eo casu, quando ægrotus non habet aliud, in quo soluat, contra iustitiam peccare exigendo matrimonium, etiamsi pretium sit excessiuum; quia si medicus curat & non inde accipit solutionem, non habet spem vnde posteà pretium curationis accipiat, vt supponimus, ergo alteruter illorum debet aliquid pati in eo contractu, nempe vel medicus curare sine accepto stipendio curationis, ne cogat ægrotum non habentem aliud pretium dare suam filiam; quia hoc est pretium excessiuum, vel ægrotus debet dare pretium excessiuum, vt habeat curationem. In tali autem casu non videtur peccare Medicus volendo, vt potiùs patiatur ægrotus dãdo pretium excessiuum, nempe matrimonium filiæ, quàm, quòd patiatur ipsemet carendo stipendio, quod aliter non potest, nec sperat habere ab ægroto, & sufficiet tunc compensare ægroto, quantum prudentis arbitrio iudicetur excedere dedisse filiam cõparatione laboris & diligentiæ impensæ in curando ægrotũ. Quod si medicus non possit compensare, id erit per accidens, quod declaratur exemplo; nam, si ægrotus ille non haberet filiam, sed gemmam magni pretij, & nihil aliud, quod posset dare medico, neq; esset modus diuendẽdi illã, posset medicus nolle curare, nisi daret gemmam, quãtũuis pretiũ excederet; teneretur autẽ medicus, si posset cõpensare excessũ pretij vel diuẽdendo,

cùm

cùm primum posset, & reddendo ægroto excessum pretij, vel de suâ pecunia ipsum excessum compensando. Quod si neutrum horum statim possit, non peccabit accipiendo, & retinendo gemmam, quantumuis excedat pretium curationis compensaturus tandem cùm primùm possit.

99. *Infertur 3. resolutio pro casu quo à iudice cogatur iustè nō re ipsa sed secundum allegata & probata.* Inferrur 3. resolutio illius quæstionis an, scilicet, matrimonium valeat, si iudex cogat iustè quidem secundùm allegata & probata iniustè tamen secundùm rem; vt, si te cogat matrimonium contrahere cum femina, cui promisisti. Illa verò post tuam promissionem cum altero fornicata est, & tu non potes id probare. In quo sanè casu non admodum facili Auctores non consentiunt Sanchez lib. 4. disput. 14. num. 8. Bonacina *quæst. 3. puncto 8. num. 14.* & alij apud ipsos putant valere; quia huiusmodi compulsio, & coactio iuridica est & iusta formaliter ac proinde credi non debet matrimonium ex illa contractum esse reprobatum à iure; nam, si ius talem coactionem non reprobat, sed potiùs approbat, non potest meritò matrimonium ex coactione consurgens reprobare. Docent vlteriùs prædicti Auctores, si è contra contingat; vt iudex cogat iniustè secundùm allegata & probata, re tamen verâ iustè, prædictū matrimonium non valere contraria, scilicet, ratione; quia ius reprobat talem coactionem iudicis iniustè procedentis secundùm allegata & probata. Hæc sententia valdè probabilis est.

Diſſentiunt Auctores. Affirmant valere. Sanchez. Bonacina. Alij apud ipsos. Ratio. E contra putant non valere si re ipsâ iusta esset coactio sed iniusta ex allegatis & probatis. Ratio. Valde probabilis ea sententia.

100. *Probabile est attendendū ad iustitiam ex parte patientis potius, quàm iudicis.* Probabile nihilominus puto ad irritandum hunc contractum non esse attendendum sitne coactio iusta & licita ex parte iudicis; sed ex parte patientis coactionem: Quamuis enim iudex tunc iustè procedat ex parte suâ, atque adeò coactio, vt ab illo proueniens iusta sit, ex parte tamen patientis, qui non dedit causam tali coactioni omnino iniusta est, & indignè petitur: ergo ius irritans cōtractum ex coactione iniustâ non excludit hunc casum; maximè, cùm ius irritando contractum matrimonij per iniustam vim initi; non minùs voluerit fauere coacto, ne iniustam vim patiatur, quàm non fauere, sed impedire cogentem, ne iniustam vim, aut metum incutiat, imò potiori ratione dicendum est voluisse fauere patienti, quàm resistere cogenti; ergo credendum est in hoc casu patienti fauisse, cùm possit.

101. *Aliquorum probatio à simili.* Probant aliqui 2. à simili; quia si pater puellæ minaretur iuueni cum eâ reperto mortem, nisi eam duceret; nullū esset matrimonium, vt omnes Doctores docent *in c. veniens el. 2. de sponsalibus* quamuis ex errore existimaret pater licitam sibi esse coactionem, quia in re & respectu patientis metum iniusta est; atqui, quando Iudex cogit ob allegata, & probata, quæ falsa sunt in re, & respectu patientis metū, iniusta est coactio: ergo impedit valorem contractus.

102. *Non videtur ea ratio satis probare.* Hæc tamen ratio non mihi videtur satis conuellere præcipuum fundamentum alterius sententiæ, quæ ideò dicebat prædictam coactionem non inualidare contractum; quia actio illa cogendi non reprobatur à iure, sed potiùs approbatur, vt à iudice iuridicè facta secundùm allegata & probata. In patre verò illam coactionem & metu, quem incutit, ius non approbat; sed potiùs reprobat: quia vel non præsumit talem errorem, vel etiamsi postea præsumatur vel probetur, non censetur ius velle illi errori assistere & fauere; sed potiùs vim patienti, cùm tamen actioni iudicis assistat, eamque approbet. Vnde non est cur aliqui Recentiores nimium velint fidere huic rationi.

103. *Probatur 3.* Probatur tertiò quia, si contra te falsò probetur te dedisse fidem puellæ de matrimonio contrahendo, & à iudice cogaris carcere, vel excommunicatione contrahere, non censeris causa talis metus, quia non tu; sed malitia, vel ignorantia testium illius est causa, ergo rescindi debet talis contractus. Probatur consequentia ex *l. si.* mulier 21. in principio ff. *de eo, quod metus causâ*, vbi mulier contra Patronum suum ingrata facta timens ob ingratitudinem reducendam esse in seruitutem. Ex eo timore aliquid donauit; & tamen donatio non reuocatur, quia hunc sibi metum ipsa intulit: ergo, ne rescindatur contractus, requiritur necessariò, quod patiens metum sibi eum metum intulerit, quem tamen non intulit in nostro casu, vt supponimus, quamuis oppositum probetur in foro externo. Hac ratione vtuntur aliqui Recentiores.

104. *Non placet ea ratio.* Ego tamen vim huius discursus non satis percipio. Nam vel supponit probandum, vel nihil probat; quamuis enim concedamus prædictum carcere, vel excommunicatione coactū non esse veram causam sui metus & coactionis; imò neque verè incurrere excommunicationem in foro interno, tamen in foro externo est causa existimata, & probata sui metus, & coactionis, &, vt ab illâ se liberet, contrahit, & quærimus, an validè contrahat eo ipso, quòd secundùm allegata, & probata ex parte iudicis cogentis iustè cogatur. In lege autem illâ, quæ affertur, nihil video ad rem, quia, si non reuocatur illa donatio est; quia non solùm re ipsâ; sed in foro externo constabat illam fuisse ingratum, & potuisse à patrono libertatē sibi donatam reuocari, imò (quidquid fuisset in re ipsâ de ingratitudine) eo ipso, quòd in lege supponatur illa ingratitudo; censetur talis supponi, quę in foro externo constet secundū allegata, & probata; alioquin non diceretur illa sibi intulisse metum. Vnde cùm in nostro etiam casu in foro externo (licèt re ipsa falsò) constet prædictū sibi intulisse metū, id est illi iustā causam dedisse, iam censetur causa existimata, & metus existimatus iustus, & in hoc est difficultas, an sufficiat; idque non probatur ex prædictâ lege.

105. *Prebatur 4.* Quartò probatur, quia talis coactio iudicis fundatur in falsâ præsumptione, sed ea, quæ in falsâ præsumptione fundantur, non habent locum in foro animæ: quod veritate nititur *c. Tua c. Is qui fidem de sponsalibus*, ergo talis coactio in foro animæ non potest matrimonium approbare.

106. *Neque hac ratio licet paulò melior satis probat.* Hæc etiam ratio; quāuis probabilior sit præcedenti non multū cogit: quāuis enim absolutè concedamus, quantum ad ea, quæ pertinent ad forum animæ standum esse veritati; tamen fieri aliquando potest, vt propter bonum cōmune quis iuxta allegata & probata validè priuetur eo

eo bono, quod alioquin retinere posset, & licitè frui ; Hac ratione diximus de Censuris *tract.*10 *disp.*1.*dub.*24.§ *colligitur* 2. Quod quamuis iniustè excommunicatus, nec peccet, vt priùs dixeramus celebrando secluso scandalo, nec teneatur restituere fructus beneficij perceptos, aut percipiendos ; si tamen collatio, aut electio beneficij illi facta probetur in externo foro facta ipsi excommunicato in eodem foro externo ; non solùm tunc declarabitur irrita collatio ; sed reuera ; erit irrita, vt cum Suatio ibidem probauimus propter commune bonum ; quia, sicut communis existimatio confert titulum, & iurisdictionem propter bonum commune ; ita propter idem bonum communis existimatio tollet titulum propter bonum commune. Cùm ergo in nostro casu eo ipso, quòd quis secundùm allegata, & probata conuincitur, iustè passum fuisse metum, etiamsi reuerâ iniustè passus sit, in foro exteriori cogatur ducere feminam, cum illâ habitare, & copulam habere, bono communi, & ipsi est etiam contrahenti expediens, quod tale matrimonium validum sit, ne aperiatur via ad huiusmodi fornicarias copulationes. Et cùm matrimonium metu coactum ex naturâ rei validum sit, solumque sit inualidum ex iure positiuo ; meritò censeri debet ius positiuum non concedere tale priuilegium ei, qui vim patitur, quando, & bono communi & ipsi patienti metum, expedit, vt matrimonium valeat, suppositâ probatione in foro externo, sicut bono communi expedit in illo casu excommunicationis, quod iniustè atque adeò inualidè excommunicatus, sed iustè secundùm allegata & probata, reuerâ careat collatione, & electione beneficij quâ in foro externo spoliatur propter excommunicationem in eodem foro probatam.

Explicatur à simili.

Suarius.

107. *Probabilior videtur propter dicta primæ sententia.* *Sanchez.* *Bonacina.*

Ex his mihi videtur, probabilior sententia prima, quam sequitur Sanchez & Bonacina citati, quàm hæc secunda, quam sequitur Basilius *lib.*4 *cap.*11.*num.*11. & post illum aliqui Recentiores.

108. *Ad* 1. *argumentum.*

Ad primum argumentum (nam reliqua soluta sunt & impugnata) respondetur illam coactionem & metum incussum à iudice suppositis allegatis, & probatis, etiam esse iustam, id est iustè & meritò patiendam à cõtrahente, qui propter infortunium suum redactus est in eas angustias, vel (vt Christianiùs loquar) Deo sic permittente eo miseriarum deuenit, vt, vel passurus sit carceres, & Censuras, aliámue grauem pœnam, scandalumque in populo, & Ecclesiâ Dei causare, nisi pareat iudici sic ex parte suâ iustè præcipienti, vel matrimonium contracturus. Cumque hoc sit validum ex naturâ rei, nisi ius irritet, non censetur ius pro tali casu irritare. Et quamuis ex parte patientis requiratur iustus metus, iam in tali casu suppositis circumstantiis probationis iuridicè, tenetur ille pati, & tamquam sic obligato illi ius non assistet, irritando tale matrimonium.

109. *Infertur* 4.

Infertur 4. validum esse matrimonium, quod obsessus contraxit cum filia obsidentis. Vt euaderet molestiam obsidionis, dummodò obsidens non obsederit ad hunc finem ; validum etiam est contractum ab eo, qui iustè vel iniustè damnatus erat à iudice ad mortem ; sed iudex, aut alius promisit liberationem à morte, si ipsius iudicis filiam duceret, dummodò non fuerit damnatus in hunc finem. Ratio vtriusque casus est ; quia metus non fuit incussus ad extorquendum matrimonium, quod erat necessarium, vt inualidaretur matrimonium. Ita Doctores citati pro prima & secundâ illatione. Omitto alios casus, qui ex iisdem principiis resolui possunt.

DVBITATIO X.

An licèt matrimonium fuerit nullum ob iniustum metum, cuius alter contrahens fuit causa, teneatur idem ipse postea contrahere, si velit qui fuerat coactus.

110. *Status quæstionis in quo sit.*

DE illo, qui omnino liberè contraxit cum altero, qui fuit ex metu irritante coactus, & non fuit coactor, non videtur posse dubitari, quod nullo modo teneatur, quia ex nullo capite colligi potest illius obligatio. Solùm ergo dubitatur de eo, qui fuit causa aut occasio prædicti metus, quo secum alter contraheret.

111. *Affirmant sententia.* Henriq. Coninc. Basilius. *Recentiores.*

Aliqui affirmant teneri. Ita Nauarrus *cap.*22. *numero* 51. Henriquez *cap.*10. Coninc *disp.*28. *numero* 7. Basilius *lib.*4. *capit.* 17. & alij Recentiores.

112. *Probatur* 1. *ex iure Canonico.*

Probari potest primò ex *c. de eo, qui duxit,* vbi ille, qui secundam deceperat, obligetur mortuâ priore non, separari à posteriori, si ipsa velit, nè scilicèt, deceptor ex dolo commodum reportet ; ergo etiam in nostro casu propter eandem rationem non poterit à contractu discedere iniustus coactor.

113. *Probatur* 2. *ratione quasi à priori.*

Secundò probatur ratione, quasi à priori ; quia cogens infert iniuriam coacto, hanc verò tenetur resarcire, & non potest aliter ; nisi stando contractui ; ergo ad id tenetur, si coactus velit.

114. *Probatur* 3. *à simili.*

Probatur 3. à simili aliorum contractuum ; nam v. g. in venditione, si coactus venditor velit stare contractui, tenetur emptor illi stare : ergo, & in matrimonio, si velit coactus, tenebitur coactor.

115. *Assertio cũ secunda probabiliori sententiâ nõ teneri.* Sanchez. Ochagau. Hurtad. Perez. Gutierrez. Bonacina. *in simili.*

Asserendum nihilominùs est cum secunda, & probabiliori sententia, quam docet Sanchez *lib.*4. *disput.*15. *num.*5. Ochagauia *de matrimonio tract.*3. *quæst.*30. Hurtado *disp.*6. *difficult.*4. *nu.*16. Perez *disput.*17. *sect.*12. *num.*5. *& seqq.* prædictum non teneri stare matrimonio Gutierrez etiam *cap.*76.*num.*17. & Bonacina *quæst.*3. *punct.* 8.*num.*33. quamuis paulò post videatur inclinare in oppositam sententiam nostrã, sequũtur in alio simili casu ; nam, quando quis contraxit cum seruâ putans esse liberam, & postea detectâ seruitute vult perfistere in matrimonio, quod anteà fuit nullum, docent seruam ipsam non teneri, etiamsi ipsa causam dederit deceptionis. Ita Sotus *in* 4. *distinct.*35. *quæst. vnicâ art.*2. Angles *in floribus prima part. materia de matrimonio quæstion.*10. *de errore conditionis seruilis*

Sotus. Angles.

Barthol. Ledesma. Scotus.

tilis art.1.dub.1. Bartholomæus à Ledesma *dub.31. de matrimon concluſ.3.* & fauet Scotus *in 4.diſt.35. q. vnicâ* vbi ait, quando aliquis ingenuus contraxit cum ſeruâ, quæ decepit contrahentem, eſſe compellendam ſeruam altero volente in pœnam deceptionis. Sentit ergo Scotus eſſe neceſſariam ſententiam iudicis, atque adeò non obligare ex naturâ rei. Eandem ſententiam docent in alio ſimili Medina C. *de reſtitutione quæſt.33.* Conradus *de contractibus in ſumma totius operis quæſt.57. dicto 1.* dum docent, quando dolus dedit cauſam contractui, ac proinde ille nullus eſt in fauorem decepti, ex neutrâ parte obligationem conſurgere, quamuis deinceps cogendus ſit ſtare contractui, & poſt ſententiam latam teneri ei ſtare: ergo idem conſequenter ſentire debent in noſtro caſu, vbi ratione metus, & coactionis contractus eſt nullus, ſicut ibi ratione doli, aut deceptionis.

In alio ſimili. Medina. Conradus.

Ratio vnica omiſſis aliis. Hanc ſententiam latè probat Sanchez. Sed omiſſis aliis rationibus, ſufficiat ratio vnica, quæ aliarum omnium ferè vim contineat. Nam in tali caſu, cogens non tenetur in pœnam illatæ coactionis & iniuriæ, quæ in ea continetur; nullo enim iure talis pœna ſtatuta reperitur. Neque etiam tenetur cauſa reſarciendæ iniuriæ. Nam ſecluſis aliis damnis extrinſecis, ſi quæ fortè interuenerint, aut ſequuta fuerint, iniuria illa præcisè, & ratione ſui non exigit compenſationem (aut certè non tantam) imò reſarcibilis, aut compenſabilis non eſt ex ſuâ naturâ; neque vlteriùs tenetur ex eo, quòd conſenſum præbuit. Nam ex conſenſu præſtito in contractu mutuo non reſultat obligatio ex parte vnius, niſi etiam reſultet ex parte alterius, ſed in noſtro caſu non reſultat obligatio ex parte coacti ad denuo contrahendum; ergo nec ex parte coactoris; niſi, quando ex matrimonio coacto ſequutum eſt aliud damnum, quod aliter reſarciri nequeat. Imò adhuc requiritur, quod damnum adeò graue ſit, vt ob ipſius compenſationem non cenſeatur nimis rigidum, aut durum ad matrimonium contrahendum obligari. Nec argumenta oppoſitæ ſententiæ aliquid probant.

116. *Ad 1. argumentum oppoſita ſententia.* Ad primum petitum ex illo Textu reſpondetur ibi ſolùm contineri pœnam deceptionis, non coactionis, & pœnam vnius delicti non eſſe transferendam ad aliud, etiamſi eſſet eiuſdem generis, ne dum, ſi ſit diuerſi. Et quidquid de hoc ſit, ibi non eſt ſermo de pœnâ incurrendâ ipſo facto ante ſententiam Iudicis. Quare, etiamſi extenderetur à deceptione ad coactionem (quod negamus) adhuc non eſt talis pœna impoſita, ſaltem ipſo facto incurrenda ante ſententiam Iudicis; vt legenti conſtabit & docent Perez & alij. Ad ſecundum reſpondetur prædictam iniuriam vel non eſſe reſarciendam, quia reſarcibilis non eſt, vel quamuis eſſet reſarcibilis & reſarciri deberet, non tamen tantâ recompenſatione ſecluſis aliis damnis extrinſecis, in quo eſt alia ratio. Ad tertium reſpondetur concedendo in alijs contractibus cogentem teneri illis ſtare, ſi coactus velit; quia iuxta veriorem ſententiam contractus mutui, & oneroſi validi ſunt, etiam ex metu initi, quamuis alioquin irritandi in fauorem coacti; non verò contractus matrimonij, qui iure Eccleſiaſtico nullus eſt iuxta dicta.

Perez. *Alij.* *Ad 2.*

Quæret tamen aliquis an tale matrimonium ſaltem valeat, vt ſponſalia obligando ad contrahendum? affirmat Coninc *diſp.28.dub.1.nu.7.* & quidem alij. 117. *Quæſitum an valeat vt ſponſalia? Affirmat Coninc & alij quidã.*

Probabiliùs negat Perez neque enim talis obligationis apparet fundamentum ſufficiens, præſertim cùm contractus ſit omnino nullus, & non cauſet obligationem in coacto, neque in cogente ad eum modum, quo contractus puberum clandeſtinum vbi viget Tridentinum non valens vt matrimonium, etiam vt ſponſalia non valet. Et quidem in noſtro caſu verba de præſenti, quibus ille contractus nullus celebratur, nullam continent promiſſionem (vt rectè notat Perez *num.11.*) quâ quis ſe obliget ad futurum matrimonium implicitè, vel explicitè. 118. *Probabilius negatur à* Perez.

DVBITATIO XI.

An & quale peccatum ſit contrahere matrimonium ex metu illud irritante? 119.

CErtum imprimis ſit eum, qui inuincibiliter aut probabiliter ignorat matrimonium ſic coactum eſſe nullum, nullo modo peccare; quia bonâ fide contrahit. Solùm ergo quærimus de eo, qui, vel ſcientiâ, vel vincibili ignorantiâ procedit. Duobus autem modis id contingere poteſt. Primo; præbendo conſenſum verum & non fictum: ſecundo præbendo conſenſum fictum. *Qui neſcit inculpabiliter nullitatẽ talis matrimonij non peccat contrahendo. Ratio. Quæſtio eſt de ſciente aut culpabiliter ignorante. Dupliciter id contingit.*

Circa primum prima ſententia eſt peccare mortaliter peccato ſacrilegij. Ita docent aliqui, quos tacito nomine refert Petrus de Ledeſma *quæſt.47. art.3. in ſolutione ad 4.* Quam ſententiam ille etiam ex parte approbat diſtinguens ſi ſic contrahens velit ſimul efficere contractum, & Sacramentum, peccare mortaliter peccato ſacrilegij, ſecùs verò, ſi tantùm velit facere contractum ciuilem. Prioris partis fundamentum eſt; quia irritat Sacramentum applicando formam materiæ incapaci valoris. Secundæ verò partis; quia contractus ciuilis nullus eſt, & nulla cenſetur iniuria facta legibus irritantibus talem contractum. 120. *De Præbente tunc conſenſum verum. Prima ſententia affirmans peccare mortaliter. Aliqui apud Ledeſmam. Ille diſtinguit.*

Secunda ſententia docet nec venialiter peccare, ne dum mortaliter. Ita Sanchez *lib.4. diſp.16.* Coninc *diſp.28. dub.3.* Baſilius *cap.16.* & alij apud citatos: idemque videtur Bonacina *quæſt.3.puncto 8.nu.30.* dum abſolutè docet eum, qui matrimonium contrahit per metum grauem, non peccare nec mentiri; nam quantũ eſt (inquit) ex parte ſuâ intendit conſentire. Ita etiam Rodriquez, Sà, Valentia, Gutierrez, Reginaldus, Henriquez, apud eundem Bonacinam quibus adde Perez *diſput. 17. ſect.12. num.12 & ſeqq.* Probat verò hæc ſententia, quia non irritat Sacramentum, cùm non efficiat id, cui ex Chriſti inſtitutione conuenit ratio Sacramenti; id enim eſt contractus alioquin humanus validus; talis autem non eſt in eâ occaſione, ac proinde, nec applicat veram formam 121. *Secunda ſententia negat adhuc venialiter peccare.* Sanchez. Coninc. Baſilius. *Alij.* Bonacina. Rodriq. Sa. Valentia. Gutierrez. Reginald. Henriq. Perez. *Probatur.*

Sacramenti veræ materiæ; irritaret autem Sacramentum, qui validum quidem efficeret contractum, sed ex defectu intentionis non efficeret Sacramentum iuxta dicta *disp.2.dub.19.* peccaret autem peccato sacrilegij, vt ibidem notauimus & *dub.17.* quę sententia mihi placet.

Approbatur hæc secundâ sententia.

122. Circa secundum de consensu ficto prima sententia est Scoti *in 4.dist.29.q. vnica §. Hic dicitur.* Et supplementi Gabrielis ibi *art.2.* qui docent eum, qui ex metu irritante fictè solis verbis absque vero consensu contraxit, nullâ vtendo æquiuocatione, peccare mortaliter; quia sic fingens decipit alterum in re graui, eique grauem iniuriam irrogare videtur. Præterea, quia quantũ est ex parte sua irritat Sacramentũ.

De præbente tunc consensum fictum. Affirmant mortaliter peccare. Scotus. Supplem. Gabrielis. Ratio.

123. Asserendum est, etiam si nullâ vtatur æquiuocatione aut restrictione, sed absolutè mentiatur non peccare mortaliter; si verò æquiuocatione vtatur aut restrictione, nec venialiter peccare. Prima pars probatur, quia nullam iniuriam grauem irrogat eum decipiendo præter illam, quæ est in puro puto mẽdacio. Tum, quia licèt absque vllâ fictione contraheret, nihil amplius efficeret, quàm si fictè contraxisset, cùm in vtroque casu contractus esset inualidus. Tũ, quia aduersarius non habet ius ad verum consensum ex parte alterius: ergo nullo iure eum priuat, qui talem consensum non præbet. Secunda verò pars probatur; quia ex iusta causa profert verba, quibus alter decipitur, & in eo sensu, quo proferens intelligit non sunt mendacium. Sublatâ verò ratione mendacij, nihil restat amplius, ratione cuius dicatur peccare in tali casu in quo ex iustâ causâ æquiuocat, aut verba restringit. Inter alias vero restrictiones connumerari potest, quod verba proferantur tantùm materialiter, ac si non essent significatiua. Tunc enim sic illa proferendo nullam iniuriam irrogat cogenti, ad cuius mentem non tenetur respondere. Hanc assertionem quoad vtramque partem, docent Auctores citati suprà pro nostra sententia maximè Sanchez, Coninc, & Basilius. Illud autem de materiali prolatione verborum docet Sanchez supra ex Petro de Ledesma, quem refert *num.1.*

Assertio non peccat mortaliter, etiã non vtens æquiuocatione. Si vero vtatur æquiuocatione nec venialiter peccat. Prima pars probatur.

Secunda pars probatur.

Sanchez. Coninc. Basilius. Alij citati. Ledesma.

DVBITATIO XII.

An matrimonium inualidum propter metum, validum fiat posteà ob copulam subsequutam?

124. STatuendum in primis est id, in quo Doctores consentiunt, & deducitur *ex c.2. de eo, qui duxit* & ex *c.insuper 4. Qui matrimonium accusare possunt* matrimonium posteà reualidari copulâ spontaneâ, absque vllâ coactione. Quod intelligendum est copulâ sponte habitâ affectu coniugali maximè, si vera sit doctrina, de quâ diximus *disp.2.dub.9.* quòd scilicèt sufficiet superuenire consensum ex parte eius, qui inualidè consentit, vt matrimonium fiat validum; de cuius doctrinæ probabilitate satis ibi diximus. Quod si non fiat copula affectu maritali, non videtur valere, quãuis in foro externo cẽseatur sic facta.

Reualidatur copulâ posteà sponte habitâ. Consentiunt Doctores. Si fiat affectu coniugali secùs si nõ sic fiat.

Nisi forte in externo foro.

125. Item consentiunt Doctores reualidari ex cohabitatione diuturnâ, id est perseuerante vsque ad tempus, in quo erat opportunitas fugiendi vt constat ex *c.Ad id de sponsalib.* etiamsi non sequatur copula; solùm enim ibi habetur ratio habitationis, & requiritur vt sit diuturna, cùm tamen accedente copulâ nulla, ne dum diuturna, requireretur. Qua de re legi potest Sanchez *lib.4.disp.18.à n.3.* vbi requirit, vt ratificans matrimonium, sciat matrimonium priùs contractum fuisse nullum; si enim errore putabat validum fuisse, & sub eo errore cohabitet, aut etiam copula maritalis accedat; non ratificabitur. Quæ doctrina consonat cum iis, quæ diximus *disp 2 dub.10.* vbi seruanda est illa limitatio, quã *n.87.* ibi diximus de aliquali cognitione formidolosâ, & posteà *nu 89.* de cognitione aliquâ æquiualente scientiæ prioris nullitatis. Ibi legatur. De diuturna verò habitatione omissis aliis meritò dicendum est cum eodem Sanch. *n.6.* sufficere, saltem pro foro externo, quod datâ opportunitate fugiendi non fugerit. Quando autem dubium est de spontaneâ cohabitatione, standũ erit iudicio iudicis. Rectè autem aduertit idem Sanchez cum aliis illam opportunitatem moraliter esse accipiendam, non mathematicè; atque adeò prudentis viri iudicio discernendum est, qui pro foro externo censetur iudex. Ita verò esse debet spontanea habitatio, vt cessauerit iam grauis timoris causa, imò debet esse ea cessatio nota ipsi cohabitanti. Item debent cessare impedimenta redamandi. Vnde poterit in foro externo reclamare longo tempore post incussum, & transactum metum, si toto illo spatio moraliter & iudicio prudentis mensurando perseuerauerint prædicta impedimenta; nam tunc tantùm censetur quis metu gesta sponte approbare, quando potens reclamare tacet, vt cum Nauarro docet idem Sanchez *n.8.*

turna cohabitatione spontanea potentis fugere. Sanchez.

Nota requiri notitiam inualidi prioris contractus.

Quâ censenda diuturna cohabitatio.

In dubio stãdum iudicio iudicis. Sanchez cũ alijs.

Quædam in hac re requisita.

126. Hæc doctrina tota hucusq; tradita mihi placet pro foro externo, & quoad præsumptionẽ, non solùm, quando copula nõ fuit habita ex affectu coniugali, ideſt, tanquàm cum coniuge, & quãdo cohabitatio nõ perseuerat ex eo affectu; (in tali enim casu omnes consentiunt habere locum in foro externò tantùm) sed quando adesset talis affectus. At verò in conscientia, etiãsi copula habetur affectu coniugali (quidquid Sãchez dicat) nõ credo sufficere, vt matrimonium reualidetur habitatione, & copulâ. Cõsentit post alios Perez *disp.17.sect.13.n.2.& 5.* vbi pro diuturna habitatione rectè expendit textum illius *c.Ad id de sponsalib.* solùm probare valere pro foro externo. Quæ doctrina colligitur ex iis, quæ diximus contra eundem Sanchez *disp.2. dub.14.* habito respectu ad ea, quæ diximus eâdem *disp. dub.10.& disp.1.dub.41.* quibus in locis ostendimus ipsammet copulã non esse signũ consensus maritalis expressiuum. Vnde in nostro casu illa copula, vel cohabitatio; imò & affectus ille coniugalis, ex quo supponimus copulã, & habitationẽ procedere, non est ipsemet consensus, seu intentio ineundi seu ratificandi matrimonium; & quãuis sit, nõ sufficit, quia copula (vt dicebã) non est signum exterius, seu expressio exterior consensus, & multò minùs ipsa cohabitatio; sed tantùm est prudens quoddam, aut pium iudicium præcedentis consensus anteà habiti, & expressi spontaneè.

Valent prædicta pro foro externo ad præsumptionem.

Aliter censendum in foro cõscientiæ contra Sanchez. Perez.

Consonat hoc cum alijs, quæ alibi diximus.

Primò,

127. *Ex dictis quomodo in hac re censendum sit.*

Primò, si consequenter ad dicta locis notatis loqui velimus, dicendum est, post Tridentinum nec quoad forum externum esse locum præsumendi consensum priùs expressum ante copulam, & post transactum metum, qui consensus sufficiens sit ad matrimonium. Nam, si in foro externo constet matrimonium, quando fiebat coram Parocho & testibus, fuisse metu initum; atque adeò inualidum: non erit locus præsumendi consensum maritalem priùs habitum & sufficientem ad matrimonium; quia quamuis fuisset habitus non sufficeret, vtpotè clandestinus, solùm ergo post Tridentinum sufficit (si tamen sufficit) tantùm pro argumento contra ipsum reclamantem, vt præsumatur initio non contraxisse ex metu, eo quòd posteà cessante metu potens fugere, aut reclamare, nec fugit, nec reclamat. Nec video quânam aliâ ratione, sit locus prædictæ præsumptioni: solùm enim copula, aut habitatio potest esse signum, quòd nunc præstetur consensus spontaneus in opinione eiusdem Thomæ Sanchez & aliorum, quando & cohabitatio, & copula spontaneè habita; omnique iam metu cessante fit coram Parocho & testibus; quia nimirum putant eam copulam, aut cohabitationem esse ipsam expressionem consensus; quod non satis probant, vt notauimus locis citatis.

128. *Ex dictis cessat alia quæstio de copula & cohabitatione per metum.*

Ex prædictâ resolutione cessat, & à fortiori resoluta manet difficultas; an matrimonium anteà nullum ob metum grauem posteà reualidetur per copulam simili metu extortam, aut per cohabitationem diuturnam ex eodem metu?

129. *Aliqui affirmant reualidari.* Palud. Barth. Ledesma. Angles. *Probant.*

Non desunt nihilominùs qui putent reualidari. Ita Paludanus *in 4. dist. 29. 91. art. 4.* Bartholom. de Ledesma *dub. 23.* Angles *1. par. de matrimonio q. de sensu coacto art. 1. diffic. 4.* Probant; quia metus, quo quis cogitur ad copulã, quando matrimonium præsupponitur nullum, non est cadens in constantem virum, quia cogitur ad peccandum, ad quod vir constans non cogitur.

130. *Asserendũ consequẽter nõ reualidari.* Nauarr. Rebellus. Henriq. Gutierr. Reginald. Coninc. Sanchez. Valentia. Sa. Basilius. Bonacina. Perez. *Ratio.*

Asserendum tamen est consequenter ad dicta, non reualidari etiamsi vera esset sententia probabilis quæ docet copulam post matrimonium sponte habitam, quamuis nullum fuisset matrimonium, illud reualidare, sicut, & diuturnam habitationem spontaneam. Ita Nauarrus *c. 22. n. 52.* Rebel. *lib. 2. q. 9. num. 20.* Henriquez *lib. 11. c. 9. n. 7.* Gutierrez *c. 76. n. 41.* Reginald. *lib. 31. n. 90.* Coninc *disp. 28. dub. 4. n. 42.* Sanchez *l. 4. disp. 18. n. 5.* Valentia *tomo 4. disp. 10 q. 3. puncto 2. vers. 4. sequitur.* Sà *verbo matrimonium n. 52.* id est, *in impedimentis dirimentibus n. 9.* Basilius *lib. 4. c. 17.* Bonacina *supra puncto 8. n. 24.* Perez *supra num. 3.* Ratio verò est; quia copula graui metu extorta (sicut & diuturna habitatio) nequit esse sufficiens signum externum exprimens consensum spontaneum, voluntarium sufficientem ad constituendum matrimonium; signum enim consensus ex metu graui orti & ipsum etiam signum externum ex metu graui exhibitum nullius est valoris, siue signum sit præsentis consensus siue tantùm indicium consensus anteà habiti iuxta nostrum modum philosophandi; copula enim extorta ex metu graui, seu magni mali non est prudens indicium matrimonij, & consensus qui tunc actu validè habeatur, vel qui anteà validè fuerit habitus, etiamsi concederemus alioquin, quando non fit copula ex metu graui, eam esse sufficiens indicium, seu signum.

131. *Ad argumentum aduersariorum.*

Ad argumentum aduersariorum facilè respondetur concedendo non esse viri constantis peccato consentire etiam ex metu cuiuscunque grauis mali. Hoc tamen non obstat, quo minùs ipse metus, quo ad id cogitur homo ille, sit cadens in constantem virum, talis enim metus ille est, vt virum quantumuis constantem concutere possit, terreat, & pauere faciat iuxta dicta in *hac disputatione dub. 2. & sequentibus vsque ad 5.*

DVBITATIO XIII.

An matrimonium ratione metus inualidum reualidetur per superueniens iuramentum? & quid de sponsalibus?

132. *Si etiam simili metu extorqueatur iuramẽtum, non reualidatur. Item si ad contrahendum tantum cogatur ex metu. Licet sponte iuret. Ratio.*

CErtum est apud Doctores non reualidari per iuramentum simili metu extortum, quo videlicèt contrahens iurat se ex animo contrahere, quantumuis addat semper se habiturum tale matrimonium, vt verum, & ratum. Imò communiter Doctores docent non validari, etiamsi tale iuramentum voluntariè proferat absque vlla coactione ad iurandum; sed tantùm ad contrahendum. Ratio est efficax, quia iuramento ex coactione adhibito. Non validatur ex naturâ rei, seu iure naturali, vt ex se patet, nec iure aliquo positiuo; hoc enim nullum extat pro matrimonio, cuius non est eadem ratio, atque aliorum contractuum, de quibus an iuramentum superueniens illos alioquin validos reualidet? Diximus in proprio tractatu agentes *de iuramento disp. 3. dub. 11.* vbi latè de hac re disputauimus. Legatur Sanchez *disp. 10. lib. 4. de matrim.* consentit cæteris Perez *disp. 17. sect. 14. n. 5.* Sanchez. Perez.

133. *In quo sit præsens controuersia.*

Solùm ergo quærimus, an, quando ex dicto metu contrahens, ex eodem promittit se imposterum semper tale matrimonium ratum habiturum, aut etiam denuò contracturum, aut aliquam ducturum, atque id iurat, ad id teneatur ratione iuramenti?

134. *Sanchez cũ aliis negat neque promissionem neque iuramentum valere.* Couarr. Rodriq. Aragon. *Alij multi.*

Sanchez *disp. 21. num. 3.* cum aliis quos refert habito respectu ad dicta *disp. 20.* putat promissionem sponsalitiam, quâ quis promittit aliquam ducturum accedente iuramento metu extorto, non solùm non valere, sed neque resultare obligationem iuramenti; atque adeò tale iuramentum non indigere relaxatione. Quam sententiam inter alios docet Couarruu. *2. p. c. 3.* Rodriquez *1. tomo Summæ in 2. edit. c. 231. concl. 4. n. 4. & c. 244. concl. 4. nu. 4.* Aragon. *22. q. 89. art. 7.* & alij multi.

135. *Alij affirmant iuramentum obligare.* Henriq. Coninc. *Alij.* Hurtad. Perez.

Henriquez verò *libr. 11. c. 9.* Coninc *disp. illa 28. dub. 4.* & alij apud Sanchez *supra n. 2.* quibus adde Hurtadum *disp. 1. diff. 15. n. 66.* Martinum Perez *disp. 10. sect. 3. n. 8.* qui duo hoc ipsum repetunt Hurtado *disp. 6. diff. 6. n. 23.* & Perez *disp. 17. sect. 14. n. 10. & 11.* affirmant prædictum iura-

mentum obligare. Quam sententiam satis probabilem putat Sanchez. Ratio est, quia iuramentum obligat quoties licitè impleri potest, vt habetur in c. *Debitores 6. & in c. si verò 8. de iureiur.* ergo seruari debet, maximè cùm ad redimendam propriam vitam licitum sit obligare se ad contrahendum. iuxta regulam traditam *c. Cum contingat de iure iurando & c. Quamuis pactum de Pactis.* Hæc sententia probabilis est.

Probabilem satis putat Sanchez eã sententiam. Ratio.

Probabilis est hæc sententia.

136. Nec fundamentum præcipuum oppositæ sententiæ eos conuincit, scilicèt, quòd impletio huiusmodi iuramenti sit contra commune bonum; id enim omnino negant, quamuis enim non sit omnino expediens contrahere sic inuitè non sufficit ad tollendam obligationem ipsius; satis enim est quòd communi bono non noceat. Confirmaturque à simili de iuramento facto Latroni in vadenti dandi ei pecunias, & de iuramento facto soluendi vsuras vsurario, quãuis enim non sit expediens Reipublicæ dare pecuniam latroni, aut vsuras vsurario; non tamẽ nocet communi bono id facere; atque adeò iuramentum obligat donec relaxetur.

Præcipuum fundamentum alterius sententiæ non conuincit hos auctores. Respondetur ergo. Confirmatur à simili.

137. Nihilominus valde mihi probatur prior opposita sententia in qua aliquid peculiare agnosco posse reperiri pro inualido contractu sponsalitio, seu iuramento ducendi aliquam, quia impletio talis iuramenti inuoluit damnum, aut irreparabile, aut difficillimè reparabile, nimirum impletio illius est contrahere matrimonium, quod ex se est vinculum indissolubile, & multò maioris momenti, quàm dare pecunias latroni, aut vsurario, quas immediatè traditas potest repetere. Nec refert, si dicas posse petere relaxationem iuramenti; id enim per accidens omnino est comparatione obligationis; neque enim ideò dicendum est iuramentum prædictum habere vim obligandi, quia potest relaxari. Vnde, supposito quòd impletio ipsius inducat damnum irreparabile propter matrimonij indissolubilitatem, simul etiam apparet esse cõtra bonum commune Reipublicæ, cui maximè nocent matrimonia coacta, vt ex se patet propter infelices exitus, quos solent habere talia matrimonia. Ideò sicut cæteri contractus vergentes in damnum boni communis non valent, etiamsi superueniat iuramentum eo ipso, quòd propter bonum commune irritantur, quando in eiusmodi damnum vergit eorum impletio, ita, vt nec iuramentum per se obliget; idem ob eandem rationem in hoc contractu videtur dicendum, & hoc est, quod vult Sanchez, aliique Doctores ab ipso relati.

Probatur nihilominus valde prior sententia. Ratio disparitatis inter matrimonij iuramento & aliorum.

Occurritur euasioni.

138. Rectè autem notat *n* 4. sponsalia metu leui contracta, & iuremento stabilita valere quidẽ, sicut & valida sunt etiam secluso iuramento (quâ de re nos diximus *disp.* 1. *dub.* 22. *assert.* 2.) sed huiusmodi contractum non confirmari à superueniente iuramento. Quapropter in foro conscientiæ potest contrahens illis sponsalibus contrauenire obtenta ab Episcopo absolutione iuramenti. Legantur, quæ diximus loco notato, & Sanch. *l.* 4. *disp.* 20. *n.* 7. & 8. & 9.

Notandum cum Sãchez pro Sponsalibus metu leui contractis, & iuratis.

Sanchez.

139. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur prædictam regulam & doctrinam desumptam ex illis Textibus veram esse, quando iuramentum non est contra bonos mores, nec publicam vtilitatem, vt notat Sanchez suprà *num.* 7. obseruatio tamen huius iuramenti, esto, non sit ex aliis capitibus contra bonos mores, est tamen contra publicam vtilitatem, vt dictum est; imò in eo ipso inuoluitur esse aliquâ ratione contra bonos mores, quibus repugnat id efficere, quod est contra publicam vtilitatem.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ.

Sanchez.

DVBITATIO XIV.

An qui compellit alios ad matrimonium contrahendum, incurrat aliquam pœnam? & an possit Princeps Ecclesiasticus, aut sæcularis subditos cogere ad matrimonium?

QVod Princeps Ecclesiasticus possit cogere baptizatos, tanquàm sibi spiritualiter subiectos, & princeps sæcularis non baptizatos sibi temporaliter subditos ad matrimonium contrahendum, quando id exigit bonum commune, aut alia causa, ob quam ipsi subditi contrahere teneantur iuxta ea, quæ diximus *disp.* 2. *dub.* 26. omnes, quos viderim Auctores consentiunt. Nec video sufficiens argumentum, vt id negetur.

140. *Potest Princeps Ecclesiasticus baptizatos & sæcularis nõ baptizatos ex causâ cogere.*

Consentiunt etiam in eo, quòd Domini tẽporales & magistratus cogentes subditos, vel quoscunque alios ad matrimonium contrahendum, incurrant pœnam anathematis ipso facto iuxta Trid. *sess.* 24. *c.* 9. *de reform. matrim.* sub quâ excommunicatione non comprehenduntur Domini cogentes sua mancipia contrahere matrimonium, neque enim de iis loquitur Tridentinum, sicut neque de parentibus vt videbimus *dub. sequenti.* Probabile etiam & verum puto non comprehendi ea excommunicatione imperatores & Reges vt notant Sanchez Henriq. & Hurtado, quos refert & sequitur Perez *disp.* 17. *sect.* 17. *n.* 4. quia hi ob supremam dignitatem habent peculiare vt debeant clarè exprimi eo modo, quo in Tridentino *sess.* 22. *de refor. c.* 11. & in Bullâ cænæ, de quo alibi.

141. *Domini tẽporales & magistratus cogentes alios ad matrimonium incurrunt anathematis pœnam ipso facto.* Trident. *Quid de Dominis Mancipia sua cogentibus? & de parentibus suos filios? Quid de Regibus & imperatoribus? Negant aliqui.* Sanchez. Henriq. Hurtado. Perez.

Intelligi autem debet hæc coactio si sit iniusta, & peccatum mortale, quamuis implicitè tantùm & non expressè vis aut metus incutiatur & etiamsi indirectè tantùm cogant. Ita Perez *disp. illa* 17. *sect.* 17. *num.* 4. Hurtado *disput.* 6. *diffic.* 7. *num.* 26.

142.

Verum etiam puto in hac excommunicatione non includi eos, qui prohibent matrimonium contrahere; solùm enim loquitur Concilium de cogentibus non de prohibentibus. Ita Henriq. *lib.* 11. *c.* 6. *n.* 5. & alij Recentiores quamuis multi Auctores putent non improbabiliter etiam sub pœna Tridentini comprehendi impedientes & prohibentes, vt docet Sanchez *lib.* 4. *disp.* 22. & alij multi apud ipsum; potest probari ex ipso Tridentino in fine eiusdem capitis ibi: *vel quoscunque alios cogant, quo minùs liberè matrimonia contrahant.* Nam, qui impedit, seu prohibet aliquem, ne matrimonium, quod hîc & nunc vult contrahere, contrahat, cogit ad non contrahendum liberè, quia, qui non contrahit, non liberè contrahit. Accedit, quod eo ipso,

143. *Non comprehendi eo anathemate qui prohibẽt matrimoniũ contrahi putant aliqui.* Henriq. *Alij Recentiores. Alij putant cõprehendi.* Sanchez. *Alij multi apud ipsum. Probant ex Tridentino.*

ipso, cogitur, si velit contrahere, cum aliâ contrahere, & non cum illâ: ergo cogitur quis in eo casu, *quo minùs liberè contrahat matrimonia*, vt ait Tridentinum. Nihilominùs non hoc ita clarum videtur. Nam verba continentia pœnam strictè sunt interpretanda & concilium propriè loquitur de cogentibus contrahere non liberè; qui autem impedit cum aliquâ contrahere, nõ cogit contrahere non liberè aut minus liberè; aliud enim est propriè loquendo impedire ne contrahat, & cogere, vt contrahat cum aliâ; nam, qui impeditus est ad contrahendum cum hac non eo ipso cogitur ad contrahendum cũ aliâ, sed liber manet, ne contrahat, si nolit contrahere. Ita etiam præter Henriq. docet Bonac. *q.3.punct.8.n.34.* Item Hurtado *disp.6.diff.7. citatâ*. Perez *supra* & alij.

Non satis clare probatur inde. Ratio.

Henriq. Bonacina. Hurtado. Perez.

144. *An vis deberet cadere in constantẽ virum.*

Iam verò difficultas est primò an sufficiat vis, coactio, aut metus tantummodo, qui cadat in constantem virum?

145. *Sententia probabilis quod sufficiat si sit talis qua sufficiat ad mortale. Recentiores. Tridentini verba id indicant. Quid pro parentibus erga filios sentiat Sanchez? Non de censura loquitur sed de peccato.*

Aliqui probabiliter putant sufficere quòd sit metus & coactio talis, quæ sufficiat ad peccatum mortale. Ita docent aliqui Recentiores & quidem verba illa Tridentini *quo minus liberè matrimonia contrahant* satis videtur hoc significare; qui enim cogitur metu tali, vt peccatum sit mortale, sic cogi, videtur cogi, quo minùs liberè contrahat. Nihilominus Sanchez loquens in particulari de coactione patris comparatione filij tunc tantum videtur docere peccare Patrem, quando cogit metu cadenti in constantem virum. Atque ita allegant aliqui Recentiores. Sed hic auctor non loquitur in nostro casu de incurrenda censura Tridentini, solùm enim agit de peccato; & cum disputatione *illa* 22. dixisset non posse parentes cogere filium ad matrimonium. Postea *num.5.* intelligit doctrinam de metu cadente in virum constantem; nam increpatione paternâ putat non esse illicitum parenti. Itaque nunc agimus de coactione sufficienti ad incurrendam censuram.

146. *Sufficit ad censuram qua sufficit ad mortale. Ratio.*

De hac ergo coactione dicendum mihi videtur sufficere talem, quæ sit peccatum mortale, etiamsi non sit talis, quæ secundùm leges censeatur cadens in constantem virum; si enim comparatione personæ, quæ cogitur, prædicta coactio grauis sit, etiamsi metus non sit talis ac tantus, qualis & quantus lege præscribitur, seu requiritur ad hoc vt matrimonium censeatur nullum, sufficiens omnino est, vt dicatur matrimonium non liberè contrahi ea libertate, quam voluit Tridentinum. Vnde, licèt non censeatur contractus lege irritus, potest censeri grauiter coactus (nam, vt diximus *dub.1. & 2. huius disputationis, & dub. 4.n.41.*) non quicunque metus grauis comparatione personæ censetur cadens in constantem virum, quantum ad effectum annullandi contractum, sed tantùm ille, qui grauiter constantem virum mouere possit, alius verò metus, quantumuis alioquin sufficiens ad vehementer concutiendam personam debiliorem; non sufficit (vt ibi dicebam) ad reddendum irritum contractum, neque ex natura rei, nec ex iure positiuo, sufficit tamen, vt minùs liberè contrahat matrimonium, qui tali metu incutitur, atque adeò vt incurrat pœnam Tridentini.

Secundò difficultas est an prædicta pœna sit pœna excommunicationis maioris? an tantùm pœna solemnis cuiusdam maledictionis?

147. *Qualis sit ea excommunicatio.*

Prima sententia docet non esse pœnam excommunicationis maioris sed solemnis maledictionis. Ita Veracruz *in appendice ad specul.1.p. art.9.conclus.6. & in eodem specul.1.part.art.8.in fine in 2.edit.* Probat. 1. quia anathema talem maledictionem videtur significare. Secundò quia, quando Tridentinum *sess.22.c.6.* voluit raptorem pœnâ excommunicationis ferire, id expressit, dicens: *sit ipso iure excommunicatus*: ergo per anathema non intelligit excommunicationem.

148. *Prima sententia negat esse excommunicationis maioris, sed solemnis maledictionis.* Veracruz. *Probat 1.* *Secundo ex Tridentino.*

Asserendum nihilominus est prædictam pœnam esse excommunicationem maiorem latam. Ita Coninc *disp.illâ 28. dub.5.* Sanchez *disp. illa 22.n.8.* cum aliis multis quos refert. Item Perez *disp.17.sect.17.n.4.* referens Hurtadum & Henriquez. Ratio verò est, primò in iure nomine anathematis excommunicatio maior significatur, vt notauimus agentes *de censuris tract.10. disp.2.dub.2.* & constat *Canone debent.11.q.3. & ex Canone finali 30.q.4.* Secundò, quia in Tridentino dicitur, *sub Anathematis pœna*, quam ipso facto incurrant: maledictio autem solemnis non potest ipso facto incurri, cùm sit ab Ecclesiâ solemniter ferenda. Quid autem peculiare addat anathema supra excommunicationem maiorem, saltem aliquando in phrasi iuris? diximus loco notato de censuris. Ex quo patet ad primum argumentum oppositæ sententiæ. Quod verò additur in secundo argumento Tridentinum nomine excommunicationis significare illam; quam incurrit raptor; non probat significari etiam non posse nomine anathematis.

149. *Assertio affirmans esse maiorem excommunicationem.* Coninc. Sanchez. *Aly multi apud ipsum.* Perez. Hurtadũ. Henriq. *Ratio.1.* *Ratio.2.ex Tridentino petita.*

DVBITATIO XV.

An parentes possint filios cogere ad contrahendum matrimonium? item Domini mancipia? & Episcopi subditos?

QVod parentes possint ex iusta causa cogere filios ad matrimonium contrahendum, quando alioquin filij tenentur promissione aut aliâ quauis obligatione, ita tamen, vt coactio moderata sit, & vt patrem decet, fatentur communiter Doctores & docet Sanchez *lib.4. dist. 22.* & Perez *disp.17. sect.17. num.7.* dicens certum esse apud Doctores, sed non video esse certum, quin aliqui negent, aut dubitent, ideo dixi *communiter* Doctores fateri, & meritò: neque enim hoc est cogere ad matrimonium, cùm nec grauis metus, inferatur, nec iniustus. Quãdo verò filij non tenentur, aut nolunt statum matrimonij eligere; sed meliorem, vt cælibatus, aut Religionis, non possunt parentes adhuc paternâ increpatione ad matrimonium cogere, nã rectæ rationi repugnare videtur filios, qui sunt sui iuris ad eligendum statum, voluntque meliorem eligere, ad matrimonium compellere etiam leuiter.

150. *Moderata coactione quando filij tenentur posse à parentibus cogi. Communis sententia est.* Sanchez. Perez. *Non ita certum quin aliqui negent aut dubitent. Quando nec tenẽtur, nec eum statum sed celibatũ eligunt, non possunt cogi.*

Ex suppositione tamen, quod statum matrimonij 151.

Suppoſito quod eligant matrimonium moderatè ad expediens poſſunt impelli. Perez.

monij eligat filius, non videtur denegandum paternæ poteſtati, illum moderatè & paternè tantùm ad matrimonium ipſi expediens cogere, aut impellere. Ita etiam Perez *n.9.* loquens etiam de ſequenti, quod ſubiicio.

152. *Quando indignum eligunt poſſunt ſuauibus mediis à parentibus aut à Principe impediri.*

Eâdem ratione poterunt parentes, quando indignum eſt matrimonium, quod inire vult, filium impedire, atque etiam princeps adhibendo media ſuauia abſque graui violentia, aut metu, id enim non eſt cogere ad matrimonium, cùm metus grauis non inferatur, nec impediatur filius, quo minùs poſſit liberè matrimonium decentius, & quod careat prædictis inconuenientibus, contrahere. Neque videtur hæc nimia conceſſio parentibus, quibus maximè incumbit proſpicere bono filiorum, idque præcipuè in eligendo ſtatu, cum malum bonumve filij quoddam ſit malum bonumve parentis. Vtrùm autem & quando iudex, aut Pater poſſit omnino & abſolutè impedire matrimonium filij familias? dicemus *dub.18.* An verò, & quatenùs poſſint parentes filium, vel filiam contrahentes matrimonium inuitis parentibus hæreditate alioquin legitimâ priuare, diſputant hic nonnulli, à quâ diſputatione nũc nos abſtinemus, cùm de eâ egerimus ex inſtituto *in noſtro opere de iuſtitia & iure libr. 2. tract. 19. diſp. 1. dub. 21.* vbi cauſas exhæredandi filios connumerauimus & explicauimus, & aliquid diximus hoc *Tract. diſp. 3. dub. 21. & 22.* circa pœnas matrimonij clandeſtini. De filia verò eſt ſpecialis difficultas, de qua agemus *dub. 19.* non tamen licitè poterit adhuc leui coactione cogere filiam ad matrimonium, quantumuis expediens, neque ab eo impedire quando non adeſt aliqua rationabilis cauſa. Legatur Sanch. *diſput. cit. 22. num. 4. vſque ad 7.* vbi plures alios refert pro hac ſententiâ.

An filios inuitis parentibus contrahentes matrimonium poſſint parentes hæreditate priuare; alibi explicatur. Sanchez.

153. *An parentes incurrant excommunicationem ſi coactione graui cogãt filios?*

Iam verò difficultas eſt, an parentes iniuſtè cogentes filium graui coactione ſufficiente ad mortale incurrant excommunicationem, quam dub. præcedenti diximus in Trid. *ſeſſ. 24. de Reformat. matrimon.* In qua re non conſentiunt Auctores.

154. *Prima ſententia affirmans.* Lopez. Albornoz. *Recentiores. Ratio ex Tridentino.*

Prima ſententia docet incurrere. Ita Ludouicus Lopez *1. p. inſtructorij c. 44.* Albornoz *l. 4. de arte contractuum tit. 1.* & aliqui Recentiores. Fundamentum eſt, quia Tridentinum generaliter loquitur de omnibus perſonis ibi *Præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuſcunque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant ſub anathematis pœnâ* &c.

155. *Secunda ſententia negans Parentes aut Dominos incurrere.* Sanchez. Coninc. Gutierr. Henriq. Molina. Rebellus. Rodriq. Bonacina. *Alij. Ratio.*

Secunda & vera ſententia non incurrere parentes ſicut nec Dominos mancipiorum. Ita Sãchez *lib. 4. diſp. 22. n. 9.* Coninc *diſp. 28. dubitat. 5.* Gutierrez *lib. 1. quæſt. Canonic. c. 20. & de matrimonio c. 79. n. 11.* Henriq. *lib. 11. c. 6.* Molina *tom. 1. de iuſtitia tract. 2. diſp. 126.* Rebell. *lib. 3. q. 9. num. 1.* Rodriquez *1. tomo Summæ in 2. edit. c. 231. num. 7.* Bonacina *q. 3. puncto 8. num. 34.* & alij RR. Ratio verò eſt, quia Tridentinum ſolùm ibi agit de iis qui habent iuriſdictionem in foro externo ſæculari, quales ſunt Principes & domini temporales & magiſtratus, id enim ſatis conſtat ex clauſula præcedente, in quâ tantùm loquitur de prædictis, & ex particula *Quare* quam poſtea adhibet, quæ cauſalis cùm ſit, denotat talem connexionem ſequentium cum præcedentibus, vt quod dicitur in ſequenti clauſula appellet ſupra id, quod dictum fuit in præcedenti. Vnde cùm in præcedenti tantùm egerit de Dominis temporalibus, ac magiſtratibus comparatione illorum, qui ſub ipſorum iuriſdictione degunt, ad eoſdem referri debet pœna, quæ poſteà decernitur, dum dicitur *ſub anathematis pœna &c. ne quouis modo &c. ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogant.* Ex quo fit, vt, ſi Epiſcopus cogat, incurrat iuxta multorum Theologorum, & iuriſperitorum ſententiam, quam ſequitur Sanchez ex Henriq. qui prædictos allegat. Quamuis oppoſitum mihi probabilius videatur, ſi præcisâ ratione agamus ex Textu petitâ, quia Epiſcopus, præcisè quatenùs Epiſcopus non eſt Dominus temporalis, quia non habet iuriſdictionem in foro externo ſæculari. Concilium autem loquitur de dominis temporalibus, & magiſtratibus, vt patet exprimis verbis capitis. Multò etiam minùs comprehenditur Parochus, qui nullam habet iuriſdictionẽ in foro externo, vt rectè docent Sanchez, & Henriquez citati.

Multi id extendunt ad Epiſcopos ſi cogant. Sanchez. Henriq. *Oppoſitum ſi ratione præcisè agamus videtur probabilius ex verbis Tridentini. Multò minùs comprehenditur Parochus.*

Qui etiam addunt id quod ſupra diximus *numer. 141.* cum aliis neque Regem, neque imperatorem comprehendi, quamuis enim hi iuriſdictionem habeant in foro externo ſæculari; tamen oportet illos exprimi, vt idem Tridẽtinum expreſſit *ſeſſ 22. c. 11. de Reform.* & *Bulla* etiam *Cœnæ.*

156. *Neque Rex aut imperator comprehenditur. Ratio.*

DVBITATIO XVI.

An filius teneatur contrahere matrimonium, quod pater promiſit, aut præcipit?

157. *Non ſufficit conſenſus Parentũ ad matrimonium filij.* Bellarm.

QVòd parentum conſenſus non ſufficiat ad valorem matrimonij filij, ſatis conſtat ex *c. ſufficiat. 27, q. 2.* & c. vbi non eſt 30. *q. 2.* legique poteſt Bellarm. *l. 1. de matr. c. 19.* & 20.

158. *Solum quæritur de obligatione filij implendi ſi Pater promiſit aut præcipit ſeclusis aliis circũſtãtiis. Aliqui casus & circumſtantia in quibus poſſet videri aliqua ratione teneri.* Perez. *Non videtur ad rem ea obligatio, quæ ſecluſo præcepto parentis poſſet habere locũ. Quæſtio præſens ex ſola vi promiſſionis, aut præcepti paterni &c.*

Solùm ergo quærimus; an teneatur filius matrimonium inire, quod pater promiſit, aut præcipit; neque diſputamus de caſu quo filius eligat meliorem ſtatum tunc enim nullo modo tenetur. Item quando Pater præciperet contrahere matrimonium filio indignum, aut tale matrimonium promiſiſſet; neque enim in eâ re tenetur patri obedire. Item fingi poteſt caſus, quo parentes valdè indigerent matrimonio filij, vt eâ ratione poſſent ſe alere, & non aliunde, vel ob grauiſſimas inimicitias componendas; aliaſve ſimiles cauſas, quo caſu aliqui & inter eos Perez *diſp. 17. ſect. 18. num. 2.* putant certum teneri parentibus obedire, ſed hoc non tangit noſtrum dubium, tunc enim independenter à præcepto parentum tenetur ex natura rei; ideò de eiuſmodi caſibus non eſt præſens difficultas, de qua iterum infra. Pro caſu ergo, quo nõ ſit talis indigentia, ut ex pietate teneatur eâ viâ illis ſubuenire; ſed ſit matrimonium à patre promiſſum aut præceptum, nec ſit indignum filio, nec filius eligat meliorem ſtatum, præſens dubitatio inſtituitur, an tunc teneatur?

Primaſententia docet teneri admittere matrimo-

159.

Prima sententia affirmat teneri. Sotus. Nauarr. Rodriq. Lopez. Capua. Bellarm. Rebellus. *Recentiores. Probatur 1. ex iure Canonico.*

trimonium,quod parentes promittunt,aut præcipiunt.Ita Sotus *in 4.dist.29 q.1.art.4. conclus.3.* Nauarrus *in summa c.14.n.15.* Rodriquez 1. *tomo Summæ in 2.edit.c.231.n.6.* Ludouicus Lopez *1.p. instructorij c.54.* Capua *lib.2.Decisionum c.55.* Bellarmin.*c.illo* 19.Rebell.*q.14. sect.2.* aliique Recentiores. Probari potest primò *ex c.1. de desponsat.impuberum.* vbi dicitur *postquam filius peruenerit ad perfectam ætatem,omnino debet hoc adimplere.* vbi expendenda est illa vox *debet.* Sermo autem ibi est de sponsione contrahendi matrimonium facta à Patre pro filio. Particula autem *debet* necessitatem in iure significat , & præceptum,vt multis relatis ostendit Sanchez *lib.4.disp.23. num.2.* Ratione verò probari potest 2.quia parentibus incumbit procurare filiis congruentes & opportunas nuptias: ergo liberi tenentur quoad hoc parêre.

Sanchez. *Probatur 2. ratione.*

160. *Secunda & vera sentẽtia negans.* Sanchez. Richard. Abulensis. Lessius. Suarius. Perez. *Alij apud Sanchez. Ratio.*

Secunda & vera sententia est non teneri.Ita Sanchez citatâ *disp.23.n.3.*Coninc *disp.28. dub.5.* Richardus,Abulensis Less.*num.63. Libri.2.c.40.* Suar.*tomo 2.de Religione lib.4.c.8.* Perez *disp.17. sect.18.n.11.*& alij apud Sanchez , qui plurimos refert explicantes prædictum textum non de debito præcepti,sed de debito honestatis. Ratio verò est,quia matrimonium est,quasi quędam seruitus perpetua.Vnde cùm homo liberæ conditionis sit, & sui iuris; non debet ita pendere in re tam graui à cuiuscunque alterius voluntate,essetque omnino durum pro merâ voluntate alterius , etiam parentis ad eam quasi seruitutem perpetuam adigi & adstringi.Quod verum est, etiamsi alioquin apud se decreuerit filius statum matrimonij eligere , adhuc enim durissimum est , & contra rationem ad hanc potiùs,quàm ad aliam adstringi.Accedit, quòd coniugium exigit indissolubilem vitæ societatem ex mutuo amore contractam, Abhorret ergo ab huiusmodi statu obligari ad hoc,aut illud matrimonium alienâ voluntate , maximè cùm rarò amet quis id, ad quod alterius imperio inuitus constringitur.

Confirmatur.

161. *Satisfit allegato textui. Expositio ex Sanchez.*

Nec Textus citatus aliquid probat. Nam illud *debet* non solùm communiter explicatur(vt dicebam)de debito honestatis ; non præcepti, seu obligationis.De quo legatur Sanchez *disp. illa 23.n.3.* Verum aliâ etiam explicatio est tam facilis,& obuia,vt mirandum sit Doctores plures,quos aut ipse vidi , aut refert Sanchez,non incidisse in eam expositionem. Nempe in eo capite,vt constat, quærebatur ab Honorio de Patre,qui volebat filium collocare in matrimonio,an *sine voluntate adulti filij hoc facere possit* ? & cùm respondisset Pontifex , posse quidem Patrem,dum filius non est adultus, illum tradere, cui velit matrimonio,id est celebrando non verum matrimonium (in quo nulla est nec esse potest dubitatio) sed promittendo nomine filij iuxta ea,quæ diximus disput. 1.dub.21. Verum quia ea promissio non potest esse firma , nisi filius consentiat,subiungit Pontifex. *Postquam filius peruenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc adimplere.*vbi illam particulam *hoc* refert ad id, quod fecit pater. Nempe pater fecit pactum inualidum & incompletum , donec à filio pacti firmitas compleatur,vt autem sit firmum , debet à filio ratificari.Illa verò particula *debet* non est vox sonans obligationem etiam ex honestate,sed significat idem quod *requiritur* aut necesse est,quâ ratione si aliquis alterius nomine faciat pactum, vel acceptet pro eo aliquam promissionem , solemus dicere,vt tale pactum valeat,debet is,ad quem pertinet, implere acceptando,aut ratum habendo,non quia sit obligatio ita faciendi, sed quia ita requiritur ad valorem. Ait ergo Pontifex id , quod fecit patet spondendo pro filio,non valere , nisi filius adimpleat,id est nisi det complementum contractui,alioquin non valido, & vt valeat debet filius admittere; hoc autem non probat obligari filium, sed necesse esse ad valorem , vt consentiat filius,& suo consensu adimpleat , quod deerat,vt contractus valeat. Itaque vno verbo: non dicit Pontifex filium debere implere rem, quam pater promisit,sed debere promissionem, quæ non erat plenè,id est plenè perfecta perficere,vt valeat promissio,alioquin non valitura, & illa particula *omnino* qua vsus est Honorius significat contractum , antequàm filius illum compleat,non esse *omnino* adimpletum , sed ab illo debere adimpleri,quod deest , vt vim habeat,ratificando illud, in quo nihil est contrarium nostræ doctrinæ. Vnde Glossa ibi *dixit debet factum patris ratum habere.si placuerit.sed non compellitur &c.*

162. *Ad argumentum ex ratione.*

Ad secundum argumentum ex ratione petitum respondetur incumbere quidem parentibus curare de statu filiorum , maximè nuptiarum , non tamen filios teneri parentibus obedire,quoad prædictum statum, sicut neq; quoad alios v.g.Religionis,aut cælibatus.

163. *Temperat Sanchez datam doctrinam.*

Prædictam doctrinam quasi temperat Sanchez *num.4.*docens teneri filios sub lethali culpa obedire parenti præcipienti matrimonium, quando multum interest parentum,vt filius tale matrimonium ineat. Vt, si esset medium ad graues componendas inimicitias , quæ intercederent parentibus cum consanguineis eorum, quibuscum contrahenda est affinitas,& ineundum matrimonium.Probat;quia ex virtute pietatis tenentur filij subuenire parentum necessitati;ergo , quando parentes indigent tali matrimonio , tenebuntur filij obedire. Pro quâ sententiâ refert non paucos Theologos, & iurisperitos,inter quos Nauarrum , & Bellarminum & nos supra retulimus Perez. Verum illi duo Auctores sicut & aliqui alij,quamuis omnino id doceant , non tamen sunt propriè citandi pro hac limitatione doctrinæ traditæ ; hi enim absolutè docent filium teneri obedire parentibus;sed quidquid de hoc sit , innumeri sunt,qui hanc sententiam sequuntur.

Refert pro eo temperamento plures inter quos. Nauarr. Bellarm. *Idem sentit* Perez. *Aliqui tamen absolutè sunt priori sententia.*

164. *Adhuc limitatur à Sanchez cum aliis.*

Rectè autem id adhuc limitat Sanchez cum aliis,quos refert *num.5.*vt locum habeat , quando filius eligit matrimonium inire;nam , si (vt dicebamus) aliquem meliorem statum eligat, non putant filium teneri,quia in statu eligendo filius est sui iuris.Et adhuc idem Sanchez hanc ipsam limitationem sublimitat cum Petro de Ledesma,docens eam non habere locum ; sed tenet filium obedire parenti casu, quo etiamsi vellet eligere meliorem statum v. g. Religionem,teneretur ob parentum necessitatem abstinere ab ingressu Religionis ; tunc enim , si matrimo-

Sublimitatio eiusdem auctoris cũ Ledesma.

Alia genuina expositio & obuia.

matrimonium locuples offerretur filio, quod esset medium necessarium parentum subuentioni, putant teneri illud inire.

165. *Tota præcedens doctrina ob auctoritatem & fundamentum admitti potest, sed non attingit satis scopũ nostrum.*

Hæc tota doctrina propter Auctorum multitudinem, eorumque Auctoritatem probabilemque fundamentum, non videtur aspernanda; mihi tamen inprimis hæc obligatio, si qua est, obediendi parentibus, quoad matrimonium, non videtur reuocanda ad vim, & auctoritatem præcepti parentis præcipientis, ita, vt ideò sit obligatio, quia sic præcipitur à Patre; sed totum negotium reuocandum esse ad ipsum ius naturale, atque adeò eam obligationem, si qua est reperiri, etiamsi pater præcepto suo positiuo non præciperet præsertim, quando necessitas esset vrgentissima, & medium ineundi matrimonium tantum vnicum, ita, vt non aliter possit parentum egestati subuenire: nam si labore manuum aliisve obsequiis subuenire possit, non video cur teneatur matrimonium inire, etiam in casu, quo teneretur ab ingressu Religionis abstinere, neque enim, etiam si vellet aut deberet manere in sæculo, tenetur parenti per tam graue medium, quale est matrimonium subuenire, præsertim, quando matrimonium quantumuis locuples esset simul nobilitate & sanguine inæquale. Itaque merum nudumque parentis præceptum; (de quo agimus) nisi adstipuletur obligatio iuris naturalis non cogit filium ad ineundum matrimonium, quod alioquin secluso præcepto patris non eligeret, aut posset non eligere. Quare tota doctrina prædictorum Auctorum extra rem videtur. Hic enim agimus præcisè de obligatione ineundi matrimonij ex præcepto parentis. In casu autem tam vrgentis necessitatis etiamsi pater non præciperet, teneretur filius. Quando autem necessitas tanta non esset, neque vnicum medium illud matrimonij; etiamsi pater præcipiat, non putauerim teneri filium obedire in eligendo matrimonio, à quo alioquin abhorret, etiamsi, vt parenti subueniat, teneatur ab ingressu Religionis abstinere, imò etiamsi cogitet de matrimonio ineundo cum aliâ diuersâ ab ea, quam pater præcipit, dummodò etiam sub tali matrimonio possit, quantum satis est ad implendam obligationem pietatis parenti subuenire; ex hac enim tantùm obligatione oritur (si quando oritur) obligatio ineundi matrimonium.

166. Nec refert si alleges posse filium à parente in necessitate constituto vendi, & in seruitutẽ tradi, ac proinde libertate priuari, *lege* 2. C. *de patribus qui filios suos distrahunt* tunc quia est longè dispar ratio seruitutis & matrimonij, vt cõcesserat idem Sanchez *disp.* 22. *num.* 4. Nam seruitus non exigit mutuum amorem, qualem exigit matrimonium, imò debet à Patre redimi, si posteà possit: tum; quia neque in seruitutem potest tradi filius à patre, nisi quando filius tenetur id pati; non tenetur autem, nisi, quando non est aliud morale medium possibile subueniendi patri extremè, aut penè extremè indigenti; tunc autem non tenetur ex præcepto patris præcisè; sed ex naturali ratione pietatis, quæ dictat subueniendum esse parenti extremè indigenti, etiam cum detrimento propriæ libertatis; in tali autem & simili indigentiâ etiam in nostro casu verum est non ex præcepto parentis teneri sed ex naturali obligatione pietatis, quæ dictat matrimonium esse ineundum, quando non est aliud medium subueniendi parenti extremè aut penè extremè indigenti. In quo casu teneretur tale matrimonium inire non solum parente non præcipiente, sed repugnante adhuc & inuito. Ex quo iterum patet doctrinam esse extra rem, nunc enim agimus de obligatione ex præcepto parentis; non de aliâ naturali.

DVBITATIO XVII.

An filij possint parentibus inuitis licitè inire matrimonium quod volunt?

SVpponendum inprimis est ex *c. Cùm virum* 12, *de Regularib.* & ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. non esse necessarium consensum parentum ad valorem matrimonij filij, & legi potest Bellarminus *lib.* 1. *de matrimonio c.* 19. & quæ dicemus *disputat.* 7. *dub.* 1. *Assert.* 2. & deinceps autem esset illicitum sine consensu parentum, si esset inualidum, vt patet. 167. *Supponendum* 1. *ex iure positiuo Canonico & Tridentino non requiri ad valorem consensum parentum.* Bellarm.

Supponendum 2. existente iustâ causâ in filio, nullo modo peccare ineundo matrimonium inuitis parentibus, vt, quando pater iniustè prohibet filiũ ab illo matrimonio, quod vult inire. Ita Sanch. qui testatur de communi sententia *lib.* 4. *disp.* 23. *num.* 8. Item, si pater indigno matrimonio velit filium collocare, aut illi quærat vxorem ægram, imprudentem, aut durioris ingenij. Item, si pater negligens esset in procurando filij matrimonio, qui iam excessit, vigesimum quintum annum, aut si plus iusto asperè tractaretur à parentibus, & opprimeretur. Legatur Sanchez loco citato. 168. *Supponendum* 2. *ex iusta causâ non peccari si inuito parente fiat. Sanchez cũ communi sententiâ. Casus aliqui in quibus licet.*

Difficultas ergo est in casu, quo prædicta nõ concurrant, possit filius parentibus inuitis matrimonium inire licitè? 169. *An iis secluſis peccet si contrahat.*

Prima sententia docet non posse filios licitè parentibus inuitis matrimonium contrahere. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 1. Rebell. *q.* 14. *sect.* 1. Bellarmin. *c. illo* 19. & alij multi apud Sanchez *citata disp.* 23. *num.* 9. Fundamentum præcipuum est; quia id videtur contra pietatem, & reuerentiam debitam parentibus. Vnde parentes communiter offenduntur grauissimè, & quidem merito iuxta communem sensum hominum. Secundo probant; quia, si pater tenetur curam filij gerere in ordine ad matrimonium, filius vicissim & correlatiuè videtur teneri parenti in eâ re obedire, sicut inde Paulus *ad Hæbreos* 13. probat prælatis ob temperandum esse; quia ipsis inest cura de subditis, de quibus tenentur reddere rationem. Tertiò; quia ita fert consuetudo omnium nationum, apud quas non est filiorum maximè filiarum, dum sub curâ parentum sunt, quærere nuptias, sed parentum munus est. 170. *Prima sententia affirmat peccare.* Sotus. Rebellus. Bellarm. *Alij multi apud Sanchez. Fundamentum* 1. & *præcipuum. Probant* 2. Ad Hebr. 13. *Probant* 3.

Secunda & vera sententia docet posse filios licitè inire matrimonium parentibus inuitis & resistentibus. Ita Coninc *disputation.* 28. *dubitation.* 5. *num.* 52. Vasquez *de matrim. disp.* 4. *n.* 24. Sanchez 171. *Secunda & vera sententia est licere inuitis & resistentibus parentibus.* Coninc. Vasquez.

Sanchez. Alij apud citatos. Perez. Hurtado. Præcipuum fundamentum.

Sanchez *disp. illa* 23. *num.* 10. & alij apud citatos. Perez *disp.* 17. *sect.* 18. *n.* 6. Hurtadus *disp.* 6. *diff.* 10. *num.* 36. Præcipuum fundamentum est; quia, quilibet, etiam ex suppositione quod velit contrahere, est liber, quoad statum matrimonialē, sicut quoad alios status vitæ; esset enim durissimum in eâ re propter eius perpetuitatem, & onera pendere à voluntate alterius, etiam parentis. Ergo filius nec tenetur inire matrimonium, quod pater vult, vt diximus *dub. præcedenti*, nec tenetur abstinere ab eo, quod pater non vult; ac proinde contrahendo voluntatem ipsius, non peccat contra pietatem, & reuerentiam patri debitam. Quod si aliquando conqueruntur parentes propter matrimonium contractum contra ipsorum voluntatem, solùm conqueri possunt; quia res fit contra debitum honestatis, seu decentiæ; non contra debitum pietatis, ita, vt iniuriam parenti irrogent.

172. *Ad primū in contrarium.*

Atque ex hac doctrina soluitur primum argumentum, negando esse iniuriam contra pietatem debitam parentibus; sed solùm esse indecens ipsis inuitis fieri, & propterea illos conqueri.

173. *Ad secundum.*

Ad secundum respondetur, negando inde probari teneri filios obedire parentibus; satis enim est, quòd teneantur consilium petere, dum commodè, & absque inconuenienti possit, vt paulò post dicemus.

174. *Ad tertiū.*

Ad tertium respondetur solùm eâ consuetudine probari, esse maximè decens, & honestum sequi parentum consensum filiosque maximè feminas, dum sub cura parentum sunt, illis cōmittere aut permittere huius rei curam, præsertim, quando nihil mali inde timetur, & minores sunt viginti quinque annis.

175. *Filij tenentur consiliū parentum petere in hac re, sed non sequi obligantur.* Sanchez. Coninc. *Putant teneri sub mortali ad id nisi causa excuset.*

Non negauerim tamen, sicut non negāt Auctores nostræ sententiæ, filios teneri consilium parentum circa matrimonia petere, licèt non illud sequi, idque latè probânt Sanchez, Perez & Coninc locis citatis. Contēdunt verò esse peccatum mortale non petere, aut certiores facere illos eius rei; nisi quando filij timent parentes iniustè impedituros matrimonium, aliaue adest iusta causa occultandi, aut illis insciis contrahendi, aut non expectandi eorum consilium.

176. *Vere est talis obligatio sub aliquo peccato; sed non facile appareat cur sit mortale non petere.*

Ego sanè, quòd sit obligatio sic monendi parentes, & petendi consilium, omnino verū puto; sed quòd sit obligatio sub mortali non facilè admiserim; nec satis assequor fundamentū huius tam grauis obligationis, & peccati in non petendo consilio ab iis, quorum petitum & datum omnino liberum est reiicere, maximè, quando filij satis iam prudentes sunt ad huiusmodi statum amplexandum, & eligendum personam in coniugem, aut, quādo vtuntur consilio eorum, à quibus æquè benè dirigi possunt in eo negotio; nam, si alioquin non sint satis prudentes, sitque periculum ineundi matrimoniū indignum genere, & familiâ, ac sanguine contrahentis, vnde timeri possint graues dissensiones inter contrahentium cognatos, & affines; poterit id aliquando censeri graue peccatum, sicut, & quando inirent matrimonium, cuius onera præ nimiâ egestate sustinere non possent. In his autem casibus, non, quia parentibus inconsultis contrahunt, grauiter peccabunt; sed; quia tali periculo se exponunt, dum, aliis prudentioribus inconsultis, temerè matrimonium contrahunt. In quo nihil apparet mortale cōtra pietatem, aut reuerentiam debitam parentibus, & quidem meo tenui iudicio, si quid est irreuerentiæ in negotio matrimonij erga parentes, non minùs apparet in aspernando consilio petito, aut dato à parentibus, quàm in illo non petendo. Vnde, si quis obfirmato, aut obstinato animo apud se constitutum habeat tale matrimonium inire, quidquid parentes in contrarium, aut sentiant, aut consultant, & in hoc iuxta prædictorum Doctorum sententiam non peccat filius consilium reiiciendo, parùm, aut nihil referre videtur, quòd illo non petito matrimonium ineat. Existimo ergo probabilissimum esse propter Doctorum auctoritatem mortaliter peccare; si absque parentum consilio, ipsisque insciis matrimonium ineat absque iustâ causâ clam ipsis contrahendi, vel eisdem inconsultis; non tamen oppositum improbabile ex solâ præcisâ obligatione obsequij, & pietatis, seclusis aliis damnis extrinsecis, solumque pro hac re Auctorem alium desidero.

DVBITATIO XVIII.

An iudex possit interdicere matrimonium filiis familias, quando periculum est grauis scandali?

177. *Quidquid sit de excōmunicationis pœnâ. Quaritur an illicite faciant impediendo. Resolutur in aliquo casu sibi subditos posse arcere à matrimonio.*

DIximus *dub.* 14. non includi in excommunicatione lata à Tridentino eos, qui prohibent matrimonium cōtrahere, quamuis probabile dixerimus includi. Sed quidquid de hoc sit distincta adhuc difficultas est: esto, non includantur prohibentes sub eâ pœnâ, an saltem illicitè faciant impediendo? In qua re breuiter respondendum puto iuxta dicta in simili de coactione ad matrimonium in principio eiusdem *dub.* 14. posse principem sæcularem, saltem sibi subditos arcere à matrimonio contrahendo, quando inde timetur graue scandalum; imò generaliter quoties exigit bonum commune, aut alia causa, ob quam ipsi contrahentes teneantur à tali matrimonio abstinere. Vnde si iuridicis informationibus, & attestationibus constet aliquid tale: potest iudex Ecclesiasticus auctoritate suâ interpositâ impedire tale matrimonium. Ratio est; quia talibus superioribus incumbit saluti subditorum consulere, scandala impedire, rixas tollere, & pacem eorundē procurare; Item subditorum peccata impedire; tunc autem filij familias peccant, vt supponimus ineuntes tale matrimonium, & docet Nauarrus *c.* 14. *n.* 15. Clauis Regiæ *libr.* 7. *cap.* 5. *num.* 12. & alij Recentiores: ergo poterit, imò debebit Prælatus impedire tale peccatum, maximè cùm etiam parentes possint tale matrimonium impedire, vt latè probat Menoch. *to.* 1. *cons.* 69. *n.* 36. Ceph. *lib.* 3. *cons.* 421. Bonacina *q.* 4. *puncto* 17. *numer.* 36. qui etiam docet licitè posse parentes implorare superioris auxilium: ergo superior ipse potest & debet tunc suam interponere auctoritatē, non tamē facilis in eâ re esse debet vt rectè Bonacina ibidē docet, nisi ex certis aut

Nauarr. Clauis Regia. *Alij Recentiores.* Menoch. Ceph. Bonacina. *Non debet superior facile ad id moueri nisi ex certis principiis.*

aut vehementibus coniecturis, atque adeò prudenter præuiderit graue inde scandalum imminere. Neque hoc est facilè præsumendum inter filium & patrem, vt docet Sanchez cum multis *lib.1.disp.14. n.3.* & Bonacina ibidem cum Gutierr. *de matrim.c.4.n.4.*

Sanchez. Bonacina. Gutierrez.

178. *Occurritur obiectioni, quæ fieri posset ex Tridentino.*

Quamuis autem Tridentinum pœnam excommunicationis irrogauerit cogentibus ad matrimonium; vel non loquutus est etiam de prohibentibus contrahere; vel, si loquutus est de omnibus (quod *dub.14.* diximus esse probabile) tamen non intelligi debet de iis, qui iustè id faciunt: tum, quia pœna supponit culpam: tum, quia Tridentinum in principio loquitur de iis, quorum *mentis oculos terreni affectus & cupiditates excæcant*; tales autem non sunt, qui pro munere suo, & obligatione id faciunt, atque adeò iustissimè. Ita Coninc *disp.28. dub.5. num.48.* Menoch. *cons.64.n.41.*

Coninc. Menoch.

179. *Non impeditur propter dicta libertas matrimonij.*

Neque ideò censetur impediri libertas matrimonij, quia hæc debet esse citra scandalum aliorum, neque etiam censetur impediri; nisi quando impeditur ad id, ad quod quis habet ius; id autem non habet filius ad nuptias patri iniuriosas, & cum periculo grauis scandali.

180. *Etiamsi præcesserint sponsalia est locus impedimento ob imminens malum aut scandalum.*

Quamuis autem fortè præcesserint sponsalia, nihil obstat, quo minùs possint impediri, quia nemo tenetur sponsalia implere; quando graue inde imminet malum, aut scandalum, vt docet Sà *verbo Restit.n.14.* Sanch. *suprà*, & alij communiter. Legatur idem Sanchez citatâ *dub.14.n.3.* Menoch. & Ceph. *suprà* Rebell. *2.p.lib.2. q.14. numer.9.*

Sa. Sanchez. *Alij communiter.* Menoch. Cepha. Rebellus.

Ex dictis colligitur posse, imò debere Prælatum impedire matrimonium contrahendum à filio familiàs cum aliquâ indignâ, si inde prudenter timeatur scandalum, aut rixæ inter parentes & consangineos. Quod locum habere docet Sanchez etiamsi copula præcesserit sub ea spe matrimonij. Repugnat verò Bonacina; nisi aliâ ratione valeat filius compensare damnum sponsæ. Quæ doctrina congruit cum iis, quæ diximus *disp.1.dub.10.n.161.* ibi legatur. Neque in hoc admodum repugnabit Sanchez imò id videtur docere locis ibidem citatis à nobis.

181. *Casus in quo Prælatus non tantum possit sed debeat impedire. Quid si copula præcessit? Sanchez affirmat Negat Bonacina nisi aliter compensetur quod placet.*

DVBITATIO XIX.

An filia inuitis parentibus nubens non clandestinè possit ab eisdem exhæredari?

182. *Posse si clàdestinè faciant dictũ est supra. Quæstio est de non clàdestino contractu.*

QVod filia, aut etiam filius clandestinè nubens possit exhæredari à parentibus & quâ ratione id intelligendum sit, diximus *disp.3. dub.20.21. & 22.* vbi explicuimus legem Castellæ eam pœnam imponentem. Solùm ergo quærimus de non clandestinè nubente? & non pauca diximus in nostro *opere de iustitia lib.2.tractat.19. disp.1.num.410.*

183. *Quorũdam sententia affirmans si filia nubat indigno. Probant ex legibus.*

In hac re aliqui putant tunc saltem posse à parentibus exhæredari iure Cæsareo, quando nubit indigno inuitis parentibus l. *Non tantum 3. Paragrapho si emancipatus* el. 1. ff. *de bonorum possess. contra tab.* ibi: *si tam ignominiosam duxerit vxorem, vt dedecori sit, tam ipsi, quàm patri &c. dicemus, & ex eâ natum ad bonorum possessionem aui admitti? cùm possit auus iure suo vti, eumq; exhæredare?* Item Authenticâ. *Sed si post C. de in offic.* testam ibi: *Sed, si post viginti quinque annos te differente filiam matrimonio copulare, ea in suum corpus peccauerit, vel sine consensu tuo marito se (libero tamen) copulauerit, eam exhæredare non potes.* Ergo à contrario sensu, si ante viginti quinque annos nubat sine patris consensu poterit exhæredari. Tertiò, quia *Authent. vt cum de Appell. cognosc. §. Aliud quoque* vers. *Causas.* Vna ex causis exhæredandi est, si grauem & inhonestam iniuriam patri intulerit. Talis autem est hæc, vtpotè inducens odium capitale teste Baldo apud Sanchez *disp.24.* qui aliquos iurisperitos refert pro hac sententia.

Baldus. Sanchez.

184. *Assertio negans posse exhæredari ob id. Sanchez cũ multis Diana cum aliis.* Vasquez. Montal. *Non habent vim leges ciuiles circa hoc.* Vasquez. Panorm. Montal.

Asserendum nihilominus est vt probabilius non posse exhæredari ob eam causam. Ita Sanchez ipse *l.4. de matrimon. disputat.25.* cum multis, & Diana cum aliis 1.*p. Resol.tract. de immunit. Ecclesiast. Resol.104.* Vasquez *de matrimon. disp.4. num.24* ex Montaluo, vbi (quidquid sit de legibus, tam Ciuilibus Cæsareis, quàm nostri Regni Castellæ) optimè probat leges exhæredationis admittendas non esse, nec iustas censeri debere, quia in iure Canonico ita statutum videtur, vt notat idem Vasquez ex Panormit. & Montaluo eo quòd nec filius, nec filia eâ in re teneatur vllo præcepto ad obediendum patri; nec ingratitudinis vitio ei tribui possit, si patri non consentiat. Vnde in c. Vnico *de desponsat. impuber in 6.* in principio & §. *vltimo* plena libertas filiis relinquitur approbandi, & ratum habendi, quod parentes pro eis fecerunt. Ac proinde meritò concludit Abbas Panormitanus, quem sequitur Montaluus & ipsos Vasquez, filiam dotandam esse. Et quamuis in terminis ibi agatur de plenâ libertate consentiendi, aut dissentiendi in sponsalibus celebratis à patre pro filiâ; tamen eadem est ratio in nostro casu, cùm etiam tolleretur plena libertas, & esset magna coactio exhæredari propter initum matrimonium. Quâ de re etiam diximus in citato nostro *opere de iustitia lib.2.tractat.19. disp.1. numer.410.*

185. *Quid & quatenus circa hoc statuant leges ciuiles.* Sanchez.

Vtrùm autem leges prædictæ, & aliæ verè statuant pœnam exhæredationis, latè disputat Sanchez citatâ *disp.24.* vbi concludit *nu.3. & 4.* requiri, vt filia inuitis parentibus nubens simul vitam luxuriosam eligat, imò tres desiderari conditiones, vt tali pœnâ puniatur: primam, vt parentes eam velint matrimonio collocare, & dotem secundùm vires suæ substantiæ tradere: secundam, vt filia illi matrimonio repugnet; & simul vitam luxuriosam eligat: Tertiam, vt sit minor viginti quinque annis. Legatur Sanchez loco citato, & *disputation.25. & 26.* Qui disputans, an parentes teneantur dotem constituere filiæ ipsis inuitis nubenti per varias conclusiones à *num.16.* respondet primò, si minor viginti quinque annis nupsit sine consensu patris digno; & promisit dotem, tenetur pater dotare. Secundò, si minor absque patris consensu, & dotis promissione nupsit digno, tenetur pater dotare; quia dos constituitur filiæ non tantùm, vt virũ inueniat, & alimenta habeat; sed ad sustinenda

An parentes filiæ nubenti ipsis inuitis debeant cõstituere dotem variis conclusionibus resoluit Sanchez. *Prima. Secunda.*

matri-

matrimonij onera. Vtramque prædictam conclusionem probat, quia filia rem, ad quam tenebatur pater, vtiliter gessit (licet in secundo casu in modo nubendi deliquerit) nempe tenetur pater aliàs dotare filiam, & illam digno matrimonio collocare. Quod ipsa vtiliter gessit. Ita docent multi, quos refert idem Sanchez *n.* 13. 14. *&* 17.

186. *Doctrinam proximam temperant aliqui.* Couarr. Lopez.

Temperant autem aliqui secundam illam conclusionem; nisi filia sit diues, possitque promissam, aut non promissam dotem soluere; quia ratio ipsa naturalis postulat, vt filiam diuitem spreto patre nubentem non teneatur pater dotare. Ita Couarruu. & Ludouicus Lopez apud eundem Sanchez *num.* 18. qui hoc discrimen agnoscit inter nubentem digno, & nubentem indigno inuito parente, quòd quando nupsit digno, tenetur plenè dotare; quando verò indigno (etiamsi alioquin teneatur dotare filiam pauperem) non tenetur plenè dotare, sed tantùm iuxta quantitatem alimentorum, quæ ad vitam tuendam necessaria sunt.

187. *Tertia. Quo casu non teneatur pater dotare.*

Ideò tertiò asserit Sanchez, quando vir, vel femina indignum matrimonium inierunt, si alioquin diuites sint, id est habeant, vnde alantur, non tenetur pater dotare; quia non videtur æquum in tali casu, quo turpi matrimonio totum familiæ decus denigrauit. Si tamen alimentis carent, tenetur dotare, quantùm sufficit ad vitam tuendam, non ampliùs. Ita docent aliqui, quos refert idem Sanchez *numer.* 19.

188. *Quarta.*

Quartò docet *n.* 20. teneri patrem alimenta præstare filio, si aliunde non habeat. Nam filium diuitem nunquam putat teneri alere. Pro quâ sententiâ alios refert.

189. *Quinta.*

Quintò docet non tantùm filio; sed etiam vxori eius teneri alimenta præstare L. *si quis à liberis* 5. §. *si vel parens* vers. *Non tantùm* ff. *de liberis agnosc.* vbi non tantùm alimenta: sed cætera liberorum onera tenetur pater præbere, & Gloss. verbo *cætera*, ibi ait: *vt vestimenta, habitationem pro se, & suis liberis, & vxore.*

200. *Concluditur prius data doctrina.*

Ex hac doctrinâ colligitur id, quod initio dicebamus ex eo præcisè, quòd filius, aut filia nubant, aut ducant inuitis parentibus non posse exhæredari, nec dote priuari: quòd si possunt secundum leges, solùm est propter indignum matrimonium contractum, in quo leges non videntur propriè contrauenire iuri Canonico, nec libertati, quam ius Canonicum, & Tridentinum requirunt in matrimoniis contrahendis; sicut enim filij indignum matrimonium ineuntes peccant: ita possunt eâ pœnâ puniri; sed, quia indignum matrimonium eam pœnam requirit, oportet nunc quærere, quodnam censeatur matrimonium indignum? Atque hâc ratione potest intelligi Molin. *tomo* 1. *disputat.* 176. *tractat.* 2. dum docet valere pœnas legis Ciuilis. Quidquid alioquin aliter videatur sentire Perez *disp.* 17. *sect.* 17. sed reuera sicut Molina potest explicari.

Quo sensu Molina sit admittendus dum docet valere circa hoc leges ciuiles. Perez.

DVBITATIO XX.

Quale matrimonium censeatur indignum?

201. *Indignum matrimoniũ in quorũdã sententiâ.* Angelus. Syluest. Tabiena. Armilla. Speculum. *Alij falsò relati.*

ALiqui putant tantùm esse matrimonium indignum, quando alter coniux turpi indignitate affectus est, vt, si sit infamis; non verò, quando solùm est imparis conditionis. Ita Angelus verbo *dos. n.* 4. Syluest. *q.* 4. Tabiena. *q.* 3. *nu.* 4. Armilla. *n.* 6. speculum conscientiæ Tract. 1. *c.* 53. falsoque referunt Antonium, & Imolam *c. Accedens de Procurator,*

202. *Assertio* 1. *Colligitur ex ipsis legibus.* *Multi iurisperiti.* Sanchez. Couarr.

Asserendum primò est illud matrimonium censeri indignum, illumque indignum coniugem, cui nequit alter copulari absque dedecore iuxta ciuitatis mores. Ita constat in Regno Castellæ *l.* 2. *tit. de los casamientos l.* 3. *fori. ibi. Y si ella casare con alguno, que no sea conuenible para ella, y para su linage.* item l. *si adulterium cum incestu* §. *stuprum* ff. Ad *l. iul. de Adult.* ibi: *Contumacia iuris & sanguinis contumelia.* Ita multi iurisperiti, quos refert & sequitur Sanchez *libr.* 4. *disp.* 26. *num.* 23. Vnde Couarru. putauit patrem non teneri dotare filiam nubentem indigno, quia indignis nuptiis totum familiæ decus denigrauit.

203. *Assertio* 2. *etiam colligitur ex legibus.* Sanchez. Menoch. *Difficultas maior de viro.* *Idem de viro putant aliqui quod de femina si sit leno.* Sanchez. Menoch. *Distinguẽdum videtur.*

Asserendum est secundo censeri etiam matrimonium indignum ex parte bonorum animi, vt si coniux malis moribus imbutus sit l. *Sed ea* ff. *de sponsalibus* ibi. *indignum moribus, & turpem sponso.* Ita Sanchez *supra numer.* 24. Vbi etiam probat ex l. *Nuptiæ* C. de Nuptiis ibi: *& si pares sint genere & moribus* refertque Menochium *de Præsumptionib.* Præsumpt. 189. *libri.* 4. *numer.* 85. & quidem de feminâ meretrice, tum ex hoc capite, tum ex dictis in prima assertione satis constat; est enim turpe, & indignum iuxta Gentium morem hominem, præsertim honestum, ducere meretricem, etiamsi iam meretricari desierit. Maior difficultas est de viro; & quidem Sanchez ex Menochio dicit idem esse iudicium de viro, qui meretricatur, vel leno est. In quâ re ego distinguerem; atque inprimis, si de eo Lenonum genere loquamur, qui pro turpi lucro aliquam, vel aliquas feminas aliorum libidini prostitutas habent, cum quibus & ipsi etiam turpem habent consuetudinem de hoc hominum genere, etiamsi iã ad frugi se receperint, & omninò lenocinari; aut meretricari desierint, semper iudicarẽ esse indecorum feminæ honestæ; & familiæ; quantũuis pauperi, & communis conditionis, honestæ tamen, tali viro nubere; si tamen fuerit solùm mulierosus homo, & amasius alicuius, vel aliquarum, & iam emendauerit vitam, vel pensa satis circumstantiis credatur, aut satis probabiliter speretur, quòd legitimam accipiens vxorem à turpi deinceps consuetudine abstinebit: non putarem illum censeri indignum coniugem, etiam comparatione cuiuslibet honestissimæ & nobilissimæ feminæ; quid enim magis notum, & tritũ magisque vsu receptũ, quàm iuuenes nobiles, etiã primæ nobilitatis antequã legitimo matrimonio copulẽtur aliquo tali vitio laborare, id quod pro matrimonio ineundo cũ

paris generis, & conditionis femina non tanti momenti æstimatur, vt eo ipso censeatur indignus coniux. Vnde existimo hoc, quod attinet ad disparitatem in moribus animæ, prudentis iudicio discernendum esse.

Prudentis iudicio discernendū.

204. *Assertio 3. Sanchez. Menoch.* *In hoc etiā oportet distinguere, & prudens æstimatio locum habet.*

Assero 3. cum eodem Sanchez *num.* 25. indignum etiam coniugem censeri ex bonis fortunæ. Ita Menoch. *loco citato* vt, si pauperior notabiliter sit, nisi aliunde talis excessus compensetur, vt si pauperior sit nobilior. Verùm in hoc etiam saluo meliori iudicio multa cõsiderãda sunt, tum ex parte viri, tum ex parte feminæ; nam, si in generis nobilitate sunt pares, aut certe suppares (aliquid enim dandum est amori, qui magnum habet momentum in negotio, & Societate matrimonij) non semper ea inæqualitas in bonis fortunæ, quantumuis maxima indignum reddit matrimonium, quin imò sæpissimè videmus viros prudentes in vxorem cooptare feminam æquè nobilem omni prorsus dote destitutam; nimirum, quia ex parte suâ satis habent pro oneribus matrimonij sustinendis; atque educandâ prole; imò non sine laude liberales se ostendunt constituendo illi dotem in omnem euentum. Neque hoc tantùm in viris comparatione feminarum, sed in feminis quandoque erga viros id vsu venit, nimirũ nobiles, & prædiuites feminæ virum quærũt se generis nobilitate non indignum, cui, & sibi satis habent in bonis fortunæ, imò non rarò satius sibi putant virum ipsum, cui nubunt, antecedẽter demereri, id computantes in maximum amoris pignus inposterum, & non immeritò præeligunt habere virum, qui plus ip sis debeat, quàm è conuerso, & nemo est, qui iure id ipsis vitio vertat: ergo non eo ipso, quòd sit nimia disparitas in bonis fortunæ, si in nobilitate, cæterisque dotibus paritas sit; censendum est indignum matrimonium. Accedit aliquid etiã dandum esse corporis & animi dotibus, quas appellãt personales, vt si pulchritudine, prudentia, virtute, famâ, & similibus præluceat; quę omnia in compensationem bonorum fortunæ vocanda non immeritò sunt. Quapropter pensandæ sunt omnes circumstantiæ, maximè, quando iuxta morem patriæ non solet in feminis dos magna requiri, vt in his Regionibus Germaniæ, in quibus nunc versor, vsu video receptũ, vbi feminis etiam nobilibus multis in locis, vel nulla, vel exigua nimis dos solet constitui.

Dotes corporis & animi computãdæ etiam sunt pro dignitate coniugij.

205. *Aliud quod assignat Sãchez pro indigno matrimonio.*

Tandem Sanch. *n.* 26. indignum putat coniugem eum, cum quo matrimonium consistere non potest, ob aliquod impedimentum; nisi in eo sit dispensatum; quia nuptiæ debent esse cõuenientes de iure, & de facto. Pro quâ doctrinâ plures alios refert.

206. *Verissimum id est, sed nõ ad præsens negotium.*

Hoc tamen, licèt verissimum sit, non video, quomodo possit ad præsens negotium pertinere? nam, si non est dispensatum, non est matrimonium; hîc autem agimus de ineunte matrimonium indignum; at quod matrimonium non est; neque indignum matrimonium est, *quia non entis nullæ sunt qualitates.* Si autem est dispensatum, non potest ex eo capite impedimenti, in quo est dispensatum censeri matrimonium indignum.

207. Illud autem mihi maximè placet, quod prudentissimè notat Sanchez *n.* 27. scilicèt ea, quæ pertinent ad indignum matrimonium maximè esse aduertenda ad verificandam causam allegari solitam in matrimonialibus dispensationibus, quando dicitur non inueniri coniugem æqualem; nam licèt aliquis sit coniux genere, & diuitiis æqualis, si tamen sit pessimis moribus imbutus, censetur indignus, & inæqualis; vel, si diuitiis & genere inæqualis sit, ita, vt prudentis arbitrio ignominiosum sit cum illo copulari.

Aliud prudentissimè notatum ab eodem Sanchez.

208. *Præcedentes mores mali etiam posità spe emendationis sufficiunt, vt petatur dispensatio prædicta, sicut & paupertas.*

Imò, quamuis nuper dixerim non esse censendum indignum matrimonium etiamsi vir minùs honestè egerit cum aliis feminis ante matrimonium, si speretur fore corrigendum sub matrimonio, item posse non censeri indignum coniugem, etiam si bonis fortunæ, quibus alter abundat; quamuis (inquam) hæc dixerim; non tamen puto carere sufficienti causâ ad petendam dispensationem, vt copuletur cum cõsanguineo intra gradus prohibitos; quando; nisi dispensatio detur, non facilè inuenit sibi parem coniugem in diuitiis, aut, qui non prædictis moribus sit, aut fuerit imbutus; neque enim cogendus est coniux ad quærendum sibi parem, qui alioquin vel egestate laboret, vel saltem aliquando minùs castè & honestè se gesserit. Vnde, ne hæc patiatur; poterit vetè pro causa dispensationis allegare se non facilè inuenire sibi parem computando prædictas disparitates in diuitiis & moribus.

DVBITATIO XXI.

Qualiter probetur metus ad inualidandũ matrimonium?

209. *Hæc res ad forum externum maximè spectat. Axioma ex Innocẽtio de sumptum explicatur.*

HVius rei negotium ad forum externum pertinet, vnde iurisperitorum potiùs est, quàm Theologorum; breuiter nihilominus cũ Thoma Sanchez nonnihil de hac re disputare decreui, qui *disp.* 27. inprimis aduertit commune illud axioma Innocentij *c. super hoc* de *Renunc. n.* 2. dicentis magis credi duobus testibus de metu deponentibus, quàm mille testantibus spontaneam voluntatem, quam doctrinam meritò approbant alij Recentiores; sed minùs aptè declarant. Ratio verò doctrinæ est efficax, quia qui deponunt de metu, id, quod asserunt, potuerunt sensu corporeo percipere; secùs verò, qui testificantur de spontaneâ voluntate. Pro quâ doctrinâ plures alios refert Sanchez, qui etiam plures alios referunt.

Ratio prædicti axiomatis assignatur. Sanchez cũ multis.

210. *Temperatur 1. ab eodem Sãchez ex Decio.*

Temperat tamen doctrinam primò; nisi pro testificantibus de spontaneâ voluntate adessent præsumptiones, & coniecturæ. Pro quo refert Decium *c. finali de appellation.* 25. & 26. & Regul. *In omnibus* 39. *n.* 8. ff. *de regul. iuris* v. g. si actus fieret in præsentia iudicis, quo casu non præsumitur metus; item, si fiat coram consanguineis. Quando autem præsumptio est de libera volũtate iudex arbitrari debet, quibus testibus maior fit fides adhibenda. Legatur Sanchez *nu.* 2. vbi alios refert, & sequitur.

211. *Temperatur 2. ab eodem.*

Temperat 2. vt locum habeat, quando testificatio asserentium spontaneam voluntatẽ, seu nõ inter-

interueniſſe metum, eſt ſimpliciter negatiua, ſecùs, ſi ſit negatiua coarctata loco & tempore; tunc enim neutra probatio prefertur alteri; ſed æquè creditur affirmanti, ſicut neganti. Pro quo refert Decium *ſupra n.* 28. & Sigiſmundum inter conſilia feudalia *conſ.* 48. *n.* 18. Ac proinde datâ paritate terminorum æquè credendum eſt deponentibus de metu, ac de libertate; nam in vtroque caſu de re internâ teſtantur teſtes; &, ſicut metus per media, ſeu ſigna externa probatur; vt per minas; ita libertas; vt, ſi ſit præſens iudex. Tandem concludit Sanchez cum Couarruu. & Antonio Cuco arbitrarium eſſe iudici penſatis circumſtantiis, quibus magis credendum ſit.

Decius. Sigiſmund.

Sanchez cũ Couarr. & Cuco arbitrium iudicis admittunt in hoc.

Legatur Menoch. *libr.* 3. *Præſumptionum tota præſumption.* 4. Maſcard. *de Probationib. concl.* 1055. *& ſequentibus.*

Legendi in hac re. Menoch. Maſcard.

DISPVTATIO QVINTA.

De conſenſu & matrimonio conditionatato, & conditionatis ſponſalibus.

1. *Variis modis ſolet eſſe vel apponi conditio conſenſui & contractui.*

SOlet apponi conſenſui aliqua conditio, ſiue, quia ipſi contractui imbibita eſt, in omnique contractu intelligitur, aut ſaltem in ipſo contractu matrimonij, in quo etiam aliquæ conditiones neceſſariò intelliguntur appoſitæ; ſiue, quia voluntate contrahentium apponuntur; atque hæ ſunt, vel impoſſibiles, vel honeſtæ, vel turpes tam contra ſubſtantiam matrimonij, & bona ipſius, quàm præter. Item aliæ ſunt indifferentes & impertinentes. Præterea magnam cum conditionibus ſimilitudinem habet tempus, cauſa, modus, demonſtratio, de quibus etiam generaliter dixi-

Conditiones varia vel impoſſibiles, vel honeſta vel turpes contra vel prater ſubſtantiam. Indifferentes impertinentes.

mus *in noſtro opere de iuſtitia libr.* 2. *tractat.* 3. *dub.* 12. agentes de contractibus in genere. De iis omnibus nunc ſigillatim agemus; & poſteà applicabimus doctrinam ſponſalibus conditionatis.

Solet item apponi tempus cauſa, modus, demonſtratio.

DVBITATIO I.

Quod ſit matrimonium conditionatum, ſeu conſenſus conditionatus?

2. *Matrimonio poteſt apponi conditio. Quid in præſenti intelligatur nomine conditionis.*

QVod matrimonio poſſit apponi conditio, ſicut aliis contractibus conſentiunt Doctores. Nomine autem conditionis intelligimus, quantùm ad præſens attinet, id à cuius exiſtentia valor contractus, diſpoſitionis, & conſenſus pendet, quia fit dependenter ab illâ, ſoletque ordinariè explicari particula *ſi* & particula *dummodo* vt, ſi dicas *Do tibi equum, ſi es miles*, aut *dummodo ſis miles.* Alia diximus de conditione loco citato paulò ante ideò nunc omittenda.

3. *Conditiones quædam intrinſeca & neceſſariæ contractui quibus deficientibus nõ ſubſiſtat. Quædam neceſſariæ, ſed ſi deficiant adhuc poſſunt contrahentes conari licet inualidè ad contractum.*

Inter conditiones, quæ contractui matrimonij, ſicut & aliis poſſunt apponi, quædam ſunt intrinſecæ, & neceſſariæ omni contractui, ſine quibus validè ſubſiſtere nequit. Ex his autem conditionibus quædam ita ſunt neceſſariæ, vt, ſi deficiant nullo pacto poſſint contrahentes conari contractum perficere etiam inualidè, vt, ſi dicas *contraho tecum matrimonium ſi viuis, aut ſi conſentis.* Cuius generis conditiones ſunt, quæ ex naturâ rei inſunt independenter à diſpoſitione iuris poſitiui. Quædam verò ſunt neceſſariæ quidem; ſed non tales, vt, ſi deficiant, nequeant contrahentes conari ad perficiendum contractum ſaltem inualidè; vt, ſi quis dicat accipio te in vxorem, ſi non es conſanguinea mea in gradu prohibito, quæ conditiones ſolent appellari tales ex iuris poſitiui diſpoſitione. Aliæ verò ſunt conditiones non neceſſariæ contractui, ſed ei quaſi extrinſecæ, ita, vt abſque illis poſſit contractus validè ſubſiſtere, ex his autem conditionibus quædam ſunt omnino impoſſibiles; quædam verò poſſibiles, atque hæ in duplici differentiâ; nam quædam ſunt contingentes id eſt, quæ poſſunt euenire, aut non euenire; quædam verò neceſſariæ, quæ nequeunt non euenire.

Alia conditiones non neceſſaria ſed quaſi extrinſeca. Quædam ex his contingenter euenire poſſunt. Quædam neceſſariò euentunt.

His poſitis certum eſt illud matrimoniũ eſſe conditionatum, cui adhibetur conditio extrinſeca, & talis, vt abſque eius exiſtentia poſſit validè celebrari, vt cùm quis dicit *duco te in vxorẽ, ſi es diues, aut ſi es nobilis*; talis enim conditionis appoſitione, poteſt noui aliquid intendi, & fieri, quod ſine illâ non valeat, valeret autem, ſi non fuiſſet appoſita. Quapropter contractus, cui talis conditio apponitur ita eſt conditionatus diſtinctus ab abſoluto, vt habeat aliquem effectum, quem abſolutus ab eâ conditione non haberet, vel deſinat habere effectum, quem abſolutus ab illâ conditione haberet.

4. *Matrimonium eſt ſine controuerſia conditionatum, ſi apponatur conditio extrinſeca.*

5. *Conditione iure naturali neceſſaria ad valorem licèt apponantur contractus eſt abſolutus.*

Rectè autem docet Coninc *diſp.* 29. *dub.* 2. & Perez *diſp.* 16. *ſect.* 1. *n.* 5. & 7. diſtinguendum eſſe circa matrimonium cui apponitur conditio neceſſaria, vt abſque exiſtentia illius conditionis nequeant contrahentes conari ad contrahendum, quales eſſe ſolent aliquæ iure naturali neceſſariæ non cenſetur matrimonium conditionatum; ſed abſolutum, quia perinde eſt illam conditionem verbis exprimere, aut ſupprimere; nihil enim noui poſſunt contrahentes intendere per expreſſionem talis conditionis; ac proinde eâ expreſsâ tàm abſolutus cenſetur contractus, quàm non expreſsâ. Quando verò matrimonio apponitur conditio ipſi quidem neceſſaria, ſed non talis, vt, ſi deficiat, non poſſint cõtrahentes conari contractum, quamuis inualidè perficere, vt cùm quis dicit accipio te in vxorẽ, ſi non es in gradu prohibito conſanguinea mea verè cenſetur contractus conditionatus, quamuis negent Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 1. *num.* 13. & Baſil. *lib.* 3. *c.* 2. *num.* 10. Sed eſt quæſtio de nomine, quia re ipſâ concedunt, quod intendimus ſignificare & mox ſubiicio. Dico ergo eſſe cõditionatũ, ita, vt per talem appoſitionem conditionis poſſint contrahentes aliquid intẽdere nouũ; nẽpe, vt non

Coninc. Perez.

Alia licet neceſſaria non tales quin iis deficientibus poſſint conari contrahentes ad contractũ, cõditionatũ faciunt contractum. Oppoſitum putat. Sanchez. Baſilius.

Videtur quæſtio nominis. Explicatur res tota.

vt non contrahatur matrimonium illicitè contra pietatem consanguineis debitam,&, vt non incurratur pœna diffidentiæ dispensationis impetrandæ imposita in Tridentino *sess.24. cap.5. de Reform matrim.* contra eos, qui scienter contrahunt in gradibus prohibitis,aut, quando omissæ sunt illicitè denuntiationes,etiamsi ignoranter in eisdem gradibus contraxerint. Quæ pœna incurritur vbi Tridentinum viget; vbi autem non viget,potest excusari pœnâ excommunicationis. De quibus omnibus pœnis diximus *disp.3.dub.20.* Prædicta omnia ex dicendis clariora fient. Hoc autem ipsum non negant imò concedunt Sanchez & Basilius, imò concedunt loquentes de pœnâ excommunicationis,quæ lata est *in Clementinâ vnicâ de Consanguinitate.* Vbi non punitur effectus matrimonij, cum is non possit sequi sed affectus contrahentium seu attentantium contrahere, quem affectum non ostendunt, qui sub eâ conditione, *si non sint consanguinei* ineunt tale matrimonium,etiamsi dum talia agunt fortè sciant se esse consanguineos. Hoc autem est,quod nos etiam præcipuè intendimus, & appellamus conditionale matrimonium; non,quia verè resultet effectus,& contractus,sed, quia consensus ille expressus per verba est consensus,qui fertur in obiectum tantùm sub illâ conditione,quæ,si subsisteret,fieret contractus. De cætero quæstio est de nomine. Concedunt etiam & Perez *n.6.* cum illis,quando contrahentes dicunt:*contraho tecum si non fueris inuenta consanguinea* esse verè conditionatus, quia tunc apponitur conditio; non eo modo quo tacitè inest intrinsecè in ipso contractu,sed alio modo,& sensu;nempe inuoluit obligationem indagandi,an sit,vel non tale impedimentum: adeoque vult contrahens suspendi contractum,& illius obligationem vsque ad debitam inuestigationem impedimenti. Perinde atque si in collatione beneficij conferens dicat confero tibi beneficium,si idoneus inuentus fueris,nō habet effectum collatio,nisi postquàm constet de idoneitate & indago præcedat;ideoque reddit actum conditionatum. Legatur Sanchez *l.3.disp.33.n.4.*

Basilius,& Sanchez rē ipsam concedunt.

Casus,in quo apparet vere conditionatus.

6. *Quando cōtrahentes reuerâ nolunt consentire nisi dependenter à tali conditione,quacumque illa sit,non fiet contractus si non subsistat. Quidquid sit de foro exteriori.*

Tandem aduerto cum magis communi sententia & omnino vera, quòd, cum contractus matrimonij subsistere nequeat absque consensu,& intentione contrahentium, cuiuscunque generis conditio apposita sit; si contrahentes tantùm velint consentire dependenter ab existentiâ talis condicionis,non fiet contractus illâ non subsistente,etiamsi alioquin turpis aut impossibilis sit, non obstante quòd in foro exteriori quandoque aliquæ conditiones habeantur pro non adiectis, & absolutè validus censeatur,aut præsumatur contractus, de quo suo loco dicam.

7. *Matrimonium conditionatum semper intelligitur ex parte consensus. Sanchez. Frustrà reclamat Basilius. Probat Sanchez ex vtroque iure.*

Quando autem dicimus matrimonium cōditionatum semper intelligimus ex parte ipsius consensus; nam matrimonium ipsum secūdùm se conditionem non recipit, vt rectè docet & probat Sanch.*lib.5.disp.1.n.5.* (quidquid illum fugillet Basilius) quia quamdiu conditio pendet matrimonium non existit. Ex quâ doctrinâ explicat regulam *actus legitimi* 77. *ff. de Regul.iur.* & Regul. *Actus legitimi* 50. *eodem tit.in 6.* dum dicitur actus legitimos)non recipere conditionem,neque diem; sunt enim à legibus instituti, vt statim suum effectum habeant, ac proinde conditio suspendens aduersatur ipsorum substantiæ. Ita Sotus *in 4.distinction.29.q.2. articul.1.* Couarruu. 4. *Decretal.2. puncto cap.3. in principio.* Sotus. Couarr.

DVBITATIO II.

An hæc conditio, si Deus voluerit, aut si Deo placuerit, reddat contractum conditionalem,illumq; suspendat?

8. *Si contractus sit conditionatus conditione pendente in futurum non subsistit ante illam impletam.*

MVltum interest nosse, an contractus sit conditionalis conditione pendenti in futurum;nam,si talis sit, nondum subsistit ante impletam conditionem;atque adeò non causat effectus,quos causaret, si subsisteret iuxta ea, quæ diximus *disp.1.dub.43.n.947.* in principio habito respectu ad dub.40.§ *quamuis autem nu.* 609.& sequētibus. Quærimus ergo in præsenti; an contractus matrimonij posità prædictâ cōditione si Deus voluerit, aut si Deo placuerit, reddatur conditionatus propriè ita,vt suspēdat, & reddat contractum conditionatum, & tanquàm non subsistens non causet obligationem, quam causaret vel conditione impletâ, vel, si simpliciter esset ab initio absolutus.

Inde declaratur præsentis dubij titulus & in quo sit difficultas.

9. *Ratio difficultatis. Glossa. Panormit. Alij apud Sanchez affirmant esse sub conditione si Deo & Ecclesiæ placuerit. Couarr.*

Ratio difficultatis est,quia *Gloss.c. vnico in fine de sponsalib.in* 6. Panormitanus c. *significasti* de *Elect.* in fine,& alij apud Sanchez *lib.5. disp.1.n.8.* putant sponsalia conditionata sub hac conditione *si Deo,& Ecclesiæ placuerit*, esse conditionalia,ac proinde reperto impedimēto ob quod sponsalia sint nulla, non oriri publicæ honestatis iustitiam,quia non purè contracta sunt iuxta *c vnicum de sponsalib.in 6.* & docet Couarruu.4. *Decretal.2.p c.6 §.2.*

10. *Alij negant esse conditionalia. Ratio. Multi apud Sanchez.*

Alij verò negant esse conditionalia;quia cōditio *si Deo placuerit* tacitè inest. Ita multi iurisperiti;& Theologi apud Sanchez *supra n.9.*

11. *Alij distinguunt. Ioan. Andr. Dominic.*

Alij denique distinguunt, & tunc docent esse conditionalia, quando subest impedimentum;secùs verò,quando non subest. Ita Ioannes Andreas *dicto c. vnico in fine.* Dominicus & Frācus ibidem.

12. *Totum pendet ex mēte contrahentium iuxta diuersum sensum conditionis illius.*

Verùm totum hoc negotium reducendū est ad animum & mentem contrahentium, qui, si sub eâ conditione intelligunt voluntatem illā generalem Dei,quâ omnia, quæ fiunt,aut vult, aut permittit,non est contractus conditionalis; est enim conditio generalis,& in omni contractu intelligitur, nec suspendit consensum iuxta dicta *dub.præced.* & *disp.1.* locis notatis. Si verò intelligant de voluntate approbationis, id est,si contractus Deo non displiceat; sed sit iuxta eius beneplacitum ita, vt non sit à Deo prohibitum per se immediatè, vel mediis superioribus, contractus erit conditionalis,suspendetque ipsum contractum talis apposita conditio, & in hoc sensu meritò interpretatur Sanchez Glossam,& alios Doctores primę sententiæ, dum dicunt esse sponsalia conditionalia, quando fiunt sub eâ conditione. Alios verò, qui dicunt non esse conditionalia, intelligunt

Sanchez.

condi-

conditionem de eâ voluntate generali, *si Deo placuerit*, id est, saltem permiserit. Quæ conditio tacitè inest in omnibus contractibus. Ita præter Sanchez Adrianus *in 4. in materia de matrimonio q.3.dub.4.* Sylvest. matrimonium *3.q.3.* qui addit in dubio intelligi de posteriori voluntate; quia id est animæ tutius.

Adrianus. Sylvester.

13. *Adhuc in hac re videtur distinguendū.*

Verum licet hæc doctrina pro sponsalibus absolutè vera sit, vtpote respicientibus futurum matrimonium, imò & pro ipso etiam contractu matrimonij, (si rectè intelligatur) nihilominùs adhuc oportet distinguere de ipsâmet conditione, & de notitia ipsius, quòd scilicèt conditio subsistere cognoscatur; nam, si de ipsamet voluntate approbationis Dei sermo sit, cùm voluntas Dei non sit futura, sed ab æterno existens cuiuscunque obiecti; conditio illa voluntatis Dei non potest facere contractum conditionatum; sed, aut nullum, aut statim absolutum, & verum; nam tunc in ipso instanti est verum alterutrum contradictorium scilicèt quòd Deo placeat; vel quod Deo non placeat, etiam loquendo de voluntate approbationis, & non solùm de voluntate permissionis: ergo voluntas illa approbationis vel existit actu, vel non existit, quando contractus fit, si existit actu, non potest suspendere contractum; si verò non existit; contractus est semper nullus; quia libera voluntas Dei comparatione cuiuscunque obiecti, si semel non existit, nunquam existit: quidquid enim Deus vult, aut non vult, ab æterno vult, aut non vult: ergo talis conditio non est conditio propriè de futuro, etiamsi verbum fortasse ponatur in tempore futuro, dum dicitur *si Deus voluerit*, vel *si Deo placuerit*. Et quidem adhuc pro re morali maiorem vim habet, etiamsi quis metaphysicè velit distinguere ipsam voluntatem Dei, prout relatam ad tempus futurum post contractum, ita, vt distinguat inter has conditiones. *Si Deo placet, & si Deo placuerit*, intelligendo scilicèt voluntatem Dei significatam per illud *Deo placet*, vt se solùm extendentem ad tempus illud, in quo fit contractus. Per illud verò *Deo placuerit* eandem voluntatem vt relatam ad tempus futurum post contractum. quamuis (inquam) aliquis metaphysicè velit distinguere sic voluntatem Dei in re morali, adhuc vim habet argumentum; quia, licèt daremus in ipso instanti, quo primò est consensus non existere conditionem, at immediatè existit tempore sequenti; atque adeò moralis censetur simultas, & coëxistentia approbationis Dei pro tempore sequenti: ergo, nec talis metaphysica distinctio potest deseruire, vt censeatur conditio futura, suspendensque contractū, cùm, immediatè finito contractu, incipiat tēpore sequenti subsistere conditio. Accedit, quòd supposito, quòd semel sit voluntas Dei libera comparatione alicuius obiecti, semper necessariò erit comparatione totius temporis, non solùm illius, quo fit contractus, sed etiam sequentis, atque adeò conditio apposita contractui respectu contrahentium, etiamsi respiciat tempus futurum, est conditio necessaria, non minùs, imò multò magis, quàm conditio *si sol oriatur*, quia, sicut supposità tali constitutione vniuersi necessarium est oriri solem: ita supposito Decreto Dei ab æterno circa tale obiectum approbandum multo magis necessaria est conditio approbationis Dei pro quouis tempore futuro, semper enim existet.

Habemus ergo ex hoc discursu, si præcisè agamus de voluntate ipsâ Dei epprobantis contractum, tanquàm licitum, & honestum eam conditionem non suspendere cōtractum, quia, vel contractus est licitus, & placens Deo in eo sensu, vel non, ita, vt vel nullum sit impedimentum, & prohibitio; vel sit, si primum dicatur: contractus est absolutus & conditio subsistit; si secundum: contractus est nullus; quia conditio nec subsistit, nec vnquàm subsistet.

14. *Concluditur doctrina ex dictis.*

Solùm ergo vera est prædicta doctrina, quòd scilicèt contractus sit conditionalis, quādo contrahentes non solùm intelligunt voluntatem approbationis Dei per illa verba si Deo placeat, aut si Deo placuerit; sed etiam notitiam ipsius voluntatis, & approbationis, ita, vt, quando dicat vterque *contraho tecum si Deo placuerit*, intelligant, si constiterit, & apparuerit contractum esse placitum Deo, ita, vt nullum appareat peccatum, aut impedimentum sic contrahendi. Nec refert, si ponatur pro conditione notitia per reuelationem aut per aliam viam, licet enim conditio notitiæ per reuelationem sit turpis vt videtur significare Perez *disp.16.sect.1.n.11.* non ideò habetur pro non adiectâ; nisi fortè in foro externo (de quo dicam posteà) in foro enim interno pendet à voluntate contrahentis non cōsentire, nisi dependenter ab illâ, vt dicebā *nu.6.* sicut à quacunque aliâ.

15. *Colligitur quo casu cōtractus sit sub eâ conditione conditionatus.*

Ex hac doctrina inferre possumus; quid dicendum sit de illâ conditione, *si Ecclesiæ placuerit*; nam, si intelligant præcisè, si non sit contra voluntatem Ecclesiæ, neque in modo, neque in substantiâ id est, si non sit contractus hîc, & nūc existente impedimento aliquo Ecclesiastico, aut aliquâ prohibitione sic contrahendi; contractus non erit conditionalis; sed tunc absolutè est validus, aut inualidus, ita, vt, si sit aliquid tale: non valeat; si verò non sit; statim valeat absolutè, quia existentia vel non existentia talis conditionis in sensu contrahentium est de præsenti & non pendens in futurum. Si verò intelligant per illud: *si Ecclesiæ placuerit* idem, quod, si Ecclesiâ iudicio suo approbauerit tale matrimonium siue constando illi non esse impedimentum siue dispensando in impedimento, si fuerit: tunc procul dubio contractus est conditionalis, quia conditio adhuc pendet in futurum, atque adeò suspenditur, & non existit contractus. Et hoc secundo modo communiter videtur esse accipiendum. Vnde, qui norunt iam, vel suspicantur, aut timent esse aliquod impedimentum, siue dirimens, siue tantùm impediens, & eo modo contrahunt; semper intelligendi sunt in hoc vltimo sensu contrahere, ita, vt, sit aliquod impedimentum contractus, sit verè conditionalis, &, si non satis constet, suspendit consensum, donec constet Ecclesiam approbare factâ indagine. Atque hoc vltimum docet Sanch. *sup n.12.* referens Antonium Cucum.

26. *De alia cōditione si Ecclesiæ placuerit.*

Sanchez. Cucus.

DVBITATIO III.

An conditiones appositæ suspendant matrimonium vsque ad notitiam existentiæ conditionum?

17. *Explicatur titulus dubitationis.*

DIximus, & omnino certum est, conditiones, quæ verè conditiones sunt, & pendēt in futurum, debere existere, vt contractus absolutè valeat: quia fit dependenter ab earum existentiâ. Solùm quærimus; an etiam sit necessaria notitia existentiæ; seu impletionis earundē conditionum, ita, vt valor contractus à tali notitiâ pendeat, & suspendatur vsque ad illam?

18. *Prima sententia affirmans.*

Prima sententia affirmat, ita, vt, quamuis cōditio sit de præsenti, aut de præterito, non valeat contractus quantumuis impleta sit subsistatque conditio, donec adsit notitia existentię, saltem probabilis habita à contrahentibus. Ita Coninc *disput.29.dub.1.num.9.* Vbi falsò asserit hanc esse communem sententiam Doctorum; imò falsò etiam refert pro hac parte *cap.3.& 5. de conditionibus appositis.* Vbi nihil agitur de valore contractûs, aut non valore impletà iam conditione; non habitâ notitiâ impletionis: sed solùm vtrobique supponitur suspendi obligationem vsque ad conditionis impletionem Conninchum sequitur Perez *disp.16 num.3.* Probari verò potest hæc sententia, quia ad contrahendum matrimonium necessaria verba sunt; quibus sibi contrahentes mutuò, & determinatè explicent consensum; verbis enim, quibus æquè possunt significare consensum & dissensum, nequit matrimonium celebrari. At, quando existentia conditionis appositæ ignota est contrahentibus, non significant satis verbis conditionalibus determinatè consensum; neque enim potiùs significant consensum, quàm dissensum; tunc enim sub disiūctione significant, vel consensum, si existat conditio, vel dissensum, si non existat; nam, quousque nota sit conditionis existentia, non potiùs colligitur, aut intelligitur consensus, quàm dissensus: ergo verba, quibus sub conditione contrahitur matrimonium, non sufficiunt ad valorem, quousque sit contrahentibus nota conditionis existentia.

Coninc. *Falso asserēs esse communem sententiam & falso allegans textus.*

Perez. *Probatur hac sententia.*

19. *Secunda sententia vera negat suspendi vsque ad notitiam.* Sanchez. Hurtad. *Alij antiquiores.* Sotus. Corduba. Lopez.

Secunda, & vera sententia docet matrimonium sub conditione factum non suspendi vsque ad notitiam impletæ conditionis. Ita Sanchez *lib.5.disp.7.num 2.* Hurtado *disp.7. difficult.3. num.7.* & alij Antiquiores illis inter quos Sotus *in 4.dist.29.q.2. art.1.* Cordub. *in summa q.46.* Ludouicus Lopez *2.p instructorij noui in materia de matrimonio q.42.* qui, sicut & Sotus & Sanchez *num.3.* Hurtado & quidam alij idem dicunt, etiam, si contrahentes non solùm ignorent, impletam conditionem; sed credant non esse impletam, vt, si contrahant sub conditione, *si pater consentiat*, & ille reuerâ consentiat, contrahentes verò putent non consentire; sed dissentire. Probatur sententia; quia contrahens matrimonium sub conditione prædictâ, aut similibus, contrahit, & consentit sub conditione existentiæ rei significatæ per conditionem, non verò sub conditione notitiæ; ergo sola impletione & existentiâ conditionis, seclusâ omni notitiâ, purificatur consensus conditionalis, vtpotè alligatus existentiæ conditionis; non existentiæ notitiæ, ergo non suspenditur vsque ad notitiam. Quod autem ea existentia non sit contrahentibus nota, non impedit, quo minùs verba, quibus celebratur contractus conditionaliter, significent ipsis contrahentibus determinatè consensum sub illâ conditione, etiamsi ignorent illius existentiam, sub quâ datur consensus, quia verba determinatè illum significāt etiam ipsis contrahentibus ignorantibus, quia ipsis dicuntur, & ad eos diriguntur, & ipsi ex verbis sub conditione prolatis colligunt, & intelligunt determinatè consensum sub conditione appositâ; quantumuis ignorent existentiam conditionis, & simul etiam ignorent contractum esse purum, & consensum absolutè valere, quippe qui ignorent id, sub quo & dependenter à quo consensus fuit præstitus; aliud enim est ignorare, quòd consensus absolutè valeat, eo quòd ignoretur existentia conditionis; aliud verò ignorare consensum fuisse sub conditione præstitum. Quod posterius contrahentes non ignorant; etiamsi ignorent illud prius. An verò idem sit dicendum quando Parochus & testes ignorant impletam esse conditionem dicemus *dub.10.*

20. *Contractus sub conditione de præsenti, aut de præterito aut statim valet, aut statim est nullus.*

Ex quo patet contractum sub conditione de præsenti aut de præterito statim, vel absolutè valere, vel esse omnino nullum; valebit quidem, si conditio existat, vel exstiterit; non autem valebit; sed omnino erit nullus, si, tunc non existat, vel extiterit conditio.

21. *Quæsitum.*

Quæret tamen aliquis quid sentiendū quando conditio est de præterito, ita, vt aliquando quidem fuerit aliquando non fuerit; sed potiùs oppositum, vt, si conditio sit, *si patri placuit*: patri autem aliquando quidem placuit, aliquando non placuit?

22. *Sanchezij responsum.*

Respondet Sanchez *supra num.6.* standum esse posteriori voluntati. Vnde, si posterior fuit displicentiæ, non valere: si verò complacentiæ, valere; quia posterior voluntas derogat priori; & contrahentium animus fuit non offendere patrem contrahendo ipso inuito.

23. *Dubitatur vlterius in eo contractu.*

Sed quid dicendum, si patri quidem semel displicuit, postea semel placuit posteà vero hęsit, & dubitauit, & quasi suspendit animum, nec approbando, sed voluit deliberare circa eam rem?

24. *Respōdetur.*

Respondeo saluo meliori iudicio contractū non valere; quia conditio non subsistit; illa enim animi suspensio & determinatio deliberandi & cogitandi; an expediret, vel non expediret, est sufficiens reuocatio præcedētis approbationis. Nam cum eo animo consultandi, vel deliberandi, cogitandique apud se, quid sit deligendum & approbandū: nō potest simul existere voluntas approbationis ipsius matrimonij. Atque hæc dicta sunt de conditione de præterito.

25. *Quid si Pater semper tacuit aut iam erat mortuus? Disputandū iam proponitur.*

Si verò agamus de futuro, & pater tacuit semper, vel iam erat defunctus eo tempore, quo apponitur de futuro conditio, non est ita facilè rem definire; ideò placuit seorsim eâ de re disputare duabus sequentibus dubitationibus, tùm de consensu aut non consensu semel posito; tum de Patre tacente, aut mortuo.

DV-

DVBITATIO IV.

An matrimonio contracto sub conditione de futuro, si patri placuerit, censeatur impleta, aut deficere conditio, eo ipso quòd pater, vel consentiat semel, vel dissentiat?

26. *In quo sit præcipua controuersia.*

QVod in præsenti præcipuè controuertitur, est, an supposito, quod pater primò certior factus dissentiat, deinde verò consentiat; consensu isto posteriori censeatur impleta conditio ad valorem matrimonij.

27. *Prima sententia.* Sotus. Rosella. Basilius. Sanchez. Angelus. *Probant.*

Prima sententia est Soti *in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 3.* Rosellæ *matrimonium 5. num. 4.* Basilij *lib. 3. cap. 17. in fine* Sanchez *lib. 5. disp. 7. num. 9.* qui refert etiam Angelum *matrimonium 3. impedimento 3. num. 2.* contractum posito dissensu non valere, quantumuis posteà sequatur consensus. Probant; quia eo ipso quòd pater conscius dissentit, deficit conditio.

Est sententia satis probabilis.

Estque satis probabilis hæc sententia.

28. *Secunda sententia.* Nauarr. Ledesma. Coninc. *Plures alij apud Sanch.* Sylvest. Tabiena. Perez. Hurtad. *Alij. Probabilem putat Sanchez. Probant.*

Secunda sententia est Nauarri *cap. 22. num. 61.* Petri de Ledesma *q. 47. art. 5. dub. 7.* Coninc *disp. 26. dub. 2. num. 28.* qui dicunt in eo casu per secundam voluntatem approbationis valere non obstante primâ reprobatione. Hanc sententiam sequuntur plures alij apud Sanchez *nu. 8.* maximè Summistæ, Sylvester, Tabiena, & aliqui alij verbo matrimonium. Item Perez *disp. 16. sect. 11. num. 4.* Hurtado *disp. 7. difficult. 5. num. 16.* & alij eamque probabilem putat Sanchez ibidem. Probant; quia, quamuis verbis prædictæ conditionis in rigore sumptis, per priorem illum dissensum deficiat conditio; nihilominùs iuxta communem sensum, & intentionem contrahentium non sumuntur in rigore verba conditionis; sed morali quodam modo, ita, vt sensus sit, si à Patre fuerit obtentus consensus intra tempus aliquod arbitrio prudentis attentis circumstantiis, sicut, quando contrahitur sub cõditione *si Papa dispensauerit*. Ergo, quamuis pater initio dissentiat, si posteà intra tale tempus consentiat, ad quod tempus prudentis arbitrio intenderunt contrahentes extendere suum consensum conditionatum, absolutè valebit contractus, quia tunc non defuit conditio, vtpotè purificata intra tempus comprehensum intentione cõtrahentinm; sicut etiam matrimonium sub conditione *si Papa dispensauerit* valet, quamuis Papa initio neget dispensationem; posteà verò intra tempus moraliter comprehensum intentione contrahentium illam concedat. Vtraque sententia satis probabilis est, & vtraque omnino vera continet sequentibus assertionibus explicanda.

Vtraque sententia probabilis & continet vera explicanda.

29. *Assertio 1. Consulendus animus contrahentium.*

Assero 1. ante omnia consulendus est animus contrahentium; ab eorum enim voluntate dependet obligare se ad expectandam secundam, aut tertiam instantiam pro obtinendo consensu patris, etiamsi primò repugnauerit. Vnde, si ex aliquibus circumstantiis constiterit, aut prudenter iudicetur eos habuisse talem animum, non per primam repulsam censetur omnino deficere conditio; signum autem huius animi, aut intentionis est, si contrahentes; quando agebant de consensu patris expectando; simul egerunt & consultârunt de mediis, aut intercessoribus, quibus pater & exoraretur, si forte esset difficilis, aut repugnans. In quo casu neutra prædictarum sententiarum, puto, repugnabit huic assertioni, & secunda à fortiori assentiet. Item signum huius animi est, si, quando agebant de consensu patris timebant illum initio fore difficilem, & nihilominùs dependenter ab illius consensu voluerunt rem aggredi. Item indicium potest sumi à nimio affectu, & ardenti amore, quo se mutuò prosequuntur contrahentes, & ex multitudine rationum, quas inter se excogitant, aut patri offerantur ad illius animum mouendum, qui enim ad persuadendum alteri pluribus venit rationibus & argumentis armatus, non censetur velle primæ repulsæ cedere; sed instare potiùs, & vrgere.

Signa dignoscendi talem animum. *Primum signum.* *Neutra sententia in hoc videtur repugnare.* *Secundum signum.* *Tertium signum.*

30. *Assertio 2. ex ipso modo contrahendi colligi posse sæpe non esse in aliquo animum expectandi vlterius. Explicatur exemplo.*

Assero 2. Ex ipso modo contrahendi dependenter à voluntate patris colligi sæpè potest non fuisse animum in aliquo contrahentium expectandi secundam tertiámue instantiam; sed ad primam potiùs repulsam retrocedendi: quod præcipuè in femina potest contingere, cui maximè pudor est, nimis pro ea re, siue per se, siue per alium instare. Vnde, si viro dixerit ego *contraho* vel *contraham tecum, si pater consentiat seu non repugnet, illo verò repugnante, non possum non stare voluntati ipsius.* Prudenter iudicari potest noluisse se obligare ad expectandam secundam tertiámue instantiam. Vnde tam ipsa, quàm vir poterit resilire. In hac assertione à fortiori consentiunt Auctores primæ sententiæ, nec puto nimis repugnaturos Auctores secundæ. Ratio verò est; quia totum negotium pendet ex voluntate contrahentis, quæ in hoc casu non videtur se voluisse ab initio obligare ad expectandam secundam tertiámue instantiam. Potest id etiam discerni ex non nimio affectu contrahentium, & ex nimio timore, aut metu offendendi Patrem, aut illius voluntati repugnandi; quod maximè potest habere locum in casu, quo expectet à Patre magnam aliquam hæreditatem, in quâ possit illum cæteris filiis præferre, aut etiam postponere iuxta morem, & leges patriæ.

Auctores primæ sententiæ à fortiori in hoc consentiunt. *Non nimis repugnabit secunda sententia.* *Signum id discernendi.*

31. *Assertio 3. in casu quo simpliciter fuit contractus initus, potius fauẽdum secundæ sententiæ.*

Assero 3. Quando nihil constat ex iis, quæ dicta sunt in prima, & secunda assertione; sed simpliciter contraxerunt sub petendo, & obtinendo consensu patris; si talis consensus petatur per tertiam personam ab ipsis ad id submissam expectaturis responsum per talem internuncium afferendum, etiamsi internuncius principiò repulsam patiatur, sed antequàm responsum referat, pater mutatâ sententiâ consentiat, siue persuasus ab internuncio, siue sponte suâ, probabilius puto censeri purificatam conditionem requisiti consensus; & in hoc assentior secundæ sententiæ, nec puto repugnaturam primam. Ratio verò est; quia eo ipso quòd miserũt internuncium ad explorandam sententiam patris, videntur se voluisse obligare vsque ad expectandum responsum ab internuncio afferendum, ad id enim voluerunt illum submittere.

Non multũ in tali casu repugnabit secunda sententia.

32. *Assertio 4.*

Assero 4. si ipsimet contrahentes coràm agunt cum patre & ipse vehementer repugnet, & irasca-

In casu quo præsentes agant & Pater fortiter renuat, possunt statim resilire. Præfertur in hoc prima sententia. Ratio.

iraſcatur, aut ægrè ferat eiuſmodi petitionem conſenſus, ita, vt ſatis oſtendat obfirmatum animum ad renuendum, ſtatim poterunt contrahentes reſilire; atque in hoc puto probabiliorem primam ſententiam. Ratio eſt; quia tunc cenſetur moraliter deficere conditio, nec affulget ſpes permutandi ſententiam intra illud tẽpus, quod moraliter iuxta ſecundam opinionem cenſebatur comprehenſum in intentione contrahentium; nec cenſetur, poſitâ tam vehementi repugnantiâ ex parte patris, voluiſſe ſe obligare ad vlteriùs expectandum.

33. *Aſſertio 5. in caſu quo non nimis ſed leuiter repugnet, & ſit ſpes aſſenſus, expectandum vlterius videtur.*

Aſſero 5. ſi pater non nimis vehementer repugnet ſed leuiter, atque ita, vt affulgeat ſpes, quod cognito nimio amore filij aut filiæ, vel expenſis alijs rationibus, poſteà, aſſentiet intra aliquod tempus non nimis longum iudicio prudentis; tunc, etiam ſi vtcumque, aut mediocriter repugnauerit, non cenſetur adhuc deficere conditio, ſed expectandam ſecundam inſtantiam, aut dandum aliquod tempus patri ad deliberandum eodem ferè modo; atque, ſi ſubdubius taceret, vel oſtenderet aliquam difficultatem. Ratio verò eſt; quia illa non cenſetur perfecta, & omnimoda repugnantia; ſed, quaſi ſubita, & nondum ſatis præmeditata. Ideò moraliter cenſentur contrahentes voluiſſe ſe obligare, non ad ſubitam tantùm reſponſionem patris; ſed ad benè perpenſam, & cogitatam. Et in hoc aſſentior ſecundæ ſententiæ, & fortaſſe non multum repugnabit prima.

Ratio.

In hoc præualet ſecunda ſententia, nec multum fortè repugnabit prima.

34. *Illatum ex tertia aſſertione.*

Ex tertiâ aſſertione colligitur, quòd, quando internuncius primò, rem proponens patri obtinuit, vtcumque aſſenſum, & antequàm referat reſponſum contrahentibus, iterum mutet, & renuat: quod attinet ad matrimonium diuerſo modo Philoſophandum ſit iuxta diuerſas ſententias Doctorum. Nam, qui putant initio contractu per verba de præſenti ſub conditione de futuro ſuſpendere quidem contractum ipſum matrimonij vſque ad conditionis impletionem; conditione verò impletâ abſque nouo cõſenſu ſtatim fieri validum matrimonium modo præcedens conſenſus reuocatus non fuerit pendente adhuc conditione; conſequenter admiſsâ tertiâ aſſertione dicere tenentur, quod, ſi pater ſemel aſſentiat, in ipſo inſtanti fiat validum matrimonium & non poſſint reſilire contrahentes, etiam mutuò conſenſu, quia contractus eſt naturâ ſuâ indiſſolubilis. Neq; obſtat, quod ignorent adhuc conſenſum Patris, quia iuxta dicta *dub. præcedenti* non requiritur notitia impletæ conditionis; ſed ſufficit eſſe impletam, vt contractus conditionalis valeat. Qui verò putant contractum; quantumuis per verba de præſenti, appoſitâ conditione de futuro, ita ſuſpendi, vt adhuc impletâ conditione, & (ſi velis) adhuc habitâ notitiâ impletionis indigeat nouo conſenſu de præſenti, vt matrimonium fiat, ſolumq; per impletam conditionem reſultare obligationem ſponſalitiam; cõſequenter admittentes tertiam aſſertionem, dicere tenentur, neque obligationem ſponſalitiam reſultare, ſi internuncius accipiens primò à patre conſenſum, poſteà accipiat vltimatè diſſenſum antequàm reſponſum referatur ad contrahentes. Ratio eſt, quia in tali caſu contrahentes ad celebrandum matrimonium per nouum conſenſum (quia iuxta hanc ſententiam prior cõſenſus non erat ſufficiens) cenſentur voluiſſe adeſſe conſenſum Patris pro celebrando matrimonio, tempore, quo matrimonium celebraretur, qui conſenſus iam non adeſt eo ipſo, quòd pater primò conſentiens contra internuncio ſubinde diſſentiat; tunc enim iam deſinit eſſe cõſenſus pro celebratione matrimonij.

Nota pro praxi in caſibus occurrentibus iuxta varias ſententias.

Ratio.

Ratio data doctrina.

Verùm obiicies contra hoc. Sicut iuxta priores Doctores contractus ille eſt contractus matrimonij, adhuc, quaſi in pendenti exiſtens vſque ad impletionem conditionis, & eâ impletâ, eſt contractus matrimonij abſolutè validus; ita iuxta ſecundos Doctores contractus ille cenſetur ſponſalitius propter conditionem de futuro; ſed, quaſi in pendenti vſque ad impletam conditionem; illâ verò impleta, contractus ſponſalitius quidem adhuc erit, iam tamen abſolutus, & abſolutè obligãs. Vnde eo ipſo quòd pater ſemel aſſentiat coram internuncio, cenſetur impleta conditio, & contractus ſponſalitius abſolutè validus, & obligans. Quamuis ergo poſteà iterum pater diſſentiat, non poterit impedire valorem contractus ſponſalitij iam abſoluti per impletionem conditionis, nempe aſſenſus à ſe præſtiti.

35. *Obiectio.*

Reſpondetur prẽcisè quidem ex eo capite, quòd ſecundò diſſentiat, non poſſe impedire abſolutam obligationem contractûs ſponſalitij, quæ pro illo intermedio tempore inter aſſenſum & diſſenſum reſultauit, purificatâ conditione; quia tamen mens, & intentio contrahentium fuit, vt ſupponimus nunquàm obligari ad cõtrahendum matrimonium, niſi exiſtente conſenſu patris, quando contraheretur; hinc eſt, vt reuocato cõſenſu præcedenti per nouum diſſenſum, & tali modo diſſenſu perſeuerante, ipſiſque alioquin contracturis noto, nulla ſit obligatio contrahendi, cùm noluerint obligari ad contrahendum matrimonium, niſi conſentiente patre in matrimonium, qui tamen iam non conſentit. Vide quæ paulò poſt dicemus *num.* 40. præſertim paulò ante finem.

36. *Reſpõdetur.*

Illud tandem conſideratione indiget, quod Sanchez & Coninc, Perez, Hurtado ſupra aduertunt, dum docent, quamuis prædictâ conditione *ſi patri placuerit* propriè, & in rigore ſignificetur poſitiuus conſenſus patris; nihilominus eâ conditione tantùm ſignificari non repugnantiam patris; quia contrahentes eâ conditione non tàm intendunt, quòd pater faueat, quàm, quòd non repugnet, & ægrè ferat. Ex quo inferunt Sanchez, Perez *num.* 7. & Coninc (quidquid in contrarium ſentiat Baſilius *lib.* 3. *in fine*) ſi pater moriatur antequàm rogatus ſit, an ipſi placeat, valere matrimonium; quia tunc repugnare nequit.

37. *Aduertendũ quâ ratione ſit admittendũ quod aliqui notant.* Sanchez. Coninc. Perez. Hurtado. *Contra Baſilium.*

Hęc ſanè doctrina ſatis probabilis, ſed (vt dicebam) conſideratione adhuc indiget, imò, & diſtinctione. Nam ex aliquibus circumſtantiis diſcerni poteſt, & debet, tùm, an ſufficiat iuxta mentem contrahentium, quòd pater non repugnet, vel requiſierint aſſenſum? tùm; an illa non repugnantia patris proueniat, vel ex odio iráue conceptâ ex eiuſmodi intentato matrimonio; vel ex eò quòd velit inde anſam capta-

38. *Probabilis ea doctrina indiget conſideratione & diſtinctione.*

re,

re, vt in distribuendis bonis minorem erga talem filium ostendat amorem, & sub iis aut similibus affectibus respondeat. *Ego non repugno, nec me interpono in hoc negotio, faciant illi, quod sibi placuerit, & sicut non meo consilio: ita nec resistentiâ:* in his sanè, & similibus casibus prudentis arbitrio discernendis, vel censetur virtualis repugnantia patris; vel censetur filius non solùm patrem velle habere non repugnantem; sed etiam assentientem; idque maximè, (vt sæpè fit) quando contrahentes sub eâ conditione simul tractarunt de aliquibus petendis, aut accipiendis à Patre; tunc enim satis significant velle, non solùm illius non repugnantiam sed consensum. De cætero probabilem puto, & in praxi seruandam prædictorum Doctorum sententiam. Quid autem, si pater taceat? dicemus *dub. sequenti.*

39. *Si positiuus consensus Patris petebatur & ille moriatur priùs non videtur sufficere vt valeat contractus.*

Quod verò dictum est de mortuo parente etiam limitandum videtur pro casu, quo etiam consensus positiuus; tunc enim non satis est mortuum fuisse parentem ante notitiam aut responsum; quia, sicut repugnare nequit iam mortuus, ita neque consentire. Præterea etiamsi ignarus talis contractus & ante repugnãtiam expressam pater moriatur tamen tùc temporis antequàm moreretur ad alias nuptias præsertim melioris multò conditionis destinauisset filium vel filiam & negotium iam promouisset non mediocriter, satis censetur dum viueret repugnâsse, atque adeò non subsistere conditionem, sub quâ contrahentes priùs inibant contractum adeoque integrum illis esset resilire. Sed de hoc iterum *dub sequenti num.* 48.

40. *Habent dicta locum in contractu sponsalitio.*

Quæ hucusque dicta sunt pro contractu matrimonij sub conditione initi, & locum habent in contractu sponsalitio sub eâdem conditione; non solùm in sententiâ eorum, qui dicunt contractum per verba de præsenti, sub conditione de futuro eo ipso fieri contractum de futuro, & sponsalitium necessariumque esse ad matrimonium nouum consensum de præsenti; sed etiam de opinione eorum, qui dicunt illum ipsum consensum sub conditione præstitum per verba de præsenti sufficere ad constituendum matrimonium, si non sit reuocatus tempore adimpletæ conditionis; in vtraque enim sententiâ de contractu quouis sponsalitio conditionali eodem modo Philosophandum est, quantum ad dicta in hac dubitatione; vt tunc censeatur impleta, aut non impleta conditio, quando & pro contractu matrimonij censeretur impleta, aut non impleta; solumque discrimen est inter vtramque sententiam, quòd in vnâ, quando contractus fuit per verba de præsenti sub conditione de futuro non transit contractus purificatâ conditione in matrimonium perfectum, & absolutum; sed in contractum absolutum sponsalitium; quia ab initio iuxta eandem sententiam solùm fuit contractus spõsalitius conditione illâ de futuro transferente sensum verborum de præsenti ad significationem de futuro. In alterâ verò sententiâ impletâ conditione resultat contractus matrimonij absolutus, etiamsi non adsit nouus cõsensus, dummodò prior non sit retractatus; quia nimirum iuxta hanc sententiam ille contractus seu consensus non fuit sponsalitius; sed matrimonialis pendens tamen à futura conditione, quâ positâ contractus sit plenus perfectus & absolutus.

DVBITATIO V.

An conditio de futuro, si Patri placuerit, censeatur impleta quando Pater tacet? & quid, si iam erat mortuus Pater?

41. *Assertio 1.*

ASsero primò contractus sub conditione *si Pater consenserit de futuro*, quando ille conscius, nec consensum exprimit, nec dissensum; si coniecturæ sint ideò tacere; quia dissentit, non valet contractus, nec censetur impleta conditio: quia tunc taciturnitas habenda est pro dissensu: si verò coniecturæ sint, quòd ideò taceat: quia placet: taciturnitas erit habenda pro assensu. Hæc assertio ex se patet, eamque tradit Sanchez *lib. 5. disp. 7. num.* 11. & alij ex citatis. Sanchez. *Alij.*

42. *Difficultas cuius signi sit taciturnitas.*

Tota verò difficultas est in dubio, an taciturnitas iudicãda sit pro assensu, an pro dissẽsu?

43. *Aliqui negant esse sufficiens signum assensus.* Angelus. Nauarr. Ledesma. *Recentiores.*

Quidam asserunt minimè satis esse taciturnitatem ad iudicandum pro assensu, ita, vt conditio censeatur impleta. Ita Angelus *matrimonium 3. impedim. 3. num. 3.* Nauarrus *in summa Latina cap. 22. num. 63.* mutans sententiam, quam in Hispania docuerat. Item Petrus de Ledesma *de matrimonio quæst. 74. art. 5. dub. 7. principali §. sed quid dicendum est*, aliique Recentiores. Probant primò; quia conditio debet impleri in specificâ formâ. *L. Qui hæredit. §. 1. & L. Mauius ff. de condit. & demost.* ergo ea conditio, *si Pater consenserit* debet verificari in specifico, & vero sensu. Secundò; quia, qui tacet, nec fatetur, nec negare videtur Regul. *Is, qui tacet. De Regulis iuris in 6.* ergo tacendo non impletur conditio illa. Tertiò; quia facta non præsumuntur, nisi probentur *c. Cùm in iure de offic. deleg.* Cùm ergo consensus ad factum pertineat, non præsumitur ex taciturnitate, nisi probetur. *Probant 1.* *Probant 2.* *Probant 3.*

44. *Alij putant esse sufficiens signum.* Sanchez. Coninc. Perez. Hurtad.

Sanchez verò *supra num.* 12. putat satis esse taciturnitatem, vt censeatur impleta conditio; quia nimirum, vt retulimus *dub. præcedenti*, tàm ille quàm Coninc, Perez & Hurtado ibi relati putant contrahentes solùm intendere, quod Pater non repugnet, & eo ipso, quòd taceat, censetur non repugnare, nec contradicere iuxta Regul. *Is qui tacet* nuper citatam, atque adeò satis significat se non ægrè ferre; alioquin id exprimeret: ergo impletur conditio. Pro hac sententia plures ibi refert Sanchez. *Alij plures apud Sanchez.*

45. *Circumstãtiæ in hoc attendendæ sunt.*

Verùm in hoc etiam considerandæ circumstantiæ sunt. Neque enim mihi videtur sufficere solam taciturnitatem, vt videatur Pater non repugnare, quin potiùs aliquando potest esse signum maioris indignationis, & vehementioris displicentiæ, neque in hoc certa & vniuersalis præscribi potest Regula; sed iudicio prudentis discernendum est; maximè eius, qui nouit medium agendi, & ingenium Patris, qui fortasse naturâ taciturnus est; nec solet affectus facilè verbis prodere, sed seruare potiùs iram in tempus. Aliquando etiam taciturnitas prouenit ex nimio sensu, & dolore; & quandoque fieri potest, vt taceat; quia non audet contradicere *Iudicio prudentis debet discerni.*

aliquo

aliquo metu, vel reuerentia eorum, qui tunc fortè intercedunt pro extorquendo illius assensu. Quæ omnia prudentis arbitrio, & non aliter discerni possunt.

46. *Quando certò non sufficiat taciturnitas.* Sanchez. Adrianus.

Illud rectè docet *num.* 13. Sanchez cum Adriano, si conditio esset, quòd pater dicat se consentire, non sufficere taciturnitatem; sed oportere, vt Pater exprimat consensum.

47. *Quando cẽsetur impleta conditio.*

Quando autem ex circumstantiis constaret probabiliter ex vno capite Patrem non repugnare eo ipso, quòd taceat, & ex alio contrahentes, nihil aliud voluisse quàm quod Pater non repugnet, censebitur impleta conditio eo ipso, quod taceat.

48. *Quid de Patre mortuo quando inibant contractum. Quo casu sufficiat.*

De Patre verò mortuo eo tempore, quo contrahentes inibant, iam aliquid diximus *dub. præced. num.* 37. & 39. pro casu, quo tantùm vellent, quod Pater non repugnaret; adhoc enim sufficit, quòd sit iam mortuus, tunc temporis, & idẽ esset si moreretur, antequàm ad eius notitiam veniret contractus; nisi fortè, vt ibi notabamus, destinasset filium, aut filiam ad aliud matrimonium cum præstantiori coniuge. Quando autem de his non constat varios dicendi modos affert Sanchez *disp.* 7. *à n.* 15. *vsque ad* 19.

49. *Quid si sciebant iã esse mortuũ.*

Sed dicendum inprimis est, si contrahentes sciebant ipsum esse mortuum, conditionem haberi pro non adiecta; quia est impossibilis, & hæc habetur pro non adiecta, vt suo loco dicemus pro foro externo. Si autem ignorabant Patrem esse mortuum, videndum est, an vellent Patris assensum, vt eius iudicio, atque prudentia res tota concluderetur. Vel ne ipse offenderetur? Si primum; non censetur impleta conditio; quia non est ad consilium, quod volebant habere eo ipso, quòd mortuus est Pater, sicut de consensu præstando à Patre dicebat Adrian. nuper citatus. Si verò tantùm vellent secundum; censebitur impleta conditio; quia, qui iam non est, non offenditur; & in hoc mihi placet Sanchez, de quo etiam diximus *dub. præcedenti locis citatis.*

DVBITATIO VI.

An matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad euentum conditionis, valeat posità conditione, nullo repetito consensu?

50. *Prima sententia negans.* Sotus. Henriq. D. Thom. Bonauent. Durand. *Alij multi apud* Sanchez. Basilius. Diana. *Cum aliis* Suarius. Couarr. Nauarr. Matienz. Gutierrez. *Alij apud.* Basilium.

PRima sententia negat valere, nisi consensus absolutè renouetur. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 1. Henriquez *lib.* 11. *c.* 12. *num.* 3. D. Thomas *in* 4. *dist* 29. *q. vnicâ artic. tertio quæstiuncula tertia* D. Bonauentura *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 3. *num.* 13. Durandus *ibi q.* 2. *num.* 5. & alij multi maximè Theologi; quos refert Sanchez *lib.* 5. *disp.* 8. *nu.* 3. quibus adde Basilium Pontium *de matrimonio lib.* 3. *c.* 14. *num.* 15. Dianam 3. *par. tract.* 4. *resol.* 291. & alij apud ipsum. Item Suarius *tomo* 3. *de Religione lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 18. *& seqq.* & ex Iurisperitis Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *p. cap.* 3. *in principio num.* 5. Nauarrus *Lib.* 4. *consilior. in* 2. *edit tit. de sponsalib. cons.* 14. *n.* 7. Matienzo & Gutierrez apud Sanchez & alij, quos refert & sequitur Basilius *lib* 3. *c.* 14. Probant 1. *ex c. Super eo* 5. *de conditionibus* dum dicitur eum qui matrimonium contraxit cum femina sub conditione si Pater illius consentiret, non esse compellendum ad matrimonium, nisi Pater consentiat; ergo, si Pater consentiat, compellendus erit: signum ergo est non eo ipso, quòd Pater consentiat; atque adeò conditio impleatur, matrimonium subsistere; si enim subsisteret; non diceretur cogendus ad id, quod iam factum est. *Probant* 1. *ex iure Canonico.*

51. *Probant* 2.

Secundò probatur; quia consensus ab initio præstitus non sufficit: ergo, si adueniente conditione, non sit alius nouus consensus; non sufficiet prior. Antecedens probatur; nam prior consensus fuit conditionalis, atque adeò imperfectus; hic autem non sufficit ad sponsalia, nec matrimonium *c. vnico in fine de Sponsalib. in* 6. nec etiam adueniente conditione fit sufficiens; nam, si alter dissentiret, non esset sufficiens: ergo nec à principio sufficiens fuit; si enim sufficiens fuisset, nihil referret, si medio tempore ille consentiens dissentiret, conditione posteà impletâ. Constat hoc vltimum à simili cæterorum contractuum sub conditione. *Confirmãt.* Confirmatur; quia aduentus conditionis non efficit nouum consensum: ergo, si ille consensus ab initio sufficiens non est; nec post euentum conditionis sufficiens erit.

52. *Probant* 3. *à simili.*

Tertiò probatur à simili cæterorum Sacramentorum, quæ non possunt pendere à futuro euentu, vt *absoluo, vel baptizo te, si cras restitueris, &* Legi possunt, quæ diximus de Sacramentis in genere *Tract.* 1. *disp.* 3. *dub.* 7. *nu.* 151. & agentes *de pœnitentiâ tract.* 8. *disp.* 5. *dub.* 3. vbi hac de re latè diximus, habito respectu ad ea, quæ priùs dicta fuerunt in eodem *Tract.* 1. *disput.* 1. *dub.* 8. 9. 10. 11. Sed matrimonium est Sacramentum nouæ Legis ergo non potest pendere à conditione de futuro ita, vt statim validum fiat adueniente conditione.

53. *Probant* 4.

Quartò probatur; quia Contractus matrimonij celebratus sub conditione statim habet vim obligandi sub conditione; non quidem obligatione propriâ matrimonij, vt constat: quia, si ante conditionis euentum aliud quis celebret matrimonium: validè faciet, ergo solùm obligatio est propria sponsalium: ac proinde impletâ conditione, non fiet matrimonium: nam sponsalia conditionalia non transeunt in matrimonium per solam impletionem conditionis: sed solùm sponsalia, quæ erant conditionalia fiunt pura absque nouo alio consensu.

54. *Probant* 5.

Quintò, quia ad matrimonium requiritur consensus de præsenti consensus autem præstitus per verba de præsenti cùm conditione de futuro, *vt accipio te in vxorem, si Pater consenserit,* non est propriè, & in rigore de præsenti: sed de futuro, vt habetur *citato c. super eo.* ibi *Cùm huiusmodi consensus non sit de præsenti habendus; licèt per verba de præsenti euidentiùs exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito. sed habendo consistit.*

55. *Probant* 6.

Sextò, quia omne matrimonium celebratum inter Christianos est Sacramentum: sed hoc non est Sacramentum etiam impletâ conditione absque nouo consensu: neque enim tũc apparet signum sensibile, quod de præsenti adsit requisitum ad Sacramentum, tunc primò existens. Nam signum quod priùs adfuerat, nempe verba conditionalia, iamdiu nõ existit:

ergo

ergo non sufficit, vt tunc, quando impletur conditio, fiat Sacramentum. Omitto leuiora alia argumenta, quia prædicta sufficiunt, vt prædicta sententia meritò censeatur probabilissima, maximè propter tot tantorumque Doctorum authoritatem.

56. *Secunda sententia affirmans valere. Sanchez affirmans esse communem Iurisperitorũ & plures affert. Theologi quoque plures.* Paludan. Petr. Soto. Rodrig. Viguerius. Ledesma. Coninc. Bonacina. *Recentiores Theologi & Canonistæ apud Dianã.* Card. Lug. Hurtado. Perez. *Alij plures.*

Secunda sententia docet adueniente conditione illâ de futuro statim absque alio consensu fieri matrimonium. Ita Sanchez eadem *disp.8.num.5.* vbi testatur hanc esse communem sententiam Iurisperitorum, quorum plures refert & ex Theologis Paludanum *in 4. dist. 26. quæst.2.art.5.ad finem num.37.* Petrum Soto *lectione 3.de matrimon.* Rodriguez *1.tomo Summæ in 2. edit.cap.219.conclus.18. nu.19.* videturque significare Viguerius *lib.instit. c.16.§.7.* eamque putat valdè probabilem Petrus de Ledesma *de matrim.q.47.art.5.* quibus adde Coninc *disp.29.n.11.* Bonacinam *q.2. puncto 10.* & alios Recentiores apud Dianam supra tam Theologos quàm Canonistas. Eandem putat multò veriorem Eminentissimus Cardinalis Lugo *de Pœnitent. disp.13. sect.5.num.111.* Item Hurtado *disp.7.diff.3.* Perez *disp.16.sect.13.n.5.* & plures Recentiores.

57. *Probatur 1. ex eodem iure Canonico, quo aduersarij.*

Probatur primò ex eodem *c. super eo* quo vtuntur aduersarij, vbi rogatur Pontifex, an, qui per verba de præsenti contraxit sub conditione, si Pater voluerit cogendus sit impleta conditione consummare matrimonium? respondet non esse cogendum *ad contrahendum, nisi voluntas Patris intercedat*; ergo à contrario sensu hac intercedente cogendus est contrahere. Verbum autem *contrahere* ibi significat contractus perfectionem; id est consummationem; debet enim intelligi responsio iuxta sensum interrogationis, quæ fuit de consummatione iuxta *c. Qualiter, & quando de Accusat. in fine* ibi: *vt iuxta formam iudicij sententiæ quoque forma dicetur* ergo supponit Pontifex iam esse contractum matrimonium adueniente conditione; alioquin non cogeret consummare.

58. *Probatur 2.*

Probatur secundò, quia sicut ad matrimonium requiritur purus consensus de præsenti; ita ad sponsalia purus consensus de futuro; sed consensus conditionatus de futuro, adueniente conditione, absque nouo consensu perficitur, & manent sponsalia perfecta, ac pura, perinde, ac, si ab initio fuissent purè inita, & ex tunc incipit oriri publica honestas, quę anteà minimè oriebatur (quæ omnia constant quasi à contrario sensu *ex c.vnico in fine de sponsalibus in 6.*) ergo idem erit iudicium de contractu de præsenti imperfecto ante impletionem conditionis, ita, vt perficiatur illâ impletâ.

59. *Probatur 3. à simili.*

Tertiò probatur à simili dispositionis conditionalis, & cuiuscumque alterius contractus, quando priùs sub conditione fiunt, nam adueniente conditione absque nouo consensu valent *L. Potior 11. in principio. ff. Qui potior in pign. hab.* ibi. *Cum enim semel conditio extitit, proinde habetur, ac si illo tempore, qui stipulatio interposita est, sine conditione facta esset* & *L. Hæc venditio ff. de contrahent. empt.* ibi. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Ergo idem est iudicium de contractu matrimonij.

60.

Respondent aliqui disparem esse rationem, quia cæteri contractus non sunt Sacramenta, tamen matrimonium est Sacramentum; ideò, sicut nec Sacramenta cætera, hoc non potest pendere ab euentu futuro. *Responsio & euasio quorumdam.*

Hæc tamen responsio meritò putatur à Sanchez friuola, quia matrimonium fuit eleuatum ad dignitatem Sacramenti in nullo mutatâ naturâ contractûs. Vnde, si contractus naturâ talis est, vt purificatâ conditione censeatur perfectus, etiamsi ab initio fuerit conditionalis, non obstabit ratio Sacramenti. Vnde hi respondentes saltem concedere tenentur matrimonium non baptizatorum, cùm non sit Sacramentum, purificatâ conditione valere. Accedit, quòd matrimonium, quatenùs, quidam contractus, quædam habet particularia, quæ nõ reperiuntur in cæteris Sacramentis, nec cætera patiuntur, vt non habere ministrum distinctũ ab ipsis contrahentibus suscipientibus; posse fieri per Procuratorem; non requirere simultatem temporis in vtroque cõsensu, sed posse celebrari adueniente alterius consensus post multos dies, quia nimirum omnia prædicta non repugnãt, sed impossibilia sunt cũ ratione cõtractus. Quid ergo mirum, quod etiam possit pendere à futuro aduentu conditionis, cùm hoc etiam reperiatur in cõtractu, vt videre est in cæteris aliis contractibus. Confirmatur; quia si alter coniux dicat consentio in te, si tu in me consenseris pendet hoc matrimonium ex futuro aduentu consensus alterius, &, quando celebratur matrimonium per litteras, eodem modo pendet. Tunc autem consensus prioris partis quoad efficaciam, quam per se solùm non potest habere, pendet à futuro consensu alterius, & censetur moraliter perseuerare eo ipso, quòd non sit retractatus, etiamsi iam physicè transierit, & ea moralis perseuerantia sufficit, vt adueniente altero consensu, cum illo constituat contractum, & Sacramentum; ergo pari ratione moralis perseuerantia vtriusque consensus non retractati, & sub conditione præstiti sufficiet, vt adueniente conditione vterque consensus iam anteà præstitus, & exterius explicatus moraliter perseuerans constituat contractum, quo constituto etiam constituetur Sacramentum, quia contractus hic in baptizatis est eleuatus ad dignitatem Sacramenti. Vide quæ dixi *tract.1. disp.3.dub.7.à n.151.* vbi dixi *n.154.* impropriè dici celebrari matrimonium à primò exprimente suum consensum sub conditione, si alter consentiat, & quòd Sacramentum nunquàm maneat suspensum, ibi declaraui. 61. *Reijcitur vt friuola.* *Cõfirmatur data doctrina.*

Alij respondent prædicto argumento assignando differentiam inter hunc, & alios contractus, quòd in alijs potest lex disponere circa cõsensũ, illumq; supplere; secùs in matrimonio. 62. *Aliorum responsio.*

Hęc etiam differentia insufficiens est; neque enim lex supplet consensum in aliis contractibus conditionalibus, quando impletur cõditio, sed explicat id, quod naturâ suâ habet contractus. Vnde, quamuis lex nihil statueret in hoc casu, solo spectato iure naturæ, valeret contractus conditionalis impletâ conditione, ac proinde valebit v.g. apud Sinas, aut Iapones, vbi hæ leges ciuiles nec vim habent, neque vnquam visæ sunt. 63. *Reiicitur.*

64. *Aliorum alia responsio. Reijcitur.* Alij vlterius assignant aliam differentiam, nempè quod in alijs contractibus iure præsumitur semper in virtute durare priorem consensum vsque ad conditionis euentum; sed hoc etiam (vt alia omittam) gratis videtur dictum; hæc enim sententia, quam nunc probamus, contendit id ipsum præsumi in matrimonio, vt videre est in simili, quando matrimonium fit per Procuratorem; tunc enim præsumitur durare consensus eius, qui instituit Procuratorem iuxta *cap. finale* de *Procuratorib. in 6.* ergo quærenda est alia disparitas.

65. *Alia vlterius quorũdam responsio.* Alia tandem differentia solet assignari, quòd, scilicèt, alij contractus rescindi possunt, dominiumque transferre ad tempus, & ideò impletâ conditione censentur statim absque nouo consensu purificari. Secùs in matrimonio, quod semel contractum est perpetuum.

66. *Potiori ratione displicet ea responsio.* Multò etiam minùs placet hæc differentia; neq; enim obest perpetuitati matrimonij, quòd possit contrahi sub conditione per consensum, qui non habeat suum perfectum valorem vsque ad conditionis aduentum, & tunc maneat firmum, & indissolubile, sicut dictum est in simili; quando fit per Procuratorem, aut per literas, & generaliter quoties præstatur multò antè consensus ex parte vnius, & non fit matrimonium; nisi altero consentiente. Quo casu manet æquè firmus contractus per consensum priorem moraliter perseuerantem; atque si ab initio vterque simul consensissent.

67. *Probatur 4.* Quarta & generalis ratio à simili, vel potiùs ab inductione est; quia cæterarum rerum dominium potest sub conditione transferri, ita, vt eâ impletâ, & non ante, dominium transferatur: ergo etiam in matrimonio.

68. *Ratio ex dictis à priori.* Ex omnibus prædictis rationibus colligitur ratio à priori, quia consensus per verba de præsenti præstitus, quantumuis sub conditione de futuro contingenti est verè consensus de præsenti, quamuis conditionalis dependens quoad suum effectum ab euentu futuræ conditionis, sicut & cæterorum contractuum consensus conditionales sunt veri consensus de præsenti, quamuis dependentes, quoad suum effectum ab euentu futuræ conditionis. Hoc autem consensu de præsenti contrahens matrimonium ex tunc consentit, & vult alterum in coniugem, illique transferre dominium corporis sub conditione, id est, si ponatur conditio: ergo positione conditionis ille consensus manet expeditus & absolutus à conditione, ac proinde etiam contractus. Consequentia patet; quia consensus ille conditionatus habitualiter manet vtpote non reuocatus, & positione conditionis, ab illâ est absolutus, & independens, imò censetur moraliter præsens, vtpote elicitus dependenter ab euentu conditionis, illumque expectans, vt per euentum sit absolutus à conditione: ergo tunc censebitur omnino perfectus.

69. *Præfertur, si ratione agatur, secunda sententia.* Inter has duas sententias probabilissimas prima primos habet scholæ Patronos, vel hoc tantum nomine non contemnenda. Sed, si rationũ pondus & momentum expendas, semper mihi placuit posterior sententia, quæ & Iurisperitorũ habet plures & præcipuos; & Theologorum authoritate non est destituta.

70. *Quid possit prima sententia concedi.* Illud inprimis non negauerim primæ sententiæ, posse verba de præsenti ex mente & intentione contrahentium (præsertim si accedant aliæ circumstantiæ) transferri ad significandum consensum de futuro per appositionem conditionis de futuro, id quod in assertoriis orationibus, non promissoriis sæpè solet significari. Sic dicere potest candidatus eligendus per suffragia in Canonicatum: *Si ego habuero decem suffragia sum Canonicus.* Vbi illud *sum* idem est quod *ero.* In promissorijs etiam potest ex intentione proferentis, imo ex naturâ simul ipsius rei significatæ, verbum præsentis temporis significare non concessionem de præsenti factam; sed omnino de futuro. Sic potest dicere superior Ecclesiasticus subdito: *Si rectè noueris linguam Latinam confero tibi Ordines Minores.* Et tamen illud *confero* necessariò significat idem, quod *conferam*: id enim habet, & postulat ipsa materia, de quâ agitur. Neque enim (vt aiũnt) ex nunc pro tunc manet ordinatus. Tota ergo difficultas est, quãdo, & verba, & materia vtrumq; sensum patiuntur, nempe sensum de futuro ex vi conditionis appositę de futuro, & sensum de præsenti, quãtumuis conditio apponatur de futuro; vt in hac propositione: *vendo tibi equum si des nomen militiæ:* potest esse sensus illius verbi *vendo* tum de præsenti tùm de futuro; quando igitur sensus est de præsenti: tunc celebratur contractus quidam mutuus (altero scilicet acceptante, & emente) qui sit emptionis, & venditionis; dependenter tamen quoad effectum & translationem iuris, & dominij ab euentu conditionis ineundæ militiæ. Quando verò sensus est de futuro; tunc tantùm fit quædam promissio vendendi, non venditio ipsa; ex vi autẽ talis promissionis vendendi tenetur impletâ conditione per nouum consensum vendere; quia nondum celebrata est conditio adhuc dependenter à cõditione, sicut celebrata fuit in priori sensu de præsenti. Sic ergo in nostro casu verba significantia de præsenti matrimonium per appositionem conditionis de futuro possunt significare non matrimonium, quòd tunc fiat dependenter à conditione futurâ; sed futurum matrimonium promissionemque illius, quantumuis verba sonent de præsenti; atque hoc pendet ex intentione, contrahentium; qui potuerunt in eo sensu loqui; & sæpè ex circumstantiis potest constare de huiusmodi significatione. Vnde, quamuis cũ secundâ sententiâ dicamus posse etiam habere sensum de præsenti, vt sine nouo alio consensu per aduentũ conditionis censeatur contractus matrimonij perfectus; non tamen negamus posse habere sensum de futuro. In duobus tamẽ dissentimus à prima sententia. Primò negamus eo ipso, quòd apponatur conditio de futuro, transferri verba de præsenti ad significandum consensum de futuro. Secundò negamus, quòd non possit contrahi matrimonium, & significari cõsensus de præsenti per prædicta verba dependenter à cõditione de futuro, ita, vt impletâ cõditione sine vllo alio consensu, aut expressione matrimoniũ maneat perfectũ, & absolutũ. Hoc enim est, quod præcipuè intendimus cũ secundâ sententiâ. Neque vrgent argumenta primæ.

Potest itaque consensus esse de futuro ex intentione contrahentis. Duo, in quibus dissentiendum à primâ sententiâ.

Ad

71. *Ad primum argumentũ primæ sententiæ.*

Ad primum respondetur in illo capite *super eo dum* dicitur contrahentem non esse ante impletionem conditionis cogendum ad contrahendum, in duplici sensu, & quidem vtroque vero, posse intelligi. Primò iuxta dicta pro secundâ nostrâ sententiâ per verbum *contrahere* significari matrimonij consummationem; quia de hoc erat quęstio proposita Pontifici, & iuxta interrogationem explicanda est responsio, vt probatum est. Secundò vt intelligatur de contractu absoluto, & sine conditione non quidem per nouum consensum celebrando; sed ratificando, & approbando, siue id fiat iterum verbis, siue opere ipso cohabitando, & consummando. Accedit, quod cùm sint diuersę opiniones probabiles in materiâ tã graui, qualis est contractus matrimonij, non immeritò posset præcepto superioris cogi contrahens sub conditione ad contrahendum absolutè post impletam conditionem per nouum consensum, vt certiori modo & tutiori celebretur contractus, sicut in multis Sacramentis (præsertim maximè necessariis) tutior sententia debet præferri, etiamsi probabilis, & fortè vera sit contraria. Omitto alios respondendi modos; quibus vtuntur aliqui Recentiores.

Notandum in praxi.

72. *Ad secundũ.*

Ad secundum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam; quamuis enim ante aduentum conditionis sit insufficiens consensus, illâ tamen adueniente, manet purus, & sufficiens, vt explicatum est, & patet in alijs contractibus iuxta dicta. Ad probationem verò respondetur quamuis interim ante impletam conditionem si reuocet consensum non sufficiat idem ipse prior consensus si tamen non reuocet, sufficiet; quia purificatâ conditione, manet perfectus & expeditus; nec vrget simile petitum ab alijs contractibus, in quibus dissensus medij temporis nihil obest valori contractus, est enim longè dispar ratio. In eâ tamen disparitate assignandâ non modica est difficultas & aliqui non sãtis illam assignare videntur. Disparitatem ergo assignat Sanchez in eo, quod lex supplet consensum in alijs contractibus; quia reuocatio consensus est contra iustitiam, & lex supplere potest consensum, quem contrahens debebat habere, & non reuocare. Quod si argumentum aliquid probaret, etiam probaret matrimonium per Procuratorem esse inualidum, & sponsalia contracta sub conditione, ipsâ impletâ, non valere; quia etiam in his casibus, si interim; dum conditio impletur reuocetur consensus, non valent.

Probationẽ assumpti aduersariorum.

Ad similitudinem sumptam ab alijs contractibus varię solet responderi.

Disparitatẽ assignat Sanchez.

73. *Non admittitur ea disparitas in nostris principiis.*

Hæc solutio si omnino veram contineret doctrinam eneruaret quidem vim argumenti, sed iuxta ea, quæ latè diximus in nostro opere *de Iustitia & iure lib.2.tractat.3.disput.vnicâ dub.13. ab assertione prima numero* 248. *vsque ad* 260. Contractus, qui non perficiuntur traditione ipsâ, & exequutione obligationis, sed solâ conuentione; purificantur solo euentu conditionis, & ideò ex naturâ & non solùm iure positiuo valent, neque est ius aliquod positiuum (vt ibi ostendimus contra Victoriam) in quo id statuatur, quin potiùs de iure naturali declaretur esse illa obligatio, & valere contractus. Imò nisi valeret in ratione contractus ex naturâ rei non posset Princeps, aut ius positiuum (imò neque Deus ipse) facere, vt contractus valeret in ratione contractus eo ipso, quòd esset priùs reuocatus consensus, si ille consensus, qui prius fuit non reliquisset causatam obligationem contractitiam (vt sic dicam) quæ semel causata non dependet amplius à consensu; quin ea, quæ priùs erat conditionata, transeat aduenìente conditione in absolutam, & puram. Posset quidem Princeps, aut Respublica in aliquo casu spectatâ iniustitiâ reuocantis consensum, transferre dominium in alterum (matrimonij contractum excipio, vt posteà dicam) eo ipso quod impleretur conditio; illa tamen non esset obligatio contractitia, sed alia (quantum ad ius Iustitiæ transferendum) similis. Multum autem interest, an lege, an à contrahente per suum consensum transferatur dominium. Nam, si tantùm à lege aut Principe transferatur, vbi lex nõ valet, & Princeps non dominatur, contractus erit nullus, & translatio dominij non fiet: quia non à consensu contrahentis iam reuocato, nec à lege fiet, aut Principe, qui ibi non est. Ergo vel non valebit cõtractus, vel, si valebit ex naturâ rei habet, quod valeat. Et quidem, quod ad matrimonium attinet, ius & dominium matrimoniale (etiamsi alioquin posset Princeps in aliis materiis ius & dominium transferre) non potest humanâ potestate transferri, sed tantùm iuxta dicta *disp.2. dub.6.* posset quidem Deus sine consensu coniugum trãsferre dominium corporum mutuum, illa tamen obligatio foret diuersa ab obligatione propriâ cõtractus. Quare eodẽ modo philosophandũ est de aliis materiis, tam respectu Dei quàm Principis. Quamuis enim possit Deus, aut Princeps transferre dominium, & ius Iustitiæ; illud tamen obligationis genus, quod oritur ex datâ mutuo fide non posset oriri nisi ex contractu, & consensu partium, vt ibidem explicuimus. Quia verò iuxta dicta loco notato *de Iustitiâ & iure* & iuxta doctrinam Suarij *de Religione tomo 3. lib.6. de professione Religiosâ capit. 12. numer. 18. & seqq.* aliqui contractus sunt, qui solùm ponunt de præsenti, quando fiunt, obligationem; non verò traditionem & executionem obligationis, alij verò, qui, dum fiunt, non tantùm obligationem ponunt ad aliquid futurum; sed inuoluunt essentialiter executionem & traditionem rei; diuerso modo Philosophandum est in his atque in illis quantum ad valorem, si fiant sub conditione de futuro. Nam in iis, qui solam afferũt obligationem absque executione, aut traditione potest poni obligatio præsens respiciendo futurum tempus, aut executionem ponendam impletâ conditione aliquâ de futuro. Hi autẽ contractus valent initi sub conditione, licèt ante conditionis aduentum reuocatus fuerit consensus, quia perseuerat obligatio semel contracta faciendi posteà, quando ponetur conditio. Hac ratione *si promisi tibi pallium, si tras veneris ad me* quamuis ego reuocem consensum ante impletam conditionem, valet & tenet adhuc promissio, & in contractu *emptionis & venditionis* (qui iuxta cõmunem, & veram sententiam ante traditionẽ

Nec Princeps nec Deus posset facere vt valerent nisi id haberent ex natura rei.

Contractus qui non perficiuntur traditione sed sola conuentione, solo euentu cõditionis purificantur & valent ex natura rei.

Suarius.

perficitur, solo consensu iuxta dicta loco notato de *Iustitia & Iure*) etiamsi verbi gratia vendens sub conditione reuocet consensum inuito emptore ante impletam conditionem, valet adhuc contractus, & tenebitur rem dare pro pretio constituto, si impleatur conditio. Eadem doctrina locum habet in voto conditionali, est enim promissio Deo facta. Contrarium accidit in iis cõtractibus, qui secum afferunt essentialiter executionem & traditionem. Nam hi non possunt respicere solùm tempus futurum, aut sub conditione futura. Talis videtur possessionis traditio, quæ essentialiter est actio in præsenti; atque adeò non potest nunc dari pro tempore solùm futuro, aut sub conditione futurâ, quia esset præsens executio, & nõ esset præsens. Ex hac doctrinâ adhuc roboratur argumentum pro cõtraria sententia, de cuius solutione nunc agimus. Nam matrimonium non est tantùm promissio in futurum (esset enim sponsalitius contractus, si solùm futura respiceret) quin potiùs est cõtractus essentialiter inuoluens traditionem de præsenti actualem mutuam cõiugum, quâ deficiente nõ est matrimonium, sed diuersus alius contractus. Sicut etiam Religiosa professio in sententiâ Suarij *suprà*, cùm sit quoddam spirituale matrimonium coniungens actu professum cum Religione, non potest fieri sub conditione de futuro; atque adeò non valeleret, si reuocaretur consensus ante impletam conditionem, sicut valent contractus illi alij prioris generis.

74. *Suarius suam sententiam colligit ex eâ doctrinâ.*

Ex hac totâ doctrinâ videtur colligi, & colligit Suarius etiamsi non reuocetur cõsensus ante aduentum conditionis; matrimonium aut professionẽ non subsistere, nisi renouetur; quia nimirum ille consensus anteà habitus cum esset in futurum, non sufficiebat ad talem contractũ, qui essentialiter exigit fieri de præsenti, atque adeò solùm potuisse illum valere in ratione promissionis, quâ quis se obligauit ad contrahendum matrimonium, vel professionem emittendam conditione positâ; non in ratione matrimonij & professionis.

75. *Etiam eâ doctrina cõcessa potest subsistere nostra sententia.*

Nihilominùs, etiamsi concedamus totã priorẽ doctrinam circa diuersam contractuum naturam, & quòd alij, qui solo consensu fiunt, etiam sub conditione celebrati censeantur ponere obligationem actu; respiciendo tamen futurum tempus; alij verò non actu ponant obligationẽ, nec fiant, nec fieri possint sub conditione de futuro ita, vt ante illã iam cẽseantur valere, sicut illi priores, possumus adhuc affirmare, & affirmãs matrimonium (& idem est de professione) quamuis ante conditionẽ non valeat, nec transferatur corporum dominium, nec traditio fiat, valiturũ, & futuram obligationem & traditionem purificatâ conditione absque nouo cõsensu, modo prior non fuerit retractatus. Quia licet ante impletam conditionẽ non fuerit matrimonium, & licèt matrimonium essentialiter fit traditio, atque adeò essentialiter requiratur consensus in coniunctionem præsentem; huiusmodi consensus incipit esse talis positâ conditione, quatenùs idem ipse, qui ante conditionẽ impletam fuit, physicèq; extitit, censetur adhuc moraliter permanere, & eodem modo verba & signa talis consensus, quibus ille fuit expressus, & significatus, transeunt omnia, sicut & cõsensus, in absoluta, quæ priùs erant conditionata: & virtute horũ omnium perseuerantium moraliter post impletam conditionẽ fit iam de præsenti contractus matrimonij. Hæc autem est differentia inter prioris generis contractus, & matrimonium, quod hic contractus, si reuocetur consensus ante conditionẽ, non erit matrimonium, quia ante impletam conditionem non erat intentio & consensus sufficiens pro tunc; post impletam verò iã nõ manet ille consensus (qui sufficeret, si mansisset) vtpotè retractatus, atque adeò in nullo tempore causatur obligatio; in illis verò contractibus obligatio causata fuit ante impletam conditionem, vt diximus & non dependebat ampliùs à consensu contrahẽtis; atque adeò quãtumnis retracter consensum non impedietur, aut tolletur valor. Ex quo manet etiam soluta confirmatio secundi argumenti, concedendo aduentum conditionis non efficere nouum consensum, sufficere tamen, vt consensus, qui sub illâ fuit datus ipsâ positâ censeatur absolutus, & habeat effectum constituendi matrimonij.

Differimen quoad hoc inter matrimonium & illos assignatos contractus.

76. *Ad tertium.*

Ad tertium constat ex dictis, quia ratio Sacramenti posita fuit à Christo in ipsâ naturâ contractus immutatâ, vt dixi, vnde, si cõtractus posito euentu conditionis ex vi consensus adhuc durantis & manentis fit, ita etiam fit Sacramẽtum. Legantur, quæ dixi *tract. 1. disp. 3. dub. illa 7.*

Ad quartum.

Ad quartũ dic matrimonium conditionale ante impletam conditionẽ esse quid medium inter sponsalia, & matrimonium purum; huic enim assimilatus per verba de præsenti, quibus fit; illi verò propter dependentiam à conditione de futuro, atque adeò neque obligat tanquàm matrimonium purum, nec etiam, vt mera sponsalia; sed tanquàm matrimonium conditionatũ, cuius valor, & effectus, & traditio mutua corporum pendet à futurâ conditione, quâ positâ, transfertur dominium, & resultat vinculũ, quod non habẽt sponsalia conditionata. Et hâc ratione intelligenda sunt, quæ dixi *disp. 1. dub. 8.* præsertim *num. 109.* & *seqq.* dum tale matrimonium conditionatum affirmaui simile esse sponsalibus & sponsalium rationem habere.

77.

Ad quintum respondetur consensum esse de præsenti, quantumuis expressum sub conditione de futuro, & pendentem à futuro euentu. Quando autem in illo *capite super eo* dicitur non esse illum consensum de præsenti intelligitur de perfecto & absoluto quantum ad inducendam obligationem tunc de præsenti; quia non sufficit ad inducendam obligationem matrimonialem tũc de præsenti; sed ad inducendã illã tempore futuro, quando impleatur conditio. Itaque appellatur consensus de futuro, aut non de præsenti, quia non de præsenti causat vinculum & obligationem matrimonialem; sed causaturus est tempore futuro impletâ conditione.

78.

Ad sextum neganda est minor; est enim verum Sacramentum, sicut verus contractus; Christus enim verum contractum matrimonij Baptizatorum eleuauit ad rationem Sacramenti, nec ampliùs requisiuit, quàm quòd sufficit ad contractum vnde signum sensibile externum

suffi-

sufficiens ad contractum externum sensibilem, humanum matrimonij sufficit ad rationem Sacramenti.

DVBITATIO VII.

An matrimonium sub conditione inhabilitante, in quâ Pontifex potest dispensare, scilicèt si Papa dispensauerit, perficiatur absque nouo consensu, obtentâ dispensatione?

79. *Specialis difficultas in hac conditione.*

SPecialem habet difficultatem contractus sub eâ conditione inter inhabiles, quamuis generaliter dixerimus *dub. præcedenti* cõtractum sub conditione initum valere impletâ conditione, quia non solùm tanquàm conditionalis, sed tanquàm à personis inhabilibus præstitus est.

80. *Doctorum dissensus in hac re & aliqui in aliis consentientes nobiscũ in hoc dissentiunt.* Iurisperiti. Innocent. Hostiensis. Cardinal. Abbas. Alexand. de Neuo. Rosella. Sylvester. Tabiena. *Alij multi apud Sanch.* Theologi *etiam* Victoria. Sotus. Veracruz. Ledesma *vterque* Palacios. *Alij apud* Sanchez. Henriq. Lugo.

In hac re non minùs dissentiunt Doctores, quàm in præcedenti dubitatione; imò ex iis qui sequuti sunt ibi nostram sententiam, non pauci in hoc casu negant impletâ conditione valere. Ita ex Iurisperitis Innocentius, Hostiensis, Cardinalis, Abbas, Alexander de Neuo *in c. super eo de conditionibus appositis* Rosellus *matrimon.5. num.14.* Sylvester *matrimon.3. quæst.9.* Tabiena *matrimon.2. quæst 12.* & alij multi apud Sanchez. Ex Theologis etiam Victoria in *Summa* materia *de matrimon. num.258.* & oppositum appellat errorem intolerabilem. Item Sotus *in 4. distinct. 29. quæst. 2. art. 1. post 3. conclus.* Veracruz. Vterque Ledesma, Palacios, & alij apud eundem Sanchez *disp 8. lib.5. num.9.* inter quos Henriquez *lib.11.cap.12. num.3.* Cardinalis Lugo *de Sacramentis in genere disput.8. sect. 6. num. 98.* quem retuli *Tract.1. disp.3. dub.6. Paragrapho 4.* in quo ago de applicatione sacrificij per voluntatem prius habitam, & solùm habitualiter permanentem. Probant primò, quia matrimonium absque consensu de præsenti absoluto, & inter personas habiles nequit esse perfectum; in casu autem dicto nunquàm est consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles, sed tempore, quo consensus fuit elicitus, & erat de præsenti. personæ erant inhabiles, & quamuis tempore impletionis conditionis, iam personæ sint habiles, tunc tamen consensus non est de præsenti, sed præteritus: ergo non valet. Secundò, quia ea conditio, *si Papa dispenset* pendet ex arbitrio Principis, atque adeò censetur impossibilis iuxta legem *apud Iulianum Paragrapho finali ff. de Legatis* conditio autem impossibilis habetur pro non adiectâ, ita, vt consensus sub eâ præstitus, & contractus celebratus statim censeatur absolutus; sed matrimonium absolutè factum, quando contrahentes sunt inhabiles, est nullum, indigetque nouo consensu tempore habilitatis, ergo matrimonium sub dictâ conditione contractum nullum est, indigetque nouo consensu post obtentam dispensationem, quâ fiunt habiles.

81. *Probabilius docent alij valere matrimonium tunc absque nouo consensu.*

Alij verò probabilius docent matrimonium in eo casu valere obtentâ dispensatione absque nouo consensu, dummodo præcedens non re-

tractatus sit. Ita Sanchez citatâ *disp.8. num.10.* Hurtado *disp.7. diffic.5.* Perez *disp.16. sect.13. nu.12.* Coninc *disp.29. num.18.* Antonius & Calderinus *citato c. super eo.* Angelus *matrim. impedim.3. nu.4.* Gregorius Lopez *L.3. verbo Casarme tit.4. Partit. 4.* Couarruu. *4. Decretal. 2. p. c.3. in principio num.9.* vbi ait retentâ opinione Doctorum Iuris Canonici matrimonium Conditionale perfici impletâ conditione se non videre cur non idem dicendum sit in hoc casu. Item Bonacina *quæst.2. puncto 10. n.23.* referens Rebellus & Ferdinandum Perez eandemque sequuntur alij Recentiores, & probabilem putat Petrus de Ledesma *de matrimon. quæst.47. art.5. dub.2. post septimum principale.* Ratio verò à priori est, quia in tali casu impletâ conditione reperitur consensus de præsenti inter personas habiles, & absolutus, ergo absque nouo consensu est sufficiens ad matrimonium. Antecedens, in quo solùm est difficultas, probatur simul, & explicatur, quia consensus ille conditionatus est de præsenti, quamuis apposita sit conditio de futuro, & est inter personas habiles ad contrahendum subdicta conditione & ex alio capite moraliter perseuerat, vsque ad conditionis euentum, nempe vsque ad dispensationem, quâ obtentâ ille consensus fit absolutus, & contrahentes sunt habiles ad consensum absolutum, ergo adest tunc consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles. Ex quâ doctrinâ solutum manet primum fundamentum aduersariorum.

Sanchez. Hurtad. Perez. Coninc. Antonius. Calderin. Angelus. Greg. Lop. Couarr. Bonacina. Rebellus. Ferdi. Per. *Recentiores.* Ledesma. *Probatur 1. Ratione à priori.*

82. *Probatur 2.*

Probatur 2. ex dictis de sponsalibus *disp.1. dub.* 38. vbi cum Sanchez non solùm citatâ *disp.8.* sed *quinta præcedent. n.24.* ostendimus sponsalia cum impedimento dirimente sub conditione *si Papa dispenset*, differri & prorogari ad tempus ablato per dispensationem impedimento; actus enim factus tempore inhabili, sed relatus ad tempus habile valet pro tempore habili. Quod etiam contingit in nostro casu, quia non contrahunt pro tempore, quo sunt inhabiles, sed pro tempore, quo facti sunt habiles, vt latiùs ostendit Sanchez locis citatis.

83. *Ad secundũ iam est ex dictis solutũ.*

Ad secundum argumentum, quod solùm restat soluendum, respondetur, quamuis dicta conditio pendeat ex arbitrio Principis; non tamen ideò censeri impossibilem; tunc enim tantùm iuxta citatam legem id, quod pẽdet à Principe, censetur impossibile, quando non solet à Principe fieri; dispensatio verò solet fieri à Principe. Ita Sanchez *lib.5. disp.5. nu.12.* Perez *disp.16. sect.4. n.3.* & 4. alijque communiter.

Sanchez. Perez. *Alij communiter.*

84. *Prædicta data doctrina non semper videtur habere locũ.*

Hæc solutio, & doctrina, quamuis absolutè mihi placeat non tamen semper videtur habere locum; nam, licèt, si dispensationes sunt talis naturæ, vt non soleant à Principe concedi, vel, si quando conceduntur, rarissimè id fiat, & vrgentissimâ causâ, quâ deficiente censetur illicita dispensatio, quantumuis valida; censeatur conditio impossibilis, atque adeò non valet matrimonium iuxta prędictam legem (cuius initium in aliquibus *ff.* solet esse. *Idem Iulianus* in alijs verò *Aphricanus* & solet esse *Lex 40. vel 41. lib.30.*) tamen ibi *Paragrapho finali* dicitur valere legatum rei alienæ, & deberi æstimationẽ, quando est possibile (licèt difficilè)

rem illam comparari, nisi res Principis sint; tunc enim, si legentur, non debetur etiam æstimatio, & redditur ratio: *quoniam commercium earum, nisi iussu Principis non est, cum distrahi non soleant.*

Melior solutio argumenti.

Ideò respondendum puto cum eodem Sanch. *suprà disp.5.num.13.* etiam quando princeps non solet dispensare, non dici conditionem impossibilem, sed difficilem. Quando autem Princeps non potest licitè dispensare, mihi videtur res absolutè impossibilis; id enim possumus quod iure possumus, atque adeò talis contractus sub conditione est inualidus, quia moraliter impossibilis est conditio. Vnde tantum loquimur in casu, quo Pontifex saltem licitè possit dispensare; tunc enim ab initio contractus obligat ad expectandum conditionis euentum, quantum iudicio prudentis expectandum sit iuxta mentem contrahentium. Quodsi propter difficultatem nulla affulgeat spes obtinendæ dispensationis, vel re propositâ repulsam patiantur postulantes (in quo philosophandum est iuxta dicta *dub.4.* de conditione *si patri placuerit*) censebitur conditio deficere, imò, si ab initio talis sit, vt nullo modo possit Pontifex dispensare licitè, neque vlla sit spes obtinendi dispensationem, censebitur ab initio conditio impossibilis.

85. *Quæsitum an si illicitè dispensaret, faceret tamen sufficeret vt sine nouo consensu valeret matrimonium.*

Sed quæret aliquis an, licèt conditio dispensationis sit Pontifici illicita; si tamen (quod nunquàm facere præsumendus est) defacto dispenset, & validè (iuxta veriorem sententiam in impedimento iuris positiui) matrimonium positâ tali dispensatione valeat absque nouo consensu?

86. *Ratio dubitandi.*

Ratio dubitandi pro parte affirmatiuâ est; quia contractus fuit conditionalis respiciens conditionem dispensationis, quæ reuerâ impleta est: ergo, impletâ conditione, nihil deficit, quominùs valeat contractus ex vi consensus moraliter adhuc permanentis, qui ab initio respiciebat tempus habile, quale est tempus obtentæ iam dispensationis.

87. *Non valeret. Ratio.*

Nihilominùs verum puto in tali casu non valere; quia ille consensus initio præstitus fuit consensus inhabilium, & sub conditione impossibili; quæ non poterat verificari; nisi cum peccato, vt supponimus, imò conditio etiam est turpis; quia & ex parte petentium, & ex parte concedentis peccatum est, vt supponimus, atque adeò ab initio contractus est nullus propter conditionem turpem, & impossibilem. Declaratur exemplo alterius casus, de quo suo loco dicemus. Si quis v.g. non admodum potens ad generationem contrahat cum eâ, quæ pro se sit arcta, & quam iudicio medicorum aliis medicamentis non possit citra periculum vitæ sibi aptam reddere, nisi fortè per turpem consuetudinem cum alio viro, à quo vel partu, vel frequenti copulâ apta reddi possit; etiamsi tunc contrahat cum illâ sub conditione, si fiat copulæ apta, & non sit alius modus, vt fiat apta, nisi prædictus, quamuis deinde illo dicto modo apta reddatur, præcedens matrimonium per verba de præsenti sub tali conditione non valet; quia nimirùm conditio, vtpotè illicita censetur moraliter impossibilis, adeò, vt quamuis ab initio absolutè contraxerit cum illâ, quæ, nisi per medium peccati non potest esse apta pro tali matrimonio, contractus sit nullus, quia simpliciter censetur inepta, quæ licitè, atque adeò moraliter, nequit fieri apta. Sed in nostro casu illi, qui sunt impediti prædicto impedimento dirimente, non possunt moraliter reddi apti sine peccato ergo censentur ab initio moraliter inepti ineptitudine, quam impossibile sit auferre: quia sicut non licitè, ita nec moraliter auferri potest; ergo ab initio cõtractus erit nullus.

Explicatur resolutio exemplo.

Verùm, his omissis ad nostram sententiam redeamus explicandam. Obiici potest contra illam. Sicut constitutio noua non respicit præterita *c.2.& c finali de constitution.* ita nec dispensatio; ergo dum Pontifex dispensat, non efficit, vt præteritum matrimonium, quod inualidum erat, vtpote inter personas illegitimas efficiatur validum. Et confirmatur, quia Pontificem dispensare, non est matrimonium præteritum confirmare; sed tollere impedimentum, contrahentibusque facultatem concedere, vt possint matrimonium inire.

88. *Obiectio.*

Confirmatur.

Respondeo concedendo dispensationem non efficere, vt matrimonium priùs inualidum posteà fiat validum, sed tollere impedimentum tribuendo existentiam conditionis ex quâ pendebat consensus contrahentium. Ideò consensus perficitur, & redditur liber, & expeditus, atque absolutus purificatâ conditione sicque absoluto & adhuc manente consensu perficitur matrimonium.

89. *Respõdetur ad obiectionem.*

Ad confirmationem respondeo Pontificem dispensare; non quidem esse matrimonium perficere, sed tollere impedimentum, & dare existentiam conditioni sub quâ contraxerunt de præsenti. Quando autem solùm per verba de futuro contractus fit, dispensare est tollere impedimentum, vt possint celebrare matrimoniũ. Omitto leuiores alias obiectiones.

90. *Respondetur ad confirmationẽ.*

DVBITATIO VIII.

Quodnam matrimonium præualeat, quando quis contraxit matrimonium cum duabus sub conditione? Et quid etiam de similibus sponsalibus?

91. *Contrahere oportet hanc dubitationẽ ne nimis protrahatur.*

HAc de re latè disputat Sanchez *libr.5. disputation.8.numer.12. & deinceps*, variasque sententias refert. Sed, vt breuiùs nos expediamus, aut non tamdiu immoremur in re per se, nec facili, nec breui.

92. *Assertio 1. Referuntur pro hac assertione.* Sanchez. *Theologi & iurisperiti.* Calderin. Alexand. Neuo. Rosella. Adrianus. Sylvest. Lopez. Ledesma. Coninc. Bonacina. *Recentiores sed non omnes id docẽt.*

Asserendum est 1. Illud matrimonium fieri validum, cuius conditio cum omnibus requisitis priùs adimpletur. Ita Sanchez *ibi.num.16.* Referunt aliqui iurisperitos, Summistas & Theologos, maximè Calderin. Alex. de Neuo, Rosell. Adrianum, Sylvest. & Gregor. Lopez, quibus adde Petrum de Ledesma *q.47. art.5. concluſ.2*, Coninc *disp.29. num.20.* Bonacinam *q.2. puncto 10. num.21.* aliique Recentiores, sed præter Sanchez, Coninc, & Bonacinam, & Petrum de Ledesma clarè loquentes in aliis tantùm apud Sylvestrum. *Matrimon.3.q.6.* & apud Angel. *matrim.3.impediment.3.n.6.* aliquid reperitur,

Tamen Perez & Hurtado consentiunt in eâ assertione certe in assertione sequenti. Probatur prima hac assertio. Confirmatur.

ritur, quod ad rem faciat. Post eos omnes assertionem tradit Perez & putat id esse certum, consentit Hurtado ab eodem relatus. Cæteri tantùm consentiunt in doctrinam sequentis assertionis. Probatur hæc prima assertio, quia vtrumque matrimonium pendebat à futuro conditionis euentu; ergo illud præualebit, cuius conditio priùs impleta fuit. Confirmatur, quia si contraxisset cum vna sub conditione adhuc pendente in futurum, & interim dum conditio pendet contraheret absolutè, cum aliâ, hic secundus contractus præualeret; quia est contractus absolutus, quando alter nondum transiuit in purum: ergo eodem modo præualebit, ac si tunc primò fieret absolutus.

93. Assertio 2. Sanchez. Coninc. Bonacina. Alij omnes citati assertione præcedenti. Contra. Basilium. Cuius fundamentum corruit. Petrus Ledesma etiã leui fundamento nititur, vt constabit infra. Ratio assertionis. Regula iuris pro assertione.

Assero 2. si vtriusque matrimonij sub conditione initi conditio simul impleatur, neutrum valebit. Ita Sanchez, Coninch. Bonacina, & alij omnes citati assertione præcedenti contra Basilium *lib. 3. c. 14. num. 20.* qui putat primum præualere, quia cùm sint æqualis efficacitatis secundum non rescindit prius, cuius potior & melior est conditio. Hoc tamen fundamentum facilè corruit ex dicendis hic & *dub. 16.* præsertim *num. 202.* sicut & fundamentum Petri de Ledesma de matrimonio censentis præualere posterius matrimoium, quia per huius consensum putat esse reuocatum prioris consensum, præsertim cum in iis, quæ pendent à merâ voluntate secunda voluntas semper præualeat quæ omnia ex dicendis corruent. Ratio ergo nostræ sententiæ est; quia incertitudo vitiat matrimonium *c. ex litteris el. 2. de sponsalibus.* vbi id communiter notant Doctores patetque *ex Regulâ vbi repugnantia* 148. ff. *de Regul. iuris.* ibi. *Vbi repugnantia inter se in testamento inuenirentur, neutrum ratum est.* Hoc autem matrimonium est incertum, quia, cùm conditio trahat consensum ad tempus impletæ conditionis, quæ simul impletur, perinde est, ac si in eodem tempore simul cum duabus contraheretur matrimonium, vt patet, cùm enim neutrum possit censeri & esse perfectum, nisi, quãdo purificatur conditio, quando autem vnius conditio purificatur, simul etiam purificatur alterius, & perinde se impediunt tunc, atque si tunc cum duabus absolutè contraheretur, ergo neque posterius contra prius præualebit, vt vult Ledesma, neque prius contra posterius, vt vult Basilius, quia neutrum potest habere vim, nisi quando iam est perfectum & absolutum; tunc autem qnando deberent absolutè esse se mutuò collidunt, sicut, si ab initio incepissent simul, se mutuò destruxissent. Quomodò autem hoc non obstante inter duos contractus sponsalitios semper præualeat primus conditionatus, siue illius conditio priùs siue posteriùs, siue simul impleatur, & quæ sit in hoc disparitas inter matrimonia conditionata, & conditionata sponsalia, dicemus infra citatâ *dub. 16. num. 201. 202.* vbi dicemus cur matrimonium etiam posterius, si priùs eius conditio impleatur, valeat non verò contractus sponsalitius.

Difficultas in hac re ex paritate sponsalium; sed infra explicanda.

94. Aduerte physicam & non tantum moralem debere esse, imo mathematicam ad punctum temporis.

Sed in hac re illud mihi videtur maximè aduertendum, simultatem debere esse non solùm moralem, sed physicam vel potiùs dixerim mathematicam, & ad punctum temporis. Nam si mathematicè priùs impleatur vnius cõditio: in illo primo instanti, quo primò verum est conditionem esse impletam, verum erit matrimonium omnino esse perfectum. Vnde illud valebit, etiamsi alioquin simul moraliter vtriusque conditio impleatur, puta, si conditio sit cum vtràque femina, cum qua quis sub conditione contraxit, *si pater tuus consentiat*, & vtriusque feminæ patres simul exhibeant suum consensum; tunc simultas, vt matrimonium non valeat, debet esse omnino mathematica; nam, si vel minima morula (si minima esse posset) pater vnius priùs suum præstaret consensum; id sufficeret, vt matrimonium cum eius filiâ valeret.

Ratio.

95. Quando non potest discerni prioritas quid fiet.

Sed quid dicendum, quando non satis potest discerni vtrius matrimonij conditio priùs fuerit impleta?

96. Resolutio.

Mihi videtur saluo meliore iudicio, quod ad rem attinet, illud matrimonium re ipsâ valere, quod re ipsâ prius habuit impletam conditionem, vel, si vterque simul contractus conditionem habuit impletam re ipsâ mathematicè, etiamsi id ignoretur, neutrum valere. Quod verò attinet ad praxim, ad neutram potest accedere, quia se exponit periculo fornicationis, & iniustitiæ, & nulla in tali casu possessio suffragatur alterutri feminarum. Deinde puto in eo casu esse sufficientem causam, vt Pontifex dissoluat matrimonium ratum (vtrumlibet illorum tale fuerit) idque maximè, quando sine culpâ feminarum factum fuit, vel saltem sine culpâ vnius, quæ omnino ignara fuit talis complexionis conditionum, & consensuum, ne, scilicèt innocens cogatur cælibem vitam eligere, quia nimirum, neque vti potest eo matrimonio dubio, neque ad aliud transire. Cogere autem prædictum ad emittendam professionem Religiosam; quamuis dignus esset, qui ad multò duriora cogeretur, non videtur expediens ad talem statum inuitum compellere, & fortè iuxta varias sententias professio non valeret; atque adeò non dissolueretur matrimonium dubiũ, & frustraretur finis intentus; satius quidem esset eum capite plectere, dignum scilicèt tali pœnâ, qui in re tam graui inextricabilem nodum ausus est nectere. Sed, quia hoc neque facilè posset fieri, neque expediret: ideò consultiùs puto, quod dicebam, Pontificiam dispensationem, seu potiùs dissolutionem vinculi interponere iuxta dicta *disp. 2. dub. 29.*

In praxi quid seruãdum posteà? Sufficiens tunc esse causa vt Papa dissoluat ratum. Dignus est talis delinquens qui capite plectatur.

97. Quid si iam cum alterutrâ, vel vtraque consummasset?

Sed quid adhuc dices, si nequam ille cum alterutrâ vel vtràque consummâsset?

98. Vrgetur difficultas & casus circumstantiæ. Quid tunc faciendum indicatur.

Tunc sanè nullus est recursus ad Pontificem, quippe qui nequit matrimonium consummatum dissoluere, quoad vinculum; atque adeò in tali casu videtur impossibile dubium tolli, nam, si cum vtràque consummauit, fieri potest, tum, vt neutra sit vera consummatio, sed mera fornicatio; quia forte vtriusque conditio simul impleta fuit, adeoque neutrum matrimonium valuit, tum, vt saltem alterutrius fuerit vera consummatio, quia illius conditio fuit priùs impleta; atque adeò illud matrimonium valuit. Si verò cum vnâ tantùm consummauit, fieri etiam potest, vt illius conditio fuerit priùs impleta, atque adeò matrimonium valuerit.

fuerit. Hoc autem dubium auctoritate Pontificiâ tolli non potest; solùm enim tollendum esset per dissolutionem vinculi, quæ, si sit matrimonij consummati, de quo in tali casu est dubium, non est in potestate Pontificis. Ideò puto in illo casu omnino abstinendum inposterum, & ad id compellendos & feminas, quamuis fortasse sine illarum culpâ eò res deuenerit, vt neutra possit citra periculum fornicationis, aut adulterij cum tali viro copulari, neque aliud matrimonium inire. Solùm illa, quæ fortè non fuit cognita, potuit libere statum Religionis assumere; quia nec consummauit, neque vnquàm tenebitur consummare. Quòd si profiteatur, statim poterit vir cum feminâ alterâ manente in sæculo certò, & absolutè contrahere, & cohabitare; quia, si fortè verum fuit matrimonium ratum cum eâ, quæ iam professa est, per professionem fuit dissolutum.

99. *Quid de prole? eritne legitima?*

Sed quid vlterius dicendum de prole susceptâ fortasse ex alterâ, vel vtraque, cum quibus consummauit? eritne proles legitima? vel illegitima?

100. *Respondetur si femina sit bona fides, esse legitimam. Si vero sit mala fides. Ratio dubitandi pro parte negatiua.*

In hac re in primis, si proles suscepta fuit bona fide feminarum; quia quælibet illarum laborabat ignorantiâ probabili, non video posse dubitari prolem censendam esse legitimam; nam, vt suo loco dicemus, sufficit bona fides alterutrius parentum. Tota ergo difficultas est; quando etiam ex parte illarum fuit mala fides, tunc enim pro parte negatiua ratio dubitandi est, quòd parentes iniustè copulabantur, ita, vt illa copula esset moraliter fornicaria, & adulterina, vtpotè habita ab exponentibus se periculo fornicationis, & adulterij; ergo non debet censeri proles legitima, cùm sit ex copulâ cõtra legem maximè naturalem.

101. *Pro parte affirmatiua ratio.*

Pro parte verò affirmatiua, est, quòd sicut non constat filium vel filios susceptos ex vtroque concubitu, esse legitimos; ita non constat esse illegitimos; in casu autem dubij parti magis piæ fauendum videtur; ergo non est cur proles habeatur illegitima; sed potiùs legitima; id enim est magis pium. *Confirmatur.* Confirmatur à simili de filiis expositis, qui plerisque in locis censentur legitimi, quamuis re ipsâ non certò constet esse susceptos ex matrimonio.

102. *Generalis quæstio pro legitimitate vnde videtur resolutio pendere. Quidam in dubio fauet proli.*

Huius difficultatis resolutio videtur pendere ex illâ generali quæstione, in dubio, scilicèt; an quis sit legitimus, vel naturalis? censendus sit legitimus, aut naturalis, vel potius spurius? In quâ re non possumus nunc nos breuiter expedire; nec Auctores inter se consentiunt. De hoc multi latè disputant, & non pauci generaliter docent in dubio, an quis sit legitimus, vel illegitimus? reputandum esse legitimum; & in dubio, an quis sit naturalis, vel spurius? reputandum esse naturalem. Ita Gregorius Lopez *l.1. tit.14. Partita 2.* Vasquez *1.2. disp.66.* Salas *1.2. Tract.8. disp. vnicâ sect. 24. num.245.* Sayrus in *Claui Regia c.13. num.19.* Villalobos *tom.1. q.7.* Tellus Fernandez *l.11. Tauri num.3.* Menoch. *de Arbitr. lib.2. Centur.2. casu 194. n.32.* Mantica *de coniect. vltimarum volunt. lib.6. c.11. num.33.* Qui probant; quia nemo damnandus est, & puniendus ob culpam dubiam; pœna enim certa peccato certo adhiberi debet. Si autem filius excluderetur ab hereditate, tanquàm illegitimus, ipse eiusque parentes punirentur, quin eorum culpa esset probata. Et quamuis in nostro casu constet de culpâ parentum, quatenùs peccant dum se exponunt periculo fornicationis vtentes tali matrimonio dubio; tamen non constat de ipso facto opere consummato; id est de adulterio, & fornicatione, quæ re ipsâ fuerit commissa, cùm fieri possit, quòd sint veri coniuges, pœna autem non irrogatur pro delicto attentato, quando posita est ipsi delicto consummato, parentes autem, qui puniuntur in prole non reputatâ pro legitimâ, non constat re ipsâ opere consummâsse fornicationem, & adulterium. Accedit, quod ipsa proles non probatur esse illegitima, atque adeò immeritò priuaretur priuatione certâ pro causa incertâ priuationis; sicuti immeritò irrogatur pœna certa pro delicto incerto.

Greg. Lop. Vasquez. Salas. Clauis Regia. Villalobos. Tellus Fernand. Menoch. Mantica. *Probant.*

Vrgetur.

103. *Confirmatur ex doctrina. Baldi & ex iure ciuili.*

Confirmatur, quia in dubiis præsumi debet, quod honestius est, vt declarat Bald. *in l. filium n.11 ff.* de iis, qui sunt sui, vel alieni iuris, *& ex l. miles §. defuncto ff. de Adult.*

104. *Alij sentiũt contra prolem. Alciatus. Matienzo. Mench. Mascard. Probant.*

Alij putant in casu dubio reputandum esse illegitimum. Ita Alciatus *de præsump. Regulâ 2. præsumpt.5. num.8.* Matienzo *l.9. tit.8. lib.5. Noua copil. Gloss.3. num.6.* Menchaca *controu. illustr. c.85. n.14. & 15.* Mascard. *de Probat.* verbo *illegitimus concl.782. & tomo 2. conclus.1090.* Probant, quia non præsumitur matrimonium, nisi probetur; est enim res facti; factum autem non præsumitur, nisi probetur *c. Cum Ioannes §. verum de fide instrum.* & latè probat Mascard. *conclus.732. to.1. de probat.* Cùm ergo nemo possit esse legitimus, nisi constet de matrimonio, sub quo natus est, aut cum cæteris requisitis superueniente post conceptum, vel natiuitatem; hinc est, quòd non possit præsumi legitimus, cum non præsumatur matrimonium.

105. *Vtraque sententia aliquid habet veri & quodammodo conciliari possunt. Azebedo eas conciliat. Quo casu locũ habeat prima. Quo casu locum habeat secunda.*

Vtraque prædicta sententia aliquid habet veri, & possunt quodammodò ad concordiam reuocari, sicut eas reuocare videtur Azebedo *lib.5. noua recopil. tit.8. l.9. à num.14.* vt, scilicèt, prima sententia locum habeat casu, quo filius sit reus, & possessor, dummodò non possideat cõtra iuris præsumptionem. In tali ergo casu actori incumbit onus probandi; quod si non probet contrarium; pro possidente standum erit. Secunda verò sententia locum habeat, quando filius ipse actor sit v.g. contendens hæreditatem habere; tunc enim debet legitimitatem probare; quia est fundamentum suæ intentionis, alioquin omnino iniquum esset alios à possessione vel iure certo, quod habent, expellere, neque enim ius incertum, & dubium vnius contra alterius ius certum debet præualere. Et in hoc verissimum est illud axioma in *dubiis melior est conditio possidentis.* Idemque iudicium est; quando existit quidem in possessione; tamen ius possessioni resistit, quia tunc possessio non suffragatur. Quâ ratione *in c. Ad decimas de Restit. spoliat. in 6.* Canonici spoliati à Decimis Parochiæ Sancti Nicolai non restituuntur, nisi euidenter docuerint, quòd earum possessionem legitimè assequuti fuissent, quia nimirum eas iniustè occupasse verò similiter præsumuntur, eo quòd prouenirent ex prædiis intra alienam

Paro-

Parochiam constitutis, sitque manifestum (nisi aliud probetur) eas de iure communi ad Ecclesiam pertinere. Hac ratione, si filius naturalis sit à Patre institutus hæres ascendentibus præteritis, & statim in possessionem bonorum missus sit, si auus petat ab eo hæreditatem, sufficiet, si probet esse auum legitimum, & reo incumbet probatio filiationis naturalis, quia ius resistit naturalem filium hæredem esse. Ita Matienzo

Matienzo.

tit. l. 9. tit. 8. lib. 5. nouæ Compilationis.

106. *Declaratur amplius quando locũ habeat prima sententia.*

Quando autem nulla lis vertitur inter aliquos, sed quidam prætendit Ordines, aut prælaturam, atque in vniuersum, quando non est contrà ius alicuius tertij habentis alioquin ius certum; tunc in casu dubij reputandus est filius legitimus, quoties de contrario non fuerit diffamatus, & habetur *in c. Transmissæ & in c. peruenit. Qui filij sint legitimi* docetque Mascardus de probat. verbo *Illegitimus n. 8. concluf.* 881. neque obligandus est hic se iuramento purgare, vt docet Lancelot. Gallia *in Rubrica* ff. *de verborum obligat. n.* 161. traditque Mascardus *suprà n* 10. & 11. vbi infert doctorandum vel licentiandum, grauandum non esse ad iurandum super natalibus, & eo minùs ad probandum, si non sit diffamatus. Quod si quis diffamatus sit, esse illegitimum, ac proinde excludendum à beneficio; siue possideat, siue non possideat, debere se purgare *iuxta c. Accedens* de *purgatione Canonica* & ibi *Panormit. nu.* 4. Ioannes Andr. *in c. Veniens* de *Presbytero non baptizato.* Tellus Fernandez *l.* 11. *Tauri num.* 7. Matienzo *supra numer.* 13. Ratio verò est, quia tunc subiit vicem Actoris contra famam oppositam; ideò debet qualitatem probare.

Mascard. *Qui non est diffamatus de illegitimo non tenetur se purgare iuramento.* Lancelot. Mascard. *Si est diffamatus de illegitimo debet se purgare. Constat ex iure.* Panormit. Ioan. Andreas. Tellus Fernand. Matienzo. *Ratio.*

107. *Ex dictis respondetur argumento primæ sententiæ quatenus contrà nos.*

Ex qua doctrina respondetur argumento primæ sententiæ, quatenùs contra nostram est; neque enim filius punitur, quando ei negatur hæreditas legitimitate non probatâ, imò potiùs alij hæredes paterentur, si absque probatione filiationis legitimæ illius, qui contra ipsos agit, hæreditate priuarentur.

108. *Ad confirmationem.* Mascard.

Ad confirmationem respondetur cum Mascardo *concluf. illâ* 882. *n. 6. in dubio* præsumi, quod honestius est, quando quis id allegat se defendendo, ne ex delicto puniatur. Secùs verò, si id asserat agendo, & ad obtinendam alterius condemnationem, tunc enim non debet capi præsumptio delicti excluſiua; nisi probetur, quia est in damnum tertij. Ita Decius *in l. mancipati post num* 3. C. *de collation.* cum Barthulo *post Gloss. in l. Qui iurasse.*

Decius. Barthulus.

109. *Ad argumentum secundæ sententiæ quatenus est in contrarium.*

Ad argumentum secundæ sententiæ, quatenùs etiam contra nos est, respondeo; licèt matrimonium non præsumatur, si non sit argumentum probans; tamen, si pro vtrâque parte sunt, rationes dubitandi, & tam firmum argumentum sit pro parte affirmatiuâ; atque pro negatiuâ, non esse cur potiùs præsumatur proles non ex matrimonio, quàm ex matrimonio, maximè in casibus, in quibus reus est, & non actor, & pateretur certum damnum citra damnum tertij, & non laborat certâ aliquâ infamiâ in contrarium.

110. Ex hac doctrinâ ad nostrum negotium redeuntes, respondetur filium in eo dubio matrimonij patris cum duplici femina impletis conditionibus vtriusque contractus ita, vt nesciatur, vtra sit priùs impleta; vel ambæ simul? censeri quidem legitimam prolem casu, quo filius sit reus, & possessor bonæ fidei, & casu, quo non agatur de damno tertij. Quando verò ille est actor, & agit contra alium non censeri legitimum, quia nimirùm ius certum alterius tolleretur per ius incertum ipsius iuxta dicta.

Applicatur iam doctrina & respondetur nostræ difficultati.

111. *Quæsitum an dicta pro matrimonio locum habere possint in sponsalibus?*

Quæres, an quæ dicta sunt pro contractu matrimonij, possint etiam habere locum in contractu sponsalitio, quando sponsalia cum duabus sub prædictâ conditione contracta sunt? vel, si alioquin sequamur opinionem eorum, qui putant contractum per verba de præsenti sub conditione de futuro, solùm habere vim sponsalium? tunc enim, si contingat aliquem cum duabus conditionaliter contrahere sponsalia, meritò dubitari potest vter contractus valeat? an scilicèt ille, cuius conditio priùs impletur? an ille, qui priùs initus fuit? vel, si vtriusque conditio simul impleatur, censendus sit vterque contractus nullus?

112. *Sententia fauens primo contractui.* Ledesma.

In hac re Petrus de Ledesma *de matrim. quæst.* 47. *art.* 5. *dub.* 1. quod mouet *post* 7. *principale* putat siue simul, siue priùs impleatur conditio secundi contractus sponsalium, primum contractum sponsalitium manere validum, & obligare in ratione sponsalium, quia sponsalia priora non dissoluuntur per posteriora. De quo dicemus *dub.* 16.

Ratio.

113. *Sententia putans non valere priorem.* Sanchez. *Ratio.*

Sanchez *supra num.* 18. putat in neutro casu valere priorem contractum. Vnde neque ex illo orietur iustitia publicæ honestatis. Ratio verò est, quia primus ille contractus fuit imperfectus, donec impleretur conditio, & per implementum conditionis perficiendus erat, si contrahens non mutasset voluntatem, quam in vtroque casu mutauit. Nam, si simul impleatur conditio, voluntas est incerta perinde, atque si simul cum duabus contraxisset; si autem priùs impleatur conditio secundi contractus, secundus præualebit, perinde, atque si secundus fuisset purè initus. In quo casu fuisset reuocatio prioris voluntatis.

114. *Aliud quod addit Sanchez circa vim primi contractus non in valore contractus, sed ex vi promissionis.*

Idem Sanchez fatetur in euentu, quo prius impletur conditio secundi, teneri ad expectandum euentum conditionis primi contractus, & eâ euenientè tenêri ad illum, non quidem in ratione contractus sponsalitij; quia, quando erant perficienda, erat mutata voluntas; sed ratione promissionis, cui non potuit derogare per secundam promissionem.

115. *Difficilis videtur ea doctrina. Vrgetur argumento à definitione sponsalium.*

Hæc tamen doctrina difficultate non caret. Nam, si sponsalia nihil aliud sunt, quàm *nuptiarum futurarum promissio*; inquiro, illa promissio, ratione cuius docet Sanchez manere obligatum, cuius rei est promissio? neque enim apparet res alia; cuius promissio sit, nisi futurarum nuptiarum: ergo manet obligatus ratione promissionis futurarum nuptiarum. Quod si dicas manere obligatum ex parte suâ; feminam verò cui primò promisit, non manere obligatam; quia nimirùm sufficientem habet causam resiliendi eo ipso, quòd viderit sponsum alteri promisisse, & impletam esse conditionem promissionis alterius: hæc responsio non satisfacit; primò, quia, si manet obligatio sponsalitia secundi

contra-

contractus,cuius conditio priùs impleta est;atque adeò ille contractus fuit factus absolutus, purus,& perfectus;non potest subsistere obligatio primi etiam in ratione promissionis ; neque enim subsistere potest obligatio tradendi rem vni cum obligatione tradendi eandem alteri, quando res nequit vtrique tradi.Secundò;quia, si adhuc manet obligatio ex parte viri promittentis,vel femina resilit,vel non,si resilit, cessat obligatio,etiam ex parte viri; si non resilit, eo ipso,quòd ostendit suam non resilientiam, ostendit voluntatem,quam habet,siue expectandi conditionis euentum , siue, si (iam euenit conditio sui contractus) perseuerandi in voluntate & fide à se datâ ineundi matrimonium cum prædicto.Ex quo fit, vt obligatio ex parte illius etiam resultet,aut confirmetur.

116. *Explicatur amplius ea difficultas.*

Vnde difficilè est,quomodò in ratione promissionis maneat obligatio ex parte viri,purificato iam,& perfecto secundo contractu propter priùs impletam conditionem, vel vtroque annullato ratione incertitudinis propter vtriusque conditionem simul impletam sed de hoc etiam dicemus *dub.* 16. ibi legatur *numer.* 198.*& seqq.*

117. *Ex alio capite potest manere cõparatione prioris.*

Interim dico ex aliis capitibus posse manere obligationem , siue expectandi conditionis euentum,& contrahendi cum priore, siue post impletam conditionem, contrahendi aut satisfaciendi priori.Quæ obligatio non oritur,quia valeat iam promissio illi facta,sed ; quia propter iniustitiam irrogatam, & damnum illatum, si quod fuit,debet restituere,& compensare illi;quod si aliter non possit, quàm contrahendo cum illâ,& alteri, cuius sponsalia iam perfecta sunt propter impletam conditionem , possit aliâ viâ satisfacere;tenebitur cum priore contrahere impletâ conditione;tunc autem conditionis impletio non perficit contractum , quia consensus essentialiter ad illum requisitus iam non perseuerabat moraliter.

118. *Argumenta opposita facilè ex dictis soluuntur.*

Ex dictis pro nostrâ sententiâ, tam in matrimonio,quàm in sponsalibus , facilè soluuntur argumenta, quibus aliqui in contrarium vtuntur;ideò omitto , & videre quis poterit apud Sanchez supra *n.*19.

DVBITATIO IX.

119. *Ordinariè statim valet sub conditione necessaria de futuro cognita vt tali.* Sanchez. Couarr. Anton. Gomez. Ledesma. Henriq. *Multi iuristæ & Theologi.* Coninc. Rebellus. Basilius. *Recentiores. Ratio.*

An conditio non contingens ; sed necessaria de futuro apposita matrimonio, illud suspendat,quousque impleatur?

SVpponendum est primò cum communi Doctorum sententia matrimonium sub conditione necessaria de futuro cognitâ , vt necessaria v.g *si sol oriatur cras* statim,ac fit , ordinariè loquendo,ante euentum conditionis valere,& perfici.Ita Sanchez *lib.*5.*disp.*2.*n.*2.*&* 3.Couarru. 2.*par.c.*3.§.2.*n.*10.Anton.Gomez, primo variar. *c.*12.*n.*63.Petrus Ledesma *q.*47.*art.*5. *dub.*2. *concluſ.*3. Henriq.*lib.*11.*c.*12.*num.*4.& alij multi iurisperiti,& Theologi apud Sanchez quibus adde Coninc *disp.*29.*n.*8.Rebell.*lib.*2.*q.*10. *sect.* 2. *n.*11.Basilium *lib.*3.*c.*1.Bonacinam *q.*2.*puncto* 10. *n.*3.& alios Recentiores.Ratio est,quia; quamuis in toto rigore verborum significetur dependentia consensus ab euentu posteà futuro; atque adeò possit sic à contrahentibus intendi; iuxta communem tamen sensum , & intentionem contrahentium id non ita contingit in appositione talis conditionis.Cùm enim euentus illius sit necessarius & contentus in causâ necessariâ,atque vt talis cognoscatur, ita censetur certus,& moraliter præsens,vt , qui eam conditionem apponunt , non tam apponant ad suspendendum consensum , quàm ad significandam certitudinem consensus præsentis absoluti.Ac proinde,quando non constat appositam esse ad suspendendum consensum,censendum est matrimonium in vtroque foro,tam exteriori,quàm interiori absolutè statim valere,& perfici;nec solùm obligare ex tunc ; sed etiam pro tunc. Quidquid in hoc vltimo videatur Basilius reclamare.Quando autem vterque,vel alter contrahens intendit suspendere consensum vsque ad conditionis existentiam.non valebit matrimonium,quousque conditio existat. Exempla conditionis necessariæ adducunt Auctores *contraho tecum,si cras sol oriatur*, vel *si stellæ fuerint in cœlo* & similia.

Frustra in hoc vltimo Basilius reclamat.

120. *Idem est de futuro contingenti infallibili & certò futurâ.* Sanchez. Rebellus. *Contra alios* Adrianum. Couarruu. Basilium.

Idemque iudicium est de conditione de futuro contingenti , infallibili , seu certò futurâ v.g.*si Antichristus venerit.*Ita Sanchez & Rebell. supra contra Adrianum,Couarruuiam , & Basilium;quia nimirum,contrahentibus non minùs constat conditionem hanc certò futuram, quàm conditionem necessariam. Vnde, sicut conditio necessaria ponitur iuxta communem intentionem , non ad suspendendum consensum; sed ad significandam certitudinem illius de præsente absoluti ; ita similiter potest poni conditio de futuro quidem contingenti;sed infallibilis cognita,vt talis.

121. *Quasi limitatur proximè dictum.*

Quamuis autem prædicta sint vera,si tamen tali futuro infallibiliter,aut necessariò, non habenti certum,infallibile, aut necessarium tempus,apponatur certi diei,aut temporis designatio,potest de necessario,aut infallibili fieri, aut non necessarium,aut non infallibile v.g. si quis dicat:Contraho tecum si Antichristus venerit, aut si pater meus moriturus sit: conditio est necessaria.Si verò addatur tempus, vt *si Antichristus venerit intra decem annos*,vel *si pater moriatur intra mensem.* Conditiones illæ desinunt esse necessariæ,aut infallibiles. Potest tamen in illâ conditione de Antichristo venturo & similibus, vt ea virtualiter (licet verba non exprimant) significet venturum interim dum contrahentes viuunt,& eâ ratione contractus erit non purus , sed conditionatus de conditione contingenti,vt cum Basilio quem refert, & sequitur docet Perez *disp.*16.*sect.*2.*n.*11.*&* 12. nec puto in hoc esse contrarium Sanchez quidquid Perez & Basilius significent esse contrarium.

Tunc desinit esse conditio necessaria aut infallibilis. Basilius. Perez.

122. *Non valet vsque ad euentum si necessaria putetur contingens.*

123. *Conditiones necessariæ sæpe non vt conditiones apponũtur.* Sanchez. Coninc. *Quidã alij.*

Asserendum vlterius est, si conditio sit in se quidem necessaria; reputata verò , vt contingens,contractum non valere vsque ad conditionis euentum.

Aduertendum tamen est cum Sanchez *nu.*3. Henriq.*n.*4.& Coninc *supra*, aliisque nonnullis conditiones necessarias sæpiùs apponi,non tanquam

quam conditiones; sed tanquam præfinitiones, temporisque determinationes, quo contrahentes intendunt matrimonium celebrare. In quo casu contractus non censetur statim factus, sed faciendus, cùm illa conditio sit posita tanquam terminus ad illum contractum celebrandum. Hoc contingit, quando quis dicit alteri: *Contraho tecum si Pater moriatur*, tunc enim intendit contrahere non statim, sed mortuo parente. Legatur Sanchez citatâ *disp.2.num.6.* vbi plures alios pro hac doctrinâ refert, & ob hanc doctrinam Sanchezij notabam paulò ante illum non esse contrarium in eo sensu quo potest accipi conditio Antichristi venturi iuxta Basilium & Perezium.

Sanchez cũ aliis multis.

124. *Obiectio cõtra totam datam doctrinam.*

Obiiciet tamen aliquis contra totam doctrinam traditam, quòd quamuis stipulatio sub conditione omnino extitura non sit conditionalis; at non est omnino perfecta vsque ad aduentum diei, ergo idem erit de matrimonio. *L. Hæres meus 78. de condict. & demonst.*

125. *Respondetur ex Sanchez.*

Respondetur cum Sanchez *supra num.8.* aliud esse, cùm conditio exprimitur per particulam. *Cùm*, aliud cùm exprimitur per particulam *si*; quando enim exprimitur per particulam. *Cùm* non est conditio, sed temporis præfinitio. Atque in hoc sensu loquitur. *Lex Hæres meus 78. in princ. ff. de condict. & demonst.* ibi enim est particula *cùm*. Quando verò exprimitur per particulam *si*, est verè conditio, quæ si est necessaria, cùm iam sit præsens in sua causa, censetur statim impleta, nisi aliud obstet iuxta dicta. Totam doctrinam hoc modo explicatam approbat, si rectè intelligatur, expendatur, & explicetur Perez *disp.16.sect.2.* sequutus alios Auctores, quos retulimus, & latiùs se pandens, rei tamen substantia est, quam paucioribus verbis complexi sumus, ideò non plura necesse est addere.

Perez.

DVBITATIO X.

An, vbi Tridentinum viget, ad valorem absolutum matrimonij conditionati, necessarium sit conditionem impleri coram Parocho, & testibus, qui præsentes fuerunt contractui?

126. *Solùm in nostra sententiâ de valore purificat â conditione potest habere locum hac dubitatio.*

HÆc dubitatio solùm habet locum in opinione nostrâ, quæ docet matrimonium conditionatum purificatâ conditione transire in purum, & perfectum absque nouo consensu; nam, qui docent requiri nouum consensum, putant etiam sufficere, & necessarium esse illũ consensum nouum absolutum exprimi coram Parocho, & testibus; quia tunc primo fit matrimonium, & non anteà.

127. *Satis est si contractus ipse cõditionatus fiat corã Parocho & testibus, & corã ipsis impleatur conditio.*

Secundum nostram ergo opinionem inprimis sufficit contractum ipsum conditionatum (siue conditione de præsenti, siue de præterito, siue etiam de futuro) & impletionem conditionis fieri coram Parocho, & aliis testibus, quia eo ipso matrimonium censetur perfectum, & purificatum coram illis, & saltem necessarium est contractum ipsum conditionatũ coram illis fieri.

Solùm ergo quærimus; an ipsam conditionis impletionem necessarium sit coram Parocho, & testibus eisdem fieri? 128. *Quærimus de impletione coram eisdẽ, an sit requisita.*

Duplex est sententia, & quidem satis probabilis. Prima docet requiri, quòd conditio impleatur coram prædictis; vel quod nouerint conditionem esse impletam. Ita Petrus de Ledesma *q.47. art.5. dub.7. principali concl.3.* qui quamuis loquatur in terminis de conditione de futuro; eius tamen rationes probant etiam de conditione de præterito, & de præsenti ignotis Parocho, & testibus. Idem docet Coninc *disp.29.num.15.* & *n.33.* Gutierrez *de matrim. c.81. num.7.* Bonacina *q.2.puncto 10.num.22.* Hurtado *disp.7.diffic.8.n.24.* Rebell. *lib. 2.q.10.* Perez *disp. 16. sect.14. num.4.* Ratio est, quia ad valorem matrimonij, vbi Tridentinum viget, necessarium est quod Parochus, & alij testes assistant matrimonio essentialiter perfecto quale non est, quod fit sub conditione pendente de futuro, cuius conditionis impletio ignoratur ab ipsis; ad id enim requiruntur Parochus, & testes, vt possint testificari de matrimonio perfecto, & completo inesse matrimonij, atque adeò talis matrimonij debent esse testes; non possunt autem esse testes talis matrimonij, nisi per notitiam adimpletæ conditionis illis constet esse perfectum. Quæ ratio etiam videtur probare de notitiâ conditionis de præterito, aut de præsenti. Ad idque requiritur testimonium prædictorum, vt euitentur inconuenientia, quæ vitare ibi voluit Tridentinum, scilicèt, ne possint sponsi ad alias nuptias transire; quia de prioribus minimè constat; possent autem transire ad alias absolutè coram Parocho, & testibus initas, si ignoretur conditionis impletio, quâ sine matrimonium non valet. 129. *Duplex sententia probabilis. Prima affirmat saltẽ illi id esse debere notũ. Ledesma. Coninc. Gutierr. Bonacina. Hurtado. Rebellus. Perez. Ratio.*

Secunda sententia negat requiri talem notitiam. Ita Sanchez *lib.5.disp.8. num.24.* qui refert Nauarrum *libr.4.consilior. tit. de conditionib. appos. in vtraque editione cons.1.num.6.* Rodriq. 1. *tom. Summæ in 2. editione c.219. conclus.18.num.19.* dum docent matrimonium semel coram Parocho, & testibus contractum sub conditione licitâ non esse opus, vt post aduentum conditionis iterum fiat coram Parocho, & testibus; quia adueniente conditione retro trahitur, & ita est perfectum, ac si à principio factum fuisset. Verum hi duo Auctores non satis clarè loquuntur pro hac sententia; quamuis enim id totum concedant, non explicant, an requiratur notitia conditionis impletæ; nam iuxta oppositam sententiam, si ab initio fuisset impleta conditio, & contractus fieret sub conditione iam impletâ, non constaret tamen de impletione illius, non valeret contractus, quia non possent testificari de illo, vt plenè valido & absoluto. Vnde solus Sanchez videtur (quod sciam) manifestus, & proprius auctor huius sententiæ, quam probat, quia, quando aliqui contrahunt per procuratorem, non requiritur, vt Parochus, & testes videant litteras, in quibus continetur potestas procuratoris, vt praxis totius Ecclesiæ recepit, & consonat cum iis, quæ diximus *disp. 2.dub.17.18.* & *19.* & tamen tunc non possunt plenè testificari de matrimonio, nisi supposità veritate illius potestatis procuratoris. Item, quã- 130. *Secunda sententia negat requiri. Sanchez. Nauarr. Rodriq.*

Sanchez clare & plenè docet eã sententiam. Probat.1.

Probat.2.

do

do consanguinei contrahunt ex Pontificis dispensatione, non est opus, vt Parochus, & testes videant dispensationem, cùm tamen aliter nequeant plenè testari de matrimonio; ergo, si hoc matrimonium valet, valebit etiam contractum in nostro casu.

131. *Probatur 3. & explicatur Tridentinum vt non contrarium docuerit.* Præterea non videtur mens Tridentini, vt plenè & integrè possint Parochus, & testes de matrimonio testificari; sed, vt sint testes consensus de præsenti, quamuis valor matrimonij pendeat ex alicuius veritatis suppositione, vt constat in matrimonio contracto per procuratorem, in quo vt Parochus, & testes plenè testentur de eo, non est necesse quod videant potestatem procuratoris, & sciant esse sufficientem, nec reuocatam; pari ratione, quando contrahunt duo pueri, qui dicunt se esse puberes, si verè sunt puberes, validum est matrimoniũ, quamuis Parochus, & testes dubitarent esse impuberes, & ita non plenè possent testificari de matrimonio, cuius valor pendet ex veritate ætatis; ergo cùm in nostro casu verè testificentur Parochus, & testes de consensu de præsenti, quamuis valor pendeat ex euentu conditionis, de quo non possunt testificari, valebit matrimonium. *Confirmatur.* Confirmatur; quia sic seruatur finis Concilij in eo decreto, qui est, ne contrahantur secundæ nuptiæ spretis primis. Nam, cùm constet Ecclesiæ de illo matrimonio de præsenti, quamuis valor pendeat ex verificatione conditionis, nullo modo permittet eos ad secundas nuptias transire, donec plenè Ecclesia discutiat, an impleta fuerit conditio, nec ne? & an recesserint à conditione, & sic voluerint, vt absolutè contractus valeret?

132. *Difficultate non carent hæ duæ sententiæ. Difficultas primæ sententiæ in iis quæ affert 2. Quem exitum qui sierint Recentiores oppressi argumentis secundæ sententiæ.* Hæ duæ sententiæ difficultate non carent, imò videtur non parum difficultatis in vtraque esse deuorandum. Nam in prima non quis facilè se expediet à similibus adductis pro secundâ, in quibus satis apparet non esse necessarium, quod tunc, quando incipit valere matrimoniũ possint Parochus & testes plenè testificari de illius valore. Vnde aliqui Recentiores oppressi argumento petito à matrimonio contracto per procuratorem & inter consanguineos in gradibus prohibitis non visis litteris commissionis & dispensationis cæterisque instantiis allatis pro secundâ sententiâ deuorant non esse necessarium ita assistere matrimonio, vt possint testificari de valore illius assistendo omnibus requisitis ad valorem; esse tamen necessarium assistere matrimonio essentialiter perfecto, quantùm exteriùs, & sensibiliter dignosci potest per notitiam omnium, in quibus consistit essẽtia exterior matrimonij; & quia essentia exterior matrimonij cõditionati perficitur essentialiter impletione conditionis, cùm exterior expressio consensus, in quâ essentia consistit, alliguerit consensum impletioni; conditionis ideò necessarium est assistere impletioni conditionis; non verò putant necessarium assistere ipsi assignationi procuratoris; nec carentiæ impedimenti inter contrahentes, nec ostensioni talis assignationis; quia hæ non perficiunt essentialiter expressionem exteriorem consensus, quamuis sint requisitæ, vt exterior expressio consensus sit valida, & vt habeat effectum. Atque hac ratione putant se euasisse vim argumẽti facti pro secundâ sententiâ.

133. *Non satisfacit ea Recentiorum doctrina.* Nihilominus nullo modo videntur posse assignare sufficientem disparitatem inter notitiam conditionis, & notitiam commissionis factæ Procuratori, aut dispensationis datæ à Pontifice; omnes enim vel absolutè, vel ex suppositione æquè essentialiter requiruntur, scilicèt impletio conditionis, commissio facta procuratori, absolutè sunt essentialiter requisitæ pro illis modis contrahendi; & dispensatio Pontificis essentialiter est requisita, si non in omnibus gradibus consanguinitatis absolutè, saltem ex suppositione legis inhabilitantis, quod sic probo & declaro. Conditionis impletio requiritur essentialiter, ipsis aduersariis concedentibus, quia essentia exterior matrimonij conditionati perficitur essentialiter impletione conditionis, eo quòd exterior expressio consensus, in quâ consistit essentia exterior contractus, eum consensum alligauerit impletioni conditionis; & hoc sufficit in eâ sententiâ, vt impletio conditionis pertineat ad perfectionem essentialem contractus; quia pertinet ad perfectionem essentialem consensus; & inde colligunt debere habere notitiam impletæ conditionis; quia debent Parochus, & testes habere notitiam matrimonij essentialiter perfecti. Atqui non minùs essentiale est consensui sufficienti ad matrimonium, quod talis consensus proueniat ab ipso contrahente, imò hoc adeò essentiale est, vt implicet contradictionem, esse matrimonium, quale nunc est in ratione contractus, sine consensu ipsius contrahentis iuxta dicta *disp. 2. dub. 6.* Sed nisi videatur, & cognoscatur commissio facta Procuratori ab ipso contrahente per procuratorem, non possunt Parochus, & testes cognoscere talem consensum ab illo contrahente prouenire; ergo iam non sunt testes matrimonij essentialiter perfecti. Similiter sicut consensus, & impletio conditionis, in quouis contractu conditionato sunt essentiales contractui, sic essentialis est contractui materia ipsa, in quâ fit, ita, vt materia sit apta tali contractui v. g. contractui venditionis essentiale est, quòd fiat in materiâ vendibili, quæ scilicèt vendi possit, & emi, adeò, vt, quantumuis interueniat consensus inter emptorem, & venditorem, non sufficiat ad contractum, si alioquin materia capax non sit emptionis & venditionis; essentiale præterea est contractui, & consensui illius, quòd talis consensus proueniat à personis capacibus, & potentibus validum consensum præbere; ita, vt non quilibet consensus sit essentialiter sufficiens ad contractum, nisi sit consensus inter personas legitimas, idque maximè in matrimonio; atqui eo ipso, quòd constat duos volentes contrahere matrimonium esse consanguineos in gradibus prohibitis, materia contractus, scilicèt corpora contrahentium, non est capax (suppositâ lege irritante) mutuæ illius traditionis dominij corporum, neque consensus prædictorum contrahentium est consensus sufficiens essentialiter ad talem contractum, vtpote proueniens à personis non legitimis, nisi intercedat dispensatio eius, qui potest dispensare. Ergo quamuis Parochus, & testes possint testificari

ficari de consensu hîc; & nunc præstito ab illis consanguineis, non possunt testificari de matrimonio essentialiter perfecto, nec sunt testes omnium essentialium pro tali contractu: ergo nulla est disparitas inter notitiam commissionis factæ Procuratori, & notitiam dispensationis concessæ à Pontifice ex vnâ parte, & notitiam impletæ conditionis ex alîâ, vt volunt Auctores primæ sententiæ; horum enim omnium notitia est notitia eorum, quæ pertinent ad essentiam matrimonij.

134. *Vrgentur vlteriùs, dũ adhuc respondent Tridentino.* Vlterius Auctores primæ sententiæ respondent confirmationi allatæ pro secundâ negando satisfieri intentioni Concilij Tridentini, si Parochus, & testes assistant matrimonio conditionato, & non assistant impletioni conditionis; quia, si huic non assistant, vterque permittetur contrahere aliud matrimonium, nam, dum non constat conditionem fuisse impletam, neuter poterit impediri ab Ecclesiâ à contrahendo aliud, eo quòd asserenti conditionem fuisse impletam, incumbit probatio, & quamuis forsan non permittatur, dum non constet conditionem fuisse impletam; tamen, si de facto cum alterâ contrahat, Ecclesia pro hoc secundo contractu iudicabit, dum non constet conditionem primò contractui appositam fuisse impletam. Hęc difficultas est primæ sententiæ.

135. *Adhuc apparet difficultas eius sententiæ.* In quâ sanè doctrinâ iterum se implicant hi Auctores ita, vt non possint assignare disparitatem inter notitiam commissionis factę Procuratori, & dispensationis datæ à Pontifice, in quibus idem eodem modo licèt colligere; nam, si non constat commissionem esse factam procuratori in vno casu; & in alio dispensationem esse datam à Pontifice; neuter poterit impediri à contrahendo aliud matrimonium; quia asserenti commissionem esse factam Procuratori, aut dispensationem esse datam incumbit probatio non minùs, quàm asserenti conditionem esse impletam, & licèt forsan cõtrahere non permittatur, dum non constat cõmissionem non esse factam, aut dispensationem non esse datam; tamen si de facto cum alterâ contrahat, Ecclesia pro hoc secundo contractu iudicabit, dum non constet commissionem esse factam, aut dispensationem esse datam pro primo contractu: ergo nulla est disparitas, quantum ad vitanda inconuenientia, quæ vitari voluit Tridentinum inter notitiam conditionis ex vnâ parte, & notitiam commissionis, & dispensationis ex alterâ.

136. *Quid ex dictis habeatur in fauorem secundæ sententiæ contra primum argumentum.* Habemus ergo ex toto hoc discursu in fauorem secundæ sententiæ contra primum argumentum petitum à paritate, quod sicut non est necessaria notitia commissionis factæ Procuratori, quando per Procuratorem fit matrimonium, aut dispensationis datæ à Pontifice; quando matrimonium fit inter impeditos; ita non est necessaria notitia conditionis impletæ, quando matrimonium initum fuit conditionaliter; sed sufficit in omnibus casibus, quòd assistant Parochus & testes ipsi expressioni consensuum, etiamsi neque impletio conditionis nec commissio facta, nec dispensatio data sint ipsis notæ, in quo valde vrget secunda sententia primam.

Contra secundam verò sententiam hoc vnum facere videtur, quod deuorare cogitur, nempe quòd, si non sit necessaria notitia conditionis impletæ habita à Parocho, & testibus nõ satis, & semper, & pro omni euentu euitentur inconuenientia, quæ voluit euitare Tridentinum; quia, vt discursu proximè præcedenti probatum est, si non constet de impletione conditionis, non poterit per testes constare de matrimonio iam contrâcto, & plenè perfecto. Vnde, si quis tunc de facto transeat ad secundas nuptias, non separabitur à secundâ ex mandato Ecclesiæ; quia non probabitur validum & perfectum prius matrimonium conditionatũ, cuius conditionis impletio non probatur. 137. *Contra secundam sententiam quid difficultatem ingerat.*

Hoc tamen inconueniens rectè probat eadem secunda sententia eodem modo sequi in matrimonio facto per Procuratorem, cuius commissio non innotescit Parocho, & testibus; & in matrimonio facto cum impedimento aliàs dirimente; sed ex dispensatione; quæ tamen non constet Parocho & testibus. 138. *Qua ratione se defendat secunda sententia simili argumento retorquens & instans.*

Ex quo licèt inferre, quòd suppositâ communi; & receptâ sententiâ vel valore prædictorum contractuum, etiamsi testes, & Parochus non viderint commissionem, aut dispensationem; Tridentinum non adhuc viam obstruxerit pro omni euentu prædicto inconuenienti; sed respexerit ad id quod magis frequens, & commune est. Quia ergo non est ità frequens, & cõmune, quod matrimonium fiat per Procuratorem non exhibito aliquo instrumento, & adhibitis aliquibus testibus, quibus possit probari commissio Procuratori facta; neque etiam ita est frequens & commune, quod matrimonium inter habentes impedimentum dirimẽs fiat ex dispensatione pro foro externo, quin extent authenticæ litteræ tum datæ partibus, tum reseruatæ in Pontificio Archiuio: hinc est, vt non nimis fuerit anxium Tridentinum præcludendi aditum ad huiusmodi dolos, qui vix aut rarò contingunt. Atque adeò fatendum est, in his casibus rarò contingentibus nondum esse prouisum de remedio. Idem ergo, & eodem modo dicere possumus cum secundâ sententiâ pro casu impletæ conditionis, cuius impletionis notitia non habeatur à Parocho, & testibus. Concedendum enim est pro illo casu impletæ conditionis, cuius notitia non habetur à Parocho, & testibus, qui priùs interfuerũt matrimonio, nondum esse omnino prouisum de remedio, quia rarissimus est casus, in quo contrahentes coram Parocho & testibus sub cõditione de futuro eâ impletâ non renouent consensum ad maiorem securitatem propter probabilem opinionem, quæ docet, matrimonium non valere, nisi renouato consensu. Item rarissimè solet adhiberi conditio, quæ aliquâ ratione non possit iuridice probari, atque adeò vitari prædicta inconuenientia. Vnde non mirum, quod Tridentinum non nimis curauerit pro tam raris casibus remedium adhibere; sicut etiam contingere potest, quod moriantur testes, & quòd Parochus non descripserit in libro iuxta Tridentini præscriptum, atque adeò non possit iuridicè probari matrimonium esse factum, cui inconuenienti 139. *Ex dictis colligitur adhuc non esse plenè prouisum de sufficienti remedio ad penitus præcauenda inconuenientia.* *Defenditur Tridentinũ vt non sit mirum non omninò rariscasibus prouidisse.*

uenienti nondum prouidit Tridentinum; nec enim ius potest facilè omnibus inconuenientibus prouidere, vt etiam notauimus agentes de matrimonio clandestino.

DVBITATIO XI.

An conditio contra substantiam matrimonij illud irritet?

140. *Quæ censeatur conditio contra substantiã.*

ILla censetur conditio contra matrimonij substantiam, quæ vel est contra materiam proximam substantialem, circa quam contractus essentialiter, seu substantialiter versatur; vel est incompossibilis, & repugnans esse cum eâ materiâ proximâ; tunc enim eo ipso talis conditio censetur contra essentiam, & substantiam contractus matrimonij, quippe qui essentialiter & substantialiter circa eam materiam versatur.

141. *Sub ea conditione certum est non valere.*

Quo supposito, non videtur posse negari matrimonium contractum sub conditione contra ipsius substantiam esse nullum & irritum, vt dependenter factum ab existentiâ conditionis incompossibilis cum ipso contractu, & cum eius materiâ proximâ. Solùm ergo difficultas est, quænam conditiones sint contra substantiam matrimonij; atque adeo irritent matrimonium sub eis contractum?

Quæritur ergo quanã conditiones tales sint.

142. *Sub conditione non transferẽdi dominium perpetuum, & radicale corporũ ad vsum coniugij non valet matrimonium. Ratio.*

Atque inprimis; cùm effectus essentialis cõtractus matrimonij sit, translatio dominij perpetui corporum ad vsum coniugalem, omnino certum est matrimonium sub conditione non transferendi tale dominium, & non se obligandi ad vsum coniugalem saltem obligatione radicali respondente ipsi dominio, esse contractum sub conditione contra substantiam ipsius, atque adeo nullum, & irritum. Ratio est; quia ea conditio, sub quâ contrahitur, directè, adæquatè, & contradictoriè opponitur materiæ proximæ circa quam matrimonium substantialiter versatur; nempe translationi dominij, & radicali obligationi, quæ duo per matrimonium intenduntur iuxta dicta *disputat. 2. dubitation. 3. in principio.* Ex quo infertur esse nullum, quia contrahitur sub conditione incompossibili cum eo, quod contractu ipso matrimonij effici intenditur; ac proinde talis conditionis appositione destruitur effectus essentialis huius contractus.

143. *An conditiones contra bona matrimonij sint contra illius substantiam. Quæ sint bona matrimonij supra explicatum est.*

Iam verò disputandum restat an conditiones contra bona matrimonij sint contra substantiam illius, atque adeò matrimonium sub aliquâ ex his conditionibus nullum? Quid autem per bona matrimonij intelligamus? diximus *disputation. 2. dubitation. 4.* vbi tria connumerauimus, scilicèt perpetuitatem, prolem, & fidem; ibi legantur, vbi ex instituto explicuimus, quâ ratione illa tria debeant intelligi? His præmissis.

144. *Assertio 1.*

Asserendum est primò matrimonium celebratum sub aliquâ conditione turpi, quæ sit contra substantiam matrimonij, seu, quæ tribus præcipuis illis bonis aduersetur, esse inualidum, vt, si sit contra prolem, quando dicitur *contraho tecum si prolis generationem euites*: aut contra fidem, vt *contraho tecum si te adulterandam tradas*: aut contra indissolubilitatem, vt *contraho tecum donec inueniam aliam pulchriorem.* Ratio est, quia talis conditio est contra substantiam matrimonij, ideoque supponitur, & decernitur nullum à Gregor. IX. *c. finali de conditionibus appositis*, docentque communiter Doctores apud Sanchez *disputation. 10. numer. 2.* & Bonacina *q. 2. puncto 10. numer. 8. & 9.* Coninc *disputat. 29. dubitation. 3.* Perez *disputation. 16. section. 5.* & alij communiter, habeturque *in L. 5. Castellæ titul. 4. Partit. 4.*

Ratio.

Greg. IX.

Communiũ doctorum apud Sanchez. Bonacina. Coninc. Perez. Lex Castellæ.

Atque inprimis contra indissolubilitatem, seu perpetuitatem matrimonij, vt *contraho tecum donec inueniam pulchriorem* esse contra substantiam matrimonij, & ideo matrimonium sub ea contractum esse nullum probatur; quia qui eo modo, & eam conditionem apponendo contrahit, & non tradit suum corpus, nec se obligat in perpetuum; sed tantum ad tempus, facit contra materiam proximam, circa quam matrimonium essentialiter, & proximè versatur, nempe contra perpetuam traditionem corporis, perpetuamque obligationem, quæ perpetua solùm, & non temporaria causari potest per contractum matrimonij. Vide dicta *disputation. 2. dub. 4.*

145. *Indissolubilitate per illam conditionem destructã non manet matrimonium.*

Quod verò attinet ad alias duas conditiones, scilicet euitandi prolem, & non seruandi fidem, illas esse contra substantiam matrimonij, quando non sumuntur pro exequutione euitandi prolem, & pro exequutione non seruandi fidem; sed pro obligatione euitandi prolem, aut non seruandi fidem (quâ ratione communiter apponi solent, quando apponuntur) & tunc non tam habere rationem conditionum, quàm rationem pactionum, & modorum; probatur, quia hæ duæ pactiones, seu obligationes sunt incompossibiles cum materia proxima substantiali matrimonij; sunt enim obligationes ad euitandam prolem illicitè, seu medio illicito, sumendo v.g. potionem sterilitatis, aut emittendo semen extra vas, & commiscendo corpus alteri, quæ pactiones, & obligationes non sunt compossibiles cum obligatione radicali ad vsum coniugalem ordinatum ad prolis generationem, & ad seruandam fidelitatem. Hæc autem obligatio, sicut & dominium ei correspondens, est materia proxima, circa quam matrimonium essentialiter versatur, & quæ per matrimonium validum omninò necessariò inducitur.

146. *Quo sensu alia duæ cõditiones vitandi prolẽ & non seruandi fidẽ, sint contra substantiã.*

Ideo autem diximus esse contra substantiam matrimonij, quando eæ conditiones sumuntur pro obligatione ad exequutionem, & non pro ipsâ exequutione; quia illarum exequutio, vt vitatio prolis, & adulteratio, siue præterita, siue præsens, siue futura, non est incompossibilis cum dicta substantia matrimonij, vt ex se patet; sed tota incompossibilitas est ex parte obligationis ad exequutionem, vt explicatum est.

147. *Cur sola obligatio nõ vero exequutio sit contra substantiam.*

148. *Prædicta obligationes tamquã pactiones irritant matrimonium ex naturâ rei.*

Duo verò ex hac doctrina colliguntur; primum, prædictas conditiones tanquàm pactiones & obligationes irritare matrimonium ex natura rei, seu iure naturali, quia ex

ex natura rei opponuntur substantiæ matrimonij, atque adeò Pontificem in eo capite finali nihil noui statuit ; sed quid ius naturale habeat, explicuit. Ac proinde matrimonium non baptizatorum, qui non obligantur præcepto Ecclesiæ, etiam est nullum sub iis pactionibus. Secundum ; quamlibet prædictam conditionem seu pactionem sufficere ad irritandum matrimonium etiamsi ab vno tantum contrahentium apponatur, vt latè & rectè docet Sanchez *libr.5.disputation.13 numer.3.* & post illum alij inter quos Perez *section.illâ 5.numer.3.* & 4. Hurtado *disputation.7.diffic.8. numer.30.* aliique plures. Quamuis autem ibi Sanchez cum primâ & quarta sententiâ, quas refert, & probabiles putat *numer.1.4. & 5.* aliquas siue limitationes, siue circumstantias afferat pro prædictis duabus sententiis, sub quibus illas valdè probabiles putat; tertiæ nihilominus sententiæ meritò subscribit *numer.5.* quia valor matrimonij essentialiter pendet à consensu vtriusque in materiam substantialem, ita, vt alterutrius consensu deficiente circa talem materiam matrimonium sit nullum. Deficit autem consensus ex parte vnius eo ipso, quòd admittit, vel deducit in pactum id, quod est contra bonum, seu materiam substantialem matrimonij.

Ideo in non Baptizatis etiam locum habent. *Qualibet illarum pactionum, etsi ab vno tantum fiat, sufficit vt non valeat matrimonium.* Sanchez. Alij. Perez. Hurtado.

149. *Matrimonium sub conditione libelli repudij expressa, vel virtuali etiam in non baptizatis non valet, nec simul habendi plures vxores.* Ex hac doctrina patet nullum esse matrimonium infidelium contractum sub conditione tacitâ, vel expressâ libelli repudij, vel sub conditione habendi plures vxores ; imò si infidelis contrahat animo dandi libellum repudij, quoties licet iuxta suum ritum, nullum est matrimonium, quia deficit intentio in perpetuitatem. De quibus omnibus diximus *disputation. 2. dubitation. 4. & dubit. 41. 42. & 43.*

DVBITATIO XII.

An conditio nunquàm se copulandi, seu nunquàm reddendi, aut nunquàm petendi, annullet matrimonium?

150. *Supponendum 1.* SVppono licitum esse ex mutuo consensu nunquàm se copulare coniugatos ; item, nunquàm petere, nisi fortè, quando tale petere prudentis arbitrio censeatur potiùs reddere, quàm petere, vt si alter coniux peteret quidem ; sed non audet propter insitum pudorem (vt sæpe in feminis contingit) tunc petitio viri non tàm petitio censetur, quàm redditio ; sed de hoc suo loco dicemus. *Supponendum 2.* Suppono etiam posse coniugatos ex mutuo consensu post initum matrimonium se obligare voto, & pacto non solùm ad nunquàm petendum ; sed ad nunquam reddendum petenti ; & tunc fore licitum negare ; nisi in aliquo rarissimo casu ; de quo etiam agemus suo loco. *Quæstio est an id ducere in pactū, & sub eâ cōditione cōtrahere sit cōtra substantiā.* His suppositis quærimus, an prædicta deducere in pactum ; & sub eâ conditione contrahere matrimonium sit contra substantiam ipsius?

151. Prima sententia affirmat. Ita Sanch. *lib.5. disp. 10.num.2.* & 3. Sotus *in 4.dist.29.q.2.art.3.* Couarruu. *2.p.de matrim.c.3.§.1.* Henriq. *lib.11.c.4.* Gutierrez *cap.82.n.11.* & alij multi apud citatos maximè apud Sanchez. *Prima sententia affirmat.* Sanchez. Sotus. Couarr. Henriq. Gutierr. *Alij multi.*

Probari verò potest 1. quia conditio, *si prolem euites* est contra substantiam matrimonij, & illud irritat iuxta dicta *dub. præcedenti ex c. finali de conditionib. appositi.* sed conditio nunquàm se copulandi, seu semper seruandi castitatem est euitandi prolem ; quia non se copulando, seu seruando castitatem impeditur prolis ; ergo hæc conditio est contra substantiam matrimonij, & illud irritat. 152. *Probant. 1.*

Probatur 2. quia substantia matrimonij consistit in mutuo iure petendi, & in mutuâ obligatione reddendi, sed dicta conditio nequit consistere cum iure petendi, & obligatione reddendi; ergo est contra substantiam. Probatur minor quia ex eâ conditione deductâ in pactum oritur deobligatio reddendi, & priuatio iuris ad petendum ; imò oritur obligatio non petendi, & non reddendi; si id contrahentes paciscantur: ergo ea conditio nequit subsistere cum mutuo iure petendi & mutuâ obligatione reddendi. Omitto leuiores alias rationes, quæ vel parum vrgent, vel in duabus allatis continentur. 153. *Probant. 2.*

Secunda, & probabilior sententia docet non irritare. Ita Paludanus *in 4.distinction. 30.q.2. articul.1.concl.2.numer.6.* Imola *l.vbi ita donatur ff.de donationibus causa mortis.* Barbatius *in c.vltimo de Precariis.* Abulensis *in c.30.Numerorum q.32.* Almaynus *in 4.distinction.30.q.2.* Willelmus Widefordus, quos refert & sequitur Vasquez *tomo 2.in 3.par.disputation.125.cap.6.numer.63. vbi num.64.* alios etiam refert; imò ait; etiam id supponere aliquos Patres, quos iam ante retulerat. Idem docet Rebell. *lib.2.q.10.sect.3.num.19.* Coninc *disp.24.dub.4. n.43.* Bonacina *q.3.puncto 10.num.13.* & 14. Hurtado *disputation.7. diffic.9.* Basilius Pontius *libr.3.cap.11. num.5.* & *seqq.* Perez tum *disputation.13.section.6.numer.7.* tum *disp. 16.sect.7.n.4. & seqq.* probabilemque putant Sotus, & Sanchez citati pro priori sententia. Fundamentum verò est omnino contrarium præcedenti scilicèt; quia prædicta conditio non est contra substantiam matrimonij, id est contra materiam substantialem proximam illius, sed est compossibilis cum illâ; ergo non irritat. Antecedens probatur ; quia materia substantialis, circa quam contractus matrimonij proximè essentialiter versatur, sita est in mutuo corpotū dominio in ordine ad vsum coniugij, & mutuâ obligatione radicali ad eundem ; cum his autem non est incompossibilis prædicta conditio, seu pactio, quamuis enim per eam conditionē impediatur obligatio radicalis ad reddendum, & ius remotum, seu dominium ad petendum, ita, vt etiā inde oriri possit obligatio nō petendi, & non reddendi; talis tamen obligatio non est incōpossibilis cū prædicto dominio, & prædictâ obligatione radicali; tale enim dominiū potest esse, & perseuerare, quāuis impeditū ad exeundum in actum, nempe in petitionē, aut redditionem debiti, seu (quod idem est) potest esse, & perseuerare cum priuatione iuris proximi ad petendum, & dicta obligatio radicalis ad reddendum potest esse, & perseuerare, 154. *Secunda sententia probabilior negat.* Paludan. Imola. Barbatius. Abulensis. Almayn. Willelm. Wideford. Vasquez. *Alij apud ipsum qui putāt esse Patrum.* Rebellus. Coninc. Bonacina. Hurtado. Basilius. Perez. *Probabilem putant.* Sotus. Sanchez. *Fundamentum contrarium præcedenti sententiæ.*

rare, quamuis impedita ad exeundum in actū; nempe in redditionem debiti, seu (quod idem est) potest esse, & perseuerare cum priuatione proximæ obligationis ad reddendum; quin imò potest perseuerare radicale dominium cum proxima obligatione non petendi; item radicalis obligatio reddendi cum positiuâ obligatione proximâ non reddendi.

155. *Efficax argumentum pro data doctrina.*

Huius doctrinæ me quidem iudice, efficax argumentum habemus in coniugibus, qui post contractum matrimonium, aut fortè consummatum paciscuntur de non petendo, & non reddendo, & tamen manet in eis verum matrimonij vinculum atque adeò verum dominium, seu ius radicale, & mutua radicalis obligatio absque iure proxima ad petendum, & absque obligatione proximâ ad reddendum, imò cum proximâ positiuâ obligatione non petendi, & non reddendi; si id etiam in pactum deducant; ergo ea conditio, seu pactio & modus non repugnat materiæ substantiali proximæ matrimonij, quæ sita est in mutuo dominio, & mutuâ obligatione radicali iam dictis; quamuis repugnet proximæ expeditioni, & liberæ potestati prædicti dominij & mutuæ obligationis radicalis ad vsum coniugalem, seu (quod idem est) iuri proximo ad petendum, & obligationi proximæ ad reddendum; quæ, si aliquo pacto non impediantur, oriantur necessariò ex prædicto dominio, & obligatione radicali. Ex quo satis constat non repugnantia prædictarum pactionum cum essentia, seu materiâ substantiali matrimonij. Vnde optimè docuit Vasquez *supra numer. 66.* quod, quamuis impedire generationem sit contra finem matrimonij, ipsumque irritet, si apponatur, tanquàm pactio in ipso contractu, iuxta definitionem Pontificis *citato c. vltimo de condit. apposit.* nihilominùs, quamuis aliquæ conditiones, quæ dicuntur esse contra finem matrimonij, sint etiam contra eius substantiam ita, vt appositæ irritent matrimonium, qualis est prædicta de impedienda generatione, cuius conditionis ibi meminit Pontifex; tamen conditio seu pactio abstinendi ab vsu coniugij non ita opponitur fini matrimonij, vt contra substantiam illius verè sit; solùm enim opponitur fini (vt aiunt) negatiuè; cùm sit sola cessatio, & negatio actus coniugalis, quæ ex mutuo consensu licita, & sancta est; non tamen contrariè, & positiuè, referendo scilicèt matrimonium ad finem illi positiuè contrarium, qualis est impedire prolem. Definitio autem illius capitis intelligi debet de conditione contrariâ, & positiuè oppositâ fini matrimonij, vt hæc dicatur contra substantiam eius esse, & illud irritare, si in eo in ipso contractu opponatur, quia destruit verum consensum requisitum ad matrimonium. Hoc autem discrimen (inquit Vasquez) ex eo rectè colligitur, quod conditiones oppositæ fini matrimonij contrariæ, & positiuè, etiam post contractum ipsum perfectum sine peccato apponi non possunt, ac proinde initio appositæ mirum non est, si matrimonium irritent, quamuis non postea; nam cùm iam non possint auferre consensum, qui initio pro contractu præstitus fuit, licèt sine peccato non apponantur, matrimonium tamen semel initum dissoluere nequeunt; contra verò, quæ solùm negatiuè opponuntur fini matrimonij, cùm licitè postea apponantur; mirum non est, si initio appositæ non tollant necessarium consensum, vt matrimonium ipsum irritent, Hæc Vasquez ferè eisdem verbis. Iuxta quam doctrinam, mihi placet regula quædam generalis, quam ex Vasquio tum numeris citatis tum sæpe in eâ disputatione 125. tradunt alij, vt Basilius Pontius *libr. illo 3. capit. 11. numer. 14.* vbi ait regulam generalem esse absque vllâ exceptione. *Quoties aliquis actus non potest ab alio fieri, nisi malè, si fiat, non licèt illi cooperari, sicut neque petere ab aliquo actum, qui ab illo non potest fieri benè, vel malè, sed necessariò malè.* Cuius regulæ nunquàm reperiri exceptionem, aut casum, in quo id liceat, putat Basilius & consentit Perez *disputation. illa 16. section. 7. numer. 8.* vtens eâ doctrinâ, vt probet licere, & valere matrimonium, de quo agimus, nempe sub eâ conditione, vt vnus coniux minimè teneatur reddere, imò nec reddere possit alteri petenti cum peccato, ita, vt peccet in petendo; quia nimirum ea conditio est honesta, & iure inest, quia ad eam tenetur etiamsi non exprimatur, vt dicunt Vasquez, & Basilius citati, exemplumque adhibent eius, qui emisit votum Castitatis, cui petenti non tenetur alter reddere, imò tenetur non reddere, & potuit ea conditio apponi in contractu matrimonij, cùm non sit contra illius substantiam iuxta dicta. Legatur Perez *supra numer. 9.* & Basilius citatus sicut & Vasquez, ex quibus liquet non esse contra substantiam matrimonij. Quantumuis reclamet Sanchez *libr. 5. disp. 11. numer. 2.* cuius oppositum hucusque probatum & declaratum est. Cùm Sanchez sentit asserens Filliucium Diana 3. *part. tractat. 4. resol. 296. Paragrapho notandum.* docens teneri reddere sic petenti quamuis ibi non definiat, an sit contra substantiam matrimonij id deducere in pactum & sub ea conditione contrahere. Certè vt rectè notat Perez, si non tenetur reddere cum manifesto periculo vitæ eius, qui petit, nec tenebitur reddere cum manifesto peccato, nec potest.

Regula ex Vasquio circa hoc.

Basilius.

Perez.

Vasquezij aptissima in hac re doctrina.

Perez legendus in hac re & Basilius.

Sanchez frustra contendit esse contra substantiam matrimonij.

Sentit cum. Sanchez. Diana.

Sed non ait esse contra substantiā. Filliucius relatus à Diana.

Vrget Perez rectè.

Vasquez.

Hanc doctrinam non solùm veram puto in matrimonio, nempe quòd dominium radicale in corpora ad vsum coniugalem, & obligatio radicalis ad eundem manere possit absque expeditione ad eum vsum, seu (quod idem est) absque iure proximo ad petendum & absque obligatione proximâ ad reddendum imò cum positiuâ obligatione ad non petendum, & non reddendum; sed etiam puto veram in aliis materiis. Vnde Dominus, qui alteri locaret omnem operam sui mancipij, & vellet nihilominùs retinere dominium in mancipium seu ius radicale in ordine ad operas illius, id posset facere; maneretque adhuc apud ipsum tale ius radicale, & in ipso mancipio perseueraret obligatio radicali; maneret tamen tunc in ipso Domino ius illud, seu dominium impeditum, seu non maneret ius proximum; imò hoc esset in conductore mancipij absque dominio in ipsum mancipiū,

156. *Generalis in aliis materiis est ea doctrina.*

atque

atque in mancipio non esset obligatio proxima obediendi domino; sed conductori; esset tamen in eodem obligatio radicalis respondens radicali dominio, & iuri sui Domini; imò in Domino ipso posset manere obligatio positiua non occupandi mancipium, & in mancipio obligatio positiua non obediendi Domino; si fortè id deducerent in pactum conductor, & dominus, vel mancipium, & dominus. Idemque iudicium est in aliis materiis, in quibus dominium radicale potest ab vsu, seu iure vtendi separari. Quæ doctrina assimilis est illi, quam tradidimus *in nostro opere de iustitia* locis infra citandis agentes de Emphyteusi. vbi distinximus dominium directum, & radicale à dominio indirecto seu iure proximo vtendi re ipsâ v.g. fundo, aut prædio, & priùs dixeramus agentes *de iure & dominio*. Vnde non placet generalis regula seu doctrina quam habet Perez *disputation. 13. section. 4. numer. 7.* dum videtur significare obligationem non vtendi re aliquâ manente illius dominio prouenire, non ex obligatione iustitiæ, sed ex alia virtute, vt ex virtute Religionis, vel fide promissionis, vel ex deuotione vel ex accidenti aliquo; ait ergo impedimentum ex rigorosa iustitia non vtendi non posse intelligi cum matrimonij vinculo, sed impedimentum ex aliâ virtute. Quæ doctrina mihi vt dicebam neque in aliis rebus, neque in matrimonio placet. In aliis quidem quia (vt de mancipio dicebam) dominium vtile transfertur, & retinetur directum iuxta doctrinam receptam, quam tradidimus *in nostro opere de iustitia libr. 2. tractat. 1. disputation. 1. numer. 27.* & pluribus sequentibus, ita, vt quis maneat dominus directus rei, & vsusfructus, seu vsus sit alterius, & Dominus directus teneatur ex iustitiâ non vsurpare vsum, vel vsumfructum. Idem constat ex dictis *in eodem opere tractat. 15. disputat. 1.* vbi egimus *de emphyteusi feudo, & libello*. In matrimonio verò etiam locum habet hoc ipsum ita vt absque vllâ iniuriâ suppositio pacto vnus neget, & alter non habeat ius proximum petendi, & iniustè possit agere, si alterum opprimat aut cogat vi illatâ ad vsum; potest quidem prouenire ea obligatio ex aliis capitibus, sed etiam obligari ex iustitia ad non vtendum altero inuito, & tunc manet dominium radicale iuxta dicta cum Vasquio & aliis.

157. *Euasio qua posset quari.* Respondebit tamen aliquis, quod attinet ad matrimonium; non quidem repugnare talem conditionem cum dominio in corpora iam translato; repugnare tamen cum dominio in fieri (vt aiunt) & in transferri. Quâ ratione impedimentum dirimens antecedens matrimonium, illud annullat, quando verò in facto matrimonium superuenit, non dissoluit vinculum.

158. *Præcluditur euasio.* Hoc tamen responsum facilè reiicitur ex eo, quòd si aliquis defectus in causâ efficienti sit, à quâ solùm pendet effectus in fieri, non verò in conseruari, potest quidem talis defectus impedire, ne effectus fiat, si verò iam factus sit effectus, non poterit destrui à superueniente defectu ex parte causæ, à quâ iam non dependet. Eapropter impedimentum dirimens, cùm sit defectus in causâ efficiente; nempe in contrahentibus ipsos inhabilitans ad matrimonium, à quibus, tanquàm à causis efficientibus dependet in fieri; non verò in conseruari, irritat quidem matrimonium, quando adest tempore contrahendi illud; non verò irritat iam factum. Quando verò in aliquo reperitur defectus repugnans essentiæ rei sicut repugnat in fieri, ita repugnat in conseruari & in facto esse; imò optimum, & efficax argumentum est, quod si non repugnat essentiæ in facto esse, non repugnabit essentiæ in fieri; nam essentia rei omnino eadem est in fieri, & in facto esse. Quia ergo prædicta conditio, seu pactio non vtendi matrimonio, si esset defectus, non esset defectus in ipsâ causâ efficiente, sed in ipsâ essentiâ & substantiâ rei, id est matrimonij, cuius essentiæ repugnaret, vt repugnare contendunt Auctores oppositæ sententiæ: necessariò sequeretur, quod æquè repugnaret matrimonio in facto esse, atque matrimonio in fieri, & è contra; atqui non repugnat matrimonio in facto esse, ergo nec matrimonio in fieri. Porrò non repugnare matrimonio in facto esse, & aduersarij concedunt, & efficaciter probatur; quia non est incompossibilis cum dicto dominio iam translato, & cum dictâ obligatione iam inductâ, quæ radicalis poterit permanere; atque adeò non repugnabit translationi dominij, neque inductioni prædictæ obligationis radicalis.

159. *Ad primum argumentū.* Ad primum argumentum aduersariorum respondemus illam conditionem *si prolem euites*, id est, si te obliges ad euitandam prolem, tantùm esse iuxta dicta contra substantiam matrimonij, quando est ad euitandam prolem medio positiuo in hunc finem ordinato, & illicito; non verò, quando est medium ad euitandam prolem negatiuum, & licitum. Imò addunt aliqui, etiamsi sit medium positiuum, modò sit licitum, vt sanguinis emissio tempore necessitatis, quia sola obligatio ad illicitè vitandam prolem, est incompossibilis cum obligatione radicali orta ex contractu matrimonij, sicut enim licitè euitare prolem, non petendo, aliisve mediis licitis, quamuis positiuis, & etiam non reddendo, quando licitè fieri potest, non est contra obligationem ortam ex contractu matrimonij in ipso, qui euitat, & consequenter, nec contra dominium ortum in altero ita etiam priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proximæ ad reddendum; imò positiua obligatio, siue iustitiæ orta ex contractu superaddito contractui matrimonij, siue Religionis orta ex voto ad non petendum, & non reddendum, & ad alia media licita, quibus proles impeditur, non est incompossibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio, & sicut prolem vitare illicitè, est contra obligationem ortam ex matrimonio, ita etiam obligatio ad eam illicitè vitandam est incompossibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio.

Quidam Recentiores excogitarūt casum medij positiui licitī, vt impediatur proles.

160. *In quo sensu sit admittenda illa Recentiorū doctrina. Sed impropriè tunc loquuntur.* Hæc doctrina Recentiorum absolutè vera est, nisi quòd, dum aiunt, etiam esse posse pactionem, & obligationem, euitandi prolem

prolem medio positiuo licitò ad euitandam prolem, minùs propriè loquantur de tali medio emissionis sanguinis tempore necessitatis & similibus quæ possent afferre ; nam tale medium, & similia non censentur, nec possunt deduci in pactum, quatenùs præcisè & directè sunt media ad impediendam generationem ; talis enim obligatio esset contra fidem essentialem matrimonij, non minùs quàm alia media positiua, & omnino essent illicita media electa in eum finem, & quatenùs sunt generationis positiuè impeditiua. Quod si possunt (vt reuera possunt) talia media apertionis venæ, vel potionis medicinalis licitè adhiberi; solùm est, quia possunt eligi, tanquàm media ad alium finem licitum, ad quem possunt directè ordinari, nempe ad sanitatem corporis, non verò quatenùs sunt genetionis impeditiua; nam, si sic eligantur, omnino illicita sunt, & contra finem matrimonij. Vnde non est cur dicamus obligationem ad media positiua contra generationem posse esse appositam matrimonio; nam si talia media sunt illicita, opponuntur fini essentiali matrimonij, si verò sint licita, non debent eligi, neque quis potest ad illa obligari, quatenus deseruiunt ad impediendam generationem (sic enim essent illicita,) sed, quatenùs deseruiunt ad alium finem ; tunc autem impeditio generationis permittitur sequi ; non intenditur fieri.

161. *Ad secundum argumentum.*

Ad secundum argumentum respondetur, negando ex eâ conditione oriri aliquid incompossibile cum mutuo dominio radicali ad petendum, & radicali obligatione ad reddendum, in quibus essentialis proxima materia contractus matrimonij sita est ; nam ex eâ conditione solùm resultat priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proximæ ad reddendum, & ad summum etiam positiua obligatio proxima ad non petendum, & ad non reddendum (si id etiam deducatur in pactum) quæ non sunt incompossibiles cum prædicto dominio, quod est ius remotum, & radicale ad petendum, & cum prædicta obligatione radicali ad reddendum, vt explicatum est.

162.

Ex quo etiam fit à fortiori, si positiua obligatio proxima non petendi, & non reddendi orta ex contractu, seu conuentione, non obest prædicto matrimonio, & obligationi radicali ipsius ; etiamsi talis obligatio conuentionis sit obligatio iustitiæ; multò minùs obesse positiuam obligationem, non petendi, & non reddendi ortam ex voto, cùm hæc sit obligatio diuersæ rationis: nempe ex virtute Religionis quæ longè diuersa est ab obligatione matrimonij, vtpotè iustitiæ. Quare, si matrimonium sub pacto nõ petendi, & non reddendi valet, etiamsi ex tali pacto oriatur obligatio iustitiæ non petendi, & non reddendi, multò potiori ratione valebit sub conditione & pacto vouendi Castitatem, ex quo solùm oritur obligatio iustitiæ vouendi Castitatem, ex quo voto posteà orietur obligatio Religionis castitatem seruandi.

163. *Hinc resoluuntur casus pro praxi.*

Ex traditâ doctrinâ possunt resolui pro praxi aliqui casus in particulari ; qui colliguntur ex dictis in hac & præcedenti dubitatione.

Colligitur 1. valere matrimonium contractum sub hac conditione, *duco te, si te obliges ad professionem in Religione faciendam*, vel *ad perpetuò seruandam castitatem*. Ita Rebell. Coninc, Bonacina, Perez *disputat. 16. sect. 7. num. 5.* & alij citati pro nostra sententia contra Sanchez, Henriq. Gutierrez & alios. 164. *Colligitur 1.* Rebellus. Coninc. Bonacina. Perez. Contra Sanchez. Henriq. Gutierr. *& alios.*

Secundò à fortiori valere cum hac conditione, seu pacto, vt nunquàm petat debitum, reddat tamen petenti. Ita Sylvest. matrimonium 4. *dub.* 6. Bonacina *supra num.* 14. contra aliquos alios. 165. *Colligitur 2.* Sylvest. Bonacina. *Contra alios.*

Tertiò valere matrimonium contractum sub conditione non cohabitandi, etiamsi sit nunquàm cohabitandi, quidquid Sanchez & alij dicant; adhuc enim potest subsistere ius, seu dominium radicale mutuum in corpus, & mutua obligatio radicalis reddendi debitum; & cohabitandi. 166. *Colligitur 3.*

Quartò non valere matrimonium sub conditione, *si filios occidas, aut mutiles* ; est enim hoc contra bonum prolis vnum ex tribus matrimonij bonis. Ita Lopez *de matrim. c. 42.* Petrus de Ledesma *q. 47.* & alij multi. 167. *Colligitur 4.* Lopez. Ledesma. *Alij multi.*

Quintò valere sub conditione, *si prolem abitias & aliis exponas alendam* : hæc enim conditio neque est contra substantiam matrimonij, nec omnino repugnat bono prolis, sicut neque illa *si filios non nutrias proprio lacte* ; neque enim omnem curam prolis parentes deponunt, cum intendant eam exponere ab aliis alendam. Ita Sanchez *disput. 9. num. 13.* Bonacina *supra numer. 11.* Ludouicus Lopez *citato c. 42.* Petrus de Ledesma *supra artic. 5. dubitat. 4.* Gutierrez *supra numer. 10.* & alij. 168. *Colligitur 5.* Sanchez. Bonacina. Lopez. Ledesma. Gutierr. *Alij.*

Sextò. Non valere matrimonium, si celebretur sub conditione semper domi manendi, aut vestem nigram semper gestandi, si verè accipiantur tanquàm conditiones ; sunt enim contra indissolubilitatem matrimonij, cùm contrahens non habeat intentionem contrahendi; nisi re ipsâ alter coniux semper domi maneat ; vel semper in nigris incedat. Valere tamen, si solum intendat imponere alteri obligationem sic faciendi, & absolutè contrahat; quia neque illa est vera conditio à cuius euentu suspendatur consensus, neque est pactio contra substantiam matrimonij, aut bonum prolis. Ita Sanch. *disp. 9.* Gutier. *c. 82. n. 6.* Bonacina *suprà n. 12.* & alij plures citati. Omitto alios casus, qui facilè ex dictis possunt resolui. 169. *Colligitur 6.* Sanchez. Gutierr. Bonacina. *Alij plures.*

DVBITATIO XIII.

An conditio impossibilis habeatur pro non adiecta matrimonio?

170. *Quando dependenter ab eâ conditione fit contractus, non valet.*

DE conditione impossibili, quando contrahentes illam apponunt ita, vt seriò nolint contrahere; nisi dependenter ab existentiâ talis conditionis, consentiunt Doctores non valere matrimonium, vt, cum quis dicit: *contraho tecum, si cœlum digito tetigeris*, conditio enim hæc subsistere nequit, & consensus deficit, qui solùm dependenter ab illa habebatur, & non potest Ecclesia supplere consensum.

Nihilo-

171. *Sanchez putat hanc quæstionem grauissimã & difficillimam. Difficultas ex celebri textu iuris Canonici.*

Nihilominùs Sanchez hanc quæstionem grauissimam,& difficillimam appellat propter difficultatem celeberrimi Textus *in cap. finali* de *conditionib. appositis* ibi. *Aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debent propter fauorem eius pro non adiectis haberi.* In quo explicando diu,multumque laborãt iuris Pontificij Doctores. Sed ante illius expositionem,quam breuiter adhibebimus,assertionem præmitto.

172. *Assertio affirmans si adsit consensus absolutus. Valentia. Sanchez. Alij communiter. Molina. Gutierr.*

Asserendum omninò est valere contractum, si adsit consensus contrahentium absolutus. Ita Valentia *tomo* 4. *disputation.* 10. *q.* 3. Sanchez *disputation.* 3. *&* 4. & alij communiter teste Molina *Tractat.* 2. *de iustitia disputation.* 208. *vers. modus impossibilis* Gutierrez *cap.* 32. *numer.* 21. *&* 38. Sed in eo casu illa non erit propriè conditio ; sed , quasi modus , & pactio. Ratio verò est ; quia , si non est validum, id erit maximè propter defectum consensus , & expressionis eiusdem ; sed neutrum deest , vt supponimus ; ergo valet. Accedit, quod in prædicto Textu hæ conditiones habentur pro non adiectis?

Non erit tunc propriè conditio, sed quasi modus. Ratio.

173. *Variis modis solet ille textus explicari quos reiicit Sanchez.*

Iam verò quod attinet ad expositionem Textus plures interpretationes affert,& reiicit Sanchez citatâ *disp.* 3. Quibus omissis supponendum inprimis est,talem conditionem , vt habeatur pro non adiectâ , debere esse contrahentibus notam,vt impossibilem;nam,si iudicetur possibilis,non est vnde Textus prædictus,aut aliquis alius decernat illam conditionem esse reiiciendam,vt latè probat Sanchez *supra num.* 8. cum multis,quos refert.

Supponendum 1.

174. *Supponendum* 2.

Supponendum est 2. vt habeatur pro non adiectâ,exigi, vt contrahentes sint conscij non solùm ipsius impossibilitatis , sed etiam constitutionis prædicti textus statuentis eam conditionem haberi pro non adiectâ , ita, vt censeatur purum matrimonium. Ita Sanchez *supra numer.* 11. cum aliis , quos refert. Ratio est, quia appositio conditionis impossibilis significat iuxta communem modum loquendi dissensum, vt latè probat idem Sanchez *supra numer.* 1. probaturque maximè ex L. Non solùm 30. *ff. de act. & oblig.* vbi redditur ratio cur omnes contractus sub conditione impossibili gesti non valeant ibi: *quia in eâ re , quæ ex duorum pluriumve consensu agitur , omnium voluntas spectatur, quorum procul dubio in huiusmodi actu talis cogitatio est, vt nihil agi existiment , appositâ eâ conditione, quam sciant esse impossibilem.* Vbi meritò lex colligit ex conditione impossibili notâ, vt tali,non fuisse animum contrahentium seriò, & validè celebrare : ergo, vt talis conditio habeatur pro non adiectâ, & contractus credatur absolutus,& verè factus , requiritur notitia legis decernentis,vt non obstante tali conditione appositâ,contractus valeat;alioquin non deberet præsumi consensus verus , & absolutus requisitus ad valorem contractus; sed potiùs oppositum iuxta rationem prædictæ legis.

Sanchez cũ aliis. Ratio.

175. *Oportet vt vterque contrahens sciat conditionem esse impossibilem & constitutum esse in iure eã haberi pro non adiecta.*

Imò rectè addit Sanchez non sufficere,quòd alter contrahentium prædictam conditionem nouerit esse impossibilem,& nouerit etiam talem constitutionem Pontificiam;quia matrimonium non efficitur,nisi concurrente duplici cõsensu, atque adeò , si prædicta notitia requiritur, vt censeatur quis verè consentire , ex parte vtriusque requiretur. Legatur Sanchez *numer.* 12. *&* 13.

Sanchez.

176. *Supponendum* 3.

Tertiò supponendum est in casu dubij,quãdo scilicèt, dubia est contrahentium intentio, an animo consentiendi, vel potiùs iocandi , & irridendi eam conditionem appoſuerint? conditionem impossibilem haberi non pro adiectâ;tũc enim fauore matrimonij præfertur pars conseruatrix illius,& Ecclesia præsumit verba accipi in sensu absoluto,perinde,ac si conditio non fuisset appositа;quia nimirum in dubio pro matrimonio iudicandum est iuxta *c. finale de sententiâ & re iudicatâ.* Cùm enim vertatur periculum animæ, si fortè separentur, qui legitimè sunt coniuncti , & aliis matrimonio copulentur , meritò Ecclesia eligit in dubio id, quod animæ tutius est; tutius autem est contra statuta hominum dimittere legitimè coniugatos,quàm contra legem Dei eos separare vt habetur *c. licèt ex quâdam de Testibus.* Ita Sanchez cum aliis,quos refert *supra numer.* 15. Rationem impugnat Perez *numer.* 12. quia adhuc manet animæ periculum,si permittantur cohabitare,si matrimonium non fuit verum. Respondetur tamen facilè , coniuges debere habere verum consensum in eo casu,quo iustè in foro externo & lege coguntur habitare,vt sic euitetur omne periculum peccati. Placet autem ratio alia Perezij,quòd ideò sic statuat ius,quia , nisi aliud constet, nemo præsumitur in re tam sancta , & graui voluisse iocari , atque adeò debet haberi conditio pro nullâ. His præmissis.

Ratio.

Sanchez cũ aliis. Perez impugnat rationem datam. Respõdetur.

Placet etiã alia ratio Perezij.

Mihi videtur cum Coninc *disputation.* 29. *numer.* 42. Sanchez *libr.* 5. *disputation.* 3. *à numer.* 8. vsque ad finem Lessio *libr.* 2. *de iustit. cap.* 18. *dubitation.* 15. *numer.* 122. Perez *disputation.* 16. *section.* 3. *numer.* 9. & sequentibus inprimis in illo textu Papam nouum ius condere in fauorem matrimonij id statuendo , quod non statuit in fauorem aliorum contractuum (excipio vltimas voluntates) quidquid reclament Rebellus *lib.* 2. *q.* 10. *section.* 4. *numer.* 27. & Basilius Pontius *libr.* 3 *cap.* 4. *numer.* 10. dicentes Gregorium IX. ibi solùm declarâsse , quòd secluso omni iure positiuo iam erat, & semper erit seruandum. Id tamen absque idoneo fundamento dicitur. Quod enim aiunt Papam non vti verbo *decernimus* aut simili, falsum est , ibi enim expressè habet, se id dicere *propter fauorem* matrimonij. Si autem id tantùm statueret aut declarâret, quod ius naturale habet , non esset locus fauori speciali pro contractu matrimonij præ aliis contractibus. Quod etiam dicunt legem fore iniustam si statueret valere matrimonium, appositis turpibus, aut impossibilibus conditionibus ; falsum omnino est , si explicetur textus eo modo, quo explicari debet , & mox subiicimus. Dicimus ergo intellectum prædicti Textus esse,quòd quoties tam in foro interno , quàm externo dubitatur , an contrahentes eam conditionem seriò adiecerint, vel solùm ioco, censenda sit ioco apposita ; atque adeò pro non adiectâ, idque maximè locum habebit in foro externo,quando aliud in ipso foro non cõstet.

177. *Explicatur textus propositus. Coninc. Sanchez. Lessius. Perez. Papa ibi nouum ius condit. Negant frustrà Rebellus. Basilius. Putantes solum declarare ius naturale. Reiicitur eorum fundamentum.*

Concluditur textus expositio.

Citati auctores in ea expositione consentiunt præsertim Sanchez.

Quam expositionem citati sequuntur præsertim Sanchez *num.*16.& deinceps maximè *n.*18. vbi huius præsumptionis fundamentum affert, quia omnes fideles dum Sacramenta recipiunt, censentur ea recipere iuxta Ecclesiæ intentionem, & dum contractus ineunt matrimonij, noruntq; conditionem esse impossibilem, eamque reijci ab Ecclesiâ, haberique pro non adiectâ, censentur velle purè contrahere iuxta intentionem Ecclesiæ & eo modo, quo ipsa Ecclesia præsumit, & iudicat de tali matrimonio, nisi aliter explicent suam intentionem. Ita præter citatos, docent Palud. *in 4.dist.26.q.2 in fine* Couar. 4.*Decretal.2.p.c.3.* §.2.*num.1.* Gregor. Lopez *l.6. tit.4.Partit.4.verb.monte de oro.* Medina C. *de Restit.q.23* Palatios *lib.6. de contractibus cap.6. concluſ.1.&* 2. Alexander Carrerius *lib.3. de Sponsalibus cap.5.*

Fundamentum præsumptionis quod non serio fuerit apposita conditio.

Paludan. Couarr. Greg. Lop. Medin. Palatios. Alexand. Carrer.

178. *Explicatur in quo sit fauor matrimonij in eo textu.*

Quod si quæras in quo consistat fauor matrimonij, ratione cuius Pontifex in eo capite finali decernit reiici ab eo conditiones impossibiles? respondet Sanchez in hoc consistere, quòd potuit ius in cæteris contractibus disponere, vt conditio impossibilis haberetur, pro non adiecta, atque si id disponeret, valeret contractus sub tali conditione initus à scientibus talem conditionem esse impossibilem, & reijci à iure, id autem non statuit in cæteris contractibus; atque adeò corruunt, si talis conditio adhibeatur. Quod intelligendum est iuxta dicta in nostro opere *de iustitia* in Tract. *de contractibus in genere* qui est tertius in ordine & primus secundæ partis *dub.12.num.221. & seqq.* vbi egimus de contractu sub impossibili conditione. Matrimonium autem in sui fauorem hoc speciale habet, quod ex statuto Ecclesiæ ab eo reiiciatur impossibilis conditio, ac proinde eâ adiectâ contractus, qui aliàs irritus esset, propter vim conditionis impossibilis adiectæ, relictus suæ naturæ; iuris fauore manet validus propter reiectam talem conditionem.

Sanchez.

179. *Tam in interno quam in externo foro vim habet ea textus decisio.*

Rectè etiam docet Sanchez prædictam decisionem capitis finalis citati non solùm in externo, sed etiam in interno foro conscientiæ habere locum; quando contrahentes incerti sunt, ac dubij, an oppositam habuerint intentionem. Legatur idem Auctor *nu.*20.

Sanchez.

180. *Dictum quoddam Hurtadi pro consilio admittitur & praxi consulenda.*

Illud tandem obseruat Hurtado *difficil.*10. *num.*43. quòd quamuis in dubio, an conditio impossibilis fuerit apposita seriò? vt ab eâ dependeret consensus, in foro exteriori, præsumatur non fuisse seriò appositam, sed valere cõtractum, quasi non esset apposita; nihilominùs in foro interno conscientiæ non esse sic procedendum in omnibus, quoad praxim; sed ita procedendum esse, ac si fuisset seriò apposita, quantum ad vsum coniugalem, ita, vt non copulentur, nisi priùs renouent consensum, ne se exponant periculo accedendi ad non coniugem. Quæ doctrina pro praxi, &, vt tale consilium detur coniugibus, omninò mihi placet; tamen suppositâ probabilitate doctrinę supra traditæ, quòd scilicèt in casu dubij etiam in foro interno iudicandum sit valere matrimonium, & habendam conditionem pro non adiectâ, non est improbabile, posse licitè copulari, non renouato consensu, sufficit enim, quòd probabiliter credant validum esse coniugium priùs factum. De quo rectè notat Perez *supra nu.*13. eodem modo esse dicendum de foro interno, vbi forum externum non nititur falsæ præsumptioni, vt contingit in hoc casu, in quo lex non nititur in solâ præsumptione; sed argumento probabili, quod argumentum valet etiam in foro interno, atque adeò licebit probabiliter iudicando fuisse verum matrimonium, etiam ad copulam accedere. Sed cùm tutius sit renouare consensum, ita consulendum est, cùm facilè possit fieri, etiam sine Parocho & testibus supposito præcedenti contractu facto coram illis. De vltimis verò voluntatibus an ibi conditio impossibilis habeatur pro non adiectâ, & quo iure diximus *in nostro opere de iustitia lib.2. tract.3.* qui est *de contractibus in genere disput.vnicâ num.221.& 222.& seqq.* Alia, quæ ad hanc rem pertinent dicemus per occasionem in sequentibus.

Perez.

An hoc sicut in matrimonio habeat locum in vltimis voluntatibus? Remissiuè.

DVBITATIO XIV.

An conditio turpis habenda sit pro non adiecta?

181. *Quæstio est de eâ turpi, quæ non sit contra substantiam matrimonij.*

QVòd conditio turpis, quæ est contra substantiam matrimonij illud irritet, vidimus *dub.*11. Nunc verò solùm disputamus de conditione turpi, quæ non sit contra substantiam illius; vt, si quis dicat contraho tecum, *si furtum commiseris, vel Patrem occidas.*

182. *Assertio 1.*

Asserendum est primò, si consensus contrahentium detur, dependenter à tali conditione, atque adeò seriò apponatur conditio, contractus non valebit, nisi post euentum conditionis, neque in hoc Ecclesia potest supplere consensum contrahentium iuxta doctrinam generalem, quòd matrimonium fieri non possit absque consensu contrahentium. Quâ de re diximus *disp.2.dub.6.* Hanc assertionem docent Valentia *disp.10.q.3.puncto 3.* Molina *tract.2.disp.208.* Sanchez *lib.5.disp.15.in principio,* & alij citati *dub. præcedenti* pro nostrâ sententiâ, quos ideò non refero, quia res est, & clara, & recepta.

Valentia. Molina. Sanchez. *Alij citati.*

183. *Præcipua difficultas est in intelligentia textus dub. præcedenti citati.*

Præcipua in hac re difficultas est, sicut & in *præcedenti dubit.* circa intelligentiam textus capitis finalis *de condit.appos.* vbi verbis relatis eâdē dub. præcedenti Pontifex non solùm conditiones impossibiles; sed etiam turpes reiiciendas decernit.

184. *Assertio 2. Probatur assertio sicut similis doctrina dub. præcedenti.*

Asserendum est 2. in dubio de intentione standum esse præsumptioni fori externi, & definitioni Ecclesię. Quæ doctrina consonat cum iis, quæ diximus *dub.præcedenti,* & eodem modo probatur; in prædicto autem textu, si non probatur in foro externo consensum fuisse alligatum ad euentum conditionis, sed res est dubia; fauore matrimonij censetur conditio pro non adiecta, sicut dictum est de conditione impossibili; nisi quòd, faciliùs præsumitur consensus datus dependenter ab euentu conditionis turpis; quàm datus dependenter ab euentu conditionis impossibilis. Sed de signis dignoscendi, quando consensus alligetur conditioni impossibili, vel turpi dubitatione sequenti dicemus. Ita citati Auctores.

Sed non videtur omnino obligare supposito valore in foro etiam interno.

Citati auctores consentiunt in hoc.

Circa

Circa rationem, ob quã Ecclesia præsumat, non fuisse serio positam conditionẽ, non cõsentiunt. Sanchez.

Circa rationem verò, ob quam præsumat Ecclesia in prædicto textu conditionem turpem non fuisse seriò positam, atque adeò habendam esse pro non adiectâ, non eodem modo philosophantur Doctores, vt videre est apud Sanchez *suprà num.*3. & alios citatos.

186. *Assertio 3. continens veram rationem præsumptionis illius. Colligitur ex iure Canonico.* Sanchez. Sotus. Greg. Lop. Palatios. Henriq. Perez.

Asserendum verò est tertiò, veram rationem esse, quia conditio ad peccandum incitat. Quare perinde censetur ac si esset impossibilis; id enim possumus, quod iustè possumus *L. Nepos Proculo* 125. *ff. de verbor. signif.* ita Sanchez *suprà num.*4. Cum Soto Gregorio Lopez, Palatios, & alijs, inter quos Henriquez *lib.*11. *de matrimon. cap.*12. Perez *disp.*16. *sect.*9. *num.*3 & 5.

187. *Non reijcitur conditio turpis de præsenti aut præterito. Ratio. D. Thom. Paludan. Adrianus. Palatios. Henriq. Perez. Ludou. Perez. Sanchez cũ multis cõtra*

Ex quo rectè infert Sanchez, non reiici conditionem turpem de præsenti, aut præterito, vt *contraho tecum si es inimica Petri, vel hominem occidisti*, quâ verificatâ valet matrimonium, quia non inducit ad aliquid turpe faciendum; sed supponit iam factum. Ita D. Thomas *in* 4. *dist.* 29. *quæst. vnicâ art.*3. *quæstiuncula* 3. Paludanus ibidem *quæst* 2. *art.*5. Adrianus *in* 4 *quæst.*3. *de matrimon. dub.*9. Palatios *lib.*5. *de contractib. cap. vltimo* Henriquez *lib.*11. *de matrimon. cap.*12. Perez *supra num.*7. Ludouicus Lopez 2. *p. instructorij noui in materia de matrimonio c.*42. *in fine.* Legatur Sanchez *supra num.*5. vbi plures alios refert contra Victoriam.

188. *Requiritur vt contrahentes sciant conditionem esse turpem.* Sanchez. Perez. *Ratio. Item vt sciant esse reiectam à iure. Constat ex dictis in simili dub. precedenti. Limitatur.*

Rectè etiam docet idem Sanchez *num.*7. Perez *num.*6. vt conditio turpis habeatur pro non adiectâ, requiri vt contrahentes nõrint conditionem esse turpem; nam, si crederent esse honestam, non reiiceretur, sed sortiretur naturam aliarum conditionum honestarum, vt eâ impletâ, & non aliter obligatio, siue matrimonij siue sponsalium consurgeret. Item requiri vt nouerint eam conditionem esse reiectam à iure, & habitam pro non adiecta, vt cum ipsi diximus *dub precedenti* de conditione impossibili; quia eodem tenore reijciuntur conditiones turpes, & impossibiles. Vnde eo ipso quòd Ecclesiæ constet contrahentes nosse conditionem esse turpem & à iure reiectam, præsumit Ecclesia, forumque externum contractum fuisse absolutum; nisi fortè tam vehementes coniecturæ probent consensum fuisse dependentem ab euentu conditionis, vt, non obstante prædictâ notitiâ, meritò credatur consensum à tali euentu pendentem fuisse præstitum.

189. *Colligitur pro hac & precedenti dubitatione standum in primis menti & intentioni contrahentium in foro conscientiæ. In dubio vero proprie dubio præsumendum conditionem non fuisse seriò adiectam & valere.*

Habemus ergo generaliter pro ductrinâ huius & præcedentis dubitationis, quod attinet ad forum internum conscientiæ, standum esse menti & intentioni contrahentium; qui, si vterque vel alteruter præstiterunt consensum dependenter à conditione, matrimonium sub cõditione impossibili erit re ipsâ nullum; sub conditione verò turpi de futuro non valere vsque ad conditionis euentum. Si verò sit dubium in foro conscientiæ, ita, vt omnibus pensatis, non sit assensus probabilis pro alterutrâ parte: præsumendum esse conditionem non fuisse seriò adiectam; atque adeò valere matrimonium. Pro foro verò externo, si constet contrahentes habuisse notitiam conditionis impossibilis, aut turpis, vt talis, & eam esse reiectam à iure, & ex alio capite nõ sit probatio quæ aliud conuincat, habendam esse pro non adiecta atque adeò contractum esse absolutum. Si autem probatio aliqua oppositum conuincat; non erit locus tali præsumptioni. Sed iudicandum esse contractũ conditionatum. De coniecturis autem sequenti *sequenti dubitatione* dicemus. Ita Sanchez Perez & alij citati.

Catera in foro externo iuxta dicta. Sanchez. Perez. *Alij.*

190. *Duo obseruanda. Alterum simile ei quod obseruabamus pro Cõsilio ex Hurtado dub. precedente.*

Duo restant obseruanda. Alterum, sicut *dubit. præced.* dicebamus; quando in foro conscientiæ dubium est; an conditio turpis fuerit apposita seriò, etiamsi Ecclesia in foro externo præsumat matrimonium ab initio fuisse absolutum, oportere nihilominùs contrahentes, antequàm carnaliter copulentur, consensum absolutè renouare, vt in simili dicebamus ibidem, ne fortè se exponant periculo accedendi ad non coniugẽ; quamuis (vt ibidem quoque diximus) cùm propter prædicta duo argumenta notitiæ scilicèt, naturæ conditionis, & legis reiicientis talem conditiõnem, etiam in foro interno præsumatur matrimonium fuisse absolutum, & validum; erit quidem sanum consilium consensum absolutè renouare, sed non videtur saltem graue peccatum, si cum tali probabili præsumptione habente locum etiam in foro interno vtantur matrimonio.

191. *Alterum obseruandũ circa conditionem* si Virginem te inuenero *quo sensu sit vel non sit turpis.*

Alterum obseruandum est conditionem, quæ solet inter turpes numerari, scilicet *si Virginem te inuenero*: esse quidem turpem, & de ipsa, vt de tali censendum, si talis inuentio, aut exploratio facienda sit carnali accessu, atque adeò habendam pro non adiectâ, nisi efficacia argumenta probent consensum præstitum ab illa dependentem. Si verò inuentio aut exploratio virginitatis sit aliâ viâ licitâ facienda, vt iudicio medicorum; tunc illa conditio non est turpis, nec contractus absolutus. Alia verò conditio turpis, quæ simul est contra substantiam matrimonij v.g. *contraho tecum si te adulterandam prostituueris* meritò censetur à Perez *num.*4. & ab alijs signum clarum, quòd consensus nullus fuerit, ideò in eo capite finali sæpe citato statuitur vitiare contractum & non subsistere consensum, quod non habet conditio turpis quidem, sed non contraria matrimonij naturæ, ideò hæc potuit haberi pro non adiectâ, & matrimonij consensum fuisse verum, quando oppositum clarè non constat, quæ disparitas maximè notanda est.

Altera conditio si te adulterandam præstituĕris *ostendit consensum nullum.* Perez. *Alij.*

DVBITATIO XV.

Quænam sint coniecturæ ad iudicandum consensum fuisse dependentem à conditione impossibili, aut turpi?

192. *Iudicio prudentis res discernenda. Signa discernendi quærimus. Primum signum satis clarum.* Adrianus. Couarruu. Ludou. Lopez. Sanchez.

QVamuis pro casu occurrenti id discernere pertineat ad virum prudentem, qui in foro externo est iudex; in interno verò vir doctus, & prudens: placet tamen breuiter aliquid in particulari notare. Primò; quando sic contrahens expressit nolle se aliter consentire, nisi eâ conditione eueniente; tunc satis clarè expressit suam intentionem. Ita Adrianus *in* 4. *q.*3. *dub.*6. Couarruuias 4. *Decretal.* 2. *p. cap.*3. §. 2. *n.*5. Ludouicus Lopez 2. *p. instruct. noui in materia de matrimonio c.*43. Sanchez *lib.*5. *disp.*3. *n.*17.

Secun-

193. *Secundum signum.*

Secundò; si magna sit disparitas inter contrahentes, conditio impossibilis adhibita vehementem ansam præsumendi præbet matrimonium ioco fuisse contractum, & non fuisse voluntatem absolutè, & seriò contrahendi. Ita Ludouicus Lopez *suprà*. Sanchez *suprà*. Et verò hæc disparitas semper solet indicare dissensum, nisi aliunde satis constet consensus contrahentis iuxta doctrinam datam *disp.1.dub.10.* & *duabus sequentibus*.

Ludou. Lopez. Sanchez.

194. *Cõfirmatur ex communi modo agendi hominum contrahentium sub his conditionibus.*

Sanè, si spectemus communem modum agẽdi inter homines, qui similibus conditionibus contrahunt; quod attinet ad conditionem impossibilem iam *dub.13.* indicauimus, talem impossibilem conditionem solere homines apponere ad significandum dissensum; ideoque facilius esse præsumere dissensum absolutũ; quoties talis conditio apponitur. Nam vnus ab altero rogatus dare aliquam rem, perinde est, si dicat *eam tibi dabo, si mihi adduxeris vnam ex septem capellis cœlestibus*, ac si dicat *nolo dare*. Sic ergo in matrimonio, si vnus petat ab altero, vt secum contrahat, & dicat *contraho tecum, si calum digito tetigeris*; pronum omnino est iudicare illum esse merum dissensum; atque adeò, si miraculosè contingeret, vt conditio alioquin naturaliter impossibilis impleretur; non censebitur validus contractus matrimonij. Vnde, si quis dicat alteri petenti, vt secum contrahat, saltem in gratiam patris iam mortui, qui id volebat *contraho tecum, si pater resurgat*, satis significat se nolle contrahere. Quapropter, etiamsi miraculosè resuscitaretur pater precibus alicuius Sancti, adhuc contractus ille, siue matrimonij, siue sponsalitius nõ subsisteret, quia prædicta verba, & qui protulit illa non significârunt consensum adhuc conditionatum, & dependentem à tali conditione; sed absolutum dissensum; censetur enim per appositionem conditionis impossibilis voluisse dissensum significare.

195. *Turpes conditiones solent adiici animo vt impleantur. Conditionatus tunc cõtractus est.* Henriq. Sanchez.

Quod verò attinet ad conditionem turpem iuxta frequentem vsum turpes conditiones solent adiicere homines eo animo, vt impleantur. Quare contractus erit tunc verè conditionatus, & nec contractus matrimonij, nec sponsalitius communiter obligabit, nisi impletâ conditione. Ita Henriquez *lib.11.de matrimonio cap.12.num.6.* & cũ eo Sanch. *disp.15.n.1.* Hâc ratione potest cõmuniter intelligi cõtractus sponsalitius verè cõditionalis, aut etiam matrimonij, si quis dicat contrahò tecum, si mihi priùs tui copiam feceris; ad id enim solent eiusmodi homines talem inire contractum, vt conditio reuera impleatur, imò vt eâ promissione, seu pactione altera femina consentiat. Vnde, quando materia talis est, & impletio conditionis sequitur: etiam in foro externo præsumendum est contractum esse validum, & ab initio ante impletam conditionem non debet præsumi contractus absolutus neque conditio haberi pro non adiecta, quin potius omnino consensum fuisse dependentem à conditione.

196. *Aliquando conditio turpis denotat dissensũ.*

Quamuis autem prædicta vera sint, aliquando ipsa appositio conditionis turpis est signum sufficiens dissensus. Hâc ratione potest absolutè dissensus censeri, & nullo modo consensus adhuc conditionatus, *si* quis feminæ alioquin honestæ, & timoratæ conscientiæ, ex parte cuius offertur matrimonium, dicat: *contraho tecum, si mihi priùs per mensem tui copiam feceris*. tunc enim probè sciens feminam pudicam & honestam nullo modo tali conditioni assensuram, perinde est pensatis circumstantiis eam conditionem opponere, atque velle dissentire. Vnde prudens rerum æstimator non debet eum contractum verè conditionatum existimare; neque etiam absolutum ita, vt conditio habeatur pro non adiecta, quin potiùs idem erit talem conditionem apponere, atque contrarium reiicere. Verum hæc, & similia iudicio prudentis expendenda sunt.

Omnia talia iudicio prudentis discernenda

Iam verò ad doctrinam conditionis appositæ, sponsalibus applicandam veniamus, cuius rei disputationem in hunc locum reiecimus *disp.1.dub.43.in fine*.

197. *De sponsalibus sub conditione iam agendum.*

DVBITATIO XVI.

Quam vim habeant sponsalia conditionata?

198. *Conditio futura contingenter & fallibilis non impedit vim contractus.*

COnsentiunt Doctores sponsalia sub conditione de futuro contingenti fallibili non impedire valorem matrimonij posteà contracti cum altera persona, sicut, neque sponsalia absoluta. Contractus enim sponsalitius non transfert dominium, sicut transfert contractus matrimonij, consonatque hæc doctrina cum dictis *disp.1.dub.37.* vbi disputauimus, an dissoluãtur sponsalia per matrimonium subsequẽs cum aliâ personâ. Quia tamen contractus Sponsalitius inducit obligationem expectandi euentum conditionis; ideò, qui post talem contractum contrahit matrimonium cum aliâ personâ, peccat; irrogat enim iniuriam sponsæ, aut sponso, cum quo conditione iniit sponsalia; qui iam habet aliquod ius ad rem, licèt imperfectum. Quamuis autem non habeat vim impediendi matrimonij valorem posteâ initi; habet nihilominùs vim impediendi similem contractum conditionatum sponsalitium posteà factum cũ altera personâ; non tantùm, quando posterioris conditio non impletur, aut; quando impletur quidem; sed post impletionem prioris (in his enim omnibus casibus certissimum est non præualere;) sed etiam quando conditio posterioris priùs impletur. Ita Sanchez *lib.5. disp.8. num.18.* Coninc *disp.29.dub.1.* Basilius *lib.3.cap.13.* Perez *disp.12.sect.1.num.3.& 4.* & alij multi. Ratio verò est, quia prior contractus etiam ante euentum conditionis suæ inducit obligationem expectandi euentum conditionis, quæ non est minor, quàm obligatio absoluta contrahendi matrimonium (quam obligationem contractus ipse posterior, aliàs ex se potens est inducere impletâ suâ conditione) vtraque enim obligatio tantùm est promissoria, vtpotè orta ex contractu promissionis non transferente dominium. Ac proinde etiam habet vim impediendi valorem absoluti contractus sponsalitij posteà facti. Vnde à fortiori contractus sponsalitius prior impedit valorem posterioris sub conditione, quando impletio conditionum vtriusque simul contingit. Atque in hunc locum reiecimus,

Sanchez. Coninc. Basilius. Perez. *Alij multi. Ratio.*

An sit idem iudicium de duobus matrimoniis conditionalibus; atque de duobus sponsalibus.

mus, *dub.*8. huius disputationis *num.*116. decernere; an sit eadem ratio de duobus contractibus matrimonij conditionalibus? Circa quod Sanchez (vt ibidem quoque retulimus) putat priorem contractum prævalere, quando conditio posterioris priùs, aut simul impletur, sed prævalere tantùm in ratione promissionis non in ratione contractus; quia prior in ratione cõtractus destruitur, & consequenter putat ex priori non oriri impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex contractu sponsalitio.

Sanchezij sententia.

199. *Difficilis ea sententia, oppositumq; probabilius.* Hurtadus. Coninc. Basilius. Perez. *Alij.* *Ratio.*

Verùm, vt loco notato diximus, hæc doctrina satis difficilis est, & iuxta ibi dicta existimo cum Basilio, Coninc *disp.*29.*dub.*1.*num.*21. Hurtado *disp.*7.*diffic.*12. *num.*48. & 49. Perez *supra num.*6. *& seqq.* & aliis in contrarium sentientibus obligationem esse ex contractu, quia, si prior contractus prævalet, & obligat in ratione promissionis, tantùm ex fidelitate (id enim fortè intelligit Sanchez per hoc, quod est obligare tantùm in ratione promissionis,) etiam prævalet in ratione contractus sponsalitij ex iustitiâ, quia per ipsummet priorem contractum sponsalitium collatum est ius iustitiæ sub conditione, quod semel acceptatum nequit auferre ille, qui contulit, quamuis per posteriorem contractum implerâ conditione reuocet voluntatem ob incompossibilitatem huius iam absoluti cum priori nondum absoluto à conditione, sicut nec ius iustitiæ collatum contractu sponsalitio absoluto & ab altero acceptatum potest alio contractu simili auferri, quia contractus sponsalitius vnius tantùm voluntate non dissoluitur. Quare ex priori contractu sponsalitio conditionato post impletionem conditionis orietur impedimentum publicæ honestatis, vt ijdem etiam notant contra Sanchez.

200. *Obiectio.*

Sed obiicies pro maiori explicatione huius doctrinę. Ad hoc, vt contractus, seu consensus sub conditione præstitus censeatur absolutus, posito aduentu conditionis, necesse est, vt consensus tunc moraliter perseueret iuxta dicta eâdem *dub.*8. de consensu conditionali, habito respectu ad dicta *dub.*6. sed eo ipso, quòd quis contraxit cum posteriori, reuocauit voluntatem priorem, quam habuit conditionatam, atque adeò nec physicè perseuerat, nec moraliter, ergo aduenientе conditione nullus est consensus, nec contractus, qui purificetur & purificatur; solus ergo manebit secundus consensus & contractus conditionatus initus cum aliâ personâ, atque adeò prior consensus, & contractus non valebit, etiamsi priùs purificetur eius conditio, nedùm, si purificetur posteriùs.

201. *Respondetur.*

Respondetur in contractu conditionali spõsalitio duplicem posse considerari obligationem, seu (quod idem ferè est) duplicis rei obligationem in eo inclusam. Primam absolutam, & independentem ab omni conditione scilicèt expectandi conditionis euentum; nam eo ipso, quòd quis verè sub conditione promittit, tenetur absolutè expectare conditionis euentum, nã eo ipso quòd quis promittit, tenetur non se (vt sic dicam) impossibilitare, seu impotentem reddere ad promissionem implendam pro eo tempore, aut occasione, pro quâ promisit; ergo tenetur non se implicare eo statu, quo repugnet promissionem impleri; ergo, qui conditionaliter promisit matrimonium, tenetur non inire aliud, quo inito impotens fiat ad implendam promissionem, euenientе conditione; atque hæc obligatio absoluta est, & existens ante aduentum conditionis. Altera obligatio est, quâ quis tenetur impletâ conditione posteà implere, quod fuit sub conditione promissum; atque hæc obligatio, quamuis ante impletam conditionem non existat in se, existit tamen aliquâ ratione in causâ iam sui positâ; nam ille consensus priùs sub conditione præstitus, & statim causans obligationem expectandi euentum cõditionis, semel in re exhibitus ritè, & validè, quantumuis posteà retractetur, tantæ virtutis est, vt, si non fuerit legitimè ex iustâ causâ retractatus, impletâ conditione inducat obligationem absolutam propter ius iustitiæ, quod iam ab initio cœpit causare in altero sponso, quo iure non potest spoliari per solam & meram voluntatem promittentis retractantis voluntatem priorem; sed expectandus est conditionis euentus, vt inde resultet plena obligatio, quam talis contractus causaturus est positâ cõditione. Vnde, quamuis consensus ille in se ipso non maneat, vtpotè retractatus per alium consensum posteà datum alteri in secundis spõsalibus, manet tamen in obligatione, quam iam incæpit causare dependentem à conditione, ita, vt moraliter censeatur causata dependenter à conditionis euentu, quo posito non possit non resultare talis obligatio absoluta independens iam à consensu priùs legitimè præstito sub cõditione, ita, vt, nisi per aduentum alterius potentioris causæ non possit non resultare ea obligatio; non censetur autem potentior causa solus contractus sponsalitius posterior superueniens, siue conditionalis fuerit, impletâ priùs suâ conditione, siue etiam ab initio absolutus, quia obligatio iustitiæ, tùm absoluta expectandi conditionem: tùm conditionata pendens à conditione futurâ, quam causauit prior contractus; quantumuis conditionatus non potest tolli per aliam similem posteriorem, nec purificatio conditionis posterioris facit illam potentiorem præcedenti contractu, quod me quidem iudice, efficaciter probatur. Nam contractus ille secundus ante purificatam conditionem fuit absolutè nullus, nullamque inducens obligationem, etiam illam quam induceret, si non præcessisset alter contractus. Quod sic probo, quia prior contractus legitimè, & validè initus non dissoluitur, per alium omnino similem posteriùs aduenientem; sed secundus contractus conditionalis est alteri omnino similis & posteà aduenienS. ergo, quam obligationem prior induxit, non tollit posterior, vtpotè non subsistẽs suppositо priore, qui iam præoccupauit; contractus autem & consensus ab initio non subsistens, & inualidus non potest per aduentum conditionis validus fieri; nam conditionis aduentus solùm deseruit ad purificandum contractum, qui dependenter ab illâ validè fuit initus; non verò ad purificandum contractum, qui nec sub conditione fuit validus propter alium similem præcedentem. Quod si post primum conditionalem contractum sponsalitium alius

Ratio data doctrinæ.

con-

contractus cum alterâ sponsalitius absolutus fiat, etiam nullus erit propter præsuppositam obligationem iustitię resultantem & adhuc permanentem ex priori contractu, neque secundus contractus, quantumuis absolutus censetur potentior præcedenti conditionato; quia ille præcedens conditionatus, quantumuis conditionatus causat obligationem absolutam iustitiæ non quidem immediatè contrahendi matrimonium (adhoc enim non obligat vsque ad conditionis euentum) sed expectandi conditionis euentum, quòd sanè iam est aliquod ius iustitiæ ad rem. Cùm autem secundus contractus, quantumuis valeret, non esset causatiuus iuris in re; sed iuris ad rem, vtpotè sponsalitius non matrimonialis; hinc est vt supposito iure ad rem acquisito alteri per priorem contractū, quantumuis sit ius ad rem remotum, non possit secundus contractus, quantùm est ex se causatiuus iuris ad rem, destruere ius ad rem, quia iam alia persona acquisiuit per priorem contractum. Atque hâc ratione soluta manet obiectio; dicimus enim priorem contractum, quem ad obligationem iustitiæ à se causatam, quantumuis per secundum attentetur retractari manere validum & moraliter (quantum ad obligationē expectandi euentum, vt inde absolutè compleatur obligatio ineundi matrimonij) adhuc durare, & hoc sufficit, vt secundus contractus non subsistat.

202. *Ex dictis colligitur disparitas inter cōtractus conditionatos matrimoniales & sponsalitios.*

Atque ex dictis apparet disparitas inter duos contractus matrimonij conditionatos, & duos contractus sponsalitios, quātum ad hoc, vt vnus alterum impediat, quod contractus matrimonialis conditionatus posterior, si eius conditio priùs impleatur, transit in absolutum, & præualet præcedenti adhuc conditionato, quia nimirum contractus matrimonij absolutus, qualis iam ille censetur; est potentior contractu matrimoniali cōditionato, quia contractus matrimonialis absolutus, inuoluit mutuam traditionem, & causat ius in re, cùm tamen contractus matrimonialis conditionatus, solùm causet ius ad rem, causaturus alioquin ius in re aduenientе conditione, si non adsit impedimentum pro eo tempore. Vnde mirum non est, quòd contractus ille matrimonialis absolutus, quamuis sit secundus, præualeat contra primum, quod & in alijs etiam contractibus vsu venit. Nam, si quis v.g. tibi vendat sub conditione rem aliquam, & posteà vendat alteri absolutè; vel etiam sub conditione, ita, vt posterioris contractus priùs conditio impleatur, valebit hic posterior contractus, propter acquisitum ius in re, idque verum est, quando simul sequitur rei traditio. In contractu verò sponsalitio conditionali posteriori (imò & in absoluto etiam contractu) non transfertur ius in re, neque interuenit traditio; sed tota obligatio, quam causare potest, continetur intra terminos iuris ad rem. Vnde mirum non est, quòd posterior contractus, quamuis priùs purificetur eius conditio, vel (si velis) à principio fuerit absolutus ab omni cōditione, nullo modo tollat obligationem prioris contractus adhuc conditionati, quia neutrius contractus ius, & vis transferendi ius, est ius in re, aut vis transferendi ius in re; sed tantùm est ius ad rem, & vis transferendi ius ad rem; atque in hoc prior præoccupauit locum. Alia, quæ hoc loco de sponsalibus conditionatis dici possent, communia sunt cum ijs, quæ iam diximus agentes de matrimonio conditionato maximè *dub.6.* & 8.

Explicatur doctrina in alijs contractibus.

DVBITATIO XVII.

An conditio contra substantiam matrimonij irritet sponsalia, si illis apponatur?

203. *Quo sensu conditio cōtra substantiam matrimonij, irritet spōsalia, si illis apponatur.*

QVamuis communiter Doctores doceant, conditionem contra substantiam matrimonij appositam sponsalibus ea irritare, vt testatur Sanchez *lib.5. disp.14.* id tamen ita intelligendum est, vt locum habeat, quando conditio immediatè afficit matrimonium ipsum, non verò sponsalia v.g. quando quis dicit: *promitto me tecum contracturum matrimonium, quod tantùm duret, donec inueniam aliam pulchriorem feminam; aut promitto me contracturum tecum sub conditione, quâ tenearis sterilitatem procurare*, vel *adulteram esse*. Ratio verò est manifesta; qui enim sic promittit contrahere, non promittit matrimonium possibile, ac proinde promissio vtpotè de re impossibili nulla est.

Sanchez.

Ratio doctrinæ.

204. *Quo sensu ea conditio non irritet.*

Quando autem conditio debet impleri ante matrimonium ita, vt non cadat immediatè supra matrimonium, sed supra sponsalia, quamuis eis immediatè apponatur, illa non irritat, tunc enim promittitur matrimonium possibile, & licitum, vt, si quis dicat *promitto me contracturum tecum, si alteri tui copiam feceris*. Hæc enim tanquàm exequenda ante matrimonium, illud non vitiat, & tali conditione impletâ manet obligatio absoluta contrahendi matrimonium.

Ratio.

205. *Peccabunt tunc sic contrahentes, nec tenentur exequi conditionem.*

Peccabunt quidem hoc modo contrahentes, nec tenentur ad huiusmodi conditiones exequendas, & si alioquin physicè possint, si tamen (quantumuis peccando) sequantur, adimplere matrimonium promissum obligat. idque praxis etiam, & communis sensus declarat. Sicut enim, si contingat virum promittere feminæ matrimonium sub conditione, *si iam tunc sui copiam ipsi faciat*. quia conditio, licèt turpis, non est cōtra matrimonij substantiam (vt sequenti dubitatione ampliùs declarabitur) valet promissio, ita, si promittat sub conditione, *si faciat sui copiam alteri*. quia conditio non est contra substantiam matrimonij, cùm ipsum matrimonium antecedat talis conditionis positio; valebit promissio conditionalis. Illam verò conditionem, quam aliqui afferunt in exemplum, sub quâ, si impleatur, obligent sponsalia, scilicèt, si sterilitatem procures, seu pharmaca, quibus sterilis efficiaris sumas, meritò Sanchez *lib.5. disp.14. num.3. in fine* & illum sequutus Perez *disp.12. sect.2. n.701.* Censent vitiare sponsalia, etiamsi implenda sint ante matrimonium; quia per eam conditionem obligaretur contrahens ad aliquid, quod sit contra bonum prolis, quod per matrimonium intenditur, quamuis enim ea conditio ante matrimonium executioni mandetur, tangit nihilominùs matrimonium in futurum, & destruit bonum prolis. Alia quæ

Conditio procurandi priùs sterilitatem quomodo vitiet sponsalia, etiam impleta ante matrimonium.

Sanchez. Perez.

circa

circà hanc rem ab aliis dicuntur, facillima sunt, & in dictis, & dicendis continentur.

DVBITATIO XVIII.

An conditio vel impossibilis, vel turpis appositа sponsalibus habenda sit pro non adiecta.

206. *Assertio.* Asserendum omnino est sponsalibus adiectã conditionem impossibilem, aut turpẽ haberi pro non adiecta, ac proinde spõsalia sub vtrâuis illarũ conditionum cõtracta statim esse absolutè valida, perinde, ac si non fuisset conditio apposita. *Communis sententia. Ratio.* Est communis sententia Doctorum, cuius ratio est, quia sponsalia sunt initium quoddam matrimonij, ac proinde quòd dispositum est in matrimonio, censetur dispositum in sponsalibus *leg. oratio* ff. de sponsalibus.

207. *Non nimis vrgeret ea ratio secundum se spectata, nisi adiungeretur communis intelligentia textus extendendi ad sponsalia.* Hanc rationẽ secundùm se spectatam meritò putat Sanchez *lib.5.disp.17.n.2.* non nimis vrgere, & facilè dilui posse, sed adiunctâ cõmuni omnium Doctorum intelligentia illius sæpè citati *c. finalis de conditionibus appositis* magnam vim habet; nam Doctores putantes, quod ibi decisum est, etiam habere locum in sponsalibus, satis probant sic fuisse receptam illam legem ab initio, vt etiam ab sponsalibus reiiciantur conditiones turpes. Hâc ratione multi, quos refert Sanchez *lib.5. disput.16. num. 5. 6. & 7.* docent valere contractum, si quis dicat: *Contraho tecum si mecum coieris.* intelligendo de coitu turpi ante matrimonium, vel, *si te inuenero Virginem*, intelligendo etiam per medium illicitæ copulæ, ita, vt tunc conditiones habeantur pro non adiectis & contractus censeantur absoluti. Idem docent D. Thomas *in 4. dist. 27. quæst.2.art.1.* D. Bonauentura, Richardus, D. Antonin. & alij multi, quos refert idem Sanchez *citato num.2.*

208. *Quo sensu habenda sint conditiones pro non adiectis.* Quando autem dicimus habendas esse pro non adiectis, philosophandum est, & intelligendus Textus eo modo, quo tàm pro foro interno, quàm externo de conditione impossibili aut turpi appositâ matrimonio philosophati sumus *dub.13.& 14.*

209. *Explicatur amplius iuxta data principia.* Habebit autem locum in præsenti materiâ doctrina, quando promissio fuerit de contrahendo matrimonio sub conditione impossibili, aut turpi ipsi matrimonio apponendâ, sub conditione (inquam) apponendâ ipsi contractui matrimonij, ita, vt promissio sit de matrimonio ineundo sub tali conditione, dummodò ex alio capite non constet promitti matrimonium sub tali conditione ipsi seriò apponenda, tunc enim non habetur conditio pro nõ adiecta, neque est locus probabili præsumptioni, aut iudicio, quod contrahens non præbuerit consensum dependenter à tali conditione, vt locis citatis latiùs explicuimus.

210. *De casu quo cadunt immediatè supra sponsalia, non omnes consentiunt.* Vtrùm autem, quando cadunt immediatè supra sponsalia, & ipsis immediatè apponuntur, vt, quando dicitur, *contraham tecum, si mecum fornicaris*, aut *si calum digito tetigeris*, habendæ sint conditiones prædictæ pro non adiectis? non omnes consentiunt?

211. Rebell. q.10. sect.5. & aliqui alij contra Sâchez negant, quia *in dicto c. finali*, quando dicuntur eæ conditiones habendæ pro non adiectis, tantùm est sermo de eis, quando immediatè apponũtur matrimonio, quòd extendi non debet ad spõsalia, sicut neque dispositio Tridentini irritans matrimonia clandestina, extenditur ad sponsalia. Quæ doctrina probabilis est. *Negant aliqui habendas pro non adiectis. Rebellus. Aliqui alii. Ratio. Probabilis est hæc sententia.*

Nihilominus; quia Doctores supra citati non loquuntur tantùm de conditione appositâ ipsi matrimonio; sed de conditione appositâ contractui sponsalitio, vt manifestè legentibus constabit, maximè in exemplis, quæ adducunt, & ex intentione ipsorum, qui doctrinam datam in matrimonio intendunt sponsalibus applicare; ideò probabiliùs existimo prædictum Textum *cap. finalis* ab initio fuisse intellectum ita, vt fauore matrimonij conditio impossibilis, aut turpis habeatur pro non adiecta etiam in contractu sponsalitio, nisi aliud constet satis de mente contrahentium, cùm nouerint prædictam legem Ecclesiasticam sic disponentem, & aliæ circumstantiæ concurrant iuxta doctrinam datam prædictis dubitationibus 13. & 14. 212. *Probabilius est etiam habere locũ in sponsalibus. Communis sententia.*

Neque argumentum petitum à simili de lege irritante clandestinum matrimonium non trãsferenda ad clandestina sponsalia vim vllam habet: tum; quia communis sensus Doctorum, & Ecclesiæ illam Tridentini legem pro clandestino tantùm matrimonio recepit, & intellexit: tùm, quia inconuenientia, quæ timebat Tridentinum, & vitare voluit irritando clandestinum matrimonium, non sunt æquè timenda in sponsalibus. In nostro autem casu matrimonij fauor, quem Pontifex *c. illo finali* intendebat, dum dixit conditiones turpes, aut impossibiles appositæ matrimonio *debent propter fauorem eius pro non adiectis haberi* æquè locum habet in sponsalibus. 213. *Respondetur argumento à simili de lege irritante clandestinum.*

Vnde sponsalia contracta sub conditione impossibili immediatè afficiente illa statim (saltem in foro exteriori) valebunt, quando concurrunt circumstantiæ persuadentes consensum non fuisse præstitum dependenter à conditione; tunc autem immediatè non valebunt, quando circumstantiæ persuadeant conditionem fuisse seriò appositam, vel absolutè de animo contrahentium constet. In dubio verò præsumendum est pro contractu, quia sic voluit ius propter fauorem matrimonij. 214. *De sponsalibus sub conditione impossibili immediate afficiente ipsa sponsalia.*

Quod attinet ad sponsalia contracta inter inhabiles ad matrimonium sub conditione, *si Papa dispensauerit*, philosophandum est iuxta dicta in hac disputatione de matrimonio inito sub eâdem conditione *dub.7.n.82.* remissiuè ad dicta de sponsalibus *disp.1.dub.38.* Vnde valebit contractus, quando Papa solet in impedimento dispensare, vt rectè contra Sotum probat Sanchez *lib.7.disp.5.* cum quo diximus eam conditionem, quamuis pendentem ex arbitrio Principis censendam esse possibilem eo ipso, quòd Princeps valeat dispensare. 215. *De sponsalibus inter inhabiles sub conditione. si Papa dispẽsauerit.*

De illâ etiam conditione, *Si patri placuerit*, philosophandum est in sponsalibus, sicut in simili conditione appositа matrimonio, de quâ diximus *dub.4. & 5.* & iuxta eandem doctrinã discernendum est, quando censeatur conditio 216. *De sponsalibus sub conditione, si patri placuerit.*

Consentiunt Auctores supra relati.

subsistere, vel deficere, est enim eadem ratio pro sponsalibus. In hac doctrinâ huius dubitationis consentiunt Auctores, quos retulimus locis citatis pro nostra sententia, quia eodem modo loquuntur in sponsalibus & in matrimonio.

DVBITATIO XIX.

Quam vim habeant tempus, demonstratio, causa, vel modus?

217. *Quando dicatur adhiberi tempus?* *Quando demonstratio?* *Quando causa?* *Quando modus?*

TAm in matrimonio, quàm in sponsalibus adhiberi possunt tempus demõstratio, causa, & modus. Tunc adhibetur tempus, quando tẽpus designatur, vt habeat vim contractus, vt cùm quis dicit. *Accipio te in vxorem à crastino die,* vel *in crastinum diem.* Tunc verò fit cum demõstratione, quando denotatur aliqua qualitas personæ, cum quâ contrahitur, vt *contraho tecum, quæ es virgo,* vel *quæ es diues.* Tunc verò fit cum causâ, quando explicatur motiuum contrahendi, vt *contraho tecum, quia es pulchra,* vel *diues,* vel *virgo.* Tunc verò fit sub modo, quando in contractu adiicitur aliquod onus, vt *duco te, vt mihi inseruias.*

218. *Colligitur discrimen inter prædicta ex vnâ parte, & inter conditionem & tempus futurum ex aliâ.*

Ex his patet discrimen inter causam, demõstrationem, modum ex vnâ parte, & inter conditionem, & tempus futurum ex aliâ; quòd conditio futura propriè sumpta, atque etiam tẽpus suspendunt contractũ vsque ad euentũ cõditionis, vel temporis. Demonstratio verò, causa, & modus non suspendunt; nisi fortè aliquando per accidens interueniente aliquo impedimento dirimente, vt, quando quis contrahit cũ aliquâ, quam putat esse liberã, & tamen est serua; tunc enim si dicatur: *contraho tecum, quæ es libera,* vel *quia es libera,* saltem suspenditur contractus, donec libera sit, vt inferiùs explicabimus, vel potiùs est nullus contractus. Item, si dicatur: *contraho tecum, vt sumas venenum sterilitatis,* & legi potest Sanch. *lib.* 5. *disp.* 19. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *quæst.* 3. *puncto* 3. Coninc *disp.* 29. *dub.* 4. Rebellus *lib.* 2. *q.* 12. Videnda etiam sunt, quæ diximus *in nostro opere de iustitia lib.* 2. *Tract.* 3. *disp. vnicâ dubitat.* 12. agentes *de contractibus in genere*, vbi *de diuersitate causæ,* conditionis, demonstrationis, & modi, quę solent adhiberi contractibus, latè disputauimus.

Sanchez. Valentia. Coninc. Rebellus.

219. *Circa Tempus. An tempus appositum suspendat cõtractum? Sanchez videtur negare. Probat.*

Hoc supposito circa tempus matrimonio appositum v.g. *duco te in vxorem in crastinum.* Sanchez videtur negare suspendi contractum *lib.* 5. *disp.* 19 *num.* 11. Probat verò, quia licèt dies assignata cum aliquâ voluntariâ conditione, quæ possit euenire, & non euenire suspendat obligationem, quia tempus cũ illâ conditione adiectâ non est necessariò venturũ vt *lego tibi pro sequenti anno si vixeris ducatos centũ* quam conditionem liberè posuit legans, non est tempus necessariò euenturũ sub illâ vitæ legatarij conditione, quia potest non viuere legatarius, quando veniat sequẽs annus. Si tamen solùm fiat *lego tibi pro sequenti anno centũ*, cum illud tempus necessariò sit venturũ, obligatio non suspenditur, sed statim vim habet, licèt non soluendi statim, sed aduenientе anno. Sic ergo putat, quãdo quis dicit *duco te vxorẽ in crastinũ* non suspẽditur contractus, quia dies crastina absolutè necessariò est futura, & licèt ibi intelligatur conditio, *si vixeris* tamen ea conditio in matrimonio necessaria est, & nõ liberè posita, sicut in legato, quia etiamsi mortuus esset poterat legari, vt ad hæredes transiret. Ideò putat Sanchez non suspendere sed statim valere, Coninc verò, & Hurtado apud Perez, qui eos refert & sequitur probabilius sentiunt sicut & alij Doctores suspendere matrimonium vsque ad illud tempus; eo verò tẽpore aduenientе, si consensus non sit reuocatus, neq; adsit aliud, quod impediat, statim matrimonium valere absque nouâ repetitione consensus quod intellige iuxta dicta de conditione cum multis *dub.* 6. Ratio est, quia tempus ad id ponitur, vt vsque ad illud suspendatur id, cui tempus apponitur, & tempore aduenientе incipiat valere, & sensus est *ex nunc volo & consentio, vt cras incipias esse mea vxor,* idque potest sic fieri ex voluntate contrahentium.

Alij putant suspendere contractum probabilius. Coninc. Hurtado. Perez. *Alij. impleto verò tempore, si aliud non obstet statim valet.*

220. *Circa demonstrationem, & circa causã. Non irritãt, licèt falsæ, aut turpes sint. Ratio.*

Circa demonstrationem, vt cum dicitur: *contraho tecum, quæ es diues,* & circa causam vt: *contraho tecum, quia es diues.* Consentiunt etiam Doctores non irritare matrimonium, quantumuis sint falsæ, aut turpes, quia ex defectu earum formaliter, nec deficit materia substantialis matrimonij, nec consensus; non materia, quia præcisè quatenùs demonstratio, & causa non significant aliquid inclusum in materia substantiali; non consensus, quia hic non elicitur dependenter ab illis, supponimus enim non esse conditiones, sed tantùm significare iudicium, & existimationem qualitatis circa materiam, aut causæ, & motiui.

221. *Aliquando earum defectus inuoluit defectũ materiæ substantialis, & iunctè irritat.*

Dixi ex defectu earũ formaliter; nã, vt *suprà* indicabam, quando demõstratione demonstratur materia substantialis, & deficit, vt, si dicatur: contraho tecum, quia es Maria, & tamen sit Ioanna, aut *contraho tecum, quia es libera,* & tamen sit ancilla: tunc matrimonium irritum erit; non tamen præcisè propter defectum demonstrationis, & causæ, id est; quia deficit causa, & motiuum, aut qualitas, quæ putabatur adesse, sed, quia deficit materia essentialiter requisita, & status essentialiter requisitus ad matrimonium illud, quod hîc & nunc intenditur contrahi.

222. *Demõstratio & causa contra substantiam, licèt deficiãt, non irritãt; imò irritarent, si non deficerent.*

Imò omnino verum puto demonstrationem & causam contra substantiam matrimonij non irritare illud, si deficiant, alioquin irritaturas, si adessent, vt quando dicitur *contraho tecum quæ obligaris*, aut, *quia obligaris ad adulterandum*; nam huiusmodi consensus matrimonialis; quamuis ei addantur demonstratio, & causa cùm non sint conditiones, non elicitur dependenter ab illis; ac proinde illis deficientibus non deficit consensus alioquin sufficiens; illis verò existentibus, ideò impediunt valorem matrimonij, quia in altero contrahente, vt supponitur, est simul intentio se obligandi ad aliquid contra obligationem matrimonij, & ratione talis intentionis impeditur obligatio substantialis, vnde demonstratio & causa contra substantiam matrimonij, vt dicto modo impediant matrimonij valorem habendæ sunt pro adiectis; cæteræ verò etiam possibiles, & honestæ non sunt prò adiectis habendæ, vtpotè omnino impertinentes tàm ad valorem quàm ad vitium matrimonij.

Applicat hoc contra Aui matrimonij.

Circa

223. *Circa Modum. Modus non irritat aut suspendit consentiunt Auctores. Ratio.*

Circa modum etiam matrimonio appositum meritò etiam Doctores consentiunt non suspendere matrimonium, vt cum dicit *contrahо tecum, vt mihi inseruias.* Tunc enim tantùm significatur aliquid præstandum post matrimonium absolutè, & perfectè contractum.

224. *De Modo contra substantiam matrimonij an annullet contractũ.*

Tota verò difficultas est, an, quando modus est appositus contra substantiam matrimonij, illud annullet, vt cùm dicitur *duco te, vt obligeris ad adulterandum.*

225. *Prima sententia probabilis affirmat. Sanchez. Coninc. Alij multi apud Sanchez & Couarruu. Ratio præcipua.*

Prima sententia satis probabiliter affirmat. Ita Sanchez *lib.5.disp.19. num.5.* Coninc *disp.29. dub.4. in fine* & alij multi apud Sanchez & apud Couarruu. qui hoc etiam docet 4. *Decretal.2 part.cap.3.§.1.num.8.& 17.* Ratio verò est, quia prædicto *modo* appositio intenditur in altero obligatio contraria obligationi substantiali matrimonij in eodem: ergo non minùs irritat matrimonium, quàm conditio contra substantiam matrimonij. Omitto alias rationes, quas deducit Sanchez suprà ex aliquibus Textibus quæ multo minùs efficaces sunt.

226. *Sententia etiam probabilis negat. Sotus. Ledesma. Alii multi apud Sanchez. Perez. Hurtadus. Præcipua ratio.*

Secunda sententia negat irritare matrimonium. Ita Sotus in *4.dist.29.quæst.2. art.1.* Petrus de Ledesma *de matrimon. quæst.47. art.5. dubit.3.* in fine & alij multi apud Sanchez *supra num.4.* quibus adde Perez *disp.16.sect.15.num.14.* Vbi refert etiam Hurtadum. Præcipuum fundamentum est, quia consensus, cui additur modus, non elicitur dependenter ab ipso modo, cùm non sit conditio, ergo non elicitur dependenter ab aliquo quòd sit contra substãtiam matrimonij.

227. *Occurritur obiectioni quæ posset fieri.*

Quamuis autem, qui apposuit dictum modum, intendat in altero obligationem contrariam obligationi substantiali matrimonij, quæ oriatur in altero; hæc intentio non impediet in illo oriri substantialem obligationem matrimonij, neque inualidabit consensum ex parte suâ; quia nimirum non elicit illum dependenter ab eo modo, cùm modus ille non sit conditio; sed tantùm modus. Et quamuis etiam in altero futura sit intentio se obligandi ad contrarium substantiæ matrimonij: nõ frustrabit alteram intẽtionem se obligandi obligatione substantiali matrimonij; quia hæc obligatio præsupponitur iam ad eam intentionem obligationis ad præstandum oppositum substantiæ matrimonij, & consequenter etiam obligatio substãtialis orta necessariò ex eâ intẽtione; sicut intentio contractus, & eius obligatio præsupponuntur ad intentionem obligationis modo ipso significatæ; quia intentio, & obligatio modalis annectuntur, & superadduntur contractui, cui apponitur modus; præsertim quòd dicta intẽtio obligationis ad oppositũ substãtiæ matrimonij potest non esse in altero adhuc absque præiudicio valoris consensus ipsius, & consensus apponentis modũ; quia neuter elicitur dependenter ab eo modo cùm non sit conditio. Ex quo fit quemcumque modũ siue honestum, siue turpẽ, siue possibilem, siue impossibilem, siue contra substantiam matrimonij, siue non contra illam haberi pro non adiecto, quantum ad valorem, aut nullitatem matrimonij.

228. *Vtraque sententia problematicè defendi posset. Libentius prima.*

Hęc etiam secunda sententia satis probabilis est. Vnde vtramque sententiam problematicè defendere pronũ mihi esset & facile. Nihilominùs nonnihil propẽdeo in primam sententiam.

229. *Pro explicatione illius supponendũ id quod vtraque admittit & meritò.*

Quod vt explicem suppono id, quod in vtraq; sententia imò absolutè admittẽdum est, scilicèt neutrius contrahentium consensum debere aliquid intendere, quod sit contra substantiam matrimonij. Vnde, sicut contra substantiam matrimonij est ipsum velle se obligare ad adulterandum, ita etiam contra substantiam matrimonij est velle vt alter se obliget ad adulterandum; vtrumque enim est contra bonum matrimonij scilicèt, fidem, aut etiam prolem. Vnde, qui vult contrahere matrimonium cum altero in quo oriatur obligatio adulterandi, non habet voluntatem essentialiter requisitam ad matrimonium; quia habet & respicit pro materiâ & consorte illum, qui sit obligabilis ad adulterandum; nisi enim haberet intentionem respicientem illum, vt talem, non censeretur apponere talem modum seriò, & verè. Nam, qui seriò, & verè talem modum apponit, vult, vt talis obligatio resultet post contractum, ergo talem respicit personam, & intendit contractũ, quo posito, talis possit obligatio resultare; atque adeò habet intentionem contrariam substantiæ matrimonij; talis enim obligatio marrimonio essentialiter repugnat.

230. *Quid dicendum circa prædicta si apponantur in sponsalibus.*

Ex dictis circa tempus, demõstrationem, causam & modũ in contractu matrimonij breuiter colligitur; quid dicendũ sit circa eadem in spõsalibus, spectatâ naturâ sponsalium; est enim, quantùm adhæc eadem ratio. Vnde illud in particulari notandum occurrit, quòd, quãuis ex defectu demonstrationis, causæ, aut modi sponsalia, quandoque dissolui possint, vt, quãdo ignoratur defectus aliquis adeò notabilis, vt promittens, si illũ sciret retraheretur ab spõsione iuxta dicta *disp.1.dub.40.* nihilominùs non redduntur nulla, aut (vt potiùs dicã) dissolubilia sponsalia ex defectu prædictorum, demonstrationis scilicèt, causæ, & modi formaliter nẽpe; quia ea sunt apposita & deficiũt; sed; quia reuerà est notabilis mutatio, saltẽ de nouo cognita) ex parte spõdentis, qui, si eam nosset, nõ sponderet iuxta ibidem dicta. Vnde etiam si talis demõstratio causæ, aut modi nõ apponerentur, & alioquin deficerent, spõsalia fierẽt dissolubilia propter notabilẽ defectũ de nouo aduenientem, aut de nouo cognitum. Pro maiori intelligentia eorum, quæ in hac dubitatione dicta sunt, legi possunt, quæ diximus in nostro opere de iustitia & *iure lib.2. tract.3.disp.illâ dub.12.n.169.& seqq.*

DVBITATIO XX.

An & quatenus valeat conditionalis licentia assistendi matrimonio?

231. *Quid in hoc videatur extra controuersiam.*

SVpra *disp.3. dub.17. in fine* remisimus in hunc locum agere de hac re, vt omnia, quæ ad actus & dispositiones sub conditione spectant sub vnâ disputatione explicaremus. Atq; in primis illud videtur extra cõtrouersiam, si ex volũtate concedentis detur ea facultas dependenter ab aliquâ, vel aliquibus conditionibus (licitis præsertim & honestis,) si hæ non seruentur, licentiam non valere. Quando autem aliunde non satis constat, an dependenter à seruandis conditionibus data fuerit ea facultas in aliqui-

Scopus præsentis dubitationis.

bus casibus, meritò quæritur vnde id prudenter & legitimè possit dignosci, & de hoc est præsens dubitatio.

232. *Duæ celebres regulæ pro eiusmodi conditionibus discernendis ex Couarruu. & Nauarro.*

Celebres sunt duæ regulæ pro eiusmodi condi ionibus discernendis, quæ vulgò circumferuntur præsertim post Couarruuiam *in c. Alma mater p.1. Paragrapho 9. num.*8. & illius Magistrum Nauarrum *in Summâ cap.27. nu.*37. Prima est, quando conditio aliqua est in iure, & sub eadem forma iuris exprimitur in concessione & in iure non est irritans actum; tunc neque ex vi concessionis factæ irritabit actum, etiamsi omittatur. Ratio est; quia, nisi aliud aliunde constet, prudenter credendum est, non aliter à concedente fuisse positam, quàm eo modo, quo posita est in iure. Secunda regula. Si conditio apposita in concessione, vel non est in iure, vel, si est, alio modo est; quàm in concessione apponitur, si non seruetur, irritat actum, nisi aliunde constet non eo animo fuisse appositam à concedente. Ratio est; quia ex vno capite verba conditionem sonant, & ex alio capite (vt supponimus) non habemus caput vnde colligamus aliter esse accipienda; sic ergo accipienda sunt.

Prima regula. Ratio. Secunda Regula. Ratio.

233. *Infertur 1. ex dictis regulis. Pro casu in quo alterutram ex duabus conditionibus omittat Sacerdos. Sanchez. Coninc. Perez. Alij plerique. Ratio. Specialis ratio pro vtroque casu omissæ conditionis.*

Ex his duabus regulis infertur primò si detur facultas assistendi matrimonio, *si præcipiat Sacerdos contrahuris, vt abstineant ab vsu coniugij ante susceptas benedictiones nuptiales,* vel *ante denuntiationes legitimè factas* (quando contractus aliquando fit ante denuntiationes) etiamsi fortè prædictas conditiones Sacerdos omittat facultatem assistendi, ipsamque assistentiam valere. Ita Sanchez *lib.3. disput.33. num.2.& 3.* Coninc *disput.27. dub.3. num.36.* Perez *disput.41. sect.4. num.3.* & alij plerique. In ijs aut similibus casibus loquentes, quos ibi refert Sanchez. Ratio ergo est, quia ij defectus in iure non irritant actum & contractum, ergo non irritabunt assistentiam iuxta primam datam regulam & quidem omissis, quæ habet Sanchez loco citato pro vtroque casu est specialis ratio. Nam, ad consilium quod attinet non consumandi ante benedictiones, res ipsa non est tanti momenti, vt iuxta veram sententiam etiamsi id fiat, sit peccatum; vel sit mortale iuxta ea, quæ diximus *disput.3. dubit. 31. numer.*335. quia Tridentinum id non strictè præcipit; sed hortatur, vt ibi dicebamus, non ergo censendum est, nisi aliunde constet eam assistentiam, aut facultatem ad illam datam fuisse dependenter à tali conditione. Quod verò ad alteram spectat, nempe monendi, ne consumment ante denuntiationes constat id nõ pertinere ad essentiam licentiæ, sed ad instructionem, vt Sacerdos nouerit, quid monere opotteat. Nam vt praxis recepta habet, quoties Episcopus dispensat, vt contractus fiat ante præmissas denuntiationes siue matrimonium sit contrahendum coram Parocho, siue coram alio Sacerdote de licentiâ Episcopi, vel Parochi præscribitur eadem instructio monendi sponsos, ne ante denuntiationes consument, & quidem eisdem verbis; nemo tamen dixerit facultatem Parocho datam esse inualidam, si non seruetur ea conditio, ergo absque fundamento id dicetur in alio Sacerdote. Confir-

Confirmatur. Sanchez. Alij.

matur, quia (vt rectè notant Sanchez & alij) abundè satisfiet tali instructioni, si post initum matrimonium moneantur sponsi, & illis proponatur ea obligatio; imò id ita fieri consueuit; signum ergo est non ita strictè accipi, vt, si omittatur, non valeat assistentia & matrimonium; quæ confirmatio etiam locum habet pro priori illa monitione non consummandi ante benedictiones nuptiales.

Valet confirmatio prę omissione vtriusque conditionis.

234. *Infertur 2.*

Infertur 2. valere matrimonium & assistentiam, si detur facultas assistendi contractui præmissis denuntiationibus, aut, si videat non esse impedimentum, ille verò non præmissis denuntiationibus, nec diligentiâ ad cauendum, ne fiat cũ impedimentis assistat matrimonio, in quo re ipsâ non sit tale aliquod impedimentum.

235. *Ratio illationis prędictæ.*

Ratio est, quia, vt constat ex primâ datâ regulâ quoties ea præscribitur instructio eodem modo, atque habetur in iure communi, non censetur concedens facultatẽ sub eâ instructione (nisi aliud apertè constet) velle exigere eam conditionem, seu cautionem alio modo, & cum maiori rigore, quàm exigatur iure communi; atqui iure communi non præscribitur cum eo rigore, vt, si omittatur non valeat actus, ergo nec cum tali rigore erit accipienda in concessione prædictæ facultatis. Consonat hoc cum doctrina *capitis significati* de *electione* vbi habetur quod nihil operatur expressio eius, quod tacitè inest. Cùm ergo etiamsi non exprimeret, qui concessit facultatem eam cautelam esse adhibendam, deberet subintelligi. quia sic est præscriptum in iure tùm *cap. finali* de clandestinâ desponsatione, tùm in Tridentino *sess.24. cap.1. de matrimonio*: hinc est, vt quamuis exprimatur non ampliùs operetur, quàm id, quod intelligendum erat, etiamsi non exprimeretur; constat autem non irritari actum in prædictis iuribus, etiamsi quis eam cautelam non seruet, ergo non cum maiori rigore accipi debet, quando in concessione eadem cautela exprimitur.

Confirmatur ex textu iuris Canonici.

236. *Limitant datam doctrinam Sanchez & Perez. Et assignant casum, in quo non valeat assistentia. Probant. Ex secundâ regulâ.*

Quamuis hucusque dicta latè probet & cõfirmet Sanchez *num.4. illius disputatio.*33. & breuiùs Perez *num.4. in fine* simul tamen docent, si in commissione facta Sacerdoti dicatur *coniunge illos matrimonio, si per solertem indaginem inueneris non esse impedimentum.* Ille verò omittat talem indaginem; assistentiam in eo casu non valere, probant; quia per illa verba importatur conditio sub aliâ forma, & alio modo, quàm inest in iure communi, atque adeò reddit actum conditionalem; aliud enim est dicere, si fuerint idonei, in quo non indicitur aliquid aliud præter id, quod iure inest, aliud verò dicere per solertem indaginem. Atq; ad hoc applicant secundam regulam, quam supra assignauimus *num.*232. Ex Couarruuia, quam Sanchez approbat & ex alijs confirmat.

237. *Probabilis quidem & in praxi seruanda doctrina. Nec permittendum oppositum ob grauissima damna inde resultantia in matrimonio, Professione & similibus.*

Hanc doctrinam non possum non videre esse probabilem, & in praxi omnino seruandam, nec permittendum in recta gubernatione oppositum propter inconuenientia grauia, quæ sequi possunt, si contraria sententia ad praxim adhibeatur. Quando enim in matrimonio, Professione religiosa & similibus agitur de valore,

& sunt oppositæ probabiles sentétiæ, omnino in praxi sequenda est illa, secundùm quam valor est certus; alioquin manet aperta porta resiliendi allegando probabilem nullitatem. Vnde in præsenti casu, si aliqua facultas fuisset concessa alicui Sacerdoti assistendi sub eo præscripto, *diligentis indaginis*, & ille omisisset indaginem illam adhibere; nullo modo deberent permitti contrahentes sic manere in suo matrimonio, quantumuis sint alij doctores, qui probabiliter putent eiusmodi contractum valere. Cùm enim probabile simul sit non valere, poterunt hanc opinionem sequuti coniuges illi post longam cohabitationem separare se, & ad alias nuptias transire cum summo scandalo, & aliis innumeris difficultatibus, & periculis, quæ inde timeri possunt, nisi certò, & indubitato modo denuò contrahant.

238. *Speculatiuè tamen loquendo valdè probabilis est opposita sententia affirmans valere.* Cæterum, quamuis prædicta in praxi ita seruanda sint, non possum non videre speculatiuè loquendo, sententiam alteram quæ affirmat valere, esse valdè probabilem, si ratione simul, & auctoritate agamus. Sed antequàm ad id probandum me accingo, oportet priùs clarè notare, in quo sit posita præcisè controuersia inter vtramque sententiam, & in quo vtraque conueniat. Atque vt ab hoc vltimo incipiam; vtraque sententia libenter admittit duas assignatas regulas, adeoque iuxta primam regulam concedit, quod si id, quod tanquàm conditio, vel quasi conditio exigitur, vel videtur exigi in concessione facultatis assistendi; in iure etiam communi exigatur, non plus operabitur, siue exprimatur in ipsâ confessione, quando exprimitur; atque operaretur, si non exprimeretur; sed tantùm vim illam habebit, quam habet in ipso iure communi, vbi illa inest, & præscribitur. Quapropter, si in iure continetur quidem, sed tantum tanquàm aliquid ita præscriptum, vt, quamuis fortè non adhibeatur, & malè faciat, qui non adhibuerit; valeat nihilominùs actus; eodem modo in concessione, quando exprimitur, licèt contineatur, solùm continebitur, tanquàm aliquid ita præscriptum, vt, quamuis fortè non adhibeatur, & malè faciat, qui non adhibuerit, valeat nihilominùs actus. Vlterius vtraque sententia admittit iuxta secundam regulam, quod, si conditio appositа in concessione, aut non sit etiam in iure communi; aut, si sit, alio modo sit, quàm in concessione apponitur; tunc, si non seruetur irritet actum, & assistentia non valeat. Solùm ergo controuersia esse potest in re præsenti quando in concessione dicitur *Coniunge illos matrimonio, si per solertem indaginem inueneris non esse impedimentum.* an tunc talis conditio, aut quasi conditio reperiatur etiam eo modo in iure communi absque eo quòd eius omissio irritet actum, vt vult secunda sententia: vel an non reperiatur vel non eodem modo sit in iure, vt vult sententia prima. Si enim reperiatur in iure eodem modo, & ibi non irritet, præualebit secunda sententia: si verò vel in iure non reperiatur, vel non eodem modo, præualebit prima sententia.

Notandum huius controuersiæ punctum, in quo situm sit. Item in quo conſentiat vtraq; ſententia.

239. Iam verò, si ratione agamus (de auctoritate posteà videbimus) probabilior videtur secunda sententia, quæ affirmat valere, etiamsi non seruetur illa conditio, aut quasi conditio. In cuius sententiæ probationem, & explicationem tria mihi sunt probanda, & declaranda. Primum: eam conditionem indagandi, an sit impedimentum, reperiri in iure communi. Secundum: reperiri eodem modo, atque in verbis prædictæ concessionis, de quâ agimus, præscribitur. Tertium: talem conditionem in iure, in quo sic reperitur, non irritare valorem actus & assistentiæ. Primum probo facillimè, quia in Tridentini iure toti Ecclesiæ communi reperitur, & præscribitur triplex denunciatio in Ecclesiâ facienda, & olim saltem vnica requirebatur *in cap. finali* de clandestinâ desponsatione iuxta ea, quæ infrà dicemus, & diximus *disp. 3. dub. 25.* tales autem denuntiationes, quas ius præscribit, vt fiant à proprio *contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia.* Nihil aliud sunt, vt ex se patet, quam indagatio quædam impedimenti, si quod est, in hunc enim finem institutæ sunt, & iudicatæ opportunum medium ad id explorandum, & indagandum, ergo in concessione prædicta verbis supra positis, quando præscribitur *indago*, præscribitur id quod etiam in iure reperitur, & inest. Probo iam secundum, quòd scilicèt non solùm reperiatur in iure, sed quòd reperiatur eodem modo. Quia in concessione præter ipsam indaginē non alius modus indaginis requiritur, quàm solertia, vt scilicèt fiat *indago solers*: atqui in iure etiam præscribitur indago solers, seu solertia indaginis, ergo eodem modo est in iure atque in concessione. Portò in iure requiri solertem indaginem sic possumus (ni fallor) efficaci argumentatione probare. Solertia iuxta receptam definitionem, quam ex Aristotele affert S. Thomas *secunda secundæ quæst. 49. art. 4. in corpore; est facilis, & prompta coniecturatio circa inuentionem medij* & hæc iuxta communem modum sentiendi (quando accipitur in bonam partem) inuoluit industriam, & perspicacitatem requisitam ad finem bonum: talis autem est indago, quæ præscribitur in iure, ergo in iure præscribitur indago solers. Minorem probo; quia indago quæ præscribitur, est, *quòd* (vt dicebam) *ter à proprio Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, &c. quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur.* Sic in Tridentino *cap. illo 1. sess. 24. de matrimonio.* & priùs in Lateranensi *cap. illo finali citato* præcipitur, vt à Presbyteris *publicè proponantur competenti termino præfinito, vt intra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominùs inuestigent, vtrùm aliquod obsistat impedimentum.* Ecce qualem diligentiam postulat ius commune in vtroque Concilio. Quis obsecro neget hæc omnia esse diligentem, & solertem indaginem, & vt dicebat D. Thomas *facilem & promptam coniecturationem circa inuentionem medij*. Quam inuentionem iam in promptu habent Parochi ab vtroque Concilio præscriptum, & quam possunt & debent adhibere tanquàm præstantissimum medium ad explo-

Ratione agendo ex dictis videtur præferenda secunda sententia affirmans valere.

Tria probanda in illius explicatione & probatione.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Probatur facile primum.

Probatur iam secundum.

Solertia quid sit? S. Thomas ex Aristot.

Conc. Trident. Lateranense.

explorandum impedimentum. Quod amplius confirmo & declaro. Nam, si Concilia nullo medio in particulari designato, solùm postulassent solertem indaginem, relinquendo in arbitrio Parochi indaginem in particulari adhibendam solertem, & aliquis Parochus pro suâ prudentiâ eligeret id ipsum, quod hodie exigunt Concilia, atque adeò in Ecclesiâ inter Missarum solemnia matrimonium publicè denunciaret, & moneret Parochianos, vt manifestarent, si quod scirent impedimentum, & præfinito termino competenti expectaret, donec videret, vtrùm aliquod obsistat impedimentum & cætera faceret, quæ hodie leges, & praxis postulant fieri; nemo sanè posset negare, istum Parochum adhibuisse solertem indaginem, & bonam *coniecturationem circa inuentionem medij*: quam tribuit solertiæ S. Thomas ex Aristotele. Quæ enim melior indago quàm illa ipsa, quam postulant Concilia duo generalia post longam & maturam considerationem & assistentiam Spiritus Sancti? Habemus ergo ex dictis in iure præscribi indaginem, & solertem indaginem.

Cõfirmatur & declaratur.

S. Thomas ex Aristotele.

Tertium quod erat probandum satis constat.

Restabat probare iam tertium ex tribus, quæ probanda proposuimus; nempe omissionem talis indaginis in iure contentæ non irritare valorem, & actum ex vi iuris, vt inde colligeremus, neque omissionem eiusdem indaginis irritare valorem eundem ex vi facultatis sub tali præscripto indaginis concessæ; restabat (inquam) hoc, sed non est cur in eo probando laboremus cùm vtriusque sententiæ Auctores, imò vniuersa Ecclesia agnoscat, & praxis habeat non irritari actum in iure, etiamsi nullis præmissis diligentiis matrimonium contrahatur, vt videre est in casibus non rarò occurrentibus, in quibus contra fas, & per summum nefas aliqui coram Parocho, & testibus nihil tale cogitantibus subitò contrahunt matrimonium, & valet, & validum iudicatur in vtroque foro. Constat ergo ex toto hoc discursu non irritari assistentiam, & facultatem assistendi concessam prædictis verbis, quia iuxta datam regulam primam, quando conditio apposita in concessione est etiam in iure, & in iure defectus illius non irritat; neque etiam in concessione, si exprimatur irritat, quia non amplius operatur in concessione, quàm operatur in iure; in iure autem non operatur talem effectum irritationis, ergo, neque in concessione.

240. *Non caret auctoritate secunda sententia.*

Tandem ex dictis constat secundam hanc sententiam non solùm non esse destitutam auctoritate, sed esse plurium & grauium & fundatam maximè in iure. Nam, quòd, quando conditio apposita iure inest, non ampliùs operetur, quàm in iure operatur, & non vitiet actum eius omissio, quando ea quasi conditio exprimitur in concessione facultatis sub tali conditione Sanchez & alij oppositæ sententiæ non negant, sed admittunt & expressè id habet Glossa. *Clementin. 1. de officio & potest. iud. delegati* v. *repererint* quam aduersarij allegant vbi non agitur (vt falsò refert Sanchez loco citato) de beneficio conferendo indigno; sed de dandis subdelegatis Iudicibus Commissariis, & declarat, aut decernit Papa quod iudices super receptione testium & executores possint aliis committere suas vices *si per inquisitionem solertem eos esse vitæ laudabilis & conuersationis honestæ repererint*, & eâ occasione Glossa cum Innocentio & alijs docet, quòd ea conditio non inducit in commissione nouam formam, quia iure inest, & sonat Inquisitio illa, quæ exigitur non conditionem; sed monitionem, vt quando dicitur si persona sit idonea, & similia; quia esse idoneum ad aliquod officium iure inest; atque adeò non ampliùs operabitur expressa in commissione, quàm non expressa; sed id ipsum quod habet iure. Quare, si iure requiratur solùm tanquàm instructio, & monitio, non ampliùs operabitur, quãdo in concessione exprimitur, quam doctrinam ipse Sanchez admittit cum cæteris & Nauarrus *in summa cap. 27. n. 37.* & Cardin. ibi relati à Sanchez agnoscunt Glossæ doctrinam esse receptissimam. Solùm ergo videndum est vt sæpè dixi, an in nostro casu ius Tridentini & Lateranensis habeant illam conditionem indaginis solertis, & tantùm habeant tanquàm monitionem, seu instructionem; & non, vt formam, sine qua actus non valeat. Probauimus autem hucusque talem solertem indaginem reperiri in iis iuribus, quia ille denũtiationes publicæ factæ, & monitiones sunt indago, & indago solers, vt vidimus, & illæ non habentur vt forma, quæ, si deficiat actus non valeat, atque adeò, nec sunt propriè conditio sine qua non; sed solùm monitiones, quibus monentur Parochi quando per se vel per alium debeant assistere, vt sciant quid debeant præstare, & non obstante quòd id omittant, valebit actus, vt praxis declarat, & sæpe notaui.

Glossa & Innocent. *Et alij.*

Sanchez. Nauarrus. Card.

Sanchez. *Et alij.*

Glossa.

Textus falsò allegatus.

241. *Dubium in quodam casu.*

Dubitant hoc loco alij an assistentia sit inualida, quando Parochus concedit Sacerdoti facultatem assistendi matrimonio Petri cum Maria sub conditione tamen *si reperiat Petrum non esse obligatum Ioannæ*: quę se opposuit dicens se sub promissione matrimonij fuisse defloratam, aut prius contraxisse Petrum cum illâ, præsertim sub iuramento. Sacerdos verò de eâ re nec inquirat, nec curet, & assistat? Perez *supra num. 5.* affirmat esse inualidam, quia Parochus delegans in eo casu non potest sine iniuriâ partis velle matrimonium esse ratum, sed expressè contrarium censetur velle, atque adeò censetur non absolutè, sed dependenter à conditione dedisse facultatem, quam conditionem Sacerdos ille non præstat.

Perez in eo putat non valere assistentiam. Ratio.

242. *Consequenter Perez resoluit ad suam sententiam.*

Sanè Perez & alij, qui sequuntur primam sententiam consequenter ita debent resoluere prædictum casum; quia in eorum sententia illa conditio non iure inest, & à Parocho exigitur, atque adeò censenda est conditio propriè dicta iuxta secundam regulam ex duabus, quas assignauimus *supra num. 232.* Iuxta secundam verò sententiam cùm in iure reperiatur (vt mox dicam) non plus operabitur, nisi aliud constet de mente Parochi, quàm quòd operatur in iure eumque in iure non irritet; sed solùm habeatur vt instructio, & monitio; eius omissio non irritabit actum, & assistentiam. Porrò eam conditionẽ aut quasi conditionem iure inesse, & nõ irritare, potest probari ex supradictis, quia explorare & inquirere de impedimentis, vniuer-

Quid iuxta secundam sententiam oppositam?

vniuersim loquendo, de quibuslibet expressum est in duobus Conciliis Lateranensi & Tridentino. In priori quidem illis verbis, quæ retulimus *supra nu* 239. *publicè proponantur competenti termino* &c. *vt, qui voluerit, & valuerit legitimum impedimentum opponat; & ipsi Presbyteri nihilominùs inuestigent* &c. In posteriori verò Tridentino iam vidimus exigi, vt *tribus continuis festiuis diebus publicè denuncietur.* Ecce diligentiam. Posteà exigitur quasi conditio illis verbis *si nullum legitimum apponatur impedimentum.* quæ conditio vniuersalis est, à qua solùm differt conditio, de qua nunc disputamus, tanquàm particulare seu singulare ab vniuersali nempe *si reperiat Petrum non esse obligatum Ioannæ.* Quod est impedimentum particulare contentum sub illo: *nullum legitimum impedimentum*: ergo, si in iure est conditio *nullius impedimenti post eam inquisitionem reperti*, est etiam conditio *huius particularis non reperti post inquisitionem.* Atqui in iure cõtentam eam conditionem si quis negligat, quantumuis negligendo peccet valet actus, & assistentia, ergo etiam in nostro casu. Nihilominus in externa gubernatione vt notabam *n.* 237. non sunt permittendi tales coniuges in praxi manere in suo coniugio donec fiat modo tuto, & assistentiâ in dubitatâ propter incõuenientia ibi notata, maximè cùm iste casus tantùm sit vnus particularis contentus in illo vniuersali, de quo diximus *num.* 236. atque adeò eodem modo philosophandum erit.

Lateran. Trident.

In externa gubernatione iuxta primam sententiam oportet operari.

243. *Quæsitum eiusdem Perez.* *Resolutio in præcedentibus habetur. Addendum nunc.*

Quærit hoc loco Martinus Perez *disp.* 41. *sect.* 4. *num.* 6. an, si Episcopus per se vel per constitutionem Synodalem interdicat Parochis dare licentiam, nisi Sacerdotibus approbatis ab Episcopo, valeat licentia data à Parocho Sacerdoti, non approbato? cui dubio iam nos respondimus *disp.* 3. *dub.* 10. *num* 79. & ex instituto ibidem *dub* 13. *num.* 103. solùm addo prædictũ Perez, sicut & Sanchez, quem refert & sequitur in plerisque rationibus petitis etiam ex iure positiuo ex textibus, quos nos etiam indicauimus locis notatis supponere, aut admittere, quod Parochus illicitè quidem faciat, & nihilominus validè; nos verò sentimus, quòd licèt illicitè faceret, adhuc valeret facultas propter rationes ibi allatas; sed cum præcipua ratio, quã ibi attulimus sit, quod facultas sine restrictione ad approbatum ab ordinario sit data à concilio generali, non possit à minori alio Superiori reuocari aut restringi; hoc fundamentum videtur concludere prædictam prohibitionem, nullam esse, atque adeò validè, & licite posse id facere, nisi aliud obstet. Nec etiam potest habere locum, quod videntur supponere prædicti Auctores, nempe posse irritari eam facultatem ab Episcopo, vel synodali cùm dicant valere; *nisi Episcopus, vel synodalis expresè addat decretum irritans.* Quod non videtur habere locum supposito quòd facultas sit à superiore maiori, cuius facultas non potest restringi à minori. Nihilominùs videri posset alicui probabile indirectè posse inualidari eam concessionem, non quidem tollendo à Parocho potestatem illam dãdi, sed reuocando illam in sacerdote, qui accepit; si enim Parochus ipse posset reuocare, quã dedit, non apparet, cur datam à Parocho sicut datam à se non posset Episcopus reuocare. Sed hoc (quod suam habet difficultatem) non est tollere à Parocho facultatem dandi licentiam; sed datam ab illo reuocare. Vnde, si Parochus det, & Episcopus datam à Parocho non reuocet valebit licentia. Adde quòd frustra esset facultas, & quasi nugatoria in Parocho, si ille quidem daret licentiam & ex alio capite Episcopus aut Synodalis constitutio iam antecedẽter ex nunc pro semper haberet reuocatam. Ideò puto non posse tolli à Parocho eam potestatem per Episcopum, aut Synodalem, vt suprà dicebam, & locis notatis.

DISPVTATIO SEXTA.

De donationibus inter coniuges sponsalitiâ largitate, & arrhis.

1. *Cur nos hãc disputationem præter multorum Theologorũ morem non omittamus.*

Vtilitas huius disputationis etiam pro Theologis.

HAc de re disputationem omittunt non pauci scriptores post Thomam Sanchez causantes, quod pleraque huius disputationis ad forum externum pertineant, seu iuristicæ quęstiones potiùs sint quã Theologicæ. Quorum consilium, quamuis in Theologis non omnino damnem, non prorsus probauerim; aliquid tamen ipsis dandum videtur, quibus familiare est, vt breues cuiusque reitractatulos concinnent multa resecare non inutilia contentis indicâsse Auctores, apud quos illa videri possint. Cætera verò vel leuiter delibant, vel dum breues esse laborant, obscuri fiunt. Ideò non pauci Recentiores præsentem disputationem de donationibus, largitatibus, & arrhis inter sponsos & coniuges omittunt, remittentes lectorem ad prædictum Thomam Sanchez, qui *libro* 6. de hac re copiosè disputat. Verùm experimento didici sępe Theologis pro resolutione casuum occurrentium (etiam pro foro conscientiæ) hærendum esse, & hallucinãtium, nisi prædictorum notitiam habeant non mediocrem; quamuis enim pleraque ex legum dispositione petenda sint, tamen quòd prædictæ donationes valeant, vel non valeant, & sub quibus conditionibus, aut circumstantiis illarum valor subsistat, aut corruat, ita, vt tutâ conscientiâ dari possint, accipi, aut retineri, vel sint restitutioni obnoxiæ; omnino pendet ex ipsis legibus sic disponentibus, aut aliter. Quapropter Theologus non poterit, quæ ad pœnitentis, vel consulentis conscientiam spectant, tutò resoluere, nisi prædictarum legum notitiam sibi paret. Ideo in hac re eundem Thomam Sanchez secutus, volui non quidem nimis fusè, sed quantum viro Theologo satis esse videatur de his omnibus hoc loco disputare. Accedit quod,

vt sunt diuersa hominum ingenia; atque iudicia, non semper cum eodem Auctore sentire possumus nec debemus, quin aliter sit iudicandi locus, & ad id occurrant rationes. Quid ergo prohibet etiam has in medium proferre, vt integrum sit legentibus omnia probare; quod melius sit tenere? Alioquin in hac parte illius vestigiis inhærebimus. Prius ergo cum illo agemus de donationibus inter virum & vxorem: deinde de sponsalitiâ largitate: tandem de arrhis.

Methodus seruanda in materia huius disputationis.

DVBITATIO I.

Quid? & quotuplex sit? & an valeat donatio inter coniuges, & sponsos? item sponsalitia largitas? Donatio ante nuptias; vel propter nuptias? & Arræ?

2. *Quædam alibi dicta nō repetenda; quædam ad hunc etiam locum reuocanda, quædam denique addenda.*

DE donatione inter coniuges plura diximus de iustitia *libr. 2. tract. 5. disp. 1. dub. 5. per totam* ideò hic aliqua ex ibi dictis omittenda diximus. Nunc solùm ea tangemus, quæ visa sunt denuò indicanda addentes aliqua ibi non dicta tum hoc loco, tum posteà præsertim *dub. 22.* & *seqq.* aliisque in locis prout occasio tulerit.

Donatio inter coniuges duplex. Simplex; & ob causam.

Donatio inter coniuges, & sponsos altera est simplex, altera ob causam. Simplex est, quæ prouenit ex mera donantis liberalitate *lib. 1. in principio ff. de donat.* & in Regno Castellæ. *L. 1. tit. 4. partit. 4.* donatio ob causam est quæ non ex mera liberalitate, sed ob aliquam causam fit.

Donatio ob causam triplex. Prima propter vel ante nuptias. Secunda sponsalitia largitas. Tertia Arra.

Est vero triplex. Vna appellatur Donatio propter nuptias vel ante nuptias altera sponsalitia largitas tertia arræ. Largitas sponsalitia est, quæ fit inter sponsos de futuro propter spem futuri matrimonij, & illius causâ & vocari etiam solet mundus muliebris, vt ex Matienzo docet Sanchez *lib. 6. disp. 1. num. 1.* Soletque etiam appellari Donatio ante nuptias, vel Dotalitium; quamuis alij teste eodem Sanchez pro eodem vsurpent donationem propter nuptias & ante nuptias. Nihilominus donatio propter nuptias dicitur id, quod confertur à viro vel ab alio ipsius loco pro matrimonij oneribus ad similitudinem dotis, quæ confertur viro per vxorem. Vnde etiam dotis nomen habet *§. est aliud instit. de donat. & c. de donat. ante Nupt.* Quapropter dissoluto matrimonio etiam consummato reddit ad virum *c. finali de donat. Inter virum & vxorem.* Sicut dos data per vxorem viro redit ad ipsam soluto matrimonio, sed de hac donatione quamuis olim apud Hispanos appellaretur Arra, nihil est, quod in præsenti dicamus; quia iā in desuetudinem abiit; vt ex multis docet Sanchez *suprà num. 3.*

Matienzo. Sanchez. *Quo sensu accipiantur à quibusdā.*

Antiquus & antiquatus vsus huius rei apud Hispanos.

3. *Quo sensu arræ apud Hispanos accipi soleant.*

Qui etiam rectè notat arras apud Hispanos non sumi in eâ significatione de quâ egimus *disp. 1. dub. 28. 29. & 30.* & egerat idem Sanchez *lib. 1.* scilicèt pro eo, quod traditur in signum matrimonij contrahendi; quâ de re satis ibidem diximus; sed arræ nomine significatur donatio facta sponsæ per sponsum in remunerationem pudicitiæ, vel nubilitatis, vel dotis sponsæ, quas soluto matrimonio sponsa lucratur. Quamuis autem hæ arræ longè distent à donatione propter nuptias, quæ olim erat in vsu, successerunt tamen loco illius; *ex L. 1. tit. 11. partitâ 4.* & cum multis docet Sanchez *suprà* & Molina *tomo 2. de iustitia tractat. 2. disputation. 290. ad finem.*

Sanchez. Molina.

Quærimus ergo in præsenti dubitatione an Donatiò inter virum & vxorem valida sit.

4. *Quid iam nunc quæratur.*

Asserendum est 1. simplicem donationem non valere; sed posse reuocari ad libitum donatoris *c. finali de donat. inter vir. & vxor. & l. 1. 2. & 3. ff. eodem titulo* & in Castella *l. 4. partitâ 4.* redditurque ibidem ratio ne se mutuo amore spolient. Vnde nulla obligatio ciuilis aut fori conscientiæ inde oritur. Ita Sanchez *num. 2.* cum aliis quos referr.

5. *Assertio 1. Donatio simplex non valet. Ratio ex iure.*

Dicitur autem nulla; non quia nullius roboris sit, sed, quia potest ad libitum donantis reuocari; imò confirmatur donatio morte, vt docet idem Sanchez *lib. 6. disp. 14. Panormit. c. finali citato* & alij apud Sanchez *disp. illa 1. num. 3.* eodem modo, quo donatio causa mortis dicitur inualida; quia potest vsque ad mortem reuocari; licet ab initio validâ fuerit, dominiumque transtulerit; quâ de re diximus *in nostro opere de iustitia* agentes *de testamentis.* & docet Molina Iurista *L. 1. de primogen. c. 12. n. 15.*

6. *Quo sensu dicatur nulla, & inualida.*

Sanchez. Panorm.

Molina Iurista.

Ex quo patet coniugem, qui à coniuge accepit aliquid causa donationis posse illud licitè retinere donec, si donator præmoriatur morte confirmetur; imò iura, quæ concedunt, vt ea donatio inualida morte confirmetur traditionem factam supponunt & requirunt viuo ipso donante vt probat Sanchez *lib. 6. disp. 14. num. 6.* Vnde consequenter permittunt coniugi donatorio retentionem. Quod si donatarius coniux præmoriatur, donatio tanquàm nulla nec morte confirmata redit ad ipsum donantem eique restituenda est. Legatur Sanchez *supra num. 4.* Vbi contra alios rectè probat non valere in sensu prædicto talem donationem, etiam si facta sit inter sponsos de præsenti ante matrimonium consummatum, & ante Ecclesiæ benedictiones. Pro quâ doctrinâ plurimos refert. Item rectè *num. 5.* probat non valere, etiamsi fiat post annum à contractu matrimonij contra nonnullos, qui putârunt tunc esse validam donationem.

7. *Licet retinere quod sic acceptū est donec nō reuocatum morte confirmetur donatoris.*

Sanchez. *Si donatarius præmoriatur redit donatum ad donantem.*

Sanchez contra aliorum limitationes.

Asserendum est 2. etiam donatio est inualida, si, quamuis fiat ante matrimonium contractum eius effectus differatur ad tempus matrimonij iam contracti. Est omnium sententiâ teste Sanchez *supra num. 6. Probatur l. quod sponsa 4. c. de donat. ante nupt.* ibi: *quod sponsa eâ lege donatur, vt tunc dominium eius adipiscatur cùm nuptiæ fuerint secutæ sine effectu est.* Ratio verò est; quia idem est, rem fieri tempore inhabili vel prohibito, & conferri ad tempus inhabile vel prohibitum, *vt ex l. tempus ff. de hæred. instit. & l. eum, qui ff. de iurisdic. omn. iud.* Probat Tiraquel. *Tractat. de constit. limitat. 2 n. 3.* cum multis aliis iuribus. Legatur Sanchez *n. 7.* vbi respondet aliquibus obiectionibus, & rectè ostendit valere donationem ante nuptias, etiamsi eodem die nuptiarum facta sit, dummodo ante nuptias.

8. *Assertio 2. Non valet etiam facta ante matrimonium dilato effectu ad tempus contracti matrimonij. Probatur ex iure. Ratio.*

Tiraquel. Cū multis. Sanchez.

Asserendum est 3. nec valet donatio inter coniuges facta per interpositas personas, vt, si vir det aliquid alicui tertio, vt donet vxori *L. si*

9. *Assertio 3. Non valet etiam facta per interpositas personas.*

sponsos

sponsos in principio. L. 3. §. videamus ff. de donat. inter vir. & vxor. perinde est enim facere per alium, atque per se.

10. *Assertio 4. Nec etiam si non simul habitent.* Sanchez.

Asserendum 4. nec etiam valet, licèt vir, & vxor non simul habitent, adhuc enim sunt vir, & vxor. Ita Sanchez *supra n. 6. & 9.* cum aliis.

11. *Assertio 5. Nec valet inter eos qui aliquo modo per patriam potestatem coniuges cõtingunt. Probatur ex iure Cesareo. Quid in Castella legibus?* Sanchez. *Leges cæsareæ non habent vim legis, etiam vbi propria deficiunt, in Regno Castellæ.*

Asserendum 5. etiam inter eos, qui aliquo modo *coniuges contingunt per* patriam potestatem, iure Cæsareo non valet donatio. *L. 3. §. videamus ff. de donat. inter vir & vxor.* vt, si socer det nurui. Dixi iure Cæsareo; nam lege Hispaniæ cùm cesset patria potestas in filios per *l. 47. Tauri*, quæ hodie est *lex 8. tit. 1. lib. 5. recopil.* in filios post contractum matrimonium valebit donatio. Ita Sanchez *supra num. 10.* imò crediderim, etiamsi non cessasset patria potestas; si alioquin aliâ lege propriâ ipsius Regni Castellæ nõ irritaretur donatio, omnino valeret, nam leges iuris Cæsaræi, etiam vbi Castellanæ nostræ deficiunt, non obligant tanquàm leges (quidquid aliqui obtrudant, idque adhuc probabilius puto in legibus irritantibus actus, alioquin iure naturæ licitos, & validos, qualis est talis donatio seclusis extrinsecis circumstantiis, vnde possit vitiari.

12. *Assertio 6. Alij contractus inter coniuges nõ ideò sunt inualidi sed valere possunt si aliquid non obstet. Constat ex iure ciuili. Limita si venditio v. g. fiat principaliter animo vendendi* Sanchez. Alexan de Neuo.

Asserendum est 6. non ideo cæteri contractus inter coniuges non valent, quin potiùs expressè approbantur. Vnde valet venditio, permutatio, & similes alij contractus *l. si sponsus 5. ff. de Donat. inter vir. & vxor.* Dummodo pretium æquiualeat rei venditæ: alioquin illa pars pretij erit donatio inualida, vt ibidem exprimitur. Quod verum est, dummodò venditio fiat principaliter animo vendendi, non animo donandi; tunc enim venditio valebit; non verò donatio illius partis pretij. Si verò præcipuè fiat animo donandi, venditio non valebit, vt ibidem quoque habetur *vers. circa venditionem.* Legatur Sanchez loco citato, vbi cum Alexandro de Neuo aduertit eam cõsiderationem esse magni momenti. Nam, quando venditio valet supplendum est pretium conseruatâ venditione, quando verò venditio non valet, ea rescinditur, seu potiùs dix erim declaratur inualida, & pretium restituitur.

13. *Quando non valet; fructus sunt obnoxij restitutioni.*

Addiderim consequenter iuxta principia generalia Restitutionis etiam fructus inde perceptos, & accrementum, si res inualidè vendita habuit, esse restituenda deductis expensis necessariis; quia nimirum res, quæ fructificat, aut accrescit, domino fructificat, aut crescit.

14. *Assertio 7. Valet legatum inter coniuges. Constat ex iure. Sanchez cũ aliis. Ratio.*

Asserendum 7. valet legatum inter virum & vxorem. *c. si Pater de Testam. in 6.* vbi id supponitur, & notat Sanchez *supra n. 12.* cum aliis consonatque cum dictis à nobis *de Testam. & cæteris vltimis voluntatibus in nostro opere de iustitia.* Ratio verò est; quia; quamuis legatum sit vera donatio; tamen refertur in tempus soluti matrimonij *l. legatum 1a. 2. ff. de Legat. 2.* Legatur Sanch. *supra n. 12. & disp. 3. n. 8.*

DVBITATIO II.

An inter coniuges non veros, sed putatiuos valeat donatio?

15. *Distinguendũ in hac re.*

SVb distinctione respondendum est, fieri enim potest, vt vterque coniux sciat impedimentum, vel tantùm donans, vel tantùm donatarius, vel vterque ignoret nullitatem matrimonij.

16. *Assertio 1. si impedimentum sit vtrique notum non valet, & fisc⁹ sibi vendicat donatam rẽ.*

Assero 1. si vterque sit conscius impedimenti donatio non valet. Est recepta omnium sententia. Quo casu, nec donator repetere potest rem donatam; sed fiscus sibi vendicat. *L. Cùm hic statu⁹ ff. de donat. inter vir. & vxor & l. 51. Castellæ Partit. 5.*

17. *An hoc sit verum etiã facta donatione ante cõsummatum matrimonium? Probabile quòd solum post cõsummatum.* Greg Lop. *In foro conscientia donatarius potest retinere rem donatam; dum non repetit fiscus, fertur sententia.* Sanchez cũ aliis.

Non tamen consentiunt Doctores, an fiscus auferat etiam, quando donatio fit nondum cõsummato matrimonio, vel tantùm, si fiat post consummatum. Quod secundum est satis probabile; quia leges puniunt incestum, qui copulâ perficitur, & docet Gregorius Lopez ad dictam *L. si* verbo *Casando.* Quidquid tamen de hoc sit, illud mihi placet cum Sanchez in foro conscientiæ tutò posse retinere donatarium, dum fiscus non repetit, ipsique per sententiam applicatur; nam tradens ex falsa causâ falsitatis conscius censetur donare, & abdicare à se dominium, transferens in donatarium, nisi hic aliquâ lege factus fuerit dominij incapax, de quo posteà dicemus. Ita Sanchez *disp. 2. num. 2.* cum aliis, quia, nimirum licèt detur actio fisco ad vindicandum, tamen hæc pœna non obligat, nisi sequutâ sententiâ.

18. *Assertio 2. Probatur ex iure.* Sanchez. *Cum aliis.* Molina.

Assero 2. quando solus donans fuit conscius nullitatis, si ignoranti coniugi aliquid legauit, valet Legatum *l. finali ff. de legat 1. l. Præfectus ff. de ritu nupt. l. 2. § per contrarium ff. de iis, quibus indign.* Ita Sanchez *supra n. 3.* cum aliis, inter quos Molina *to. 1. de iust. tr. 2. disp. 200.*

19. *Quid de acquisitis per alium contractum inter viuos. Non cõsentiunt Doctores. Idem est de aliis contractibus.* Sanchez. *Respondetur legi quæ posset in cõtrarium allegari. Ratio. Sanchez ex* Euerardo. Molina. Alij.

Vtrùm autem idem sit de acquisitis per alium contractum inter viuos, vt per donationem, aut, quia coniux conscius ignarum dotauit? non consentiunt Doctores, vt videre est apud Sanchez *supra num. 4.* aliqui affirmant, aliqui negant cum aliquibus distinctionibus. Mihi placet cum eodem Sanchez idẽ esse de cæteris contractibus, ac proinde donationem, aut dotem acquiri coniugi ignoranti; nec fisco competere repetitionem. Quando autem *l. Cùm hic statu⁹ 33. §. finali ff. de donat. inter vir & vxor* applicatur donatio fisco, intelligitur casu, quo vterque cõiux malâ fide processit; neque aliquâ lege probatur coniugem donatarium bonâ fide cõstitutum in matrimonio priuandum esse donatione, neque vlla ratio apparet, ob quam potiùs valeat legatum, quàm donatio, quoties autem non datur legitima differentiæ ratio valet argumentum de contractibus ad vltimas voluntates, & è contra, vt cum Euerardo *in suis Topicis loco 36.* docet Sanchez supra referens pro hac sententia Molinam, & alios.

20. *Clarior est ea resolutio pro Regno Castellæ.*

De iure verò Regni Castellæ satis constat *l. 50. tit. 14. Partit. 5.* illud donatum applicari *coniugi ignoranti*, vbi loquens de vxore conscià impedimenti, & donante marito ignaro sic ait: *Si le diesse ella alguna cosa por dote, maguer el casamiento se partiesse por esta razon, no podria ella demandar aquello, que le huuiesse dado por dote, nin seria tenudo de lo tornar.* Quæ lex, licèt non satis explicet, an ea dos cedat viri lucro; at iunctâ lege sequente applicante fisco, quando vterque coniux impedimentum nouit, satis significatur secùs esse, quando donans tantùm conscius fuit, vt cum

Gregorio

Greg. Lop. Alij. Sanchez. Molina.

Gregorio Lopez, & aliis docet Sanchez *supra num.*5. Molina *disp.illâ* 200. Ratio verò generalis est, quia soluens ex falsâ causâ, quam nouit esse falsam, censetur donare, vt cum multis ibi probat Sanchez. Ex quibus omnibus concluditur coniugem ignorantem recipientem à sciente titulo dotis, aut donationis, aut cuiuscumque cõtractus inter viuos, aut vltimæ voluntatis in neutro foro teneri, etiam dissoluto matrimonio, restituere, quia donans ex eâ falsa causa matrimonij falsitatis non ignarus, censetur donare, & lex talem donationem applicat coniugi ignoranti.

Ratio generalis.

Coniux ignorans recipiens à sciẽte titulo dotis verè acquirit sicut & alio titulo & non tenetur restituere.

21. *In foro externo sola facti ignorantia admittitur. Ad quid tamen prosit ignorantia iuris.*

In foro autem externo non quæuis ignorantia coniugis admittitur, quantum ad eam donationem, sed solùm ignorantia facti; nam ignorantia iuris, quâ, scilicèt, quamuis impedimentum nosset, ignorabat non posse eo instante matrimonium consistere, iuuabit quidem, ne propria bona amittat, non tamen, vt lucrum comparet *L. si adulterium §.1.ff.ad leg.iul.de adulteriis*, vt cum aliis docet Sanchez *supra num.*6. verùm alij absolutè loquuntur non distinguentes forum externum & conscientiæ. solus Sanchez meritò docet in foro conscientiæ, & ante iudicis sententiam posse tutâ conscientiâ retinere; quia ante sententiam iudicis talis pœna non obligat iuxta *supra* dicta *in primâ assertione.*

Sanchez cũ aliis.

22. *Assertio 3.*

Asserendum 3. Quando donatarius est conscius impedimenti & donator in bonâ fide; legatum & donatio non valet ac proinde legatum cedit hæredibus donantis, donatio verò ipsi donanti, quo mortuo hæredibus restitui debet. Ita Molina *citatâ disp.*200. Sanchez *supra num.*7. sequentes Acostam. *C. si pater. de testam. in 6.par.1.verbo vxorem n.* 14. 15. *&* 16. Ratio verò est, quia in donatione sic habetur *L. cùm hic status* 33. *§. finali vers. si quis sponsam* ff. *de donat. inter vir. & vxor.* Legatum verò est quædam donatio *l. legatum la* 2. ff. *de legat.*2. Accedit quod legatum aut donatio procedit ex errore legantis, aut donantis, qui putat legitimum esse matrimonium; nihil autem magis contrarium consensui est, quàm error: cumque coniux ignarus delicti expers sit non debet suis bonis priuari vt fisco applicentur.

Molina. Sanchez. Acosta.

Ratio petita ex iure ciuili.

Ratio ex natura rei.

23. *Assertio 4. Constat ex iure ciuili.*

Asserendum 4. si vterque coniux inscius sit impedimenti putans matrimonium valere, donatio non valet. Ita significatur *l. si ex voluntate* 7. C. *de donat. inter vir. & vxor* ibi: *sed si matrimonium iure non valuit: licèt ipso iure donatio tenuerit, quia tamen indigna persona eius fuit, qui nec maritus potest dici, vtiles actiones super reuocandis his tibi competunt.* Quasi dicat, licèt videatur valere in rigore iuris, at quia reuerà non erant coniuges, non valet, & potest donator repetere. Idem probatur ex ratione textus *l. cùm hic status §. finali vers. si quis sponsam de donat. inter vir. & vxor.* Vbi habetur donationem factam vxori putatiuæ non valere; sed redire ad donantem; *quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad vxorem fecit.* Deinde; quia donatio orta est ex errore: hic autem consensum excludit. Accedit, quòd donatio inter veros coniuges censetur inualida iuxta dicta dubitatione præcedenti, quantumuis morte confirmetur, vt ibidem diximus cum Sanchez; possit coniux donatarius retinere rem acceptam expectans mortem donantis, quâ confirmetur; ergo à fortiori hæc donatio inter coniuges putatiuos erit inualida, nullumque retinendi ius detectâ matrimonij nullitate conferet, cùm neque morte donantis confirmetur, vt ex citatâ lege *cùm hic status paragrapho finali.* colligunt Bald. & alij multi, quos refert & sequitur Sanchez *supra num.*9.

Probatur ratione.

Baldus. *Alij multi.* Sanchez.

DVBITATIO III.

An in aliquo casu valeat donatio inter virum & vxorem?

24. *Assertio affirmans in vndecim præsertim casibus.*

Asserendum est cum Sanchez *disp.*3. valere in aliquibus casibus, ex quibus Sanchez vndecim enumerat, quos etiam placet sigillatim recensere. Et diximus *in tract.*5. *de iust. disp.*1. *num.*86. *& seqq.* vbi etiam plures indicauimus, sed ad prædictos vndecim reducuntur.

Sanchez.

25. *Primus casus.*

Primus casus est, quando donatio est inter coniuges Principes supremos, vt inter imperatorem & imperatricem Regem & Reginam *l. penult. ff. de donat. inter vir & vxor.* Nam horum omnium contractus obtinent vim legum. Ita Molina *tomo* 2. *de iustitia disp.* 289. Nauarrus *in summa c.*17. & alij apud Sanchez *supra n.*1. *& nos loco citato de iust.n* 90.

Molina. Nauarr. *Alij apud Sanchez.*

26. *Secundus casus.*

Secundus, quando Donatarius non fit ditior, licèt donans fiat pauperior; cessat enim tunc causa prohibitionis, cùm recipiens tunc non propriè spoliet alterum *l. si sponsus* 5. *vers. concessa donatio* ibi: *concessa donatio est sepulturæ causâ; nam sepulturæ causa locum marito ab vxore, vel contra donari posse constat. Hoc autem ex eo euenit, quod definiri solet eam demum donationem impediri solere, quæ donantem pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorem. Porro hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam religione dicauit. Nec moueat quenquam, quod emeret; nisi à marito accepisset, nam, etsi pauperior ea fieret, nisi maritus dedisset; non tamen idcirco fit locupletior, quod non expendit* ff. *de donat. inter vir, & vxor.* Legatur Sanchez *n.*2.

Sanchez.

27. *Notandum pro praxi non semper totum esse restituendũ quod donatarius accepit.*

Qui postea num.3. infert, si vir donet alicui vxori aliquid, & ipsa inutiliter expendat valere donationem sine onere restituendi inutiliter expensum. Vnde, si ex centum donatis quinquaginta inutiliter expendit, tantùm debet restituere quinquaginta reliqua in quibus locupletior facta est *l. quod autem* 8. *§. si maritus* ff. *de donat. inter virum & vxor. & citatâ l. si sponsus in fine.* Pro quâ doctrinâ refert Sanchez Glossam, Panorm. & aliquos alios.

28. *Quid si hæres donatarij inutiliter expendisset?*

Quamuis autem hæres coniugis donatarij inutiliter expendisset, adhuc censendus esse donatarius ditior factus vsque ad tempus, quo hæredi transmisit. In quo ferè omnes citati cõueniunt teste Sanchez ibidem. Tempus autem inspiciendum, vt censeatur, donatarius ditior factus, vel non factus, vt teneatur; vel non teneatur restituere, videtur esse illud, quo reuocatur donatio; quia ex tunc tenetur coniux donatarius restituere, & caret iure expendendi. Vnde, si vsque ad illud tempus reuocationis in aliquo ratione donationis factus est ditior, illud tantùm restituere tenetur. Legatur Sanch.

Sanchez. *Quod tempus attendi debeat vt censeatur factus ditior.*

loco

loco citato. Vbi rectè contra Molinam docet non teneri donatarium restituere, quod inutiliter consumpsit, & in quo non est factus ditior, etiamsi suâ culpâ prodegerit eam partem rei donatæ, ita, vt donatio illa tantùm habeat tacitam conditionem, vt, dum reuocatur, solùm restituenda sit, quatenùs donatarius coniux locupletior factus fuerit.

Infert. 1. Sanchez. Contra. Molinam.

29. Infert. 2. Infert. 2. valere donationem, si ex pecuniâ sibi ab altero donatâ soluat sportulas, id est, vectigalia pro cognato, quamuis pecuniam mutuò esset acceptura, & pro cognato expensura. Habetur expressè *l. si mulier. 6. ff. de donat. inter vir & vxor.* & eâdem ratione valet donatio, si ex eâ pecunia faceret expensas pro consanguineo studente, vel pro nuptiis. Item, si vxorem donatam conseruâsset, & pro eâ seruanda tantundem de suo patrimonio consumpsisset; quia non est facta locupletior. Ita Sanchez *numer.* 4. cum aliis.

30. Infert. 3. Infert. 3. valere donationem factam ad refectionem ædium alterius incensarum, quantum ædificij extinctio postulat *l quod si vir ff. de donat. inter vir & vxor.*

31. Infert. 4. Infert. 4. valere quando donat, non, vt apud Donatarium res donata permaneat; sed, vt alteri donet; neque enim tunc fit locupletior *l. profectitia § ante penultimo ff de iure dot.* Ita docent aliqui apud Sanch. *n. 6.*

Aliqui apud Sanchez

32. Tertius casus. Tertius casus, quando donans non efficitur pauperior licèt donatarius efficiatur ditior. Qui de re latè disputat Sanchez *eodem lib. 6. per totam disputat.* 4. vbi probat valere donationem; quia tunc cessat ratio prohibitionis, ne scilicèt mutuò se coniuges spolient. Coniux enim donans nullâ re spoliatur, cùm pauperior non fiat. Quod probatur à contrario sensu *ex t. finali de donat. inter vir & vxor* ibi *donatio, quæ constante matrimonio inter coniuges dicitur esse facta* C. *ex quo alter locupletior & pauperior alter efficitur firmitatem non habet*, & constat ex dictis *in 2. casu ex l. si sponsus ibi citata.* vbi simul requirit ad inualidandam donationem, quod donatio & *donantem pauperiorem, & accipientem faciat locupletiorem.* Vbi exempla cum rationibus adhibentur; sed de his seorsim cum aliis exemplis, & casibus dicemus *dub. sequenti.*

33. Quartus casus. Sanchez omnes doctores testatur ita sentire. Quartus casus est, si donatio fiat in tempus soluti matrimonij, id est cum donans coniux obierit *l. sed interim §. sed quod dicit ff. de donat. inter vir. & vxor.* Quæ doctrina, teste Sanchez *supra n. 8.* est omnium Doctorum; quia paria sunt facere tempore permisso & in id tempus referre *l. in tempus ff. de hæred. instit.*

34. Quintus casus. Quintus casus, si donatio fiat ab vxore viro gratiâ honoris, vel dignitatis adipiscendæ, vel gratia ludorum Authoritate publicâ procurandorum *L. quod adipiscendæ 41. cum duplici sequenti ff. de donat. inter vir. & vxor.* & idem est causâ studiorum, vel licentiæ aut doctoratus obtinendi, vel pro militia, aut nobilitate acquirendâ. Ita Sanch. *n. 9.* cum Ioanne Lupo.

Sanchez. Ioã. Lupus.

35. Sextus casus. Multi quos refert & sequitur. Sextus, si constante matrimonio remittat vir vxori promissam dotem, vel partem *l. si constante 19 ff. de donat. ante sumpt. vers. firma.* Ita multi, quos refert & sequitur Sanchez *supra num. 10.* non tamen ideò valet remissio alterius debiti inter cognitos coniuges, vt cum Syluestro & Nauarro probat idem Sanch. *l. si sponsus 5. vers. si debitor fieri ff. de donat. inter vir. & vxor.* poterit tamen coniux debens alteri coniugi ad certum terminum, soluere ante aduentum talis temporis; quamuis enim eo medio tempore videatur donare: originalis tamen causa est debitum *l. sed, si vir ex lanâ 31. §. si vir vxori ff. de donat inter vir. & vxor.* Ita cum multis Sanch. ibidem non tamen ideò potest maritus restituere vxori dotem; quæ restitutio prohibetur, vt colligitur *ex l. vnicâ. C. si dos constante matrimonio, & Authent. de nuptiis §. dotes;* est enim longè dispar ratio; nam (vt rectè Sanch. *suprà* ex Barbosa) quod debetur in diem verè debitum est attento præsenti statu *l. in diem ff. de condit. indeb.* Idcirco ex solutione anticipatâ nulla resultat donatio prohibita, dos autem non debetur simpliciter, sed sub conditione, vt si soluatur matrimonium iuxta notata *l. si constante §. 1. ff. solut. matrim.* Ideò attento præsenti statu restitueretur dos omnino indebita, vtpotè nondum impletâ conditione.

Sanchez. Notandum Sylvest. Nauarr.

Septimus casus. Septimus casus. Valet remissio vsurarũ dotis non solutæ facta à viro, de quarum solutione conuentum erat *l. vir vsuras 55.* de donat. inter vir. & vxor. Ita Sanchez ex Duennas n. 11. verum dubitari posset quomodò hæc remissio computetur inter donationes, nam ad vsuras sibi soluendas, vtpotè illicitas, nullum ius habet maritus. Quid ergo donat, dum remittit, quod suum non est. Solùm ergo ibi nomen vsuræ accipiendum erit pro lucro alioquin licito, seu pro fructu dotis, quem percepisset, aut percipere potuisset maritus, si dos fuisset soluta, non pro vsuris illicitis, quas vsurarius, solet exigere, & accipere ex mutuo, aut merâ dilatione solutionis.

36.

Octauus, si cui donet vxori aliquid annuum ad alimenta, valet donatio dummodò non excedat fructus dotis *l. ex annuo 16. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Ita Sylvester. Nauarrus, Tabiena, & alij multi apud Sanchez *numer. 12.* qui ex Barbosa *in l. quæ dotis 34. numer. 66. & 67. ff. solut matrim.* docet non reuocari quod supereft ad alimenta; nisi nimis immodicum & excessiuum sit attentis fructibus dotis, vt exponit. Fulgosus, & idem Barbosa apud Sanch. ibi legatur. Verùm (vt rectè aduertit Sanch.) ista non est mera donatio; sed alimentorum loco succedit.

37. Sylvest. Nauarr. Tabiena. *Alij multi.* Sanchez. Barbosa. Fulgosus.

Nonus casus est; si coniuges exilij causa sibi donent *l. inter virum 44. ff. de donat inter vir. & vxor.* Vbi Glossa explicat; quando vir expectaret se in exilium mittendum, valeret donatio, vt exilio confirmaretur.

38. *Nonus casus.* Glossa.

Decimus casus; si alteruter coniux vsus fuit seruis animalibus, vel vestibus alterius; vel in ædibus eius gratis habitauerit, valet donatio *l. si vir vxori 19 ff. de donat. inter vir & vxor.* & docet Duennas apud Sanch. n. 14.

39. *Decimus casus.*

Vndecimus casus, est donatio remuneratoria de latè Sanchez *disp. 6.* & nos in sequentibus dicemus.

40.

DVBIT.

DVBITATIO IV.

De quibusdam pro praxi deducendis ex præcedenti doctrinâ?

41. *Quædam ad matrimonium spectant, alia minimè ideò hæc omittenda.*

NOnnulla pro praxi deduci possunt ex præcedenti doctrina, maximè ex iis, quæ diximus *dub. præcedenti*, in quibus aliqua esse potest, vel controuersia, vel difficultas. Quædam verò ex iis non sunt huius loci, quippe quæ ad matrimonium non spectant; sed ad alias materias, & negotia, quamuis alioquin maximè vtilia, ideò duximus omittenda, & videri possunt apud Sanchez *lib. 6. disp.* 4. per totam. Nos illa, quæ ad præsens institutum facere videbuntur percurremus.

42. *Colligitur* 1.

Colligitur 1. maritum hæredem institutum posse validè repudiare hæreditatem, vt succedat vxor; atque etiam legatum, siue, quia vxor substituta est, siue, quia alioquin futura hæres ab intestato. *Ratio.* Ratio est; quia maritus non fit pauperior ex eo præcisè, quòd non acquirat; ille enim tantùm dicitur pauperior fieri, qui de patrimonio suo, vel bonis iam quæsitis aliquid deponit.

43. *Probatur ex legibus.* *Limitatio.*

Colligitur 2. propter eandem rationem posse, si rogatus fuerit hæreditatem vxori restituere, integram sine deductione quartæ Trebellianicæ vxori dare. Quæ sit autem quarta Trebellianica deducenda? & quo iure? diximus *in nostro opere de iustitia in Tractat. de testamentis* in hoc autem magis videtur maritus pleniori officio præstandæ fidei, tanquàm fidecommissarius fungi, quam donare, nec de suo putat proficisci, quod de alieno pleniùs restituit voluntatem defuncti sequutus. Hæc omnia habentur *l. si sponsus* 5. ff. *de donat. inter vir, & vxor*, & habetur in regno Castellæ *l.* 5. *titul.* 11. *Partit.* 4. Hoc autem vltimum limitandum est propter eandem rationem, vt locum non habeat, quando maritus acceptauit hæreditatem, & acquisiuit ius, vt ex dicendis in *coroll. seq. constabit.*

44. *Colligitur* 3. *Probatur ex legibus.* *Respondetur legibus quæ in contrariũ possunt obiici.*

Colligitur 3. valere legatum, aut hæreditatem relictam, si maritus sibi legantem, aut hæreditatem relinquentem roget, vt vxori leget, aut relinquat. *l. sed si vir.* 32. *Paragrapho si vir.* ff. *de donat inter vir. & vxor.* ibi: *Quod legaturus mihi, aut hæreditatis nomine relicturus es, potes rogatus à me vxori meæ relinquere, & non videbitur ea esse donatio, quia nihil ex bonis meis minuitur.* Legem autem: *Hac ratio* 3. ff. eodem, quæ videtur contra hanc decisionem facere ibi: *si donaturum mihi iussero vxori meæ dare, nullius esse momenti Iulianus scribit, perinde enim habendum, atque si ego acceptam rem meam vxori meæ dedissem.* Item l. *Idemq;* 4. ff. *eodem* ibi: *Idemq; est si mortis causa traditurum mihi, iusserim vxori meæ tradere.* Multi conciliant cum præcedenti lege, vt valeat legatum, quod vir rogat dari vxori, quia legatarius non fit legati dominus vsque ad mortem legantis, non autem donatio causa mortis, quia statim transfertur dominium talis donationis in donatarium (licet reuocabiliter) traditione statim sequutâ *l. senatus in principio* & l. *si mortis causâ res donata* ff. *de donat. caus. mort.* Ita Couarruu. & alij apud Sanchez *suprà numer.* 2. Qui quamuis probet doctrinam huius conciliationis legum, conciliationem tamen ipsam non admittit, quia idem omnino disponitur in illâ lege de donatione inter viuos, nec videtur textus loqui de donatione iam factâ; sed de faciendâ; ait enim: *si donaturum mihi iussero.* Quare idem Sanchez putat in vtroque Textu esse vnum actum occultatum, acceptandi, scilicèt, priùs donationem, quo donatarius tacitè acceptat, & iterum donat alteri coniugi. Pro quâ doctrinâ refert alios, maximè eos, qui dicunt maritum acceptâsse, & posteà renunciâsse donationi onerando donantem, vt daret vxori. Pro quâ doctrinâ expendenda sunt illa verba legis. *Hæc ratio* 3. *citata si donaturum mihi iussero vxori meæ dare* & *l.* 4. ibi: *iusserim vxori meæ tradere.* Nam verbum iubere importat necessitatem. Legatur Sanchez *loco citato*, qui rectè concludit pro omnibus præcedentibus casibus posse coniugem hæreditatem, vel legatum, vel donationem sibi fieri paratam ante acceptationem; iurisque alicuius acquisitionem rogare, alteri coniugi fieri; non verò post acceptationem, & ius acquisitum; quia in priori casu nihil ex propriis bonis deperdit; in posteriori verò rem acquisitam amittit. *Couarr. Alij.*

45. *Colligitur* 4. *Probatur ex legibus.* *Obiectio.* *Respondet Glossa.* *Sanchez.*

Colligitur Quarto, valere donationem si coniux coniugi rem alienam donet ad eum effectum, vt recipiens possit vsucapere; tunc enim donans non efficitur pauperior. Et habetur *l. sed & si constante* ff. *de donat. inter vir. & vxor* & *l.* 5. *titul.* 11. *Partit.* 4. Quod si obiicias donantem effici pauperiorem, quia tenetur restituere. Respondet Glossa. *citatâ lege verbo Rebus* iuncto initio, & fine (quam sequitur Sanchez *supra numer.* 3.) intelligi hunc casum, quando donans bonâ fide possidebat putans rem esse suam; tunc enim, si det alteri coniugi, qui rem præscribat; nihil teneri donantem restituere, cùm bonâ fide possederit, nec factus fuerit locupletior. Quamuis autem donans retinens eam rem potuisset præscribere; atque adeò donando eâ spe frustretur; non obstat; nam, vt rectè Sanchez, id non est deperdere de suis bonis; sed non acquirere.

46. *Colligitur* 5. *Bald. & alij apud Sanchez.*

Colligitur 5. virum prodigum, si alioquin consumenda donet vxori, vel è contra, valere donationem; quia, licèt recipiens fiat ditior, donans non fit pauperior alioquin inutiliter expensurus. Ita Bald. & alij apud Sanchez *supra num.* 4.

47. *Colligitur* 6. *Sanchez cũ Bartulo. Baldo. & aliis.*

Colligitur 6. non valere donationem, si vir donet rem vxoris; (vel è contra) eâ permittente, vxor enim fit pauperior, & vir donans locupletior; nam ex eâ donatione acquirit sibi naturalem obligationem, quâ donaturus tenetur ad antidora. Ita Sanch. *supra num.* 5. cum Bartulo, Baldo, & aliis. Excipe, si donet causæ piæ, quia tunc cessat ratio obligationis ad antidora.

48.

Colligitur 7. si coniux coniugi donet fructus

Colligitur 7. Secundum aliquos.

ctus ex prædio percipiendos, valere, quia donans non fit pauperior. Nam potiùs ex industriâ, quam ex re ipsâ fructus illi percipiuntur *l. fructus percipiendo ff. de vsuris.* Sic cum aliis, quos refert Pinelus *libr. secundo part. 2. capit. 4. numer. 5.* C. *de rescinden. venditione* Ioannes Garz. *de expensis cap. 23. 21.* docet Sanchez *supra numer. 6.*

Pinelus. Ioannes Garz. Sanchez.

49. *Distinguendum videtur in hac re. In casu quo admitti non potest. Ratio.*

In hoc tamen omnino distinguendum puto. Nam, si sint fructus, qui nullâ aut exiguâ industriâ ex re percipiuntur, non video, quomodò possint ij fructus coniugis industriæ tribui. Præterea, quâmuis fructus illi nõdum existant, sed tantùm spes fundata in iure percipiendi eos fructus; hoc etiam ius, & spes est aliquid pretio æstimabile, & id totum donatione transfert in donatarium, ergo fit pauperior, quia sic donat. Confirmatur; quia, si, vt nuper dicebamus cum Sanchez & aliis, contra quos agimus, acquisitio naturalis obligationis, quâ donanti obligatur donatarius ad antidora, est acquisitio alicuius, quo donans censetur fieri locupletior, multò potiori ratione pauperior fiet, qui amittit, & se spoliat iure percipiendi fructus ex suo prædio. Vnde meritò *Glossa l. de fructibus 18. in fine ff. de donat. inter vir. & vxor.* sentit eam donationem non valere. Si verò omnes fructus ex aliquâ re percipiendi respondeant industriæ, faciliùs subscripserim prædictæ sententiæ; quamuis & in hoc etiam aliqua sit difficultas; nam, si ad tales fructus res ipsa concurrit (quod necessarium est in prædicto casu, alioquin non essent fructus ex eâ re percepti) ipsius rei vsus ad tales fructus acquirendos, atque adeò ius vtendi tali re, est quid pretio æstimabile, &, qui tali iure, quod anteà habebat, caret, & priuatur, pauperior censetur, quam, si haberet, sicut, qui habet, censetur ditior, quàm, si non haberet: ergo donans coniux, donando se spolians eo iure, & vsu, fit pauperior, & coniux donatarius accipiendo tale ius, & vsum fit ditior. Atque hæc doctrina multò clariùs apparet, si fructus percipiendi iam extent, & appareant, vt omphaces, aut baccæ in arboribus, & herbæ in agris pro pastu animalium. Vnde absolutè dicerem probabilius talem donationem non valere, sed esse reuocabilem ante donantis mortem, si præcisè spectaremus alia iura; sed, quia in prædicta l. *fructus percipiendo* expresè conceditur, quod valeat donatio fructuum, non quidem omnium; sed eorum, qui maiori ex parte, imò ferè omnino respondent diligentiæ percipientis ibi: *illos tantùm, quos suis operis acquisierit, (veluti serendo) nam, si pomum decerpserit, vel ex sylua caciderit, non fit eius.* Redditque rationem, *quia non ex facto eius fructus nascitur*; Ideò sub prædictâ distinctione respondendum puto, tunc tantùm valere donationem fructuum percipiendorum; quando potiùs ex industriâ, quàm ex re ipsâ fructus percipiuntur; tunc enim, quamuis aliquâ ratione videatur donans coniux pauperior fieri; tamen absolutè & communi æstimatione parum illi decedit in eâ donatione; ideò voluit lex eam valere. *vide dub. 16. n. 206.*

Confirmatur ad hominem arguendo.

Glossa tunc meritò negat.

In alio casu posset admitti nec sine difficultate.

Explicatur amplius.

Propter hæc esset absolutè negandũ valere, sed esse reuocabilem donationem, concedendũ esset, nisi aliud iuuaret.

Quæret iam aliquis, an, sicut valet repudiatio hæreditatis, vel legati facta à viro, vt succedat vxor, vel è contra: ita etiam valeat cessio hæreditatis in fauorem eiusdem?

50. *Quæsitum.*

Aliqui affirmant esse eandem rationem, atque adeo valere, sicut de repudiatione valere diximus *n. 42.* Corollario 1. Ita Phanutius de *lucro Gloss. 8. num. 18.*

51. *Affirmant aliqui valere.* Phanutius.

Verius nihilominus puto non valere, quia illa est vera donatio, & alienatio, vt rectè probat Sanchez *supra numer. 17.* & omissis aliis probationibus. Ratio à priori est; quia cessio, vt cessio supponit ius acquisitum, neque enim potest cedere iuri, quod non habet. Vnde eo ipso quòd cedit, tacitè vel expresè prius *naturâ* admittit. Vnde *l. si auia* C. *de iure delib.* qui de hæreditate sibi relicta testatur, eo ipso adire videtur, vt cessio sit efficax. Legatur Sanch. *loco citato.*

52. *Verius est nõ valere.* Sanchez. *Ratio à priori.*

Omitto alia, quæ eâdem *disputation. 4.* colligit Sanchez, quæ quamuis optima sint, & scitu dignissima, non sunt præsentis instituti.

53. *Alia omittuntur quæ non sunt præsentis negotij.*

DVBITATIO V.

An constante matrimonio possit vxor renunciare in fauorem viri medietati lucrorum sibi competenti? & vir in fauorem vxoris?

CErtum est ante initum matrimonium posse conueniri de lucris non diuidendis tùm, quia illa non tam est donatio, quàm renunciatio futuræ, & incertæ spei; tum, quia, licèt esset donatio, non dum sunt vir & vxor tempore celebrationis contractus. Hæc sanè ratio (quâ etiam vtitur Sanchez *disputation. 5.*) patere potest calumniæ; quia, sicut dispositio facta tempore non legitimo relata in tempus legitimum valet, quia habenda est ratio temporis, in quod refertur; ita videtur è contra dispositio facta tempore legitimo relata in tempus non legitimum, non valere. Sed quidquid sit de hoc, sufficit pro præsenti negotio, quòd hæc conuentio non sit vera donatio; sed contractus onerosus, vt rectè aduertit idem Sanchez, est enim integrum vtriuis non aliter velle contrahere, quàm seruatâ eâ vel aliâ simili conditione.

54. *Ante initũ matrimonium potest fieri.* *Ratio.* *Alia ratio non ita clara.*

55. *Quæstio præsens est constante matrimonio.*

Iam verò quærimus de prædicta renunciatione factâ constante matrimonio?

56. *Prima sententia negans.* Greg. Lop. Minchaca. Burgos de Paz. Alij. Molina. *Recentiores. Ideò si excedat quingentos aureos indigere insinuatione quoad excessum.*

Prima sententia negat, tam in acquisitis, quàm in acquirendis bonis; putat enim esse donationem, atque adeò non valere, sed reuocari posse vsque ad mortem, quâ tunc confirmetur instar cæterarum donationum inter coniuges. Ita Gregorius Lopez *l. 5. tit. 11. partit. 4.* Minchaca. Burgos de Paz, & alij apud Sanchez *supra num. 2.* Molina *tomo 2. de iustitia disputat. 289. §. Ex hac doctrinâ. & disputation. 435. paragrapho contraria sententia* aliique Recentiores, & addit Molina hanc renunciationem lucrorum, si excedat summam quingentorum aureorum, insinuatione indigere, quoad illum excessum, vt morte confirmetur; id quod de cæteris do-

nationibus, eam summam excedentibus docet Sanchez *libr. 6. disputation. 14.* & nos cum ipso dicemus.

Sanchez. Probat hæc sententia primò, quia supposito iure Castellæ, quo lucra facta constante matrimonio sunt communia eo ipso, quod matrimonium initur, debetur alterutri coniugi dimidia pars lucrorum absque vllâ nouâ acceptatione ex vi solius contractus matrimonij, sed donatio consurgens ex remissione debiti factâ inter coniuges non valet (vt vidimus *dubitat.3.*) ergo, nec præsens hæc renunciatio.

57. *Probat ea sententia primo pro Castella.*

Secundò; quia, si vxor celebrasset contractum societatis cum tertio, non posset renunciare lucris acquisitis vel acquirendis constante matrimonio in fauorem viri: ergo neque lucris præuenientibus ex societate cum viro initâ, qui non minùs propriè est contractus Societatis.

58. *Probat 2.*

Tertiò; quia, si alter coniux renunciaret hæreditati sibi delatæ in fauorem alterius coniugis aliàs non habentis ius succedendi in illam, esset vera alienatio, & donatio, vt vidimus *dubitation. præcedenti* cum eodem Sanchez, & non valeret inter coniuges: ergo neque hæc valebit.

59. *Probat. 3.*

Quartò, quia, si hæc renunciatio non esset alienatio, posset fieri in præiudicium legitimæ debitæ ascendentibus; vel descendentibus, sicut potest repudiari legatum, vel hæreditas in idem præiudicium; quod videtur absurdum, ergo non potest renunciatio fieri, eo quòd sit alienatio.

60. *Probat. 4.*

Quintò; quia illa non potest contrahere sine viri licentiâ l. 55. *Tauri*, quæ est *lex 2. titul. 3. libr. 5. nouæ recopilationis* hoc autem, non solùm statuitur in viri fauorem; sed, vt consulatur imbecillitati mulierum, ne decipiantur, & durum videtur, à multisque negatur posse virum præstare auctoritatem huic pacto renunciationis inito cum ipso, & in fauorem ipsius. Propter hæc argumenta meritò Sanchez putat hanc sententiam esse probabilissimam. Quæ verò hæc sententia affert pro vxore renunciante comparatione viri, pleraque à fortiore locum habent in viro comparatione vxoris.

61. *Probat. 5.*

Probabilem meritò putat Sanchez hanc sententiam.

Secunda sententia validam esse renunciationem prædictæ medietatis, tam acquisitorum, quàm acquirendorum factam ab vxore in fauorem viri. Probat primò de acquirendis, quia ea nondum sunt in dominio vxoris, atque adeò nihil alienat, sed tantùm non acquirit, sicut pater potest remittere vsum fructuum, quem habet in bonis filij in præiudicium legitimæ aliorum filiorum; tunc enim non donat; sed lucris legalibus cedit iuxta dicta à Sanchez *lib. 6. disputation. 4 numer. 18.*

62. *Secunda sententia affirmans valere. Probat. 1. de bonis acquirendis.*

Sanchez. De bonis verò iam adquisitis probatur; quia propter eam donationem vxor donans non efficitur pauperior; quia non verè & propriè adquirit dominium illius medietatis lucrorum; neque est realis incorporatio in patrimonium suum per actum verum, & naturalem; sed fictè & reuocabiliter per legem, sicut, quando hæreditas vel legatum ipso iure alicui adquiritur per legem sine aditione; ergo, sicut potest hæreditas, vel legatum repudiari ab vxore, vt succedat vir, pari ratione poterunt renuntiari hæc lucra iam acquisita. Vnde *leg. 60. Tauri*, quæ est *lex 9. titul. 9. libr. 5. nouæ recopil.* indistinctè decernitur posse vxorem renunciare lucris constante matrimonio acquisitis, ita Couarruu. 4. *Decretal. 2. par. cap. 7.* Anton. Gomez, Perez, Matienzo, Azeuedo. Gutier. & alij apud Sanchez *disp. illa 5. numer. 3.*

63. *De bonis acquisitis etiã probat.*

Couarr. Anton. Gomez. Perez. Matienzo. Azeuedo. Gutierr.

Quod autem vir etiam possit renunciare lucris, quæsitis constante matrimonio in fauorem vxoris, docet Couarruu. suprà. Perez, & Matienzo apud Sanchez loco citato & Phanucius *de lucro dotis Gloss. 8. numer. 16.* vbi ait posse virum remittere vxori lucrum dotis, quod per pactum sibi competebat. Hæc sententia, quoad primam partem de vxore videtur probabilior; non verò, quod attinet ad virum. Ideò sub distinctione respondendum est sequentibus assertionibus.

64. *Idem esse de viro comparatione vxoris docent alij.*

Couarr. Perez. Matienzo. Phanucius.

Assero 1. tam vxor in fauorem viri, quàm vir in fauorem vxoris potest renunciare constante matrimonio lucris acquirendis; & hoc probat ratio secundæ sententiæ pro lucris acquirendis; docentque Doctores omnes pro illâ citati, & insuper Ioannes Lupus. Rubrica *de donat. §. 6. numer. 2.* Suar. *l. 3. fori tit. De las ganancias libr. 1. numer. 24.* Meres de Maior 4. *par. q. 26. num. 60.* Nauarra *lib. 3. de Restit. c. 1. dub. 9. num. 111. in vltimâ editione*, qui in terminis loquuntur de vxore cõparatione viri; de viro tamen comparatione vxoris simul etiam docent Sanchez *supra n. 5. & 6.* Couarr. Perez, & Matienzo apud ipsum.

65. *Assertio 1.*

Ioan. Lup. Suar. Meres. Nauarra. Sanchez. Couarr. Perez. Matienzo.

Quoad primam partẽ de vxore probabilior videtur sententia; secus quoad virum.

Assero 2. vxor etiam lucris acquisitis potest renunciare in fauorem Mariti. Ita omnes Doctores citati pro secunda sententia, quos sequitur Sanchez *n. 8.* & id probat satis fundamentũ secundæ sententiæ pro bonis iam acquisitis.

66. *Assertio 2.*

Auctores 2. sententiæ Sanchez.

Assero 3. non potest vir constante matrimonio cedere lucris acquisitis in fauorem vxoris. Ratio est, quia acquisiuit perfectum dominiũ, & irreuocabiliter illius mediatis lucrorum per realem incorporationem in suum patrimoniũ. Hanc assertionem à fortiori admittent authores primæ sententiæ, & est contra Couarruu. Perez, Matienz. & Phanutium citatos, & docet Sanchez *supra numer. 7.* referens Gregorium Łopez & Molinam.

67. *Assero 3. Ratio.*

Auctores primæ sententiæ à fortiori hãc assertionem admittent. Sanchez cũ aliis.

Aduertit verò Sanchez *n. 9.* vt euitetur opinionum varietas tutum esse eam renunciationem fieri, tam à viro quàm ab vxore iuramento stabilitam; quia nimirum iuxta verissimam & communissimam ferè omnium sententiam donatio prohibita inter coniuges firmatur, & irreuocabilis efficitur iuramento, vt docet idem Sanchez *lib. 6. disp. 11. n. 2.* Qui etiam meritò docet *disp. 5. n. 10.* eam lucrorum renunciationem in fauorem alterius coniugis; antequam bona acquirantur, posse fieri in præiudicium legitimæ debitæ ascendentibus & descendentibus: vbi verò iam acquisita sunt non posse; quia iam dominium est translatum. Neque putat in hoc vltimo esse eandem rationem de renunciatione vxoris in fauorem viri; quia non putat has donationes inter virum & vxorem ita amare, & exactè tractandas esse, vt docet textus *l. si id,*

68. *Si fiat ea renuntiatio cum iuramento erit irreuocabilis.*

Sanchez. *Notãdum.*

quod

quod vers. *Si quas* ff. *de donat. inter vir. & vxor.* Pro quâ doctrinâ refert Glossam & alios. Facilius mihi videtur posse id dici, quòd suprà dicebamus pro secundâ sententiâ *numer.* 63. & approbauimus *numer.* 66. in nostrâ assertione secundâ. Vxorem scilicèt non verè & propriè acquisiuisse dominium, sed fictè eo modo, quo ibi explicuimus, atque adeò non esse eandem rationem in vxore, vt iterum iam subiicio.

Glossa.

Facilior modus pro has difficultate enodanda.

Ad argumenta verò primæ sententiæ respõdetur ad primum quidem, non acquiri omnino perfectè & irreuocabiliter dominium per veram, & realem incorporationem in patrimoniũ iuxta dicta assertione primâ & secundâ suppositis iis quæ diximus pro secundâ sententiâ; ac proinde posse vxorem renunciare lucris etiam acquisitis; virum verò acquirendis tantùm, vt dictum est.

69. *Ad primum primæ sententiæ.*

Ad secundum negandæ est paritas; quia in tali societate vxor acquisiuit lucrorum dominiũ perfectum, & irreuocabile. Quamuis autẽ hoc dominium non habeat respectu acquirendorũ in eâ societate cum alio; illa tamen non est mera repudiatio, ex quâ solâ resultet illud commodum marito; neque enim illa lucra comparãtur viro ex mera repudiatione vxoris; sed est acceptatio ab vxore priùs facta lucrorum illorum, & cessio vxoris eiusdem in fauorem viri iuxta dicta *dub. præcedenti* & probat idem Sanchez *lib. 6. disp. 4. num.* 17. de cessione hæreditatis in fauorem coniugis aliàs non successuri; atque adeò inuoluitur aliqua donatio iuris acquisiti. In societatis verò contractu; qui est inter coniuges vxor non acquirit dominium perfectum & irreuocabile, & ideò ex merâ repudiatione vnius coniugis lucra illa cedunt alteri.

70. *Ad secundum.*

Sanchez.

Ad tertium Respondetur negando consequentiam; quamuis enim coniux renunciet lucris in fauorem alterius coniugis, non acquirit coniux ea lucra ex alterius renunciatione in ipsius fauorem; sed tantùm renuncians tollit impedimentum, quo impediebatur alter coniux, ne ea acquireret, & eo ablato statim succedit alter; sicut, quando vir repudiat hæreditatem in fauorem vxoris, quæ substituta erat, aut futura hæres ab in testato valet *l. si sponsus ad fin.* ff. *de donat. inter vir, & vxor.* quo casu nihil accepit vxor à viro, sed solùm vir remouet impedimentum, vt succedat vxor.

71. *Ad tertiũ.*

Ad quartum constat ex dictis posse fieri renunciationem lucrorum acquirendorum, etiã in præiudicium legitimę debitæ ascendentibus & descendentibus.

72. *Ad quartũ.*

Ad quintum respondetur. Non requiri licentiam viri, dum vxor cum ipso contractum celebrat; neque eam esse auctoritatem, quæ requiritur in contractibus vxoris, sed meram licentiam, quæ tantùm requiritur in fauorem viri; nõ propter feminæ imbecillitatem; nam eadem imbecillitas perseuerat soluto matrimonio, & tamen tunc nulla requiritur licentia. Ita Matiẽzo *lib. 5. recopil. tit. 3 V. 2. Glossa num. 12.* & cum ea Sanchez *disp. illa 5. in fine.*

73. *Ad quintũ.*

Matienzo. Glossa. Sanchez.

DVBITATIO VI.

An valeat donatio remuneratoria inter coniuges?

Assẽrendum est donationem verè, & propriè remuneratoriam valere; nec exigere merita ex iustitiæ lege mercedem postulantia, sed satis esse quòd talia sint merita, quæ virum honestum, & probum ex obligatione gratitudinis ad antidora deceat remunerare. Ratio verò est, quia lege solùm prohibetur inter coniuges donatio simplex, & propria, qualis non est prædicta, vt constat ex l. *Aquilius Regulus* ff. *de donat.* ibi: *defendi non meram donationem esse verùm officium magistri mercede remuneratum.* & *l. si patet. Paragrapho finali* ff. *de donat. & l. metum. Paragrapho sed licet* ff. *de eo, quod metus caus.* & *l. sed & si lege §. consuluit.* ff. *de petit. hæred. planè si antidora acceperunt dicendum est locupletiores factos quatenùs acceperunt, & velut genus hoc esse permutationis.* Quibus in locis donationem remuneratoriam ad antidora obligantem appellat iuris cõsultus permutationem. Præterea *l. 1.* ff. *de donat.* dicitur eam esse propriè donationem, ad quam donator nullâ aliâ præcedenti causâ; nisi vt magnificentiam, & liberalitatem exerceat, ducitur. Atqui obligatus ad antidora non donat gratiâ solius liberalitatis exercendæ; sed potiùs vt naturæ debitum soluat: ergo non erit propriè donatio; sed remuneratio. Ita Panormit. *de donat. numer.* 3. Tiraquel. cum multis *l. si vnquam* verbo *donatione largitur numer.* 16. C. *de reuoc. donat.* Couarruu. *c. cùm in officiis numer.* 9. Menoch. *de præsumpt. libr.* 4 *præsumpt.* 167. Molina *tomo* 1. *de iustitia tractat.* 2 *disputation.* 244. & alij, quos refert & sequitur Sanchez *libr.* 6. *disputation.* 6. *numer.* 2. contra Pinel. *de bonis mater. libr.* 1. *p.* 1. *numer.* 61. & 62. quem rectè reiicit Ioan. Garz. *tractat. de donat. remunerat. à numer.* 1. & contra Matienzo, qui tamen *libr.* 5. *recopil. tit.* 9. *l.* 3. *Gloss.* 6. *numer.* 3. fatetur nostram sententiam esse communem, & receptissimam, non nulla tamen concurrere debent, vt ea donatio remuneratoria talis sit, & censeatur.

74. *Assertio affirmans valere.*

Ratio.

Panorm. Tiraquell. *Cũ multis.* Couarr. Menoch. Molina. Sanchez. *Cum aliis.* Contra Pinel. Ioan. Garzia. Et contra Matienzo.

Quædam requiruntur vt talis censeatur ea remuneratoria donatio.

Primò requiritur exprimi fieri ob benè merita; quamuis enim hæc præcesserint, si id non exprimatur censetur simplex donatio. Ita cum multis Barbosa l. *quæ dotis* 34. *numer.* 56. & 57. ff. *solut. matrimon.* Baldus *l. illud numer.* 8. C. *de Sacrosanctis Eccles.* Sanchez *supra numer.* 3. cum aliis, quando autem benè merita exprimuntur in donatione censentur causa finalis eritque donatio remuneratoria.

75. *Primò requiritur. Secundum aliquos.* Barbosa. Baldus. Sanchez. *Cum aliis.*

Nihilominus puto sufficere, quòd talia merita, præcessisse probentur, vt docet idem Sanch. *ibidem*, & cum multis Tiraquellus *l. si vnquàm* verbo *donat largit.* C. *de reuoc. dat. n.* 71. & deinceps præsertim *num.* 78. Vbi rectè ait, quamlibet donationem præsumi factam ob merita, quia nemo præsumitur donare nisi benè merito; sed si de illis non appareat, haberi pro simplici; nec enim donatio censetur remuneratoria; nisi merita æquiualeant donationi; quæ, si ignota sint iudicari nequit; an æquiualeant; si tamen appareant,

76. *Sufficit nihilominus si probetur præcessisse merita. Sanchez cũ multis.* Tiraquell.

reant, etiamsi de illis mentio in donatione non fiat, præsumitur ob merita donatio facta, atque adeò remuneratoria. Legatur Sanchez loco citato, vbi cum multis docet donationem à patre filio censeri remuneratoriam, quando probantur merita donatione digna præcessisse. Meritò autem docet Molina *tomo 1. disputation. illa* 244. & idem Sanchez *suprà* cum aliis in foro conscientiæ non esse necessarium ea merita probari; sed satis esse, si donatario constet, quia probatio tantùm requiritur, vt res constet iudici in foro externo. Ex quo licet inferre, etiamsi filius, aut coniux donatarius in foro externo merita æqualia non possit probare; si de illis constet ipsi pro foro interno, posse tutâ conscientiâ occultè tantundem sibi accipere de bonis patris aut coniugis; fuit enim valida donatio & plenum ius irreuocabile acquisiuit.

Sanchez. *Donatio à Patre filio censetur remuneratoria, quando probantur digna merita*

Molina. Sanchez. *Cum aliis non requiri probari pro foro conscientia.*

Et poterit retinere donatarius in foro conscientiæ si ipsi constent merita, aut occultè sibi cõpensare.

Secundò requiritur quòd merita & obsequia non sint aliàs debita; nam, si talia sint, non censentur remuneratione digna; quia in necessitatibus nemo vnquàm liberalis existit *l. rem legatam* ff. *de adimen. vel transferend. legat. l. si seruo* ff. *de hæred. instit. l. proximè* ff. *de ritu nupt.* Ita docet Sanchez cum multis, quos refert *suprà numer.* 4. Sed videndum est, de qua ratione debiti loquantur hi auctores; nam, si loquantur de debito non solùm iustitiæ, sed pietatis, & mutui vinculi amoris debiti, vix vnquàm erit locus inter patrem & filium, virum & vxorem. Quid enim vnus pro altero faciet, quod ex pietatis & amoris debiti lege non debeat vir & vxor, pater & filius. Vnde citata lex proximè dicit. *Nec libertus obsequia præstando, nec vasallus fidelis pro domino moriendo, nec filius pro patre elaborando, nec vxor virum colendo quidquam faciunt; nisi aliud maius, & grauius intercedat, quod ad meritum pertinere videatur.* Ex quo patet ad hoc vt obligatio gratitudinis considerabilis pro obligatione ad antidora, seu ad remunerandum intercedat inter virum & vxorem, alioquin iustè & meritò debebat oppetere, vel pro liberando à carceribus vel perpetuâ seruitute insignem bonorum suorum iacturam; vitæque maximum discrimen subierit, tantumque laborauerit, vt iudicio prudentum non teneretur ad tam exactam, seu nimiam diligentiam; tunc æquum omnino est, vt in signum gratitudinis maritus ad meliorem fortunam restitutus quantum possit, vel iudicio prudentum satis sit; vxoris officia præstita remuneret. Imò, etiamsi talia non intercedant; sed ab initio alter coniux alterum in coniugem accipiendo ad multò maiorem dignitatem & honorem euexerit: satis mihi videtur, vt in tanti beneficij remunerationem etiam post initum matrimonium possit donationibus remuneratoriis tantum beneficium recognoscere, quin imò adhuc puto alia beneficia exhibita ante matrimonium, quã-

77. *Secundò requiritur nõ esse debita obsequia. Ratio ex iure. Sanchez cũ multis. Quomodo debitum in hac re accipiendum.*

do non debebantur obsequia mutua inter nondum coniuges posse remunerari post initum matrimonium. Cur enim initum fuisse posteà matrimonium tollet obligationem naturalem ad antidora? Semper enim verum est alterum alteri exhibuisse beneficia non debita, vt supponimus, atque adeo dignum esse antidotali remuneratione. Sed de tempore post matrimonium infra dicemus.

Tertiò requiritur, vt prædicta obsequia & bene merita sint insignia; nam communia, & vulgaria non videntur tali remuneratione digna. Ita Sanchez supra numer. 5. cum aliis. 78. *Tertiò requiritur obsequia & merita esse insignia. Sanchez cũ aliis.*

Quartò requiritur, quòd donatio non excedat; nam si excedat, quantum ad excessum censetur donatio simplex. Ita Sanchez cum aliis multis *supra numer. 6.* probatque ex cap. *relatum* & 2. *de testam.* ibi: *iuxta seruitij meritum.* Quæ doctrina absolutè mihi placet pro omni remuneratione ex gratitudine; nisi quòd ea commensuratio non debet esse nimis exacta; quia, cùm talis remuneratio sita sit in decentiâ quâdam naturali sic faciendi, sæpè quidem (præsertim inter homines nobilioris conditionis) decet remunerationem esse aliquantò ampliorem, si commodè fieri possit, imò, nisi hoc fiat non satis censetur remunerare; nam, vtcumque det æquale remunerator; tamen prouocatus dedit ab eo, qui primò contulit beneficium. Vt ergo compenset illam gratiam quòd à se tantùm motus primò beneficiũ contulerit, par est remuneratorem aliquid etiam amplius rependere. Neque in hoc puto citatam legem esse contrariam; sed potiùs fauere; nam illa verba iuxta seruitij meritum complecti possunt non tantùm ipsam seruitij materialis quantitatem; sed etiam dedisse initium, & causam, nondum prouocatum simili beneficio. Vnde meritò Sanchez *numer.* 7. & deinceps de hac remunerationis æqualitate latè disputat, & contra aliquos alios cum D. Thoma 22. *q.* 106. *articul. 6.* & Aristotele 5. Ethicorum. Seneca *libro 2. de beneficiis cap.* 18. concludit debere compensationem excedere. Quâ de re diximus *in Tractatu de Pœnitentia disputation. 1. numer.* 136. consequenter ad prius dicta *numer.* 53. Recognosce illa, si placet. 79. *Quartò requiritur quod donatio non excedat. Sanchez cum aliis multis. Quo sensu generaliter id placeat pro omni remuneratione.* *Gratitudinis remuneratio debet excedere meritum & obsequium.* Sanchez. 80. *Qualis proportio seruanda in eo excessu si media parte excedat non esse nimium putat. Baldus & alij. Quidam tantum in modico debere esse.* Nauarr. Barbosa.

Quantus autem debeat esse iste excessus? Doctores non consentiunt. Quidam putant non esse nimium excessum, quando remuneratio non excedit dimidium meritorum. Ita Baldus & alij apud Sanchez *numero* 8. Alij solùm dicunt debere excedere in modico, puta *in quarta parte*, vt si merita valeant duodecim, remuneratio sit sexdecim. Ita Nauarrus, & Barbosa apud Sanchez *numer.* 9.

Probabilius est, quod docet idem Sanchez cum Tiraquel, & aliis *numer.* 10. id arbitrio prudentis decidendum esse spectata donantis qualitate; an diues sit, aut nobilis. Vnde hi Auctores meritò putant censeri donationem remuneratoriam, quamuis merita excedat, dummodò nõ excedat id, quod diuites ac nobiles in eo euentu remunerare solent. 81. *Arbitrio prudentis id relinquendũ est. Tiraquel. & alij. Sanchez.*

Habemus ergo ex dictis validam esse do- 82.

nationem

Concluditur valere donationem remuneratoriam qua & qualis dicta est.

nationem remuneratoriam inter coniuges, qualem hucusque descripsimus. Ita docent multi Theologi & iurisperiti, quos refert Sanchez *numer.*3. & 11. propter rationem iam insinuatam ; quia scilicèt sola donatio simplex inter coniuges est prohibita. Vnde multi Doctores, vt videbimus, docent constante matrimonio posse maritum ignobilem vxori nobili dotem constituere ; quia est donatio remuneratoria. Item multi docent posse post initum matrimonium dari per maritum arras vxori, sed de primo dicemus *dub. sequenti.* de secundo verò disputat Sanchez *disputation.* 28. *eiusdem libr.*6. & nos cum illo disputabimus *dubitation.*28.

Multi Theologi & iurisperiti apud Sanchez.

Inde colligunt aliqui Quando maritus possit constante matrimonio dotem vxori constituere, arras dari.

Quæret iam aliquis, quænam sint obsequia vxoris non debita viro, vt ob ea liceat viro vxorem remunerare?

De his tamen postea.

83. *Quæsitum obsequia vxoris non debita viro.*

Quidam apud Sanchez *n.* 13. putant omnia obsequia esse debita, etiam vilia.

84. *Quidam omnia putãt deberi.*

Nihilominus mihi placet vxorem, maximè nobilem, non tenêri ad ea vilia obsequia, quæ dedeceant suam dignitatem. Quare, si propter amorem viri, non alteri fidens, velit per semetipsam ea munera obire, quæ famulis, & famulabus committi solent; digna sunt merita remuneratione, neque enim tenetur lauare pedes, aut caput viri, cibos condire, aut alia seruilia munera exercere, vt ex *l. interdum la.* 1. ff *de operis libert* : probat cum multis Sanchez *numero* 14. Quando autem coniuges adeò pauperes sunt, vt non possint famulam conducere, teneretur vxor tunc ea munera per se obire.

85. *Non tenetur vxor nobilis ad vilia, & sibi non decẽtia. Sanchez. Secus pauper aut vilioris conditionis.*

Præterea censentur obsequia digna remuneratione, si, quamuis aliàs debita, sint impensa diutissimè vt in nimis diuturna ægritudine Patris, vel viri, in quâ pietatis, & amoris signa ostendit magnâ curâ inuigilando & seruiendo ægrotis. Ita Sanchez loco citato cum aliis.

86. *Diuturnitas obsequiorum etiam debet computari & similia signa amoris. Sanchez cũ aliis.*

DVBITATIO VII.

An valeat donatio, qua coniux alteri dotem dicit?

87. *Vxor ante & post matrimonium initum potest viro dotem constituere. Ratio.*

QVod attinet ad vxorem docent communiter Doctores ante matrimonium, & post ipsum initum, posse dotem viro constituere. Ratio est ; quia mulier dotata à principio potest dotem augere constante matrimonio: ergo nondum dotata poterit à fortiori dotem constituere. Antecedens patet ex *l. si constante* & *l. finali* vers. *Quare enim* C. *de donat. ante nupt.* & *expressius instit. de donat.* §. *Est, & aliud ver. Et primis quidem.*

88. *Ex alio principio satis probabili idem deducitur. Bartol. Ioan. Lup. Antonius Gomez.*

Vlteriùs satis probabile est mulierem diuitem nullo inito pacto de dote, quando nubit, censeri bona in dotem promittere, vt docet Bartol. *l. si constante numer.*78. ff. *soluti matrimon.* & probabile putat Ioannes Lupus, *Rubric. de donat. paragrapho* 3 *numer.*1. *in fine* & cum multis docet Antonius Gomez *l.* 50. *Tauri numer.* 17. & notatur *l. mulier bona* ff. de iure do-

tis. Sanchez *disputation.* 7. *numer.* 1. Accedit, quòd dos soluto matrimonio redit ad vxorem, dos enim non redit ad virum ; sed soluto matrimonio dos est vxoris ; ergo quamuis vir non possit subsistente matrimonio dotem vxori constituere, de quo posteà dicemus; poterit vxor constante matrimonio virum dotare. Ita docent Sanchez suprà, & alij, quos refert *numer.* 1. & meritò docet contra Baldum Nouellum valere dotem, etiamsi excedat congruentiam iuxta viri qualitatem ; quia nimirùm illa dos reditura est ad vxorem soluto matrimonio.

Sanchez. *Firmatur.*

Sanchez & alij.

Valet dotis constitutio etiam si sit excessiua.

Quod attinet ad virum asserendum est primò non valere, si vir constante matrimonio dotet vxorem *l. si quis vxori* ff. de donat. inter vir & vxor. Ratio verò à priori est ; quia dotis constitutio est donatio *l. final. paragrapho si à socero* ff. *Quæ in fraudem creditoris.* Ita cum multis Sanchez *disputation.*7. *numer.*2. qui cum aliis etiam docet, idem esse, si dotis constitutio fiat quidem ante contractum matrimonij, sed referendo se ad tempus, quo iam sit contractum; vt, scilicèt, inito matrimonio acquiratur, & non aliàs; omnis enim donatio inter sponsos relata in tempus matrimonij nulla est, vt docet idem Sanchez *disputation.*1. *eiusdem libr.* 6. *numer.*6. & cum eo diximus supra *dubitation.* 1. omnes enim hæ donationes censentur inter virum & vxorem, atque adeò inualidæ, id est reuocabiles; nisi morte confirmentur ; valebit tamen donatio, si vir ante initum matrimonium absolutè dotet vxorem, non referendo se ad tempus initi matrimonij sed ita, vt statim acquirat dominium illius *l.*1. C. *de donat.* & docent multi apud Sanch. suprà.

89. *Non valet dos si vir constante matrimonio dotet vxorem. Probatur ex iure. Ratio à priori. Sanchez cũ multis. Idem est si ante matrimonium referendo se ad tempus existentis matrimonij.*

100. *Aliqui tamen casus sunt, in quibus valet.*

Verum iuxta doctrinam supra traditam, & alia principia generalia nonnulli sunt casus, in quibus dotis constitutio facta vxori à viro valida est.

101. *Primò valet si vir excedatur in nobilitate aut nimis in iuuentute. Sanchez cũ multis. Ratio.*

Primò valet, quando vir exceditur ab vxore nobilitate, vel nimis etiam exceditur inuẽtute, vt, si ignobilis, aut multò minùs nobilis, aut senex ducat nobilem, aut iuuenculam. Ita docent multi, quos refert & sequitur Sanchez *suprà numer.*3. Ratio verò à priori est, quia iuxta dicta *dub.* 6. donatio remuneratoria valet inter coniuges ; talis autem est hæc; remuncrat enim vir beneficium acceptum à puellà nobili, aut iuuene ; quòd non dedignata fuerit nobilis ignobili, aut iuuencula seni nubere.

102. *Etiam id valet quãuis femina sit pauper & ille diues. Ioan. Lup. Sanchez.*

Atque hoc locum habet, etiamsi nobilis femina sit pauper, & vir valdè sit diues; nam se exponit periculo manendi deterioris conditionis soluto matrimonio post viri obitum. Ita Ioannes Lupus Rubric. *de don. paragrapho* 3. 9. *num.*9. & Sanch. *supra n.*4.

103. *Non tamen ea donatio habet priuilegia dotis. Couarr. Lud Lop. Sanchez.*

Qui etiam cum Couarruu. & Ludouico Lopez docet *num.*5. eam donationem non habere priuilegia dotis etiamsi communiter dos appellari soleat, quia non est verè & propriè talis; nisi sola illa, quam vxor tradit marito ad onera matrimonij sustinenda.

104. *Valet secundò si virginẽ seductã violauit & ducat constat ex iure.*

Secundò; si quis virginem seductam violauit, ideoque illam ducat, & dotet, valebit dotis constitutio; neque enim illa est donatio,

Sanchez. Ioan. Lup.

cùm ad hoc teneatur *cap. 1. de Adulteriis.* Ita Sánchez *supra numer. 6.* Ioannes Lupus *supra paragrapho 39. numer. 3.*

105. *Valet tertiò, si Papa dispenset sub conditione dotis. Ratio.*

Tertiò valet, si Pontifex dispenset inter consanguineos eâ lege, vt vir dotet vxorem; neque enim tunc est donatio, sed ex causâ onerosâ datur, vt Pontifex dispenset.

106. *Quartò valet vbi est consuetudo sic dotandi. Sanchez cũ aliis.*

Quartò vbi consuetudo est, quod vir dotet vxorem, valet, quia consuetudo vincit legem; estque altera lex *cap. final. de consuetud.* Ita Sanchez *supra n. 8.* cum aliis.

107. *Quintò valet si fiat vt concilientur discordes animi consanguineorũ vtriusque.* Sanchez. Ioan. Lup.

Quintò valet, si vir constituat dotem vxori, vt animi discordes concilientur consanguineorum vtriusque coniugis; quia tunc non est proprie donatio; neque enim sola liberalitas mouet; sed bonum pacis. Ita Sanchez *supra numer. 9.* cum Ioanne Lupo *supra paragrapho 32. numer. 6.*

DVBITATIO VIII.

An dos vxori constituta per virum minuat legitimam debitam hæredibus viri?

108. *Assertio 1.*

Assero 1. si constituatur dos à viro ignobili, vel sene futuræ vxori nobili, aut iuuenculæ ante initum matrimonium, extrahi debet dos, ex toto cumulo bonorum mariti, etiam cum præiudicio legitimæ portionis debitæ ascendentibus, aut descendentibus. Vnde in Regno

Valet etiam pro Regno Castella.

Castellæ, quamuis in præiudicium descendentium non possit quis disponere, nisi de quinto bonorum, & in præiudicium ascendentium de tertio: nihilominùs prędicta dos de toto cumulo bonorum viri extrahenda erit; non de solo quinto aut tertio. Ita contra Ioannem Garz. *de donat. remun. numer. 42.* docent Sanchez *libr. 6. disputation. 8. numer. 2.* cum aliis. Ratio est, quia ante contractum matrimonij datur ex causâ onerosâ, & necessariâ; ac proinde non est donatio, sed onerosus contractus, *do vt facias*: cùm largiatur dotem nobili, vel iuuenculæ, vt sibi ignobili, vel seni nubat, & eâ ratione compenset disparitatem.

Contra. Ioan. Garziam. *Sanchez cũ aliis. Ratio.*

109. *Assertio 2.*

Assero secundò si constante iam matrimonio ea dos constituatur, non minuit legitimam ascendentibus; vel descendentibus debitam, sed extrahitur ex ea parte, de quâ secundum leges potest vir iustè, & legitimè disponere. Ita idem Sanchez supra cum aliis. Ratio est; quia, quando nulla dotis constitutio, aut promissio præcessit, ea est donatio remuneratoria ex causâ lucratiuâ, & voluntaria, vt cum Bartulo & Socino docet ibidem Sanchez; neque enim vxor tunc sub eo pacto contraxit; atque adeò promissio, seu constitutio dotis non est ex causâ onerosâ; sed voluntariâ cùm, si omittatur, non fiat in præiudicium feminæ, quæ non sub eâ lege contraxit. Vnde ad summum tantùm est donatio remuneratoria; omnis autem remuneratoria donatio, quæ non debetur ex lege iu-

Sanchez cũ aliis. Ratio 1. Bartulus. Socinus.

Ratio 2. à simili.

stitiæ, non potest minuere legitimam. Probatur secundò à simili, quia non sufficit donatio remuneratoria, vt vir possit non seruare filiis prioris matrimonij; quæ habuit ab vxore titulo lucratiuo donationis, cùm tamen possit non seruare, quæ habuit titulo oneroso *l. feminæ* C. *de secund. nupt.* Auth. *Hoc lucrum* C. *eodem titul.* & docet Couarruu. 2. *Detretal. 2. par. cap. 3. paragrapho 9. numer. 7.* Sanchez cum aliis *suprà* vnde iuxta magis communem & veriorem sententiam, quam cum multis ibi sequitur Sanchez, donatio. Arrarum à priori viro facta reseruanda est ab vxore filiis prioris matrimonij, cùm tamen donatio remuneratoria sit; signum ergo est non esse pleno iure iustitiæ cum detrimento debitæ legitimæ descendentium translatam eam rem in vxorem, dos tamen constituta à viro sene, vel ignobili, vt sibi nubat iuuencula, vel nobilis, non debet ab vxore reseruari filiis prioris matrimonij, vt docent multi apud Sanchez: signum ergo est eam dotem non esse donationem, sed contractum onerosum, vt dicebamus in primâ assertione. Atque adeò deducenda erit, tanquam debitum ex toto hæreditatis cumulo.

Cottarr. Sanchez cum aliis.

110. *Assertio 3.*

Assero tertiò etiam ex toto cumulo extrahitur dos constituta à viro vxori ex præcepto Pontificis eâ lege dispensantis, vt consanguineam vxorem pauperem dotet, est enim contractus ille onerosus initus cum Pontifice, vt dispensationem concedat.

111. *Assero 4.*

Assero quartò quando consuetudo recepta non cogit; sed permittit dotare feminam, vir eâ vtendo consuetudine dotans non potest dotare in præiudicium prædictorum hæredum; sed tantùm ex eâ parte, de quâ potest vir liberè disponere, perinde, atque de Arris docet Sanchez *libr. 6. disputation. 36. num. 15.* & nos *in sequentibus* dicemus, quia nimirum ea dotis constitutio, sicut & arrarum donatio, non est debita ex iustitiâ; sed ex causâ voluntariâ procedit.

Sanchez. *Ratio.*

112. *Assertio 5.*

Assero 5. quando nullo præcedente pacto procurandi eo medio concordiam, vir dotat vxorem propter bonum pacis inter vtriusque consanguineos, dotare debet sine detrimento legitimæ ex eâ tantùm portione, de quâ potest libere disponere, est enim causa voluntaria, si verò præcessisset pactum iustum, vt gratiâ cedendi lite iustâ, tunc esset transactio; atque adeò extrahenda esset ex toto hæreditatis corpore.

Ratio.

113. *Assero 6.*

Assero sextò, si dos constituatur à viro, quando illam deflorauit casu, quo tenetur dotare, illud est verum debitum, & non voluntaria donatio; atque adeò extrahendum ex toto corpore; nec tenebitur vxor secundò posteà nubens filiis prioris matrimonij eam dotem reseruare. Ita Sanchez cum aliis *supra.*

Sanchez. cum aliis.

DVBIT.

DVBITATIO IX.

An censeatur donatio & valida, si vir fateatur se recepisse dotem, aut maiorem summam, cùm tamen recepisse non constet?

114. *Quatuor sententiæ circa hoc apud Sanchez. Prima sententia. Secunda sententia. Tertia sententia. Hanc sequuntur multi apud Sanchez. Couarr. Quarta sententia.*

QVatuor sententias circa hanc rem refert. Sanchez *lib.6.disp.9.* Prima est concessionem ante initum matrimonium non censeri factam animo donandi, sed spe futuræ numerationis; Censeri verò tali animo factam post initum matrimonium, & tunc censeri inualidam; nisi morte confirmetur perinde, atque de cæteris donationibus dictum est. Secunda sententia est semper censeri factam concessionem receptæ dotis animo donandi. Tertia est nunquam censeri tali animo factam; sed spe futuræ numerationis. Hanc sequuntur multi, quos ibi refert Sanchez ex Couarruu. qui illis subscribit docens esse veram sententiam, licèt fiat adhibitâ renuntiatione exceptionis non numeratæ dotis. Quarta sententia est tunc præsumi donationem, quando concessio fit constante matrimonio adiectâ renuntiatione exceptionis non numeratæ dotis, secùs verò, si renuntiatio non adhibeatur, qui enim exceptioni renunciat, priuatur spe futuræ numerationis; nec manet alia coniectura, quæ haberi possit de illâ concessione; nisi quòd facta fuerit à viro donante. Ita Menoch. *de Præsumpt. lib.32. Præsumpt. 12. num.51. & 52. iuncto num.60.* & alij apud Sanchez *suprà.*

Menoch. *Alij apud* Sanchez.

115. *Assertio 1.*

Assero 1. Si vir confiteatur dotem receptam, aut maiorem summam, vt honori suo consulat; ne incompetenter dotatam duxisse videatur; vel, vt satisfaciat parentibus, aut consanguineis alias renitentibus, concessio est nullius momẽti; nec donationem inducit; sed constat de animo simulato. Ita Molina *de iustitia tract.1. disput.* 439. § *vt quid tenendum sit.* Valascus *cons.5. num.21. tom.1.* Sanchez *supra n.2.* & aliqui Recentiores.

Molina. Valascus. Sanchez. *Recentiores.*

116. *Assertio 2.*

Assero 2. concessio dotis receptæ, aut maioris summæ, de cuius receptione non constat, si facta sit nondum inito matrimonio, constetque factam fuisse animo donandi: donatio, & concessio nulla est, sed prorsus inualida, ac proinde non confirmatur morte. Ita Molina *supra* §. *Quando autem: & seqq.* Valascus *supra num.4.* Sanchez *supra* cum alijs. Probant *L.1. C. de Donat. ante nupt.* ibi *multum interest si ea, quæ donat vir futurus, tradiderat vxori, & postea in dotem acceperit; an verò donandi animo dotem auxerit, vt videatur accepisse quod non accepit, priori enim casu donatio non impeditur, & res, quæ in eâ causâ sunt dotis effecta, iudicio de dote peti possunt: posteriori autem casu nihil actum est de donatione: & quod in dotem datum non est, repeti non potest.*

Molina. Valascus. Sanchez. *Cum aliis. Probatur.*

117. *Disparitas inter hoc genus fictæ donationis & alias donationes, quæ possunt mortè donantis confirmari.*

Quamuis autem donationes factæ inter cõiuges ante initum matrimonium relatæ in matrimonij tempus ita validè sint, vt tamen confirmari possint morte præuiâ coniugis donantis perinde, atque de donationibus constante matrimonio diximus *dub.1.* & de his dicemus iterum in sequentibus cum Sanchez *lib 6. dub. 14. num.2.* nihilominùs hic non est eadem ratio; tùm, quia hæc, de quâ agimus, legibus facta est inualida, tùm, quia necessaria est traditio rei donatæ, vt donatio morte confirmetur, vt ibidem diximus, & in sequentibus dicemus cum Sanchez proximè citato; in præsenti autem casu nulla est traditio.

118. *Obiectio.*

Sed obiicies, quando constante matrimonio cõcessio fit dotis receptæ præsumitur donatio, & morte confirmatur; & tamen etiam tunc traditio deficit: ergo nõ est necessaria traditio.

119. *Respõdetur.* Molina. Sanchez.

Respondetur cum Molinâ, & Sanchez citatis disparem esse rationem; quia; quando fit constante matrimonio, censetur ibi virtualis quædam traditio fictione iuris intercedere; censetur enim; quasi tradita dos vxori à viro, & mox ab ipsâ vxore viro, vt soluto matrimonio ipsi vxori restituatur; nam dos constante matrimonio esse debet apud maritum, vt onera matrimonij sustineat. Quando autem ante matrimonium fit concessio dotis receptę; nec constante matrimonio ea concessio repetitur, non habet rationem dotis; cùm nondum sequutum sit matrimonium, atque adeò non sit locus præsumendi, aut iudicandi talem à iure fictam virtualem traditionem factam vxori à viro, & rursus in continenti ab vxore viro, ac proinde donatio, est prorsus inualida, nec morte confirmatur.

120. *Assertio 3.*

Assero 3. Quando dubium est de animo donandi ex parte viri ante initum matrimonium confitentis receptam dotem, vel augmentum; non præsumitur animus donandi, sed potiùs spes futuræ numerationis; quia, quando actus in vno casu est permissus, & in alio prohibitus, præsumitur in dubio factus in casu permisso, & non in prohibito vt ex Baldo, Alexandro, & Iasone docet Sanchez *supra num.4.* Atqui prædicta dotis concessio potuit fieri in casu permisso, spe, scilicèt, futuræ numerationis: ergo non est censenda facta in casu prohibito donationis inter coniuges. Accedit; quòd, cùm possit sumi coniectura spei prædictæ, non est cur præsumenda sit donatio, quę non est facilè præsumenda. Ita docent Couarruuias *1. Variar. c.7. num.4.* Valascus *cons.5. num.3. tomo 1.* & alij multi apud Couarruuiam & eundem Valascum, item Molina *disp. illâ 439. § & quidem* & alij quos refert & sequitur Sanchez *supra num.4.* qui cum Alciato & Valasco idem putat esse iudicium, quando concessio fit in ipso contractu matrimonij.

Ratio. Baldus. Alexand. Iasone. Sanchez. *Firmatur.* Couarr. Valascus. *Alij multi.* Molina. Sanchez. *Cum aliis.*

121. *Assertio 4.* Valascus. *Alij apud* Sanchez. Molina. *Ratio.*

Assero 4. Si vir confiteatur iam inito matrimonio receptam dotem, aut eius augmentum præsumitur in dubio animus donandi. Ita Valascus proximè citatus, & alij apud Sanchez *supra num.5.* præcipuè Molina *supra* §. *Quando confessio* & §. *ergo sane.* Ratio verò est, quia inito iam matrimonio nullâ dote promissâ, aut receptâ, non est verisimilis præsumptio, quod vir receptam fateatur, sub spe recipiendę; sed potiùs quòd blanditiis & amore vxoris ductus animo donandi fassus fuerit receptam. Item quoties testator fatetur se debere alicui summam, etsi reuerâ non debeat, censetur eam velle legare: *L. qui vxori ff. de auro, & argent. Leg. & L. Lucius* §. *Sempronia ff. de Leg.3. L. Aurelius* §. *fin. ff. de libert. legat. L.2.* & *3. C. de falsa causâ adiecta legat.* & in

Alia ratio à simili.

Regno Castellæ L. 19. tit. 9. partitâ 6. ergo idem erit in nostro casu.

122. *Contra proxime dictũ replica.* Dicet tamen aliquis non esse simile; quia, quando confessio fit in vltima voluntate, nulla subest spes futuræ remunerationis, cùm tamen subesse possit in nostro casu.

123. *Reiicitur & respondetur.* Menoch. Contra hoc est; (vt rectè Menochius *lib.* 3. *Præsumpt.* 11. *num.* 50.) etiam in vltimâ voluntate posse esse spem futuræ remunerationis, vt, si testator non ægrotus; sed sanus ita disponeret, cùm tamen textus generaliter decidant confessionẽ falsam debiti censeri in dubio donationẽ.

124. *Assertio* 5. Assero 5. In omnibus casibus, in quibus donationes inter coniuges non valent, sed possunt reuocari, & tamen possunt morte confirmari; pari ratione donatio consurgens ex prædicta confessione inualida est, vt reuocari possit, & potest etiam morte donantis coniugis confirmari, Quamuis enim re ipsâ donatio non fuerit secuta, tamen censetur, virtualiter facta fictione iuris iuxta dicta ad finem secundæ assertionis. Vnde si vir reuocauerit, non valebit; si verò sine reuocatione perseuerauit vsque ad mortem, superstite adhuc vxore, confirmabitur sicut cæteræ donationes. Ita Molina *supra disput. cit.* §. *secundum, si eadem confessio.* Couarruuias 1. *variar. c.* 7. *num.* 4. Valascus *cons. illo* 5. *num.* 16. Sanchez *supra num.* 6. Cum quo dicemus dub. 15. quando censeatur reuocata donatio consurgẽs ex tali confessione.

Molina. Couarr. Valascus. Sanchez.

125. *Assertio* 6. Assero 6. valebit donatio ex eâ confessione consurgens in omnibus, in quibus valet donatio inter coniuges, ita, vt, sicut tunc donatio statim censetur irreuocabilis & firma, idem sit in nostro casu. Ita Molina proximè citatus. Valascus *n.* 17. Sanchez *n.* 7.

Molina. Valascus. Sanchez.

126. *Quid censendum, si senex nobilis fatetur acceptam à se dotem nobilis & iuuenculæ vxoris. Varia sententia.* Hinc decidit Sanchez *num.* 8. quid sentiendũ, si vir ignobilis aut senex fateatur se dotem recepisse ab vxore nobili, & iuuenculâ. In quâ re pro casu dubij quidam, quos ibi refert, putant non præsumi animum donandi. Alij verò distinguunt, & aiunt confessionem ante contractum matrimonij non significare animum donandi; secus verò post contractum matrimonij.

127. *Censendum est valere.* Sanchez. Affirmandum nihilominùs est cum eodem Sanchez consequenter ad ea, quæ diximus *dub.* 7. *assert.* 2. valere eam confessionem, censerique in dubio animum donandi, ac proinde statim esse firmam, & irreuocabilem donationem; æquum enim est, vt hanc disparitatem vir remuneret, & compenset. Ideò huic obligationi antidorali præsumitur velle satisfacere. Ita multi apud Sanchez *num.* 8. inter quos Molina *disp. illâ* 439. §. *secundum si eadem.* Quapropter idem iudicium est, siue confessio fiat ante, siue post initum matrimonium, semper enim adest causa credendi velle satisfacere obligationi antidorali, & coniectura est sufficiens ad præsumendum talem animum, vt notauit Menochius *de Præsumptionibus lib.* 3. *præsumpt.* 12. *num.* 77. *in fine.* Neque hic locum habent rationes, quibus ducti diximus *supra assert.* 2. & 3. hanc donationem, vel esse inualidam, licèt de animo donandi constaret, vel non præsumi in dubio animum donandi; in præsenti enim casu neque inualidatur donatio à lege, neque præsumitur actus ille factus in casu alioquin à lege prohibito, quamuis enim præsumatur animus donandi pro tali casu, nihil fit contra legem.

Multi alij apud ipsum. Molina.

Menoch.

Occurritur obiectioni quæ posset opponi.

Nihil autem refert, quòd tempora exceptionis non numeratæ dotis elapsa sint; quando hęc confessio habet vim donationis. Nam, cùm hæc ab initio præsumatur, & firma sit, nullus est locus tali exceptioni, siue post siue ante alioquin legitima tempora elapsa. Ita Couarruuias *1. variar. c.* 7. *num.* 4. Molina *suprà* Sanchez *suprà*, & alij. 128. *Alteri obiectioni occurritur.* Couarr. Molina. Sanchez. Alij.

Assero 7. Quando iam dos ante contractum matrimonij fuit promissa, & illo inito fatetur maritus, se recepisse dotem, non præsumitur in foro externo, vel habuisse animum donandi, vel fateri spe futurę numerationis; sed potiùs præsumitur verè dotem recepisse. Est communis Doctorum sententia, teste Sanchez *supra numer.* 10. Ita Couarruuias *sup. n.* 6. Molina supra §. Item quando Menochius & alij apud Sanchez, contra nonnullos alios. 129. *Assertio* 7. *Communis sententia.* Couarr. Molina. Menoch. *Alij.*

DVBITATIO X.

An valeat inter coniuges donatio causa mortis?

CErtum est valere *L. si eum seruum* 10. *in fine.* & *L. seq. ff. de donat. inter vir. & vxor.* & *L. sed interim* 12. §. *sed quod dicit. ff. eodem titulo.* Ita docẽt omnes Doctores, Teste Sanchez *lib.* 6. *disput.* 10. vbi explicat Couarruu. & Iulium Clar. qui videntur sentire non valere, sed reuera tantùm docent, vel non valere irreuocabiliter, quia potest donans reuocare, dum superstes est, vel, quia non ita valet, vt per eam donationem statim transferatur dominium. Quamuis enim generaliter loquendo per donationem causa mortis traditione secutâ transferatur vt multi putãt, statim dominium, & docet Sanchez eodem *lib.* 6. *disp.* 4. *num.* 2. Nihilominùs per donationem causa mortis inter coniuges speciali iure non valet, donec mors donantis sequatur, vt habetur *L. sed interim in principio citata*; etiamsi coniux causa mortis donans tradat rem donatam coniugi donatario. Legatur Sanchez *supra num.* 1. Molina *de Iustitia tract.* 2. *disput.* 288. §. *dubium est.* Vide dicta à nobis de Iustitia lib. 2. Tract. 5. dict. 1. num. 188. 130. *Valet. Constat ex legibus. Omnium sententia. Sanchez explicans Couarr. Iulium Clarum.* *Speciale ius circa donationem causa mortis inter coniuges.* Sanchez. Molina.

Quod si inter coniuges fiat donatio causa mortis eâ conditione, vt irreuocabilis sit, inualida est; quia transit in donationem inter viuos, quæ non valet. Vt habet *L. vbi donatur* ff. *de don. causa mort.* Vbi Glossa verbo *non valet.* ait minimè tunc valere tanquàm donationem causa mortis, sed confirmari morte donantis, more aliarum donationum inter viuos. Si tamen eo pacto fiat, vt non possit reuocari, nisi donatarius præmoriatur, valebit; quia est donatio causa mortis. Ita Sanchez *supra nu.* 2. cum Ioanne Lugo. 131. *Si ea donatio dicatur causa mortis & fiat pacto non reuocãdi, est inter viuos & hæc non valet. Constat ex iure. Quando tamẽ & quatenus valeat.* Sanchez. Ioan. Lug.

Inde colligitur valere donationem, si mutuò donent sibi coniuges eâ lege, vt alterius obitu superstes ipsius bona habeat, quamdiu vita durauerit; est enim donatio causa mortis. Legatur Sanchez *supra num.* 3. qui rectè notat *Legem sextam Tauri*, quæ est *Lex* 1. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopil.* qua in Castella disponitur, ne possit descendens in prę- 132. *Corollariũ pro praxi valere si sibi mutuo donent pro vita superstitis.* Sanchez.

iudicium

iudicium ascendentis disponere, nisi de tertiâ bonorum parte, limitari debere pro hoc casu; solùm enim intelligitur; quando est ex merâ liberalitate donatio; secus verò, si sit per pactum reciprocum, de quo agimus. Pro quâ sententiâ alios refert.

Alij id docent.

133. *Nec requiritur in ea donatione traditio. Ita multi apud Sanchez contra quosdam.*

Subinde notat contra nonnullos alios cum multis alijs non requiri traditionem in hac donatione; nullo enim iure probatur; imò talis donatio est instar legati; ac proinde ex eâ, sicut ex Legato detrahitur Falcidia, & legatum valet inter coniuges.

134. *Aliud notandum.*

Aduertit vlterius *num.*1. hanc donationem causa mortis inter coniuges factam confirmari quidem, quoad dominium, deportatione viri donantis; virum tamen posse reuocare, dum vixerit *L. sed si mors in principio.* Gloss. ibi: verbo *Rata ff de donat. inter virum, & vxorem.* Pro quâ doctrina plures alios refert. Nec requiritur traditio, vt rectè contra Acostam docet Molina *disp. illa* 288. §. *Dubium est vtrum donatio causa mortis.* quia prædicta *lex*: *sed si mors*: generaliter loquitur de donatione causa mortis facta vxori.

135. *Donatio causa mortis viro facta per vxorem expirat morte ciuili vxoris.*

Donatio verò causâ mortis viro facta per vxorem exspirat morte ciuili vxoris perinde atque morte donantis exspirant cæteræ donationes causâ mortis factæ, morte, scilicet, donantis ciuili; est enim solius vxoris priuilegium, vt morte ciuili viri non exspiret. Ita Molina proximè citatus §. *Donatio causa mort. & disp.* 289. §. *Disputatione precedenti.*

136. *Retrotrahitur donatio causa mortis sequutâ morte ad tempus facta donationis & traditionis sequuta, quoad fructus tantũ*

Vltimò docet Sanchez contra nonnullos alios donationem factam inter coniuges causa mortis sequutâ morte donantis retrotrahi, quoad fructus perceptos ad tempus donationis factæ, & traditionis sequutæ; non verò quoad dominium. Pro quâ sententiâ refert Couarruu. & Molinam, qui docent. *Si mortis causâ inter vir* 40. ff. *de donat. causa mort.* in eo sensu intelligendam esse, vt tantùm velit medio tempore à donatione, vsque ad|mortem donantis dominium rei manere apud eum, qui donauit, & quantum ad hoc non retrotrahi, quantum ad fructus verò intelligenda esse verba legis ibi: *mortis causâ inter virum, & vxorem donatio facta sit*: *morte sequutâ reducitur ad hoc tempus donatio, quo interposita fuit.* Legatur Sanchez & Molina locis notatis & Couarruuias, Rubric. *de Testament.* 3. *p. n.* 5.

Sanchez Molina. Couarr.

DVBITATIO XI.

An donatio inualida inter coniuges confirmetur iuramento?

137. *Duæ sententia probabiles. Prima negans. Ratio generalis.* Bartolus. Baldus. *Alij.*

DVæ sunt in hac re sententiæ satis probabiles. Prima negat firmari iuramento; ratione generali; quia iuramentum contra bonos mores non obligat; at propter bonos mores donatio inter coniuges interdicitur, ne scilicèt mutuò se amore spolient. Ita Bartol. Bald. & alij apud Sanchez *lib.* 6. *disp.* 11. *n.* 1.

138. *Secunda affirmans.* Sanchez. *Cum multis Iurisperitis & Theologis.*

Secunda sententia est confirmari iuramento. Ita docet idem Sanchez *num.* 2. referens ingentem cateruam Iurisperitorum, & ex Theologis Molina *tomo* 2. *disp.* 289. ad finem. Ludouicus Lopez *lib.* 2. *de Contractibus c.* 47. Rodriguez 1. *tomo Summa c.* 42. *n.* 2. & hac nostrâ ætate docent multi. Probatur 1. quia ea donatio non prohibetur primò, & principaliter fauore publicæ vtilitatis, sed priuatæ coniugum, ne mutuo amore ita se spolient, vt alter ditior cum alterius iacturâ fiat. Ex hoc autem nullum peccatum oritur, & nihil contra bonos mores naturales. Quoties autem contractus ob priuatam vtilitatem prohibetur, seu inualidatur nec turpitudo aliqua est in ipso creditore, confirmatur iuramento, ergo in nostro casu confirmatur. Quâ de re generaliter diximus agentes de iuramento *disp.* 3. *dub.* 11. & nonnulla etiam ad hanc rem faciunt, quæ diximus *in hoc Tract. disp.* 1. *dub.* 26. Confirmarique potest ratio prædicta, quia (vt sæpe notauimus) has donationes inter coniuges ius non omnino improbat; neque ita inualidæ dicuntur, vt prorsus nullius momenti sint; cum morte donantis coniugis confirmentur, vt videbimus *dub.* 14. ergo à fortiori confirmabuntur iuramento. Probatur 2. quia donatio inter coniuges fauore religionis, & piæ causę valet, vt docet Sanchez *lib.* 6. *disp.* 3. *num.* 2. *in fine*: ergo etiam valebit propter iuramentum cuius magna est religio: maximè cum talis donatio non sit contra bonos mores naturales. Quâ de re diximus *dub. illâ* 26. vbi cum Sanchez distinctionem assignauimus inter iuramentum contra bonos mores naturales & iuramentum contra bonos mores tantùm ciuiles. Hæc sententia, vtpotè magis communis & recepta, mihi magis placet.

Molina. Ludo. Lop. Rodrig. *Alii multi nostrâ tempestate.* *Probatur* 1.

Confirmatur prædicta ratio.

139. *Quorumdã limitatio reiicitur.*

Meritò autem reiicit Sanchez limitationem quorundam Auctorum huius sententiæ, qui putant solùm habere locum, si coniux donans præmoriatur in eâdem voluntate persistens; quia nimirum iuramentum sortitur naturam, & conditionem contractus, cui adiicitur; donatio verò inter coniuges habet eam tacitam conditionem, si donator priùs decedat perseuerans in ea voluntate. Contra quam doctrinam meritò opponit Sanchez, quod, si vera esset, nihil operaretur iuramentum. Nam etiam, si iuramentum non adesset solâ morte donantis perseuerantis in eâ voluntate confirmaretur donatio. Pro quâ sententiâ plures alios refert. Quando autem dicitur iuramentum sortiri naturam contractus intelligi debet de eâ, quæ cum ipso iuramento compatibilis est; quod hic non contingit; nam ea donatio de se est inualida, & reuocabilis. Hæc tamen solutio suam habet difficultatem, quam hoc loco longum esset recensere. Ideò magis placet alia responsio, quam adhibet Sanchez tanquàm potiorem cum Couarruuias & alijs nempe iuramentum sequi naturam primordialem contractus; non verò accidentalem, vt cum multis probat Rolandus *cons.* 6. *num.* 37. Donatio verò inter coniuges ex sui natura primordiali erat valida, & irreuocabilis, nisi accidentariè iuris prohibitio aduenisset. Vnde iuramento adiecta ad pristinũ statum restituitur & irreuocabilis efficitur.

Sanchez. *Cum pluribus.*

Respondet rationi in contrarium.

Difficultatẽ habet ea responsio.

Alia eiusdẽ responsio potior. Couarr. *Alij.* Rolandus.

Reiicit etiam *num.* 4. aliorum limitationem, quòd tunc tantùm firmetur iuramento, quando interuenit traditio vera, vel ficta. Quod meritò illi displicet; nulli enim fundamento innititur, & rationes, quæ probant donationem alioquin inualidam firmari iuramento, etiam pro-

140. *Reiicitur alia aliorum limitatio.* Sanchez.

probant non interueniente traditione. Ita etiam Molina. Molina *tomo* 2. *disp.*289. *ad finem.* Seraphin. *de Priuil. iuram. Priuil.*71. *num.*61.

141. *Tertia alia limitatio probabilior.* Probabilior est tertia limitatio, de quâ Sanchez *supra num.*5. tunc scilicèt donationem firmari iuramento; quando iuramentum est de futuro, secus, si sit de præsenti, aut de præterito v.g. si iuret se donare, aut donasse vxori, talis donatio non firmabitur iuramento; tunc enim solùm censetur iurare se habere, vel habuisse liberam voluntatem donandi, & quantum est ex se veram, & non fictam. Quando autem iurat se non contrauenturum donationi, sed habiturum illam firmam; tunc firmatur iuramento. *Ratio.* Ratio discriminis est; quia, quando apponitur iuramentum de futuro incurreretur periurium eo non seruato, cùm possit seruari absque peccato. Et ideò, vt iuramentum seruetur, periuriumque euitetur, efficitur valida, & irreuocabilis donatio. Quando verò iuramentum est de præsenti, aut præterito, si ficta fuit donatio, iam periurium admissum est; &, quamuis posteà reuocetur donatio præcedens vera, vel ficta, non incurritur periurium; atque adeò non cõfirmabitur iuramento donatio, quæ ideò tantùm iuramento dicitur confirmari, vt euitetur periurium. Ita præter Sanchez, Couarruuias, Rubrica *de Testam.*3. *p. num.*14. *conclus.*5. Tello *in L.*17. *Tauri num.*93. Duennas. *Regula* 219. *ampliatione* 2. Riminal. *Instit. de donat.* §.1. *num.*268. Gutierrez *de Iuram. p.*1. *cap.*3. *num.*2.11. & 12. Meres de Maiorat. 1. *p. q.*22. *num.*8. Angulo de Maiorat. *lib.*1. *Gloss.*8. *n.*2.

Sanchez. Couarr. Tello. Duenas. Riminald. Gutierrez.

142. *Sanchez impugnat Calderinũ, & alios limitantes, sequutus Riminaldũ, & Seraphinum.* Ex hac doctrina impugnat Sanchez *num.*6. Calderinum, & alios, referens pro sua sententia Riminaldum, & Seraphinum; putat enim minus benè Calderinum, & aliquos alios dixisse non firmari eam donationem iuramento nõ contraueniendi ipsi; sed solùm; quando propriè, & simpliciter iuratur donationem firmando, quando enim donans iurat se non contrauenturum, intelligitur secundùm naturam actus; id est, quatenus ius non permittit contrauenire, hoc autem impugnat Sanchez; quia tale iuramentum est verè de futuro, periuriumque admitteretur eo non seruato.

143. *Non videtur efficax impugnatio. Calderini doctrina quã sequitur Curt. nõ est à ratione aliena. Ratio.* Nihilominùs impugnatio non videtur efficax, nec doctrina Calderini, quam etiam sequitur Curt. *cons.*63. videtur à ratione aliena; solùm enim iurare se non contrauenturum tali donationi, non est iuramento confirmare ipsam donationem; nec tale iuramentum cadit suprà donationem; sed solùm reiicit actionem contraueniendi, seu agendi contra donatarium, aut reuocandi, quod priùs fecit, qualecumque sit. Vnde, si id, quod fecit, aut facit, ex se inualidum est, non poterit firmari iuramento, quod propriè & directè non cadit supra ipsum actum, & donationem. Ideò, quamuis nihil agat, nec reuocet, ipsa donatio ex se infirma est, & inualida, ita, vt, si de facto reuocet contraueniens iuramento non reuocandi; donatio nullius momenti fiat, nec morte confirmabitur; cùm tamen, si per tale iuramentum fuisset valida, cùm, eo ipso maneret irreuocabilis, etiamsi posteà reuocaret, nihil faceret; imò etiamsi quis iuret se non contrauenturum, non tenetur rem vxori tradere ante mortem; re autem non traditâ ante mortem, non confirmatur donatio morte superueniente, & tamen, si valeret donatio, virtute illius iuramenti nõ contraueniendi, etiamsi nulla sequeretur traditio, nec mors superueniret, valeret donatio, vtpotè ad suum valorem restituta & irreuocabilis facta per iuramentum.

Multum autem interest nosse an tali iuramento firmetur donatio in ratione donationis, quæ inducit obligationem iustitiæ; an solùm tunc vrgeat obligatio iuramenti, quæ est solius Religionis; nam, si sola est obligatio Religionis posset ex causâ iuramentum relaxari absque iniustitiâ partis; secùs verò, si simul sit obligatio iustitiæ. Verùm, quidquid sit de hoc (quod suam quoque habet difficultatem alibi disputandam) si donatarius per eam donationem, cui solùm adhibetur iuramentum, non contraueniendi; non acquirit ius iustitiæ in re vel ad rem, etiamsi donans de facto non contraueniat, vt seruet suum iuramentum, nihilominùs donatarius non poterit capere illam rem, & apud se retinere, sicut vsurarius non potest capere vsuras, & retinere. Video sanè aliquid diuersum in nostro casu. Nam hæc donatio à viro facta vxori non est prorsus ita inualida, & nullius momenti, vt non possit res sic donata accipi, & interim, dum non reuocatur, retineri, quousque morte donantis superstite donatario confirmetur, quod non contingit in vsuris. Si tamen per tale iuramentum, de quo agimus nõ fiat valida donatio; etiamsi nunquàm contrauenerit, aut reuocauerit donans, si traditio non fuit facta ante mortem donantis, perit donatio, non peritura, si per iuramentum illud valida fuisset, quamuis non præcessisset traditio. Legatur Sanchez *num.*7.

144. *Notandum valde in hac re.*

Quæret aliquis cum eodem *num.*8. an sicut donatio inter coniuges firmatur iuramento, firmetur homagio, vulgò pleyto omenaje?

145. *Quæstionum an firmetur Homagio.*

Aliqui affirmant, quos ibi refert Sanchez, ille verò negat *num.*9. & meritò; neque enim est iuramentum; quia ibi non interponitur fides diuina, nec Deus in testem vocatur, & in legibus, vt ibi probat tanquàm diuersa ponuntur homagium & iuramentum. Legatur idem Sanchez loco citato.

146. *Affirmant aliqui. Negat Sanchez. Ratio.*

DVBITATIO XII.

An donatio præsumpta consurgens ex receptæ dotis confessione firmetur iuramento?

NOn agimus de casu, quo spe futuræ remunerationis confessio facta est; tunc enim satis constat iuramentum de eâ dote in futurum soluendâ non obligare; solùm ergo agimus de casu, quo donatio quidem illa, vtpotè facta constante iam matrimonio est inualida; hoc est reuocari potest, donec morte confirmetur; tũc ergo quærimus, an donatio præsumpta consurgens ex tali confessione firmetur iuramento appositio, ita, vt fiat irreuocabilis.

147. *Status quæstionis exponitur.*

148. *Sententia negans apud Sanchez.*

Aliqui absolutè negant, quos refert Sanchez *lib.*6. *disp.*12. *num.*2. alij absolutè affirmant. Ita

Molina

sententia affirmans. Molina. Valascus.

Molina *tomo 2. de iustitia disp. 439. §. Maior autem controuersia.* Valascus *cons. 5. num. 19.*

149. *Assertio affirmans ex parte & negans ex parte.*

Asserendum est cum eodem Sanchez *nu. 4.* Confirmari iuramento de futuro contra primam sententiam & non confirmari iuramento de præterito, aut præsenti contra secundam sententiam. Fundamentum est iam assignatum *dub. præcedenti*; quando enim appositum fuit iuramentum de præterito, aut de præsenti, non incurreretur periurium, non seruando; secùs verò, si apponeretur iuramentum de futuro, quod intelligendum est iuxta modum ibi explicatum. Falso autem assumunt Auctores secundæ sententiæ in iuramento assertorio, quo quis affirmat se donare clausi virtute promissionem non reuocandi; aut obseruandi eam donationem; id enim est contra naturam iuramenti assertorij. Vnde qui iurat se dotem accepisse, solùm significat se ex tunc verè & non fictè donare, ac proinde recipere ab vxore eam dotem illi donatam, & in hoc sensu iurando periurium euitatur. Iuramenti autem virtus non afficit donationem in futurum, atque adeò nullam illi vim confert; sed eam relinquit in suâ naturâ, quæ est inualida & reuocabilis, nisi morte confirmetur. Pro quâ sententiâ refert Sanchez Barthol. Bald. Menoch. & alios.

Ratio.

Barthol. Bald. Menoch. *Alij.*

DVBITATIO XIII.

An confirmetur iuramento donatio inter coniuges facta contra prius iuramentum non donandi?

150. *Duplex Glossa dans occasionem duplici sententiæ.*

DVplex est sententia iuxta duas Glossas sibi mutuò oppositas, quarum vnam nonnulli sequuntur, & alteram alij. Quidam ergo putant confirmari iuramento existimantes alienationem rei dotalis contra prius non alienandi iuramentum, confirmari iuramento. Pro quâ sententiâ videtur facere quædam Glossa *c. finali de procur. in 6.* vbi *verbo reuocatus* docet eum, qui constituit procuratorem iuramento præstito de non reuocando, periurum quidem esse, si reuocet, validè tamen reuocare. Atque adeò idem erit in nostro casu. Sic Antonius Gomez L. 25. *Tauri num. 59.* qui testatur oppositam doctrinam communiter reprobari. Item Iason §. *si quis postulante num. 11. instit. de act.*

Prima sententia affirmat confirmari. Glossa.

Antón. Gomez. Iason.

151. *Secunda sententia negans.* Glossa.

Alij verò putant donationem inter coniuges contra tale præcedens iuramentum non firmari iuramento sequunturque oppositam Glossam *c. licet mulieres fin. de iureiur. in 6.* vbi docet iuramentum non confirmare alienationem dotis contra prius iuramentum eam non alienandi. Ita Minchaca *de succes. creat. lib. 2. §. 18. num. 160.* Gutierr. *de iuram. c. 3. n. 14.*

Minchaca. Gutierrez.

152. *Admittitur secunda sententia.*

Hæc sententia mihi placet, eamque sequuntur multi alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 6. disp. 13. num 2.* & *lib. 3. summæ c. 12. nu. 38.* quem retulimus, & securi sumus *tractatu de iuram. disp. 3. dub. 11. diffic. 4.* quod anteà docuerat de matrimonio loco citato, vbi posteà *num. 3.* latè ostendit non conuenire inter Doctores de ratione huius sententiæ assignandâ, & varios aliquorum probandi modos affert; sed iis omnibus omissis placet cum eodem Sanchez *num. 5.* vtramque Glossam conciliare, & nostræ sententiæ rationem reddere, nempe, quoties actus iure validus est, & licitè fieri potest, eiusque valor ab agentis voluntate pendet, omnino valet; etiamsi fiat contra prius iuramentum; sic reuocatio procuratoris de se licita est; potestque validè fieri ex solâ reuocantis voluntate nullo requisito iuramento, quod vim & valorem illi actui tribuat, & ideò valet, etiamsi fiat contra prius iuramentum; nam tale iuramentum solùm facit, vt, qui illud frangit, sit periurus; non autem vim habet reddendi nullum posteriorem contractum. Quando verò actus est iure inualidus, nec dependens ab agentis voluntate; quia obstat iuris prohibitio irritans illum actũ, qui solo iuramento erat confirmandus, & validus efficiendus, vt contingit in donatione inter coniuges *L. 1. ff. de donat.* & in contractu minoris absque curatoris auctoritate authent. *Sacramentum puber. C. si aduers. vendit. & alienat. rei dotalis L. Iulianus ff. de fundo dot. authent. siue à me C. de Velleian. c. cùm contingat de iureiur.* tunc, si quis iuret se non facturum id, & posteà faciat, iuramentoque confirmet, posterior hic actus contra prius iuramentum inualidus est. Ex quo discursu sic perstringitur ratio: quando actus contra prius iuramentum gestus non indiget iuramenti vinculo ad sui confirmationem, & valorem, validus esse potest, siue iuramentum accedat, siue non, non obstante priore iuramento, non faciendi talem actum. Quando verò actus contra prius iuramentum est iure inualidus, & solo iuramenti vinculo confirmandus ab illo accepturus vim; tunc non accipit valorem ex iuramento; sed perinde manet inualidus, ac si iuramentum non adesset. Probat hoc optimè & declarat Sanchez quia actus ille gestus contra prius iuramentum est illicitus, & periurium: ergo iuramentum, quod iniquitatis vinculum non est, non obligat, nec potest robur tribuere, cùm absque peccato seruari nõ possit, atque hoc modo conciliant doctrinam vtriusq; Glossæ multi, quos ibidem refert idem Sanchez, qui rationem reddentes, ob quam iuramentum non confirmet alienationem rei dotalis contra prius iuramentum non alienandi, dicunt eam esse; quia illa alienatio est illicita, & periurium.

Colligitur ratio & declaratur.

In nostro ergo casu, cùm donatio contra præcedens iuramentum non donandi sit illicita, non potest esse validum iuramentum secundum cadens supra donationem; per iuramentum autem inualidum, & non obligans non potest valorem accipere actus donationis, qui alioquin seluso iuramento est iure inualidus. Accedit, quòd, si prius iuramentum non donandi factum fuit alicui personæ, cui intererat, ne donatio fieret, inuoluit etiam promissionem obligantem ex iustitiâ, ac proinde, etiamsi non præcessisset iuramentum promissorium confirmans promissionem, sola promissio præcedens sufficeret, vt hoc secundum iuramentum esset inualidum, & non obligans, vtpotè de actu illicito. Quâ ratione sponsalia priùs sine vllo iuramento validè celebrata sufficiunt, vt alia spõsalia etiam firmata iuramento non valeant; quia non solùm secundus contractus sponsalitius, vtpotè

153. *Applicatur rei præsenti.*

Firmatur.

Declaratur à simili.

vtpotè contra primum similem validum, inualidus est; sed etiam iuramenti impletio illicita, vtpotè contra ius ab altero acquisitum.

154. *Quorumdã limitatio data doctrinã.*

Iuxta hoc vltimum aliqui limitant doctrinam, vt, tanquàm contractus iure inualidus nõ firmetur iuramento contra prius iuramentum, quando illud prius præstitum est alicui, cuius intererat ab eo contractu abstineri; tunc enim posterius iuramentum in damnum tertij, cui ius ex priori iuramento acquisitum fuerat, non obligat *c. cùm contingat de iure iur.* & *c. quamuis pactum de pactis in* 6. secùs verò putant, quando non fit alicui tertio cuius interfit, quia tunc, cùm fit in solius iurantis vtilitatem, vt iuramentum de non alienando res dotales, vel de non donando coniugi, (quando id non fit in gratiam alicuius tertij) poterit iurans cedens iure suo, illi iuramento contrauenire, nec periurij reus censebitur, atque adeò confirmabitur actus in iuramento. Ita Baldus *c. veniens de iureiur. num* 4. & alij multi apud Sanchez *supra num.* 6. Vbi cum aliis hanc limitationem reiicit; quia etiamsi iuramentum non fuerit factum tertio, sed soli Deo, actus contra illum gestus est peccatum, & periurium, atque adeò iuramentum superueniens non potest illi actui alioquin inualido vim conferre.

Baldus.

Alij multi apud Sanchez. Reiicitur à Sanchez & aliis ea limitatio.

155. *Distinguendum in hac re.*

Ego sanè in hac re distinguendum puto, Nam, si iuramentum fuerit soli Deo factum de re, quæ sit actus aliquis, non solùm licitus, id est non prohibitus, sed alicuius virtutis, obligabit iuramentum, tanquam de re grata Deo; nisi fortè oppositum facere sit melius. Hinc est, vt quantumuis aliquis iurauerit se non donaturum alicui personæ, & fortasse id iurauerit in bonũ finem, & tanquàm medium honestum, puta, vt puniat delictum eius, cui alioquin esset donaturus, & esset actus honestus hîc & nunc non donare in finem illum: nihilominus, si ex alio capite pensatis circumstantiis videretur magis expediens, licèt non obligatorium, parcere & remittere talem pœnam; illique donare, imò sub iuramento illi promittere se donaturum; non video cur istud secundum iuramentum etiam in conspectu primi non valeat; nec video cur ita obliget primum iuramentum, quin, si posteà accedat pactum iuramento firmatum cum illâ personâ, quòd velit illi donare, & donet de facto, adhuc non possit sine periurio id facere: atque à fortiori idem erit, si illud iuramentum primum Deo factum, fuit quidem de re licitâ, & non prohibitâ; sed non de re, quæ sit in aliqua particulari materiâ virtutis. Quando verò iuramentum priùs factum Deo Soli & non homini, non solùm fuit de peculiari aliquo actu faciendo, seu omittendo; sed tali, vt oppositum facere, vel in se non sit licitum, vel, si sit licitum, imò, & bonum, sit tamen minus bonum, quàm id, quod primo illo iuramento iuratum fuit: tunc sanè secundum iuramentum non erit validum, atque adeò non obligabit: sed perseuerabit obligatio primi etiamsi primũ tantùm fuerit factum Soli Deo. Vnde, si actus iuratus secundo iuramento in se esset iure saltem positiuo inualidus, etiam si alioquin posset iuramento firmari, & per iuramentum superueniens valorem accipere; in talicasu nõ confirmaretur iuramento. Et in hoc mihi valdè probatur Sanchez & alij generaliter loquendo dum docent etiamsi prius iuramentum factum fuerit soli Deo & non homini non confirmari contractum alioquin iure inualidum per aliud secundum superueniens iuramentum actus contrarij; quia nimirum supposito, quòd obliget prius iuramentum soli Deo factum; secundum non obligat; sed est inualidum & per iuramentum inualidum non potest validari actus alioquin iure nullus, cùm in eo actu non exequendo non committatur periurium, quandoquidem iuramentum non obligat.

156. *Iuxta datã doctrinam resoluitur casus præsentis materia.*

Verùm enim verò, quia in casu præsentis dubitationis prius iuramentum non donandi non censetur secundum se ita obligare, vt ex circumstantiis occurrentibus non sit, aut possit esse melius hîc, & nunc donare, quàm non donare; imò fortasse illud non donare, non est in mente iurantis, & promittentis actus seu abstinentia ab actu iurata ex affectu alicuius virtutis in honorem Dei, sed fortè calore iracundiæ, vel propter alios affectus, qui vix, aut ne vix quidem, sint affectus virtutis, & saltem res est grata, & vtilis donatario. Vnde, si iuramentum ita fiat Deo, vt sit etiam in gratiam tertiæ personæ, nempe vxoris, non video cur talis donatio non liceat, etiamsi præcesserit iuramentum non donandi; quia iuramentum prius soli Deo factum non potest esse vinculum non faciendi id, quod melius est, scilicèt donare, saltem in casu, quo melius sit donare vxori, quàm non donare.

157. *Occurritur euasioni.*

Neque obstat, si dicas actum donandi vxori constante matrimonio esse actum à lege prohibitum, atque adeò non bonum: contra hoc enim est quòd reuera, si propriè loquamur, talis actus non est prohibitus, ita, vt sit peccatum talis donatio; sed solùm est actus inualidus; imò neque absolutè inualidus; sed tantùm quoad irreuocabilitatem, quia nimirum reuocari potest ante mortem donantis, &, si adhuc velis, etiam inualidus est, quoad aliam firmitatem, quia nimirum, nec morte donantis confirmari potest, nisi præcesserit traditio. De cætero potest esse actus bonus, & honestus, sic donare, imò, & melior, & honestior actus, quàm non donare. Ac proinde Lex, quæ voluit eam donationem inualidam esse, id est reuocabilem, potuit etiam velle, vt accedente iuramento irreuocabilis non esset: atque in vniuersum (vt vno verbo totam doctrinam complectar) quoties non obstante priore iuramento non donandi, licitum est donare: quia est magis honestum sic facere, licitum etiam erit iurare talem donationem, iuramentumque obligabit, atque adeò confirmabit ipsam donationem, quod plerumq; continget in donatione inter virum, & vxorem, quando prius iuramentum non donandi factum fuit soli Deo: & non alicui personæ, in cuius vtilitatem cedat. Nam, si fiat in fauorem talis personæ, & multò potiori ratione in fauorem Ecclesiæ, vel alterius piæ causæ: tunc ordinariè loquendo prius iuramentum obligabit, & secundum,

vt-

vtpotè inualidum non confirmabit donationē factam vxori, & lege inualidam, id est reuocabilem; imò, si eam fecit, tenebitur tunc reuocare.

158. *Aliorum limitatio.*

Non desunt adhuc alij, qui limitent doctrinam suprà datam, vt scilicèt, contractus iure inualidus non firmetur iuramento contra prius iuramentum, quando is, cum quo contrahitur, erat conscius prioris iuramenti; secùs verò, quando ignorabat, quia æquum non est, quando is ignorabat, vt contractus sit inualidus iustâ ignorantiâ obstante. Ita Baldus, Imola, Alexander apud Couarruuiã *de Pactis 2. part. Paragrapho 2. num. 4.* qui ait esse communem sententiam. Item Villalobos, Bernardus Diaz, Antonius Gomez apud Sanchez *supra num. 7.* Imo ait Gutierrez *de Iuram. 1. p. c. 1. num. 88.* non esse recedendum ab hac sententiâ in iudicando, & consulendo. Verùm idem Sanchez cum Couarruu. Salzedo, Seraphino, Mathienzo, & aliis apud ipsos meritò putat non esse locum huic limitationi, & nihil referre sciuerit, an ignorauerit prius iuramentum ille, cum quo contrahitur, in vtroque enim casu contractus gestus, vt supponimus contra iuramentum est inualidus ipso iure, soloque iuramento firmandus, quod fieri non potest, cùm absque periurij peccato seruari non possit.

Baldus. Imola. Alexand. Villalob. Bern. Diaz. Anton. Gomez. Gutierrez.

Negant alij eam limitationem. Sanchez. Couarr. Salzedo. Seraphin. Matienzo. *Alij.*

159. *Casus in quo aliqui admittunt prædictam limitationē. Probant.*

Verùm in aliquo casu admittūt hi Doctores eam limitationem, nempe, quando mulier, vel alius contrahens dolosè priori iuramento se adstrinxit, vel dolosè tacuit tempore alienationis, & contractus, quo alterum contrahentem circumueniret. Probant; quia deceptis, & non decipientibus iura subueniunt *l. 3 C. si minor. & maiorem dix.* & in Castella *l. 6. tit. 19. Partit. 6.* secus verò, quando ex simplicitate vel obliuione id tacuit; quod in dubio (ait Imola, videturque approbare Sanchez) præsumendum est. Hæc doctrina mihi placet, & quod attinet ad dolum, ex doctrina supra tradita colligi potest maximè, si iuramentum prius fuerit factum soli Deo, quia tunc cum talibus circumstantiis, non censetur obligare tale iuramentum, difficilius autem est, quando iuramentum illud prius factum fuit in fauorem alterius; tunc enim illi priori iuratario fiet iniuria, si impleatur secundum iuramentum. Vnde in tali casu potiùs putauerim debere quidem secundo iuratario, cum quo contraxit & cui iurauit aliâ viâ damnum resarcire, at stare debere priori iuramento; quia prior donatarius, sicut prior est tēpore potior est in iure.

Approbatur doctrina, sed sublimitatur.

DVBITATIO XIV.

An donatio inter coniuges confirmetur morte corporali donantis?

160. *Assertio.*

ASserendum est confirmari (vt sæpe obiter diximus) *c. finali de donat. inter vir. & vxor.* & *l. cum hic status ff. eodem titulo l. 1. & 3. & l. donationes, quas parentes C. eodem titul.* & in Castella *l. q. tit. 11. Partitâ 4.* cessat enim tunc ratio prohibitionis, ne; scilicèt, mutuo se amore spolient. Cumque possit alter alterum vltimâ voluntate liberè instituere, ipsique legare, hinc est, vt ex tacitâ, & præsumpta voluntate, cùm donationem

Probatur.

in uita non reuocauerit, censeatur tunc relinquere, ac legare. Nam in eâdem voluntate præsumitur quis mori; nisi appareat contrarium voluisse *c. Maiores de Baptismo l. Sancimus C. de Testament.* consultò autem hanc mortem appellaui corporalem, quam alij appellant naturalem, nempe, vt nomine corporalis mortis comprehendamus id, quod etiam alij sub nomine mortis naturalis comprehendunt; scilicet mortem violentam, & accidentalem puta gladij, ruinæ, oppressionis, &c. quouis enim modo moriatur quis corporaliter, confirmatur donatio *l. 1. 41. C. de don. ante nupt.* & cum multis docet Sanchez *lib. 6. disput. 14.* Contrarium est, si donator mortem sibi ob sceleris conscientiam conscierit, vel etiam post mortem eius memoria damnata sit; tunc enim reuocatur donatio, vt habetur *l. cùm hic status 33. aliàs 33. Paragrapho si donator.* vers. *si maritus* aliàs §. *si maritus ff. de donat. inter vir & vxor.* De donatione verò inter coniuges putatiuos, an confirmetur? diximus *supra dubit. 2.* latè & ex instituto. Vtrùm autem valeat donatio precibus importunis extorta? decidendum est ex dictis in hac disput. *eadem dubit. 2.* vbi disputauimus, an importunæ preces causent metum cadentem in constantem virum: si enim iuxta nostra principia tollant importunæ preces voluntarium requisitum ad donationem, non valebit donatio; secùs verò, si preces sint tales, vt ab earum molestia facilè quis se possit liberare. Legatur Sanchez *lib. 4. disp. 10. num. 7. & eiusdem libri disp. 7. num. 4.*

Limitatur assertio.

Quid donatione inter coniuges putatiuos?

Remissiuè.

De donatione extorta precibus importunis resoluendum ex alibi dictis.

Sanchez.

Ex dictis constat, & infertur primò donationem factam quidem ante matrimonium; relatam vero in tempus initi matrimonij, quæ etiam inualida est, vt probauimus *dubitat. 1. assert. 2.* confirmari donantis morte; sed non putat Sanchez id fieri ex verbis legum; sed ex ipsarum mente, quia nimirum donatio collata in matrimonij tempus fictè videtur facta in ipso matrimonio inter coniuges, quod probat *ex lege. Cum hic status* citata *Paragrapho Oratio. v. Si sponsus.* Nihilominùs cSequenter ad ea, quæ diximus *dubitat. primâ* eadem *assert. 2.* dicendum est ex ipsis verbis legum constare; quia vt ibidem probauimus ex l. *Tempus ff. de Hæredit. Institut.* & l. *Eum qui ff. de Iurisdict. omn. iud.* idem est rem fieri tempore inhabili, vel prohibito, & referri ad tempus inhabile, vel prohibitum; ideò eo ipso, quòd verba legum loquantur de donatione factâ tempore initi matrimonij, censentur loqui de donatione, quæ tunc ex se incipit, vel inceptura esset subsistere, & habere vim, talis autem est donatio, quæ fit quidem, quantum ad probationem verborum, ante initum matrimonium; sed, quantum ad rem ipsam, non subsistit validè, nisi post initum matrimonium.

161. *Corollario ex dictis. Infertur 1.*

Illatum probat Sanchez non ex verbis sed ex mente legū.

Ex ipsis verbis satis constat.

Infertur 2. prædictam donationem non confirmari morte, nisi quatenùs non est præiudicium legitimæ debitæ ascendentibus, vel descendentibus. Ita Sanchez *disput. 14. num. 3.* Molina *tomo 2. de Iustitia disp. 289. Paragrapho vt ad Lusitanum.* Vnde in Regno Castellæ, si donans habeat descendentes, tantùm valebit donatio

162. *Infertur 2.*

Sanchez. Molina.

facta ex Quinto bonorum; si verò habeat tantùm ascendentes, donatio valebit tantùm ex bonorum tertio; sicut in Lusitaniâ siue ascendentes, siue descendentes habeat, valebit facta de tertio. Quia nimirum de illâ tantùm parte bonorum liberè possunt disponere. Cùm autem donatio inter virum & vxorem morte confirmata, sit instar legati gratuiti testamento relicti, vt suprà dicebamus; talia autem legata non valeant; nisi ex tali parte bonorum, absque præiudicio scilicèt, ascendentium & descendentium; ita nec talis conditio confirmabitur, nisi absque præiudicio prædictorum; scilicèt tantùm in eâ bonorum parte.

163. *Infertur 3.* Infertur 3 etiam ex huiusmodi donatione extrahendam esse Falcidiam; quia ea donatio potiùs habet rationem legati, quàm contractus iuxta *l. cum hic status citatam.* ibi: & *de Falcidia, vbi possit habere locum, tractandum sit, cui locum ita fore opinor, quasi sit testamento confirmatum, quod donatum est*: & l. *in donationibus* C. *Ad L. Falcidiam* ibi: *In donationibus inter virum & vxorem factis legem Falcidiam, quando fideicommissi partibus funguntur, &c.* Atque in hunc sensum interpretatur ibi Glossa. verbo *Factis.* Ita Molina *disp. illâ* 289. *Paragrapho ex donatione* Sanchez *suprà num.* 4. cum multis alijs contra Iasonem, qui id non admittit, nisi quando donatio fuerit confirmata in testamento, quæ alias minimè posset morte confirmari; vt, si excedat Quingentos solidos. Legatur Sanchez loco citato.

Molina. Sanchez. *Cum multis contra Iasonem.*

164. *Molina Iurista recte probat eam donationem esse quid medium inter legatum & contractum.* Tiraquell. Sanchez. *Alij multi.* Ioan. Lup. Rectè autem probat Molina Iurisperitus lib. 1. de primogen. cap. 12. num. 11. hanc donationem morte confirmatam non esse propriè legatum, nec contractum; sed tertiam quandam mediam speciem. Quapropter vt morte confirmetur, non requiritur hæreditatis aditio, vt cum multis ex Tiraquello notat Sanchez *num.* 3. nempe; quia est veluti donatio causa mortis, quippe quæ morte confirmatur, nec requirit ad sui valorem aditionem hæreditatis, vt rectè probat Ioannes Lupus Rubricâ *de donat. Paragrapho 69. num.* 3.

165. *Quatuor conditiones assignari solita vt ea donatio morte confirmetur.* Sanchez *Prima conditio. Secunda. Tertia. Quarta.* Solent autem numerari quatuor conditiones, vt hęc donatio morte confirmetur, quas iam indicauimus in præcedentibus, & latè probat, & explicat Sanchez *citatâ disput.* 14. *à num.* 6. Prima vt præcesserit traditio rei donatæ in vitâ donantis. Secunda, vt coniux donans prius decedat; alioquin si donatarius præcedat, euanescit donatio. Tertia, vt non excedat quingentos aureos absque insinuatione. Quarta, vt donans in eâdem voluntate permaneat vsque ad mortem, nec tacitè vel expressè reuocet. Legatur Sanchez loco citato. Vbi multa pro praxi congerit & infert ex 1. 2. & 3. conditionibus prædictis, nam de quarta cum ipso disputabimus *dub. sequenti*, maximè, quod attinet ad tacitam reuocationem.

166. *Aliqua pro praxi ex dictis conditionibus colliguntur. Circa primã conditionem notandum est primo.* Breuiter tamen placet nunc nonnulla pro praxi percutere. Circa primam ergo conditionem.

Notandum est primò, si vir donet vxori communem domum habitationis vtriusque, vel rem aliquam domi existentem, non confirmari eam donationem morte viri; nisi alius peculiaris modus traditionis interueniat; nam viro superstite, nec domus nec res illa censetur possideri, & tradita esse vxori, sed à viro adhuc detineri in eâ l. *Habebat cum ibi notatis de precar. l. 1. Paragrapho penult. ff. de iis, qui* deiecerunt, vel effuderunt. Ita Sanchez *num.* 10. ex Paulo, quem refert, & sequitur Ioan. Lupus Rubric. *de donat.* §. 77. *num.* 1. Sanchez. Ioan. Lup.

167. *Notandũ 2.* Notandum est secundo non requiri traditionem veram realem, sed satis esse fictam fictione iuris, vt contra nonnullos docent multi, quos refert & sequitur Sanchez *num.* 12. probatque per l. *Cùm hic status suprà citatam. Paragraph. Si maritus* ff. *de donation. inter vir. & vxor.* ibi: *finge in possessione precariâ mulierem* remansisse, paratamque esse satisfacere creditori, dicendum est donationem valere. Ratione verò probatur, quia, quando actus, est omnino nullus, non quidem sufficit ficta traditio; quando verò actus non est omnino inualidus; sed potest morte vires accipere (vt contingit in nostro casu) tunc, sicut actus ipse principalis morte conualescit, ita, & traditio. Pro quâ doctrinâ refert Sanchez, Bartolum, Baldum, Albert. Angelus, Salic. & Tiraquell. qui prædictos *citat. Tract. de iure const. 1. p. num.* 51. & 2. *p. dub.* 7. *num.* 21. & 22. qui etiam testatur omnes ferè alios ita sentire. Legatur Sanchez loco citato, vbi plures alios refert. Sanchez. *Cũ multis.* *Ratio.* Bartolus. Baldus. Albertus. Angelus. Salicet. Tiraquell. Sanchez.

168. *Circa secũdam conditionem dubium.* Circa secundam conditionem, quòd, scilicet, donans priùs decedat, dubitabit aliquis; quid censendum; quando non constat an donans an donatarius coniux priùs decesserit.

169. *Quid in hoc dubio posset responderi.* Qua in re posset quis respondere, quòd si vterque coniux eodem casu, & infortunio moriantur, etiamsi physicè & mathematicè donator superuiuat, valet donatio l. *si inter virum* 9. ff. *de rebus dubiis.* ibi: *si simul tàm is, cui donatum est, quàm is, qui donauerit, decedant; magis placuit valere donationem eo maximè, quod donator non superuiuat.* Ex quo colligitur idem dicendum esse, quamuis donator superuiuat; nam illa particula *maximè*, quæ est dictio implicatiua, ex propria vi, & naturâ implicat idem esse; quamuis ratio expressa deficiat, vt legibus quibusdam citatis probat Sanch. *supra n.* 21.

170. *Aliter nihilominùs resolutur dubium.* Nihilominùs cum eodem Sanchez existimo primò, si ambo simul moriantur naufragio, incendio, aut similibus casibus attento iure communi, si constet tunc donatarium prius obiisse, non firmari, sed euanescere donationem. Si verò non constet, vter tunc prius obierit, firmari, quia præsumitur donatorem in eâdem voluntate præmortuum fuisse. habetur expressè *l. cùm hic status citatâ §. si ambo.* vbi etiam dicitur, si ambo coniuges ab hostibus capti sint (scilicèt *simul* vt interpretatur Glossa) nec reuertantur, tempus captiuitatis spectandum esse, quasi tunc decesserint. Si verò alter redierit, censendum esse illum superuixisse. Pro quâ sententiâ refert Sanchez Couarruuiam 2. *variar. cap.* 7. *nu.* 5. Menochium *de Præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 50. *nu.* 6. *& seqq.* Sanchez. Couarr. Menoch.

171. *Respõdetur 1. ad argumentum petitum ex iure Ciuili.* Ad argumentum verò petitum ex *l. Si inter virum.* respondetur 1. cũ Couarr. quem approbat Sanchez, illâ dictionem *maximè* propriam vim obtinere, & implicare casum magis dubium; nã ibi Couarr. Sanchez.

ibi deciditur valere donationem ; quando non constat quis priùs obierit ; posteà verò subiungitur : *eo maximè, quòd donator non superuiuat* ; qui casus omnino certus est, atque adeò implicat casum magis dubium, nempe similiter confirmari ; si ambo simul moriantur. Respondetur secundò particulam *maximè* adiectam causæ finali accipi solere taxatiuè, non implicatiuè *c. Ad abolendam* de filijs Presbyterorum, vbi Glossa verbo. *In sæcularibus*, & alij multi, quos refert, & sequitur Couarruu. *citat. n. 5.* Menoch. *supra n. 12.* qui sic accipiunt particulam *maximè* in nostro casu.

Respondetur secundò. Glossa. Alij multi. Couarr. Menoch.

172. *Quid quàdo non simul coniuges pereunt, nec constat quis prior. Res est dubia, & controuersa. Duplex sententia.*

Existimo 2. cum eodem Sanchez rem esse dubiam, si coniuges non simul eodem casu pereant; sed diuersis; nec constet, vter priùs obierit; nam quidam putant hæredi donatarij incumbere onus probandi donantem priùs decessisse, vel saltem vterque simul, siue hæres iam possideat, siue non. Alij verò potiùs hæredem donatoris teneri probare oppositum ; ac proinde, cùm hic minimè probauerit, confirmari donationem, quia donatio inter cõiuges, alioquin nulla, confirmatur silentio donatoris vsque ad mortem, atque adeò morte donantis probatur confirmatio. Vnde eius hæredi incumbit probare nõ esse confirmatã, quia donator superuixit. Vtriusq; sententię Auctores refert Sanch. *nu. 22.*

Auctores vtriusque apud Sanchez.

173. *Probabilior resolutio in fauorem possessoris. Sanchez. Probatur ex Regula iuris. Bartolus. Imola. Raphaël. Alii apud Couarr. Molina. Baraona. Alij apud Sanchez. Ratio.*

Probabilius tamen est, quod ipse docet præsumptionem esse pro ipso possessore rei donatæ, ac proinde onus probandi donatorem superuixisse, incumbere ei, qui non possidet; quia in dubio melior est conditio possidentis. *Regul. in pari. ff. de Regul. Iur. & eodem tit. in 6.* Ita Bartol. Imol. Raphaël. & alij apud Couarruuias *2. var. c. 7. num. 5.* Item Molina *Tract. 2. de Iustitia disput. 289. Paragrapho donatio causa mortis.* Baraona, & alij apud Sanchez, qui legendus est loco citato. Ratio verò est, quia, cùm iam donatio facta fuerit, & res donatario tradita, ab illoque possessa, in tali dubio præualet fauor donatarij possidentis.

174. *Quid si sibi mutuò donassent sub conditione vt qui posterior moreretur bona data obineret. Et simul obeant? Non valet donatio. Molina. Acosta. Sanchez.*

Rectè autem Molina cùm Acostâ, quem refert, & cum ipsis Sanchez non valere donationem, si coniuges sibi mutuò donâssent sub eâ conditione vt qui posterior moreretur, bona donata obineret ; posteà verò vterque simul obeat, quin constet vter prius; tunc enim donatio facta fuit sub conditione *si alter superuixerit*, quæ conditio in eo casu deficit.

175. *In Regno Castella non est ita facile decidere casum. Ratio. Difficultatis. Deciditur valere & confirmari donationem vxoris factã viro, non è contra.*

Quę hucusque diximus, locum habent spectato iure communi Cæsareo ; nam in Regno Castellæ non est admodum facilè, quid dicendum sit, *cùm l. 12. tit. 33. Partit. 7.* expressè decidatur coniugibus simul morientibus præsumi vxorem priùs decessisse, ibi : *muriendo el marido, y la muger en naue fuega, &c. entendemos que la muger, porque es flaca, morir à primero, e tiene prò saber esto por razon de las donationes, que el marido è la muger hazen el vno al otro en su vida.* Quare videtur iuxta eam legem, si vir donauerat vxori, donationem euanescere, tanquàm vxore donatariâ præmortuâ : è contra verò, si vxor donauerat viro, valere donationem; quia præsumitur donatricem vxorem priùs decessisse. Vnde videtur necessariò concedendum per talem legem esse correctum ius commune iuxta sententiam eorum, qui putant valere in eo Regno ius commune, vbi non fuerit correctum propriâ aliâ lege. Iuxta sententiam verò, quam verissimam puto, quòd, scilicèt, leges iuris Cæsarei non habeant vim legis in eo Regno, dicendum videtur non propriè correctionem esse, sed diuersum quid, aut oppositum statutum esse in nostro Regno. Sed hoc ad modum loquendi spectat. Porrò ita dispositum esse in nostro Regno docet Ioannes Lupus *Rubric. de donat. §. 74. in fine*, & cum eo Sanchez *supra n. 23.* quidquid dicat Couarruu. qui negat corrigi ius commune, & tamen docet per eam legem expressè disponi contra ius commune.

Ioan. Lup. Sanchez.

176. *Quid si diuersis locis pereant & non sciatur quis prior? Sanchez putat standũ iuri Ciuili. Si vigeret tale ius in eo Regno ita esset. Non viget, ideo standũ iure naturali. Neutra donatio iure naturæ valet.*

Addit verò Sanchez, quod cum prædicta lex solùm disponat, quando simul naufragio, incendio, aut alio casu vterque coniux periit, nihilque disponat, quando diuersis in locis ita, vt non constet vter priùs obierit, manet in hac parte ius commune incorrectum ; atque adeò seruandum. Quæ doctrina supposito quod ius commune vigeat in Castella, vbi non est correctum lege propriâ non displicet. Quia tamen non puto vim legis habere, merò iuri naturali standum erit. Vnde mihi videtur dicendum, in eo casu pro tali Regno, nisi aliud ius positiuum illius Regni in contrarium afferatur, neutram donationem valere, quando non eodem casu, sed diuersis in locis perierunt; nullamque habendam esse rationem possessionis & traditionis. Quod sic probo; quia ex vno capite in eo Regno constat donationem non confirmari; nisi accedente morte coniugis donantis possidente donatario rem sibi donatã *l. 4. tit. partitâ 4.* Ex alio verò capite nõ constat, quòd donans fuerit præmortuus, & donatarius superuixerit; nec etã (vt supponimus) est aliqua lex positiua in eo Regno quæ statuat in tali casu talis dubij donationem valere, aut cõfirmari : præcisè autẽ iure naturali tale dubium non sufficit, vt censeatur donatio cõfirmata; ergo non confirmatur. Hoc vltimum sic probo. quia sola possessio, quæ erat apud donatarium tẽpore mortis nõ dabat ius irreuocabilitatis, & cõfirmationis illius donationis; quin æquè indifferens esset, vt donatio confirmaretur. vel infirmaretur, alterutro horum pendente ex præuia vel nõ præuia morte donãtis, aut donatarij: ergo nõ potest esse causa cõfirmationis, donationis. Probo consequentiã, quia causa dubia (maximè in moralibus) non potest esse causa effectus certi. Coniunctio autem illa possessionis cum morte donãtis superuiuente donatario est causa dubia, vt supponimus; ergo nõ est causa effectus certi, id est certæ confirmationis.

177. *Circa tertiã conditionem dubium.*

Circa tertiam conditionem, quòd scilicèt, donatio inter coniuges non excedat quingentos aureos absque insinuatione, meritò dubitari potest, an donatio eam summã excedens confirmetur morte; quoad illã partem, quæ non excedit, & tantùm infirmetur quoad excessum, vel potiùs tota donatio euanescat?

178. *Aliqui putant euanescere donationem excedentem legitimam summam. Probant.*

Aliqui affirmant euanescere teste Sanchez *supra num. 25.* Probant; quia *l. donationes, quas parentes C. de donat. inter vir. & vxor.* indistinctè ait enim donationem morte non confirmari; præterea; quia est defectus in re cùm non fuerit insinuata contra *l. Sancimus C. de donat.* & est

etiam defectus in personâ, cum donatio inter coniuges non valeat.

179. *Probabilius est solùm annullari excessum.* Sanchez. Molina. *Alij multi. Ratione probatur 1. Probatur 2.* Probabilius tamen docet idem Sanchez cum multis, quos refert, & Molina *tomo 2. de iustitia tract. 2. disp. 289. §. quando non præcesit*, Solùm excessum annullari, quia citata *l. donationes* non statuitur in vniuersum donationem illam non firmari morte, sed solùm excessum: ibi: *Nam amplioris quantitatis donationem minimè insinuatam, nec per silentium eius, qui donauit, confirmari concedimus.* Probatur 2. quia, quando vtile ab inutili separari potest, non vitiatur vtile per inutile. *Regulâ vtile, de Regul. iuris in 6.* Ergo cùm in eâ donatione separari possit pars vtilis, id est, quę non excedit ab inutili, id est ab excessu; non vitiatur pars vtilis per inutilem.

180. *Respondetur fundamento aduersariorum.* Illi autem duo defectus personæ & rei non obstant; nam defectus personæ suppletur per perseuerantiam in eâ voluntate vsque ad mortem, & per confirmationem morte secutâ: defectus autem rei, scilicet insinuationis non magis debet in hac donatione nocere, quàm in aliis, quæ in solo excessu annullantur, & valent, quoad summam permissam *l. Sancimus vers. quid autem* C. *de donat.*

DVBITATIO XV.

An, vt donatio inter coniuges confirmetur, requiratur perseuerantia donantis in eâdem voluntate vsque ad mortem; ita vt nec tacitè, nec expressè reuocauerit? & quando censeatur tacita reuocatio?

181. *Dubitatio hæc pro intelligentia quartæ conditionis proponitur. Sufficit tacita reuocatio vt non confirmetur donatio.* Dixímus quartam conditionem esse, vt morte confirmetur prædicta donatio; quod donans vsque ad mortem in eadem voluntate permaneat, nec tacitè, nec expressè reuocauerit; nam, si expressè, aut tacitè reuocet, procul dubio donatio non confirmabitur *c. finali de donat. inter vir. & vxor.* & l. *cùm hic status* 32. aliàs 33 ff. *eodem tit.* vers. *ait oratio* & vers. *Panitentiam*, & in Regno Castellæ *l. 4. tit. 11. Partitâ 4.* Oportet autem, euidenter constare de reuocatione, vt vltimo loco dicitur ibi: *si appareat defunctum euidenter reuocâsse voluntatem. Quod si in obscuro sit, procliuior debet esse iudex ad comprobandam donationem.* Ibidem etiam statuitur habendam esse rationem postremæ siue reuocationis, siue probationis dum dicitur: *Panitentiam accipere debemus supremam; proinde si vxori donauit, deinde panituit, mox desiit panitere, dicendum est donationem valere.*

182. *Sola reuocatio donationis, licet traditio vel possessio non reuocetur, sufficit.* Molina. Anton. Gomez. Sanchez *contra* Bartol. Rectè autem docet Molina *tract. 2. disp. 289.* Antonius Gomez in *l. 52. Tauri num. 65.* Sanchez *lib. 6. disp. 15. num. 2.* contra Bartol. sufficere solam reuocationem donationis, quamuis traditio rei, vel possessio non reuocetur; quia iuxta legem per solam pœnitentiam reuocatur.

183. *Circa tacitam reuocationem. Quæsitū 1. de alienatione hypotheca, & oppignoratione.* Legatur Sanchez *num. 3.* veniamus nunc ad tacitam reuocationem; nam de expressa non est difficultas.

Quæret aliquis 1. an reuocetur, si donans posteà alienet, vel pignori det, vel subiiciat hypothecæ speciali?

184. *Respondetur. Constat ex legibus. Circa alienationem postea sequutam.* Respondeo tacitè reuocari *l. cùm hic status citata §. si maritus. Qui quasdam res.* & & l. *si maritus La. 2. C. de donat. inter vir. & vxorem.* Legatur Sanchez *supra n. 5.* Et quod attinet ad alienationem posteà sequutam, expressè habetur in Castella *l. 4. tit. 11 Partit. 4.*

185. *Circa hypothecam explicatur adhuc: & non sufficit generalis hypotheca.* Molina. Circa hypothecam verò notandum est non sufficere generalem hypothecem omnium bonorum. L. si maritus citatâ, sed requiri specialē: ibi: *si maritus post factam donationem specialiter obligauit.* Legatur Molina *tomo 2. de Iustitiâ Tract. 2. disp. illa 289. §. Tacitè censetur* consonatque hæc doctrina cum iis, quæ diximus in *nostro opere de iustitia agentes* de contractu pignoris, & hypothecæ, vbi adstruximus maiorem vim hypothecæ specialis, quàm generalis.

186. *Circa pignus, quando censeatur reuocata donatio per pignorationē generalem.* Sanchez. Ioan. Lup. Quod attinet ad pignus; tunc tantùm censetur reuocata donatio per pignorationem generalem omnium bonorum, quando tanto precio pignorantur bona, quantum non possunt exæquare; nisi simul computetur res donata; tunc enim verisimile est, nolle ignorantem soluere, & ita reuocare donationem, vt docet Sanchez supra cum Ioanne Lupo.

187. *Non reuocatur per generalem institutionē omnium bonorum sed specialem rei donatæ.* Ex quo patet non reuocari etiam donationē per generalem omnium bonorum institutionē; sed per specialem illius rei donatę l. *Cum hic status* citatâ *§ si ambo.* ibi: *Qui quasdam res, quas donauerat, legâsset, quasdam non: videbitur cateras res ad vxorem voluisse pertinere.* vbi verbo *Pertinere* Glossa ait: *Alias, quas legauit, videtur ademisse l. si ex toto in principio, ff. de Legat. 1.*

188. *Quæsitū 2. de Legato eiusdem rei prius eidem coniugi donare.* Quærat aliquis iucundò an, si coniux leget coniugi, qui in vitâ donauerat, censeatur recedere à priori donatione, atque adeo donatarius desinat habere titulo donationis, & habeat solùm titulo legati?

189. *Multum refert an vno vel altero modo res acquiratur aut confirmetur.* Meritò sanè dubitatur de hac re, multùm enim interest vtro modo ex his confirmetur; nam, si, vt donatio; retrotraheretur, quoad fructus; secùs verò, si vt Legatum. Præterea, vt donatio; morte sequuta, debetur ante aditionem hæreditatis (vt iam non semel diximus,) vt legatum verò; non debetur, nisi aditâ hæreditate; vel repetitâ ab intestato, vt diximus in nostro opere de Iustitiâ agentes *de Testam. & vltim. volunt.* & habetur l. *Eam, quam* C. *de fideicommiss.* Hoc dixerim de iure communi; nam de Regno Castellæ, cùm (vt ibidem notauimus) non requiratur ad valorem testamenti hæredis institutio. *l. Tauri*, quæ est *lex. 1. tit. 4. lib. 5. Recopil.* Legata debentur hæreditate non aditâ; vt cum multis docet Matienzo ad eandem *l. 1. Glossa 14. n. 5.*

Quid speciale circa hoc in Regno Castella. Matienzo.

190. *Respondetur ad quæsitū sub distinctione.* Respondetur ergo ad prædictum quæsitum sub distinctione, nam, si testator non vtatur verbo significante Legatum, aut fideicommissum, vt, si dicat: Confirmo donationem factam vxori meæ, vel habeat, quod illi donaui, &c. tunc prior donatio alioquin confirmabilis confirmabitur, vt expressè habetur *l. ex verbis* C. *de donat. inter vir & vxor.* Quod si non esset confirmabilis v.g. quoad excessum legitimæ summæ deficiente insinuatione in ipsâ donatione iuxta dicta dub. præcedenti, tunc confirmabitur, vt legatum l. Donationes, quas parentes C. *eodem titulo.* Ita Sanchez cum aliis *n. 8.* Sanchez *cum aliis.*

Si

191. Si verò testator vtatur verbis Legati, aut fideicommissi v.g. lego, vel fideicommitto vxori meæ, quod illi donaui, censetur recedere à priori donatione, & confirmari, vt Legatum *L. si quando ff. de leg. 1. & L. illud de acquir. hæred.* Legatur Sanchez *supra n. 9.*

192. *Per diuortium postea sequutum censetur tacitè reuocata, nisi donans velit tunc valere.* Sanchez. *Cum aliis.*

Censetur etiam reuocari tacitè donatio per diuortium postea sequutum ex displicentia; nisi donans voluerit expressè tunc valere. Ita Sanchez cum alijs *num. 10. ex* L. *Cum hic status citatâ* §. *diuortium* & *l. sed interim* & l. *Et ideo ff. de Donat. inter vir. & vxor.* Si verò post diuortium instauretur matrimonium conualescit donatio ad hoc, vt possit morte confirmari eâdem *l. cùm hic status* §. *Si diuortium.* Quando verò diuortium bonâ gratiâ fit, vt causa Religionis, non reuocatur per diuortium Sanchez *n. 10.*

Si postea instauretur matrimonium, conualescit donatio sicut anteà.

Si diuortiũ fit bonâ gratiâ non reuocatur donatio. Sanchez.

Item tacitè reuocatur, si coniux donatarius mutet mores in præiudicium donantis, vt si vxor committat adulterium. Ita Sanchez *supra num. 11.* cum aliis, & alios refert, qui putant non solùm adulterij, sed minori culpâ, vt, si vxor pudicitiam luxurioso osculo violâsset, vel palpari mammillas permisisset, aut probaretur fuisse in balneo cum alio viro, aut pernoctasse extra domum absque causa. Legatur Sanchez *num. 11.* vbi ex Ioanne Lupo concludit non solùm marito sciente, sed etiam ignorante, inducì tacitam reuocationem, vt morte non confirmetur donatio, sicut & in Legato docet Mantica *de Coniect. vltim. volunt. lib. 12. tit. 5. num. 6.*

193. *Reuocatur si donatarius coniux mutet mores in præiudiciũ donantis.* Sanchez. *Cum aliis. Varij casus mutationis morum. Etiam ignorante marito.*

Vlterius videtur tacita reuocatio propter ingratitudinem donatarij exhibitam aliquo modo ex iis, de quibus fit mentio *l. fin.* C. *de reuoc. donat.* & *l. final.* C. *de donat.* nam, si propter illas causas reuocari potest donatio perfecta inter viuos; à fortiori censebitur reuocata donatio imperfecta, quæ habetur instar Legati. Et quamuis ad perfectæ donationis reuocationem requiratur actus donatoris reuocantis, secùs est ad hanc donationem imperfectam, nam ipso iure reuocata manet *l. 3. Paragrapho finali ff. de adimend. legat.* & ante Thomam Sanchez docet Gregorius Lopez *l. 10. tit. 4. partit. 5.* verbo *sus herederos.* Constat autem ex citatâ *l. 3.* legatum ob similes causas ipso iure reuocari. Ratio vtriusque est, quia donatio perfecta reuocari potest ob ingratitudinem in pœnam ingrati. Ideò, vt reuocetur, requirit voluntatem inferendi illam. Quare opus est, vt donator eam pœnam inferat; donatio verò imperfecta reuocatur ex tacita & præsumpta donantis mente instar Legati & donationis, quæ natiuitate filiorum reuocatur *l. Si vnquàm* C. *de reuocat. donat.* Vnde, sicut hæc reuocantur ipso iure, ita, & donatio hæc imperfecta. Ita docet Sanchez *citato num. 11.*

194. *Tacitè etiã reuocatur ob ingratitudinem in quibusdam casibus.*

Sanchez. Greg. Lop.

Ratio.

Sanchez.

Tacitè adhuc reuocatur donatio eodem prorsus modo, atque reuocatur Legatum, cuius naturam sapit (vt sæpe diximus) cum non firmetur, nisi morte coniugis donantis. Ita Molina, Iurista *lib. 1. de Primogen. c. 9. nu. 42.* & ex illo Sanchez *n. 12.*

195. *Tacitè etiã reuocatur sicut reuocatur Legatum.* Molina. Iurista. Sanchez.

Qui rectè *num. 13.* infert reuocari ipso iure per graues inimicitias; non per leues excitatâ. L. *Cum hic status* §. *si diuortio* secutus Ioannem Lupum & Menochium. Nam ipso iure ob similes inimicitias reuocatur legatum *l. 3. Paragrapho. Non solùm ff. de adimend. legat.* testatur que de communi omnium sententiâ. De qualitate autem inimicitiarum consulendus est Ioannes Lupus, Rubric. *de donat. Paragrapho 78. num. 19. & seqq.* Mantica *de Coniectu. vlt. volunt. lib. 12. toto tom. 5.* Menochius *de Præsumpt. lib. 3. præsumpt. 37.* & *lib. 4. præsumpt. 170.* Intelligenda autem est doctrina, nisi se reconciliauerint donans, & donatarius. Legans, & Legatarius, vt cum multis ostendit Sanchez loco citato, tunc enim instauratur donatio aut legatum, cùm putetur remissa inimicitia. Constat verò de donatione *l. cùm hic status Paragrapho si diuortio ff. de donat. inter vir. & vxor.* Et de legato constat *l. 4. ff. de adim. leg.* Legatur etiam Molina *tomo 1. de Iustitia tract. 2. disp. 212. Paragrapho tacitè verò.* Imò Menochius *Præsumpt. illa 37. num. 18.* cùm dixisset *num. 17.* æquiparari donationem inter virum, & vxorẽ quantùm ad inimicitias, cum donatione causâ mortis, dicit etiam *num. 18.* talem donationem censeri reuocatam tacitè per eas inimicitias superuenientes; etiamsi donans inimicitiæ conscius non reuocauerit, quamuis habuerit tempus, feceritque codicillum sine tali reuocatione. Nam de reuocatione Legati sic est expressè dispositum *l. filio Paragrapho Seia. de adim. leg.* & docent multi, quos refert & sequitur Sanchez *num. 14.* & vterque Molina; Iurista quidem *lib. 1. de primog. c. 9. num. 41.* Theologus verò *citatâ disp. 212. Paragraph. Tacitè verò.* Meritò autem id temperat ibi Sanchez cum aliis, nisi testator in ipso codicillo reuocasset aliqua ex legatis iam tacitè reuocatis; tunc enim, quæ non expressè reuocauit, videtur tacitè confirmâsse. Atque adeò idem meritò dicendum putat de donatione inter virum, & vxorem, cùm omnino in tacitâ reuocatione æquiparetur legato iuxta *supra* dicta.

grauès inimicitias reuocatur donatio. Sanchez. Ioan. Lup. *Probatur à simili.* Mantica. Menoch. *Limitatur doctrina.* Molina. Menoch. Sanchez. Molina *vterq.* *Temperat Sanchez cũ aliis.*

Quæret aliquis 3. an, si inimicitiæ culpâ donantis coniugis excitentur, censeatur donatio tacitè reuocata?

197. *Quæsitũ 3. quid si inimicitia culpa donantis excitentur.*

Sanè cùm multis, quos refert Sanchez *supra nu. 15.* putent de legato, per inimicitias culpâ legantis ortas non reuocari; idem quoque dicerent de donatione.

198. *Multorum sententia negans reuocari.*

Placet nihilominùs tàm donationem, quam Legatum reuocari, & quidẽ de Legato expressè habetur *l. 3. ff. de adim. leg.* versu. *Et pænituit.* Ratio verò est, quia talis reuocatio tunc censetur facta ex præsumptâ legantis, vel donantis voluntate, quæ tunc præsumitur mutata eo ipso, quòd interueniant inimicitiæ, siue ortæ fuerint culpâ donantis, vel legantis, aut culpâ donatarij, vel Legatarij. Ita cum multis Sanchez *supra num. 5.* Menochius *præsumpt. illa 37. num. 23.* & *præsumpt. illa 170. num. 6.* & 17. Hi omnes auctores quamuis præter Sanchez & Ioan. Lupum ab eo relatum expressè tantùm loquantur de Legato; idem censendi sunt dicere in eorum sententiâ, de donatione inter virum & vxorem.

199. *Tam donatio, quam Legatum reuocatur. Ratio.* Sanchez. Menoch.

196. *Etiam per*

DVBITATIO XVI.

An prædicta donatio morte confirmatâ retrotrahatur vsque ad tempus donationis?

200. *Assertio 1. affirmans quoad fructus non quoad dominium. Prior pars assertionis probatur ex legibus. Probatur secunda pars.*

ASserendum est 1. retrotrahi, quoad fructus ex re donata perceptos, non verò quoad dominium. Primum habetur l. Donationes, *quas parentes* 25. C. *de donat. inter vir. & vxor.* vers. *si verò vel non* ibi: *Ad illud tempus referatur, quo donatio conscripta sit.* & l. *si is seruus* 21. eodem titulo. Secundum verò probatur, quia coniugis voluntas nequit rei donatæ dominium transferre in coniugem, dum ambo superstites erant. Nam quantùm adhoc prohibita erat, & inualida donatio. Multò minùs ergo id poterit tacita, & præsumpta voluntas, ex quâ ea donatio morte confirmatur, neque enim fictio plus potest operari quàm veritas.

201. *Occurritur obiectioni, quæ posset opponi.*

Dixi illud primùm de fructibus probari citatâ lege *Donationes, quas parentes*: quamuis enim ibi expresè tantùm dicatur retrotrahi; tamen cùm ex alio capite probetur non retrotrahi quoad dominium; solùm restat, quod retrotrahatur quoad fructus ex eâ perceptos. Accedit, quòd id habetur expresè l. *cum Pater* §. *Patet filiæ* ff. *de legat.* 2. ibi: *nec aliud in vxore* iuncta Glossâ verbo *Nec aliud*. Et ratio est, quia coniux donatarius possidet rem donatam, alio coniuge superstite, vt necessariò supponimus; secùs non confirmaretur morte donatio iuxta dicta *dub.* 14. fructus autem sequuntur possessionem §. *si quis à non domino* instit. *de rerum diuis.* l. *Bonæ fidei* ff. *de acquir. rerum dominio*, & aliis legibus, quas refert Sanchez *disp.* 16. *citato lib.* 6. vbi pro hac sententiâ *num.* 1. refert innumeros iurisperitos, & Theologos, & legi potest Molina *de iustitia tomo* 2. *disp.* 289. §. *vt disp. præced.*

Sanchez.

Molina.

202. *Non tamen retrotrahitur quoad fructus nondum facta traditione.*

Non retrahitur autem, quoad fructus respondentes à tempore donationis nondum factâ traditione, sed à tempore traditionis suppositâ donatione. Vnde si donatio fuit facta ante aliquot annos, traditio autem solùm vno anno ante mortem, tantùm retrotrahetur donatio ad illum annum; quia (vt dicebam) ratio acquirendi fructus est possessio. Ita Molina *supra* Sanchez num. 2. Couarruu, Rubrica *de Testam. 3. par. numer.* 5.

Molina. Sanchez. Couarr.

203. *Nec retrotrahitur quoad fructus respondentes parti, quæ excedit legitimam summam.*

Eâdem ratione, non retrotrahetur, quoad fructus respondentes illi parti, quæ excedit legitimam summam, quando donatio insinuata non fuit, etiamsi in testamento donantis confirmaretur, quia quantum ad illum excessum habet meré vim legati non donationis vt dicebamus *dub.* 14. fructus autem legati solùm pertinent ad legatarium, ex quo ad ipsum pertinet legatum, siue id pertineat post aditam hæreditatem, vt de iure communi, siue statim post mortem testatoris, vt de iure Castellæ dicebamus *dub. præced.* nunquam verò quoad fructus legatum retrotrahitur. Legatur Sanchez loco citato. Molina citata *disputation.* 289. §. *vt disp. præced.*

Sanchez. Molin.

204. Qui rectè aduertit & cum illo Sanchez ex Gregorio Lopez *l.* 4. *tit.* 11. *Partitâ* 4. verbo *En su vida*. hanc donationem morte confirmatâ non ante incipere vsu capi, quàm donantis morte confirmata fuerit.

Non incipit res donata vsucapi antequàm morte donantis confirmetur.

Vlterius patet ex dictis statim à morte donantis transferri dominium in coniugem donatarium etiam iure communi, antequam hæres adeat hæreditatem. In quo differt à legato. Ita Molina *supra* §. *illud etiam obseruandum* Sanchez *supra num.* 5. Gregorius Lopez *supra*. Antonius Gomez 2. *variar. c.* 4. *num.* 24. Addunt verò Molina, & Sanchez, si donatio insinuata, non sit, & excedat legitimam summam, habere quoad excessum vim legati, atque adeò dominum non transferri iure communi, nisi post aditam hæreditatem, dummodò excessus sit alicuius momenti; nam, si esset modicus, per cõcomitantiam transiret dominium excessus in donatarium, nec facilè designare licèt, quid in re donata rationem habeat excessus cùm omnia permixta sint. Si tamen valor quingentorum aureorum (qui solus est legitima summa donationis sine insinuatione) modica pars esset comparatione excessus, docet Molina (me quidem iudice) consequenter ante hæreditatem aditam iure communi non comparari dominium illius summæ à donatario; quia tunc præcipua ratio habenda esset alterius partis excedentis, atque adeò confirmaretur morte tanquàm legatum. Ratio omnium mihi videtur esse, quia accessorium sequitur naturam principalis, & quando excessus est minimus, legitima alia materia censetur principalis. Quando verò excessus est maximus, tunc illa est principalis, & quod de illo, idem de accessorio dicendum est.

205. *Statim à morte donantis trãsfertur dominium in coniugem donatariũ.* Molina. Sanchez. Greh. Lop. Anton. Gomez. *Sed non quoad partem excedentem legitimam summam qui excessus solum habet vim legati. Excessus modicus etiãm acquiritur. Nota pro valde magno excessu. Ratio omnium prædictorum.*

Iam verò disputat Sanch. an, vt retrotractio sit quoad omnes fructus, requiratur in donatario bona fides? & an reuocatâ donatione, aut morte non confirmatâ, teneatur coniux donatarius omnes fructus perceptos restituere?

206. *Dubium de bona fide an requiratur & qua fructuum restitutio debeatur si nõ confirmetur.*

In qua re asserendum est cum eodem primò donationem reuocatam, aut morte non confirmatam retrotrahi, quoad solos fructus naturales, illosque tantùm teneri restituere donatarium non verò fructus industriales. Quæ doctrina congruit cum eis, quæ diximus *dub* 4. *num.* 48. & 49. & deinceps, quia nimirum isti fructus potiùs respondent industriæ, & diligẽtiæ percipientis illos, quàm ipsi rei; naturales verò fructus ipsi tantùm rei tribuuntur, & his donatis absolutè censetur pauperior factus coniux donans, non verò illis. Confirmatur tota doctrina ex L. *fructus percipiendo* ff. *vsuris* & L. *de fructibus* ff. *de donat. inter vir & vxor.* In quibus non consideratur bona fides, vt coniux donatarius fructus industriales acquirat; quamuis enim non credat donationem valere, quò fructus sibi comparet; in prædictis iuribus tantùm attenditur quòd coniux donans non efficiatur pauperior, quoad eos fructus, qui non tam ex re ipsâ, quàm coniugis donatarij industriâ percipiuntur. Ideò voluit lex, vt loco citato diximus, prædictorum fructuum donationem valere. Vnde in eâ lege *de fructibus*, quasi reddens rationem cur coniux fructus rei donatæ acquirat, ait *licitam habere donationem*. Vnde

207. *Assertio donatio siue reuocata siue non confirmata retrotrahitur ad restitutionem fructuum naturalium tantùm. Ratio. Confirmatur.*

de sentit fructus ex ipsâ donatione immediatè acquiri, & non ex vi possessionis bonæ fidei. Confirmat Sanchez, quia quamuis coniux nouerit donationem non valere, id est esse reuocabilem, potest nihilominùs bonâ fide & tutâ conscientiâ possidere expectans confirmationem sequutâ morte, vt tum eodem diximus *dub.* 1. ac proinde iure permittente possidet, vt donatio morte confirmati possit. Quare cùm fructus iustam possessionem sequantur, vt suprà in *hac dub.* dicebamus, non mirum est, si ratione huius possessionis ius concedat eorum fructuum industrialium acquisitionem.

Confirmat adhuc Sanchez.

208. Hæc tamen confirmatio nullius momenti est; nam si loquamur de fructibus industrialibus (de quibus loquimur) hi non respondent ipsi rei, sed industriæ, vt supponimus. Vnde parùm refert possessio ipsius rei. Quod si possessio referret, potius ea confirmatio vim haberet pro bonis naturalibus, non industrialibus; hi enim sunt, qui propriè sequuntur possessionem rei, vtpotè orti ab ipsâ re possessâ; atqui de istis fructibus non concedit Sanchez eâ confirmatione probari, ergo neque de industrialibus. Iura verò, quæ prohibent fructus sequi rei possessionem, præcipuè, & propriè loquuntur de fructibus naturalibus, & supponunt eam possessionem esse bonæ fidei. Ad fructus verò merè industriales acquirendos non est ita necessaria bona fides possessionis rei, cùm fructus non ex reipsâ, sed ex industriâ percipiantur. Ideò omissa hac confirmatione sufficient aliæ rationes pro nostrâ sententiâ, quam sequuntur Fulgosus, Pinel. & alij apud Sanchez *suprà numer.* 7.

Non placet ea confirmatio.

Fulgosus. Pinellus. Alij.

209. Qui rectè *num.* 8. docet non solùm non teneri donatarium coniugem reuocatâ, aut non confirmatâ donatione per mortem, restituere fructus merè industriales (quorum dominium irreuocabiliter acquirit) verùm, neque omnes naturales, sed illos tantùm, quibus factus est ditior donatarius. Vnde si aliquos inutiliter cõsumpsit, non tenetur restituere perinde atque de re donatâ inutiliter consumptâ, ex quâ non factus sit locupletior, non teneti restituere diximus cum eodem Sanchez *dub.* 3. Legatur Sãchez *loco citato*, vbi alios refert pro hac doctrina. Habemus etiam ex dictis non requiri, quòd quando donatio morte confirmatur, & retrotrahitur, quoad fructus coniux donatarius habuerit bonam fidem, quâ scilicèt putauerit donationem valere, quia, quamuis sciuerit donationen non valere; nihilominùs bonâ fide, & iustè possedit, vsque ad confirmationem. Accedit, quòd in L. *donationes quas parentes* C. *de don. inter vir. & vxor.* absolutè statuitur hanc donationem morte confirmatam retrotrahi, neque ibi consideratur bonâ fides. Ita cum Pinel. quem refert, & docet Sanchez *suprà num.* 8. remissiuè *ad num.* 7.

Notandum cum eodem Sanchez, pro restitutione fructuum.

Quo sensu non requiratur bona fides.

Pinel. Sanchez.

210. Assero 2. ex dictis, donatio morte confirmata retrotrahitur quoad omnes fructus naturales, & industriales. Constat ex dictis in principio dubitationis, vbi cum aliis absolutè diximus, & probauimus absque vllâ distinctione donationem retrotrahi quoad fructus. Præterea; quia, si tantùm, quoad industriales; inutilis esset retrotractio; nam hos, vt vidimus, etiam non confirmatâ donatione pleno iure, & irreuocabiliter, acquirit donatarius. Ita Sanchez *suprà num.* 10.

Assertio 2.

Sanchez.

DVBITATIO XVII.

An donatio inter coniuges inualida confirmetur morte ciuili donatoris?

211. OMissis aliis genetibus mortis ciuilis, triplex solet numerari, nempe Exilium, quo quis ciuitatem perdat. Seruitus, quâ fit seruus hominis, aut pœnæ. Religio, qua scilicèt, quis efficitur per vota Religionis Religiosus.

Triplex inter alias mors ciuilis. Exilium seruitus Religiosus status.

Circa primum asserendum est confirmari, quia donatio causâ mortis, cui hæc assimilatur, etiam confirmatur morte ciuili L. *sed etsi mors* ff. *de don. inter vir. & vxor.* Ita Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 88. §. *donatio causa mort.* Ioan. Lupus, Rubrica de don. §. 71. & alij quos refert & sequitur Sanchez *disp.* 17. *n.* 3. contra nonnullos quos retulerat *num.* 2.

212. *Per primæ mortem cõfirmatur donatio. Ratio. Molina. Ioan. Lup. Sanchez. Alij.*

Circa secundum de morte ciuili seruitutis dicendum est, confirmari, si fiat seruus pœnæ, non si seruus hominis; sed tunc euanescere donationem. Posterior pars L. *Cùm hic status* 33. *alias* 32. §. *si donator* seruus ff. *de donat. inter vir & vxor.* tota verò assertio probatur ex L. Res vxoris C. *eodem titulo* iunctâ Gloss. verbo *deducto* vbi dicitur confirmari, quando donans efficitur seruus pœnæ, puta damnatus est in metallum, secus, si seruus hominis. Differentiæ ratio assignatur; quia, qui seruus pœnæ fit, in nullius potestatem transit, qui reuocare donationem valeat, quando verò fit seruus hominis; dominus est, qui reuocare possit. Ita Sanchez *suprà num.* 4. referens Syluestrum. Rossel. Angel. Tabien. & alios.

213. *Per secundæ mortem seruitutis, si sit pœna, confirmatur donatio, si sit seruitus hominis, euanescit donatio. Constat ex legibus. Glossa. Discriminis ratio inter vtramque seruitutem. Sanchez. Syluester. Rosella. Angelus. Tabiena. Alij.*

Prædicta autem confirmatio eâ morte ciuili, solùm respectu fisci intelligenda est, ne scilicèt, Fiscus inter cætera bona viri, quæ publicantur, ea bona donata capiat; non tamen intelligenda est respectu viri donantis; potest enim ipse, dum superstes est reuocare; nam cùm de donatione causa mortis expressè id decidatur L. *sed si mors* ff. *de donat. inter vir. & vxor.* iuxta dicta *dub.* 10. *n.* 134. cum eodem Sanchez; eâdem ratione videtur sentiendum de hac donatione; cùm æquiparetur donationi causa mortis, eo quòd vtraque morte confirmetur. Ita Sanchez *suprà num.* 5. cum aliis Molina *Tract.* 2. *disp.* 188. §. *Donatio causa mortis.* & *disp.* 189 §. *Disputatione præcedenti.* Quod si vir reuocauerit eam donationem post factam bonorum suorum publicationem; res donata erit sua, & non Fisci, vtpotè non inclusa inter bona publicata L. *si deportari seruo* ff. *de legat.* 3. Ita Molina proximè citatus, & cum eo Sanchez suprà, & alij apud ipsos.

214. *Cõfirmatio morte ciuili solum respectu Fisci intelligenda. Sanchez. Molina. Si vir reuocet in eo casu, res erit sua. Molina. Sanchez. Alij.*

Qui duo notant Sanchez quidem *num.* 6. & Molina *loco citato* non esse idem dicendum, si vxor donauerat viro, quoniam solùm in fauorem vxorum videtur introductum L. *Res vxoris* C. *de don. inter vir. & vxor.* vbi de solis vxoribus loquitur, & ratio solùm in illis locum habet ibi:

215. *Nõ est eadẽ ratio, si vxor donauerat viro. Ratio ex legibus.*

ibi: *& donatio maritalis ante tempus criminis, ac reatus tollata in vxore; quia pudicitiæ præmio cessit, obseruanda sit, tanquàm si maritum eius natura, non pœna subduxerit.*

216. *Circa tertiũ de professione coniugis donantis, notandum.*

Circa tertium de professione coniugis donantis respondeo in primis nil valere in eo casu (quidquid aliqui dicant) siue matrimonium consummatum sit, siue non, vt confirmetur donatio. Ideò in casibus, in quibus confirmatur donatio possessione donantis ante consummatum, confirmatur etiam post consummatum possessione factâ de licentiâ alterius coniugis. Quamuis enim matrimonium consummatum non dissoluatur quoad vinculum virtute possessionis; quoad effectum tamen, & vsum matrimonij dissoluitur; cùm non liceat matrimonio vti *t. Accedens & t. significauit. de conuer. coniug.* Ita cum aliis docet Sanchez *suprà numer.* 8.

Sanchez.

217. *Sanchez putat distinguendum in hac re inter professos diuersarum Religionum.*

Descendendo autem ad casus, in quibus possit vel non possit confirmari possessione, satis probabiliter distinguit Sanch. *num.* 9. inter professum in Religione capaci possidendi bona in communi, & non capaci; nam, si professus fuit in Religione capaci talis possessionis, non videtur confirmari, sed expectandam esse mortem corporalem donantis, ita, vt priùs moriatur, quàm donatarius. Secùs verò, si Religio non sit capax, qualis est Religio minorum, tunc enim solâ professione videtur confirmari. Probat à simili de testamento facto ante ingressum Religionis, quod tunc tantùm confirmatur professione testatoris; quando professio fit in Religione non capaci possidendi bona in communi; nam, si fiat in Religione capaci, monasterium habebit ea bona dum viuit testator. Quã doctrinam docet Couarruu. *c. 2. de Testam. nu.* 6. referens Baldũ & alios multos. Assignant verò rationem, quia mors ciuilis, & naturalis æquiparantur, quando vtraque habet eundem effectum, quoad bona, vt docent multi apud citatos ex doctrina Glossæ. Clementina 2. *de elect.* verbo *mutiente.* Quando autem Religio non habet bona in communi, eundem effectum fortitur mors naturalis, & ciuilis per professionem; quia iam à nemine possideri possunt ea bona, scilicèt neque à Religioso, neque à Religione ipsum repræsentante. Quando verò Religio possidet bona in commum, non habet eundem effectum mors professionis, & mors naturalis quoad bona, quia licèt non ipse Religiosus; ipsa tamen Religio, quæ illum repræsentat, & eius locò habetur *c. in præsentiâ* de *prob. & Authent. nisi rogati* C. *Ad Trebellian.* ergo idem dicẽdum est in nostro casu. Pro quo refert Sanch. nonnullos alios.

Idem docent alij. Couarr. Baldus. *Alij multi.* *Ratio.*

Glossa.

Sanchez. *Cum aliis.*

218. *Probabilis est ea doctrina, sed non caret difficultate.*

Hæc tamen doctrina (quamuis probabilis) difficultate non caret; & quidem (vt ipse Sanchez fatetur) quod attinet ad professionem in Religione incapaci bonorum in communi, non est admodum certum confirmari professione testamentum; multi enim satis probabiliter putant, bona testatoris donec corporaliter moriatur pertinere vel ad Ecclesiam Romanam vel ad hæredes succedentes ab intestato. Ita sentiunt multi, quos refert Suarez iurisperitus. *Allegat.* 20. *num.* 28. Præterea etiamsi Religio capax sit bonorum in communi, si tamen Religiosus testamento suo disponat, vt bona fructusque bonorum pertineant ad hæredes ab intestato, imò etiam ad alios, & se spoliet omni iure, conditumque sit testamentum (vt necessarium est) ante factam promissionem; non videtur ita clarum, posse monasterium succedere loco Religiosi aliter priùs disponentis de suis bonis; nam ius illud monasterij à quo accepit, vel à quo detiuatum est in ipsum? nam à testamento Religiosi, nullo modo vt supponimus, ab ipso verò Religioso, qui per professionem censetur membrum talis Religionis, multò minùs potest habere, quia vel consideratur Religiosus in statu ante professionem, vel in statu professionis. Si ante professionem, nondum est membrum Religionis; si post professionem iam non habet ius in se. Vnde in illo instanti, in quo est verum dicere; hic homo est professus, & membrum huius Religionis, similiter est verum dicere; hic homo non habet ius & dominium bonorum, quæ anteà habebat, neque potestatem disponendi de illis: ergo à tali membro his omnibus tatente non potest deriuari tale ius, aut dominium in Religionem, cuius est membrum. Vnde etiamsi alioquin Religio habeat priuilegiũ à Principe supremo Ecclesiastico, vel sæculari succedendi in bonis Religiosi decedentis ab intestato, vel etiam succedendi; saltem interim dum viuit Religiosus, in bona quæ ad ipsum deuoluta forent; si esset capax; non inde sequitur, quod etiam succedat in eam potestatem, quam ille Religiosus haberet, si non fuisset Religiosus retinendi adhuc apud se bona, de quibus disposuit, & iura reuocandi testamentum, & faciendi alia, quæ ipse professus alioquin posset. Vnde non habet monasterium potestatem mutandi tales vltimas voluntates eius, qui antequàm esset Religiosus, sic disposuit. Sed de his alibi disputandum est.

219. *Probabile est donationem inter coniuges confirmari professione in quauis Religione. Probatur.*

Quod verò attinet ad nostram donationem inter virum & vxorem, probabile mihi satis videtur per professionem in quâcunque Religione confirmari, si ante professionem tacitè vel expressè non reuocauit, tùm, quia in tali modo confirmationis cessat iam ratio legis infirmantis has donationes, cuius sæpe meminimus, quæ ideo infirmauit, ne coniuges mutuo amore se spolient. Quæ ratio sicut cessat in morte naturali, ita cessat in morte ciuili, per professionem, in quacunque Religione fiat; tùm, quia eam donationem non confirmari nihil aliud est, quàm esse reuocabilem à donatore; sed per professionem desinit esse reuocabilis: ergo confirmatur. Probo minorem, quia donator est incapax reuocandi: ergo desinit esse reuocabilis ab illo. Antecedens patet, quia actus reuocandi est actus quidam dominij, cuius est incapax professus, maximè cum reuocatâ donatione; si dominium rei translatum fuisset in coniugem donatarium, rediturum esset in donatorem incapacem; & tamen reuerâ (quod amplius rem vrget) dominium nunquàm fuit translatum ante confirmationem in donatarium, adeò, vt, neque postquàm donatio confirmata est, retrotrahatur dominium in tempus donationis, vt probauimus *dub.* 16. in principio; necessa-

Suarez Iurista.

necessarium autem est ad reuocandam donationem, quòd dominium rei perseueret apud donatorem supposito, quòd non transfertur in donatarium; quod dominium non habet Religiosus, nec apparet, quomodò possit reuocare donationem, qui iam non habet, vt sic dicam, vocem ad reuocàndum, vtpote omnino incapax dominij, aut iuris alicuius in illam rem. Qui discursus etiam locum habet respectu Testamenti & legati facti ante professionem; sed, quia non video expressè auctores pro hac doctrinâ, interim illam aliorum iudicio submitto, & in praxi sequenda erit præcedens doctrina probabilis, quam Couarruu. Sanch. & alij supra citati tradiderunt, maximè cùm sit communis opinio & satis probabilis posse Monachum professum in Religione possidente bona in communi reuocare testamentum ante professionem conditum. Quam sequuntur & testantur esse communem Burgos de Paz. *L. 3. Tauri num. 688.* Matienzo *lib. 5. Recopil. tit. 6. l. 1. Gloss 3. num. 4.* Atque adeo idem probabilius adhuc dicendum est de reuocatione donationis inter virum & vxorem, scilicet posse Monachum professum in tali Religione dum vitâ fruitur donationem hanc reuocare.

Eadem ratio valet pro testamento & legatis.

Couarr. Sanchez. Alij. Quidam putant in Religione capaci possidendi bona in communi posse professum reuocare testamentum. Burgos de Paz. Matienzo.

220. *Probabilius reuocationē donationis prædictæ fieri posse quàm reuocationem testamenti.*

Imò quamuis in testamento oppositum sit probabilius, vt alij multi docent, teste Sanchez *supra numer. 11.* tamen diuersa est ratio de donatione; nam testamentum priùs factum reuocari nequit solâ contrariâ voluntate, imò nec expressâ reuocatione; sed alio æquè perfecto testamento, vt *in nostro opere de Iustitia in Tract. de Testam.* diximus, & constat *L. si iure ff. de legat. 2. & §. posteriore. Instit. Quibus mod. testam. infirm.* Cùm ergo professus testandi iam incapax sit, non poterit prius testamentum reuocare. Quoniam verò donatio tam causa mortis, quàm, quę esse solet inter virum, & vxorem, (quæ donationi causâ mortis assimilatur, quātum ad hoc, quod morte confirmetur) possit reuocari ad libitum, ad idque sufficiat sola tacita voluntas iuxta dicta *dub. 15.* poterit professus eam donationem reuocare; & ita docet Sanchez proximè citatus referens Suarez iuristam. *Allegat. 20. num. 27.* qui cum aliis à se relatis docet, etiam tenendo non posse professum reuocare testamentum, adhuc posse reuocare donationem causâ mortis. Semper tamen in hac re mihi hæret scrupulus ille; quod talis reuocatio non possit fieri; nisi per potestatem, & voluntatem dominatiuam, vt sic dicam eius, qui habet dominium, & ius ad id, cum tamen professus tali iure, atque dominio se spoliauerit, & eius omnino incapax sit, non minùs, quàm iuris, & potestatis, seu dominij requisiti ad condendum testamentum. Ideò speculatiuè loquendo, & seclusâ auctoritate Doctorum, si præcisè ratione agamus, nunquàm videtur posse Religiosum prædictam donationem reuocare, sicut nec testamentum, vt dictum est.

Sanchez. Suarez Iurista. Alij.

Adhuc manet difficultas suprà posita propter incapacitatem Professi.

221. Iam verò gradum faciamus ad secundum, quod in capite huius disputationis promisimus disputandum, scilicet, de sponsalitiâ largitate.

DVBITATIO XVIII.

Quid sit sponsalitia largitas? an valeat? & quando acquiratur?

222. *Assertio 1. definitio seu descriptio sponsalitiæ largitatis. Si sit pactū non reuocandi dominium irreuocabiliter transfertur.*

ASsero 1. sponsalitia largitas est donatio inter sponsos de futuro spe, & causâ ineundi matrimonium, vt iam indicauimus *dub. 1. in principio.* Hæc donatio talis est, vt, si sponsi inter se pactum ineant, ne res donata vllo casu redeat ad donantem, statim acquiratur irreuocabiliter donatario; etiamsi nec copula intercedat, nec osculum, imò & quamuis eius culpâ matrimonium non sequatur *L. 1. vers. igitur ff. de donat. L. si mater C. de donat. ante nupt.* Ratio verò est, quia talis donatio simplex est, & pura, nullo- que iure prohibetur, vtpote, neque inter coniuges facta, neque in tempus matrimonij relata, quæ sola prohibita est iuxta dicta *dub. 1.* Ita docet Gloss. *Instit. de donat. §. est & aliud* Gomez Arias *l. 50. Tauri.* Anton. Gom. *l. 52. Tauri.* Matienzo *lib. 5. Recop. tit. 2. Rubric. Gloss. 3. num. 3.* Sanch. *lib. 6. disp. 18. n. 1.* & alij Recentiores.

Glossa. Gomez Arias. Anton. Gomez. Matienzo. Sanchez.

223. *Assertio 2.*

Assero 2. quamuis olim iure antiquo, si non interueniret pactum prædictum reputaretur absoluta, statimque esset irreuocabilis donatio, & vt censeretur fieri sub conditione matrimonij futuri, requireretur eam conditionem exprimi *L. 1. vers. Igitur ff. de don. & l. 2. & l. si filiæ & l. si tibi C. de don. ante nupt.* iam tamen iure nouo non est necessaria expressio prædictæ conditionis, quia tacitè inest ex legis dispositione præsumentis contrahentium voluntatem *L. cùm veterum C. de don. ante nupt.* & in Regno Castellæ *l. 3. tit. 11. Partit. 4.* Ac proinde sequuto matrimonio firma erit, & pura, vtpotè purificata conditione, vt *dub. seq.* dicemus. Ita Molina *tract. 2. de iustitia disp. 290.* Sanchez *supra num. 2.* & alij apud ipsos. Neque ideò censetur propriè referri hæc donatio in tempus futuri matrimonij, quasi tūc tantùm censeatur donatio subsistere. Nam etiamsi matrimonium non sequatur, dummodò id non fit culpa donatarij, sed donantis, consequetur donatarius totam rem donatam. Imò, si absque nullius culpâ non sequatur, lucrabitur sponsa per osculum dimidiam partem, vt mox videbimus.

Probatur ex iure positiuo.

Molina. Sanchez.

Occurritur obiectioni quæ fieri posset.

224. *Assertio 3.*

Assero 3. si non fiat matrimonium, distinguendum est; aut solius donantis culpâ matrimonium non fit, & tunc donans sponsus, vel sponsa amittit sponsalitiam largitatem, & hæc transit in donatarium; Quod si quid acceperat donans ipse, restituet integrè; si quid verò promisit, tenetur soluere: aut ob donatarij culpam non fit, & tunc is restituet donanti, quod ab eo accepit. *L. cum veterum C. de donat. ante nupt.* Ita Sanch. *supra num. 3.* qui idem putat in Regno Castellæ, dummodo quantitas donata non excedat summam quæ titulo sponsalitiæ largitatis donari potest. Quâ de re dicemus *dub. 24.* Quod si excedat, ille excessus non censetur spōsalitia largitas. Quod si matrimonium casu non consummetur, puta morte alterius, tunc, si spōsa recepit à sponso largitatem sponsalitiam osculumque interceſſerit, partem acquiret dimidiam,

Sanchez. *Limitatio.*

midiam, & alteram donanti restituet. Quid autem acquirat, si copula interceſſit, vel matrimonium non conſummatum? dicemus *dub. ſequenti*. Tandem, ſi ſponſa donauerat ſponſo, nihil ſponſalitiæ largitatis ille acquiret per oſculum L. *ſi ab ſponſo* C. *de don. ante nupt.* & *in Caſtellâ l.* 3. *tit.* 11. *Partitâ* 4. & quidem meritò; nam ſponſi exiſtimationi nihil detritur, in nulloque grauatur, cùm tamen ſponſæ rubori, ſit ac verecundiæ id paſſam fuiſſe, neque ita facilè nubat eo matrimonio non ſequuto; imò, vt *citatâ l.* 3. *Caſtellæ* habetur, ſponſa potiùs videtur oſculum dare, quam accipere; id eſt dare ſpe remunerationis accipiendæ ab ſponſo, eo quòd muliebris ſexus auariſſimus ſit. Quid autem dicendum ſit, quando abſque culpâ vtriuſque? dicecemus *dub.* 21.

225. *Quid de iocalibus tũc acceptis?*

Hinc eſt, vt ſponſa iocalium ab ſponſo receptorum, caſu, vel morte non ſequuto matrimonio, vel eo diſſoluto ante conſummationem; ſi oſculum interceſſit, ſolùm debeat reſtituere dimidiam partem; è contra verò ſponſus debeat reſtituere integra iocalia, quæ accepit ab ſponſâ; quia hic nil lucratur oſculo. Ita Sanch. cum aliis *ſupra num.* 4.

Sanchez *cum aliis.*

226. *Aſſertio* 4.

Aſſero 4. ſiue oſculum præceſſerit, ſiue ſequutum fuerit iocalium donationem, modò hæc fiat poſt inita ſponſalia, comparat ſponſa medietatem iocalium. Hæc doctrina iure Caſtellæ expreſsè habetur *L.* 52. *Tauri.* quæ hodie eſt *l.* 4. *tit.* 2. *lib.* 5. *Recopil.* ibi: *Gana, ſi el es poſo le huuiere beſado la mitadde todo lo que el eſpoſo le huuiere dado antes de conſumado el matrimonio* vbi ſolùm lex reſpicit quòd data fuerint iocalia ante conſummationem, nullamque habet rationem, an data fuerint ante, vel poſt oſculum. Iure ſanè communi non eſt ita clarè deciſum; nam *l. ſi à ſponſo* citata ſolùm dicitur *rebus à ſponſo donatis interueniente oſculo.* & ſuſpicari quis poſſet debere oſculum eſſe poſt res donatas. Verùm (vt rectè Sanch. *ſupra num.* 5.) id non videtur conſiderari à lege, quin imò eadem eſt ratio ſiue præceſſerit oſculum, ſiue ſequatur; in vtroque enim caſu ſponſa ruborem, ac damnum difficiliùs inueniendi ſponſum patitur. Legatur Sanchez *loco citato.*

227. *Aſſertio* 5. *Ratio* 1.

Aſſero 5. per copulam, vel oſcula habita ante ſponſalia nihil lucratur ſponſa. Ratio eſt; quia leges citatæ loquuntur de rebus donatis ab ſponſis, quando interuenit oſculum &c. Qualitas autem adiuncta verbo debet intelligi adeſſe iuxta verbi tempus, atque adeò debent eſſe ſponſi, quando intercedit oſculum, vel copula. Accedit, quod actus culpabilis, & pœnâ dignus non eſt aliquo præmio afficiendus, maximè legali L. *ſiue hæreditas* ff. *de negot geſt.* & aliis iuribus apud Corneum conſ. 76. volum. 1. Illud autem oſculum ante ſponſalia peccatum eſt pœnâ dignum: ergo per illud non lucratur ſponſa præmium legale. Hanc aſſertionem docent multi, quos refert & ſequitur Sanch. *ſupra num.* 6. Verùm hæc poſterior ratio de præmio legali non concedendo actui culpabili, & illicito mihi non probatur, nec conſequenter debuiſſet illam probare Sanch. quippe qui *diſp.* 19. *eiuſdem lib.* 6. expreſsè docet per copulam ſuppoſitis ſponſalibus etiam poſt Tridentinum acquiri ſaltem medietatem iocalium, cùm tamen copula illicita ſit. Vnde idem Auctor dicit non conſideraſſe leges; an oſculum, vel copula illicita ſint vel non, ſed ſolùm ruborem & detrimentum ſponſæ; quod damnum maius eſt in copulâ; ſed de hoc iterum dicemus *dubitatione ſequenti.* præſertim *n.* 240. & ſeq.

Alia ratio qua aliqui vtuntur. Corneus.

Sanchez. *Alij multi. Ratio non videtur probanda. Nec conſequenter ad ea, quæ conceduntur.*

228. *Illatum ex dictis.* Sanchez. *Ratio.*

Ex dictis optimè infert Sanchez, ſi ſponſalia ſint conditionalia non lucrari ſponſam medietatem iocalium per oſculum datum ante conditionis euentum. Ratio eſt; quia adhuc præcedit ſponſalia, quæ non ſubſiſtunt ante impletam conditionem.

229. *Aſſertio* 6. *Ratio.*

Aſſero 6. ſolus amplexus abſque oſculo non ſufficit, vt ſponſa comparet aliquid talis donationis; quia Textus relati expreſsè id oſculo concedunt, neque eſt eadem ratio de amplexu, maiorem enim ruborem patitur ſponſa propter oſculum. Ita Sanchez *ſupra numer.* 8. cum aliis, quos refert. Legatur idem Auctor *numer.* 9. & 10.

Sanchez *cum aliis.*

230. *Aſſertio* 7.

Aſſero 7. vt ſponſa lucretur prædictam medietatem per oſculum, aut copulam non requiritur animus donandi in ſponſo; ſed ſufficit, quòd de animo contrario non conſtet per expreſſum pactum inter ipſos; quia, vbi non interuenit oppoſitum pactum, Lex. *Cùm veterum* & L. *ſi à ſponſo* C. *de donat. ante nupt.* & *l.* 3. *tit.* 11. *Partitâ* 4. decernunt per oſculum acquiri medietatem iocalium, & per copulam ea integra. Legatur Sanchez *numer.* 11. vbi alios refert pro hac doctrina, & notat, ſi adeſſet oppoſitum pactum, illud valere, quia donatio ſponſalitiæ largitatis eſt voluntaria.

Ratio.

Sanchez. *cum aliis.*

231. *Non requiritur inſinuatio pro ſponſalitia largitate in Caſtellâ.* Molina. Sanchez.

Tandem meritò docet Molina *de iuſtitia Tractat.* 2. *diſputation.* 290. *paragrapho Quintum eſt.* & idem Sanchez *ſupra numer.* 12. hanc donationem ſponſalitiæ largitatis valere abſque inſinuatione, etiamſi excedat ſummam, quæ alioquin abſque inſinuatione donari non poſſet, quod pro Regno Caſtellæ videtur intelligendum; quia *l.* 52. *Tauri.* dicitur valere hæc donatio acquirique per matrimonij conſummationem nullâ factâ reſtrictione in quantitate. In *l. verò* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *Recopil.* ſolùm ſtatuitur donationem hanc non debere excedere octauam partem dotis ſponſæ. Vnde, licèt alioquin excedat quingentos ſolidos, ſeu aureos, dummodo hæc quantitas non excedat octauam partem dotis; non videtur indigere inſinuatione.

Limitatio.

232. *Prædicta etiam valent pro foro cõſcientiæ.* Sanchez. Minchaca. Azeuedo.

Quæ hucuſque dicta ſunt circa prædictarum legum diſpoſitionem, etiam valent pro foro conſcientiæ; quia & leges iuſtæ ſunt, & damnum, quod patitur ſponſa meritò compenſandum. Ita Sanchez *ſupra* cum Minchacâ, & Azeuedo. Quid autem dicendum ſit; quando ſponſa nullam dotem affert, quomodo verò tunc taxanda ſint iocalia, in ſequentibus dicemus.

DVBIT.

DVBITATIO XIX.

An per matrimonium solùm ratum, saltem sequutâ traductione ad sponsi domum, aut per copulam ante matrimonium acquiratur sponsalitia largitas?

233. *Assertio 1. Constat ex legibus.* Assero 1. comparat sponsa integrum sponsalitiam largitatem consummatione matrimonij L. *si à sponso* C. *de don. ante nupt.* & in Castellâ *l.3.tit.* 11. *Partitâ* 4. *& l.52. Tauri.* quæ hodie ex lex 4. *tit.2. lib.5. Recopil.* Ratio est, quia omnino impletur conditio matrimonij ineundi, cùm tamen nondum consummato posset, saltem per professionem dissolui. Ita Sanchez cum aliis *lib.6. disp.19. n.1.*

Ratio.

Sanchez cum aliis.

234. *Non requiritur traductio sponsæ ad sponsi domum.* Non requirunt autem leges traductionem sponsæ ad sponsi domum, vt cum aliis docet idem Sanchez *n.2.*

235. *Assertio 2. Non sufficit matrimonium ratum absque osculo. Ratio. Sanchez. Ioan. Lup. Greg. Lop.* Assero 2. non sufficit solum matrimonium ratum absque osculo, vt sponsa aliquid illius donationis lucretur, vnde, si dissolueretur morte, vel professione Religionis, aut aliter absque culpâ, nihil lucrabitur, quia nondum est verificata perfectè conditio; acquisitio verò medietatis legibus solùm decernitur, interueniente osculo. Ita Sanch. *n.3.* cum Ioanne Lupo & docet Greg. Lopez *l.3. tit.11. Partita* 4.

236. *Nec sufficit traductio sponsæ ad domum sponsi vt eum largitatem acquirat. Sanchez cum aliis. Contra. Greg. Lop. Ratio. Nec sufficiunt benedictiones nuptiales. Contra. Azeuedo. Ratio eadē.* Nec sufficit quòd traductio ad sponsi domum sequuta sit, vt acquirat sponsalitiam largitatem. Ita Sanch. cum aliis *n.4.* contra eundem Gregorium Lopez. Ratio est, quia *l.52.* Tauri solùm expenditur matrimonium esse consummatum: non consummatur autem; nisi per copulā. Et idem est, etiamsi benedictiones Ecclesiæ accesserint, vt contra Azeuedo docet Sanchez ibidem; quia neque hæc est consummatio.

237. *Assertio 3. Pro tempore antequàm vigeat Tridentinum. Ratio. Quid de foro conscientiæ?* Assero 3. si post sponsalia de futuro sequatur copula, iure antiquo (saltem, quantùm ad forum exterius) acquirebat sponsa totam sponsalitiam largitatem. Ratio est; quia iam matrimonium censebatur consummatum iuxta ea, quæ diximus *disp.2. dub.14.* adiunctis iis, quæ diximus ibidem *dub.10. & disp.5. dub.41.* siue id sit; quia ipse accessus post sponsalia erat sufficiens affectu maritali, censebaturque sufficiens signum, siue (quod verius puto) quia iam tunc Ecclesia præsumebat præcessisse contractum matrimonij ante copulam, ne præsumeret copulam fornicariam. De quibus omnibus latè egimus locis notatis, vbi explicuimus *c. Veniens* & *c. is, qui fidem* & *c. fin. de sponsalib.* Tunc autem quoad forum conscientiæ, si verè fuisset initum, & per eam copulam consummatum matrimonium, acquireret sponsa totam donationem. Secùs, si re ipsa contractum non esset; quia tunc re ipsâ copula non erat matrimonialis.

Quid pc? Tridentinū. Post Tridentinum verò iuxta sententiam, quæ putat, quando sponsalia & copula habita fuerunt, coram eisdem Parocho, & testibus, etiam censet, aut saltem præsumi contractum matrimonij, philosophandum est sicut in aliis casibus ante Tridentinum. Nos autem, qui in nullo casu per copulam existimamus re ipsâ contrahi matrimonium, adhuc præsumptum; quantumuis copula habeatur coram eisdem Parocho & testibus, coram quibus habita sunt sponsalia, vt *dub.illa* 14. latè probauimus, consequenter dicendum est non acquiri saltem totam sponsalitiam largitatem per copulam illam, quæ non est consummatio matrimonij nondum, scilicèt initi.

In nostra sententia nihil acquiritur vel saltē non tota largitas.

Vtrum autem saltem medietatem donorum acquirat? non omnes consentiunt. Aliqui putant nihil acquiri; quia copula illa illicita est, & pœnâ digna, atque adeò non afficienda præmio legali medietatis lucrorum, quali afficitur osculum, quod licitum est inter sponsos. Sicut nec per osculum ante sponsalia acquiritur, nam illicitum est, & indignum præmio legali.

238. *Circa acquisitionem medietatis diuersa sententia. Quidam nihil putant acquiri. Ratio.*

239. *Assertio 4. acquirere medietatē. Ratio. Sanchez. Matienz. Molina.* Assero nihilominus 4. acquirere medietatem donationis per eam copulam; quia leges non attenderunt, an osculum vel copula licita sint; sed ruborem, & detrimentum sponsæ, quod totum maiorem vim habet in copulâ, quàm in osculo. Ita Sanchez *supra num.5.* cum Matienzo. Item Molina *tract.2. disp.* 290. §. *Quando autem.*

240. *Ad argumentum in contrarium. Sanchezij responsio.* Ad argumentum verò in contrarium respondet Sanchez copulam post sponsalia; quamuis coram Deo culpabilis sit, in foro externo hominumque æstimatione non tribui culpæ; nec infamiæ feminæ, cùm fiat spe proximi matrimonij; at osculum præcedens sponsalia prorsus culpabile est, nullamque excusationem habet. Quæ solutio mihi maximè displicet; tum quia non est necessarium, vt videbimus, recurrere ad ineptam vulgi existimationem, non tribuentis culpæ id, quod culpabile est; imò etiam in communi existimatione rectè sentientium valdè est indecorum, imò infame feminæ consentire in copulam cum nondum marito; nec video cur in communi hominum existimatione non censeatur multò magis infamis, quæ habuit copulam cum nundum marito, quantumuis sponso de futuro, si posteà non sequatur matrimonium, quàm quæ permisit osculum à nondum sponso, etiamsi posteà non sequatur matrimonium.

Omninò displicet Sanchezij responsio.

241. *Alia responsio potior & tenenda.* Ideò respondendum puto prædictis legibus talem actionem non affici præmio, sed considerari tanquàm damni inductiuam ex parte viri; & ideò, quasi in compensationem illius damni statui, vt sponsa per osculum acquirat dimidiam partem illius donationis. Et quia idē damnum, & maius est in copulâ videtur idem quoque de copulâ dicendum. Quod autem id legibus non statuatur in præmium talis actionis, ex eo mihi videtur verum; quia, si loquimur de vero præmio pro opere aliquo bono virtutis non potest intelligi; quorsum enim curæ esset legibus, & legislatoribus præmiare aliquod opus, quod non fit, aut certè non solet fieri ex affectu bono virtutis, quale est illud osculum, imò neque potest, si sermo sit de copulâ, quæ omnino est illicita? Solùm ergo leges loquuntur de præmio lato modo accepto, id est de præmio pro opere grato alteri, & in gratiam illius admisso, quale censetur osculum, & copula inter sponsos, maximè cùm sit opus factum

ctum cum detrimento,& damno feminæ,quod damnum voluerunt leges aliquâ ratione compensari, nimirum æquitas postulat, vt, quia sponsa ob amorem sponsi aliquid fecit,& passa est cum sui detrimento, quod in vtilitatem sponsi cederet,etiam sponsus in gratiam sponsæ aliquid patiatur cum sui detrimento, quod in sponsæ vtilitatem cedat ob illius amorem. Quod tamen lex noluit habere locum in iis, quæ inhonestè fiunt inter nondum sponsos, etiamsi damnum sequatur.

242. *Assertio 5.* Assero 5. si copula habita fuit post sponsalia conditionalia, nondum impleta conditione, nihil acquirit sponsa, siue liberum non sit contrahentibus à conditione recedere,siue sit liberum. *Ratio.* Ratio omnium est, quia (vt diximus *dub. præcedenti assert.5.*)nondum sunt sponsi.Ideò deficit qualitas adiuncta verbo,quæ debet intelligi iuxta verbi tempus. Leges autem solùm loquuntur de sponsalitiâ largitate inter sponsos, quales hi nondum sunt.

243. *Assertio 6. Constat ex iure positiuo ciuili.* Assero 6. sponsus lucratur matrimonij consummatione iocalia sibi donata à sponsa de futuro L. *si à sponso* C. *de donat. ante nupt.* ibi: *si sponsa donationis titulo fuerit aliquid sponso largita, & ante nuptias hunc,vel illum mori contigerit,ad donatricem sponsam.siue eius successores donatarum rerum dominium transferatur.* Et in Castella *l.3. tit.11. Partit.4.*ibi:*E si murieſſe ella ante que el matrimonio fueſſe acabado,eſtonce en tal caſo como eſte, quier ſe hanbeſado,o non,deue tornar la ſoſa dada alos herederos de la eſpoſa.* *Et in Regno Castellæ.* Ex quo à contrario sensu colligitur nuptiis sequutis,matrimonioúe consummato non teneri sponsum iocalia sibi donata restituere,sed potiùs ea integra acquirere. Quod argumentum à contrario sensu est fortissimum in iure *l.1.§. huius rei* ff. *de offic.eius, cui mandata est iurisdic.* & latè probat aliis iuribus *Euerard.* Euerardus loco à *contrario sensu num.1.* Vlterius L. *Cùm veterum* C. *de don.ante nupt.* postquam deciditur id,quod datur à sponso sponsæ, habere veram rationem donationis factæ sub conditione futuri matrimonij, tandem concluditur. *Quæ similiter obseruari oportet, & si ex parte sponsæ in sponsum donatio facta sit.* ergo sicut illa acquirit sibi donata sub eâ conditione purificatâ, etiam sponsus acquirit.Ita docent *Anton. Gomez.* Antonius Gomez ad *l.52.Tauri num.3.*Gutierrez *3.Practicar.q.* 44.*in fine.* *Gutierr. Matienz. Sanchez cum aliis.* Matienzo *libr.5.Recop.tit.2.l.4.Gloss.4. numer.2.*& alij, quos sequitur, & refert Sanchez *supra numer.8.*

244. *Assertio 7.* Assero 7.quando sponsa per verba de præsenti matrimonio rato donat sponso,matrimoniumque consummatur post donationem,spõsus acquirit iocalia matrimonij consummatione.*Ratio.* Ratio est;quia quamuis *l.52.Tauri* quę hodie est *lex 4.tit.2.lib.5. Recop.* solùm dicatur lucrari sponsam de præsenti sibi donata per sponsum; tamen cùm sponsus & sponsa sint correlatiua,quod in vno disponitur,censetur dispositum in alio.Vnde hæc lex corrigens, quod in aliis antiquioribus iuribus dispositum erat cõparatione vnius correlatiui,censetur corrigere comparatione alterius, iuxta doctrinam generalem L. *fin.* C. *de indictâ viduis.* *Bartol. Angelus. Iason. Euerard. Cũ multis. Sanchez.* Vbi id notant Bartol. Angelus, Iason cum multis quos refert, & sequitur Euerard. loco *à correlatiuis numer.7.* Legatur Sanchez *numer.10.*

DVBITATIO XX.

An, si sponsalia ob impedimentum dirimens nulla fuerunt, atque adeò dissoluta,lucretur sponsa per osculum dimidium sponsalitiæ largitatis, & per copulam totam?

245. *Assertio 1.* Assero 1. quando vterque sponsus ignorabat impedimentum,lucratur medietatem per osculum,& integrè per copulam,aut potiùs solùm dimidium post Tridentinum iuxta dicta *dub.præcedenti assert.3.num. 237. & seqq.* Constat hoc in Castella *l.3. tit.11.Partitâ* 4.ibi:*pero ſiempre ſe en tiende,que el deue tornar aquello que recibe.ſi por ſu culpa finca, que el matrimonio ſe no figa.* *Ratio ex legibus.* Ergo à contrario sensu, si absque ipsius culpâ matrimonium non sequatur, acquiret modo prædicto sponsa largitatem sponsalitiam,vt fit in nostro casu.Accedit, quòd id lucrum pertinet ad sponsam in præmium amissi pudoris, vel in cõpensationem potius,vt *dub. præced.* dicebamus. Ita Sanchez cum Ioanne Lupo, & Matienzo, quos refert *lib.6.disp.20.* *Sanchez. Ioan. Lup. Matienzo.* Intelligitur tamen hæc assertio, quando interceſſit bona fides, scilicèt ignorantia iusta,& probabilis, quæ etiam coram Deo excusat,vt docet Sanchez ibi ex Ioanne Lupo, & addit ex Barbosa arras non acquirere; quia in arris non consideratur quòd absque culpâ vxoris dissoluatur matrimonium, sed acquiruntur consummato matrimonio. *Limitatio quæ inest. Sanchez. Ioan.Lup. Barbosa. Arra tunc non acquiruntur. Ratio.*

246. *Obiectio 1.* Obicies 1. ex aliquibus,qui oppositum sentiunt,etiam sponsalitia largitas habet tacitam conditionem *si matrimonium sequatur* L. *Cùm veterum* C.de donat. ante nupt. & in nostro casu non potest sequi propter impedimentum dirimens:ergo ea donatio non acquiritur.

247. *Respondetur.* Respondetur non quidem posse esse verum matrimonium, posse esse tamen existimatum bonâ fide ignorato impedimento, atque adeò reuerâ esse futuri matrimonij spem, ob quam fit hæc donatio,& quâ suppositâ admittitur osculum vel copula,& id solùm in legibus attendi ob admissum ruborem, aut damnum.

248. *Obiectio 2.* Obiicies 2. sponsalitia largitas acquiritur per osculum datum inter veros sponsos de futuro,aut de præsenti,quoad medietatem;& per copulam,aut integrè acquiritur, aut medietas iuxta dicta *dub. præced.assert.3.* atqui in hoc casu illi non sunt veri sponsi; neque adest copula inter sponsos de futuro,aut de præsenti: ergo nihil acquiritur.

249. *Respondetur.* Respondetur satis esse,quòd sit copula, aut osculum inter sponsos bonâ fide existimatos tales, vt id factum censeatur spe futuri matrimonij ineundi,vt explicatum est.

250. *Assertio 2.* Assero 2.quando vterque sponsus fuit conscius impedimenti,quamuis probabile sit, nec dantem posse repetere,nec recipientem retinere;sed Fiscum vendicare.Item, quamuis probabile sit,sponsam non posse retinere, nec teneri fisco tradere;sed ipsi sponso,qui dedit, probabilius nihilominùs est posse sponsam retinere, donec fiscus per sententiam auferat. *Ratione probatur.* Ratio est;

quia

quia donans ex falsâ causâ non ignarus falsitatis censetur donare, abdicareque à se dominium, transferendo illud in donatarium, si hic non reddatur aliquâ lege illius incapax. Legatur Sanchez *libr. 6. disputation. 2. numer. 2.* & quæ Sanchez. suprà diximus in hac *disputation. dubitat. 2. num. 15. & seqq. à principio*, vbi diximus donationem factam inter coniuges putatiuos valere, quando vterque fuit conscius impedimenti, nec donatarium debere restituere ante quàm per sententiam ad id cogatur; atque adeò ita dicendum est in nostro casu pro sponsalibus, quorum impedimentum dirimens vterque coniux sciebat. Neque sponsa in hoc casu aliquâ lege incapax redditur; tantùm enim in pœnam conceditur Fisco ius auferendi; hæc autem pœna condemnatione indiget. Porrò hoc ius esse concessum Fisco constat ex *L. Cùm hic status* 33. alias 32. *Paragrapho finali* ff. *de donat. inter vir. & vxor.* & L. *Qui contra.* C. *de incest. nupt.*

251. Probatur. 2. Sanchez. Molina. Sanchez. Ioan. Lup. Probatur secundò, quia, quando ex parte vtriusque interuenit turpitudo, melior est conditio possidentis iuxta totum titulum ff. *de condic. ob turpem causam* vt cum multis docet Sanchez *supra numer. 7.* & quidem generaliter loquendo in similibus pœnis non teneri accipientem restituere, donec per sententiam Fiscus auferat, docent multi; inter quos Molina *tomo 1. de iustitia Tractat. 2. disputation. 94.* Legatur Sanchez *loco citato.* Cùm ergo in nostro casu turpitudo versetur ex parte vtriusque, melior erit conditio sponsæ possidentis, atque id in propriis terminis docet præter Sanchez, etiam Ioannes Lupus *L. 52. Tauri numer. 5.* quamuis non sine aliquo dubio.

252. Assertio 3. Sanchez. Ioan. Lup. Castillo. Anton. Gomez. Azeuedo. Assero 3. Quando solus sponsus ignorabat impedimentum tenetur sponsa illius conscia integrè restituere donanti; quia culpa ipsius sponsalia subsistente impedimento inualidè attentata fuerunt, & causa donandi falsa, donante ignaro, & donatariâ conscià. Ita Sanchez *supra numer. 9.* cum Ioanne Lupo, Castillo, Antonio Gomez ad *l. 52. Tauri*, & Azeuedo ad *l. 4. tit. 2. lib. 5. Recopil.*

253. Assertio. 4. Sanchez putat integra tunc iocalia lucrari per copulam. Non admittitur. Assero quartò, sponsæ ignoranti impedimentum, si sponsus conscius donet, lucrabitur sponsa per osculum, aut copulam medietatem iocalium iuxta dicta in primâ assertione eisdem rationibus ibi adductis, & docet Sanchez *numer. 10.* cum Auctoribus nuper citatis, nisi quòd Sanchez putat integra iocalia acquirere per copulam; quia putat illam copulam matrimonialem; nos verò consequenter diximus in omnibus casibus per copulam maximè post Tridentinum, quamuis præcessetint sponsalia solum acquiri medietatem lucrorum.

DVBITATIO XXI.

An, quando sponsalia dissoluuntur ob causam inculpabilem, voluntariam tamen, lucretur sponsa per osculum eam dimidiam partem? & an, si alter culpâ suâ dedit causam iustam dissoluendi sponsalia, lucretur innocens resiliens à sponsalibus, sponsalitiam largitatem?

254. Circa primum. Assertio 1. Ratio. Circa primum assèrendum est. Primò, si neutrius culpâ dissoluuntur sponsalia; & tamen dissoluuntur non casu, vt morte, sed datâ operâ: tunc sponsus, si quæ accepit iocalia à sponsâ tenetur integrè restituere, etiamsi interuenerit osculum. Ratio est, quia solum per osculum nil lucratur sponsus, vt diximus *dubitation. 18.* & tamen nulla sponsæ culpa interuenit in eâ dissolutione, maximè cum L. *si à sponso* Cap. *de donat. ante nupt.* & in Castellâ *L. 3. titul. 11. Partitâ* 4. disponatur sponsalibus dissolutis morte alterius, atque adeò absque neutrius culpâ sponsam nihil lucrari per osculum; ergo potiori ratione. vel certè eâdem, quando in aliis casibus absque sponsæ culpâ sponsalia dissoluuntur.

255. Assertio 2. Probatur ex iure positiuo. Sanchez. Molina. Assero 2. sponsa in eodem casu lucratur per osculum medietatem iocalium, sed osculo non interueniente, nihil. Probatur ex L. *Cùm veterum* C. *de donat. ante nupt.* ibi: *Quòd si sponsa causam non contrahendi matrimonium præbuerit, tunc sponso, vel eius hæredibus sine aliquâ diminutione redhibeatur.* Et in Castellâ *l. 3. tit. 11. Part. 4.* ibi: *Rebe tornar a quel, que recibe, si por su culpa finca, que el matrimonio nose cumpla.* Ergo à contrario sensu quoties absque culpâ sponsæ dissoluantur, non amittet illa ius alioquin acquisitum ad dimidiâ partem iocalium. Ita cum multis docet Sanchez *disp. 21. num. 3.* Molina *tom. 2. Tractat. 2. disp.* 290. §. *Quando autem.*

256. Illatum ex dictu. Molina. Ex dictis colligitur cum prædictis Auctoribus, & aliis multis lucrari sponsam medietatem iocalium interueniente osculo, etiamsi ingrediatur Religionem, quia factum illud est iure permissum, & inculpabile. Vnde *cap. Decreta legalia* 27. *quæst. 2.* dicitur: *Decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo modo consueuerunt damno multari*; mulctaretur autem si ius alioquin acquisitum amitteret. Item L. *Deo nobis* C. *de Episcop. & Clericor.* decernitur sponsam ingredientem Religionem non teneri duplicatas arras restituere; quas tamen teneretur restituere, si facto culpabili ab sponsalibus resiliret. Legatur Molina *tomo 2. de iustit. Tractat. 2. disputation.* 290. *Paragrapho Habent verò locum.*

257. Simile aliud illatum. Molina. Sanchez. Ioan. Lup. Azeuedo. Hoc ipsum à fortiori locum habet, quando sponsus est, qui ingreditur Religionem, tunc enim sponsa non solùm vacat culpâ; sed neque ipsa fuit, quæ causam illam voluntariam dedit; atque adeò non est vnde amittat eam medietatem per osculum acquisitam. Ita Molina ibidem. Sanchez *n. 4.* cum Ioanne Lupo, & Azeuedo.

258. Idem iudicium est de voto castitatis emisso ab

Quid de dissolutis sponsalibus per votum castitatis? Idem de quouis casu dissolutionis sponsalium absque culpâ. Sanchez. *Cum aliis citatis.*

ab alterutro, suppositâ opinione, quòd per tale votum sponsalia dissoluantur. Quâ de re diximus *disputation.* 1. *dubitation.* 32. & generaliter loquendo idem dicendum est in aliis casibus, in quibus absque alterius culpa sponsalia dissoluuntur, ad eos enim omnes se extendit assertio secunda, & docent Auctores citati maximè Sanchez *num.* 5.

259. *Excipiendum addit* Sanchez. *Probat argumento legis.* Glossa. Sanchez *Cum aliquibus iurisperitis.*

Excipit tamen *numer.* 6. casum, quo mutuo consensu vtriusque sponsi dirimuntur sponsalia, quia, licèt tunc sponsa non sit particeps culpæ, eo ipso quòd communi consensu resiliunt, videntur pactum inire, vt quilibet eorum alter alteri accepta restituat. argumento legis si diuersa C. *de Transactio.* ibi: *si diuersa pars contra placitum agere nititur, æquitatis ratio suadet refusâ pecuniâ (cùm & tu hoc desideres) causam ex integro agi.* Vbi Glossa verbo *refusa*, & verbo *Pecunia* ait *id est: restituta pecunia transactionis nomine data.* Refertque Sanchez pro hac doctrina aliquos iurisperitos.

260. *Non videtur semper verum. Ratio.*

Nihilominus id non absolutè, & semper mihi videtur verum; nam, si sponsa nesciebat sibi acquisitam illam dimidiam partem per osculum non eo ipso, quod resilit à contractu censetur pactum inire restituendi id, quod acceperat; si enim sciret esse restituendum iam acquisitum, & sciret esse acquisitum, fortè non consentiret. Præterea, etiamsi sciat esse acquisitam illam partem, & quòd præcisè stando in ipsâ dissolutione sponsalium, seclusis damnis extrinsecis, sint restituenda data, & accepta ex vtraque parte, adhuc propter detrimentum quod passa est, non est censenda cedere iuri sibi quæsito; neque casus legis, quæ affertur, est ad rem; nam ibi refusa pecunia restituta ex vtraque parte, quando dissoluitur transactio, facit vt omnia maneant ad æqualitatem reducta, & in eo statu, in quo erant ante transactionem; in nostro au em casu oppositum contingit, nam sponsa dissolutis sponsalibus, & restitutis integrè iocalibus, maneret adhuc læsa per osculum; ergo casus legis non est ad rem, cùm in eo supponatur æquitatis rationem suadere, restituendum esse, quod quælibet pars accepit in eâ transactione, in nostro verò casu æquitatis ratio oppositum suadeat, cùm æquũ non sit, vt dissolutis mutuo consensu sponsalibus adhuc sponsa maneat læsa absque vllâ læsionis compensatione.

Probatur vlterius.

Lex allata non cogit. Disparitas casus legis & præsentis casus ostenditur.

261. *Quo casu locum habeat exceptio Sanchezij.*

Quando autem pensatis circumstantiis osculum fuisset omnino occultum, & nullo modo timeretur reuelandum, adeoque nec sponsam difficiliùs inuenturam alium sponsũ (quod maximè potest contingere cùm vult ingredi Religionem) non omnino repugnauerim, quòd illa censeatur in illâ spontaneâ dissolutione sponsalium tacitè inire pactum restituendi mutuò, quæ sibi mutuò dederant.

262. *Aliud quod addit Sanchez admittitur.*

Placet autem absolutè doctrina, quam tradit Sanchez contra nonnullos alios cum aliquibus aliis, scilicèt, cùm sponsus sponsâ inuitâ resilit, & posteà tandem sponsa consentit, vel è contra; vltimò resilientem, seu potiùs consentientem dissolutioni sponsalium, attentâ voluntate alterius priùs resilientis, comparare nihilominùs integram sponsalitiam largitatem, quia eo ipso, quòd alter iniustè resilierat, vt supponimus, acquisiuit consentiens ius ad retinendam sponsalitiam largitatem sibi donatam, vendicandamque, quam donarat. *L. Cùm veterum* C. *de donat. ante nupt.* Quare cùm exequutio facta sit iam à lege statim ipso facto, non poterit illâ morâ purgari vt ex Bartolo & aliis *L. si insulam num.* 19. ff. *de verbor. oblig.* docet Sanch. *Bartolus & alij apud* Sanchez.

263. *Assertio* 1.

Assero 3. sponsus, aut sponsa licitè resiliens à sponsalibus ob alterius culpam, aut fornicationem, aut discessum in remotissimum locum absque consensu non citò redeuntis lucratur integrè sponsalitiam largitatem, & recuperat, quam donauerat. Probatur. ex. L. *Cùm veterum* in fine C. *de donat. ante nupt.* vbi sponsum & sponsam in hoc parificat, & diximus *supra dub.* 18. vbi cum Sanch. & aliis probauimus pares esse sponsum, & sponsam, quando alterius culpâ matrimonium non perficitur, & præter idem Sanchez *supra n.* 8. docet Castillo *ad l.* 52. *Tauri n.* 5. Legatur Sanchez *n.* 9. vbi respondet quibusdam argumentis in contrarium, quæ leuia sunt, & facilia. *Probatur ex iure ciuili.* Sanchez. *Alij.* Castillo.

DVBITATIO XXII.

An interuenientibus arris lucretur sponsa consummato matrimonio integrè sponsalitiam largitatem, & arras, vel detur optio? & an, si matrimonium casu non sequatur, possit sponsa, interueniente osculo, eligere vel medietatem Iocalium vel arrarum?

264. *Supponendũ pro Castella.*

SVpponimus in nostro Regno Castellæ *l.* 52. *Tauri*, quæ est etiã *lex.* 4. *tit.* 2. *lib.* 5. *noua Recopil.* Si consũmato matrimonio alteruter cõiux decedat, dari electionem sponsæ, vel eius Hæredibus eligendi, vel arras, vel sponsalitiam largitatem, si vtrumque interuenerit in tali matrimonio, electionem verò necessariò fieri debere intra viginti dies postquam vir, vel eius hæredes requisierint vxorem, vel eius hæredes. Quod si intra illud tempus non elegerint, conceditur electio viro, vel eius hæredibus dandi, vel arras, vel sponsalitiam largitatem. Quæ largitas, si valida non fuit, quia consummato matrimonio fuit effecta, atque adeò fuit mera donatio inter virum & vxorem, & posteà morte viri confirmata fuit; tunc sponsa, & arras comparabit, & eam donationem, quia lex Tauri citata loquitur de donatione sponsalitiæ largitatis validâ; quando autem inualida est modo prædicto, sequitur naturam aliarum donationum, inter coniuges, quæ morte confirmantur, neque vlla lex est prohibens acquisitionẽ harum donationum vna cum arris. Ita Sanchez *lib.* 6. *disputation.* 22. *num.* 1. cum Barbosa, quem refert. Sanchez. Barbosa.

265. *Illatum ex dictis.*

Ex quâ doctrinâ meritò infert cum aliis semel factâ electione arrarum, seu iocalium non licere variare argumento ex L. *seruiis electione* in principio ff. *de legat.* ibi: *seruiis electione legatâ, semel tantùm optare possumus*

mus & l. apud Ausidium 20. ff. de opt. legat. ibi: *si dixisset quæ vellet, mutare voluntatem non posset.* De quo diximus in *nostro opere de iustitiâ in Tract. de Testam. & cæteris vltim. volunt.* & habetur in Castellâ *l. 25. titul. 9. Partit. 6.* Vnde habetur illa Regula Celebris *in 6.* quæ est 21. *quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

266. *Limitatio proxima doctrinæ.*

Hoc autem verum est, quando electio effectum habuit, quod si careat effectu licebit variare *l. qui per salutem ff. de iureiur.* nam eligens inutiliter & inualidè, censetur quasi non elegerit; actus enim inutiliter gestus censetur non gestus L. *si aut nullam C. de legat. hared. & l. 4. §. condemnatum ff. de sentent. & re iudic.* Vnde *in regulâ 52. de Regulis iuris in 6.* habetur. *Non præstat impedimentum, quòd de iure non sortitur effectum.*

Sanchez cũ aliis. Meres. Azeuedo. Legatur Sanch. *supra numer. 3.* vbi alios refert pro hac doctrina, & *n. 4.* aduertit cum Meres, & Azeuedo transacto termino ad eligendum non admitti purgationem moræ, quia est terminus legè præstitutus.

Notandum ex eisdem.

267. *Cuius temporis valor attendendus sit pro re electa vt restituatur.*

Docet etiam Sanchez *num. 5.* electam restitutionem faciendam esse eiusdem valoris, cuius res erat receptionis tempore. Vnde si electæ sint arræ, sponsalitia largitas restituenda est, ita, vt, si vsu deterior facta sit, restituatur æstimatio deteriorationis, quia reddita res, si deterior restituatur, non videtur restitutioni obnoxia *l. 3 paragrapho si reddita ff. commodat.* vbi id notant Doctores. Legatur Sanchez loco notato.

Sanchez.

268. *Cautelam prudentem in hac re adhibet Sanchez.*

Qui tamen rectè adhibet cautelam, nã cùm vestes tam quotidianæ; quàm pretiosæ datæ ante consummatum matrimonium sponsæ, sint verè sponsalitia largitas in Regno Castellæ *iuxta l. 52. Tauri.* atque has teneretur sponsus dare sponsæ, saltem ad vsum constante matrimonio, quando iuxta personæ dignitatem & facultates necessariæ sunt, hinc est, vt nec post solutum matrimonium teneatur vxor eas reddere, nisi in eo statu, in quo tunc inueniuntur vel certè deducendum est, ex ea restitutione sponsalitiæ largitatis iuxta æstimationem, quam tempore traditionis habuit; totum id, quod vir alias fuisset consumpturus cum vxore durante matrimonio in iis vestibus, & iocalibus, nisi sponsalitiam largitatem dedisset. Quod si eædem vestes essent conficiendæ, & consumendæ, seu deterioranda, tunc non restituendum erit pretium consumptionis vel deteriorationis; cùm id ipsum expendendum fuisset à viro. Iam verò circa electionem ipsam & modum iusque illam faciendi aliquid dicamus.

Circa electionem præditorum aliqua quærenda & examinãda.

269. *Quæsitum 1. circa electionem per verbũ volo.*

Quæri potest 1. an & quando per verbum *volo* censeatur vxor eligere.

270. *Aliquæ Regulæ ad cognoscendum quando significet electionem & dispositionẽ inter viuos. Sanchez.*

Huius quæstionis resolutio pendet ex cognitione, quando verbum *volo* significat electionem & dispositionem inter viuos. Qua de re latè agit Sanchez *disp. illâ 22. à n. 7.* vsque ad *16.* affert autem quinque regulas ad dignoscendũ, quas breuiter percurro & perstringo.

271. *Prima Regula.*

Prima, verbum *volo* absque infinitiuo adiuncto significat dispositionem & electionem, vt *volo hanc rem citata* L. *Apud Ausidium ff. de optione.* Legatur ibi: *si is dixisset; quæ vellet; mutare voluntatem non posse.*

Secunda, si adiungatur verbo infinitiuo significanti exequutionem, & complemẽtum; electionem & dispositionem significat, vt *volo habere vel accipere;* tunc enim non addit verbum, quod suspensionem denotet. 272. *Secunda.*

Tertia, si adiungatur infinitiuo significanti actum expediendum ab alio, volens tantùm suam voluntatem explicare, significat mandatum & dispositionem vt *volo te gerere negotia mea* argumento *l. 1. in fine ff. mandati.* Nam, cùm actus per alium sit expediendus, satis est volentem suum exprimere consensum; tantumque alterius exequutio expectatur. 273. *Tertia.*

Quarta, si iungatur infinitiuo significanti actum non expedibilem solâ voluntate, sed adhuc requirentem factum aliquod, non significat dispositionem, vt *volo ascendere arborem, vel comedere;* nec enim significat me id facere, sed voluntatem faciendi. 274. *Quarta.*

Quinta, si adiungatur infinitiuo significanti actum præstandum à duobus, & non à voluntate vnius tantùm, tunc non significat dispositionem, vt *volo vendere,* nam ea verba intelligenda sunt iuxta naturam contractus & ille postulat duorum voluntatem. 275. *Quinta.*

Sexta, si iungatur infinitiuo significanti suspensionem in futurum, seu actum gerendi in tempore futuro, non significat dispositionem, vt *volo eligere*: tantùm enim significat animum, & voluntatem faciendi actum electionis, non electionem ipsam. Legatur Sanchez *lib. 1. disp. 18. num. 24.* vbi latè probat hæc verba *volo tecum contrahere matrimonium* non esse verba matrimonium constituentia. Legantur etiam, quæ diximus *disp. 1. dub. 8.* 276. *Sexta.* Sanchez.

Aliqui hanc vltimam regulam limitant; nisi addatur verbum *omnino*, vt cùm quis dicit omnino volo eligere; tunc enim putant esse electionem, meritò tamen Sanchez *numer. 13.* cum Menochio; quem refert, hoc non admittit; nisi aliæ coniecturæ concurrant, solùm enim est sensus illius vocis, *in omni euentu habeo voluntatem, & desiderium eligendi*; hoc autem non est eligere. 277. *Aliqui limitant. Non admittitur ab aliis & meritò.* Sanchez. Menoch. *Nisi aliæ coniecturæ concurrant.*

Probabilior est limitatio, cùm quis elapso termino ad deliberandum præfixo, & ad respondendum concesso, ait volo eligere; tunc enim videtur esse electio per *l. sed etsi alio* in *2. respon. & l. Omnes qui ff. ad S. C. Trebel.* Ita Sanchez *num. 14.* cum aliis. 278. *Probabilior alia limitatio. Sanchez cũ aliis.*

Qui etiam addit *n. 15.* esse electionem, cum quis ad interrogationem eius, cuius interest, respondet *volo eligere*, quia censetur facta responsio, ita, vt alter certus maneat. 279. *Item si idem respondeat interroganti ei cuius interest.*

Ex his patet ad quæsitum propositum; si enim vxor dicat: *volo arras*, vel *volo habere*, vel *accipere arras*, esset electio iuxta dicta in prima, & secundâ regula. Ideò tunc non licebit variare. Item, si tractis diebus ad deliberandum, & respondendum concessis interrogata vxor responderet, volo eligere arras, esset etiam electio iuxta nuper dicta in explicatione vltimæ regulæ; secùs verò, si deficientibus iis circumstantiis diceret: *volo eligere*, vel *omnino volo*, vel *iuro me velle eligere*; nam iuxta eandem vltimam Regulam, nulla tunc esset electio. 280. *Ex dictis constat resolutio quæsiti.*

Quæri potest 2. an, sicut per osculum lucra- 281.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Quæstiõ 2. de casu quo non fuerit sponsalitia largitas, sit idem dicendum de arru, vel possit alterutrum si vtrumque adsit.

tur sponsa medietatem sponsalitiæ largitatis, lucretur etiam medietatem arrarum, quando non interuenit ea largitas, vel, si tunc interueniat, possit dissolutis sponsalibus vel matrimonio rato eligere, vel medietatem arrarum, vel sponsalitiæ largitatis?

282. *Negatiuè respondendum.* Sanchez. Contra. Gomez Arias. *Probat in Castella.*

Meritò respondet Sanchez *supra numer.* 18. contra Gomez Arias, quem rẽtulerat *numer.* 17. dissolutis sponsalibus, vel matrimonio ante cõsummationem non dari electionem medietatis arrarum per osculum. Vnde, si solùm interueniant arræ, nihil prorsus lucrari sponsam. Probat pro Regno Castellæ ex *l.* 52. *Tauri*, nam, postquàm decreuit sponsam per osculum lucrari medietatem sponsalitiæ largitatis subiungit: *Pero si qualquier dellos murieſe deſpues de conſumido el matrimonio, que gane todo lo que. ſiendo deſpoſados le ouo el eſpoſo dado, no auiendo arras en el tal matrimonio. Pero ſiuuiere arras, que ſea en eſcogencia de la muger.* Vbi expendenda est illa vox *pero* latinè aduersatiua *sed*, quæ si ponatur absque copula, aduersatur in iure, & in facto, ita, vt diuersum ius, & diuersum factũ denotet, vt ex multis Auctoribus probat ibi Sanch. quando verò ponitur cum copulatiua &, vt si dicat *ſedet*: tunc denotat quidem diuersum factum, idem tamẽ ius, vt etiam ex multis ibidem ostendit. In citatâ autem lege aduersatiua ponitur sine copulatiuâ, atq; adeò denotat diuersum factum, & diuersum ius; non ergo loquitur in casu solius osculi, de quo in priori parte illa lex disposuit.

283. *Confirmat Sanchez datam doctrinam ex verbis aliis eiusdem legis.*

Expendit etiam Sanchez in eâ lege vocari sponsos dum agit de sponsalitiâ largitate, quasi sentiens dum sponsi sunt, lucrari sponsam per osculum dimidiam partem sponsalitiæ largitatis; postea verò dum de arris meminit, non iam sponsos, sed maritum, & vxorem appellari, quasi apertè significans arras non acquiri; nisi postquàm copulâ carnali effecti sunt vna caro; atque adeò vir, & vxor. *Probat 2.* quia in *l.* 52. vt omnes fatentur solùm disponitur, quod iure Cæsareo statutum erat *l. si ab sponſo* C. *de donat. ante nupt.* Imò etiam iure ipso Castellæ *l.* 3. *tit.* 11. *Partitâ* 4. solumque extendit, vt quæ in his iuribus dicebantur de sponsâ de futuro, intelligantur etiam de sponsis de præsenti. Cùm ergo prædicta iura non loquantur de arris, nec per osculum earum medietatem concedant. neque in *Lege Tauri* censendum est concedi. Omitto alias rationes quas ibi affert. Legatur idem Sanchez *numer.* 19. vbi respondet argumentis aliquibus in contrarium. Solùm hic dixisse sufficiat non habendam esse rationem damni, quod patitur sponsa casu, quo deficiente sponsalitiâ largitate, & solis appositis arris permittit osculum; quamuis enim tunc non lucrando medietatem arrarum defraudata maneat eâ compensatione, sibi debet imputare hoc damnum, quippe quæ nullâ datâ, vel promissâ sponsalitiâ largitate permittit osculum.

Probat 2.

Notandum.

DVBITATIO XXIII.

Quando debeat donari sponsalitia largitas, vt valeat, & non habeatur pro donatione inter coniuges inualida?

284. *Supponendum.*

SVpponimus tanquàm certum ex dictis *dubitat.* 1. *huius disputationis* donationem sponsalitiæ largitatis non valere inter sponsos de præsenti, si præcisè spectemus ius commune Cæsareum & antiquum ius Castellæ; iure tamen nouo Castellæ *l.* 52. *Tauri*, quæ hodie est *lex* 4. *titul.* 2. *libr.* 5. *Recopil.* corrigitur ius antiquum, vt docet Sanchez cum multis *libr.* 6. *disputation.* 23. & Molina *de iuſtitia tomo* 2. *diſput.* 290. *paragrapho nonnulla circa hactenùs dicta*; decernitur enim valere huiusmodi donationem etiam inter sponsos de præsenti factam ante matrimonij consummationem. Atque hoc est verum, etiamsi sponsa ad sponsi domum traducta sit, vt in simili diximus *disp.* 19. agentes de acquisitione sponsalitiæ largitatis per solùm matrimonium de præsenti non consummatum positâ traductione ad sponsi domum: ibi legatur. Sanchez. Molina.

285. *Quæritur iam* 1.

His præmissis quæritur 1. an, quando hæc donatio fit consummato matrimonio valeat?

286. *Respõdetur.*

Respondeo non valere; quia est donatio inter veros coniuges, & in eâ lege 52. *Tauri* dicitur. *Y gane, ſi el eſpoſo la huuiere beſado, la mitad de todo lo que el eſpoſo le huuiere dado antes de conſumido el matrimonio*: ergo à contrario sensu sponsa non lucratur donata post consummatum matrimonium, etiam nondum præmissis benedictionibus. Ita contra Antonium Gomez, Gutierrez, & alios docet Sanchez *supra numer.* 4.

Sanchez cõtra alios.

287. *Reiicitur expositio aduersariorũ.*

Nec audiendi sunt aduersarij dum dicunt illa verba *antes de conſumido el matrimonio* iungenda esse cum illis. *Gane la mitad*, & non cum illis *de lo quele huuiere dado*: quia gratis & absque fundamento illa verborum transpositio fit, vt ibidem notat Sanchez. Quamuis autem ea donatio tunc non valeat, confirmabitur tamen morte donantis iuxta generalem doctrinam datam *dub.* 18.

288. *Quæritur.* 2.

Quæritur 2. an, quando nondum consummato matrimonio mittit sponsus iocalia sponsæ per nuntium; sed ante nuntij accessum, & donationis acceptationem matrimonium consummatur, valeat sponsalitia largitas?

289. *Respondetur sub distinctione.* Sanchez.

Respondeo non valere, si nuntius erat ipsius sponsi, nam donatio sicut & promissio, perficitur acceptatione iuxta dicta *disputation.* 1. *dubitation.* 2. *in explicatione ſecundæ conditionis*, & latè probat Sanchez *libr.* 1. *diſputation.* 6. *numer.* 2. & 3. Quando autem sponsa acceptat eam donationem, iam tempus est inhabile, scilicet, post consummatum matrimonium. Si verò nuncius fuit sponsæ, valebit; quia tunc nuntius nomine sponsæ acceptauit, & ab eo tempore sponsæ acquisita fuit donatio l. *ſi ſponſus in principio* ff. *de donat. inter vir. & vxor.* Ita cum aliis Sanchez *supra num.* 7. Hoc autem verum est, quando nuntius fuit destinatus ab ipsâ sponsa

Limitatio.

sponsa ad accipiendum. Qua de re legi potest doctrina eiusdem Sanchez *libr.1.disputation. 7.numer.29.* vbi probat non posse nomine sponsæ acceptare, nisi sit talis persona, quæ possit absenti stipulari, id est pro eo acceptare; quod, quâ ratione intelligendum sit? explicuit ipse Sanchez eadem *disp.7.num.4.* Legatur Sanchez *locis citatis.*

Sanchez.

290. *Quæstiũ 3.*

Quæritur 3. an donata tempore nuptialium benedictionum, nondum tamen consummato matrimonio, lucretur sponsa integra quidem omnia per copulam subsequutam, & medietatem per osculum?

291. *Respõdetur.*

Respondeo affirmatiuè; quia citata *L.52.Tauri* absque vlla distinctione temporis, quo sponsalitia largitas donatur, solùm attenditur, an donetur ante, vel post consummatum matrimonium; adhuc enim sunt sponsi, quantumuis iam datæ fuerint benedictiones, & lex illa de donatis per sponsos loquitur; qualitas autem adiuncta verbo debet regulari secundùm tempus verbi L. *In delictis paragrapho si extraneus ff. de noxal.* Ita Sanchez *lib.6.citatâ disputation.23. num.9.* cum aliis.

Sanchez.

292. *An annulus datus sponsæ quando in Ecclesia benedicitur fiat sponsa? Respondetur negatiuè contra Baldum.*

Sanchez. Castillo.

De annulo verò dato sponsæ, qui tunc in Ecclesia benedicitur, quamuis Baldus relatus à Sanchez *numer.10.* putet fieri sponsæ; probabilius est oppositum; nisi antea fuisset donatus; nam in illa actione non censetur donari, sed adhiberi ad seruandum ritum Ecclesiæ præscribentis, vt tunc tradatur annulus benedicendus. Ita ibi Sanchez cum Castillo *L.52. Tauri in fine.*

DVBITATIO XXIV.

Quanta esse possit sponsalitia largitas?

293. *Assertio 1. Iure cæsareo non limitatur quantitas. Iure Castellæ limitatur ad octauam dotis partẽ.*

ASsero 1. sponsalitia largitas iure communi nullam habet præfixam quantitatem; iure autem Castellæ excedere non potest octauam dotis partem *L.1. in fine titul.2. libr.5. Recop.* dotis, inquam, sponsæ. An verò etiam non possit excedere decimam partem bonorum sponsi? nonnulli videntur affirmare; sed absque fundamento; nam mera sponsalitia largitas non mensuratur iuxta bona sponsi, sed sponsæ, vt docet Sanchez *eodem libr. 6. disputation.25.num.31.*

Sanchez.

294. *Quando nõ sit limitanda? Tunc non est propriè sponsalitia largitas nec prohibita.*

Si tamen ea donatio fieret ante sponsalia hac lege, vt in nullo euentu rediret ad donantem, posset excedere octauam dotis partem; tunc enim ea donatio non est sponsalitia largitas, de quâ tantum ea lex loquitur, neque est vllo iure prohibita, cùm non sit donatio inter cõiuges, nec referatur in matrimonij tempus. Ita Sanchez *lib.6.disp.24.*

Sanchez.

295. *Octaua pars prædicta debet esse comparatione veræ, non fictæ dotis, aut non traditæ.*

Auendan. Matienzo.

Quando autem dicitur non posse excedere octauam partem dotis, intelligendum est de vera dote recepta, secus est, si magna dos fingatur, vel promissa non tradatur *L.1. tit.2. libr.5. Recopil.* ibi: *mas de lo que montare la octaua parte de la dote, que con ella recibiere.* Ita Auendanno, & Matienzo, quos refert & sequitur Sanchez *numer.3.*

296.

Quamuis autem Auendanno dicat ita necessarium esse receptam esse dotem, vt, si dote promissa ad certum diem dissoluatur matrimonium; non lucretur sponsa sponsalitiam largitatem; quia nimirum non debet fieri computatio cum dote promissâ, sed cum dote verè receptâ, meritò hoc reiicitur à Sanchez cum aliis, quos refert; asserens valere eam largitatem, quamuis dos soluta non sit; quamuis enim dies nondum venerit, cessit tamen iuxta L. *Cedere diem ff. de verbo signif.* Legatur Sanch. *n.4.*

Limitatio Auendanni non admittitur.

Sanchez.

297. *Assertio 2. Etiam si externus ideò non incola Castellæ non seruet eam legem, valet actus quia non tenetur ea lege. Constat ex lege ipsa.*

Sanchez. Matienzo.

Assero secundò hac lege non tenentur, qui non sint incolæ Coronæ Castellæ, constat ex verbis legis ibi: *ninguno de nuestros Reynos.* Ita Sanchez *numer.* 5. cum Matienzo, ad eandem legem *Gloss.5.* è contra verò non potest Regnicola eam quantitatem excedere, etiam de bonis extra Regnum sitis; quia lex obligat personam legislatori subditam. Ita Sanchez ibi cum aliis.

298. *Regnicola extra Regnum positus non obligatur ea lege. Contra aliquos. Ratio ex alibi dictis à nobis.*

Sanchez.

Falluntur tamen nonnulli, qui dicunt idem esse, etiamsi Regnicola sit extra Regnum, quia, nimirum, putant leges Regni etiam extra Regnum obligare, cuius oppositum sæpè indicauimus, tùm in hoc *Tractat. disputation.3.dub.6.* tum locis ibi notatis. Imò ibidem, diximus, quamuis alioquin tenerentur legibus; tamen, quòd attinet ad contractus, ij celebrandi sunt, quantum ad eorum solemnitatem, & modum, secundùm leges loci, in quo celebratur; ac proinde, si talis contractus aut pactum promissionis seu donationis excedens octauam partem sponsalitiæ largitatis in eo loco, in quo celebratur matrimonium, & ea sponsalitia largitas sit, valeat; etiam valebit factus ab incola Regni Castellæ. Legantur, quæ ibi diximus *n.37.§. secunda sententia.* & Legatur etiam Sanchez *libr.3. disp.18.n.18.* & 28. Ex dictis colligunt aliqui, si puella Regni Castellæ nubat extero in eo Regno Castellæ, non posse excedi dictam taxam sponsalitiæ largitatis. Ita contra Minchacam defendunt Pelaez, & Azeuedo, quos refert & approbat Sanch. *n.5.* nullam tamen ratione affert. ea mihi videtur esse, quia quamuis sponsus non sit Regnicola, sufficit, quòd sponsa sit, vt ipsa teneatur lege; ad inualidandum autem actum sufficit defectus valoris ex parte vnius concausæ ex requisitis ad actum: ad valorem autem illius largitatis sponsalitiæ excedentis prædictam quantitatem, non solùm requiritur, quòd sit a valide potente donare; sed etiam a valide potente accipere illum excessum donationis. Nihilominùs non videtur hoc satis conuincere; lex enim non reddit illam incapacem, nisi quatenùs largientem non permittit donare, in quo casu largiens nõ comprehenditur lege tãquam alienigena quòd autem illa non possit accipere ab alienigenâ, quid curat Regnum Castellæ, vt velit eam incapacem fieri? Non est ergo improbabilis sententia Minchacæ.

Sanchez. Puella Regni Castellæ an nubens ibi extero possit accipere vltra eã partem. Affirmant. Contra. Minchacã. Pelaez. Azeuedo. Sanchez. Ratio.

Quæret tamen aliquis; an sponsalitia largitas valeat, si sponsa nullam dotem afferat?

299. *Quæstium.*

300. *Negans sententia. Matienzo. Ratio.*

Negat Matienzo *citatâ l.1. Gloss.6. in fine*, quia eâ lege statuitur non posse esse eam largitatem sponsalitiam excedentem octauam dotis partẽ, habuit ergo respectum ad dotem: ergo vbi hæc nulla est, donatio erit nulla.

301. *Probabilior est sententia affirmans.*

Probabilius nihilominùs puto, valere donationem, & lucrari iuxta dicta sponsam dona-

tionis medietatem per osculum, aut copulam; nam ea lex non intendit annullare eam largitatem, quando nulla dos est; sed tantùm modũ, taxamve apponere sponsalitiæ largitati, quando data dos est, vel promissa; id, quod significant illa verba legis: *Y por que los que se desposan, suelen dar a sus esposas loyas, y vestidos excessiuos* &c. Ita Auendanno, & Azeuedo, quos refert & sequitur Sanchez *supra n.6.* & iuxta hanc sententiam quantitas sponsalitiæ largitatis arbitrio boni viri pendenda est in eo casu, vt etiam Matienzo, quantumuis aduersarius docet *suprà*, & ex eo Sanchez.

Ratio ex verbis legis desumpta.

Auendan. Azeuedo. Sanchez.

Matienzo.

DVBITATIO XXV.

An nomine sponsalitiæ largitatis comprehendantur vestes, & reliqua, quæ sponsus mittit sponsæ, vt acquirantur integra matrimonio consummato, & media pars per osculum, eo nondum consummato?

302. *Variis quæsitis res decidetur.*

HAc de re variis quæsitis agendum est, vt iis determinatis res tota, quæ ab illis dependet decidatur.

303. *Quæsitũ 1.*

Primò quæritur; an vestes, quas consummato matrimonio vir dat vxori, censeantur donatæ, vel solùm commodatæ?

304. *Respondetur 1. sub conditione aut distinctione.*

Respondeo primò, si animus viri fuit non donandi sed commodandi ad vsum, nullas censeri donatas, nec quotidianas, & ordinarias, nec pretiosas, & extraordinarias; atque adeò omnes esse restituendas finito vsu illarum per dissolutionem matrimonij, siue viro superstiti, siue eius hæredibus. Ita Sanchez *disputat. 25. numer. 2.* cum Ioanne Lupo. Si verò mariti animus fuit donandi, omnes censentur donatæ, siue pretiosæ sint, siue quotidianæ, & ordinariæ, vt multis relatis ibi docet Sanchez.

Sanchez. Ioan Lup.

305. *Discrimen quoad hoc inter pretiosas & communes vestes.*

Notat verò meritò discrimen inter pretiosas & communes; nam pretiosarum donatio non valet; sed donantis arbitrio reuocabilis; nisi morte confirmetur præcedente traditione instar aliarum donationum inter virum & vxorem; quotidianarum verò donatio statim valet; quia computantur inter alimenta, teneturque vir vxorem alere. Ita Bartol. *l. penultima paragraph. seruis vxoris num. 3. ff. solut. matrim.* Vnde non potest ea donatio reuocari, vt rectè Sãchez *n. 3.* cum aliis.

Bartolus. Sanchez.

306. *Vxor vestes quas donauit viro, etiam quotidianas, potest reuocare.*

Ratio.

Quandoque vestis etiam valeret donatio ab vxore si illa aliquando teneretur alere virum.

E contra verò etiam quotidianarum vestium donatio ab vxore facta viro, reuocabilis est; donec morte confirmetur *L. sed, si vir. 32. in fine principij ff. de donat. inter virum & vxorem.* Ratio est; quia est donatio inter coniuges, vir autem est; qui tenetur alere vxorem; non è contra. Vnde casu, quo vxor teneretur virum alere ob eius inopiam, valeret statim donatio vestium quotidianarum; esset enim tunc eadem ratio; atque in viro; in omni autem euentu morte vxoris poterit donatio confirmari, sicut aliæ, inter coniuges.

307. *Quæsitũ 2. pro casu dubij.*

Quæritur 2. quid censendum sit, quando non constat de animo viri donandi, nec de contrario, an non censeantur vestes traditæ à viro donatæ, vel tantùm ad vsum commodatæ?

308. *Prima sententia affirmat de omnibus vestibus.*

In hac re varij sunt Auctores. Prima sententia est censeri omnes donatas, eamque donationem morte confirmari, quia rerum traditione dominium acquiritur. Cùm ergo vir tradat, donat, & vxor acquirit L. *Traditionibus C. de Pactis.*

Ratio.

309. *Secunda sententia negat de omnibus.*

Secunda sententia è contra docet nullas donari, sed commodari, atque adeò esse reddendas viro, vel hæredi soluto matrimonio. Et omissis aliis rationibus probat primò, quia vir tenetur vestes dare vxori, nemo autem in necessitatibus censetur liberalis L. *Rem legatam ff. de adim. legat* L. *donari ff. de Regul. iuris.* Secundò, quia tantùm tenetur alere vxorem, atque adeò vestes dare: ergo soluto iam matrimonio, quando non tenetur eam alere, si adhuc extent, restituendę sunt. Ita docent aliqui apud Sanch. *num. 6.*

Probatur 1.

Probatur 2.

Aliqui apud Sanchez.

310. *Tertia sententia putat omnes donari si fructuũ dotis quantitas id patiatur.*

Tertia sententia putat censeri omnes etiam pretiosas donatas, quando fructuum dotis quãtitas id patitur paulò plus, minusve, neque hãc donationem esse prohibitam inter coniuges, nisi fortè matrimonium breui tempore durasset. Ita Cuma L. *penultimâ §. seruis numer. 5. ff. solut. matrim.*

Cuma.

311. *Quarta sententia de necessarijs negat; de non necessarijs iuxta proportionem dotis distinguit.*

Quarta sententia sub distinctione ait necessarias non censeri donari; non necessarias verò, si proportionentur dotis quantitati, etiam non censeri donari, censeri autem, si excedant dotis quantitatem, morteque confirmari. Ita Albericus eâdem *L. penult. § . seruis n. 5.*

312. *Quinta sententia vestes quotidianas putat donari: pretiosas verò solũ si vxoris causa parata sint, secus si non sic.*

Quinta sententia docet vestes quotidianas censeri donatas; pretiosas verò, & festiuas, si vxoris causâ paratæ sint (vt ordinariè contingit) eique traditæ, etiam donatas censeri, quæ donatio morte viri confirmabitur. Si verò non sint vxoris causâ paratæ, donatas non censeri, vt, si vir vxori mittat gemmas, monilia, & alia ornamenta, quæ domi habebat ipse vir.

313. *Probabiles pradictæ sententiæ.*

Hæ quidẽ omnes sententiæ probabiles sunt, earumque rationes, & fundamenta videri possunt apud Sanch. citatâ *disp. 25.*

314. *Assertio quotidianas donari, pretiosas minimè.*

Asserendum nihilominus est, tanquàm probabilius & frequẽtiori vsu receptum, quotidianas vestes censeri vxori donatas, adeoque soluto matrimonio esse vxoris, & hæredum illius; pretiosas verò, seu festiuas, non donatas; sed tãtùm ad vsum cõmodatas censeri, solutoque matrimonio restituendas esse marito, vel eius hęredibus. Ita Sanch. *l. 6. citatâ dub. 25. n. 10.* Prima pars de vestibus quotidianis probatur; nam expẽsas, quas vir necessarias facit ex obligatione, nequit repetere *L. penult. ff. de impensis.* Vbi impensas factas pro colligendis fructibus ex fundo dotali, dicitur non esse extrahendas de dote, vt eam imminuant. Nam tueri res dotales vir suo sumptu debet, atqui etiam tenetur suis sumptibus vxorem alere *L. si cum dotem ff. de alimentis & cibar* leg. l. *verbo citatus de verbor. signif.* ergo vestes quotidianas, vtpotè (vt dicebamus) cõputãdas inter alimenta, donare censetur, nec repetere potest. Probatur 2. *ex l. ex annuo 16. ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi dicitur, si quid vir annuum præstet vxori (nempe ad alimenta iuxta Gloss. ibi)

Sanchez.

Prima pars probatur 1.

Probatur 2.

ibi) statim effici vxoris, nec residuum posse à viro repeti, nisi fructus dotis valdè excedat.

315. *Secunda pars de vestibus pretiosis. Probatur ex Iure Cæsareo. Item ex iure Castellæ.*

Secunda verò pars de vestibus pretiosis probatur ex l. *mortis suæ* 54. ff. *de donat. inter vir. & vxor*, vbi habetur, si res in dote æstimatas, mulier viro consentiente, in vsu habeat, non ob id censeri ipsi donatas; ergo ex eo quòd vir tradat vxori ad vsum pretiosas vestes, non censetur eas ipsi donare. Constat hoc ipsum in Regno Castellæ ex *l.* 23. *tit.* 11. *Partitâ* 4, vbi sic dicitur: *mas, si la muger tuuiere pannos escusados, que su marido le huuiere dado, si el muriere, luego debe tornar ella los tales pannos consus aparejos alos herederos del marido.* Accedit, quòd in dubio non præsumitur donatio, vt ex l. *Cùm de indebito* vers. *Qui enim soluit* ff. *de probation.* cum Menoch. Mascardo & aliis probat Sanchez *supra*. Item quia in traditis gratiâ tradentis non præsumitur donatio l. *si, vt certò* §. *interdum* ff. *commodati*. Talis autem censetur traditio illarum vestium facta vxori.

Menoch. Mascard. Sanchez. Cum aliis.

316. *Tota assertio probatur à simili de vestibus datis seruo. Sanchez cũ plurimis iurisperitis.*

Tandem tota assertio probatur à simili de vestibus datis seruo ex l. *id vestimentum* 26. ff. *de peculio*, vbi dicitur id vestimentum esse peculij serui, quod ei Dominus tradidit ad vsum quotidianum, secus verò id quod dedit, nõ, vt semper eo vteretur; sed certis temporibus, & ad certum vsum. Pro hac sententiâ sic explicatâ refert Sanch. *citato num.* 10. innumeram Iurisperitorum cateruam. Ex quo patet, quod supra diximus, hoc scilicet esse iam frequentiori vsu receptum.

317. *Idem iudicium de iocalibus. Sanchez cũ multis. Aliquâ notanda vel colligẽda pro praxi.*

Idem omnino dicendum esse de iocalibus, scilicèt, quòd quotidiana efficiantur vxoris, pretiosa verò, & non quotidiana censeantur commodata ad vsum. Ita sentiunt Sanchez & plures, quos refert *num.* 11. Ex quo infert cum aliquibus aliis vestes quotidianas de bonis viri tradẽdas esse vxori, non verò pretiosas. Iam vero pro praxi aliqua circa prædictam doctrinam, vel notanda vel colligenda sunt.

318. *Primum iuxta aliquos colligitur circa quotidianas non semper censeri donatas irrenocabiliter. Probabile hoc. Probabilius censeri donatas. Ratio.*

Primum vestes quotidianas censeri donatas; nisi fructus dotis excedant; Quòd si excedant, censetur excessus libetalis donatio adeoque inualida, id est reuocabilis, nisi morte confirmetur. Ita multi apud Sanchez *num.* 13. & mihi probabile videtur; probabilius tamẽ, quod ipse docet cum aliis, scilicet adhuc censeri donatas, quia vir tenetur vxorem alere; atque adeò præstare suis expensis eas vestes quotidianas.

319. *Secundum probabile de pretiosis tũc censeri donatas quãdo vir eas mittens id exprimit. Probabilius non censeri etiam si vtatur verbo donandi. Probatur 1. Probatur 2. Multi apud Sanchez. Etiam si fateatur vir eas esse vxoris.*

Secundum, docent aliqui apud Sanchez *num.* 14. pretiosas non censeri donatas, nisi vir eas mittens exprimeret se donare. Quod probabile putat Sanchez; sed meritò probabilius non censeri tunc donatas, etiam si vtatur verbo *donandi*, hoc enim solet impropriari iuxta subiectam materiam *l. si vno* 17. ff. *locati* ibi: *sed si verbo donationis dominus ob sterilitatem anni remiserit, idem erit dicendum, quasi non sit donatio; sed transactio.* Præterea cùm vsus sit eas vestes mittendi vxori, potiùs censetur mittere ex necessitate, verecundiâ, & pudore, quàm animo liberali, & verba illa sonantia donationem, censentur esse vrbanitatis, & officij gratiâ dicta, quæ non obligant. Ita docent multi apud Sanchez, qui rectè contra Barbosam, & Aymonem docet non cẽseri missas animo donandi, etiamsi fateatur vir eas esse vxoris; sunt enim ea verba vrbanitatis, & quamuis expressè datæ fuissent ad vsum commodatæ, non solet rogatus cuius sint eæ vestes, dicere esse suas; sed esse vxoris.

320. *Tertium pretiosas nõ censeri donatas nisi vsus sit Regionis; censeri, si sit vsus. Sanchez.*

Tertium, pretiosas non censeri donatas, nisi vsus esset Regionis, vt animo donandi mitterentur; tunc enim simplex missio censeretur donatio; quia hæc videtur facta iuxta loci consuetudinem. Ita cum multis Sanchez *numer.* 16.

321. *Quartum non censeri, si solum ratione consuetudinis mittendi, mittit. Donatur quod extra consuetudinẽ mittit. Sanchez cũ multis.*

Quartum, è contra non censentur donari, quando ratione consuetudinis eas mittit. Quod si non esset talis consuetudo donare censeretur *l. Donari* ff. *de Regul. iur.* Ex quo infertur censeri donare, si quid vltra consuetudinem mittat; quia in eo excessu censetur voluisse liberalitatem exercere. Ita Sanch. cum aliis *n.* 17.

322. *Quintum donatas censeri, si sponsa aliquid viro donarat. Sanchez.*

Quintum censetur eas pretiosas donare, quando sponsa donârat aliqua ipsi viro; tunc enim videtur velle remunerare. Legatur Sanchez *numer.* 18.

323. *Sextum si vir sit valdè dines & nobilis censetur eas donasse. Sanchez. Quid de solis diuitiis.*

Sextum, si vir sit valdè dines, & nobilis, quo casu verba ambigua in vim donationis accipientur; imò solæ diuitiæ viri faciunt hanc coniecturam, vt multi volunt apud Sanchez *numer.* 19.

324. *Valde dubiũ putat Sanchez cum multis. Vtrumque probabile & boni viri arbitrio decidendum pro casu occurrente.*

Qui tamen valdè dubiam putat hanc limitationem & pro se affert non paucos Authores, qui dicunt intelligendam esse, quando actus à tali viro gestus conueniret donationi, & quod sit donatio in rebus non magnis. Vtrumque mihi videtur probabile, & arbitrio boni viri decidendum in casu occurrenti pensatis circumstantiis maximè, quando vir duceret aliquam nobilissam & nobiliorem se, quam ambiuit, & obtinuit propter diuitias, in quibus ille excedit; tunc enim facile præsumi videtur animus donandi etiam vestes pretiosas, & quòd comparatione vnius censeretur magna donatio; nec facilè præsumenda, comparatione alterius non ita magna censetur, & faciliùs præsumitur animus liberalis.

325. *Quæritur 3.*

Quæritur 3. quænam censeantur vestes pretiosæ quæ quotidianæ?

326. *Respõdetur. Multi apud Sanchez.*

Respondeo communem sententiam Doctorum esse prudentis arbitrio relinqui debere, spectatâ tum coniugum, tum patriæ consuetudine inter similis conditionis personas. Ita multi apud Sanch. *num.* 20. qui merito addit considerandam etiam esse quantitatem dotis vxoris. Nam quo ampliot est dos, par est eò lautius vxorem tractari.

327. *Inde infertur pro praxi distinguendum.*

Vnde vestes fericæ sæpissimè apud nobiles iuxta patriæ consuetudinem inter quotidianas computari debent, cùm tamen debeant apud inferioris notæ coniuges pretiosæ censeri. Itẽ, si vestes distinctæ sint pro temporum mutatione hyemales, & æstiuæ, & pro dignitate necessariæ essent, censentur quotidianæ. Præterea quotidianæ censentur honestiores illæ vestes, sine quibus attentâ dignitate coniugum non posset mulier commodè, & pro dignitate in publicum apparere absque dedecore. Ita docet Sanchez, qui pro prædictis omnibus plures refert *num.* 21. 22. & 23.

328. *Quid de vestibus pro diebus festiuis.*

Vtrum autem idem iudicium sit de vestibus, sine quibus non potest vxor absque dedecore in publicum prodire solis diebus festiuis?

non consentiunt Doctores. Quidam distinguunt inter festiuas, solemnes, & communes; & de solemnibus censent eas vestes censeri pretiosas, secùs de communibus, probabiléque putat Sanchez relatis aliquibus *num.* 24. Ipse verò cùm aliis probabilius putat quotidianas censeri tantùm de diebus non festiuis à simili de seruo in citata l. *Id vestimentum* ff. *de Pecul.* vbi habetur. *Id vestimentum est peculij serui, quod ei Dominus tradidit ad quotidianum vsum.* & item, quia vestes quotidianæ sic dicuntur, quia in vsu quotidiano sunt, quod etiam probabile mihi videtur; sed adhuc multum arbitrio prudentis relinqui debet, neque par est, vt, quæ in seruo, ciusque vestitu leges decidunt, transferamus ad vxorem, comparatione cuius non facilè pretiosæ vestes censeri debent, quibus singulis diebus Dominicis, & communibus festis fori solet indui. Expendendumque mihi videtur vestes aliquas, quæ à principio, fuerunt pretiosæ, & non, nisi pro solemnioribus occasionibus destinatæ, solere transire in ordinem communium, non solùm, quando iam ipsis vsu multum detritum est, sed etiam, quia vel vestimenti forma vsu communi non placet cæteris sui ordinis feminis, siue quia iam in celebrioribus solemnitatibus sæpe in tali veste apparuit, puderque iam in eâdem apparere. Ideò vidente, & non repugnante viro in frequentiorem vsum conuertit, eaque ratione vestes pretiosæ adhuc ferè retento antiquo valore censeri possunt quotidianæ. Sed de his mihi ita certò generaliter statui potest, quin arbitrio prudentis relinquatur locus.

Sanchez & aliqui.

Tandem arbitrio prudentis maximè decidendum.

329. *Quæritur 4. de vestibus missis ante consummatum matrimonium.*

Quæritur 4. an vestes siue pretiosæ, siue quotidianæ, quas mittit Sponsus de futuro, aut de præsenti Sponsæ ante matrimonium consummatum censeantur donari.

330. *Prima sententia affirmans. Ratio. Anton. Gomez. Matienzo.*

Prima sententia affirmat, ideoque Sponsam lucrari dimidiam illarum partem per osculum, integras autem, aut saltem dimidiam per copulam, censentur enim sponsalitia largitas, quia tunc adest probabilis coniectura donationis in præmium virginitatis, & dotis. Ita Antonius Gomez *lib.* 52. *Tauri.* Matienzo *lib.* 5. *Recopil. tit.* 2. *lib.* 4. *Gloss. n* 2.

331. *Secunda sententia negans. Molina. Probat.*

Secunda sententia est Molinæ *tomo* 2 *de Iustitia Tract.* 2. *disp.* 290. §. *Quartum est dubium.* vbi ait non censeri sponsalitiam largitatem, nihilq; luctari per osculum, vel copulam, sed censeri commodata, vt ornatius ad se sponsa accedat. Probat; quia non est præsumenda donatio quando potest alia coniectura sumi.

332. *Tertia sententia distinguens inter pretiosas, & quotidianas. Ratio eadem qua in præcedentibus aliis.*

Tertia sententia est, sub eâdem distinctione esse censendum, siue vestes vxori mittantur, siue sponsæ, nempe pretiosas non censeri donatas, sed commodatas ad vsum; quotidianas verò donatas censeri propter easdem omnino rationes, quæ locum habent tam in sponsa de futuro, quàm in sponsa de præterito.

333. *Firmatur ex legibus.*

Accedit, quòd l. *sicut certò* §. *Interdum* ff. *commodati*: dicitur: *si suâ dumtaxat causâ commodauit sponsæ suæ, vel vxori quo honestiùs culta ad se duceretur.* Quibus sponsa & vxor in eâ re æquiparantur. Et l. *Hoc legatum* 45. *in fine* ff. *de leg.* 3. expressè dicitur paria esse, siue tradantur vestes sponsæ antè matrimonium consummatum, siue vxori eo consummato; vtroque enim casu videntur eæ vestes ad vsum traditæ. Legatur Sanchez *supra n.* 28. vbi hanc sententiam sequitur, & plures refert.

Sanchez. *Cũ multis.*

334. *Quæritur 5. circa hoc pro Regno Castellæ.*

Quæritur 5. an saltem iure nouo Castellæ censeantur vestes, & quæuis alia missa ab sponso sponsæ de futuro, aut de præsenti, vel è contra sponsalitia largitas, & more illius adquirantur, si de oppositâ voluntate non constet?

335. *Respondetur.*

Respondeo censeri. Vnde iam in eo Regno, tàm pretiosæ, quàm quotidianæ vestes, & quæuis aliæ sic vltrò citroque missa pertinent ad sponsalitiam largitatem; nam l. 52. *Tauri* sic habetur: *Todo lo que el esposo le bniuiere dado antes de cõsumido el matrimonio hagora sea pretioso, hagora no.* Ita docent multi, quos refert Sanchez, & sequitur *supra num.* 30. Nec requiritur, quod ea donatio non excedat decimam bonorum sponsi partem, quam arrarum nomine potest vxori dare; nam hæc donatio non est arrarum, sed sponsalitia largitas, cui non est adhibita ea limitatio, vt notauimus *dub. præcedenti*, & contra Villalobos cum Olano docet Sanchez *num.* 31. Legatur Sanchez *nu.* 29. vbi oppositam sententiam refert, quam sequitur Molina *citatâ disp.* 290. §. *Quartum est dubium.* Existimans donata inter prædictos, si de animo donantis non constet, non pertinere ad sponsalitiam largitatem. Recte tamen Sanchez *num.* 28. docet fortiores esse coniecturas pro donatione, quàm pro non donatione, atque adeò censendam esse donationem sponsalitiæ largitatis.

Multi apud Sanchez.

Sanchez. Olanus. *Contrà* Villalob. Molina *oppositum censet.*

Præfertur Sanchezij sententia.

336. *Quæritur 6. de vestibus donatis à Socero.*

Quæritur 6. an vestes donatæ à socero nurui, adquirantur, censeanturque sponsalitia largitas, easque filius teneatur conferre?

337. *Affirmant aliqui debere conferri in computũ legitimæ filij, quasi ipse dedisset.*

Affirmant aliqui, siue ante, siue post matrimonium dentur, & idem esse de aliis iocalibus. Imò, & filium, cuius contemplatione dantur, & cui videntur acquiri (*vt dicemus dub. seq.*) teneri conferre, & in suâ legitimâ computare (etiamsi deteriores factæ sint) iuxta æstimationem tempore traditionis. Ita Molina *de Iustitia Tract.* 2. *disp.* 238. & *disp.* 430. cum Antonio Gomez *l.* 29. *Tauri num.* 15. & *l.* 52. *num.* 67.

Molina. Anton. Gomez.

338. *Sanchez cũ aliis sub sæpe dicta distinctione respondet. Probat eisdẽ rationibus quibus suprà. Item probat ex iure.*

Sanchez verò cum multis aliis sub sæpe repetitâ distinctione loquitur de vestibus pretiosis, & quotidianis, & has putat donatas; non illas; ac proinde donatas non esse conferendas in legitima, pertinent enim ad alimenta; pretiosas verò, vtpote solùm commodatas ad vsum, manere in dominio soceri, adeoque illo mortuo esse computandas in legitimâ filij. Probat verò eisdem rationibus, quibus probatum est virum censeri donare vestes quotidianas vxori, non verò pretiosas. Vlterius probat ex l. *si quid earum* ff. *de leg.* 3. vbi, si vir leget vxori sui causâ comparata, veniunt in hoc legato, quæ socer nurus nomine comparauit: ergo non erant vxoris. Si tamen constaret, neque etiam quotidianas voluisse donare, etiam hæ, sicut & pretiosę essent conferendæ, & computandæ.

339. *Quid de vestibus datis à Patre filiæ? Sanchez.*

Idem quoque dicendum est de vestibus datis à patre filiæ tempore nuptiarum; solùm enim pretiosas tenetur filia conferre; nam quotidianæ pertinẽt ad alimenta, & pretiosæ ad vsũ tãtùm cõmodatę; nisi de animo donandi cõstet propter easdẽ rationes. Legatur Sanch. *sup. n.* 34.

Rectè

340. *Quid de pretiosis datis filiæ à Patre vltra dotem?* Molina.

Rectè autem docet Molina *disp.*238. vestes pretiosas tunc censeri commodatas filiæ;quando vltra dotem tradit eas pater, nam alias omnia computanda sunt in dote illi promissâ præter quotidianas illas vestes, quibus vti consueuerat, nam hæ cum alimentis à parentibus collatis vsque ad matrimonium initum computandæ sunt.

341. *Quid si nimiæ sint diuitiæ Patris?*

Non est autem improbabile, (quidquid in contrarium videatur reclamare Sanchez in simili *num.*19.) posse censeri non commodatas; sed donatas vestes pretiosas; quando nimiæ sint diuitiæ patris;vel soceri; tunc enim prudenter præsumi potest donatio, maximè, si non sit nimius excessus pretij, & æstimationis comparatione personarum. Ita Sylvester *pecul.*2. *qu.*12. Nauarrus *in summa c.*17. *num.*166. Rodriquez 1. tomo. Summæ c.93.num.4. Ludouicus Lopez *lib.*2. *de Contractib.c.*41. *in fine.*

342. *Notandum pro praxi in computatione valoris talium vestium.*

Illud autem oportet aduertere,quod cùm vestes pretiosę datæ filiæ, vel nurui manserint iuxta dicta in patris,aut soceri dominio, tantumq; ad vsum commodatæ fuerint; non sunt computandæ secundùm valorem, quem habebant tempore traditionis, sed quem habent tempore collationis; nam augmentum vel decrementum æstimationis earum cedere debet domino. Ita docent multi apud Sanchez *num.*37. Ille verò addit id intelligendum esse; nisi darentur æstimatæ eâ æstimatione, quæ facit emptionem. Quo casu censerentur venditæ, & iuxta pretium temporis traditionis essent conferendæ. Quæ doctrina licet vera sit, non videtur ad rem; nam hîc agimus de vestibus commodatis ad vsum;non translato dominio in filiam; vel nurum,si autem intercedit venditio, quando traduntur æstimatæ, dominium transfertur, & non est noster casus. Imò aliud est discrimẽ, quòd; nisi aliud sit in compactatis,quando tantùm fuerunt commodatæ, non tenetur filia vel nurus tempore collationis eas admittere adhuc in pretio, quod tunc habent; sed posset non ampliùs illas habere, sed relinquere ei, qui dominus est, neque enim tenetur tunc illas emere pretio iusto,quod tunc habent. In alio verò casu iam ab initio sunt venditæ, & emptæ. Vnde tunc, si casu pereant ipsi filiæ, vel nurui pereunt, tanquàm veræ dominæ. In altero verò casu pereunt Patri, vel socero, tanquàm vero domino, nisi pereant culpâ commodatariæ iuxta regulas generales restitutionis.

Multi apud Sanchez. Limitat ille hoc.

Non videtur ad rem doctrina hæc alioquin vera.

Notandum etiam pro praxi.

343. *Quid si Socer dederit nurui vestes pretiosas animo donãdi ipsi, vt ipsi acquirantur & non filio? Non debet filius cõferre in legitimæ portione. Occurritur obiectioni in contrarium.*

Illud maximè placet, quod docet Sanchez *n.*38. si socer dederit nurui vestes pretiosas animo donandi, vt ipsi adquirantur, & non filio, non debere filium eas conferre in legitimâ portione, cùm nihil sibi donatum sit, & licèt inde ditior fiat parcendo sumptibus,quos erat facturus in vestibus, hoc per accidens est, solùm enim attenditur, quod principaliter agitur, & non, quod venit in consequentiam argumento *legis* 2 *§. penult. ff. de aquâ pluuiâ arcendâ*; vbi permittitur alicui torrentem auertere, ne aqua ad eum perueniat,licet inde vicino damnum resultet; quia tantùm inspicitur, quod principaliter agitur;nempe auertere proprium damnum.

DVBITATIO XXVI.

An quæ sponsa accipit à consanguineis sponsi; vel sponsus à consanguineis sponsæ, censeantur sponsalitia largitas? & idem de amicis.

QVæritur 1. an donata à consanguineis viri vxori, & è contra viro à consanguineis vxoris, adquirantur consanguineo, cuius contemplatione donantur, vel potiùs ipsimet conjugi,cui donantur? Idemque quęri potest (est enim eadem ratio) de donatis ab amicis vnius, & alterius; sicut enim consanguinitas potest facere pręsumptionem, etiam amicitia, vt cum multis probat Sanchez ex iuribus *lib.*6. *disp.*26. Vnde quod dictum fuerit in vno casu, dicetur in alio.

344. *Quæritur in primis an acquirãtur consanguineo, cuius contemplatione donantur? Item quæritur de donatis ab amicis.* Sanchez *cum multis.*

Aliqua priùs certa supponenda sunt, quæ latè persequitur *in eâ disputatione* Sanchez.

345. *Supponenda quædam.*

Primum, quod donatur ab aliquo extraneo, nullâ existente coniecturâ, quòd alterius contemplatione detur, vtrique acquiritur ex æquo, si vtrique datur, atque adeò inter vtrumque diuidendum erit; sicut cætera bona constante matrimonio adquisita; & idem est; quando vtrique coniugi donans est æquè consanguineus, seu amicus. Ita Molina *tract.*2. *de Iustitia disp.*430. Sanchez cum aliis *supra num.*3. quia in his casibus non est maior coniectura pro vno; quàm pro alio.

346. *Supponendũ primum.* Molina. Sanchez. *Alij.* *Ratio.*

347. *Supponendũ secundum.*

Secundum certum est, si sit donans consanguineus eius,cui donat, illi soli adquiri, & non alteri *l.*3. *tit.*9. *lib.*5. *Recopil.*

348. *Supponendũ tertium.*

Tertium, si donans est æquè vtriusque consanguineus & vni illorum donet, illi adquiritur, & non alteri, quippe cui donatio fit, nisi aliunde coniectura sit præsumendi aliud. Ita Gutierrez 2. *Practicar.q.*120. & Sanch.*n.*5. Gutierrez. Sanchez.

349. *Supponendũ quartum.*

Quartum, si consanguinitas, vel amicitia cum altero solùm sit causa remota, vel occasio donandi, non proxima soli donatario adquiritur. Vnde licèt fortè consanguineus vxoris donet viro, quia habuit notitiam viri propterea quòd duxerit consanguineam suam; vnde sumpsit occasionem agendi cum illo,& contrahendi cum eo amicitias, ob eamque amicitiam donet; tunc donatio censetur ipsi viro facta; quia vera & propria causa est amicitia cum viro inita; consanguinitas verò vxoris, causa remota, seu occasio, atque adeò donatio acquiretur viro; quando enim non constat expressè de voluntate donantis, ex coniecturis deprehendenda est, & in eo casu maior est coniectura pro viro donatario, quàm pro vxore illius. Legatur Sanchez *num.*6. vbi plures Auctores inducit loquentes in omnino simili casu,quando, scilicèt, filius contemplatione Patris aliquod donum acquirit; & docent adquiri Patri,quando Pater est causa proxima;secùs verò, quando est causa remota.

Ratio.

Sanchez. *Alij Auctores in simili.*

350. *Prudens illatum & coniectura Molinæ, Sanchezii, & aliorum.*

Hinc rectè colligit Molina *Tract* 2. *disput.*430. post quartam conclusionem, & cum eo, & aliis Sanchez *nu.*7. quando vxoris benemerita præcesserunt erga consanguineum viri vxori donantem

nantem, ipsi vxori in dubio acquiri, vt, si donatori ægrè valenti accuratè ministrauit, aliâue officia præstitit; tunc enim viri consanguinitas censetur causa remota, vt inde habuerit vxor occasionem ea opera exhibendi; proxima verò causa censentur illa vxoris bene merita. Aduertit autem optimè Molina, & ex eo Sanchez, si ea obsequia essent præstita de communibus bonis viri, & vxoris; censeri tunc vtrique acquiri, etiamsi vrbanitatis aut honoris causâ ad vxorem nominatim dirigantur.

351. *Supponendū quintum. Prudens alia similis coniectura.*

Quintum certum est, quando benemerita mariti præcedunt erga donantem vxori: donum vxori directum acquiritur marito. Sic donum missum vxori medici magnam curam adhibentis in ægritudine donantis, & donum missum vxori Causidici, aut Procuratoris strenuè laborantis in lite donantis litigatoris, omnino marito Medico vel Causidico, aut procuratori adquiritur; est enim manifesta coniectura voluntatis donandi Marito, siue in remunerationem iam præstiti officij; siue ob beneuolentiam captandam, vt sedulò in id negotij, si quid adhuc supereſt, incumbat. Legatur Sanchez *num.* 8.

Sanchez.

352. *Supponendū sextum.*

Sextum illi adquiretur donum, cui donans voluerit adquiri, si de donantis voluntate constet, ex quâ totum negotium dependet; solùm enim, quando non constat, recurrimus ad coniecturas.

353. *Status controuersiæ & difficultatis.*

Iam verò difficultas eo deuoluitur, an in casu, quo dubitatur cuiusnam contemplatione consanguinei viri donent vxori, vel consanguinei vxoris donent viro? & vtri illorum voluerint donum acquiri? sufficiens sit coniectura consanguinitas alterius, vt censeatur illius cõtemplatione donatum, & illi voluisse donantem acquiri, quod alteri coniugi donauit, ita, vt soluto matrimonio, donum illud coniugi consanguineo restituendum sit?

354. *Assertio. Molina. Sanchez. Alij multi.*

Asserendum est cum Molina *citata disp.* 450. *concluſ.* 2. & cum Sanchez *supra num.* 11. aliisque multis apud ipsos in dubio donata à consanguineis viri vxori censeri donata viro; ipsique vel eius hæredibus soluto matrimonio restituenda. Item donata viro à consanguineis vxoris *lege sed si plures* §. *in arrogato in fine* ff. *de vulg.* ibi *& si quis beneficio arrogatoris acquisiuit, & hoc substitutum posse habere vt puta, si arrogatoris amicus, vel cognatus ei aliquid reliquit.* vbi Patre instituente arrogatum, & ei substituente pupillariter alium, mortuo arrogato, habebit substitutus bona, quæ arrogatus habuit ab arrogatore, eiusque cognatis, & amicis, quia arrogatoris contemplatione sunt adquisita; & per consequens sunt ipsius. Ergo similiter in nostro casu, cùm ratione coniugis consanguinei videantur alteri adquisita eo ipso, quòd nulla alia coniectura sit præsumendi aliud, censebuntur coniugi consanguineo donata, etiamsi alteri eius coniugi donata fuerint. Item ex l. *si quid earum* in principio vers. *Ex quibus* ff. *de leg.* 3. vbi, si vir legauit vxori, qui sui causa comparata sunt, in hoc legato comprehenduntur, quæ socer nurus nomine comparauit, ergo non erant ipsius vxoris sed viri. Omitto alias leges minùs claras.

Ratio. Fradicterii.

Ratio verò est; quia, cùm nullum sit argumentum; vel coniectura alicuius causæ donandi vxori; non est cur præsumatur donatio illi facta à consanguineis viri; sed potiùs, ita illi rem esse datam, vt non adquiratur ipsi; sed viro, & è contra dicendum est de consanguineis vxoris. Legantur Molina, & Sanchez locis citatis.

Molina. Sanchez.

355. *Obiectio 1.*

Obiiciet tamen aliquis primò, vt probet donationem factam quidem esse contemplatione coniugis consanguinei, verè tamen ipsi non adquiri, sed coniugi donatario, qui non teneatur soluto matrimonio restituere; quia l. *seruus communis* 39. *de donat. inter vir. & vxor.* expressè habetur, si maritus donet vxori rem, quæ simul est eiusdem mariti, & duorum fratrum eius, donetque videntibus, & consentientibus fratribus, eam donationem non valere pro tertiâ parte, quæ est viri, valere tamen duplici parte fratrum viri, Textusque concludit, ex duabus illis partibus nihil debere reddere mulierem. Ex quo sic licet argumentari: illæ duæ partes donatæ sunt saltem tacitè, & per consensum à fratribus viri vxori contemplatione quidem viri fratris, & tamen adquiruntur vxori, & non viro; ergo donata à consanguineis viri; non viro, sed vxori adquiruntur.

356. *Respõdetur.*

Respondetur casum esse longè diuersum, quia in eo casu non videtur esse dubium de intentione fratrum, sed eos voluisse, vt seruus communis viri, & eorundem duorum fratrum illius daretur & adquireretur vxori. Nam ipse vir illum integrè dedit vxori videntibus, & consentientibus fratribus, vtique vt ipsa acquireret, quare intentio fratrum fuit illa ipsa: nos autem in præsenti agimus in casu dubij.

357. *Obiectio 2.*

Obiicies 2. si socrus donet nurui, valet statim irreuocabiliter donatio *l. si te in vacuam* 23. C. *de donat. inter vir. & vxor.* & in simili casu *l. si matet. & l. si constante* C. *de donat. ante nupt.* Ergo donata à consanguineis viri vxori adquiruntur vxori.

358. *Respondetur 1.*

Respondetur eas leges non loqui in casu nostro scilicet in casu dubio, cuius contemplatione censeantur donata, & cui adquirantur; sed loqui de alia quæstione, scilicèt, an sicut est prohibita donatio inter coniuges, sit etiam inter coniunctos eorum, & definiunt non esse, sed valere statim. Respondeti etiam potest 2. eas leges loqui quando constat, quòd intentio donantis sit, vt remaneant illa bona vxori: Nos autem loquimur pro casu, quo sit dubium de intentione donantis. Omitto alias obiectiones leuioris momenti, quæ videri possunt apud Sanchez *n.* 20.

Respondetur 2.

359. *Notandum circa datam doctrinam.*

Circa nostram verò doctrinam inprimis notandum est eam locum habere, etiamsi donatio facta fuerit à consanguineis vnius coniugis vtrique coniugi; adhuc enim facta censetur intuitu consanguinei, & vt illi adquiratur. Ita Anton. Gomez l. 52. *Tauri num.* 67. Gutierrez 2. *Practic. quæst.* 120. *num.* 9. Sanchez *supra num.* 9. cum quo limitanda est nostra sententia aliquibus limitationibus.

Anton. Gomez. Gutierrez. Sanchez.

Limitanda sententia nostra.

360. *Limitatur primò.*

Primò, nisi Princeps, vel Augusta, vel eos repræsentans donaret aliquid vxori sui consanguinei, tunc enim adquireretur ei, cui donatio fit. l. Cùm multa C. de bon. quæ liber. neque enim censentur hi alterius contemplatione donare. Ita Bartol. & Menoch. apud Sanchez n. 13.

Bartol. Menoch. Sanchez.

Qui

Limitatur ipsa limitatio.

Qui tamen rectè notat, quando ob viri obsequia Princeps donaret aliquid vxori, in dubio illud acquiri viro; censetur enim donare remunerationem. Sic donatum filiæ per Principem ob patris seruitia, censetur Patri adquiri. Ita Ioannes Lupus *Rubricâ de donat. §. 45. n. 19.*

Ioan. Lup.

361. *Limitatur 1. ab aliquibus.* Baldus. Paulus. Castillo.

Secundò limitant aliqui; nisi aliud habeat consuetudo; nam, si hæc sit, vt consanguinei viri dent vxori, & è contra, res adquiritur ei, cui est donata. Ita Baldus, Paulus, Castillo apud Sanchez suprà, qui rectè hoc intelligit, quando consuetudo non tantùm est sic donandi, sed, vt sic donata acquirantur donatario. Ratio omnium est; quia in dubio semper donatio censetur fieri secundùm loci consuetudinem. Ita multi apud Sanchez *suprà*.

Explicatur ea limitatio. Ratio. Sanchez. cũ multis.

362. *Tertio limitatur ab alijs. Non admittitur. Sanchez.*

Tertiò limitant alij apud eundem Sanchez *num.* 14. vt locum habeat nostra doctrina, si mentio fiat in donatione affinitatis puta *dono Mariæ vxori consanguinei mei.* Quod meritò reijcit Sanchez; quamuis enim nulla mentio fiat affinitatis, cùm non sit alia ratio donandi, quàm consanguinitas alterius coniugis, semper huius contemplatione in dubio præsumitur facta donatio. Legatur Sanchez *loco citato.*

363. *Quartò limitatur probabiliter, quando res soli ei, cui donatur congruit. Ratio coniecturalis probabilis. Sanchez.*

Quarto limitatur satis probabiliter, nisi res donatæ coniugi à consanguineis alterius sint aptæ soli coniugi cui donantur, tunc enim illi adquiruntur, vt, si feminæ dentur ornamenta propria feminarum, & viro propria virorum, puta, arma, equum, &c. nam propria & vera Regula interpretandi in dubio testantium, & aliorum contrahentium dispositiones, est vt intelligantur iuxta subiectæ materiæ dispositionem. Legatur Sanchez *n.* 15.

364. *Quid si res donata indifferens sit vtrique sexui & vtrique congruens.*

Quid autem dicendum sit, quando res est indifferens vtriqúe sexui? non consentiunt Doctores. Aliqui putant esse coniugis consanguinei, cuius contemplatione donatur, dummodò res maneat in eodem statu v.g. si si data sit tela, & non sit incisa fiatqúe in donatione mentio affinitatis. Alij censent esse communem vtrique coniugi, quia datur ratione matrimonij, quæ est quædam societas. Gutierrez verò apud Sanchez supra dicit adquiri coniugi consanguineo donatoris, cuius contemplatione donatur, sed limitat, nisi consanguinei vel amici res vxori conuenientes donâssent ad subleuandam ipsius mariti inopiam, quam limitationem valdè probabilem putat Sanchez, probabilius tamen iudicat, siue res cõueniant soli viro, siue soli vxori, siue vtrique communes sint, adquiri coniugi consanguineo, cuius contemplatione alteri donantur, quia adhuc intuitu coniugis consanguinei donantur, neque vlla est coniectura in contrarium; nam, si soli vxori conueniant, censentur consanguinei voluisse consulere vtilitati mariti, qui de his rebus vxori prouidere tenebatur. Si verò sint vxoris consanguinei, qui viro donârunt, res soli viro conuenientes, licèt vxor ad ea prouidenda non teneretur, expensis tamen communibus faciendum erat; atque adeò donatio in vxoris vtilitatem cedit, & præsumi potest eius contemplatione fieri. Pro qua sententia alios refert Sanchez eodem *num.* 15. Legatur ibi.

Gutierrez.

Sanchez.

365. *Quinto limitatur pro casu quo viuat consanguineus, secùs si iam obierit.*

Quintò limitant, si donent consanguinei quando adhuc coniux consanguineus superstes est, nam, si donent illo defuncto alteri coniugi superstiti, donationem putant fieri illius coniugis, cui fit, quia quoties aliquid fit comparatione, & fauore alicuius, cessat fauor & contemplatio, illo defuncto.

366. *Probabilis est præcedēs doctrina. Sanchez. Tiraquell. Azeuedo. Probabilius est esse distinguendũ.*

Hæc doctrina propter auctoritatem eiusdem Sanchez & Tiraquelli, & Azeuedo, quos refert num. 16. probabilis est, mihi tamen adhuc videtur distinguendum, nam si coniux non superstes reliquit filios, censetur adhuc manere iuxta illud *Ecclesiastici* 30. *mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit post se.* Et quidem consanguinei coniugis defuncti ratò, aut vix solent nimium curare de coniuge affine superstite, nisi quando proles aliqua defuncti manet. Ideò tunc donationem puto fieri contemplatione filiorum, & adquiri marito non in se; sed in filijs.

367. *Dubium incidens.*

Dubitari autem potest; an suppositâ sententiâ quod donata vxori à consanguineis viri censeantur viro donata, si vir conscius non reuocet, censeatur ipse donare vxori, atque adeò talis donatio morte viri confirmetur instar cæteratum donationum inter coniuges?

368. *Affirmans sententia non probata.*

Affirmant non pauci apud Sanchez *n.* 18. sed nullâ ratione probant.

369. *Negant alij Sanchez. Molina. Alij. Ratio petita ex iure. Probatur vlterius. Sanchez cum multis.*

Ipse verò Sanchez *num.* 19. & Molina disp. illâ 430. & alij apud ipsos negant virum donare, etiamsi ratam habeat consanguinei donationem, quia in dubio non præsumitur donatio *l. Cùm in debito ff. de probat.* In hoc autem casu saltem est dubium. Item, quoties ex aliquo actu alia coniectura sumi potest, quàm donationis, non est præsumenda donatio, vt multi docent, quos refert, & sequitur Sanchez *disput.* 25. *lib.* 6. *num.* 10. sed ex eâ ratihabitione potest sumi coniectura, quòd velit vir, vt res ea tradatur vxori ad vsum; ergo non est præsumenda donatio, quod mihi placet.

Placet.

370. *Quæritur 2.*

Quæritur 2. an donata à consanguineis sponsi sponsæ, vel è contra ante matrimonium consummatum, censeatur sponsalitia largitas, & vt de tali iudicandum, quoad illius adquisitionẽ?

371. *Supponitur in hoc quæsito id quod supra iam dictum est.*

Supponit hoc quæsitum sententiam, quam secuti sumus quæsito præcedente nempe donata sponsæ à consanguineis sponsi censeri donata ipsi consanguineo sponso, sicut è contra donata illi à consanguineis sponsæ; Nam, si iuxta oppositam sententiam adquirerentur ipsi donatario, non esset locus sponsalitiæ largitati, quæ tantùm ab ipso sponso procedit.

372. *Resoluitur consequenter iuxtà dicta.*

Respondeo ergo huic quæsito consequenter *ad supra* dicta non esse sponsalitiam largitatem; nec more illius adquiri per osculum, aut copulam; sed esse illius, cui præsumitur donatio facta; nam in dubio, vt dicebam, non præsumitur donatio, in tali autem casu saltem est dubium, an sponsus velit sponsæ donare ea, quæ ipsi sponso adquiruntur, vtpotè donata sui contemplatione. Idemqúe iudicium est de donatis sponso contemplatione sponsæ ab sponsæ consanguineis. Possumus enim in his casibus aliam sumere coniecturam, quòd velit consanguineus donatoris, vt sponsa illam rem habeat ad vsum, vel, si fortè ad ornatum pertinet, vt ornatior veniat ad se. Ideò hanc sententiam docent

Sanchez. Molina. Gutierr. cent præter Sanchez *num.*22. Molina *disput.illâ* 430. *concluſ.*3.Gutierrez 2.*Practicar. quæſt* 120. *num.*10.

373. *Aduertendũ tum Sanchezio & aliis.* Aduertendum eſt,cum Sanchez *n.*23. & aliis apud ipſum;quæ donantur à conſanguineis,vel alijs pro ipſis ſponſis,habere tacitam conditionem, ſi matrimonium ſequatur, non ſecùs atque ineſt eadem tacita conditio ſponſalitiæ largitati *l.Cum veterum* C.*de donat.ante nupt.*

DVBITATIO XXVII.

Quid ſint arræ? & quo pacto acquirantur? & an dentur in præmium virginitatis, vt ſine eâ non poſſint adquiri?

374. *Arrarum nomen varie accipitur iuxtà dicta alibi & de earum reſtitutione iam ſupra diximus.* DE variis acceptionibus arrarum breuiter *diſp.*1.*dub.*28.*in principio*, & nonnihil de arris reſtituendis, & ad quem eæ pertinent ibidẽ *dub.*29. & 30, aliquid etiam tetigimus in *hac diſp.dub.*1. Quæ nunc dicenda ſunt præſertim ad Hiſpanos pertinent.

375. *Quid ſint arræ iuxta dicta.* Iuxta dicta ergo locis notatis arræ iure communi accipiuntur pro eâ re,quam ſolent tradere ſponſi in ſignum & pignus matrimonij futuri, de quibus egimus *diſp.*1. *citatis dubitationibus.*

376. *Quid in Hiſpania ſignificet ea vox.* Sanchez. In Hiſpania verò accipiuntur arræ pro donatione ſponſi facta ſponſę, vel mariti vxori in præmium, vel nobilitatis vel pudicitiæ, vel receptæ dotis. Quam donationem ipſa ſoluto matrimonio lucratur, vt cum Sanchez notauimus *dub.*1.Et acquiruntur per matrimonij conſummationem,tuncque efficiuntur vxoris. Legantur etiam,quæ obiter diximus de arris *dub.*20.& 22.Sed quoniam diximus dari in præmium virginitatis, duo occurrunt circa hoc cum Sanchez diſputanda.

Duo dubia proponenda.

377. *Quæritur 1. An dentur pro virginitatis præmio,ſecùs reſtituenda?* Quæritur 1.an arræ ita dentur in præmium virginitatis, vt, ſi ſponſa re ipſa non ſit virgo teneatur eas reſtituere?

378. *Affirmans ſententia multorum. Probant 1.* Affirmant multi apud Sanchez *lib.*6. *diſp.*27. *num.*4. Probant primò; quia ſtylus Tabellionũ habet in arrarum contractu dicere: *Os ſeñalo eſtas arras por razon de vueſtra virginidad*; eſt ergo cauſa finalis virginitas; ergo, hac deficiente deficiet donatio, quæ procedit ex errore ſponſi putantis eam virginem. Hoc tamen argumentum nullius momenti eſt; quia, vt videbimus, illa clauſula ponitur ex imperitia Tabellionum, & verba ex eorum vſu & ſtylo poni conſueta nihil operantur, quia non cenſentur ex voluntate partium adhibita,vt cum multis docet Sanchez *num.*6.qui debuiſſet eſſe 7.

Nihil probat ea ratio.

Sanchez.

379. *Probant 2.* Probant 2.dari in virginitatis prẽmium *ex l. vxoris* C.*de donat,inter vir.& vxor.* ibi; *quia pudicitiæ præmio ceſſit.*

380. *Neque hæc ratio vim habet.* Verùm neque hoc probat,nam, (vt explicat Baëza, quem refert & ſequitur Sanchez *citato num.*6.)non intelligitur lex quod arræ donentur, eo quòd illa virgo, ſeu pudica ſit, ſed quia pudicitiam viro proſtituit, pudoremque patitur tradens corpus viro. Legatur Sanchez *num.*4. & 7.*in fine.*

381. *Aſſertio negans dari in tale præmium.* Aſſerendum eſt ergo arras non dari in præmium virginitatis, nec reſtituendas eſſe ab eâ, quæ virgo non eſt, & à marito virgo putatur;

Ratio 1. nullo enim iure probatur dari in virginitatis præmium, quin poſſint etiam dari viduæ, aut aliter corruptæ *l.*1.*tit.*2 *lib.*3.*fori Caſtellæ*, ita Sanchez *num.*4. qui debuiſſet eſſe *nu.*5. & alij apud ipſum. Vnde Couarruuias *c.Officij num.*4. *de Teſtament.*& 2.*Variar. cap.*6.*n.*7. Gutierrez 1.*Pract. q.*124.*num.*2.docent etiam dari in præmium vidualis pudicitiæ. Sanchez. Couarr. Gutierr.

382. *Ratio 2. ex lege.* Secundò probatur ex *l.*87. *tit.*18. *Partitâ* 3. vbi in inſtrumento donationis arrarum non continentur ea verba communiter apponi ſolita Tabellionibus in honorem ſcilicet *Virginitatis*; ſed tantum *per razon del caſamiento*, vt ex Gregorio Lopez aduertit Sanchez ſuprà. Vnde Suarez *lib.*3.*fori tit.*2.*de las Arras l.*1. *num.*1. dixit eſſe imperitorum Tabellionum errorem apponere quòd promittantur in honorem virginitatis.

383. *Tertia ratio.* Tertiò,quia,vt, ceſſante causâ effectus ceſſet oportet, vt omnes cauſæ, quarum quæuis aliquin ſufficeret,ceſſent. Quamuis autem virginitas eſſet cauſa donationis; non tamen ea ſola; ſed ſufficit vel dos recepta, vel matrimonium contractum, vt cum aliis docet Sanchez *ſuprà*.Imò Molina *Tract.*2. *diſp.*431. *Paragrapho dubium eſt quam ob cauſam*,docet ad nullam cauſam reſtringi arrarum donationem; ergo, quamuis virginitas deſit, non euaneſcit donatio, maximè cùm in Hiſpania arræ ſuccedant loco donationis propter nuptias iuxta *ſuprà dicta dub.*1. & docet Sanchez *lib.*6. *diſp.*1. *in principio.* Omitto alia, quæ videri poſſunt apud eundem *citato num.*4.*aliàs* 5. Legatur idem Auctor *num.*5.*aliàs* 6. Sanchez. Molina. Sanchez.

384. *Quæritur 2. An peccet qui mediis virginitatis defectum tegit.* Quæritur ſecundò an peccet, quæ vtitur mediis, aliàs licitis, vt virginitatis defectum tegat, & tanquàm virgo nubat? Idemque eſt de parentibus & aliis conſciis, qui eam vt virginem collocant.

385. *Ratio dubitandi primo.* Ratio dubitandi eſt, quia matrimonium eſt inſtar venditionis teſte Tiraquello *de retract. conuent. ad finem tituli numero* 70. & *l.*4. *connub. num.* 5. venditor autem ex iuſtitiâ tenetur vitia rei venditæ ſaltem occulta indicare. Qua de re diximus *in noſtro opere de Iuſtitia.* tùm agentes *de emptione & venditione*, tum in Tractatu *de Reſtitutione*, & docet Diuus Thomas 2.2. *quæſt.*77. *artic.*3. & cum eo omnes Doctores; imò Nauarra *lib.*3. *de Reſtitut. cap.*2. *dubit.*7. *in nouâ editione num.*46. alijque non pauci docent etiam vitia manifeſta eſſe indicanda, quando emptor ignorantia inculpabili laborat, ergo in noſtro caſu peccabit contra iuſtitiam ſponſa, & alij intorquentes, quando, vt virgo nubit, idque vitium celat. Præterea mendacium non ſolùm in verbis reperitur, ſed etiam in factis iuxta D.Thomam 22.*quæſt.*111.*art.*1.*in corpore*; at in tali caſu ea femina factis, & ſignis ſe falsò iactat virginem, & quidem in re graui,& notabili eo modo mentitur. Tiraquell. D. Thom. *Secundò.* D.Thom.

386. *Occurritur euaſioni.* Quod ſi dicas neminem teneri ſe prodere, verum quidem eſt, ſi coactus, & citra voluntatem conſtituatur in aliquo ſtatu; nunc tamen (vt ſupponimus) voluntariè nubit: debet ergo, vel non nubere, vel vitium patefacere.

Aſſeren-

387. *Assertio 1. licere hunc defectum celare. Ratio à simili. Couarr.*

Asserendum nihilominùs est primo, puellam posse huiusmodi defectum, & alios celare, quin peccet contra Iustitiam. Ratio est à simili de Ludo ex doctrinâ communiter receptâ, quam tradit Couarruuias *Regul. peccatum 2.p. Paragrapho 4.nu.6.* (quâ de re *in opere de iustitia* egimus in Tract. proprio *de Ludo. disput.5. dub.3.*) nempe quod quamuis iuxta veriorem sententiam generaliter loquendo, qui certus est de lucro, non possit spondere; quia fraus esset, ac inæqualitas spondentium; in ludo tamen; qui certus est de victoria, posset augere sponsionem ob naturales Ludi leges, quæ consensu vtriusque ludentis similes conditiones admiserunt. Vnde potest prouocare, quod Hispanicè dicitur enuidar, in tali casu, at in nostro etiam casu vsu communi contrahentium receptum est, quòd contrahentes, vel mediatores non detegant talia vitia, sed alter contrahens sibi caueat, & aliunde certior fiat; noueritque iam, vel nosse debet feminam minimè detecturam eiusmodi defectus. In quo æqua est vtriusque conditio, cùm nec vir soleat, aut debeat suos proprios defectus propalare. Durum quoque esset, & intolerabile eas feminas obligare, vt id detegant, vel innuptæ maneant. Ita Sanchez citatâ *disp.27.num.8. aliàs 9.* Pro qua sententia etiam refert Nauarrum *c. Inter verba. in 2.editione conclus.1.Corol.16.num.60.* faciunt etiam ad hoc ea, quæ *supra* diximus *disp.1. dub 42.* vbi disputauimus, an habens defectum occultum, ob quem possit alter resilire ab sponsalibus, possit eundem ignarum defectus compellere ad matrimonium; nam, si teneretur detegere defectum, quo detecto alter possit resilire, non posset illum tegendo compellere, ibidem tamen diximus cum eodem Sanchez, Coninc. & aliis posse.

Confirmatur. Sanchez. Nauarr.

388. *Assertio 2.*

Assero 2. quando probabiliter non est periculum, quod vir hoc vitium percipiat, vel probabiliter credit, quod eo percepto non nimis ægrè feret, licitè poterit femina tegere, vel mediis vti aliàs licitis ad tegendum; tunc enim nullũ dãnum incurrit vir, nec ea media eò tendunt, vt vir deceptus eam ducat, cùm non sit ad illam accessurus ante initum Matrimonium; sed solùm tendunt, ne post illud initum eiusmodi defectũ agnoscat, & eo agnito sponsam vexet. Ita Sanchez suprà referens Nauarrum loco citato.

Ratio. Sanchez. Nauarrus.

389. *Quid si timeatur quod Marius defectum & deprehẽdet, & ægrè feret? Quidam putant esse mortale nubere. Sanchez. Nauarr. Putant esse in specie cõtra charitatem.*

Vtrùm autem quando est periculum, vt maritus id agnoscat, & ægerrimè ferat, peccatum sit? & contra quam virtutem? non est ita facile Sanchez *suprà n.10.* referens Nauarrum fatetur esse peccatum mortale; idq; contra charitatem tunc nubere eo tacito defectu; quia datur grauis ansa scandali, multorumque criminum.

390. *Mortale est, species verò peccati iuxta peccata quibus se maritum, & alios exponit.*

Ego sanè peccatum mortale facilè iudico. Quod verò attinet ad speciem peccati, pendet ex aliis principiis generalibus. Ideò nũc dico ad eam speciem, vel species peccati pertinere, in qua vel in quibus, peccandi periculo se, & maritum & alios fortè exponit, si ista damna tunc aliquâ ratione præuideantur. Vnde, si timeatur fore, vt eam maritus occidat. peccabit peccato homicidij, seu parricidij, quatenùs dat occasionem marito occidendi propriam vxorem. Item peccabit contra præceptum naturale cauendi, vel non causandi propriam mortem, quia exponit se periculo, vt à marito occidatur. Idem est, si præuideat fore periculum, quòd occidat, aut grauiter vulneret parentes, consaiguineos, aliosve interuenientes tali matrimonio. Item, si solùm probabiliter præuideat fore, vt ille vehementissimè tristetur, sitq; per totam vitam minùs illi affectus; tunc peccabit contra proximi mariti misericordiam præbẽdo scilicèt causam grauis, iustique doloris, & tristitiæ vehementem illi tentationem offerens excedendo limites rationis, & charitatis Christianæ. In quibus non puto citatos Authores, cæterosque alios dissensuros.

391. *Respondetur ad rationes dubitandi. Ad primã.*

Quod attinet ad rationes dubitandi in principio huius quæsiti positas. Ad primã nego esse eandem rationem in cæteris contractibus; neq; enim in illis est vsu receptum, vt liceat ea vitia occulta tegere. Vnde aduersus tegentem datur actio in foro etiam externo. In matrimonio autem, sicut & in ludo, est vsu, & consensu receptum, ea celare, vt dictum est.

392. *Ad secundam.*

Ad secundam respondeo tunc feminam non vti illis mediis animo se fingendi, & iactandi virginem, sed tegendi, & occultandi suum defectum, atque vtendi iure suo. Et quamuis animo fingendi faceret, non esset peccatum mortale, nisi in casu, de quo nuper dicebamus; quando prædicta damna timeri possunt, & creditur à marito defectus cognoscendus. Tacere autem, & bonis mediis occultare vitium non est mentiri, vt docet D. Thomas 2.2.*q.*111.*art.*1.*ad* 4. D. Thom.

DVBITATIO XXVIII.

An arræ possint inito matrimonio constitui valide?

393. *Assertio. Probatur lege.*

Asserendum est breuiter, posse validè constitui non solùm antè, sed etiam post initũ & consummatũ matrimonium *l.1. in fine tit.11. Partitâ* 4. vbi, cum dixisset donationem propter nuptias apud Hispanos appellari arras, subdit ad finem: *Las dotes è las donationes, que faze el marido à la muger, e la muger al marido, assi como de suso diximos, se pueden fazer antes que el matrimonio sea acabado è despues.* Idem colligitur ex *l.87. tit.18. Partit.3.* vbi dicitur: *Arras, y donaciones fazen los maridos à sus mugeres.* Rectè autem expendit Sanchez, & alij *marido y muger* id est maritum, & vxorem communi vsu appellari post consummatum matrimonium. Sanchez. *Aly.*

394. *Ratio 2.*

Probatur 2. quia arrarum donatio loco donationis propter nuptias successit in Hispania, quæ iure communi erat in vsu (vt ostendit Sanchez *lib.6.disp.1.num.1.*) Donatio autem propter nuptias fieri poterat iure communi etiam constante matrimonio *l. cum multa* C. *de donat. ante nupt.* ergo etiam arræ.

395. *Probatur 3. Sanchez Cum multis.*

Tandem donatio remuneratoria valida est inter coniuges iuxta dicta *dub.6.* talis autem cẽsetur donatio arrarum, siue fiat in præmium pudicitiæ, siue receptæ dotis, siue nobilitatis, de quo diximus *dub. præcedenti:* ergo valet. Ita Sanchez cum multis, quos refert *lib.6.disp.28.*

DVBITATIO XXIX.

Quæ possit esse quantitas arrarum?

396. *Consuetudo attendenda & seruãda.* SEruanda in primis est locorum consuetudo nota, & permissa à Principe. Quod verò attinet ad leges.

397. *Assertio 1.* Assero 1. solùm vir potest promittere decimam partem bonorum suorum pro arris vxori *l. 1. tit. 2. de las arras.* & aliis legibus apud Sanchez *disp. 26. Lege autem 50. Tauri, quæ est 2. tit. 2. lib. 5. recopil.* additur non posse huic legi renunciari. Omnium ratio est, ne ob mutuum amorem se coniuges spolient.

Ratio.

398. *Potest excedere quantitatem requirentem insinuationẽ si non excedat decimã bonorum.* Molina. Sanchez. Rectè autem Molina *Tractat. 2. disputat. 290. Paragrapho Quintum est.* & cum eo Sanchez *supra num. 3.* docet non excedentibus arris eam decimam partem, etiamsi summam alioquin indigentem insinuatione excedant, adeoque octauam etiam dotis vxoris partem, non esse necessariam insinuationem; quia in ea L. 50. solùm requiritur quòd non excedat decimam bonorum viri.

399. *Assertio 2. Idem potest vxor erga virum si nõ excedat prædictam quãtitatem.* Sanchez. Azeuedo. Assero 2. vxor potest viro arras constituere in nobilitatis vel diuitiarum præmium, non tamen excedentes decimam bonorum vxoris partem. Ratio est, quia citata Lex. 50. indistinctè loquitur de viro & vxore, & quod decisum est in vno correlatiuo, censetur decisum in alio, ne scilicet mutuo amore se spolient. Ita Sanchez *num. 4.* cum Azeuedo, ad *l. illam Recopil.*

400. *Assertio 3.* Assero 3. arræ possunt promitti de bonis præsentibus & futuris, & datur vxori optio temporis, quo sit computandus valor bonorum viri, & illius temporis decimam non potest excedere. Ita habetur *l. 2. tit. De las arras lib. 3. fori.* & docent multi apud Sanchez *numer. 5.*

Multi apud Sanchez.

401. *Assertio 4.* Assero 4. arrarum promissio intelligi debet de præsentibus bonis tempore promissionis, neque computanda est decima futuri temporis, nisi futuri temporis bona exprimantur. Hoc dixerim iure communi. Probatur 1. l. *Quidquid 99. initio. ff. de verb. oblig.* ibi: *Quidquid adstringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palàm verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est*: ergo, si promittens arras, non dixerit de futuris bonis, id non intelligitur, sed tantùm de præsentibus; nomine enim bonorum sola præsentia intelliguntur, vbi aliud non explicatur. *l. Si ita Legatum 8. ff. de auro, & arg. leg.* & aliis iuribus apud Sanchez *supra num. 6.* vbi alios refert, ibi Legatur.

Iure communi intelligenda assertio.

Sanchez cum aliis.

402. *Assertio 5.* Assero 5. etiamsi promittens arras careat hæredibus necessariis, non potest decimam bonorum suorum excedere in promittendis arris. Colligitur ex *l. 1. titul. 2. de las arras l. 3. fori.* vbi applicat propinquioribus consanguineis excessum. Ita Sanchez *supra num. 10.* cum Baeza, & Azeuedo.

Sanchez. Baëza. Azeuedo.

403. *Assertio 6.* Assero 6. computum bonorum ad extrahendam decimam debet fieri deducendo priùs æs alienum; solùm enim, quod eo deducto supereſt, censetur habere in bonis promittens ille iuxta Regulas, & principia generalia, vt cum multis docent Molina *tract 2. disp. 431.* Sanchez *supra num. 11.*

404. *Illatum ex proxima assertione.* Sanchez. Menoch. *Cum aliis.* Hinc est in eâ comparatione deducenda esse onera & tributa, quæ ex bonis illis soluuntur, tantùm enim decrescit capitale l. *Non amplius. ff. de leg. 1. initio.* & docent aliqui apud Sanchez & *Menochium.*

405. *Assertio 7.* Assero 7. inter bona computandus est valor officiorum vendibilium, vt Tabellionatus, muneris Senatoris, &c. secùs, si vendi non possint; nam iuxta communem opinionem solùm vendibilia censentur bonorum pars. ita Azeuedo *supra num. 13.* & 14. Sanchez *num. 13.* vbi etiam cum aliis addit computanda esse illa, ad quæ vir habet actionem; quia censentur esse in bonis *l. bonorum. ff. de verb. signif.* qui enim habet actionem ad recuperandam rem, videtur illam habere. *l. Qui actionem 15. ff. de Reg. Iur.*

Azeuedo. Sanchez.

406. *Assertio 8.* Assero 8. si fortè arræ excedant decimam, non sunt omnes inualidæ, sed solùm excessus *l. 1. titul. 2. de las arras lib. 3. fori.* Nam (vt vidimus) tantùm excessus applicatur consanguineis. Vnde supponit reliquum valere. & iuxta *Regul. 37. de Regul. Iur. in 6. vtile non debet per inutile vitiari.* Legatur Sanchez *num. 14.* & Molina *disp. illâ 431. Paragrapho. Illud est obseruandum.* vbi cum multis probant ex aliis iuribus, & diximus in simili de sponsalitiâ largitate. Si enim octauam dotis sponsæ partem excedat contra legem *1. tit. 2 lib. 5. Recopil.* cuius meminimus *dub. 24.* solus excessus erit irritus propter easdem rationes.

Probatur. Ex Iure. Sanchez. Molina.

407. *Si qua res excedens decimam donetur arrarum nomine non valebit integrè quoad excessum. Idem est de sponsalitia largitate.* *Sanchez cũ multis.* Quando autem nomine arrarum constituatur res excedens valorem decimæ v.g. *fundus*, non valebit totius rei donatio; quamuis enim non possit excessus in se ipso separari; potest separari in æstimatione. Et idem est de sponsalitiâ largitate excedente octauam dotis partem, docetque Sanchez cum aliis *n. 16.*

408. *An aliquis tertius possit excedere promittens arras decimam bonorũ Mariti? Negant aliqui. Affirmat probabilius Sanchez. Probat ex verbis legis.* De tertio autem aliquo promittente arras vxori nonnulli negant, posse excedere decimam bonorum viri. Probabilius tamen affirmat Sanchez, siue ille sit extraneus, siue consanguineus viri, nam in *l. 1. tit. 2. de las arras.* approbata *in l. 50. Tauri* expressè habetur: *Todo home, que casare ne pueda dar mas arras à su muger del diezmo.* Solùm ergo loquitur cum ipso, non cum tertio; neque ad illum extendenda est lex eiusmodi correctoria, exorbitans, pænalis, & annullans actum aliter factum, vt latè probat Sanchez *num. 18.*

409. *Limita, nisi donatio fiat de ipsis sponsi bonis, quo casu excessus non valebit.* Si tamen à consanguineis, vel aliis donetur de ipsis Sponsi bonis, non valebit excessus, quia tunc maritus censetur donare; &, qui per se aliquid facere nequit, nec per alium potest l. *Pupillus 5. Paragrapho. Item ipse.* Et qui facit per alium, perinde est ac si per se faceret. Regulâ. *Qui facit* (alias *qui per alium*) *72. de Regul. Iur. in 6.* Vnde non valebunt arræ, quoad excessum, si parentes sponsi excessum promittant de bonis, quæ filius habiturus est.

410. *Nec valet excessus si* Item non valebit excessus, quando consanguineus mariti donans arras vxori, vult donationem illam adquiri marito iuxta dicta

dub. 26.

quis donet volens vt prius acquiratur marito vt per maritum detur vxori. Ratio. Sanchez.

*dub.26.*vt per maritum donetur vxori;quia iam tunc donatio fit à marito prohibito excedere decimam. Legatur Sanchez *num.19.* vbi rectè aduertit ineptè facere eos,qui timentes,ne arræ promissæ à viro excedant decimam, quærunt tertium,qui eas promittat, de bonis tamẽ ipsius mariti. Quod inutile est, etiamsi ille tertius se obliget tanquàm fideiussor ; nam principalis obligatio non tenet, atque adeo corruit fideiussoria.

DVBITATIO XXX.

An,si bonorum pars viri,quæ habebat tẽpore promissionis arrarum, euincatur, posteà etiam pro rata minuendæ sint arræ?

411. *Sententia quod debeãt computari iuxta bonã fidem possidentis tempore promissionis arrarum. Molina. Alii multi.*

MVlti (inter quos Molina *tomo 2. de Iustitia disp.* 431. §. *Illud est obseruandum*) docent decimam esse computandam iuxta bona, quæ maritus promissionis tempore bonâ fide possidebat;neque iis posteà euictis, minuendas esse arras; quia bona nostra appellantur, quæ bonâ fide possidemus, quamuis aliena sint.

412. *Assertio oppositæ prædictæ sententiæ. Sanchez. Probatur ex legibus.*

Asserendum nihilominùs est cum Sanchez *lib.6. disp.*30. minuendas esse arras iuxta decimam bonorum, quæ reuerâ erant promittentis; nam *l.fori* & *l.*50. *Tauri* expressè dicitur. *No pueda dormas de la decima parte de sus bienes.* Quibus denotatur verum dominium, vt ex legibus probat Sanchez *n.*2.&(vt dicebamus *dubit.præced.*) bona alicuius censentur deducto ære alieno, in quo etiam ipse Molina consentit : ergo deductis iis, quæ verè erant debita, & vt talia, postmodum euicta fuerunt, computanda sunt bona.Legatur idem Sanchez & Gutierrez *q.*42. *n.*12.*& sequentibus.*

413. *Idem censendum de sponsalitia largitate quantum ad octauam partem dotis. Quid si tota euincatur?*

Idem iudicium est de sponsalitiâ largitate, quæ cùm non possit excedere octauam dotis sponsæ partem,minuenda erit,si aliqua pars dotis posteà euincatur. Quod si tota euinceretur, philosophãdum est iuxta dicta *dub.*24. ad finem in casu,quo sponsa nullã dotem affert;nã in hoc casu reuera nulla est dos. Vnde iuxta boni viri iudiciũ taxari debet sponsalitia largitas.Legatur *loco citato.*

DVBITATIO XXXI.

An,& quomodo æstimanda sint bona Maioratus, ne arræ excedant decimam?

414. *Proponitur ratio difficultatis circa modum computandi.*

QVamuis possessor bonorum Maioratus iuxta veriorem sententiam verum habeat dominium illorum(vt diximus in *nostro opere de Iustitia* cum vtroque Molina. agentes de dominio & docet Sanchez *lib.6.disp.*31.) nihilominus consentiunt Doctores non esse computandum valorem secundùm æstimationem ipsorum bonorum Maioratus secundùm se, sed habendum esse pro eâ decimâ respectum ad valorem vsusfructus, seu reddituum,quos percepturus est ex suo Maioratu, dum viuit, qui arras promisit. Nam cum bona alienare nequeat, comparatur potiùs vsufructuario, quàm vero domino. Vnde,si ex tali Maioratu deductis expensis colligat quotannis duo aureorum millia, solùm computandum est in bonis ipsius ius colligendi, aut percipiendi ea duo millia, & pretium talis iuris æstimari debet secundum patriæ communem æstimationem, imò habenda erit ratio, non solum expensarum, & laboris, sed etiam periculi, & incertitudinis, vt mox explicabimus. Computandus quidem est Maioratus saltem aliquâ ratione ; quamuis enim non possit alienare Maioratum ipsum; potest alienare, & vendere ius illud percipiendi per suam vitam. Tota ergo controuersia est circa modum computandi valorem prædictorum reddituum.

415. *Quidam ætatem & valetudinẽ possessoris attendendam putant.*

In quâ re sunt varij Doctores ; quidam enim putant attendendam esse ætatem, & valetudinem possessoris, vt, quo robustior fuerit, ac iunior, vel debilior, ac senior, eò maior, minórve sit valor illius iuris vitalitij. Alij verò docent eos redditus æstimandos esse ad rationem vnius pro octo ; nempe; quia suo tempore videbant ita frequentissimè æstimari redditus vitalitios. Has sententias sequuntur aliqui apud Sanchez *disput. illa* 31. *num.*2. *&* 3. atque hi posteriores idem omnino dicerent, si iam pretium census vitalitij lege esset constitutum ad rationem vnius pro decem, vt iam tandem factum est in Castella. Vnde Sanchez *supra num.*4. videns suo tempore Regiâ Pragmaticâ pretium fuisse taxatum ad rationem vnius pro septem, sic putat esse taxanda, seu computandam æstimationẽ valoris Maioratus. Et meritò reiicit Molinam, qui *disputat. illâ* 431. putat iniustum esse, & irrationabile æquale pretium statuere vitalitiis omnibus censibus æqualium reddituum, sed pro ætate & valetudine eius,in cuius vitam duraturus est census, & pro aliis circumstantiis concurrentibus taxandum esse.Idemque censet in taxando valore reddituum Maioratus ad vitam possidentis, vt intelligatur in nostro casu pro arris quanta sit decima.Hoc (inquam) rectè reiicit Sanchez, & probat rectè potuisse Principem constituere certum pretium pro censibus vitalitiis generale; neque enim certum, & determinatum cuilibet destinari poterat sigillatim relicto iudicio prudentis arbitrio pro ætate, & valetudine; id enim pateret innumeris litibus, & iniustitiis. Vnde, si quis emeret censum ad vitam nonagenarij,sibi imputet. Nam Princeps minimè cogit ad sic emendum. Quare poterit emere ad vitam iuuenis alicuius robusti.Neque in nostro casu pro arris computandis iniuriam inferet Princeps,si eodem pretio computentur annui reditus in Maioratu, siue vir sit senex, & debilis,siue iuuenis & robustus,nam in hoc casu non possunt computari ad vitam alterius, & Princeps, qui arrarum quantitatem (quarum donatio voluntaria est) taxare potuit : pari ratione potuit pretium statuere valori reddituum Maioratus ad vitam mariti, & quamuis id specificè non fecerit, consequenter fecit eo ipso, quod censuum vitalitiorum pretium taxauit? Nam (vt idem Sanchez probauerat, citato *numero tertio*) æstimatio reddituum illorum pro vitâ possessoris

Alij æstimãt ad rationem vnius pro octo.

Sed hoc idem est atque iuxta pretium quo census solent æstimari pro diuersis temporibus, & locis. Sanchez.

Molina non admittendus in hac re tùm pro censibas tùm pro Maioratu.

Ratio contra Molinam.

Maioratus est quasi emptio census vitalitij totidem aureorum.

416. *Applicatur doctrina ad sponsalitiã largitatem.* Sanchez. Meres.

Ex quo infert, si femina viro nubat, bonaque Maioratus tradat illi in dotem prout potest facere, & probat Meres *de Maiorat. 3. part. quæst. 9. num. 15.* æstimandos esse redditus Maioratus ad vitam vxoris modo explicato iuxta æstimationem Census vitalitij, vt octaua pars valoris ipsorum possit dari per sponsum sponsæ nomine Largitatis sponsalitiæ. Quæ doctrina mihi placet, & pro eâ refert Gutierrem, & Valascum.

Gutierrez. Valascus.

417. *Aliquid difficultatis in hoc vltimo.*

Fateor tamen in hoc vltimo nonnihil me scrupuli habere. Sanè vtcunque videtur, quòd redditus Vitalitij Maioratus vxoris non tantùm valent pro Marito, quantùm censentur valere vxori; nam comparatione vxoris fieri non potest; quin ad ipsam pertineant, per totã suam vitam, cum iure, & potestate transmittendi ad hæredes, quidquid ex eis non consumptum fuerit tempore mortis. Hoc tamen ius non habet maritus in eisdem bonis, nam, quod attinet ad redditus iam perceptos tempore mortis suæ, & adhuc remanentes non consumptos, non habet ius transmittendi ad hæredes, aut disponendi de illis; sed media pars illorum pertinet ad vxorem: ergo non tantum ei valent, quanti communiter æstimari solent redditus vitalitij, de quibus iam perceptis liberè potest disponere. Præterea (quod eodem recidit) vel fructus illi omnes percipiendi toto tempore durantis matrimonij pertinebunt ad ipsum solùm, vel erunt fructus communes ipsi, & vxori; si pertinent ad ipsum solum; ipse solus potest disponere de illis integrè tempore mortis, seruatis alioquin aliis legibus, quod nemo, puto, concedet. Si verò sunt communia bona sibi, & vxori; non poterit de omnibus disponere, ergo non tantum valet pro illo tale ius percipiendi eos fructus, quantum alioquin valeret census aliquis similis vitalitius. Sed quidquid sit de hoc, in quo video aliquid posse probabiliter responderi.

418. *Vrgetur per aliam viam difficultas.*

Illud mihi difficilius videtur, quod ius percipiendi redditus ex Maioratu vxoris, non est comparatione viri ius vitalitium; neque ad vitam ipsius viri, neque ad vitam ipsius vxoris; non ad vitam viri, quia, si vxor præmoriatur, cessat tale ius in viro; non ad vitam vxoris, quia etiamsi vxor superstes sit, non potest vir disponere de redditibus adhuc percipiendis tempore, quo adhuc vxor superuixerit; cùm tamen, si vir acciperet censum vitalitium designatâ aliquâ vitâ, quâ durante perciperet eos redditus, posset vir disponere in morte de iis redditibus futuris post ipsius mortem; quod non potest (vt dicebamus) de redditibus Maioratus vxoris superstitis. Vnde non videtur omnino certum tantundem valere redditus Maioratus vxoris; atque valet in communi æstimatione, aut taxâ legis Census aliquis vitalitius. Nihilominùs placet prædictorum sententia auctorum; quia neque Census vitalitius, quem tunc afferret vxor in dotem, plus valeret pro marito, quàm redditus vitalitij illius Maioratus, quod si ipsa attu esset censum vitalitium illius quantitatis, dos ipsius esset æstimanda tanti, quanti communiter æstimaretur, vel quanti per legis taxam æstimari deberet talis Census, ergo idem erit de Maioratu.

DVBITATIO XXXII.

An Antapochæ, quas vulgò vocant contrascripturas, *non petendi quantitatem sibi promissam causâ matrimonij contrahendi, noceant vxori, quoad arras, ita, vt quantitas illa fictè promissa computanda non sit inter bona sponsi ad æstimandam decimam bonorum ipsius?*

419. *Supponendã pro intelligentia præsentis quæstionis.* Sanchez.

SVpponendum cum Sanchez *lib. 6. disput. 32.* melioratione absque causâ factam filio, vel causa matrimonij incerti, & in genere contrahendi esse in Castellâ reuocabilem; nisi ex alio capite irreuocabilis fiat. Pro quâ doctrinâ refert expositores ad *l. 17. Tauri*, ex quâ constat non sufficere Maioratum, vel donationem fieri causâ dotis, vel matrimonij; vt sit irreuocabilis, sed, vt facta sit cum tertio, qui inde commodum reportet. Habetur hæc lex *l. 1. titul. 6. lib. 5. Recopil.* vbi dicitur. *Por causa onerosa con otro tercero*, quia, quando non initur pactum cum tertio, cuius interest, non est pactum illud pars contractus dotalis. Talis autem est, quando fit cum tertio, & cum cæteris aliis datis in dotem hoc ipsum confunditur, cùm ex omnibus resultet contractus dotalis. Legatur Sanchez loco citato.

420. *Explicatur amplius & colligitur doctrina.*

Itaque irreuocabilis erit donatio, seu melioratio, si filio matrimonium ineunte asserat pater eum esse melioratum, vt eâ ratione ei femina nubat, vel ampliorem dotem constituat. Nam illa assertio patris, in ea occasione vim habet promissionis, vt cum multis docet Sanch. supra numero 2. & addit cum aliis numer. 3. nec posse consentire filium vt aliqua noua conditio adiiciatur melioration, aut donationi, quia sicut reuocatio non licet, ita neque noua conditio permittitur *l. Perfecta* C. *de donat. quæ sub modo* l. *filius* C. *de Pactis.*

Infertur 1. ex dictis aliud pro praxi.

421. *Infertur 2.*

Item non poterit filius in cuius gratiam facta est promissio de non meliorando alios fratres, (sub quo pacto aliqua determinata ipsi nupsit) remittere hoc pactum in præiudicium vxoris, cui ius erat adquisitum.

422. *Infertur 3.* Sanchez.

Ex quo patet inutilem esse cautelam, quâ vtuntur parentes meliorantes filios ex causâ onerosâ, si subinde accipiunt Antapochas, seu contra-scripturas, de quibus sub eo nomine agitur *l. Plures* 15. C. *de fide Instrument.* Quibus pollicentur filij se melioratione minimè vsuros, quia id non potest fieri, vtpotè in vxoris, & filiorum præiudicium, & latè probat Sanchez *supra num. 5.*

423. *Limitatio seu exceptio prædictorũ.*

Valeret autem remissio illa in solius remittentis præiudicium; nam in re suâ quilibet est moderator & arbiter, nec vxor, aut filij conqueri possunt, quando non læduntur. Quapropter vxor non posset pati diminutionem in arris sibi promissis propter prædictam remissionem; esset enim in eius præiudicium.

Imò

Sanchez contra Angulo.

Imò rectè probat Sanchez *num.6.* contra Angulo asserentem non posse vxorem illi, remissioni contradicere, neque etiam filios, si non patiatur remissionem in actis, quod falsum est, quia vltra hoc alia damna incurrit vxor, scilicet immedietate lucrorum. Accedit, quòd diminutis facultatibus non ita opulentam & tranquillam vitam matrimonialem ducet. Soluto verò matrimonio, si non maneat soboles, poterit imò debet stare scripturæ, seu antapochæ à se præstitæ, imò etiamsi soboles maneat, dummodò ea remissio non lædat vltra quintum bonorum, de quo potest Pater liberè disponere iuxta Regni eiusdem leges. Omitto alia, quæ ibi affert Sanchez de donatione facta causâ Patrimonij ad Sacros ordines, vbi contendit Antapocham illud reddendi postquàm quis promotus fuerit, valere; quæ non sunt huius loci.

DVBITATIO XXXIII.

An in conscientia valeat promissio arrarum vltra decimam? & sponsalitia largitas vltra octauam?

424. *Duæ opiniones satis probabiles. Prima probabilior negat valere sed restituendum excessum. Ratio.*

DVæ sunt opiniones satis probabiles. Prima, quam probabiliorem existimo, docet excessum arrarum vltra decimam non valere in foro conscientiæ; sicut, nec sponsalitiæ largitatis excessus vltra octauam dotis, atque adeò restituendum esse ante iudicis sententiam, quia leges prohibentes, & annullantes, quidquid in contrarium gestum fuerit, in vtroque foro valent, & receptæ sunt, & vsus ita declarat.

425. *Secunda opposita probabilis est.*

Non est tamen improbabile oppositum; potest enim dici eam legem non esse ita receptam, vt obliget in conscientia, sed tantùm, vt detur actio in foro externo ad repetendum? imò sæpè sic vidimus fieri dictas meliorationes nec Confessarij inijciunt scrupulum: probabile ergo est, quòd vsus eo modo legem interpretetur, & docent Corduba in Summâ *q.*124. *Mexia de Taxâ panis concl.6.* Henriquez *lib.*11. *de matrim.cap.*20. *num.*4. Rodrig. *in summa* 2. *edit. c.*93. *num.*3. & alij apud Sanchez *lib.*6. *disput.*33. *n.*1. *in fine.* quamuis ipse sequatur primam sententiam cum aliquibus, quos retulerat eodem *n.*1. vbi concedit Auctoribus oppositæ sententiæ meliorationem causâ dotis factam non esse irritam in foro conscientiæ, nec restituendam à filia donec Iudicis sententia accedat, quia non est in hoc sensu vsu recepta *Lex* 1 *tit.*2. *lib.*5. *recopil.* vbi talis melioratio prohibetur; leges verò disponentes sponsalitiam largitatem, & arras esse vsu receptas in foro conscientiæ, vt sonant. Hoc tamen asserit quidem hic Auctor, sed nullo probat argumento; quod necessarium videbatur. Ideò neutra opinio satis suas partes confirmat, magis tamen inclino in hoc, quòd obliget in foro conscientiæ propter rationem supradictam legum annullantium actum in contrarium.

Corduba. Mexi. Henriq. Rodrig. Alij apud Sanchez docentem primam sententiam cum aliis.

Neutra sententia plene conuincit.

DVBITATIO XXXIV.

An donatio arrarum vltra decimam confirmetur iuramento, vel saltem obliget iuramentum?

426. *Prima sententia affirmat.*

PRima sententia putat confirmari. Probat 1. *ex l.*12. *tit.*1. *lib.*4. *Recopil.* vbi permittitur iuramentum apponi huic contractui, alioquin frustrà apponeretur; hoc tamen nihil probat, censetur enim promittere in quantitate iure permissâ. Probat 2. quia potest iuramentum seruari sine detrimento salutis, quod etiam falsum est, vt ex dicendis constabit. Hanc sententiam sequuntur multi apud Sanchez *disp.*34. *num.*1. *in fine* eamque putat Sanchez satis probabilem propter tertium & quartum argumentum. Probant ergo 3. quia contractus lege ciuili interdictus non ob publicam vtilitatem principaliter; sed potiùs principaliter ob priuatam, licèt minùs principaliter ob publicam iuramẽto firmatur. Quâ de re diximus *in nostro opere de Iustitia* agentes de contractibus in genere. Et legi possunt, quæ diximus *supra disp.*1. *dub.*26. promissio autem arrarum vltra decimam principaliter prohibetur ob priuatam vtilitatem. Verùm, neque satis hoc probat, respondeti enim potest etiam non firmari; quando ita principaliter ob bonum priuatum prohibetur, vt simul attendatur, ne fiat in præiudicium tertij, vt in hoc casu contingit, & ex dicendis constabit.

Probat 1. *Non placet ratio.* *Probat* 2. *Reijcitur.* *Multi eam sententiam sequuntur, apud Sanchez qui probabilem putat.* *Probant* 3. *Neque hæc ratio satis probat.*

427. *Probant* 4.

Quartò probant, quia eadem est prohibitionis ratio ne arræ decimam excedant, & nè fiat donatio inter coniuges, ne mutuo amore se spolient: sed donatio inter coniuges firmatur iuramento (quâ de re diximus *dubit.*11.) Ergo etiam donatio arrarum excedens decimam. Verùm neque hoc argumentum satis probat: nam donatio inter coniuges in multis casibus permissa est, & in solum donantis præiudicium cedit; arræ verò excedentes decimam in nullo casu permittuntur. Quod si excessus iuramento confirmaretur cederet in præiudicium tertij nempe consanguineorum, quibus conceditur ius ad excessum repetendum.

Neque hoc argumentũ conuincit.

428. *Opposita sententia magis placet.*

Placet ergo opposita secunda sententia, quæ probabilior multò est, eam verò probant aliqui ex eo quòd contractus non firmatur iuramento, quoties lex non tantùm prohibet contractum, sed simul prohibet eidem apponi iuramentum, decernitque contractum tunc esse nullum. Sed hoc contingit in nostro casu *l.*1. *tit.*2. *de las arras l.*3 *fori* quæ decernit promissionem arrarum vltra decimam non valere, licet iuretur. ibi: E *si mas le diere, o pleyto sobre ello fiziere, no vala.* ergo non firmatur iuramento. Hanc tamen rationem non approbat Sanchez *disput. illa num.*2. contra Matienzo asserentem posse legem ciuilem vim iuramenti, antequàm præstetur, eneruare. Quod omnino incertum putat Sanchez & contra ipsum Minchaca *de succ. creat. l.*3. §.28. *n.*30. & Barbosa *l.*1. *Part.*1. *n.*72. & 73. *ff. soluto matrimonio.* cum aliis docent non posse tollere vim iuramenti, & eius effe-

Probant aliqui. *Non placet Sanchezio hac ratio. Reiicit. Matienz. Sanchez cum Minchaca. Barbosa & aliis.*

effectum in foro Ecclesiastico, sed tantùm id posse in ciuili, in quo non dabitur actio; posse tamen eum, cui iuramentum præstitum est, recurrere ad forum Ecclesiasticum *iuxta c. fin. de foro compet. in 6.* vt cogat iudicem sæcularem obseruare iuramentum. Sed quidquid de hoc sit, illud certius apparet in prædicta l. Fori non fieri mentionem iuramenti, nam illa verba *o pleyto sobre ello fiziere.* non intelliguntur de iuramento, sed tantùm de pacto seu promissione.

Lex saltem allegata non loquitur de iuramento.

429. *Alia melior ratio pro sententiâ nostrâ.*

Aliter ergo probatur nostra sententia, omissis etiam aliis leuioribus argumentis; quia lex prohibens promitti arras vltra bonorum decimam, non tantùm est in fauorem ipsius promittentis arras, (sed vt supra indicabam) in fauorem consanguineorum eiusdem, quibus defertur ius repetendi hunc excessum. L. 1. *tit. 2. de las arras lib. 7 fori: si por ventura mas diere, los parientes mas propinquos del marido lo puedan demandar.* In præiudicium verò tertij non firmatur contractus iuramento *c. Quamuis pactum in fine de Pactis in 6.* ibi: *Nec redundet in alterius detrimentum.* & *c. cùm contingat ad finem de iure iur.* Pro quâ sententiâ plures refert Sanchez *num. 2.* nec hoc iuramentum indiget relaxatione; quia non obligat, cùm citra peccatum seruari non possit.

Sanchez cũ multis.

430. *Non est eadem ratio de sponsalitiâ largitate.*

De sponsalitiâ verò largitate excedente octauam dotis sponsæ partem; non est eadem ratio, vtpote non vergente in consanguineorum præiudicium, quibus non datur similis actio ad excessum repetendum.

431. *Probabilius est quod spõsalitia largitas iuramento confirmetur. Occurritur obiectioni quæ posset opponi.*

Ideo probabilius putat Sanchez eam iuramento confirmari: Neque obstat promissionem esse contra legem annullantem actum, perinde, atque promissio arrarum: nam iuxta dicta *suprà disp. 1. dub. illâ 26.* probabile est iuramentum confirmare, seu facere valere actum prohibitum lege ciuili, etiam cum Decreto irritante, quando actus ad summum tantùm est contra bonos mores ciuiles; non naturales; atque adeò, quando non est in præiudicium tertij, vt cõstat ex dicto *c. Quamuis pactum.* ibi: *Quamuis lex ciuilis improbet.* Pro quâ sententiâ refert Sanchez Gutierrez, & Spinum.

DVBITATIO XXXV.

An soluto matrimonio vxori, & eius hæredibus, vel potius viro, & eius hæredibus incumbat probare nõ fuisse, vel fuisse excessum arrarum vltra decimam?

432. *Hæc quæstio non extero-ri tantum sed foro conscientiæ deseruit. Sanchez.*

MEritò notat Sanchez infra citandus hanc quæstionem etiam foro conscientiæ deseruire; nam, si non incumbit feminæ probare, aut discutere, an arræ excedant decimam, nec ne? poterit tutâ conscientiâ totum retinere, dum sibi non constiterit, vel mariti hæredes non probauerint excedere. Secùs verò, si hoc onus ipsi incumbit; tenebitur enim discutere, ne dubiâ saltem fide absque debitâ præstitâ diligentiâ possibili retineat.

433. Quod ergo ad rem attinet, aliqui putant ad vxorem pertinere, quos refert Sanchez *disp. 36. num 2.* neque enim eas retinere poterit, nisi sit in quantitate permissâ: ergo vt licitè retineat debet explorare & probare.

Quidam putant ad vxorem pertinere. Ratio.

Alij distinguunt, & vxorem, eiusve hæredes petentes arras dum dicunt debere probare non excedere; virum verò vel hæredes viri contra vxorem, vel eius hæredes, si petant excessum, debere probare illum excessum. Ita Azeuedo, & Meres apud Sanchez *num. 3.* Quæ sententia mihi valdè probabilis apparet; nam qui actor est debet probare, in priori autem casu vxor, vel eius hæredes sunt actores; in posteriori autem vir, & eius hæredes.

434. *Alij distinguunt & vxori petenti & marito seu illius hæredibus, si hi petant, onus attribuunt. Azeuedo. Meres.*

Probabilis etiam est sententia, quam cum aliis docet Sanchez *num. 4.* in quam magis inclinat Couarruu. *2. variar. c. 6. num. 7.* (quamuis dixerit primam huic contrariam esse magis vsu receptam) docet ergo Sanchez nec vxorem, nec hæredes ipsius debere probare non excedere; sed maritus vel eius hæredes probare teneri, quod arræ excedant decimam. Nam vxor petit arras sibi simpliciter promissas, & aduersarius excipit, & obiicit non integrè deberi ob decimæ excessum. Fundamentum autem exceptionis hoc est, atque adeò tenetur illud probare. Legatur Sanchez loco citato, vbi aliam rationem affert à simili de hærede; cui negantí legatorum solutionem, quia totum testatoris patrimonium exhauriunt, ob idque contendenti falcidiam detrahendam incumbit onus probandi eam exceptionem L. *Cum de lege ff. de Probat.*

Probabilius est hæc sententia. Ratio.

435. *Probabilius quoque est sententia Sanchezij Couarruuij reiiciens onus in maritum seu illius hæredes probandi excessum. Alia Sanchezij ratio à simili.*

DVBITATIO XXXVI.

An arræ minuant legitimam ascendentibus, vel descendentibus debitam, vel solùm extrahẽdæ sint de remanẽte libero? & quid donatione remuneratoria & aliis minutis?

QVamuis præcipuè agamus de arris, simul tamen generaliter de donationibus remuneratoriis, & aliis remunerationibus agendum est.

436. *Alia simul cum arris explicanda circa hoc.*

Quæritur. 1. an donatio remuneratoria extrahenda sit de toto bonorum cumulo, perinde, atque æs alienum? vel de solâ parte, de quâ quis liberę poterit disponere, vt in Castella de Quinto respectu descendentium, vel de tertio respectu ascendentium?

437. *Quæsitũ. 1. de donatione remuneratoria.*

Prima sententia æquiparat æri alieno: probat ex *l. viuus 9. si quid in fraudem Patroni.* vbi habetur libertum bene meritis donare posse; non verò legare quo patroni legitimam portionem minuat; atqui portio patroni; & filiorum æquiparantur *L. fin. C. de inoffic. test.* ergo nec filiorum legitima obstat quo minùs possit donatione, remuneratoriâ minui hanc extrahendo ex toto cumulo. Verùm hoc argumentum nihil probat; nam vt rectè Couarruu. *c. Cùm in officiis n. 11. de Testam.* minori priuilegio prædicta est patroni portio, quàm filiorum legitima, & docet Iason. *l. eum, qui c. de in offic. testam.*

438. *Prima sententia æquiparat æri alieno. Probant. Non probat argumentũ. Couarr. Iason.*

Secundò probant ex *l. 30. Tauri*, quæ hodie est *lex 13. tit. 6. lib. 5. Recopil.* vbi enumerans, quæ

439. *Probant. 2.*

ex

ex Quinto extrahenda sunt, non obstante filiorum legitimâ, solùm refert donationes gratiosas, & funeris expensas; non videtur autem gratiosa donatio remuneratoria; sed veluti solutio debiti. Huic etiam argumento responderi potest ibi nomine donationis gratiosæ intelligi, quæ non debetur ex iustitiâ; nam licèt iuxta dicta *dub.6.* donatio remuneratoria non comprehendatur lege inualidante donationem inter coniuges, id non habet locum in hoc casu; quia licèt comparatione donationis omnino liberalis remuneratoria censeatur quasi ex debito; tamen comparatione eius, quod legitimè debetur descendentibus, aut ascendentibus, cēsetur gratiosa donatio; & ideò comprehensa in iis quæ saluâ legitimâ possunt donari absque obligatione iustitiæ. Auctores huius sententiæ refert Sanch. *disp.36. n.2.*

Eneruari potest hoc argumentū.

440. *Secunda sententia probabilior negat minuere legitimam. Probatur.*

Secunda sententia probabilior docet donationem remuneratoriam non debitam lege iustitiæ non minuere legitimas prædictorum, sed extrahendam esse ex eâ parte, de quâ potest donans liberè disponere. Probatur *ex l.30. Tauri* vbi expressè decernit filios, ac descendentes hęredes esse necessarios omnium bonorum præter quintam partem. Cùm ergo hæc sit causa præcisa, & necessaria non est præter gredienda propter remuneratoriam donationem, quę non debetur ex iustitia; sed voluntaria est. Ideò, dū lex illa loquitur de legatis, & donationibus gratiosis, intelligit, quæ non debentur ex iustitiâ. Accedit quod in eâdem lege statuitur funeris impensas ex eodem Quinto esse deducendas, cùm alioquin tam necessariæ sint, ergo à fortiori donationes remuneratoriæ, quæ sunt voluntariæ. Vnde *l.8. tit.4. Partitâ 5.* dicitur: *Si el padre quisiere fazer donacion, pueda la fazer assi en vida como en muerte, contal que finque alos fisos su legitima.* Hanc sententiam docet *n.4.* cum multis, quos refert.

Confirmatur à simili aut fortiori.

Sanchez cū multis.

441. *Colligitur cum Sanchez aliud in praxi seruandum in remuneratoriis ergà filios, quæ computanda est intra quintum & tertium. Idem intra quintum pro ascendentibus.*

Colligit autem *num.5.* Quod sicut *l.26. Tauri*, quæ est 10. *tit.6. lib.5. Recopil.* disponitur donationes parentum filiis computandas esse in tertiâ, & quintâ bonorum parte: ita etiam dicendum sit de donationibus remuneratoriis per parentes filiis, quando obsequia remunerata talia non sint, ob quæ parentes possint in iudicio conueniri; quia sunt verè spontaneæ, & liberales, & refert Couarruuiam. Gutier. & Salzed. Legatur Sanch. *num.6.* vbi contra aliquos probat ex eâdem doctrinâ non posse parentes in præiudicium legitimæ descendentium vltra quintam bonorum partem in opera pia expendere, quæ multò minus obligant, quàm donatio remuneratoria, nec verè causa pia, & Deo grata, si fiat cum tali præiudicio iuxta illud Augustini quod habetur *c. finali 17. q.4. Quicunque vult exhæredato filio hęredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat; non Augustinum; imò, Deo propitio, neminem inueniet.*

S. Augustī.

442. *Obiectio.*

Obiiciet tamen aliquis. Tutor potest solemnia munera parentibus, ac pupilli cognatis de ipsius pupilli bonis mittere, si attentâ consuetudine, & dignitate mittere debuit *l. Cùm plures 13. Paragrapho finali. ff. de Administrat. tut.* & docet ibi Bartol. aliique apud Sanchez *supra numer.2.* Ergo potiori ratione pater poterit de propriis bonis, licèt filiorum legitimam tangat.

443. *Responsio Sanchezij.*

Respondet Sanch. *n.7.* argumentum procedere, si pater non habeat, vnde possit obsequia sibi præstita remunerare; at cùm habeat Quintum bonorum, æquum non est, vt filiorum legitimas minuens se gratum exhibeat.

444. *Non videtur sufficiēs solutio.*

Hæc tamen solutio nondum videtur sufficiens. Nam, sicut absolutè non habens (vt concedit Sanchez) posset pater obsequia sibi præstita remunerare, etiam posset, si quamuis haberet aliquid, non haberet satis ad remunerandum. Nam (vt aiunt Philosophi) *sicut se habet simpliciter ad simpliciter*, ita magis ad magis, ergo saltem in tali casu posset.

445. *Alia melior responsio.*

Ideò respondeo non esse eandem rationem. Nam munera, quæ mittit tutor, non mittit nomine proprio ipsius tutoris, neque propter aliquam obligationem sibi propriam; sed propter obligationem pupilli ad cuius dignitatem spectat donationes illas remuneratorias consanguineis facere, nos autem loquimur in casu, quo pater remunerat obsequia sibi facta, non filio; quod si remuneraret obsequia facta filio, qui adhuc sit sub patriâ potestate, eâdem imò potiori ratione posset pater ex bonis pertinentibus ad filium remunerare. Qui casus est longè diuersus. Quando autem pater non posset remunerare sufficienter obsequia sibi præstita ex quinto bonorum, non videtur posse tangere legitimas filiorum ad remunerandum, maximè, cùm lex, & obligatio naturalis remunerationis non obliget (adhuc eâ non admodum strictâ obligatione) ad remuneranda obsequia, quando quis id commodè non potest, multoque minùs, quando absolutè non habet vnde; non censetur autem habere pater in eo casu; ideò sat erit, si verbis, & animo se gratum exhibeat, effectum reseruando ad tempus melioris fortunæ.

446. *Quæritur.2.*

Quæritur, 2. an eleemosynæ, & donationes, quæ minutatim solent à parentibus fieri, dum superstites sunt, computandæ sint in eâ bonorum parte, de quâ possunt liberè disponere?

447. *Varij dicendi modi circa hoc apud Sanchez. Approbatur sententia Molinæ & aliorum.*

Varios dicendi modos circa hanc rem affert Sanchez *à num.8. vsque ad 12.* inter quos placet ille mihi, quem affert ex Molina *tomo 2. disp.282. §. dubium est.* & ex aliis; scilicèt, donationes non immodicas factas pro modo substantię, & qualitate personæ, quibus circumstantiis perspectis, recta ratio postulat fieri; non esse computandas in quintâ, aut simili bonorum parte; sed pertinere ad ordinarios sumptus, & ad bonorum administrationem; sicque interpretatur praxis; cumque pater sit legitimus bonorum administrator, non est arcendus ab iis, quæ recta administratio postulat; secùs verò si eæ donationes, aut eleemosynæ limites prudentię, & rectæ administrationis excedant. Rectè autem addunt Molina, & Sanchez plus posse hoc modo donare parentes diuersis; atque decursu temporis, quàm simul. Quæ doctrina (vt docet idē Sāch. *n.11.*) etiā locū videtur habere in donationibus remuneratoriis modicis; solùm enim, quando magnæ sunt, non petit recta ratio, & administratio, quod fiant in præiudicium filiorum. Legatur Sanch. *n.12.* & 13.

Eiusdem Molinæ & Sanchezij additum; tū pro eleemosynis; tum pro remuneratoriis donationibus.

448. *Quæritur 3.* Quæritur 3. an arræ promissæ à marito habente filios prioris matrimonij sint extrahendæ ex toto bonorum cumulo, vel solùm ex eâ parte, de quâ potest liberè disponere comparatione ascendentium, & descendentium?

449. *Affirmans quorundam sententia. Ratio Non sufficit ea Ratio.* Affirmant aliqui apud Sanchez *numer.* 14. extrahendas esse ex toto cumulo, quia donatio arratum non est simplex, sed remuneratoria. Quod fundamentum non sufficit iuxta dicta in primo quæsito.

450. *Resoluitur ex sententia Molinæ Sánchezij, & aliorum. Ratio ex supradictis.* Ideo respondetur ex Molina *tomo* 1. *de iustitiâ Tract.* 2. *disputation.* 100. cum Sanchez *supra numer.* 15. & aliis apud ipsos extrahendas esse sine præiudicio legitimæ ascendentium vel descendentium ex eâ tantùm parte, de quâ potest vir liberè disponere. Fundamentum iam est datum in *quæsito.* 1. quia donatio arratum solùm est remuneratoria, & non debetur ex iustitiâ, sed ex liberali ac spontaneâ mariti promissione, qui nullo iure ad id constringitur. Donatio verò remuneratoria non debita ex iustitiâ, non est extrahenda ex toto cumulo iuxta dicta.

451. *Quid si non habeat filios, sed postea nascantur. Respondetur cum Sanchez & aliis contra Azeuedo. Probatur* 1. Tiraquell. *Alij. Probatur.* 2. An verò si non habeat filios, ij tamen postea nascantur, promissis iam arris, extrahendæ sint ex toto cumulo? asserendum est cum Sanchez *numer.* 16. & aliis extrahendas esse ex toto aceruo contra Azeuedo, qui tenet oppositum, & his non obstantibus posse patrem in vitâ vel in morte de integro quinto disponere; tum quia tempore promissionis non cogebatur de solo quinto promittere, nec postea natiuitas impedit; nam donatio remuneratoria, qualis ea est, non reuocatur natiuitate filiorum, vt ex Tiraquello, & aliis probat idem Sanchez; tum; quia nulla donatio reuocatur natiuitate filiorum, quoties verisimile est donantem cogitasse donationis tempore de filiis habendis, vt ex iuribus & Auctoribus probat idem Sanchez. De iis autem habendis cogitabat, quando iniens matrimonium promisit arras; ad id enim matrimonium contrahit: ergo non reuocatur natis liberis.

452. *Quid de sponsalitia largitate extrahenda ex ea solum parte libera dispositionis.* De sponsalitia vero largitate meritò cum aliis contra aliquos docet Sanchez extrahendam esse solum de eâ parte, de qua potest liberè disponere nempe de quinto, si filios ex priori matrimonio habet, vel de tertio, si solos ascendentes. Si autem filiis & ascendentibus careret tempore promissionis, extrahenda est de toto hæreditatis corpore; quia licèt hæc donatio sit voluntaria, tamen tempore promissionis donans de liberis habendis cogitauit.

453. *Notandum circa confirmationem iuramento in sponsalitia largitate. Sanchez. Spinus. Gutierr.* Tandem aduertendum est, quamuis alioquin promissio sponsalitiæ largitatis confirmaretur iuramento, etiamsi excederet octauam dotis vxoris partem, si tamen excedat quintum respectu legitimæ descendentium, aut tertium respectu ascendentium, non confirmari excessum iuramento, quia est in præiudicium tertij, cui legitima est debita. Ita Sanch. *n.* 18. cũ Spino, & Gutierrez.

DVBITATIO XXXVII.

An teneatur vir integrè arras soluere, si ei dos non soluatur, vel non integra?

454. *Assertio. Ratio.* Asserendum est non esse obligatum virum; quia magnas arras promisit, eo quòd magna sibi dos esset promissa; promissurus alioquin minores, si dos ipsi non soluenda esset. Vnde, si minor tantùm dos illi tradatur, vel (quod eodem recidit) in rerum dotalium æstimatione decipiatur, pro ratâ potest minuere arrarum quantitatem. Ita docent multi, quos refert Sanchez *libr.* 6. *disputation.* 37. *numer.* 1. quos tamen ipse licèt sequatur, non ex eodem fundamento. Imò addit *numer.* 2. etiamsi maritus tempore promissionis arrarum non meminerit dotis promissæ, aut fortè tunc nondum sibi promissa fuerit; sed posteà promittatur, posse adhuc si dos non soluatur, arras non soluere, vel, si non integra dos, seu plus æquo æstimata, etiam minuere arras ratâ dotis non integrè solutæ, vel pluris æstimatæ. Quæ doctrina mihi placet, eamque docet Molina *tomo* 2. *de iustitiâ disputation.* 431. *Paragrapho dubium est vtrum si dos* Valascus. Gamma, & alij apud Sanchez. Fundamentum est; quia non implenti implendum non est. *L. Quæro.* 65. ff. *locati. & frangenti fidem fides frangatur eidem. Regulâ frustra.* 75. *de Regulis iuris in* 6. & aliis iuribus apud Sanchez.

Multi apud Sanchez. Ipse ex diuerso fundamento probat & aliquid addit.

Approbatur ea doctrina quam alij. docent. Molina. Valascus. Gama. *Alij. Ratio petita ex legibus.* Sanchez.

Qui limitat rectè sententiam, nisi matrimonium initum fuerit de dote certo tempore soluenda, & ante id tempus matrimonium dissolutum sit; tunc enim non obstat dos non soluta, quo minùs arræ soluendæ sint à viro, vel ab ipsius hærede, & quidem integrè; quia habita fides de pretio pro ipsâ solutione habetur. L. *Quod vendidi* 19 ff. *de contrahend. empt.* item; quia mulier non est in culpâ, si non tradat dotem ante diem destinatum. Ita docet etiam Molina *suprà*, & alij apud Sanchez *n.* 2. *in fine.*

455. *Limitat id à sententiam rectè.*

Censentia Molina & alij.

Quod si vir aliquid dotis remittat, non ideò poterit arras minuere; nam, quod remittit, pro soluto habetur. Ita Sanchez *numer.* 3. Molina *suprà*, & alij.

456. *Quid si maritus remittat aliquid dotis? Habetur pro soluta.* Molina. Sanchez. *Alij.*

Obiiciet aliquis, arræ dantur in præmium pudicitiæ; quam vxor viro prostituit, & ob matrimonij honorem: ergo quamuis dos non soluatur, sufficient eæ causæ, vt arræ debeantur.

457. *Obiectio.*

Respondetur negando consequentiam. Nã quamuis subsistat causa donationis, non tenetur donans implere, si potest aliud opponere, & excipere, vt contingit in nostro casu; in quo potest compensatione vtens opponere quod dos sibi promissa, non fuisset soluta.

458. *Respõdetur.*

DVBITATIO XXXVIII.

An? & quando valeat constitutio arrarum facta per minorem?

459. Hac de re vt disputet Sanchez, duas longiusculas quæstiones præmittit: primam an,

an,& quando pupillus,vel minor habens curatorem, vel eo carens, obligetur naturaliter, & ciuiliter ex contractu, vel promissione? secundam; an, quando contrahit absque Tutoris, vel curatoris auctoritate, obligetur naturaliter? Quâ de re nos latè egimus *in nostro opere de Iustitia*,& in *Tract. de iuramento. disp.3.dub.*11.ideò his quæstionibus supersedeo. Et iuxta principia ibi tradita cum multis,circa nostram dubitationem breuiter.

Secunda.

Omittenda hoc loco sunt alibi à nobis tractata.

460. *Assertio* 1. Assero 1.minor non potest arrarum nomine promittere, aut donare bona immobilia, vel ea mobilia, quæ seruando seruari possunt, nisi accedat iudicis decretum. Ratio est; quia in donatione arrarum transfertur dominium, & bona alienantur;irrita est autem eorum bonorum alienatio absque Iudicis Decreto. *l. non solùm* 4.*de Præsidiis min.*& *l fin. C. si maior factus alienationem* in quibus legibus interdicitur alienatio absque iudicis decreto,& in terminis pro nostro casu docent Antonius Gomez *l.*52. *Tauri num.*14.& alij apud Sanchez *disp. illâ* 38.*n.*37.

Ratio.

Anton. Gomez. *Alij apud* Sanchez.

461. *Valet donatio si post quinque annos ratificetur.* Si tamen ea donatio absque Decreto Iudicis facta ratificetur trãsacto quinquennio postquã minor impleuerit viginti quinque annos, tunc fiet valida. *l. si quando C. si maior factus.* Ita Antonius Gomez *supra*, Sanchez *num.*38. cum Matienzo, & Azeuedo.

462. *Assertio* 2. *Ratio generalis ex iure Ciuili sic disponente. An obligetur in foro conscientiæ minorennis promittens aut donans arras absq; Curatoris auctoritate? Affirmat Sanchez cum multis. Probabile est nec in foro interno obligari.* Sanchez. *Cũ multis.* Assero 2.ad promissionem vel donationem arrarum, quamuis, si fiat ex bonis mobilibus,& quæ seruando seruari nequeunt, vt pecuniâ &c. non requiratur Decretum iudicis; quia ad alienationem tale decretum non requiritur; si tamen minor habeat Curatorem, eius auctoritas necessaria est. Ratio generalis est; quia de omnibus minoribus habentibus Curatorem id statutum est generaliter quidem. *l. si Curatorem C. de integr. restit.* in particulari verò pro nostro casu. *l.*2.& *l. mulier. C. de iure dotium.* Ita Suarius *lib.*3.*fori.tit.*2.*de las arras num.*66. & alij apud Sanchez *num* 39, & 40. Quod si absque Curatoris auctoritate de facto promittat, aut donet arras, obligabitur quidem (vt multi volunt) naturaliter, id est in foro conscientiæ; Quod docet, & latè probat Sanchez multis citatis *disp.*38.*num.*21.non tamen ciuiliter,id est in foro externo, quamuis etiam satis probabile sit, & in praxi tutum, neque in foro conscientiæ obligari, valdeque probabile putat idem Sanchez *num.*20. & satis ostendit multis etiam relatis.

463. *Assertio* 3. *Ratio.* Suarius. Anton. Gomez. Sanchez. *Alij. Quæ sit in hac re moderata quãtitas?* Ant. Gom. Matienzo. *Si non excedat decimã. Suar. verò, & Sanchez. Etiam non excedentem decimam putant esse posse immoderatam.* Assero 3. si minor moderatè dederit arras, non potest implorare restitutionis beneficium. Ratio est, quia fecit, quod quilibet Maior & prudens gessisset. *l. Non videtur. C. de integr. rest. l. cum plures* § *finali. ff. de administr. Tutor.* Ita Suar. & Antonius Gomez *supra* Sanch.*num.*41. & alij apud ipsum. Moderatam verò quantitatem explicat Antonius Gomez supra, & Matienzo apud Sanchez esse, quæ non excedit Decimam bonorum, hæc enim quantitas est lege præscripta.Suarius verò & Sanchez supra immoderatam esse posse existimant, etiamsi non excedat decimam,quando scilicèt attentâ vxoris & viri qualitate censeretur prudentis arbitrio nimia, atque adeò tunc minori competet restitutio.

Assero 4. quæ dicta hucusque sunt in artis, habent etiam locum propter easdem rationes, & fundamenta in sponsalitiâ largitate factâ à minori. 464. *Assertio* 4.

Prædicta habent locũ secluso iuramento. Si verò iuret valebit actus. Azeuedo. Sanchez.

Vlterius in vtrâque donatione arrarum & sponsalitiæ largitatis,quæ dicta sunt,locum habent; nisi minor contractum iuret;nam si iuret, valebit, etiamsi immobilia donet arrarum nomine absque Curatoris auctoritate, & Iudicis Decreto, vt cum Azeuedo docet Sanchez *n.*43. Loquor autem de minori, qui iam est pubes, cuius contractus onerosus, vel lucratiuus firmatur iuramento, de quo etiam egimus *in nostro opere de Iustitia*, & docet cum multis Sanchez *disp.*38.*num.*13. & iterum dicimus *in tract. de iuramento.* Sanchez. *Cũ multis.*

DVBITATIO XXXIX.

An filiusfamilias possit arras promittere inconsulto Patre?

465. *Supponendum* 1. SVppono primo filium impuberem non posse contrahere absque licentiâ Patris, imò, ne auctore quidem Patre, vt habetur §. *Pupillus* Instit.*de inutil. stipul.*ibi: *Sed, qui in potestate parentis est impubes, ne auctore quidẽ Patre obligatur.* Quod etiam verum est circa bona Castrensia,vel quasi,vt docet Molina *tomo* 1.*de iustitiâ disp.*130. & *tomo* 2.*disp.*261.Intelligitur autem hæc doctrina de obligatione ciuili,nam, si loquamur de obligatione naturali in foro conscientiæ, ptobabilissimum est obligari omnem impuberem, si proximus sit pubertati, vt probat Sanchez *lib.* 6. *disp.*38.*num.*21.In quod magis inclinauimus *dub. præcedenti assert.*2. Molina.

466. *Supponendum* 2. Suppono secundo filiumfamilias puberem, nisi in mutuo, & in voto, posse inconsulto Patre contrahere, & obligari naturaliter, & ciuiliter ex omni contractu absque licentiâ Patris inito, non secùs,ac si esset Paterfamilias *l. tam ex contractibus quam ex delictis* 57.*ff. de Iudiciis*, ibi. *Tàm ex contractibus quã ex delictis in filiumfamilias competit actio* & §.*inutilis instit. de inutil. stipul.* ibi: *seruus non solùm domino suo, sed nec vlli alij obligari potest: filij verò familias alijs obligari possunt.* Clarissimè autem habetur *l. filiusfamilias ex omnibus* 38.*ff. de act. & oblig.*ibi: *Filiusfamilias ex omnibus causis, tanquàm paterfamilias,obligatur, & ob id agi cum eo tanquàm cum patrefamilias*, potest.Legatur Sanchez *disp.*39.*num.*1.& 2.vbi reddit rationem cur possit pater irritare vota saltem realia filij minoris viginti quinque annis & cur impubes auctore Tutore obligetur ciuiliter, & naturaliter, non autem Auctore Patre. Quod non est huius loci. Sanchez.

467. *Cur in voto, aut mutuo non obligetur minor, etiam pubes absq; consensu Patris?* Sanchez. *Alij. Limitatio doctrina in voto.* Circa id verò,quod dixi de mutuo, & voto, non scilicèt obligari etiam puberem absque consensu patris,breuiter dico cum Sanchez supra 3.& aliis de mutuo constare ex toto titulo ff. *Ad S. C. Macedonianum.* Legatur idem Sanchez *eodem lib.*6.*disp.*38.*num.*29. De voto verò intelligendum est cum limitatione, non quod filius obligari non possit voto; sed quòd possit votum à patre itritari & reuocari. Votum quidem personale,si sit ante pubertatem emissum,reale verò iuxta multorum sententiam, si sit emissum vsque ad vigesimum quintum annum,vel etiam

vltra

vltra illum annum, vt docet Sanch.cum aliis citatâ *disp* 39. *num.*10. vbi putat in quâcunque ætate posse irritari à patre votum factum à filiofamilias.

468. *Supponendum* 3. Suppono. 3. quòd, quamuis extraneus aliquis proprietarius dominus possit vendere proprietatem inuito vsufructuario *l.* 2. ff. *de vsufruct.* filius tamen familias proprietarius nullo modo potest vendere, alienare, aut obligare proprietatem aduentitiorum, in quibus pater habet vsumfructum, inuito patre, propter paternam reuerentiam, atque adeò nequit de his contractum celebrare, vt expresè habetur *l. finali. §. filius autem C. de bonis, quæ lib.* vt docet Molina *tomo* 1. *de iustitia Tractat.* 2. *disp.* 228. & melius *tomo* 2. *disput.* 261. Sanch.cum aliis *disp. illâ* 39. *num.* 7.

Molina.

469. *An ius cõmune ciuile sit in Castella correctũ?* Non est autem facile; an ius hoc commune correctum sit in Castellâ, quoad tertium bonorum aduentitiorum, possitque filiusfamilias absque patris licentiâ contractum facere, iudâque quoad proprietatem alienare saluo patris vsufructu, quamdiu iure sibi competit. Quâ de re legendus est Sanchez citatâ *disp.* 39. *num.* 8. & 9 vbi duas refert sententias, primam affirmantem esse correctum ius commune in Castellâ, secundam negantem, quam ipse sequitur, mihique videtur probabilior; nam *lex Tauri.* 5. solum concessit via Testamenti disponere ibi: *El hijo, ohija que està en poder de su padre pueda hazer testamento, como si estuuiera fuera de su poder.* De potestate autem contrahendi nihil dicit. Vnum tamen aduerto, quod cum hic Auctor (sicut & multi alij) putet ius commune ciuile obligare in Castellâ, vbi nihil in contrarium statutum fuerit iure proprio Regni; eo ipso putat standum esse iuri communi in nostro casu, quo ius non permittit, vt vidimus, filium disponere de tali proprietate sine licentiâ Patris. An verò hoc fundamentum verum sit, suo loco disputabimus. Iam verò ad nostrum negotium veniamus.

Sanchez refert circa hoc duas sententias. Prima affirmat correctum. Secunda negat probabilius. Sanchez.

470. *Assertio.* 1. Assero. 1. licitè, & validè posse filiumfamilias inconsulto patre arras promittere; quia potest quemcunque contractum inire iuxta dicta, quas si promittat de bonis præsentibus, & futuris, decima bonorum, quam solum (vt vidimus) potest promittere, computanda est attentâ quantitate bonorum, quæ possederit tempore, quod vxor elegerit, vt sibi arræ assignentur iuxta dicta *dub.* 29. Quod si solùm de bonis præsentibus, aut absolutè de bonis suis promittat (quod idem est; atque de præsentibus iuxta ibidem dicta) computanda erit decima iuxta quãtitatem eorum, quæ tunc possidet ipse filiusfamilias. Computatio autem fieri debet attentis bonis aduentitiis, quæ tunc habet, non tamen integrè, si arras promittat ante benedictiones Ecclesiæ acceptas; tunc enim computandus est valor aduẽtitiorum, seu iuris, quod ad ea habet, spectato eo onere, quod pater debeat esse vsufructuarius, nec filius possit ea bona alienare; nã iuxta dicta *dub.* 29. *assert.* 6. computum bonorũ ad extrahendam decimam fieri debet deducẽdo æs alienum, onera, & tributa. Quod si arras promittat inito matrimonio, & obtentis Ecclesiæ benedictionibus integrè computandus esset valor bonorum aduentitiorum, quæ iam plenè sunt sua, quoad proprietatem, & vsumfructũ; nam tunc filius sui iuris in Castellę Regno efficitur, nec deinceps pater vsumfructum habet *l.* 47. & 48. *Tauri*, quæ iã est *lex* 8. & 9. *tit.* 1. *lib.* 5. *Recopil.* Ita Sanch. *sup. n.* 11. qui addit modicę consideationis esse, etiãsi arras promittat ante initũ matrimonium ad valorem aduentitiorum minuendum, nam vsusfructus, quem pater in illis habet, citò extinguendus est, paulò pòst inito matrimonio, & benedictionibus acceptis. Quod omnino verum est. Sed; quia fieri potest, vt diutiùs differantur benedictiones, vel etiam matrimonium consummatum ante ipsas dissoluatur filij morte, meritò habenda ratio est prædicti oneris in bonis præsentibus.

Limitatio sub distinctione.

Sanchez.

Cautela.

471. *Assertio.* 2. Assero. 2. pari ratione potest filius promittere sponsalitiam largitatem propter eandẽ rationẽ; potest enim contrahere, & obligari ex cõtractu, vt dictum est, etiam inconsulto patre, & absque illius licentiâ. Ad hanc verò largitatem non habenda ratio est, bonorum, quæ habet; sed dotis vxoris, iuxta cuius quãtitatẽ sponsalitia largitas esse potest in octaua parte, vt vidimus *dub.* 24.

DVBITATIO XL.

An mulier non transiens ad secundas nuptias possit superstitibus filiis, vel ascendentibus soluto matrimonio liberè disponere de arris?

472. *Ansa & occasio disputandi de hoc.* ANsam huic dubitationi præbuit *lex* 1. *tit.* 2. *de arris lib.* 3. *fori*, vbi inter alia deciditur, quod vxore defunctâ absque descendentibus, nec disponente de arris, succedant in illis maritus, ac eius hæredes, quod iam correctum est *l.* 51. *Tauri*, quæ hodie est *lex* 3. *tit.* 2. *lib.* 5. *Recopil.* vbi dicitur arras pertinere ad hæredes mulieris, non ad virum, ibi: *si no dispone expressa mente de las arras, que las aya el heredero, o herederos de ella, y no el marido, ora el marido haga testamento, ono.* Vlteriùs tamen in ea lege fori disponitur, quòd mulier habens filios possit disponere de quartâ parte arrarum reseruatis aliis tribus pro filiis. Deinde, quod si vxor liberis careat, possit tẽpore vitę, vel mortis ad libitũ de arris disponere. Quibus suppositis.

473. *Dubitatur* 1. Dubitari potest primò, an, si mulier habeat descendentes, & secundò non nupsit, possit de arris disponere, sicut de reliquis bonis, & meliorare in tertiâ & quintâ parte quemlibet descendentem, quintamque partem, cuicumque extraneo legare iuxta leges Castellæ?

474. *Respõdetur.* Respondetur posse id totum, imò in melioratione generali bonorum factâ alicui descendenti comprehendi etiam meliorationem in arris. Atque vno verbo nullum esse discrimen in Castellâ quoad hanc dispositionem inter arras, & cætera bona. Ita Molina Theologus *tr.* 2. *disp.* 431. *§. de arris, quas mulier.* & Molina *iurista* 2. *de primogeniis c.* 10. *num.* 64. Sanchez *lib.* 6. *disp.* 40. *num.* 40. & alij apud citatos. Fundamentum præcipuum est, quia *l.* 17. & 18. *Tauri.* quæ sunt *prima & secunda tit.* 6. *lib.* 5. *Recopil.* absolutè conceditur parentibus posse meliorare, quemcunque ex descendentibus in tertio, & quinto bonorum, & *l.* 30. *Tauri*, quæ est 13. *eodem tit. Recopil.* conce-

Molina Theolog.
Molina Iurista.
Sanchez.
Alij.
Fundamentum ex legibus.

conceditur parentibus posse cuicumque legare quintum bonorum, sed in bonis & patrimonio vxoris verè & propriè computantur arræ: ergo id totum potest de illis, quod de cæteris bonis. Accedit, quòd *l.52. Tauri* quæ hodie est *lex 4. tit. 2. lib. 5. Recopil.* conceditur mulieri posse eligere vel arras, vel sponsalitiam largitatem, atqui de hac potest, sicut de cæteris bonis disponere, ergo etiam de illis.

475. *Dubitatur 2.* Dubitari potest 2. an, quando descendentibus caret, possit in ascendentium præiudicium disponere ad libitum de arris?

476. *Respõdetur. Probatur ex legibus.* Respondeo non posse, nisi tantùm de tertio iuxta leges Castellæ; nam *l.6. Tauri*, quæ est lex 1. *tit. 8. lib. 5. Recopil.* habetur: *Los ascendientes sucedan alos descendientes a ellos, en todos sus bienes de qualquier calidad que sean &c. pero en la tercera parte de sus bienes puedan disponer.* Vbi expendẽda sunt illa verba *en todos sus bienes de qualquiera calidad.* quæ verba satis clarè comprehendunt arras, cùm sint (vt dicebamus) bona propria & patrimonium vxoris. Et in illâ lege æquiparantur in reliquis præter tertium, aut quintum successio ascendẽtium & successio descendentium: Ergo, sicut nõ potest descendentibus præiudicare in totis arris præter quintum: ita neque ascendentibus præter tertium. Legatur Sanch. *n. 6.* & 8. vbi aliquibus argumentis in contrarium respondet quæ facilia sunt.

DVBITATIO XLI.

An mulier secundò nubens superstitibus filiis prioris matrimonij teneatur illis integras arras seruare, & nullum meliorare? vel possit disponere de arris, sicut de aliis bonis?

477. *Bona accepta à marito seruanda filiis prioris matrimonij, si transeat vxor ad secundas nuptias. Constat ex iure Cæsareo, & Castellæ.* IVre communi, & iure etiam Castellæ tenetur vxor, quod accepit à marito, siue donatione inter viuos, siue vltimâ voluntate transiens ad secundas nuptias integrè reseruare filiis prioris matrimonij *L. fœmina 3. C. de secund. nupt.* & in Castellâ *l.26 tit.13. Part.5.* imò cum primum trãsit ad secundas nuptias, amittit dominium prædictorum, transferturque in filios retento sibi solo vsufructu, vt eadem l. *fœmina* habetur ibi: *Possidendi tantùm, atque fruendi in diem vitæ* & Authentica *ex testamento* C. eodem titulo ibi: *Eorum solùm vsumfructum percipiat.* Et Authent. *In donatione* C. *eodem titulo* ibi: *Deserit eam proprietas taliaq; bona æqualiter in filios diuiduntur*, nec est locus meliorationi. Authent. *lucrum* C. *eodem titulo* ibi: *lucrum hoc æqualiter inter liberos lege distribuitur, non arbitrio parentis permittitur.* Omitto alia, quæ latè & optimè docet & expendit Anton. Gomez *lib.15. Tauri num.3.* & ex illo Sanch. *lib.6. disp.41.* Qui cum aliis aduertit rectè; hæc omnia intelligenda esse ex iis, quæ ex priori matrimonio habet mulier titulo lucratiuo, nã, quæ titulo oneroso, sunt omnino sua, nec tenetur seruare filiis prioris matrimonij; nam in prædicta L. *fœmina* dicitur donationibus factis, vel cuiuslibet munificæ liberalitatis præmium. Similiter in Authent. *Hoc lucrum* appellatur *Lucrum.* Legatur Sanchez *suprà*, & Molina *disp.431. §. contrarium* & §. *Dubium* vbi ostendit has leges non esse correctas iure Canonico, quòd solùm sustulit leges principaliter editas in odium secundarum nuptiarum; quales non sunt hæ, quæ tantùm editæ sunt in fauorem filiorum prioris matrimonij.

Anton. Gomez. Sanchez. Qui distinguit inter bona titulo lucratiuo, & qua habet titulo oneroso. *Sanchez. Molina.* *Non sunt prædictæ leges correctæ iure Canonico.*

478. *Assertio.* Iam verò his præmissis asserendum est cum magis communi sententia debere seruare eas arras filiis prioris matrimonij inter illos æqualiter diuidendas, nec posse aliquem meliorare, aut ex eis maioratum instituere. Ratio est, quia donatio arrarum est voluntaria, & ex titulo lucratiuo, non ex titulo oneroso. Ita Sanchez cum multis à se relatis *disp. illa 41. numer.3.* & habetur pro Castellâ *l.26. tit.13. Partit.5. ibi: las arras, e las donationes que el marido finado le uuiere dado en saluo fincam à sus hiios del primer marido.*

Ratio. Sanchez cũ multis. Probatur pro Castella ex legibus.

479. *Eadem doctrina locũ habet in sponsalitiâ largitate. Ratio eadẽ. Sanchez cum aliis. Molina qui negat de arris quod probabile est. Sanchez in hoc legẽdus.* Idem à fortiori dicendum est de sponsalitia largitate à priore viro accepta, quia est donata titulo gratioso. Ita Sanch. *supra num.4.* cum aliis inter quos Molina *disputat.431. §. contrarium.* Vbi tamen oppositum docet de arris, & meritò Sãchez putat satis esse probabile hoc de arris quamuis argumenta illius ex dato fundamento facilè solui possint. Legatur Sanch. in fine illius *disp.41.* Atque hæc sufficiant circa donationes inter virum & vxorem. Nunc ad celeberrimam disputationem de impedimentis transeamus.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Impedimentis matrimonij.

1. *Quædam omnibus impedimẽtis communia prius explicanda. Duplex genus impedimenti quædam prohibent; quædã etiam irritant.* QVædam sunt omnibus impedimentis communia, de quibus primò disputandum est, vt posteà ad impedimenta in particulari descendamus, quæ (vt videbimus) sunt in duplici differentiâ, nempe aliqua tantùm impediunt, ne matrimonium licitè fiat absque interuẽtu legitimæ dispensationis, aliqua verò dicuntur impedimẽta dirimẽtia, quia illis subsistentibus matrimonium attentatum est nullum, vt in dicendis declarabitur.

DVBITATIO I.

An? & in quo sit potestas statuendi & inducendi impedimenta matrimonij?

2. *Est potestas humana inducendi impedimenta matrimonij saltem tantum impedientia.* CIrca primam partem an sit humana potestas inducendi impedimenta? Primò supponendum est id, in quo Catholici conueniunt, & non pauci etiam Hæretici esse potestatẽ humanã ad inducenda impedimenta tantùm impedientia; id est ad prohibendũ contractũ matrimonij in casibus & circũstantiis, quibus censeatur expediens prohiberi, non minùs, quàm

ad

ad prohibendum alios contractus & administrationem, susceptionemue aliorum Sacramentorum. Hoc supposito.

3. *An sit potestas humana ad statuenda impedimenta dirimentia, & alia impedientia tantum?*

Quærimus præcipuè, an sit potestas humana statuendi impedimenta dirimentia, seu irritantia matrimonium contrahendum? & simul etiam alia impedimenta?

4. *Hæretici quidam negantes. Probatur 1. Probatur 2. in matrimonio fidelium.*

Non defuerunt Hæretici, qui putarent nullam esse talem potestatem. Probari potest 1. quia contractus matrimonij est de iure naturæ: ergo non potest humanâ potestate irritari. Secundò specialiter in matrimonio fidelium; quod est Sacramentum; nulla enim potestas humana potest mutare Sacramentorum essentias: ergo nec potest statuere impedimenta invalidantia matrimonium. Hâc enim ratione faceret, vt, quod ante impedimentum erat Sacramentum, desinat esse tale solâ impedimenti appositione. Ob has, aut similes rationes non solùm Hæretici, sed & Catholici aliqui antequàm res esset à Concilio Tridentino complanata putarunt non posse Ecclesiam inducere matrimonij clandestini impedimentum: ita vt quadraginta Episcopi ex iis, qui ad Synodum Tridentinam conuenerunt, multique alij DD. ibi in eâ fuerint sententia; teste Diana 8. *parte Tract. 1. resolut. 59.* & Ruardus Tapper. *art. 20.* rem fere indecisam reliquerit, imò addidit, si Ecclesia irritet, falsæ inniti præsumptioni fraudis, eâq; fraude cessante valere matrimonium. Sotus etiam refertur à Sanchez *lib. 3. disp. 4. nu. 1.* vbi testatur Sotum ibi indecisum reliquisse iudicioque Ecclesiæ definiendum hoc negotium, quod verissimè retulit Sanchez, licèt Diana *suprà* dicat nihil tale inuenisse in Soto loco à Sanchez indicato, nempe *in 4. dist. 28. q. 1. art. 1.* Sic enim ibi habet. *Vtrum verò Ecclesia possit facere, vt consensus absque testibus nullius habeatur momenti, &c. ad iudicium ipsius Ecclesiæ referendum est, &c.* Quod potuit tutâ conscientiâ dicere Sotus, si fortè quando ea scribebat nondum à Tridentino res erat concluſa, imò fortasse neque in quæstionem vocata; sed posteà ab eodem Tridentino (cui Sotus interfuit) fuit clarè constituta. In alio verò loco, in quo Diana ait Sotum potius dicere contrarium, nempe *in ipso 4. dist. 34. q. 1. art. 1.* nullo modo dicit contrarium, imò supponit valere, quia quamuis vir & Catholicissimus & Doctissimus admittat potestatem Ecclesiæ inducendi impedimenta, simul tamen cùm (vt dicebam) nondùm fuisset res de clandestino matrimonio fortasse definita, expressè concedit valere, & contrahere *clam* esse impedimentum non obstans valori, ideò in §. *secunda conclusio* propè finem sic ait: *Qui clàm contrahunt, peccant quidem; sed factum tenet.* vtcumque tamen sit de huius auctoris & cuiuscunque alterius mente.

Quidã etiã Catholici ante Tridentinum negabant posse Ecclesiam inducere impedimentum dirimens Clãdestinum. Quadraginta ex Episcopis qui venerunt ad Tridentinum. Multiq; alij DD Diana teste Ruardus indecisam fere rem reliquit imò falsam addidit. Mens Soti lubrica aut hærens sed iudicio Ecclesiæ commisit. Verba Soti. Quando id potuit tuta conscientia sic loqui Sotus. Aliud Soti locus in quo quidquid neget Diana perstat Sotus.

5. *Assertio. Tridentinũ rem confecit. Consonat praxi & vsus Ecclesiæ. Est rationi valde conforme.*

Asserendum est primò tanquam fide certum, esse ad id humanam potestatem. Constat ex Tridentino *sess 24. Canone 3. & 4.* & ex praxi vsuque Ecclesiæ: estque valdè conforme rationi, quia cùm matrimonium non solum sit Sacramentum, sed contractus quidam humanus, meritò humanæ potestati, vt, quando expediat, irritetur, subiici debet; non minùs, quàm cæteri contractus. Nec ex eo quòd Christus hunc contractum eleuauerit ad dignitatem Sacramenti, inferre licet, non posse humana potestate irritari; Christus enim ipsum contractum, qui aliàs valeret, voluit esse inter fideles Sacramentum, in nullo mutatâ naturâ contractus; irritatio autem tantùm tendit, vt contractus in tali occasione, aut circumstantiis non sit validus, qui alias esset validus. Sacramentum verò à Christo institutum supponit tanquàm materiam totalem contractum validum. Quod si validus non sit, non erit, nec existet res illa, quam Christus eleuauit ad dignitatem Sacramenti; hoc autem non est materiam Sacramẽti, aut eius essentiam pro materiali mutare; nam materia, seu materialis essentia nõ est cõtractus nullus; sed contractus validus, ita, vt etiam post statutum impedimentum dirimens quicunque fuerit contractus validus, sit totalis materia Sacramenti; qui verò non est validus non sit Sacramenti materia. Tunc autem mutaretur materia Sacramẽti potestate humanâ, si fieret, quòd contractus inualidus esset Sacramenti materia; vel quòd validus fidelium contractus Sacramenti materia non esset, quod nullâ humanâ potestate fieri potest. Ex quo solutum manet secundum argumentum in contrarium. Legatur Sanchez loco citato & citando. Diana *suprà*. Perez *disp. 21 sect. 1. n. 2. & seqq.*

Occurritur obiectioni petita ex ratione Sacramenti, & soluitur secundum argumentum in contrarium.

Sanchez. Diana. Perez.

6. *Ad primum argumentũ.*

Ad primum respondetur esse quidem matrimonium contractum quemdam de iure naturali, quatenùs ex naturâ rei in quolibet potente generare est ius, & facultas contrahendi matrimonium, si aliud non obstet; non tamen ita cẽsetur esse de iure naturali, vt ex naturâ rei non possit in aliquo euentu non esse validus. Censetur etiam esse de iure naturali; quatenùs hoc ius concedit, inclinat, aut permittit, vt fiat, non verò obligat, aut necessitatem inducit ad hoc. Vnde non mirùm, quòd tanquàm res iure naturæ non ex necessitate semper, & pro omnibus obligans possit habere impedimenta, quibus positis non validè fiat. Hæc potestas semper intelligi debet ex causâ prudenter iudicatâ insufficiente (qualem adesse semper atque Ponti fex aut Concilium Generale ponit impedimẽta credendum est) si tamen fingamus non esse causam sufficientem, Sanchez *lib. 8. disp. 1. num. 6.* cum Ostiensi, Henrico, Ledesma & aliis docet non valere impedimentum sed contractum esse validum contra Veracrucium & Vegam. Ratio est quia cùm sit alioqui iuris naturæ non potest pro libito impediri matrimonium & eiusmodi contrahendi ius tolli. Legatur Diana 8. *parte Tract. 1. Resol. 61.* vbi idem docet & refert in fine Tannerum *tomo 4. disp. 8. q. 4. dub. 1. num. 11.* & rectè docet Papam in iis, quæ sunt de iure merè humano posse (quamuis illicitè) sine causâ validè disponere; non verò in iis, quæ sunt iure naturæ concessa. Sed de hâc potestate alibi agemus, si Deo placeat. Atque hoc sufficit pro primâ parte.

Quid si impedimentum poneretur sine iusta causâ? Negant multi valere Sanchez. Ostiensis. Henriq. Ledesma. Alij. Contra alios Veracruc. Vegam. Ratio. Diana. Referens Tanner.

7. *Secunda pars de ijs in quibus est potestas inducendi impedimenta.*

Iam verò difficultas est, in quibus sit ea potestas statuendi impedimenta matrimonij? Hæc est secunda & difficilior pars huius dubitationis.

8. *Assertio.*

Assero primo præcisè ex naturâ rei omnes impedimenta inducere possunt; qui habent potestatem

D.Thom. Communis Theologorū sententia. Bellarm. Henriq. Coninc. Sanchez. Valentia. Bonacina. Alij. Layman. Perez. Ratio.

potestatem ferendi leges. Ita D. Thomas *in* 4. *distinct.* 34. *art.* 1. *ad* 4. estque ferè communis Theologorum, vt ostendit Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de matrim. c.* 32. *ad finem.* Henriq. *libr.* 12. *c.* 1. *n.* 4. Coninc *disp.* 30. *n.* 5. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 3. *n.* 2. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *puncto* 1. Bonac. *q.* 3. *puncto* 1. *n.* 5. & alij apud citatos, & alij apud Layman *lib.* 5. *tra.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 1. Perez *disp. illâ* 21. *sect.* 5. Ratio est; quia matrimonium est humanus contractus, & ciuilis, sicut alij, & in naturæ officium ad propagationem communitatis institutus. Ideò perinde, atque alij contractus, subiacet dispositioni magistratus quatenus necessarium, & expediens iudicatur ad bonum Reipublicæ, vt aliquæ personæ contrahere inter se prohibeantur. Sicut ergo magistratus prædicti ex iustâ causâ possunt aliquos puta prodigos, & pupillos) reddere inhabiles ad quosdam contractus, ita etiam ad hunc, cuius eadem est ratio.

9. *Assertio.* 2.

Assero. 2. hanc potestatem statuendi impedimenta matrimonij meritò interdixit, imò sustulit, Ecclesia Principibus Christianis erga fideles, & sibi tantùm reseruauit, ita vt neque valeat impedimentum ab illis appositum, vt rectè cum aliis multis, & grauissimis resoluit Diana 5. *par. resolut.* 15. *ad finem* & 7. *par. tractat.* 1. *à* 23. *Resolut.* vsque *ad* 28. contra Rabardęum contendentem posse Principes validè condere leges irritantes matrimonium filiorum sine consensu Parentum. Vide, quæ postea dicam *n.* 16. & 17. vbi ampliùs res firmatur. Nobiscum sentit expressè inter alios Bellarminus, Henriquez, Sanchez, Coninc, *suprà*. Layman *n.* 2. Bonacina *n.* 6. Perez & alij apud ipsos scilicet, propter dignitatem Sacramenti; par enim est, vt res tam sacræ, quales sunt, quæ pertinent ad Sacramenta, soli Ecclesiastico iudicio, & potestati subiiciantur, videturque illis auctoribus colligi ex *c. tuam* 3. *de ordine cognitionis* & *c.* 1. *de consang.* & *affinit.* sed de hoc iterum *assert.* 4. videbimus an & quatenus verum sit.

Diana cum multis. *Contra Rabardum.* Bellarm. Henriq. Sanchez. Coninc. Layman. Bonacina. Perez. Alij.

10. *Assertio.* 3.

Assero. 3. possunt Principes sæculares, tam fideles, quàm infideles, leges validè, & licitè ferre, quibus subditorum infidelium impedimenta statuant tam dirimentia, quàm tantùm impedientia. Ita D. Thomas *in* 4. *distinct.* 39. *q. vnicâ artic.* 2. & 3. Durandus ibidem *q.* 1. *numer.* 10. Nauarrus *c.* 22. Rodriquez *tomo* 1. Summæ *c.* 130. *concluſ.* 1. Henriquez *supra n.* 5. Sanch. *supra n.* 5. Coninc *n.* 7. Layman *sup. num.* 2. Bonacina, Valentia Perez suprà & alij citati, & apud ipsos. Ratio est, tum quia tale matrimonium non est Sacramentum, tum infideles Ecclesiasticis institutionibus non arctanctur *c. Gaudemus* de diuortiis, nec Ecclesia aliquid statuit circa infidelium matrimonia, neque hanc potestatem superioribus fidelibus comparatione subditorum non baptizatorum prohibuit, aut sustulit.

D. Thom. Durand. Nauarr. Rodriq. Henriq. Sanchez. Coninc. Layman. Bonacina. Valentia. Perez. *Alij.* *Ratio.*

11. *Quæsitum aliquorum an fideles comprehendantur in hac re legibus Principum infidelium.*

Quærunt aliqui, an fideles subiecti in temporalibus Principibus infidelibus non baptizatis teneantur eorum legibus ciuilibus, quod attinet ad impedimenta dirimentia?

12.

Affirmat Sanchez supra *num.* 7. & Coninc etiam *num.* 7. Perez *supra num.* 2. & 3. Becanus & alij. De hac quæstione agit Diana 8. *parte Resol.* 77. sub aliis terminis, nempe an Pontifex habeat potestatem eximendi fideles ab impedimentis dirimentibus constitutis à Principibus Ethnicis, si in eorum prouinciis habitent? & refert pro parte negatiua Sanchez, Coninc, Perez. Becanum. Verùm hi auctores videntur loqui de legibus, quæ de facto sunt latæ in Ecclesia, & de illarum reseruatione & ratione reseruandi, quæ de facto mouit Papam, aut Concilium, de hac verò reseruatione dicunt ad Principes infideles extendi nequit: itaque non clarè loquuntur de potestate, quam aliàs habeat Pōtifex, vt, si videat expedire possit illos fideles ab iis legibus eximere; sed de exemptione, quæ de facto sit (quidquid sit de possibili) nec video posse iure negari eam potestatem eximendi, sicut ab aliis obstantibus bono & fini supernaturali fidelium. Si autem de facto quæramus, an teneantur illis legibus, affirmant hoc prædicti Auctores probabiliter, sed negant probabiliter alij. Negat ergo Layman *supra n.* 3. referens Adamum Tannerum de matrimonio Thesi 137. quas nunc Theses præ manibus non habeo; habeo tamen tomos illius Theologiæ Scholasticæ; & *in* 4. *tomo disp.* 8. *quæ est de matr. q.* 4. *dub* 1. *n.* 20. id ipsum docet, & ait esse planè sententiam D. Thomæ, quem paulò ante retulerat scilicet *dist.* 42. *q.* 2. *ar.* 2. *ad* 4. ibi tamen non satis clarè loquitur, neque ad nostrum casum descēdit. Vtraque sententia mihi probabilis videtur; sed probabilior secunda, quæ negat adstringi. Quamuis autem pleræque rationes Tanneri, & auctoritates, quas allegat, mihi non probent, illa mihi placet, quam ipse indicat, & affert Layman; nempe quod ex vno capite Ecclesia generaliter exemerit vbique terrarum degentes Christianos à legibus ciuilibus, & subiecerit Ecclesiasticis, quod attinet ad matrimonij valorem, aut nullitatem iuxta dicta secundâ assertione, nullâ factâ limitatione eorum, qui subduntur Principibus infidelibus. Ex alio verò capite, etiam ad eos fideles extenditur potestas Ecclesiæ, saltem indirecta eximendi illos à suis Principibus; ergo non est cur negemus illos esse liberos ab iis legibus, nec minùs decet propter reuerentiam Sacramenti subiici solùm Principibus Ecclesiasticis eos fideles, & liberari à legibus Ethnicorum, quàm fideles subditos Principibus Christianis à legibus eorundē: & ad Sacramenti dignitatē plurimum confert, vt in hac re sit vniformitas inter omnes Christianos. Atque ita docet Diana ibi referens Caspensem.

Affirmant aliqui. Sanchez. Coninc. Perez. Becanus. *Alij.* *De hac re sub aliis terminis agit Diana.* *Auctores prædictos refert sed loquuntur de iis quæ de facto sunt legibus in Ecclesia.* *Quæritur de potestate Papæ eximendi quoad hec fideles subditi infidelibus.* *In iis quæ de facto sunt prædicti affirmant.* *Negant alij.* Layman. Tanner. *D. Thoma refertur à Tannero.* *Vtraque sententia probabilis, probabilior secunda.* *Ratio à Tanero indicata & à Laymano allata placet.* Diana. Caspensis.

13. *Infideles subditi Principibus fidelibus non ligantur impedimētis Ecclesiasticis.* Coninc. *Alij.* *Ratio.* Diana.

Econtra verò infideles subditos fidelibus principibus, & habitantes in terris fidelium, meritò docet Coninc, & alij non ligari impedimentis ab Ecclesiâ statutis, quia Ecclesiæ non sunt subiecti. Legatur ibidem Diana.

14. *Assertio.* 4.

Assero. 4. in Principe sæculari non desinit esse illa potestas ex naturâ rei, etiam suppositâ institutione Sacramenti; sed solùm; quia id iam meritò Ecclesiæ adiudicatum est. Colligitur ex dictis *in* 1. & 2. *assertione*, quia contractus matrimonij est ciuilis, & sæcularis, sicut reliqui: ergo nisi tolleretur ab Ecclesia ea potestas, seu impediretur,

adhuc ex naturâ rei illam haberet.

15. *Prædicta assertio est contra aliquos.* Sotum. Couarr. Basilium. Hurtadū. Dianam.

Hæc assertio est contra Sotum *in 4. dist. 42. q. 2. ar. 2.* Couarruu. *4. Decretal. 2. p. c. 6. §. 1.* Basilium *lib. 6. de matrim. c. 2.* & contra Gasparem Hurtado *de matrimonio disputat. 12. diff. 2.* quem sequitur Diana *5. parte resolut. tract. 1. de immunit. Eccles. Resolut. 15.* quod anteà resoluerat *1. p.* in alio *tractat. de immunit. Ecclesiasticâ* generaliter cum Basilio Pontio loquens de legibus Principum sæcularium circa matrim. *Resolut. 127.* item contra alios quos affert *septimâ part. tractat. 1. resolut. 23.* ante quos id docuerat Vasquez in inchoato tractatu de matrimonio *disputation. 3 cap. 5. numer. 67.* qui negant talem potestatem esse posse ex naturâ rei in Principe suppositâ institutione Christi, quia eo ipso, quòd in baptizatis ex institutione Christi matrimonium sit Sacramentum, desinit esse contractus ciuilis, & sæcularis, vtpotè factus sacer, & Sacramentum. Ergo desinit esse subditus potestati ciuili, & sæculari, quam habet Princeps sæcularis. Hoc tamen argumentum futile est, nam tota ratio sacri, aut Sacramenti nititur ipsi contractui humano, & ciuili, illumque supponit, nō mutatâ illius naturâ, & conditione, vt sæpè dictum est. Quod autem superueniat hæc ratio sacri, aut Sacramenti, sufficit quidem, vt Ecclesia meritò sibi reseruet huius contractus cognitionem, non tamen, vt ex naturâ rei, seclusâ Ecclesiæ reseruatione non possit Princeps de tali re tanquàm de contractu iudicare, sicut non ex eo quòd calix v. g. consecratus susceperit consecrationem cadentem supra materiam vendibilem auream, vel argenteam, desinit esse materia ipsa vendibilis contractu humano, sicut & ipse etiam valor cælaturæ, quidquid sit, an Ecclesia possit prohibere ne talis materia sic consecrata, quoad emptionem, & venditionē subiaceat iudicibus sæcularibus, & sicut nulla fit ex naturâ rei irreuerentia rei sacræ, alioquin pretio æstimabili si vendatur; non quatenùs sacra; sed quatenùs pretio æstimabilis (nisi fortè Ecclesiæ decreto prohibeatur fieri in eâ re contractus) ita similiter nulla fiet irreuerentia ex naturâ rei, aut aliqua alia iniuria, si contractus matrimonij baptizatorum, non quatenùs sacer, & Sacramentum, sed quatenùs contractus humanus, & ciuilis subiiciatur Principi. Vnde iuxtà dicta in secundâ assertione; si Principes in hoc iam non possunt, solùm est, quia Ecclesia id sibi reseruauit.

Probant.

Nullius roboris argumentum prædictum.

Declaratur doctrina exemplo.

16. *Aliqui sunt qui ante Rabardeum eam potestatem in Principibus docuerunt.* Petr. Sot.

Non me latet paucos aliquos esse Auctores, quos imitari voluit citatus Rabardeus, qui putent hanc potestatem inducendi impedimenta ita ineſſe Principibus sæcularibus, vt adhuc in ipsis perseueret. Nam Petrus Sotus *lectione 4. de matrimonio ad finem sic ait: leges ciuiles ex pietate, & voluntate Principum in hac re cesserunt Ecclesiæ, vt nullum iam censeatur matrimonium illegitimū, quod Ecclesia tale non iudicat, non tamen propterea legi id auferendum esse, vt illegitimos aliquos reddere possit ad matrimonium ineundum.* Item Ruardus Taper *art. 20. citato* inter alia docet matrimonium simul etiam *subesse ordinationibus & legibus potestatis ciuilis, secundum quòd refertur ad pacem, & honestatem,* & bonum Reipublicę. Contra quam doctrinam doctè & copiosè agit Diana locis citatis; præsertim contra Rabardeum in *illo Tract. 1. septimæ partis à Resolut. 23.* vsque ad finem tractatus & in resolut. illâ 23. refert 63. Auctores pro hac veritate.

Ruardus.

Diana contra eos & Rabardeū, & plurimos pro veritate refert.

Omnino itaque verum est, quod diximus, scilicet, iam ista ad Ecclesiasticum forum pertinere, non ad sæculare & præter Auctores citatos *assertione 2. 3. & 4.* sequuntur alij apud Dianam *citatâ 5. p. Tr. 1. res. 15. in fine,* & ij quos postea congessit loco citato *7. partis* vbi solitam lectionem & eruditionem ostendit. Idem docet Perez *sect. illâ 5.* Hoc autem colligunt Theologi communiter ex variis capitibus iuris, quæ tamen non sunt ita clara. Aliqui colligunt *ex c. Euphemiam 2. q. 3.* vbi dicitur *cùm matrimonia hodie regantur iure Poli, & non iure fori.* Quæ verba Sanchez & alij referunt, quasi essent Diui Gregorij *libr. 4. Epistolarū epist. 50.* cùm tamen nullo modo sint, sed Gratiani, qui obiter & in exemplum illa verba protulit, vt probaret iam non semper censeri infames, quos leges Ciuiles infames esse volunt; sed posse Papam eam infamiam tollere, vt contingit in secundis nuptiis eius feminæ, *quæ intra tempus luctus nubit, cum matrimonia* (inquit) *hodie regantur iure Poli, & non iure fori.* Quod totum extra rem nostram est, & præter auctoritatem Gregorij, & intentum eius capitis.

17. *Confirmatur adhuc vera doctrina, quæ etiam alij tradunt, quos aliis in locis Diana congessit.* Perez. *Vnde id aliqui Theologi colligant, sed non satis clarè. Verba quæ tribuuntur D. Gregorio non tamen sunt illius.*

Solet etiam probari *ex c. multorum 35. q. 6.* vbi impedimentum cōsanguinitatis Episcopis examinandum committitur. Verùm neque hoc satis conuincit, id enim solùm probat Episcopos posse iudicare; non verò, quod non possint etiam magistratus sæculares.

18. *Aliunde solet probari sed nō satis.*

Vlterius probatur *ex c. Accedentibus de excess. Prælat.* sed etiam est extra rem, nam ibi solùm decernitur, ne aliqui Abbates se intromittant iudicando de iis, quæ pertinent ad Episcopos, & inter alia, ne iudicent de causis matrimonialibus.

19. *Alius textus extra rē.*

Refertur etiam *c. 1. de sponsalibus*; inde tamen nihil etiam concluditur, vt legenti constabit. Quid enim probat quòd ibi dicatur à Concilio Triburiensi quòd quidam, qui non seruatâ lege Francicâ, id est, suæ patriæ, duxerat de Saxoniâ feminam, & eo prætextu dimisit illam, & accepit aliam, *à secundâ coniuge separetur & ad priorem redire cogatur?* An inde inuleris, quòd is duxerit priorem contra legem irritantem ciuilem, & hoc non obstante valuerit matrimonium? sic profecto replemus chartas inutilibus allegationibus.

20. *Alius adhuc inutilis ad id textus.*

Magis ad rem est *c. tuam de ordine cognationis* vbi loquens Honorius tertius de causâ natalium Reginæ Cypri, dicit: *ad forum Ecclesiasticum pertinet,* & eodem modo *c. 1 de consanguinit. & affinit.* (quod suprà retulimus assertione 2.) decernitur causas matrimonij non tractandas esse *per quoslibet, sed per iudices discretos, qui potestatem habeant iudicandi, & statuta Canonum non ignorent.* Prætereà in Tridentino *sess. 24. Canone 12.* absolutè definitur *si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.*

21. *Magis adrē alius textus. Item alius.* Trident.

22. *Quid probēt prædicti textus; & quid non probent in hac re.*

Hæc omnia capita & textus etiamsi probent causas matrimoniales ad forum Ecclesiasticū pertinere, tamen, si præcisè stemus iuri scripto,

ptó,& verbis,vt iacent, non probant pertinere ad forum Ecclesiasticum priuatiuè ; ita, vt ad nullum alium iudicem possint spectare ; nec enim eo ipso,quòd ad Ecclesiasticum pertinent, desinunt pertinere ad sæcularem , cùm multa esse possint,& sint mixti fori; imò quamuis ad iudicium solùm Ecclesiasticum pertineant,non inde sequitur, quod leges Ciuiles circa eam rẽ disponentes non obligent,sæpè enim iuxta veriorem doctrinam leges conduntur à Principibus sæcularibus tum in iis , quæ pertinent ad solemnitates contractuum & testamentorum; tum ad alias res,puta ad taxam pretij frumenti,& similium; quæ etiam obligant Ecclesiasticos,& tamen iudicare de iis in personâ Ecclesiasticâ,non pertinet ad iudicem sæcularem; ergo non eo ipso,quòd denegatur iudici sæculari, iudicare de aliquâ causâ, annullantur leges sæculares circa illam, vel tollitur Principibus sæcularibus potestas condendi leges circa talem materiam;fieri enim potest,quòd Principes sæculares pro bono, & pace Reipublicæ aliquid circa eam materiam statuendum putent,& statuant,& quod hoc semel statutum à Principe, & non reprobatum ab Ecclesiâ , quia non est contrarium bono animarum;iudex nihilominùs Ecclesiasticus sit ad quem pertineat iudicare imò & compellere priuatiuè , aut saltem cumulatiuè ad id seruandum.

23. *Ad hominẽ contra alios argumentũ.*

Hoc ipsum confirmatur ad hominem cõtra Sanch.& Coninc & Perez & alios,qui(vt vidimus)asserunt Principes infideles posse statuere impedimenta dirimentia, quæ obligent fideles sibi subditos in contrahendis matrimoniis.In quo casu negari non potest,quod Ecclesia possit iudicare de valore illius matrimonij, quod tunc contrahitur cum tali impedimento posito à Principe infideli.Imò necessariò potestas directa,vel indirecta Ecclesiæ debet id iudicare, vt pro bono animæ contrahentium, vel separet,si sub tali impedimento contraxerunt; vel permittat,aut etiam cogat cohabitare;si tale impedimentum non fuit, & alioquin sit legitimum matrimonium : ergo non eo ipso quòd Ecclesia iudicet de tali valore matrimonij; atque adeò Sacramenti, desinit,in eorum Auctorum principiis sistendo, esse potestas in Principe sæculari ad inducendum impedimentum.

24. *Vsu & communi sensu Ecclesiæ probatur prædicta doctrina potiùs quam textu aliquo seu scripta lege.*

Nihilominùs ideò diximus , *si præcisè stemus iuri scripto* eos textus non probare; quia,si spectemus vsum Ecclesiæ, & consuetudinem optimam legum interpretem ita intelligendę sunt leges Ecclesiasticæ , iuxta quas ita intellectas, impedimenta & negotia matrimonialia ad iudicem Principem,& forum Ecclesiasticum pertinent priuatiuè , quia ita declarauit prædicta consuetudo, quæ est optima legum interpres, omnes enim causæ matrimoniales ad iudicem Ecclesiasticum deferuntur, & sic est ab omnibus in praxi intellectum Tridentinum , & alij textus *supra citati*;ita, vt non videam esse posse aliquos,qui(ne amplius dicam) licitè , & sine periculo incurrendi suspicionem minoris obedientiæ,quàm par est erga Ecclesiam , & eius potestatem ; rem hanc ita vertant in quæstionem,vt oppositum velint esse probabile. Itaque sufficiat nobis manifesta , & recepta consuetudo, ad quam præcipuè videtur respexisse Perez dum testatus de communi sententia dixit *sect.illâ 5.n.8.*loquens de Ecclesia *id interdixit sæculari Principi Christiano,quod constat ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine.* Accedit communis sensus DD. quos refert Diana locis citatis præsertim in illis locis *Partis 7.* vbi disertis confirmat verbis D. Thomæ,Bonau. Paludani, Glossæ, Syluestri, Tabienæ, Soti, Ledesmæ , Couarruuiæ, & potuisset præter innumeros , quos sparsim affert , alios adhuc plures afferre,qui omnes (vtar verbis vnius aut alterius)id dicunt. Audi S. Thomam *in 4. distinction.42.q.2. artic.2. ad 4.Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonij , nisi interueniret auctoritas Ecclesiæ* &c. S. Bonauent. *eadem distinct.q.2.quia Ecclesia tale impedimentum suâ constitutione & approbatione fecit esse validum , alioquin non posset impedire.*

Perez. *Diana cum multis.* S. Thom. S. Bonau.

25. *Assertio 5. Probatur ex dictis.*

Assero.5.Romanus Pontifex , & Concilium generale possunt inducere impedimenta , tam impedientia quàm dirimentia. Constat ex dictis in prima parte huius dubitationis ; si enim est potestas in Ecclesia;maximè debet residere in supremo capite.Vnde Auctores id tradunt,tanquàm fide certum , & definitum in Concilio Tridentino *sess.24. Canone 3.& 4.*

26. *Dubium de potestate Episcoporum pro suis Diœcesibus circa hoc. De facto non possunt. Diana cum multis. An saltem sit quidem ex vi muneris,sed impedita ea potestas.*

Dubitant verò Doctores an sit in Episcopo pro suâ Diœcesi?& quamuis conũeniant de facto saltem , non esse in illo talem potestatem liberam & expeditam ; quia antiquâ Ecclesiæ consuetudine id reseruatum est Concilio generali, & Summo Pontifici vt cum multis 8.*p. Tract.1.Resol.76.*tradit Diana.Et nouissimè Cardinalis Lugo in responsis moralibus lib.1.dub. 45.num.6. vbi meritò improbat factum cuiusdam Archiepiscopi , qui voluit irritare matrimonia contrahenda sine præmissis denuntiationibus,& negat hanc potestatem Episcopis, quia hoc reseruauit meritò sibi summus Pontifex & testatur ita fateri communiter Doctores, quos sequuntur Sanchez, & Basilius. Meritò nihilominùs dubitant ; an saltem sit in eo ex vi muneris sui talis potestas , quamuis alioquin impedita prædictâ consuetudine , & reseruatione?

27. *Negatiua sententia Perez. Suarius. Coninc. Quidam Recentiores. Affirmans aliorum sententia apud Dianã. Sanchez. Couarr. Basilius. Bonacina. Tanner. Ratio.*

Negant aliqui inter quos Perez *sect.4.* Suarius *tomo 5.in 3.p.disp.7.sect.4.n.5.* Coninc *disput. illâ 30.n. 8. adiuncto n.3.* & aliqui Recentiores; quia Episcopus ex vi suæ ordinationis nullam habet iurisdictionem; nec aliâ ratione iure Diuino iis competit, quia,quam habet accipit à summo Pontifice.Affirmant alij apud Dianam supra inter quos Sanch.*libr.7.disp.1.* Couarruu. *4.Decretal.2.p.c.6.§ 1.*Basilius *lib.6.c.1.* Bonacina *q.3.puncto 1.num.4.*Tannerus *disp.8.q. illâ 4.dub.1. n.12.*Probant ; quia Episcopus ex vi sui officij plenè & perfectè Pastor est, & Princeps in suâ Diœcesi,quamuis Pontifici subordinatus ; ergo habet plenam potestatem condendi in suâ diœcesi quascunque leges & statuendi quidquid saluti spirituali suorum subditorum expediat,& consequenter statuendi impedimenta matrimonij. Vnde non putant Episcopum dictam potestatem accipere à summo Pontifice ; sed ex vi suæ ordinationis , & consequenter à Christo;

Christo;quamuis subordinatam summo Pontifici. Quamobrem potest ab eodem summo Pontifice omnino,vel ex parte impediri.

28. *Probabiles sunt amba sententiæ. Præfertur prior.*

Hæ duæ sententiæ satis probabiles sunt; sed prior magis conformis principiis à nobis datis *de pœnit.tractat.8.disputat.* 10. *dub.* 4. habito respectu ad ea, quæ dixeramus *dub.* 3. quibus in locis latè statuimus ex vi suæ ordinationis non habere aliam potestatem,quàm eam, quæ est annexa Ordini, possèque carere omni iurisdictione.Vide id hoc *Tractat. sup. disp.* 2.*dub.*21. *num.*253.*& seq.*

29. Nihilominùs in aliquo sensu potest concedi Episcopum habere eam potestatem;nisi à Pontifice impediatur,scilicèt, propter illam regulam generalem à multis receptam quod id totum possit Episcopus in propriâ diœcesi, quòd Pontifex in vniuersali Ecclesiâ;si non sit à Pontifice reseruatum,quamuis hæc regula non careat suâ quoque restrictione. De qua alibi dicam,quam Suarius suprà doctè tractat. Vnde colligi potest, quòd licet quis consecrari possit Episcopus absque vllâ collatâ sibi iurisdictione in subditos aliquos,(vt probabile cum aliis putat Suarius,ita fuisse factum à S.Petro cum Lino & Cleto vt notauimus *disp.*2.*dub.*21.*num.*11.) & postquam habuit diœcesim determinatam, possit denuò carere omni iurisdictione actuali, manente adhuc Ordine Episcopali, nihilominùs eo ipso,quod constituitur alicuius diœcesis Episcopus;nisi impediretur iure communi, vel speciali Pontificis decreto; haberet iurisdictionem statuendi impedimenta in suâ diœcesi, in quâ id totum posset, si non esset reseruatum, quod potest summus Pontifex in totâ Ecclesiâ, saltem quantum ad ea, quæ non concernunt totius Ecclesiæ regimen & fidem, & quæ tantùm censetur Christus concessisse summo Pontifici,vt sunt definire res fidei,dissoluere matrimonia rata & similia de quibus alibi dicimus, & per occasionem in Tract.de Censuris *disputat.*3.*dubitat.*2.

30. *An impedimenta induci,& auferri possint cõsuetudine.*

Difficultas præterea est, an consuetudine possint introduci, & auferri impedimenta matrimonij?

31. *Quid in hoc certum sit.*

In quâ re certum est consuetudinem posse inducere & tollere impedimenta, quando à Pontifice tacitè vel expressè approbatur, vt, si videat passim ab omnibus vsurpari, & nihil cõtradicat,cùm facilè possit.Item consuetudinem inscio Papa inductam certum est non habere hanc vim,antequàm legitimè sit præscripta *c.finali de consuetud.*Tota ergo difficultas est, quando ea consuetudo fuit alicubi bonâ fide tanto tempore vsurpata, quanto alioquin iuxta principia generalia sufficeret ad præscribendum contra aliam legem; an tunc eam vim habeat absque vllâ tacitâ Pontificis approbatione.Quę sanè quæstio generalis est pro omni lege: ideo in Tract.de legibus ex instituto discutienda est, quam latè discutit Vasq.1.2.*disp.*177.Suar.de legibus *lib.*7.*c.*13.Salas *de legibus disp.*19.*sect.*3.Basil. de Leon.*lib.*6.*de matr. c.*6. Thom.Sanch.*libr.*7. *de matr.disp.*4. *n.*11. *&* 14. *& disp.*82.*n.*20.Perez *disp.*21.*sect.*6.*n.*5.& alij multi. Qui omnes præter Vasquez & Basilium;quamuis cum eisdem cõcedant requiri consensum legislatoris ad inducendam consuetudinem, quæ vim legis habeat,& antiquæ deroget; contra ipsos tamen docent non esse necessarium consensum aliquẽ expressum,seu personalem legislatoris, quod approbet consuetudinem introductam;sed sufficere, quod dicitur *in c finali de consuetud.* vbi tantùm dicitur consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam legi derogare posse;& idem est de introducendâ lege. Sed de his suo loco,id est in dicto *Tr.de legibus* ex instituto disputandum est. Interim sufficiat dicere ad inducenda,& tollenda impedimenta, de quibus agimus,nullam consuetudinem sufficere; nisi saltem sit tacitè approbata à Superiore potente dicta impedimenta statuere; sic autem approbatam posse id præstare, & legi potest Sanch. *suprà*, Coninc *supra n.*13.Bonacina *supra n.*7,Illud videtur addendum cum Sanchez & aliis,vt inducantur impedimenta matrimonij requiri cõsuetudinem mixtam Laicorum & Clericorum; nam soli laici per se non possunt immutare aliquid spectans ad leges Ecclesiasticas,matrimonium autem ad eas leges spectat, & Ecclesiasticum forum iuxta dicta,cùm non sit merus tantùm contractus;sed res etiam spiritualis,& Sacramentum,& ad Ecclesiam spectans iuxta dicta.An verò Pontifex possit pro aliquo priuato inducere impedimentum,ne possit validè determinatam quandam ducere, vel,vt intra tale tempus non possit contrahere,video à non paucis disputari;& de hoc agit post alios Diana 8. *par.tr.*1. *res.* 60. & affirmatiuè concludit cum multis contra aliquos,& meritò. Neque enim video si prudens causa subsit cur non possit?An verò in hac vel illâ occasione pensatis circumstantiis sit causa, sic sufficiens; vix imo,nè vix quidem,potest generalis aliqua regula ad id dignoscendum præscribi, quin omnia pendeant ab arbitrio prudentis. Varios casus afferunt aliqui;sed in illis ipsis,quando venitur ad rem difficultas est in multis circumstantiis expendendis,an ibi sint omnia prudenter requisita?Legatur ibi Diana & auctores,quos ibi refert, & videbit lector(ni fallor) in quouis casu pendere rem totam à personalibus circumstantiis, & à loco,tempore,natione,nobilitate,capacitate,vehementi inclinatione,& periculo spirituali,tùm contrahentium,tum eorum,quorum interest,vt matrimonium contrahatur,aut impediatur,aut differatur. Itaque solùm puto cadere sub doctrinam Theologi, & iurisperiti, quod possit Papa(quidquid aliqui reclament) ex causâ impedimentum etiam dirimens inducere;non tamen cadere sub scientiam,regulam generalem præbere,quæ doceat causam ab innumeris circumstantiis pendentem pro casibns occurrentibus esse sufficientem. Itaque puto eâdem potestate posse vti Papam pro vno, atque pro communitate, quia non apparet ratio cur non possit. Ipse tamen viderit an tunc subsistat causa.

Sanchez. Coninc. Bonacina. *Addendum cum Sanchez & aliis*

An pro aliquo priuato tantum possit Papa inducere impedimentũ matrimonij. Diana meritò affirmat cum multis contra aliquos. Ratio. Generalis regula discernendi quando id expediat nẽ potest assignari. Nec casus qui afferũtur à quibusdam nisi ex circumstantiis possunt regulari.

Item aliud certum. Punctum difficultatis præsentis.

Vasquez. Suarius. Salas. Basilius. Thom. Sanchez. Perez. *Alij multi.*

DVBIT.

DVBITATIO II.

Quale peccatum sit matrimonium cum impedimento dirimente scienter contrahere, & consummare? Et, an metus excuset, saltem in casu impedimenti non dirimentis?

32. *Assertio. 1. recepta esse mortale.*

ASsero. 1. contrahere scienter matrimoniũ irritum siue ex naturâ rei, siue Ecclesiastico iure, peccatum mortale est, ex omnium Doctorum sententia, quos ideo non refero.

33. *Assertio. 2. probabile esse sacrilegium supposita institutione Sacramenti.* Coninc. Layman. *Alij apud ipsos & apud Sanchez.*

Assero. 2. probabile est, esse peccatum mortale Sacrilegij suppositâ institutione Christi iuxta probabilem opinionem aliquorum, quam sequitur Coninc *disp.* 30. *dub.* 2. *num.* 18. Layman *lib.* 5. *Tract.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 5. & alij apud ipsos, & apud ipsos, & apud Sanch. *lib.* 7. *disp.* 5. *n.* 1. Idque magis probabile apparet, quando in facie Ecclesiæ tale matrimonium attentatur.

34. *Probabilius solùm esse peccatum contra præceptum Ecclesiasticum si sit impedimentum iuris positiui & contra naturale si sit iuris naturalis.* Sanchez. Hurtado. Perez. *Alij Recentiores. Probatur. Firmatur.*

Nihilominus probabilius puto solùm reperiri peccatum contra præceptum Ecclesiasticũ, si impedimentum sit iuris positiui, vel contra ius etiam naturale, si impedimentum sit etiam iuris naturalis; non verò esse peccatum Sacrilegij, Ita Sanchez loco citato, consonatque cũ iis, quæ diximus *disp.* 4. *dub.* 11. vbi ostendimus non esse peccatum Sacrilegij contrahere matrimonium ex metu illud irritante, etiamsi quis sciat esse irritum. In hac assertione consentiunt Hurtado *disp.* 12. *diff.* 3. *n.* 11. Perez *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 7. & alij Recentiores. Quod verò ad præsens attinet probari potest, quia verè non intendunt sic cõtrahentes, aut matrimonium inire, aut Sacramentum suscipere; cùm vtrumque sciant esse impossibile; sed solùm intendunt profanũ quẽdam contractum inire ad fidem mutuò seruandum. Accedit, quòd (vt loco citato diximus) sic contrahentes non irritant Sacramentum; nec faciunt, aut efficere intendunt id, cui ex institutione Christi, conuenit ratio Sacramenti; id enim est contractus alioquin humanus validus, qualis non est tunc ille, quem verbis vtcumque explicant, ac proinde non applicant veram formam Sacramenti veræ materiæ. Ad quam verò speciem peccati pertineat contrahere cõtra præceptum Ecclesiæ irritantis philosophandum est iuxta infra dicenda *n.* 43. assertione 5. de copulâ, quæ fit specialiter illicita, supposito impedimẽto Ecclesiæ; erit enim intentare matrimonium (maximè cũ intentione consummandi) contra eam virtutem, ad quam Ecclesia respexit, quando prohibuit & irritauit matrimonium, vt ibi dicemus.

Quid dicẽdum de specie, ad quã pertineat tale peccatũ? remissiuè.

35. *Assertio. 3. Constat ex supra dictis.* Sanchez. Coninc. Layman. *Alij multi Recentiores. Quid si impedimentũ sit iuris naturalis? Neque hoc vrget.*

Assero. 3. metus grauis excusat à culpâ contrahentes cum impedimento dirimente. Constat hæc assertio ex dictis *dub.* 11. *disp.* 4. & docet Sanchez non solùm *loco illo notato*; sed etiam *lib.* 7. *disputat.* 5. *num.* 4. Coninc *citatâ disp.* 30. *num.* 19. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *num.* 5. & alij multi Recentiores. Atque hoc verum putant, etiamsi impedimentum sit iuris naturalis, intelligendum tamen est dummodò ex metu contrahens non intendat consummare matrimonium propter illum metum: est enim eadem ratio, quam suprà explicuimus *loco notato*; Nam in hoc casu non habet animum contrahendi nec suscipiendi Sacramentum. Legatur Perez *disput.* 22. *section.* 5. vbi in dictis de iure Ecclesiastico consentit licèt dissentiat *numer.* 5. circa ius naturale, ratio tamen probat de vtroque iure, quâ idem auctor cum aliis vsus fuerat *disp.* 17. *sect.* 12. *n.* 12. quia scilicèt non irritauit Sacramentum applicando formam materiæ ineptæ; non enim facit id, cui ex Christi institutione conuenit ratio Sacramenti, nempe contractum validum, quæ ratio non minùs, imò potiùs habet locum, quando contractus est inualidus iure naturæ non intendendo etiam copulam, vt dicebamus. Sed de iis iterum *n.* 39. agimus contra alios.

Perez. *Dissentit in iure naturali. Redarguitur argumento ad hominem & vero.*

36. *Aliqui ex quocumque metu fiat putant esse peccatum. Loquuntur de Ecclesiastico impedimento.* Caietan. Sotus. Valentia. *Alij apud* Sanchez. *Præcipua eorum ratio.*

Non me latet aliquos absolutè docere esse peccatum ex quocunque metu contrahere in impedimento, etiamsi impedimentum sit inductum solo iure Ecclesiastico, quod docent Caietanus 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. Sotus *lib.* 1. *de iust. q.* 6. *ar.* 4. *& in* 4. *dist.* 22. Valentia 1. 2. *disp.* 7. *q.* 5. *puncto* 6. & alij apud Sanchez. Quorum præcipuum fundamentum est, quia metus non efficit, quod impedimentum dirimens quamuis solo Ecclesiastico iure introductum, non dirimat: ergo non efficit, quòd contractus ille non sit contra legem irritantem, itemque non efficit, quòd non sit malus, & peccatum.

37. *Reiicitur ea ratio.*

Verum inprimis, quod attinet ad legem Ecclesiasticam prohibentem, eius obseruatio in hac materia minoris momenti est, quàm graue malum, quod timetur, nec ius Ecclesiasticum censetur obligare cum tanto rigore. Ad quam rem faciunt illa, quæ dicimus *tractat. de censuris disp.* 2. *dub.* 24. & locis ibi notatis maximè *dub.* 31. *eiusdem disputationis*; quibus in locis ostendimus præcepta Ecclesiastica non obligare cum tanto rigore. ibi Legantur.

38. *Alij etiam idem docent de impedimento iuris naturalis.* Perez & *alij.*

Quod verò attinet ad impedimenta iuris naturalis, aliqui, vt diximus de Perez putant (etiamsi nobiscum consentiant in impedimentis iuris positiui) saltem esse peccatum contra ius naturale prohibens talem modum contrahendi v. g. si quis impotens ad generationem contrahat matrimonium, vel contrahat cum sibi consanguineâ in primo gradu rectæ lineæ; quia tũc contrahere est contra ius naturale, quod etiam perseuerat posito metu, aut quocunque alio malo imminente, videturque hoc insinuari à Vasquez 1. 2. *disp.* 161. *n.* 17.

Vasquez videtur id etiam insinuare.

39. *Neque hoc est admittendum.* Perez.

Verum neque hoc puto verum, & alij Auctores relati pro nostrâ sententiâ æquè loquuntur de impedimento iuris naturalis, & iuris positiui. Et quidem in vtroque casu (vt supponimus) non intendit contrahens verè contrahere, sed tantùm illa verba proferre; nouit enim esse impossibile sic contrahere suppositâ inhabilitate, atque adeò ad summum erit mẽdaciũ aliquod, quod secluso damno, aut malitiâ extrinsecâ solùm est peccatum veniale; imò, nec peccatũ veniale erit, si vtatur æquiuocatione, vt diximus, & explicuimus *citatâ illâ dub.* 11. & docet etiam Perez *disp. illâ* 17. *sect.* 12. *n.* 15. vide alia *eâd. dub.* 11. vbi in fine cum Sanchez notauimus sufficere quòd verba proferantur tantùm materialiter, perinde, ac si non essent significatiua.

40. *Assertio 4. Coninc. Sanchez. Ratio illius.*

Assero. 4. Quamuis in tali casu non peccet, tamen matrimonium non erit validum. Ita Coninc *sup. n.19. & 20.* Sanch. *citato n.4.* qui probat; quia licèt regulariter loquendo lex Ecclesiastica non obliget cum vitæ discrimine: at exceptio communis Doctorum est, quando ea lex valde expediret ad bonum commune tuendum. Huiusmodi autem sunt leges dirimẽtes matrimonia in aliquibus casibus, vt vsus Ecclesię testatur. Accedit, quòd ad euadendum metum sufficit verbis exterius contrahere maximè non interueniente copulâ; nam, si copula interueniat; tũc ratione copulę erit peccatum; neque verum est, quod aliqui significant, scilicèt, eo ipso quod quis per metum cogatur etiam ad copulã, valere matrimonium alioquin inualidum propter impedimentum dirimens iuris positiui; habet enim vim etiam in hoc casu eadem ratio nuper facta, quòd scilicèt, ad commune bonũ tuendũ expediat leges dirimentes habere vim dirimẽdi, etiam in tali casu. Sicut enim nemo audebit dicere validum fieri per copulam matrimoniũ metu graui initum, & consummatum sine Parocho & testibus, etiãsi lex illud irritans sit merè Ecclesiastica: ita similiter in cæteris impedimẽtis dirimentibus. Generalis ratio est; quia, si metus efficeret, vt valida essent huiusmodi matrimonia cum impedimento dirimenti inita, & consummata, facilis pateret via ea impedimenta contemnendi incusso metu.

Generalis prædictorum ratio.

41. *Aliud fundamentum habent qui sentiũt matrimonium graui metu initum & consummatum esse validum.*

Quamuis autem sit probabilis opinio asserẽs matrimonium graui metu initum, & consummatum esse validum; id tamen eius auctores nõ ideò docent, quòd putent cum eo discrimine non obligare legem Ecclesiasticam irritantem, sed quòd putent metum cadentem in constantem virum (qui solus irritat matrimoniũ) non esse illum, quo quis impellitur ad contrahendum simul, & consummandum; quia vir constans non cogitur metu ad committendũ peccatum, atque adeò in illo casu metus ille non censetur ab illis metus cadens in cõstantẽ virũ. Legatur Sanch. *lib.4. disp.18. n.13.* & quæ diximus *disp.4. dub.12. n.129.* cum Paludano & aliis. Item quæ ibidem diximus ad finem, & *dub.2.3. & 4. eiusdem disp.* vbi quantum ad valorem contractus diximus illum censeri metum cadentem in constantem virum, qui, quantumuis constantem, concutere, & terrere possit.

Sanchez. Paludan. *Alij.*

42. *Aduertendum discrimen inter legem merè prohibentem, & etiam simul irritantem.*

Illud autem pro maiori intelligentia dictorum aduertendum est discrimen inter legem merè prohibentem, aut etiam simul irritantem; quòd merè prohibens potest non obligare intercedenti graui metu, aut coactione; lex verò irritans contractum, aut inhabilitans personã, potest & metu quouis, & ignorantiâ interueniente adhuc vim habere. Vnde grauis metus, sicut & ignorantia deseruire quidem possunt ad excusandum à culpâ; non tamen ad habilitandũ contrahentem, aut validandum actum. Quare in nostro casu etiamsi dicamus præcepta Ecclesiastica, interueniente graui, aut grauissimo metu, non obligare, quatenus præceptum est obligans ad peccatum, obligabunt tamen, quantùm ad reddendum inualidum actum, & inhabilitandam personam.

43. *Assertio.5.*

Assero. 5. quando Ecclesia irritat matrimoniũ ob respectum alicuius virtutis vel honestatis, quam videtur intendere; tunc prohibet etiam propter copulam, atque adeò copula inter sic impeditos habet specialem malitiam vltra malitiam fornicationis; quæ malitia non reperitur, quando impedimentum inducitur propter delictum in pœnam illius, vt posteà dicemus. Ita Sanch. *lib.7. disp.5. n.7.* & sequentibus. Layman *supra n.6.* Coninc *supra n.21.* & ex sequentibus casibus mox subiiciendis declarabitur.

Sanchez. Layman. Coninc.

Hinc infert Sanchez esse circumstantias explicandas in Confessione, tanquàm species diuersas à fornicatione simplici, si quis peccauerit intra gradus prohibitos cum consanguineâ vel affini, cum cognatâ spirituali, cum cognatis legalibus, imò etiam cum consanguineâ in primo gradu sponsæ propriæ de futuro, ob impedimẽtum publicæ honestatis dirimens in eo gradu, vt videbimus. Item accessum fidelis cum infideli, quia cedit in Religionis dedecus. Præterea coitus cum impedimento dirimenti iuris naturalis v.g. impotentię, vt, si frigidus vel Eunuchus coëat, circumstantia erit diuersæ speciei explicanda in confessione. Pro quâ sententia refertur à Sanchez Henriq. *lib.5. de pœnit. c.6. num.3. in Comment. littera.m.* nam ratio prohibitionis matrimonij inter prædictos, scilicèt, impotentia generandi, & frustratio finis intenti à natura locum habet, etiam in copulâ illicitâ. Legantur circa prædicta ea, quæ diximus *de pœnit. Tract. de Sacramento confessionis disp.9. dub.8.* præsertim *nu. 374. & seqq.* In prædicta doctrina conuenit etiã Perez *supra num.9.*

44. *Illatum ex dictis notandum pro praxi.* Sanchez. Henriq. Perez.

Illud habet difficultatem, quòd docet Sanch. *n.13.* scilicèt copulam fidelis cùm Hæretica habere specialem malitiam; propterea, quod quãuis matrimonium valeat, nihilominus prohibetur sub mortali ob dedecus, & iniuriam Christianæ Religionis & periculũ peruersionis Catholici, & educationis prolis in hæresi (de quo postea dicemus in impedimento disparitatis cultus) quæ rationes etiam videntur habere locũ in copulâ illicitâ. Hoc (inquam) suam habet difficultatem maximè in his Regionibus Septemtrionalibus, in locis vbi frequentissimi sunt Catholici permixti cum Hæreticis, non solùm in eâdem ciuitate, sed etiam in eâdem domo, & familiâ, durumque videtur obligare sub speciali aliquâ specie peccati militem v.g. huc illuc discurrentem, & committentem peccatum fornicationis in diuersis locis, & variis occasionibus ad semper examinandum & inquirendum, an ea femina, cum quâ peccat, sit Catholica, necne? Itaque in hoc negotio in prædictis Regionibus nec videtur tantũ dedecus Religionis Catholicę, quòd quis fortè miles, aut alius quiuis oblatâ occasione cum hęreticâ fornicetur, nec tantum est periculũ prolis, sicut in matrimonio, nihilominùs semper videtur esse aliquod peccatum.

45. *An copula fidelis cum haretica habeat specialẽ malitiam? Affirmat Sanchez probat. Postea de hoc agendũ de copula matrimoniali. Difficultas in hac re pro Regionibus septemtrionalibus.*

Notat optimè Sanch. *n.15.* pro prædictis casibus hucusque numeratis non esse specialẽ aliquam malitiam in ea copulâ illicitâ distinctam ab eâ, quæ consurgit ex matrimonij prohibitione, quia nulla alia peculiaris interdictio copulæ reperitur præter eam, quæ deducitur ex prohibitione matrimonij, quâ sublatâ per specialẽ, vel generalẽ dispẽsationẽ legemve restringentẽ, vel

46. *Notandũ in hac re.m Sanchez.*

tollentem

tollentē prædicta impedimenta, cessat malitia copulæ, sicut & quando Pontifex dispensat, vt quis contrahat matrimonium cum infideli.

47. *An copula cum rapta habeat inde circumstantiam explicandam in confessione? Sanchez. Perez. Negant merito. Occurritur obiectioni ex Tridentino.*

De copula verò cum rapta supposito impedimento matrimonii rectè docet Sanchez *numer.*17. Perez *sup. sect.*4 *n.*6. non esse circumstantiam explicandam in confessione, quamuis enim Trident. *sess.*24. *c.*6. induxerit impedimētū dirimēs, id solùm fecit ne deficeret plena libertas in statu perpetuo, qualis est matrimonium. Quæ ratio non habet locum in copulâ illicitâ. Quod si fortè copulâ vi extorqueatur, erit quidem distincta species *raptus* quod erat etiam verum ante Tridentinum, & locum habet etiamsi femina non extrahatur de domo, quo casu non est impedimentum matrimonij.

48. *Notandum vlterius.*

Vltimò notat Sanchez, id quod supra dicebamus copulam cum femina, cum quâ irritum est matrimonium ratione criminis, vt adulterij cum promissione matrimonij, vel contractu de præsenti, aut homicidio coniugis (de quo etiam dicemus suo loco) non habere nouam speciem malitiæ, quia in copulâ illicitâ deficit ratio prohibitionis matrimonij, scilicèt pœna delicti commissi.

49. *Quādo metus grauis excusæt vel non excusæt à peccato in impedimento tantum impidiente.*

Quod attinet ad impedimentum solùm impediens, siue sit iure naturali, siue iure positiuo, si non incutiatur metus in odium fidei vel Religionis locum habet doctrina supra tradita quòd non censeatur præceptum positiuum Ecclesiæ cum tanto rigore obligare, secùs verò, si incutiatur metus, in odium fidei vel Religionis vt suprà notabamus iuxta ea quæ dicimus de Censuris locis ibi notatis, quæ ideò non repeto, quia latè eisdem locis dicuntur.

50. *In eo casu solum inire matrimoniū ex animo nō est peccatū ficte vero inire tantū est veniale. Sanchez. Quid de ipsa consummatione matrimonij ex metu facta?*

Imò Sanchez citatâ *disp.*5. docet solùm inire matrimonium nullam esse culpam, si verè ex animo ineatur; si tamen fictè, esse solùm venialem; consummare verò putat quidem probabilius esse peccatum mortale, etiamsi metus cogat ad consummationem, quamuis non careat probabilitate nullam esse culpam, inire tunc matrimonium, & consummare, at fictè inire solùm esse venialem; probat; quia secluso eo impedimento v.g. voti vel sponsalium, vbi tantùm obstabat metus (qui matrimonium dirimit) iam ipse Sanchez probauerat *lib.*4. *disp.*16. *n.*2. & 6. non esse peccatum, & nos etiam diximus *disp.*4. *dub.*11. Quare in nostro casu, si culpa est, debet ea prouenire ex ipso impedimento v.g. ex violatione voti, aut ex violatione sponsalium; inde autem non consurgit cum tanto periculo; quia tale vinculum non censetur esse positum tanto discrimine instante, & multò minùs, quando obligatio est solius præcepti Ecclesiæ. Vnde in aliis votis, & promissionibus etiam non perseuerat obligatio, quando notabilis est facta mutatio rerum; in quo omnes consentiunt. & diximus variis in locis maximè *disp.*1. *dub.*39. & 40. Quod autem probabile sit posse tunc etiam matrimonium absque peccato consummari, probat Sanchez casu, quo metus incutiatur coram Parocho, & testibus non tantùm ad contrahendum, sed etiam ad consummandum, & consummans vero affectu maritali, & animo perficiendi matrimonium accedat; quia solus metus irritans matrimonium obstat (inquit Sanchez;) at quando metus viri cōstantis incutitur ad contrahendum, & consummandum matrimonium, & adsunt conditiones prædictæ; est probabile verum perfici matrimonium, ac proinde consummationem vacare culpa iuxta dicta ab ipso ex sententia aliorum *lib.*4. *disp.*18. *num.*13. & 17. ergo etiam in nostro casu. Quâ de re nos etiam diximus citatâ *disp.*4. *dub.*12.

51. *Probabilior resolutio proxima difficultatis.*

Quia tamen ibidem Sanchez & nos loco citato diximus subsistente tali metu matrimonium non valere, atque adeò esse culpam mortalem id consummare, idem dicendum est in hoc casu, idque maximè in nostrâ sententiâ, qui contra Sanchez putamus in eadem dubitatione & locis ibi notatis ipsammet copulam, & accessum, etiam quoad forum externum, non sufficere post Tridentinum, adhuc coram Parocho & testibus ad probandum, & præsumendum matrimonium. Legatur Sanchez loco citato, & quæ nos ibi contra eum diximus cum Perez, quem ibi retulimus.

Sanchez. Perez.

DVBITATIO III.

Quot sint impedimenta matrimonij?

52. *Impedimenta tantum impedientia, impedientia & dirimentia simul.*

MEminimus in principio huius disputationis duplicis generis impedimentorum, scilicèt impedimentorum impedientium tantùm, & impedimentorum etiam dirimentium. Prima dicuntur impedientia tantum, quia quā tumuls quis peccet cum aliquo tali impedimento, valet nihilominùs matrimonium. Dirimentia verò dicuntur, quia non solùm illicitū est scienter cum aliquo tali impedimento velle contrahere, sed etiam, si quis defacto attentet, nihil faciet.

53. *De dirimentibus nunc agendum.*

Impedimenta impedientia posteà explicabuntur. De impedimentis dirimentibus nunc sufficiat dicere in vniuersum ex iure & Doctoribus colligi quatuordecim, ex quibus duodecim sunt aut iure naturali, aut iure antiquo Ecclesiastico introducta, reliqua verò duo iure nouo Tridentini. Omnia vero vulgatis sex carminibus solent comprehendi.

Quatuordecim solent numerari.

Error; conditio; votum; cognatio; crimen;
Cultus disparitas; vis, ordo; ligamen; honestas;
Si sis affinis; si fortè coire nequibis;
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis;
Rapta ne sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Numerātur & comprehenduntur carminibus.

De his omnibus sigillatim dubitationibus sequentibus dicemus.

DVBITATIO IV.

Quotuplex sit error? & an error personæ dirimat iure naturali matrimonium?

54. *Iure saltem positiuo certum est quod error personā dirimat. Textus simul continēs rationem etiam pro iure naturali.*

QVod error personæ dirimat contractum iure positiuo constat satis ex *c. vnico* 29. *q.*1. vbi dicitur, *error personæ consensum coniugis non admittit* explicat hoc exemplo: *Si quis promitteret se venditurum mihi aurum, & pro auro mihi offerret aurichalcum, & ita me deciperet, nunquid dicerer consensisse in aurichalcum? nunquam volui eme-*

re aurichalcum, nec ego aliquando in illum consensi, quia consensus non est, nisi voluntatis. Sicut enim hic error materiæ excludit consensum, sic in coniugio error personæ. Huius textus ratio etiam probat & declarat iure naturę non valere, & hoc volumus aliquantò ampliùs declarare, & probare.

55. *Triplex error, qui contingere potest in cõtrahente matrimonium.* *Primus circa substantiam personæ.* *Secundus circa conditionem seu statum illius* *Tertius error est qualitatis.*

Error triplex potest contingere in matrimonio respectu contrahentis. Primus circa substantiam personæ, seu circa personam, vt si quis ducat Mariam putans esse Ioannam. Secundus est error conditionis, seu status personæ, vt si quis putet ducere liberam, & est serua. Tertius dicitur error qualitatis, vt cùm erratur in qualitate nobilitatis, virginitatis, aut opulentiæ personæ, aliarumque similium, quæ omnes sigillatim explicabuntur, & nunc in hac dubitatione de primo errore scilicèt personæ dicendum est.

56. *Error personæ in omniũ sententiâ dirimit matrimonium.* Gen. 29. *Error hic siue antecedens, siue comitans seu incidens sufficit ad dirimendum, etiam iure naturali.*

Consentiunt Doctores errorem personæ dirimere matrimonium, vt contigit Iacob Patriarchæ *Genes.* 29. cui fraude Soceri Laban pro Rachele, quam sibi vxorem desponderat, fuit suppositа Lia, cum quâ posteà deprehenso dolo, vel errore consensit Iacob (vt hoc obiter dicamus) & ratione sequentis non verò prioris cõsensus valuit posteà matrimonium. Irritum verò est matrimonium, siue error det causam contractui, siue non; id est, siue error sit quando, si sciret contrahens esse aliam personam omnino non contraheret (qui error solet appellari error antecedens) siue quando, etiamsi sciret adhuc contraheret, qui error solet appellari concomitans seu incidens. Legantur quę diximus *disp.* 2. *dub.* 23. agentes de sponsalibus contractis per dolum & locis ibi notatis *de contractibus in genere.* Imò auctores cõueniunt contra Glossam 29. *q.* 1. *In summa* verbo. *Quod autem*, dirimere iure naturali; quia siue sit antecedens error, & det causam contractui; siue sit consequens & non det causam, non manet locus consensui in materiam substantialem contractus matrimonij, quia in hoc contractu personæ ipsæ sunt materia substantialis & ex naturâ rei, seu iure naturali contractus requirit consensum in materiam substantialem ad sui valorem; imò etiam error personæ dirimit, quamuis sit vincibilis; quia licet talis error sufficiat ad peccandum, non sufficit ad validè contrahendum; nam ad peccandum satis est, quòd quis se exponat periculo contra præceptum; exponit autem se, qui cum errore, aut ignorantiâ vincibili peccati operatur; vt autem validè contrahat non satis est, quòd se exponat periculo contrahendi cum illâ personâ; sed requiritur voluntas vera contrahendi cum eâ; non potest autem subsistere talis voluntas supposito errore illius personæ, etiam vincibili; nisi forte simul habeat voluntatem contrahendi cum personâ, quam coram habet, quæcunque illa sit; quod tamen rarò contingit, aut nunquàm. In quo maximè differt celebratio huius contractus ab administratione aliorum Sacramentorum: nam, qui administrat, v.g. Baptismum, Confirmationem, aut Pœnitentiam, intendit personæ sibi præsenti administrare, quæcunque illa sit. Hoc autem discrimen est inter errorem antecedentem & dantem causam contractui, sine quo contractus non fieret; & inter errorem incidentem seu comitantem, sine quo contractus adhuc fieret, quod antecedens causat inuoluntarium; id est facit, vt actus sit contra voluntatem: cõsequens verò circa personam causat non voluntarium, quamuis enim cum hoc secundo errore contrahens ita sit affectus, vt quamuis sciret non esse talem personam v.g. Mariam, sed esse Ioannam adhuc contraheret cum illâ, nihilominùs cùm ignoret esse Ioannam, & voluntas non feratur in incognitum, non erit voluntarium hîc & tunc contrahere cum Ioannâ, ideò actus ille licèt non sit positiuè inuoluntarius & repugnãs, erga Ioannam, saltem erit non voluntarius erga illam, quod sufficit, vt ex defectu voluntarij actus non valeat. Ideò frustrà ex eo quòd non sit inuoluntarius talis actus; aliqui inter quos Comitolus *lib.* 1. *q.* 121. contendunt actum cum errore personæ comitante seu incidente esse validum, sufficit enim vt non valeat, quòd non sit voluntarius. Alia argumenta quæ solent peti à simili alterius Sacramenti quod valet v.g. Absolutionis vel Baptismi, etiamsi quis putet esse Petrum, & sit Ioannes, & contractus v.g. venditionis factæ Ioanni, quem videns putabat esse Petrum, nullius momenti sunt, quia in his semper subsistit voluntarium, vel circa personam præsentem quæcunque illa sit, (ordinariè loquendo) vt in Sacramentis, vel circa titulum dandi rem pro pretio, vt in venditione, non verò in nostro casu.

Comitolus & alij reijciuntur. *Occurritur argumentis à simili quæ solent fieri ex aliis Sacramentis.*

57. *Ratio generalis data doctrinæ.* Sanchez *Cum multis à se relatis.* Layman. Coninc. *Alij apud ipsos.* Perez.

Ratio generalis doctrinæ est; quia cum matrimonium sit contractus, debet esse voluntarius, error autem circa substantiam etiam comitans, seu incidens tollit voluntarium. Legatur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 18. *maximè num.* 11. *& sequentibus*, vbi plures Doctores refert pro hac doctrina. Item Layman *lib.* 5. *Tract.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. Coninc *disp.* 31. *num.* 9. & alij apud ipsos, & Tandem Perez *disp.* 24. *sect.* 1.

DVBITATIO V.

An error qualitatis personæ dirimat matrimonium contrahendum?

58. *In quo casu conueniant Doctor eiusmodi errorẽ dirimere.* *Ratio.* Perez. *Et alij.*

COnsentiunt etiam Doctores, sicut *dubit. præcedenti*, errorem circa qualitatem nobilitatis, diuitiarum, & similium irritare matrimonium, quando fit dependenter ab eâ qualitate, tanquàm à conditione, propter doctrinam generalem, quòd contractus initus sub conditione, eâ non subsistente non subsistit, vt post alios rectè docet & explicat Perez *disp.* 24. *sect.* 4.

59. *Alius casus in quo etiã dirimit.* Perez *post alios* Sanchez. Coninc.

Consentiunt etiam dirimere matrimonium, quando qualitas refunditur in personam nempe, si errando circa qualitatem, erratur circa personam, vt, quando femina putans se contrahere cum Principe hęrede Regni contrahit cum filio secundo, quem Hispani appellamus infantẽ; tunc enim errare in eâ qualitate, perinde est atque errare in persona. Ita post alios Perez ibidem Sanchez & Coninc.

60. *Non dirimit error qualitatis quãdo nec matrimonium fit dependenter ab illa, nec error dat causam contractui.*

Consentiunt tertio errorem qualitatis non dirimere matrimonium, quando ex vno capite qualitas non refunditur in personam, nec matrimonium fit dependenter à qualitate, tanquam à conditione, & ex alio capite error non dat

Etiamsi sit vinculis error.

Limita.

Discrimen notandum inter hoc & cætera Sacramenta. *Discrimen inter errorẽ antecedentẽ & incidentem, seu comitantem.*

dat causam contractui matrimonij; quia nimirum, adhuc fieret, etiamsi non erraretur circa qualitatem personæ.

61. *Status quæstionis quãdo error dat causam contractui.*

Tota iam difficultas est, an dirimat matrimonium, quando error qualitatis dat causam contractui?

62. *Affirmant aliqui dirimere.* Medina. *Præpositiuus.* Aristotel. *Probant* 1.

Non desunt qui putent dirimere. Ita Medina C. *de Restit. q.* 33. *paulo post principium.* Præpositiu. *c. vlt. in fine de Coniugio Leprosorum* videturq; deduci ex Aristotele 3. *Ethicor. c.* 3. vbi docet errorem cuiuscunq; circũstantiæ destruere volũtarium. Et omissis aliis leuioribus rationibus probari potest primò, quia errore qualitatis personæ existente nõ potest esse cõsensus perfectus in personã, qui requiritur ad valorem matrimonij, nã cùm voluntas sequatur apprehẽsionem intellectus, eo ipso quòd intellectus apprehẽdit feminam hanc in particulari, vt virginem, vel nobilem, non consentit voluntas in illã; nisi sub eâ qualitate cognitam, atque adeò ex defectu cõsensus deficiet matrimoniũ. Probatur 2. à simili; quia non valet largitio eleemosynæ datæ alicui, tanquàm pauperi, quem talem existimabat largitor per errorem; ergo nec valet traditio corporis alicui facta, tanquam diuiti, quem per errorem talem existimet ille, qui tradidit.

Probant 2. *à simili.*

63. *Assertio cũ communi Doctorum. Valere & non irritari. Prater alibi dicta. Fundamentum præcipuum.*

Asserendum nihilominus est, cum communi Doctorum tale matrimonium non esse irritum. In cuius rei probationem faciunt illa, quæ diximus *disp.* 1. *dub.* 23 *assert.* 1. & dicta *de Contractibus in genere* disputantes, quando deceptio seu dolus reddat nullum contractum. Fundamentum est, quòd *citatâ illâ dub.* 23. *assert.* 1. latiùs explicuimus nempe, quòd error qualitatis personæ non impediat perfectum voluntarium simpliciter, & cõsensum circa personam ipsam, quæ est materia substantialis matrimonij. Quod locum habet, etiam si error sit causa contractus, quia talis error in qualitate solùm causat inuoluntarium secundum quid, cùm quo simul cohærere potest voluntarium simpliciter, & necessarium ad valorem contractus matrimonij. Ex qua doctrina soluta manet prima ratio aduersariorum. Legatur Sanchez *disp. illâ* 18. *num.* 18. Gutierr. *de matrimon. c.* 89. *num.* 3. Molina *Tract.* 2. *disput.* 352. Couarr. 1. *p. c.* 5. *num.* 1. & alij apud Sanchez item Coninc disp. 31. num. 11. Layman citatus *dub. præcedenti num.* 2. Perez *disp.* 24 *sect.* 3. *num.* 7. & 8.

Inde soluta manet prima ratio aduersariorum. Sanchez. Gutierr. Molina. Couarr. *Alij apud* Sanchez. Coninc. Layman. Perez.

64. *Quæsitum.*

Quæret tamen aliquis, cur Ecclesiastico iure irritum sit matrimonium graui metu iniusto cogente, non autem interueniente dolo, cùm tamen vtrumque causet inuoluntarium admixtum, & iniuriam contineat?

65. *Responsio Laymani.*

Respondet Layman suprà rationem esse; quia quòd interuenerit vis iniusta grauis, plerumque demonstrari potest coram Ecclesia; at verò dolus fermè occultus est. Quare, ne multa matrimonia dubium valorem haberent, expediebat ea Ecclesiastico iure non infirmari, cùm alioquin spectato iure naturali valida sint. Quæ coniectura non videtur improbabilis, & addi potest, quòd quando vis interuenit absque dolo, ratio inuoluntarij admixti est expressa, & directa circa ipsam substantiam rei, id est circa ipsam personam, quam expressè reijcit, & renuit sibi associari, cùm tamen, quando interuenit dolus circa qualitatem, non sit ita expressa, & directa illa repugnantia voluntatis; atque adeò maior videtur ratio annullandi contractũ matrimonij per vim, quàm per metum.

Probabilis ea coniectura & responsio. Addet.

Ad secundam rationem aduersariorum, quæ sola restat soluenda; respondetur; negando paritatem Eleemosynæ ibi allatam; quia in Eleemosyna data non pauperi defuit titulus; nempe paupertas, quo deficiente, non valet ea donatio. In traditione verò corporis in matrimonium non deficit titulus, etiamsi deficiat ea qualitas; quia non est illa qualitas titulus, nec traditio fit corporis pro corpore.

66. *Ad secundã rationem aduersariorum. Disparitas in exemplo eleemosynæ.*

Ad Aristotelem respondetur; ibi loqui de circumstantiis pertinentibus ab substantiam actionis, vt interpretatur Vazquez 12. *disp.* 30.

67. *Ad Aristotelem.* Vazquez.

Non me latet Basilium *lib.* 4. *de matrimon. c.* 21. & aliquos alios Recentiores contendere non valere matrimonium, quando errans in qualitate contrahit expressè motus à qualitate, circa quam errat; quod tamen omnino falsum puto; nam ex eo, quòd moueatur à qualitate illâ adeò, vt, si non erraret circa illam, non contraheret; non colligitur, quòd contrahat dependenter ab illâ, tanquam à conditione, sed tantùm ab illâ tanquàm à causa finali. Hoc autem non sufficit ad inualidandum actum, nisi apponatur per modum conditionis, sine quâ non fieret Contractus, ita vt vnico actu feratur quis in ipsam qualitatem seu in obiectum, vt vestitum eâ qualitate, & non aliter, quo casu deficiente eâ qualitate deficit conditio. In quo sensu meritò consentit cum Basilio, Perez *disp.* 24. *sect.* 3, *num.* 7.

68. *Basilij & quorundam placitum quando errans in qualitate contrahit expressè motus à qualitate circa quam errat. Reijcitur.*

Quo sensu posset admitti ea sententia Perez.

Quoniam vero diximus esse aliquem errorem in qualitate, qui error refundatur in errorem personæ, meritò quærere possumus vnde dignoscatur, quando error qualitatis transeat in errorem personæ?

69. *Vnde discernatur quãdo qualitas refundatur in errorem personæ?*

Respondent communiter Doctores tunc errorem qualitatis redundare in errorem personæ; quando qualitas, in quâ erratur, respicit, aut denotat certam quandam determinatam personam distinctam ab eâ, quæ tunc præsens est. Ideò suprà exemplum adduximus in infante, seu filio secundo genito Regis, qui se fingebat Principem filium Primogenitum; quia femina illi nubens, tanquam primogenito Regis, errat errore qualitatis, qui refunditur in errorem personæ, quia nimirum illa qualitas respicit, & denotat alium, quàm sit ille, cum quo contrahit, atque adeò tunc femina non consentit in personam præsentem, sed in eam, quam sibi mente proposuit, nempe in primogenitum Regis. Quando verò qualitas non respicit, nec denotat, aut determinat certam aliquam, & indiuiduam personam, tunc error ille, est propriè error qualitatis; & non refunditur in errorem personæ, & consequenter tale matrimonium *supra* diximus valere. Ita Sanchez *lib.* 7. *disput.* 18. *num.* 25. & *duobus sequentibus*. Ledesma *quæst.* 50. *art.* 2. *dub.* 3. Coninc *disp.* 31. *num.* 12. Perez *supra*. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 32. Reginald. *lib.* 1. *num.* 95. & alij multi apud Sanchez. Legatur Sanchez *à num.* 28. vbi varias temperationes, seu limitationes prædictæ regulæ affert, & plerasque meritò reiicit, & earum aliquæ non tam sunt limitationes, quàm destruunt, & mutant ca-

70. *Communis doctrina circa hoc.*

Ledesma. Sanchez. Coninc. Perez. Nauarrus. Reginald. *Alij multi. Varia & plures eius doctrinæ limitationes reiiciuntur à Sanchez.*

sum;

sum, seu materiam assignatæ regulæ.

71. *Valet matrimonium feminæ, quæ contrahit cũ eo, qui se finxit nobilẽ aut diuitem aut Ducem, aut filium Regis nullo designato parente.* Perez. *Alij citati.*

Ex traditâ doctrinâ colligitur valere matrimonium fœminæ, quæ contrahit cum eo, qui se finxit nobilem, aut diuitem, aut ducem, aut filium Regis, non explicans cuius Regis filius sit; tunc enim est error solius qualitatis; illa enim qualitas apposita non determinat certam, & indiuiduam personam distinctam ab eâ, quę præsens est. Ita Perez & alij citati.

72. *Idem est si se fingat vnigenitum etiamsi habeat fratres.* *Ratio.* Sanchez. Sà. *Speculum.* *Alij multi.*

Idem est si se fingat filium vnigenitum Regis, etiamsi habeat alios fratres; nam error qualitatis, in quâ erratur non respicit certam, & determinatam personam distinctam ab eâ præsente, qualem respiceret, si se fingeret primò genitum, cùm verè sit secundò genitus. Ita Sanchez *supra* 36. Sà *verbo matrimonij impedimenta dirimentia num.*1. Speculum 1.*p.art.*28.*dub.*1. & alij multi.

73. *Quæsitum.*

Quæret aliquis, an valeat matrimonium, quando quis contracturus cum primogenitâ Petri, vult prius illam videre, an sit pulchra, sibique placeat: quia tamen ea pulchra non est, ostenditur illi secundò genita pulchra, vel filia alterius hominis, quæ visa ipsi placet. Posteà verò contrahit matrimonium cum primò genita Petri, non aduertens, an sit illa, quam priùs viderat, siue, quia more nationis velo tecta erat, siue, quia contraxit per procuratorem?

74. *Respõdetur.* *In simili.*

Respondeo valere, quia tantùm interuenit error qualitatis; non personæ; duxit enim primogenitam Petri, quam ducere intendebat, & quæ sibi fuerat promissa; quamuis errauerit in qualitate pulchritudinis. Qui casus non est absimilis ei, quem ex Tabiena refert, & expendit Sanchez *supra num.*35. & Coninc *num.*18. & Perez contra Basilium *sect.*4.*num.*8. ostendens rectè respondisse Tabienam.

Tabiena. Sanchez. Coninc. Perez. *Contra* Basilium.

75. *Quid si promissa sit vna ex filiabus Petri indeterminatè & ostẽdatur vna, sed postea detur altera?*

Secus verò dicendum est, si illi promissa fuit vna ex filiabus Petri indeterminatè absque vllâ notâ singulari, v.g. non denotando primam, vel secundam, vel tertiam: tunc si fortè ipsi volenti videre sponsam ostendatur vna pulchra, postea verò tempore contractus substituatur alia æquè pulchra, vel pulchrior, quo fanè casu matrimonium est nullum propter errorem personæ; putat enim homo ille se contrahere cum eâ, quam vidit, & ad quam dirigit intentionem suam, atque adeò nunc neque in præsentem, neque in absentem aliam propriè consentit, & determinatè: non in absentem; quia ita fertur in illam, vt consentiat cum eâ sibi mutuò respondente, & consentiente; quod tamen illa tunc non præstat, vtpotè absens, & fortè rei omnino ignara: non in præsentem, quia non est illa; quam putat, atque adeò ex omni capite corruit matrimonium. Qui casus non est absimilis illi, quem explicat Conink *num.*19.

76. *Regula ex dictis colligitur ad discernendum quæsit. aut non sit qualitas, cuius error redundet in personam.* Sanchez.

Ex totâ doctrina præcedenti colligitur breuiter hæc regula; tunc, scilicèt esse errorem circa qualitatem, qui redundat in errorem personæ; quando error est circa qualitatem, quæ certam personam designat, alioquin priùs ignotam contrahenti absque illâ qualitate, nec cõstat cõtrahentẽ voluisse consentire in personã sibi præsentẽ, quæcunq; illa sit; nam, si hoc vltimũ velit, nec error personæ sufficiet, vt dicebamus dub. præcedenti. Legatur Sanch. locis citatis.

DVBITATIO VI.

An & quâ ratione error conditionis seruilis dirimat matrimonium?

77. *De quibus seruis præsens quæstio sit.*

SErmo est de propriè seruis, non de adscriptitiis, de quibus nonnihil dixi *in nostro opere de Iustitia lib.*2.*tract.*1.*disp.*1. *num.*150. *& locis ibi notatis*, qui absolutè liberi sunt, vt etiam infra in simili notabimus *dub.*9.*num.*99.

Assertio. Asserendum est errorem, circa qualitatem conditionis seruilis, si alter contrahentium ingenuus erat, & liber irritum reddere matrimonium *cap.*2.*& vltimò de coniug.seruorum* & docet D. Thomas *in* 4.*dist.*36. *quæst.vnicâ art.*1. Bonauentura *art.*2.*quæst.*2. Richard. *art.*1. *&* 2. Durandus *q.*1. Fundamentum est; quia expedit, vt matrimonium contrahentes, & tradentes mutuam corporum potestatem æqualiter sibi mutuò obligentur ad generationis finem, & matrimonialem vitam. Quod tamen non habet locum inter coniuges liberum, & mancipium; nam liber plenam sui corporis potestatem dat alteri, & obligat se ad indiuiduam vitæ Societatem; mancipium verò id integrè præstare non potest, cùm in Domini sui potestate constitutus iure possit ab illo vendi; in terrásve longinquas ablegari, & occupari domesticis negotijs, vt vix aliquid maneat temporis impendendum coniugi; vt constat *ex c.*1.*eodem titulo.*

Constat ex legibus. D. Thom. D. Bonau. Richard. Durand. *Fundamentum.*

78. *Valebit si liber sciens sponte admittat coniugem conditionis seruilis.*

Si tamen homo ingenuus, vel liber, non ignorans alterius conditionem seruilem, cum eo sponte contrahat, valebit matrimonium iuxta *citat. c.vltimum* non minùs, quàm, si vterque esset mancipium.

79. 80.

Quando verò vterque sunt paris conditionis, an valeat matrimonium? in sequentibus dicemus.

An dicta iure naturæ vel solum positiuo fundentur.

Difficultas modo est, an error conditionis seruilis naturali iure dirimat matrimonium, vel solum Ecclesiastico?

81. *Quidam putant iure naturæ.* Palatios. Sylvester. Angles.

Aliqui putant dirimere iure naturali. Ita Palatios *in* 4.*dist.*3. *q.vnicâ.* Sylvester *matrimon.*6. *quæst.*1. Angles *in floribus* 4.*sentent.p.*1.*dist.*36. *q. de errore conditionis art.*1. *dub.*1. videturque deduci ex eo, quòd in nullo Canone prædictum matrimonium irritetur; sed tantùm supponatur esse nullum. Præterea; quia (vt nuper dicebamus) corpus Mancipij est valdè impeditum ad vsum coniugalem, & Societatem matrimonialem, vtpotè dependens ex voluntate Domini: ergo, quando defectus iste tacetur, aut ignoratur, contractus matrimonij est iure naturali nullus, non secùs, atque venditio rei, cuius vsus pendet à voluntate alterius, nulla est, quando tacetur, & ignoratur ille defectus: nam venditio rei fit, vt transferatur in emptorem dominium rei non impeditum quoad vsum.

82. *Assertio.* *Solo iure Ecclesiastico esse impedimentum hoc.* S. Thom. S. Bonau. Durand. Maior. Paludan. Gabriel. S. Antonin. Sotus. Victoria. Nauarrus.

Asserendum est solùm iure Ecclesiastico esse irritum matrimonium prædictum. Ita Sanctus Thomas *in* 4.*dist.*36.*quæst.vnicâ art.*1. *ad tertium*, & *in supplemento* 3.*partis q.*51.*art.*2. Bonauentura *dist.*36.*art.*1. *quæst.*2. Durandus *q.*1. *Maior dist.*30. *quæst.*1. Paludanus *quæst.*1.*art.*2. Gabriel. *q.*1.*art.*2. Antonin. 3.*p.tit.*1.*cap.*3. Sotus *dist.*35.*quæst.*1.*art.*2. Victoria *in summâ de matrimon. num.*270. Nauarrus

Pet. Ledes. Tanner. Coninc. Sanchez. *Cum multis tũ Theologis tum Iuristis.* *Probabilius tamen est prior sententia.* *Ius positiuũ valde conforme in hoc iuri naturali.* Perez. Rebellus. Mæratius. Hurtadus. *Ratio generalis.*

uarrus *in manuali c.22.num.33.* Petrus de Ledesma *quæst.25.art.1.* Tannerus *disp.8.q.3.dub.3.n.51.* Coninc *disp.31.num.22.& 24.* Sanch. *disp.illâ 19. num. 16.* cum innumeris aliis Iurisperitis, & Theologis, quos refert, quamuis meritò oppositam sententiam ipse probabilem iudicet, & doceat ius positiuum ita disponens & irritans esse valdè conforme iuri naturali, quod mihi etiam placet & parum abest, quin in eam sententiam inclinem. Non tamen deserenda est communis sententia, quam etiam sequitur Perez *disp.25.sect.1.num.2.* referens Rebellum, Mæratium Hurtadum. Ratio verò generalis est, omissis aliis, quia seruitus non est defectus substantialis personæ; sed qualitatis, ac proinde error, seu ignorantia illius non aufert consensum & voluntarium simpliciter circa materiam substantialem matrimonij, nec seruitus omnino tollit, aut impedit vsum matrimonij liberum, sed tantùm certis temporibus, nempè quando iustè & rationabiliter dominus occupat seruũ; neque hoc aduersatur substantiæ matrimonij, ad quam sufficit absoluta traditio potestatis corporis, & obligatio ad reddendum debitum, quando legitimum impedimentum non obstet; alioquin concedendum esset, seruitutis conditionem etiam cognitam aduersari substantiæ matrimonij, & reddere illud inualidũ, quod aduersarij non concedunt.

82. *Ex dictis patet ad argumentum aduersariorum secundo loco positum.*

Atque ex hoc patet ad argumentum aduersariorum secundo loco positum; dicimus enim sufficere ad valorem matrimonij ex naturâ rei, quòd sit traditio corporis, quantum est ex se, expediti ad vsum, quem non semper potest dominus rationabiliter impedire, vt explicatum est, neque paritas petita ex contractu venditionis vim vllam habet, tùm, quia, neque ille defectus in re venditâ obstat ex naturâ rei valori venditionis, quamuis fortè sit peccatum iniustitiæ sic vendere; tùm; quia non desunt, qui probabiliter dicant in venditione rei ad substantiam materiæ contractus pertinere vsum liberum, & expeditum rei; id enim est, quod simul cum re ipsâ venditur, & emitur; nisi aliud exprimatur, aut deducatur in pactum. Sed de hoc non est huius loci disputare; diximus quantum satis visum est in nostro opere *de Iustitiâ* in proprio Tract. *de emptione, & venditione.*

83. *Quid colligatur ex eo quod in iure scripto quod hodie extat supponatur potius quàm inducatur hoc impedimentum?*

Quod autem dicitur, non reperiri aliquem Canonem, seu ius scriptum, in quo tale impedimentum primò inducatur; sed in omnibus textibus supponi; tantùm probat eam seruitutem ignoratam à contrahente dirimere non tãtùm iure scripto, in quo id supponitur, sed alio iure antecedente, siue viuâ voce tantùm tradito, siue etiam aliquando scripto; sed adhuc scripturâ non extante, aut denique consuetudine receptâ in Ecclesiâ. Vnde non suscipio in me probare id statutũ esse in duobus textibus: primus est *in c. finali. de coniugio seruorum.* Secundus est Canon *si quis ingenuus 29. q.2.* in quibus aliqui contendunt id esse statutum & non potius in iis supponi esse matrimonium nullum, quidquid enim de his sit, satis est, quòd Ecclesiasticâ consuetudine, & fortè scripta antiquiori lege, quæ non extat (neque enim omnes leges antiquæ positiuæ hodie extant) iam esset ita constitutum in Ecclesia Dei: idque probabili ratione deducimus, quia non est ratio, quæ efficaciter probet id habere seruitutem ex naturâ rei, & cùm constet de facto dirimere matrimonium, quando initium ignoratur, recurrimus ad ius positiuum, siue sit scriptum, siue ex consuetudine receptâ. Et quidem quod tempore Innocentij III. cuius est ille textus capitis finalis) vel tempore Pipini Regis, qui interfuit Concilio habito apud Vermeriam (vnde sumptus est ille Canon) iam fuisset hoc receptum in Ecclesiâ Dei, mihi verò similius est, cùm in iis non tàm statuatur quid posteà seruandum esset, quàm quid iam res haberet; præsertim cùm ibi decidantur casus iam præteriti, ergo non sunt illæ primæ leges pro talibus casibus.

DVBITATIO VII.

An matrimonium liberi cum ancilla valeat, si error vel ignorantia seruitutis sit nimis crassa?

84. *Quorundã affirmans sententia.* Sotus. Rodrig. Vega. Barth. Led. Ludouic. Lopez.

A Liqui affirmant valere. Ita Sotus *in 4. dist. 35. q. vnicâ art.2.* Rodriguez *in Summa c.213. num.3. in 2. editione.* Vega, Bartholom. de Ledesma, Ludouicus Lopez apud Sanchez *disput.19. num.19.* Probari potest 1. quia ideò Ecclesia irritauit matrimonium, ne fieret iniuria ignoranti, hæc autem ratio cessat vbi ignorantia est valde crassa, & leuis. Secundò quia metus leuis non irritat: ergo neque ignorantia leuis, Tertiò, quia talis ignorantia æquiparatur scientiæ.

Probatur 1. *Probatur 2.* *Probatur 3.*

85. *Assertio negans valere.* *Ratio.*

Assero nihilominùs, tanquàm probabilius, hoc matrimonium non valere, quia, vt matrimonium inter liberum, & mancipium valeat, requiritur electio libera, & omnino voluntaria talis conditionis seruilis, vt contrahens eâ ratione liberè cedat iure suo, quæ cessio est quædam condonatio, donatio autem irrita est ex errore, quantumuis crasso: sic, qui vult donare Petro, & errore leuissimo ductus donat Ioanni; non validè donat; deficit enim donandi voluntas. Confirmatur; quia, sicut iure naturæ exigitur consensus in personam ad matrimonij valorem, & irritatur quocunque errore crassissimo personæ, qui tollit consensum directum, & formalem in talem personam, (vt rectè probat Sanchez *lib.7.disp.18.num.7.*) ita iure Ecclesiastico requiritur voluntarius omnino consensus directus in illam conditionem seruilem ex parte liberi contrahentis; ergo etiam hîc consensus irritabitur ex quacunque ignorantiâ, vel errore crassissimo, & temerario. Omitto alias rationes, quę videri possunt apud Sanchez *supra num.20.* qui hanc sententiam sequitur, & pro ea refert Abbatem, Alexandrum de Neuo, & Præpositiuum. Adde Perez *disp.25. sect.3. num.4. & seq.* Coninc *disp.31.dub.2.num.26.* Hæc doctrina locum habet, etiamsi, qui contrahit cum ea quã putat esse liberam, & est ancilla, ita sit affectus, vt si sciret esse ancillam, non minùs libenter contraheret cum illâ; quia licèt illa ignorantia non faciat in eo casu actũ esse inuoluntarium; facit nihilominùs nõ voluntarium, vt in omnino simili dicebamus *supra n.56. & 57.* dẽ errore personæ;

Confirmatur. Sanchez. *Alias rationes affert Sanchez.* Abbas. Alexand. Neuo. *Præpositiuus* Perez. Coninc. *Vera est ea doctrina etiam si ita affectus contrahat, vt quamuis sciret seruitutem, contraheret.* *Ratio.*

sonæ, quæ putabatur Maria, & est Ioanna, qui error etiam comitans, & incidens tollit voluntarium, & causat, si non involuntarium, saltem non voluntarium. Atque ita docet in præsenti etiam Sanchez *lib.1. disp.65.* Rebellus *lib.3.q.3.sect.2 num.18.* & alij, quos sequitur Perez *disp.25 sect.3 num.11.* In vno autem casu non inualidat contractum talis error, nempe si quis intenderet contrahere cum tali coniuge, siue eius conditio sit seruilis, siue non, vt cum Richardo in 4. *dist 36. art.1.q.1.* notârunt Perez supra; & alij, quia tunc contrahenti voluntaria omnino est conditio seruitutis.

Sanchez. Rebellus. *Alij quos sequitur.* Perez. *Limitatio ex eodem Perez & alijs.* Richard.

86. *Ad primũ contrariæ sententiæ.* Ad primum argumentum respondetur etiam in ignorantiâ crassâ conditionis seruilis irrogari iniuriam patienti illam ex parte inducentis dolo talem ignorantiam, seu errorem, qui etiam tollit voluntarium directum, & perfectum ad cedendum iure suo, vt dictum est. Prætereà ius Canonicum irritans matrimonium initum absque scientiâ conditionis seruilis, non tàm attendit modum irrogandi iniuriam ex parte personæ seruilis conditionis decipientis occultando, aut negando illam: quàm dolum re ipsa contingentem, & damna inde sequuta, quæ noluit sustineri, à personâ liberâ; nisi sciens ac prudens iuri suo cedat, alioquin valeret matrimonium, quando nullus dolus, aut culpa adesset in seruo, existimante scilicèt id occultare non esse peccatum, aut consortem esse similis conditionis, aut certè ignorante propriam suam seruilem conditionem, quæ posteà probata est, & apparuit.

87. *Ad secundum.* Ad secundum respondetur negando paritatem, quia metus minuit quidem libertatem; sed non aufert consensum; ideò illius solius metus habetur ratio, qui censetur grauis momenti, qualis est solus cadens in constantem virum; quia ille solus censetur valdè notabiliter minuere libertatem; error verò, quicunque sit; tollit consensum circa rem, in quâ erratur.

88. *Ad tertium.* Ad tertium respondetur errorem, seu ignorantiam crassam æquiparari quidem scientiæ, quantum ad culpam, & pœnam culpæ correspondentem, quia actus est indirectè & interpretatiuè volitus propter obligationem, siue aduertendi, siue adhibendi moralem diligentiam ad pellendum errorem, aut ignorantiam; atque adeò præceptum obligans ad aliquid, consequenter obligat ad adhibendam diligentiam ad aduertendum, & cauendum, ne violetur. Cum autem nullum præceptum sit contrahendi cum persona liberæ conditionis; non est cur culpa adscribatur ipsi contrahenti cum eâ inaduertentiâ, ac proinde non est cur hæc censeatur indirectè volita.

DVBITATIO VIII.

An quicunque error conditionis seruilis irritet matrimonium, quamuis sit æqualis, aut dignioris conditionis altera persona?

89. *Casus pro quibus habet locum hæc dubitatio.* COntingere potest, vt liber contrahat cum liberâ credens illam esse ancillam, erretq; circa conditionem, & dignior sit conditio alterius, quàm ipse putabat. Item contingere potest, vt seruus contrahat cum liberâ, putans eam esse seruam, & inuenta sit nobilioris conditionis. Item, vt seruus contrahat cum serua, credens eam liberam, erret quidem in conditione; sed inuenit eam æqualem suæ. Quærimus ergo; an irritetur matrimonium, quamuis quis ita erret in conditione seruili alterius, vt inueniat consortem esse æqualis, aut dignioris conditionis, vel solùm tantùm irritetur: quando inuenitur deterioris conditionis?

90. *Assertio emissis quibusdam sententijs.* Sanchez. Conine. Tanner. *Multi Theologi & Iuristæ.* Duas sententias refert *Glossa 29.q.2. in Summa* verbo *secunda*, quas etiam refert ex illâ Sanchez *lib.7. disp.19. num.22.* quas nec vacat nec iuuat referre, sed asserendum est cum eodem Sanchez *num.23.* & cum Conine *disp.31. num.24.* Bonacina *quæst.3. puncto 3. num.1.* Tannerus *disp.8. de matrimonio q.3. dub.3. num.51.* & cum innumeris alijs Theologis, & Iurisperitis, quos refert Sanchez non omnem conditionis errorem inualidare matrimonium: sed tantùm, quando talis est error, vt fiat deterior errantis conditio, idemque docet Perez *disp.25. sect.2. num.8.* Ratio efficax & peremptoria in hoc negotio est, quia iuxta dicta *dub.6.* hoc impedimentum erroris conditionis seruilis solùm inductum est iure Ecclesiastico. Ecclesia verò solùm irritat matrimonium inter eos, quorum alter est liber, alter verò seruus, constatque ex Textibus à nobis allatis, nempe *cap.2. & 3.* & finali de Coning. Seruorum. Item *c. si quis ingenuus 29.q.2.* imò etiam in legibus ciuilibus id reperitur. Auth. *Ad hoc C. de Latin. libert. &* in Castellâ *lib.11. tit.2. Part.4. & l.1. tit.5. eadem Partitâ.* Prætereà ratio, ob quam Ecclesia hoc impedimentum induxit, est vt impediret iniuriam irreparabilem, quæ inferretur homini libero, & ingenuo ignoranti conditionem seruilem alterius personæ, cum quâ contrahit, &, vt auerteret grauem contractus inæqualitatem. Sed, quando conditio alterius personæ, in cuius qualitate erratur, dignior est; quã putabat errans, aut certè omnino par conditioni errantis, iniuriæ grauitas cessat, & inæqualitas contractus nulla est: non est ergo vnde valori matrimonij obstet talis error.

91. *Concluditur doctrina ex dictis.* Habemus ergo ex prædictâ doctrinâ seruum contrahentem cum seruâ, quam credebat esse liberam, & tàm seruum quàm liberum contrahentem cum libera quàm putabat seruam, validè contrahere, vt habetur in citatis Textibus, si aliunde non sit impedimentum.

92. *Cessant ex dictis omnia argumenta quæ in contrarium solent afferri.* Sanchez. Ex quâ doctrinâ cessant omnia argumenta, quæ in contrarium solent afferri. Ideò non immoror in iis, vel referendis, vel diluendis. Legatur Sanchez *à num.22.* vsque *ad 24.*

DVBITATIO IX.

An conditio seruitutis dirimat matrimonium? & an seruus sciente & non contradicente domino cum liberâ seruitutis ignarâ contrahens matrimonium consequatur libertatem?

93. *Disputatũ fuit de errore seruitutis, nunc de seruitute* EGimus hucusque de primo impedimento dirimente, & præoccupauimus aliqua, quæ spectant

ipsa, & aliqua anticipatò dicta sunt, quibus prior pars soluitur.

spectant ad secundum conditionis seruilis, quatenus error potest circa eam conditionem versari: Nunc de ipsâ conditione seruili secundùm se videndum est, an dirimat matrimonium? Atque in primis certum est nõ dirimere iure naturali iuxta dicta *in præcedentib. dubit. ex c.* 1. 2. & 4. *de coniug. seruorum.* Ratio generalis est, quia seruitus non est defectus substantialis personæ, quæ est materia substantialis matrimonij, sicut ingenuitas, seu libertas non est substantia personæ, sed qualitas. Si autem esset defectus substantialis non valeret matrimonium, etiamsi celebraretur cum cognitione talis defectus. Cuius oppositum constat ex prædictis capitibus. Atque hoc sufficiat pro prima parte tituli dubitationis.

Non dirimit ea conditio iure naturali.

Prior pars dubitationis ex his manet resoluta.

94. *Circa secundã partem dubitationis.*

Circa secundum verò, quod quærimus de contrahente seruo, domino non contradicente in matrimonio, quod init cum liberâ seruitutis ignarâ, supponendum est iure Ciuili communi, & iure Castellæ, quando Dominus tradit mancipium, siue masculum, siue feminam alteri libero seruitutis ignaro in coniugem, tanquàm liberum, statim eo ipso consequi libertatem, vt rectè probat Sanchez *lib.* 7. *disp.* 20. *nu.* 1. ex Auth. *Ad hoc* C. *de Latina libertate*, & ex Auth. *de nuptiis collat.* 4. §. *Si verò decretum.* ex quâ prior alia desumpta est, & ex *l.* 1. *titul.* 5. & *l.* 5 *titul.* 22. *Partita* 4.

Supponendum.

95. *Status præsentis quæstionis.*

Solùm ergo quærimus; an etiam libertatem consequatur, quando non traditur eo modo à Domino, sed seruus ipse contrahit cum liberâ ignarâ seruitutis, vel è contra serua çum libero, Domino tamen sciente, & non contradicente?

96. *Iure Cæsareo communis sententia est consequi libertatem, si Dominus sciat & dolosè taceat.* Molina. Henriq. Sanchez.

In quo casu quod attinet ad ius commune Cæsareum communiter docent Doctores statim consequi libertatem; quando Dominus scit, & studio, hoc est, dolosè, tacet seruitutem, vt cum multis testantur; & docent Molina *tomo* 1. *de Iustitia Tract.* 2. *disp.* 39. §. *Septimus est*, & Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 10. *num.* 4. Sanchez *supra nu.* 5. In Regno verò Castellæ consequitur eandem libertatem eo ipso, quòd Dominus non contradicat. Contendit autem Sanchez semper debere interuenire dolum, idque colligi ex citatis Legibus; alioquin seruus non consequetur libertatem. Quod mihi satis probabile apparet.

In Castella consequitur eo ipso quod Dominus nõ contradicat. Sanchez putat requiri dolum, quod satis probabile est.

97. *Iure naturali non consequitur libertatem.*

Iure autem naturali nunquàm seruus consequitur libertatem. Quare nec taciturnitate, nec non contradictione, imò nec prædictâ traditione positiuâ mancipij, tanquàm liberi in coniugem alteri libero, censetur illum donare libertate, licèt ex alio capite possit Dominus obligari iure naturali ad concedendam eam libertatẽ saltem pro vitâ coniugis liberi, si hic exigat in recompensationem iniustitiæ sibi factæ per eam dolosam traditionem.

98. *Colligitur ex dictis ibi tantum consequi libertatem vbi tales leges aut alia similes vigẽt. Idem iudicium est de impedimento erroris circa conditionem seruilem.*

Ex dictis colligitur extra Prouincias Imperio subiectas, & extra Regnũ Castellæ vbi prædicta lex vim habet, mancipium non consequi libertatẽ, nisi simili aliâ Lege in talibus Prouincijs id ipsum cautum sit. Quæ doctrina etiam habet locum pro impedimento erroris circa conditionẽ seruilem, quod diximus non habere locũ iure naturali, sed tantùm positiuo *dub.* 6. & docẽt communiter Doctores nostræ sententiæ.

Notandum est præterea cum plerisque Doctoribus contra paucos alios ea, quæ diximus in hac dub. & in præcedentibus circa conditionem seruitutis non se extendere (vt notabam *n.* 76.) nisi ad propriè seruos, qui mancipia dicũtur, in quos Dominus plenum ius habet eos vẽdendi, & quibusuis operibus occupãdi; non verò ad eos, qui dicuntur adscriptitij, eo quod adscripti sint glebæ, siue agro, quem in Domini cõmodum tenentur colere, inde tantùm deducẽtes ea, quæ vitæ suæ sustentãdæ necessaria sunt, quorum filij dicuntur originarij serui, qui præter hanc obligationem, quam perpetuam habẽt, alias liberi sunt; neque possunt à Domino vendi; neque ipsum Dominum, sed agrum sequuntur, ad quemcunque veniat. Quâ de re legi potest Panormitanus *in c.* 2. de Iudæis, & Saracenis *notabili* 1. & Glossa ibid. verb. *liberi sint.* Itaque hi posteriores non veniunt intelligendi nomine serui in iis omnibus, quæ diximus, & dicemus de conditione seruili. Legatur Sanchez *disput.* 19. *num.* 1. & 9. & *disp* 29. *num.* 7.

99. *In dictis hucusque nõ comprehenduntur serui qui dicũtur adscriptitij.*

Adscriptitij serui vnde & quare sic dicti.

Panormit. Glossa.

Sanchez.

Tandem certum est, quòd si Dominus in matrimonium tradat ancillam libero seruitutis si conscio dotis instrumentum ancillæ conficiens, eo ipso ancilla fiat libera. Constat ex *l. vnica* §. *sed, & si quis homini* C. *de Latin. libert.* quamuis autem ibi non explicetur in casu legis, an liber nosset seruitutem, at manifestum est ita intelligi propter immediatè insertam *Authent. Ad hoc.* vbi altero ignorante seruitutem decernitur ancillam consequi libertatem, siue Dominus iam collocans confecerit dotalia instrumenta, siue non; alioquin nihil peculiare statueretur in illâ *l. vnicâ*. Legantur Sanch. *disp. illâ* 20. *n.* 9. & Molina *supra*.

100. *Ancilla data sit à Domino suo alicui libero conscio seruitutis, & Dominus ei dotem constituat eo ipso fit libera. Constat ex legibus.* Sanchez. Molina.

DVBITATIO X.

An quando mancipium contrahens cum libero seruitutis ignaro, libertatem consequitur, matrimonium validè fiat?

101. *Sententia negans.* Couarruu. Greg Lop. *Recentiores.* Hurtado *apud* Perez.

ALiqui negant satis probabiliter. Ita Couarruu. 4. *Decretal.* 2. *p. c.* 3. & Gregorius Lopez *lib.* 1. *tit.* 5. *Partitâ* 4. quos sequuntur aliqui Recentiores, inter quos Hurtado apud Perez *disp.* 25. *sect.* 25. *sect.* 5. *nu.* 1. Fundamentum præcipuum est, omissis alijs; quia iure Canonico seruitus ignorata absque vllâ limitatione dirimit matrimonium; sed, quando matrimonium celebratur, adest dicta seruitus: ergo verè dirimit matrimonium.

Ratio ex iure Canonico contra Ciuile.

102. *Colligunt iidem Auctores, non valere etiã vbi leges Imperiales vrgent.*

Ex hac sententiâ colligũt eius Auctores, supposito iure Canonico non habet locum ius Ciuile dubitationibus præcedentibus citatum pro matrimoniis baptizatorum etiam in Prouinciis Imperio subiectis; quia ius Ciuile non habet vim contra ius Canonicum, quo absolutè in baptizatis tale matrimonium irritatur. Quod autem secundum ius ciuile seruitus illa immediatè post factum vel attentatum matrimonium cesset, non putant hi Auctores sufficere, quia verè est seruitus, quando matrimonium fit; nec putant esse parui momenti, quod adsit, cùm efficiat seruitus personam maximè vilem adhuc magis, quàm seruitus præcedens, etiamsi hæc

iure Canonico matrimonium non dirimat.

103. *Assertio affirmans. Sanchez. Sà. Rodrig. Perez. Rebellus. Alij multi apud Sanchez.*

Asserendum nihilominus est cum Sanchez *lib.7.disp.20.num.14* Sà verbo *matrimonij impedimenta dirimentia nu.2.* & in Ordine impedimentorum *num.14.* Rodrig. in *summa 2.editione c.223. num.4.* Perez *supra nu.2.* Rebellus *lib.3.q.3.sect.2. num.15.* cum multis aliis quos ibi refert Sanchez, prædictos seruos consequi libertatem, & matrimonium consistere, vt habetur in eâ Authent. *de nupt. §. Si verò decretum.* vers. *hoc autem decernimus*, & vers. *si verò.* Fundamentum præcipuum nostræ sententiæ est, quia sic disponitur in Lege Ciuili citatâ; & ius Canonicum non resistit, imò hoc est illi magis conforme ergo valet. Antecedens quoad primam partem constat ex Authenticâ citatâ, quoad secundam verò probatur, nempe quòd ius Canonicum non resistat, quia, nec, quando fit tale matrimonium, existit seruitus, neque inconuenientia, ob quæ ius Ecclesiasticum irritauit matrimonium, in eo casu sequuntur; quia, nec possumus dicere eam personam, quæ eo vsque fuit mancipium manere impeditam ad præstanda illa bona, & munera talis status, scilicèt ad individuam cohabitationem, ad reddendum liberè, & expeditè debitum, & similia, ratione quorum diximus ab Ecclesiâ inductum esse tale impedimentum. Hæc enim omnia incommoda cessant eo ipso, quòd in illo instanti, quo initur matrimonium, desinit coniux esse mancipium, & fit liber.

Præcipuum fundamentū est ius Ciuile citatum cui ius Canonicum non resistit.

104. *Argumentū premitur more Philosophico.*

Præterea, si rem ad Philosophiæ trutinam vocemus falsum assumunt aduersarij, quòd, quando matrimonium celebratur, adsit prædicta seruitus; nam si semel supponamus auctoritate iuris per ipsum matrimonium tolli seruitutem, falsum est dicere, quòd in illâ duratione siue instantaneâ, siue temporaneâ, physicè & Mathematicè loquendo, existat seruitus, cùm ex iure fint incompossibilia illud matrimonium, & seruitus, ita, vt more physicorum loquendo, primum esse vnius sit primum non esse alterius, & quotiescunque est verum dicere *est matrimonium*, sit verum dicere, *non est seruitus*; atqui Ecclesia suis Decretis solùm vult, quòd nunquàm coniungatur seruitus ignorata à libero contrahente cum matrimonio valido, quod contingit in nostro casu: ergo non solùm ius Ecclesiasticū non resistit, sed hoc ipsū est magis conforme.

105. *Confirmatur & declaratur.*

Confirmatur, & declaratur me quidem iudice efficaci argumento; nam, si aliquod impedimentum est dirimens tale matrimonium, non est ipsa seruitus per se, vt omnes concedimus, nam eadem ipsa, si sciretur à contrahente libero, non irriraret: ergo sola ignorantia, vel error talis seruitutis est, quæ impedit. Nunc ergo inquiro cuius seruitutis ignorantia, vel error impediat in hoc casu? an ignorantia, vel error seruitutis existentis, & durantis tempore immediatè antecedenti matrimonium? vel error, seu ignorantia seruitutis existentis tunc, quando primò existit, & fit matrimonium? Non quidem prior ignorantia vel error, quo iudicaret contrahens toto illo tempore antecedenti personam, cùm quâ vult contrahere, esse liberam, cùm reuerà non sit; nam quamuis toto tempore illo laborasset eâ ignorantiâ, vel errore, si in ipsâ duratione contractus iam non ignoraret, aut erraret, contractus valeret; quia nullum est impedimentum. Restat ergo, quòd sola ignorantia, vel error illius temporis, in quo fit cōtractus, & primò existit, impediat: atqui tunc nulla potest esse talis ignorantia, vel error, quo iudicet falsò eam personam esse liberam; tale enim iudicium non est falsum; sed verum pro illo instanti, aut duratione, in quâ (vt supponimus) talis persona, quæ eousque fuerat seruilis conditionis incipit esse libera.

106. *Declaratur amplius doctrina.*

Vnde non cessat (si consequenter loquamur ad nostram sententiam) seruitus statim post factum, aut attentatum matrimonium (vt aduersarij dicebant) sed statim cum ipso matrimonio, ita, vt nullâ duratione priùs sit matrimonium, quàm libertas. Quod autem matrimonium sit prius natura quàm libertas, non tollit temporis simultatem; atque adeò non tollit, quin verum sit, quod tale matrimonium cum persona fiat, quæ verè iam sit libera à seruitute.

107. *Explicatur etiam duplici exemplo, vno Theologico, & Philosophico altero. Philosophicū exemplum.*

Explicari potest altero philosophico, & altero Theologico exemplo. Sicut enim in Philosophia vera, (quidquid aliqui Philosophastri effutiant,) vt verum sit formam non induci in materiam, nisi sit libera à præexistenti formâ, sufficit, quòd licèt ad vsque instans inductionis formæ semper habuerit præcedentem formam, in illo tamen instanti iam non habeat, etiamsi illa forma de nouo aduenies sit, quæ ipsā pellat; nā eâ aduenīente verū est dicere formā intrare in materiam liberā à præexistente forma. Itē vt in Orthodoxa Theologia verū sit dicere, quòd corpus Christi nō incipiat esse sub accidētibus panis, nisi iam liberatis accidentibus à substātia panis, sufficit, quòd quādo verū est dicere, nūc est corpus Christi, sit etiam verū dicere, nunc non est substantia panis, etiamsi dicamus ipsam substantiam Corporis Christi quasi formaliter pellere substantiam panis, & etiamsi dicamus toto tempore antecedente ibi extitisse substātiam panis. Sic ergo in nostro casu ad hoc vt sit verum dicere, quòd tale matrimonium nō contrahatur nisi cum persona iā libera à conditione seruili, atque adeò nō cū errore cōditionis seruilis, sufficit, quòd tunc, quando matrimoniū contrahitur, desinat esse conditio seruilis, etiāsi toto tempore antecedenti fuerit, & etiamsi per ipsum matrimonium ex dispositione legis tollenda sit seruitus, & liberanda persona à conditione seruili, atque adeò tunc non subsistit impedimentū Ecclesiæ, quia tūc non subsistit conditio seruilis, cuius ignorantia aut error dirimat matrimonium. Atque ex his patet ad fundamētum aduersariorum; neque dum non est quod, quando matrimonium celebratur adsit seruitus & ignorantia illius.

108. *Quid in hac re Sanchez dicat nobis non probandum.*

Ideò maximè displicet Sanchez, qui quamuis sententiam nostram sequatur, & dixerit *citato n.14.disp. illa 20.* coniugem seruilis conditionis statim eodem momento, quo perficitur matrimonium liberum fieri, nihilominùs *disp.19. præced.n.4.* cùm dixisset: *quod statim ac initum fuerit matrimonium, consequatur per illud ancilla illa libertatem*: mox subiungit: *cùm tamen verè tempore consensus coniugalis fuerit ancilla*: quæ verba, si intelligantur de illa morula, in qua in-

incipit exprimi consensus, antequam sit sufficienter signis expressus ad contrahendum, vera sunt; sed extra rem quia, nondum existit matrimonium, donec sit cõsensus sufficienter expressus. Si vero loquatur de tempore, quo iam est sufficienter expressus vtriusque consensus, falsum est dicere quòd tempore consensus illius fuerit ancilla, repugnat enim in nostro casu & sententiâ esse matrimonium, & ancillam simul.

109. *Obiectio pro Regno Castellæ.* Obijci potest contra nostram sententiam id, quod pro Regno Castellæ vim magnã videtur habere, scilicèt eius Regni *Lex. 1. in fine tit. 1. Partitâ* 4. vbi statuitur tales personas seruilis conditionis sic contrahentes esse quidẽ liberas eo ipso, quòd tali modo ineant matrimonium; at matrimonium illud est nullum. Quod vltimum est contra nostram sententiam.

110. Respondet Sanch. *cit. n.* 14. eam legem solùm arguere conditores illius fuisse talis opinionis; sed eam non habere vim legis quantum ad nullitatem matrimonij; quia hoc ad ius Ecclesiasticũ pertinet, habere tamen vim quoad libertatẽ concedendam. Quæ doctrina, & solutio mihi placet, eamq; sic adhuc explico, & addo nostrã sententiam eâ lege suppositâ clarius probari pro Regno Castellæ; nã, si sola attentatio matrimonij alioquin inualidi tollit conditionem seruitutis, iã nõ est, quod obstet valori matrimonij in tali casu, cùm impedimentum deberet esse seruitutis ignoratæ, aut (quod perinde est) erroris circa talem conditionem, quæ ex dispositione legis iam non subsistit.

111. Declarabitur amplius nostra sententia, & doctrina proximè tradita; nam in potestate Legis Ciuilis, aut legislatoris situm est tollere aut non tollere eam conditionẽ seruilẽ, & dare libertatẽ; semel autẽ ablatâ seruitute, & libertate concessâ cessat error cõditionis seruilis, & impedimentũ Ecclesiasticum, valebitq; matrimonium, cùm non sit in potestate Legis, aut Legislatoris Ciuilis impedimentum matrimonij inducere.

112. Tandem, quãuis concederemus non ipso instanti primò existentis matrimonij, sed statim immediatè post contractũ matrimonij manere liberam personã, adhuc sententia nostra vera esset, quia non sequerentur incommoda supradicta ex tali matrimonio, atque adeò, nec Lex Ecclesiastica censeretur pro tali casu dirimens matrimonium, & nullius momenti est, quòd in illo instãti fuerit serua, mox futura libera; neque ad vilitatẽ conditionis multũ refert illa morula, aut instans, quod aduersarij volebant; qui meritò concedunt, si paulò ante fuisset libera, non esse impedimentum seruitutis ignoratæ.

DVBITATIO XI.

An valeat matrimonium liberi cum Ancillâ, quam ignorat esse talem, si illa iam donata sit libertate ex tunc pro aliquo tempore?

113. *Negatiua absolutè sententia. Recentiores. Angelus.* NEgant aliqui Recẽtiores, & ante ipsos Angelus *matrimon. 3. impedim.* 4. *n.* 6. & Syluest. *matrim.* 8. *disp.* 2. *dicto* 3. qui indistinctè negãt valere. Probari verò potest; quia eo medio tempore ante diem designatum ad consequendam libertatem, est verè ancilla, vt expressè habetur *l. statu liberum ff. de Legat. & fideicommiss.* matrimonium autem inter liberum, & ancillam ignoratâ seruitute non valet.

Sanchez verò hanc sententiam tẽperat disp. 19. n. 4. & priùs testatur suam doctrinam visam fuisse valdè probabilem viris doctissimis de hac re consultis, scilicèt, vt prædicta sententia locũ habeat, nisi modicum tempus deficiat, vt statu libera plenam adquirat libertatem; tunc enim id matrimonium putat valere; quia cessant rationes, ob quas Ecclesia irritauit matrimonium inter liberum & ancillam, suppositio, quòd breui tempore sit adquirenda libertas; nullius enim momenti est præiudicium, quod tunc pro illo breui tempore obligari perfectè, & libere nequeat ad reddendum debitum, & cohabitandum, quin occupari à Domino possit, cùm id breui duraturum sit, nec possit iam à Domino per venditionem separari à viro, ac proinde nõ erit contra bonũ Sacramenti, nec prolis. Quod si spectemus dedecus in contrahendo cum eâ, quæ re vera est ancilla, idem profectò sequitur ex matrimonio cum libertâ; parum enim refert paulò ante fuisse seruam, & tunc esse liberã, aut tunc esse seruam, & citò futuram liberam; & tamen matrimonium cum Libertâ valet; solùm enim Ecclesia irritauit matrimonium cum ancillâ, cuius conditio ignoratur. Quæ doctrina mihi etiam placet, etiamsi supponamus pro illo breui tempore esse seruam. 114. *Temperat Sanchez eam sententiam ita vt locum habeat, nisi modicum tempus deficiat.*

Verum, si fas est asserere eam non esse seruã, quantumuis videatur tanquã certum, & expressum in iure affirmari aut supponi à Sanchez, & ab Angelo, & Syluestro; si hoc (inquam) fas est, non video quid possit obstare prædictæ resolutioni, quod matrimonium valeat. Existimo igitur saluo meliori iudicio, & pace tãtorum virorũ illam personam sic libertate donatam esse absolutè iam non seruilis conditionis, & (quod idem est) desinere esse statu seruam, & tantum abest, quod ex citatâ lege censenda sit serua pro illo tempore, vt potiùs inde possit sumi argumentum à fortiori, vt probemus iam esse statu liberam. Atque in primis in eâ Lege casus erat de seruo, cui legatum relinquebatur suppositâ libertate dubiâ sibi ex testamento concessâ, nẽpe (vt explicat Glossa verbo *statu liberum*) sub conditione de futuro satis contingenti & dubio, *si nauis ex Asia venerit*, & talis seruus sic libertate donatus appellatur statu liber: ergo multò potiori ratione statu liber appellaretur, si intra breue aliquod tempus consequuturus esset libertatem, in omni euentu, & absque vllâ aliâ conditione. Quod autem in illâ lege non sit vestigium, nedum expressum decrerum, quod medio tempore censeatur seruus, sic probo in casu legis cõcessio libertatis non fuit absoluta; sed sub conditione pendenti in futurum eâque incertâ: ergo in casu legis ille nondum exuerat propriè loquendo seruitutem, neque adquisierat expeditum, & absolutum ius ad libertatem; ergo non mirum est, quòd lex supponat illum adhuc esse seruum, neque illud tempus ante euentum conditionis est tempus medium propriè loquendo, sed tempus dubium, & pendens, atque indifferens, vt pro diuersitate euentus talis seruus confirmaretur in seruitute, vel liberaretur 115. *Clarius cõstabit si ea non censeatur tunc serua.*

retur ab illâ. At in nostro casu factâ donatione libertatis ex tunc pro tali die mox futuro independenter ab aliâ conditione multò potiori ratione talis ancilla debet, & potest appellari libera, seu liberta; nec censetur amplius obligata ad seruitutem, quam si alioquin libera, seu liberta ex pacto se obligasset ad seruiendum pro illo breui tempore: ergo etiam pro tunc appellari potest & debet statu libera, atque adeò non statu serua. Quapropter citata lex non videtur nobis obstare, quo minus dicamus ex puncto factæ donationis desinere esse seruam; solumque pro aliquo tempore manere obligatam ad præstanda seruitia dominio; ergo valebit matrimonium cum eâ contractum ab homine libero ignorante prædictam qualem qualem seruitutem.

DVBITATIO XII.

An matrimonium inualidè contractum à libero ignorante conditionem seruilem fiat validum per copulam habitam cognitâ iam seruitute?

116. *Multa iuuabunt ad rem præsentem, quæ diximus in præcedentibus.*

IVuabunt ad huius rei resolutionem ea, quæ diximus *disp. 2. dub. 9. 10. & 11.* nam inprimis iuxta doctrinam ibi traditam, si consensus à principio fuit inualidus, philosophandum est est iuxta dicta *dub. 9.* si fortè alter cõtrahentium, (etiamsi sit ipsa ancilla) ignorauit à principio inualidum esse contractum. Vnde, qui sequatur sententiam eorum, qui dicunt necessarium esse, vt ignarus nullitatis sciat consensum fuisse nullum, eodem modo in præsenti casu dicendũ est, non sufficere accessum, & copulam post cognitã seruitutem; sed necessarium esse ita reuocari consensum, vt etiam ancilla ipsa ignara impedimenti sciat matrimonium fuisse nullum, vt iterum denuò consentiat iuxta dicta eâdem *dub. 9. & 10.* secundum probabilem opinionem, & modo ibi explicato. Qui verò dicunt sufficere, quòd consẽsus priùs habitus perseueret moraliter, hoc est non fuerit retractatus, etiamsi adhuc ignoret impedimentum, consequenter in præsenti dicere debent, quantum est præcisè ex parte consensus, sufficere, quòd tunc maritus animo, & affectu maritali, & (si adhuc velis) illum consensum signis exprimendo accedat ad vxorem.

Diuersomodo dicendũ iuxta principia & fũdamenta diuersarum sententiarũ.

117. *An in hoc casu aliquãdo sufficiat sine Parocho & testibus reualidare matrimonium ob impedimentũ seruitutis ab initio inualidum?* Conine. Gutierr. Rebellus. *Speculum.* Bonacina.

Præterea cum *dub. illâ 11.* dictum fuerit matrimonio celebrato in foro externo validè coram Paracho, & testibus sufficere ad illud reualidandum ob impedimẽtum occultum, quòd renouatio consensuum fiat occultè; ita dicendum est in hoc casu; quando seruitus est occulta; sufficit enim, quòd tunc absque Parocho & testibus renouetur consensus absque vllâ aliâ solemnitate. Ita Conine *disp. 31. n. 25.* Gutierrez *de matrimon. c. 90. n. 9.* Rebel. *lib. 3. sect. 2. n. 17.* Speculum *1. p. art. 29.* Bonacina *q. 3. puncto 3. num. 6.* Qui omnes putant copulâ animo maritali habitâ matrimonium perfici; sed in hac re philosophãdum est iuxta dicta *disp. 2. dub. 14.* vbi latè, & ex instituto ostendimus copulam ex se non esse signum consensus perficientis matrimonium.

DVBITATIO XIII.

An mancipium contrahens matrimonium cum Domino, aut Domina, eo ipso consequatur libertatem?

118. *Assertio 1. Pro Regno Castellæ. Consequitur libertatem. Constat ex Lege.*

ASsero primò in Regno Castellæ eo ipso, quòd ancilla ducitur à Domino fit libera *l. 1. tit. 13. Partitâ 4. in fine* ibi: *si alguno huuiesse fijo de su sierua è despues deeso se casasse con ella, tan gran fuerza ha el matrimonio, que luego, que es fecho, es la madre porende libre y los fijos legitimos.* Nec desunt congruentiæ ad id, quæ satis ex se claræ sunt, nec vacat in ijs recensendis immorari.

119. *Assertio 2. Iure Ciuili communi Non consequitur libertatem.* Molina. Henriq. Couarr. Sà. Sanchez.

Assero 2. iure communi Ciuili Cæsareo ancilla non consequitur eam libertatem. Ita Molina *como 1. de Iustitiâ Tract. 2. disp. 35.* Henriquez *lib. 11. c. 10.* Couarruu. *4. Decretal. 2. p. c. 3. hum. 1. §. 7. num. 1.* Sà verbo *matrimonium* vbi de *impedimentis num. 1. & in ordine 15.* Sanchez *lib. 7. disput. 20. num. 11.*

120. *An mancipium contrahens matrimonium in tali casu iure naturæ fiat liber?*

Sed disputant aliqui, an ex vi matrimonij, seu iure naturali ipsius mancipium contrahens cum Domino, aut cum Dominâ libertatem consequatur?

121. *Negans sententia.* Ochagau. Sanchez. Couarr. Henriq.

Negat Ochagauia *Tract. 3. q. 49.* videnturque id supponere Sanch. Couarruu. & Henriq. supra potestque id probari ex eo, quod Agar verè fuit vxor Abrahæ, & tamẽ *Gen. 10.* dicitur ancilla. Itẽ ex Aristotele, qui *1. Politicorum c. 1.* refert apud aliquos vxores habitas fuisse, tanquam ancillas: ergo matrimonium mancipij cum Domino aut Dominâ ex vi suâ naturali non excludit seruitutem.

Probatur ex Gen. 16. Item ex Aristotelẽ.

Probabilius nihilominus puto, quod docet Vazq. *3. p. disp. 80. c. 8.* Basilius *lib. 7. c. 44.* & Gregor. Lopez ad citatam *l. 1. tit. 13. Partitâ 4.* nemine iure naturali ex vi matrimonij cessare seruitutem, & consequi libertatem. Ratio est; quia status matrimonij ex se pugnat cum statu seruitutis. Nam coniux ex vi matrimonij fit alteri socius, & eius nomine & honore gaudens; adquiritque ius, vt fiat vna caro cum altero coniuge. Quæ omnia non videntur iure naturæ cohærere posse cum seruitute statuq; seruili.

122. *Probabilius est tunc iure naturali cessare seruitutem.* Vasquez. Basilius. Greg. Lop. *Ratio.*

Quod autem affertur de Agar (& idem asserri posset de ancillis Iacob, quas habebant vxores illius, nempe de Bala, & Zelpha. *Gen. 30.*) nullam vim habet; neque enim dicebatur ancilla, quia post matrimonium mansisset talis; sed; quia prius fuerat, & posteà non assumpta fuit ad domus gubernationem, sed mansit ministrans, tanquam famula. Quod verò Aristoteles refert, nihil probat; erant enim gentes illæ barbaræ, & in hoc, sicut in plerisque ius ipsum naturæ non seruabant.

123.

DVBITATIO XIV.

An possit mancipium contrahere inuito Domino cum libera vel cum serua?

124. *Assertio affirmans posse licitè & validè.* Henriq. Rebellus. Sà.

ASserendum est posse dummodò seruitus nota sit alteri contrahenti, atque hoc non modo validè, sed etiã licitè. Ita Hẽriq *lib. 11. c. 10.* Rebel. *lib. 3. q. 5. n. 2.* Sà *verbo matrim.* vbi *de impedimentis*

mentis vers. *Cum seruo inuita num.1. & in ordine 16.* Sanchez *lib.7. disp.21.* Perez *disp.25. sect.6. num.2. & seqq.* & alij multi, videturque supponi *in c.1. de coniug.seruor.* Quod in primis validè possit contrahere probatur ex eo, quòd mancipium nullo iure sit inhabile ad contrahendum contra voluntatem Domini, non quidem iure positiuo, quod nullum extat, non naturali, quia traditio mancipij ad obsequia humano modo Domino præstanda non est incompossibilis cum traditione corporis ad prolis generationem. Quod verò licitè possint, ex eo patet, quod, neque iure positiuo, quod non extat, neque iure naturali prohibitum est, nam contractus matrimonij, & eius vsus temporibus opportunis, non impedit obsequia domino humano modo præstanda. Ex quo apparet non posse sumi argumentum à simili Ordinis, aut status Religiosi, quia in iis traditur homo Deo toto vitæ tempore ad seruiendum illi longè diuerso modo, qui non consonat cùm statu seruili. Item est summa indecentia status seruilis cũ ijs statibus.

Sanchez. Perez. *Alij multi.* *Probatur quòd validè possit.*

Probatur quòd licitè.

Occurritur obiectioni, quæ sumi posset ex simili Ordinis, aut status Religiosi.

125. *Infertur inde non posse Dominum impedire matrimonium serui.* *Communis Doctorum sententia.*

Ex hoc fit, quasi correlatiuè dominos non posse licitè matrimonium seruorum impedire, vt supponitur in dicto *cap.1.* & docent communiter Doctores. Qui etiam addunt tale peccatum dominorum esse peccatum iniustitiæ. Vtrum autem idem sit, si impediant solutionem debiti. dicemus *dub. sequenti.* Legatur Sanchez *disp.21. num.3.* & D. Thomas *in 4. dist.36. q. vnic. art.2.*

Esset in Domino peccatum iniustitiæ. Sanchez. D. Thom.

126. *Obiectio ex Concilio Cabilonensi.*

Obijciet tamen aliquis Concilium Cabilonense relatum *c.finali 29. q.2.* vbi statuitur tunc coniugia seruorum non esse dissoluenda; quando coniunctio fuit Legalis, & per voluntatem dominorum; ergo à contrario sensu, quando non fuit per voluntatem dominorum, erunt dissoluenda.

127. *Respondetur & simul. Ad S. Basil. Dictum.*

Respondetur Patres illius Concilij (sicut, & Basilius *Canone suo* 40. qui solet etiam in contrarium afferri) loquutos fuisse secundum ius antiquum positiuum. Quo tempore matrimonia mancipiorum eo modo contracta irrita erant, vt interim omittam tantùm in eo Concilio dici non esse dissoluenda, quando voluntate domini contracta sunt. Inde verò non necessariò sequitur esse dissoluenda, quando contracta sunt contra Domini voluntatem. Adde Glossam ad illud *c.finale* censere addendam vel subintelligendam esse vocem *maximè* vel *præsertim* vt sensus sit nunquam ea matrimonia esse dissoluenda præsertim quando Domini consensêre, & de Basilio alia quædam possemus dicere sequentes nostrum Franciscum Turrianum *in lib. 8. Constitutionum Apostolicar. c.34.* vbi contendit iuxta Textum Græcum non significare nullitatem matrimonij; sed hoc non videtur satis firmum; nam expressè Basilius ideò dicit esse dissoluendum, quia non habet firmitatem ibi: *eorum enim, qui alterius potestati subditi sunt, pacta conuenta nihil firmi habent.* Ideò placet solutio tradita. Legatur Sanchez *supra n.10.* Vide etiam Perez vbi habet alias solutiones sed dicta sufficit.

Additamẽtum, & expositio Glossæ ad illum textum.

Ad S. Basilium. Franciscus Turrian. sed non placet.

Sanchez. Perez. *Alias affert solutiones.*

DVBITATIO XV.

An mancipium teneatur potiùs satisfacere Domino, quàm coniugi? & Dominus possit mancipium procul mittere, & separare?

SVpponendum est per contractum matrimonij seruum non liberari ab obsequio Domini; quin non minùs, quàm anteà teneatur seruitia exhibere, vt constat ex *cap.1. de coniug.seruor.* ibi: *Debita tamen, & consueta seruitia non minùs debent propriis Dominis exhiberi.* & ibi docet Hostiensis *num.9.* Ioannes Andreas *num.4.* Antonius *num.7.* Ancarranus *num.5.* Alexander de Neuo *num.12.* Sanchez *disp.21. num.1.* Panormitanus in dictum *cap.1. num.6.* Maior in *4. dist.30. q.1.* Nauarrus *c.22. num,34.* Henriq. *lib.11. cap.10. num.4,* littera F. Coninc *disp.31. num.35.* Sà verbo *matrimonium* §. *Impedimenta dirimentia num.1.* Perez *disp.25. sect.8. num.1.* & alij multi.

128. *Supponendũ non liberari per contractum matrimonij ab obsequio Domini.* *Constat ex iure Canonico.* Hostiens. Ioan. And. Antonius. Ancarran. Alexand. de Neuo. Sanchez. Panormit. Maior. Nauarrus, Henriq. Coninc. Sà. Perez. *Alij multi.*

Tota difficultas est; quando non possunt simul impleri obsequium Domini, & debitum vxoris.

129. *Quid si non possint simul impleri obsequia Domini, & debitum vxoris?*

1. Quidam absolutè affirmant, præferendum esse dominum, nituntúrque illis verbis capitis citati *consueta seruitia non minùs debent propriis Dominis*, &c. Accedit quòd res, quæ ad illum transit, cum suo onere transit ad alium possessorẽ, neque obligatio superueniens cum prioris detrimento induci potuit. Legatur Sanchez *supra num.12.*

130. *Sententia præferens Dominum. Probatur citato textu.* *Item ratione.* Sanchez.

2. Alij verò putant præferendum esse ei, cui maius damnum immineat, ex eo, quòd ei non satisfiat. Quando verò vtrique æquale damnum immineret, parendum esse Domino casu, quo ipse non annuit matrimonio, si verò annuit, seu licentiam concessit parendum esse coniugi. Ita multi apud Sanchez *supra num.13.* quia in eo casu Dominus videtur cessisse iure suo.

131. *Alij distinguunt & præferunt illum cui maius Damnum immineat.* *Si sit æquale præferunt Dominum, si ille non consensit in matrimonium, alioquin coniugem.* *Multi apud Sanchez.* *Ratio.*

3. Alij dicunt matrimonio inito, etiam contradicente Domino, potiùs parendum esse coniugi petenti, quàm Domino præcipienti; nisi fortè Dominus graui necessitate prematur, vt si ab hostibus necandus inuaderetur. Ita aliqui apud Sanchez *num.14.*

132. *Alij præferunt coniugem nisi grauis sit necessitas Domini.* *Aliqui apud Sanchez.*

4. Alij denique putant, si matrimonium priùs fuit initum, quàm seruitus contracta, potiùs esse satisfaciendum coniugi rationabiliter petenti attentâ seruitute. At, si contractum fuit post contractam seruitutem, potiùs debere satisfieri domino rationabiliter præcipienti attento coniugio. Allegant prædictum *c.1.* vbi dicitur dominis exhibenda esse debita, & consueta seruitia. Probant verò pro vtroque casu, quia qui prior est tempore, potior est in iure, quia iuri iam adquisito nullus præiudicare potest. Atque in vniuersum plurimi Auctores prædictarum sententiarum maximè attendunt ad hanc prioritatem temporis.

133. *Alij distinguunt inter matrimonium prius contractum aut post seruitutem.* *Ratio.*

Sanchez verò *supra num.15.* absolutè docet præferendum esse ius vxoris, & fundamentum prioritatis temporis in hac re non putat habere locum; quia quamuis quoad apprehensionem

134.

Sanchez absolutè præfert ius coniugis nec admittit fundamentũ prioritatis temporis Ratione probat.

possessionis possit contingere, quòd quandoque præcedat ius vxoris in corpus viri, quandoque verò ius domini in seruum; tamen in suâ primæuâ origine, & institutione ius coniugis antecedit iuri domini, quia proficiscitur, & robur accipit ex iure naturali primæuo, quod habent omnes homines, etiam serui ad potestatem sui corporis tradendam per matrimoniũ; nam potestas domini in seruum introducta est iure Gentium, cui præferendum est, tanquam prius, & potius illud ius naturale, eo enim ipso, quòd seruus ius naturę habeat antecedens omnem seruitutem, transferendi potestatem sui corporis per matrimonium, coniux, in quem transfertur, adquirit illud ius primæuum serui. Explicat exemplo; sicut si à tempore antiquo domus esset tradita Petro, & successoribus cum hoc onere, vt possit ex voluntate Pauli, eiusque successorum quandocunque seruitus imponi in fauorem tertij, cùm post longa tempora successor quispiam Petri seruitutem imponeret in Ioannis fauorem: Ioannes ille ius quidem posterius haberet iure Petri, si apprehensionem possessionis iuris seruitutis attendas; prius autem si originem eius, ex quâ vim concepit consideremus.

135. *Difficilis ea doctrina & acuta, magis quàm solida.*

Hæc sanè doctrina, pace tanti viri, plus habet acuminis, quàm solidi, tam in re ipsa, quàm in exemplo allato; quamuis enim concedamus ius naturæ esse prius iure Gentium in suâ primæuâ origine, atque adeò ius transferendi dominium corporis in eo sensu præcedere; hoc non obstat; quo minùs per aliud ius posterius superueniens possit prius illud ius ex parte, vel ex toto, siue, quoad substantiam, siue quoad circumstantias impediri, vt sequenti discursu declaratur.

136. *Declaratur difficultas illius doctrinæ.*

Neque enim minus est de iure naturali libertas, & (quod idem est) potestas operandi, aut non operandi, vt libet secundum rationem, ad quod homo ex primæuâ sua naturâ & primæuâ origine non minus habebat ius (& hodie habet seclusâ seruitute) quàm ad tradendum dominium sui corporis alteri ad generationem, & tamen per ius Gentium posteà introductum illa libertas, & illud ius tollitur; ergo non repugnat ius in suâ primæuâ institutione prius per ius posterius tolli, nedum minui. Porrò huiusmodi ius esse ius naturale, & primæuũ libertatis, quâ debet gaudere homo; nemo (quod sciam) negat, neque negare potest; nam, si quis liber redigatur in seruitutem irrationabiliter, nemo negabit illi fieri iniustitiam, & satis magnam; contra quod ergo ius? sanè contra ius naturale; neque enim est aliud; ergo habet ex se homo ius libertatis præcedens, ante ius gentium inducens seruitutem. Ecce quomodo potest ius posterius tollere ius prius, & naturale.

137. *Applicatur proximè dicta ad rem præsentem.*

Pari ergo ratione in nostro casu, etiamsi primæuo iure naturæ homo habeat potestatem tradendi dominium sui corporis in ordine ad generationem, poterit nihilominùs (saltem quoad aliquos effectus) impediri, ita, vt quamuis iure naturæ alter coniux ius habeat ad indiuiduam societatem, cohabitationem, frequentem redditionem debiti, & similia; non sit cur non possit impediri per præoccupantem obligationem seruitutis, ita, vt ius seruitutis actu existens, & adquisitum præferatur iuri coniugij nondum adquisiti, sed posteà.

138. *Corruit ex dictis aut dubium est quod ius antiquioris sit præferendum.*

Hoc ergo posito non corruit, aut dubium est (vt Sanch. putat) fundamentum eorum, qui docent eum esse præferendum, qui antiquior est in iure, non quidem in iure tantùm considerato in primæua origine, sed in iure iam de facto apprehenso, & possesso, maximè ab alteto, scilicèt, coniuge, vel domino, ita, vt, qui primus apprehendit ius suum, non videatur ab eo iure, ex toto, vel ex parte deturbandus à posteriore superueniente, nisi per accidens, & indirectè, vt mox explicabo.

139. *Assertio. 1.*

Assero. 1. non ex eo præcisè, quòd seruus ante seruitutem legitimam, iam fuerit coniugatus, eximitur propter ius coniugis antiquius ab obligationibus inseruiendi domino, etiã, quando seruitia domino præstanda sunt incompossibilia cum obsequio, & officiis præstandis erga coniugem. Hanc assertionem sic generaliter positam non video posse negari, & eam à fortiori tenentur concedere Auctores primæ sententiæ, & concedere tenetur Layman *libr. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. num. 4.* vbi cùm dixisset dominum, si in matrimonium serui consentiat, implicitè sibi obligationem imponere, quo minùs seruum à coniugij vsu sine grauissimâ necessitate omnino abstrahere, aut impedire possit; subiungit immediatè alioquin verò aduersus iustitiam non peccaturum, etsi seruum in remotissimis terris ab vxore abstractum vendat, cùm iure suo vtatur. Quibus apertè docet, quando non ex concessione domini, sed absque illâ, siue ante, siue post, seruus est coniugatus posse à domino impediri propter sui vtilitatem, & commoditatem ab vsu coniugij. Hoc autem sic probo; quia ex vno capite dominus habet ius vtendi serui operâ, aut vendendi illum, sicut iudicauerit sibi expedire, & ex alio capite ius vxoris non obest: ergo potest. Quod ius vxoris non obsit, probatur; quia vxor, quantumuis prior in iure vxoris non potest iure illo suo impedire, quo minùs positâ causâ sufficienti resultet in marito obligatio seruitutis, & in domino ius dominij in illum, vt seruum; hoc enim supponimus omnes; alioquin deberemus dicere neminem coniugatum cum vxore liberâ (præsertim alioquin non merente, vt sibi auferatur maritus) posse fieri seruum, quia esset contra ius vxoris, quæ antecedenter adquisiuit ius, vt talem maritum secum haberet, cuius operâ, & industriâ ipsâ, eiusque familiâ indigens gubernaretur, aleretur, &c. hoc autem nemo concedet. Quis enim credat hominem iusto bello captum non posse à victore in seruitutem redigi (abstraho nunc à lege Ecclesiasticâ, vel consuetudine prohibente hominem liberum priùs baptizatum fieri seruum.) Vnde non videtur negandum, quòd, si Victor in Gallia iusto bello victum in seruitutem redigat Gallum possit iure seruitutis illum secum auehere in patriam suam, puta Constantinopolim, non obstante iure vxoris, alioquin non peccantis, nec merentis eam pœnam. Quamuis enim propter eam seruitutem ipsa priuaretur viro suo, id est per accidens,

Videtur assertio sic generaliter sumpta negari non posse.

Auctores primæ sententiæ eam à fortiori admittere debent.

Layman id expresè admittit.

Ratio.

Explicatur in seruitute iusto bello acquisita à Domino.

accidens,& indirectè, quatenus victor vtitur iure,quod iusto bello acquisiuit.

140. *Explicatur in seruitute propter pœnã delicti.* Simile argumentum possumus facere in seruitute inducta propter pœnam delicti merentis pœnam seruitutis; nam,si quis coniugatus in pœnam delicti redigatur in seruitutem, vel deportetur ad insulam, aut damnetur ad metalla;non obstat ius vxoris, etiamsi illa impediatur ab vsu coniugij.Ratio omnium est, quia sicut victor iure belli potest occidere victum, & Princeps, seu Respublica eiusque magistratus potest alioquin dignum vitâ priuare; etiamsi indirectè inde sequatur, quòd vxor vito suo irreparabiliter priuetur; ita pariter imò potiori iure poterit illum priuare libertate, etiamsi vxor priuetur tali iure : ergo non obstat præcessisse tempore ius matrimonij acquisitum, quo minùs subsequens obligatio seruitutis, & ius acquisitum præualeat ex parte domini.

141. *Assertio.2. Idem habet locum in priuatis & vulgaribus seruis aut mancipiis.* Assero.2. Hoc ipsum locum habet in priuatis dominiis dominorum comparatione vulgarium,& ordinariorum seruorum, quos habent priuati domini,ita, vt,quamuis seruus ante seruitutem fuerit coniugatus, ex præcisâ temporis præcedentiâ, non impediat ius domini, quo minùs possit absque iniustitiâ comparatione vxoris seruum vendere,etiam in Regione valdè distanti, vel ipsum eò mittere, vt seruiat. Ratio deducitur ex eâdem doctrinâ, quia omnis ferè seruitus maximè illa, quæ incipit post iam initum matrimonium ex vno ex prædictis principiis locum habet, scilicèt, vel ex victoria in bello iusto,vel ex delicto. Vtrumlibet autem horum sufficit,vt pleno iure adquiratur serui dominium, & in ipso seruo consurgat plena obligatio seruitutis. Quòd si seruus fortè ematur pecuniâ ab alio præcedente domino, semper habenda est ratio originis, & principij,à quo incepit seruitus.

142. *Concluditur doctrina ex dictis.* Habemus ergo ex dictis præter casum, in quo initum est matrimonium ex voluntate domini(de quo posteà dicemus) seruitutem præualere contra ius vxoris,etiamsi ante, vel post seruitutem contractum fuerit matrimonium, & hoc modo intelligendus est textus *c.1.*citatis illis verbis:*debita tamen, & consueta seruitia,non minùs debent propriis dominis exhiberi.*Idque maximè quando omnino inuito domino contractũ est matrimonium. Consentit datæ doctrinæ Perez *Perez. disp.25 sect.*8.si omnia quæ variis assertionibus explicat rectè expendantur.

143. *Assertio. 3. Si Dominus negatiuè se habeat nec annuendo nec contradicendo in matrimonio serui,non censetur cedere iuri suo. Ratio.* Assero.3. si matrimonium contrahatur consentiente domino merè negatiuè, id est vidente,& non contradicente, aut solùm interrogato;an repugnet,vel consentiat, eoque respondente se non resistere,& repugnare;adhuc non censetur cederi iure suo, quod habet occupandi seruum aut vendendi independenter à iure vxoris.Ratio est;quia ius dominij in seruũ ad id totum per se extenditur,vt probatum est, & ex alio capite non ideò tunc censetur cedere iuri suo;quia non repugnet; nam cùm seruus ex vno capite ius habeat ineundi matrimoniũ inuito domino, dominusque non possit contra hoc ius repugnare; nihil aliud censetur facere per illam non resistentiam, quàm non impedire,quòd seruus iure suo vtatur:hoc autem non derogat iuri domini,quod aliàs habet.

144. *Assertio.4. Si positiuè Dominus det facultatem seruo censetur cedere iuri suo,vt aliqua non possit sicut prius. Ratio.* Assero.4.si dominus expressè, & positiuè concedat facultatem seruo ineundi matrimonium, censetur cedere iuri, quod habebat ita vtendi serui operis, aut illud mittendi procul, ita,vt notabiliter lædatur ius vxoris. Ratio est, quia in eâ concessione censetur aliquid gratiosè concedere;non concederet autem gratiosè, si solùm permissiuè se haberet, & illud tantùm daret, quod alioquin suo iure haberet seruus; atque hoc modo intelligendus est Layman supradum ait: si dominus in matrimonium serui consentiat, implicitè sibi obligationem imponere,quo minus seruum à coniugij vsu sine grauissimâ necessitate omnino abstrahere, aut impedire possit.Consentit etiam Perez *supra nu.*4. *& prius sect.7.num.*7. Perez.

145. *Assertio.5. Seruus contrahens inuito Domino æquè potest à Domino obligari atque antea,quando non erat cõiugatus. Colligitur ex dictis.* Assero.5.si seruus inuito domino contrahat, vel eo inscio,& sine vllo ipsius beneplacito,æquè potest dominus illius operâ vti, & cætera omnia facere quæ posset, si coniugatus seruus non esset. Hæc assertio colligitur ex 3. assertione à fortiore, suppositâ doctrina primæ & secundæ assertionis,nam vt probatum est, ius vxoris, aut matrimonij non obstat iuri seruitutis,quin possit dominus pleno iure vti seruitio serui, etiamsi per accidens, & consequenter lædatur ius vxoris, quòd à fortiori habet locum, quando inscio imò inuito domino aut fortè repugnante seruus contrahit matrimonium,& pro eo casu maximè intelligenda sunt verba citata ex *c.1.de coniugio seruorum.*

146. *Assertio.6. Ex Charitate aut misericordia fieri potest vt Dominus teneatur nõ separare cõiuges illos. Layman consentit in casu probabilis incontinentiæ. Etiam posse officio iudicis Ecclesiastici ad id cogi Dominum. Placet Laymani doctrina.* Assero.6. quamuis doctrina præcedentium assertionum vera sit spectato præcisè iure iustitiæ;tamen secundum legem Charitatis proximi,seu misericordiæ fieri potest, vt dominus teneatur,quando sine magno & notabilissimo suo incommodo potest, non separare seruum ab vxore.Hanc assertionem putat certam Layman supra pro casu,quo probabili incontinentiæ periculo exponatur alter; vel vterque coniux;si separentur. Et addit iudicis Ecclesiastici officio interdici domino posse, ne ita vendat, vel aliis modis seruum coniugatum impediat, vt nunquam,aut vix vnquam vxori cohabitare possit;Et mihi placet.

147. *Ex dictis possunt conciliari Theologi & iurisperiti,qui videri possunt in hoc dissentientes.* Per hanc assertionem adiunctam præcedentibus conciliari possunt iurisperiti, & Theologi,qui inter se videntur dissentire;nam iurisperiti communiter dicunt posse dominum seruos suos in partes distantes ablegare, non obstante matrimonio, vt vidimus in primâ sententiâ. Theologi verò, quibus etiam subscribunt aliqui iurisperiti minus antiqui, plerunque negant;quamuis adhibitis quibusdam distinctionibus.Ita ergo conciliari possunt,vt dominus,si æquè,aut ferè æquè commodè possit seruum non separare à coniuge, & aliquod sit periculum probabile notabilis incontinentiæ,aut grauis alicuius damni etiam corporalis illorum coniugum in eâ separatione,teneatur eam auertere,& non separare,& in hoc vera est sententia Theologorum, & aliquorum iurisperitorum.Si verò tale damnum graue non timeatur præter illam molestiam & incommoditatem, quæ annexa esse solet,& potest tali separationi,

vera est opinio communis iurisperitorum, maximè antiquorum, dum docent posse dominum prædictum seruum ablegare, aut vendere.

148. *Saltem tunc Dominus ex iustitia non tenetur.* Quidquid autem sit de obligatione Charitatis, verum puto illum non teneri ex iustitiâ maximè, si vera est doctrina, quod extremè indigenti, aut grauiter, non teneatur quis ex iustitiâ subuenire, sed ex Charitate.

149. *Obiectio.* Obiiciet tamen aliquis, seruus non minùs, quàm liber, habet ius ineundi matrimonium, etiam inuito domino, vt vidimus *dub. præcedenti* & iniustè faciet, si impediat dominus: ergo multò magis iniustè faciet, si impediat vti matrimonio iam contracto.

150. *Respondetur.* Respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens, si loquamur de directo, & per se intento impedimento, & actu impediendi, concedo consequentiam; neque enim dominus habet ius positiuè, directè, & per se impediendi prædicti matrimonij vsum. Si verò loquamur de impedimento, & actu impediendi indirecto orto ex vsu proprij iuris, quod habet dominus in seruum, nego consequentiam. Nam iuxta doctrinam datam in primâ, & secundâ assertione Domini ius in seruũ non impeditur; nec limitatur per ius matrimonij, quo minùs perinde atque anteà possit vti iure in seruum.

151. *Respondetur vlteriùs.* Imò etiam antecedens obiectionis factę posset eodem modo distingui, scilicèt, seruum ita habere ius ineundi matrimonij inuito domino, atque ita non posse à domino impediri, vt tale impedimentum sit directum, & per se intentum; nempe; quòd dominus non possit directè, & per se impedire illius matrimonium; non verò, quòd non possit indirectè, & per accidens v.g. quod Stico seruo volente cum Bertâ liberâ, aut etiam seruâ matrimonium inire, non possit dominus datâ operâ, & adhibitis mediis ad id per se ordinatis impedimentum apponere; id enim esset graue peccatum contra ius naturale, & positiuum, vtpote contra iustitiam, & contra ius, quod habet seruus ducendi vxorem, etiam inuito domino; indirectè verò, id est, vtendo iure, quod habet dominus in seruum occupandi illum, mittendi in Regiones longinquas, detinendi in aliquo loco, vel officio, vendendi cuiuis alteri, etiam procul distanti &c. etiamsi per accidens, & indirectè inde sequatur impedimentum, quo minus possit Bertam ducere, non esse domino prohibitum, sed annexum iuri, quod habet in seruum, quidquid in contrarium ex parte doceat Sanchez *citatâ disp. 21. n. 8. alias 9.*

Sanchez resistit ex parte.

152. *Resoluitur ex dictis quæstio de potestate Domini mittendi seruum coniugatum in partes longinquas & ibi vendere. Quid in hac re Sanchez. Perez.* Atque hac ratione resoluta manet quæstio, de qua seorsim, & per se disputat Sanchez *lib. 7. disp. 22.* vbi latè tractat; an integrum sit domino seruum coniugatum in partes longinquas vendendum mittere? Cui quæstioni postquam aliorum Doctorum in ea decidenda confusionem notauit, ipse per varias conclusiones respondet pro casu, quo vir est liber, & vxor ancilla, vel è conuerso, & pro casu quo alter alterum sequi potest, vel non potest, & pro aliis similibus casibus. Quam doctrinam maiori ex parte sequitur Perez *supra sect. 7.* & tunc peccare putat Dominum contra Charitatem sed non contra iustitiam, quando etiam sine necessitate venderet seruum in regionibus remotis necessariò separandum à coniuge, & ideò impediendum ab vsu matrimonij, quando sine venia Domini contraxit. Sed ex doctrinâ à nobis data resolui debent varij casus in particulari. Pro quibus omnibus nos ex traditâ doctrinâ absolutè respondemus spectato præcisè iure iustitiæ, non obstante matrimonio, posse prædictum seruum iure suo vtendo ablegare, vendere, vel mittere in longinquas regiones, præterquam in casu quartæ assertionis; posse tamen esse peccatum cõtra Charitatem proximi, quãdo sequantur, vel timeantur probabiliter incõmoda dicta in sexta assertione.

Quid autem dicendum sit in casu, quo seruitus superueniat matrimonio, altero coniuge se vendente, supposito quòd id sit possibile? dicemus *dub. sequenti.* 153.

DVBITATIO XVI.

An seruitus possit superuenire matrimonio altero coniugum se venundante? & an tunc liceat domino sic seruum separare?

154. *Assertio. 1. Ratio. Sanchez cũ multis. D. Thom. Richard. D. Bonau. Paludan. D. Anton. Sotus. Henriq. Ledesma. Viuald. Alij. Aliqui putant, & meritò, esse mortale, si fiat sine causa iusta. Sed non videtur cõtra iustitiam. Ratio.*

ASserendum est primò licere viro se venundare renitente vxore; quia vir non subditur vxori, nisi in iis, quæ ad redditionem debiti pertinent; in cæteris verò est sui iuris. Ita cum multis docet Sanchez *lib. 7. disp. 23.* inter quos D. Thomas, Richard. Bonauentura, Paludanus. Antonin. & ex Recentioribus Sotus, Henriq. Ledesma, Viuald. & alij, ex quibus aliqui cum Sanchez fatentur, & mihi placet, esse peccatum mortale, si absque iustâ causâ fiat; quia cedit in graue dedecus, & iniuriam familiæ, quamuis non putet Sanchez (pro quo etiam refert D. Thomam *in 4. dist. 36. q. vnicâ art. 3. ad 1.*) peccare contra iustitiam, quidquid dicat Ledesma, quia vir iure suo vtitur, nec cedit in vxoris detrimentum, quantum ad debitum coniugale, vt supponimus.

155. *Sufficit ita fecisse maritum, vt vxor petat diuortium.* Henriq. *Negat hoc Sanchez. De hoc suo loco agendũ posteà.*

Erit tamen iusta causa, vt vxor petat diuortium. Ita Henriq. *lib. 11. de matrimonio c. 10. num. 5.* quamuis in hoc repugnet Sanchez, quia solam iustam diuortij causam putat adulterium corporale, vel spirituale, aut timor damni notabilis ob sæuitiam, contagiosumve morbum alterius coniugis, aut, si ad peccatum trahere nitatur, sed de his agemus dicentes de diuortio.

156. *An possit Dominus talem maritum aliò mittere vendendum? Affirmant aliqui.* Sanchez. Perez. *Cum limitatione admittitur.* Layman. *Nec facile potest Sanchez eam sententiam in suis principiis sistendo sequi.*

Immò addit Sanchez integrum esse domino virum, qui se vendidit, alio vendendum mittere, si vxor possit commodè eum sequi nec dissentit Perez *disp. 25. sect. 7. num. 1.* Quod ego solùm verum puto, quando se vendit cum facultate vxoris; nam, si ipsâ non consentiente erit contra ius vxoris id facere, vt rectè docet Layman *lib. 5. tract. 10. p. 4. c. 2. n. 4. in fine:* imò miror quòd Sanch. oppositum doceat, cùm tamen *disp. 21. num. 15.* docuerit parendum potiùs esse vxori, quàm domino præcipienti propter illam primæuam originem matrimonij præcedentem ius Gentium inducens seruitutem; de quo iam diximus. In hoc autem nostro casu à fortiore locum

cum habere debet, quia etiam actualis apprehensio,& possessio iuris stat pro vxore.

157. *Vxor non potest se ipsam mancipare, aut vendere. Sanchez cũ multis. Nisi vir consentiat.*

De vxore verò meritò docet Sanchez cum multis *num.*9.non posse se ipsam seruituti mãcipare,aut vendere absque viri consensu; quia præter obligationem reddendi debitum subditur viro in reliquis,quæ ad regimen domus & familiæ pertinent; essetque talis venditio absque viri consensu contra iustitiam.

158. *Prædicta intellige iure communi. In Castellâ nec Mari tus potest se tradere in seruitutem renuente vxore.*

Quæ dicta sunt,locum habent iure communi,non verò iure Castellæ;nam in Castellâ *l. finali tit.* 5. *Partit.*4. illa venditio minimè valet, potestque ab vxore rescindi ibi: *Si por auentura el marido se tornasse fieruo a sabiendas, por auer razon de se partir de su muger,non deue valer,ni se despartirà el casamiento,antes lo puede la muger demandar,e sacarle aun dela seruidumbre siquisiere. E esto es por que ha de recho en el, e por que nace ende muy gran deshonra a ella, y a sus fiios,si los ouiere.* Quãuis autem loquatur expressè pro casu, quo vir se datâ operâ vendit in fraudem matrimonij; tamen (vt ex Gregorio Lopez ad eam legem notat Sanchez *num.*8.)supplendum est *maximè*; quia idem iudicium est,etiamsi non fiat venditio eâ intentione; nam eadem ratio præiudicij vxoris,& dedecoris,tam ipsius,quàm filiorum locum habet in hoc casu,neque vxorem tenêri tunc soluere pretium; quia reuocat ob suum præiudicium,argumento legis secundæ ff. *si liber iugen esse dic.* vbi simile quid decisum est de patrono.Legatur Sanch.*citatâ disp.* 23. Omitto alia leuiora circa seruos coniugatos,quæ videri possunt apud Sanch.& Perez locis citatis, & aliqua non sunt huius loci,qualia sunt illa, quæ prædicti disputant de conditione seruili filiorum,qui nascuntur ex parentibus seruis & an & quatenus participent nobilitatem Patris, aut incurrant seruitutem,ex matre quatenus partus sequitur ventrem de quibus nos diximus *in nostro opere de iustitia lib.*2.*tractat.*1 *disp.*1.*dub.*11. *nu.* 141.*& seqq.*

DVBITATIO XVII.

An & quomodo votum solemne Castitatis dirimat matrimonium?

159. *Vulgaris distinctio voti castitatis in simplex & solemne, quale fit in Professione Religiosa & Ordine sacro. Aliàs est simplex votum tantũ, etiam in nostra Societate Iesu.*

SVpponò votum Castitatis aliud esse simplex,aliud solemne. Cuius differentiæ exacta explicatio non est huius loci. Suppono vlterius votum solemne esse tum, quod emittitur in susceptione Sacrorum Ordinum; tum quod fit in professione Religionis. Simplex verò,quod emittitur alioquin priuatim à quocunque pro libito. Item simplicia censentur,& sunt vota,quæ emittuntur in nostra Societate Iesu post biennium, & quæ emittuntur à Coadiutoribus,etiam formatis, tam spiritualibus quàm temporalibus. In præsenti autem præcipuè agimus de voto solemni Religionis, dicturi postea de reliquis, nam de hoc tantùm voto solemni Religionis sermo instituitur, & disputatio à Doctoribus communiter in tertio impedimento,de quo nunc aggredimur disputare.De hoc ergo quærimus,an, & quomodo dirimat matrimonium?

160. *Assertio* 1. *Votum solemne in Religione approbata & ratum matrimoniũ dirimit contractum, & impedit ac dirimit contrahendum. Constat ex iure Canonico, & Cõciliis, multisque Pontificum cõstitutionibus, & Sanctorum Patrum doctrina.*

Assero.1. votum solemne professionis in Religione approbatâ non tantùm matrimonium ratum nondum consummatum soluit iuxta dicta *disp.*2.*dub.*30. sed etiam impedit, ac dirimit contrahendum.Constat ex *c.meminimus* c.*Rursus* c. *insinuante. Qui Clerici vel vouentes* ex *concilio Chalcedon.Canone* 16.*Concilio Carthag.*4. *Canone vltimo,& Concil. Toletano* 1.*canone* 16. & ex *Toletano* 4.*c.*51.*& Conc. Martisconensi c.*12. *& Turonico* 2.*c.*16.*ex Triburiensi can* 23.docetque S Basilius in libro *de verâ virginitate in proœmio Constit. monast. Innocentius* 1.*Epistolâ* 2.*ad Victricium c.*12.S.Hieronymus *lib.*1.*contra Iouinianum.*Sanctus Augustinus in Psalm.83.Chrysostom.epist.6.*ad Theodor. Monachum.*Quibus in locis hi Sancti Patres incestas atque adulteras appellant nuptias, quas vel Monachi, vel sanctimoniales contraxerint, quales fuerint Lutherus cum suâ amasiâ, & eiusdem farinæ hominum. Vnde sanctè & piè Iouinianus *l.*5.C. *de Episcopis & Clericis* statuit. *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantùm ineundi matrimonij causa sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur.* In quâ re non potest esse inter Catholicos controuersia.

161. *Quo iure id habeat tale votum quærimus. An positiuo tantum, vel etiam naturali quærimus iam.*

Solùm iam quærimus, an id,non solùm in iure positiuo Textibus citatis,& similibus aliis, receptoque Ecclesiæ Catholicæ sensu vim habeat; sed etiam tanta sit efficacia prædicti voti solemnis, vt naturâ suâ iureque naturali dirimat matrimonium. Hac de re non solùm hoc loco,sed etiam *in tract.de voto* solent Auctores, agentes de voto solemni, disputare. In quem tanquàm in proprium locum,latiùs si Deo placeat, hac de re magis copiosam tractationem reiicimus.Neque enim oportet hîc disputare,in quo consistat solemnitas voti tum in Religiosis,tum in initiatis ordine sacrò, & an præter præcisam obligationem in futurum quam secum affert votum includat traditionem aliquam de præsenti hominibus factam, vel saltem ea adiungatur,aliaque similia, ex quibus aliqua hoc loco supponenda potiùs sunt, quàm ex instituto explicanda.Nunc ergo breuiter sufficiat rem,quantum præsenti instituto satis est, prælibare.

Aliqua hoc loco ex materia de voto supponenda potiùs quàm disputanda sunt, aut quantum rei postulat præsens breuiter perstringenda.

162. *Assertio.*2. *Id habet tale votum nõ præcisè ex naturâ rei sed Ecclesiasticâ institutione. Ratio fundamentalis.*

Asserendum est 2. votum solemne Castitatis non ex præcisâ naturâ rei dirimere matrimonium;sed Ecclesiasticâ institutione. Ratio fundamentalis est; quia per tale votum solùm se obligat quis Deo ex virtute Religionis;non ex virtute iustitiæ,ad seruandam Castitatem, perinde,atque voto simplici; potest ergo validè se ipsum alteri ex iustitiâ tradere in matrimoniũ, etiamsi peccet contra Castitatem, perinde, atque post votum simplex Castitatis: antecedens & patet,& suppono ex propriâ materiâ,consequentia verò probatur; quia traditio seu obligatio ex Religione cõparatione Dei,& ex iustitiâ comparatione coniugis non ita inter se repugnant,quin simul possint cohærere, vt videre est in eo, qui post matrimonium consummatum de licentiâ coniugis vouet solemniter Castitatem in Religione, in quo simul prædictæ duæ obligationes perseuerant; ac proinde votum solemne Castitatis in naturâ & essentiâ non differt à simplici, neque ex eo quòd voto solemni vouens tradatur Deo, non verò simplici;

plici; sed ideò dicitur solemne; quia fit sub certâ regulâ approbatâ sub Superiore, cui vouens se in perpetuum tradit, & à quo in perpetuum acceptatur. Et legi potest Vasq. 1.2. *disp.* 165. *c.* 8. Coninc *disp.* 31. *dub.* 6. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 25. & 26. qui tamen *à n.* 12. videtur enervare rationem supra factam explicans acutè satis, & doctè modum, quo Auctores, qui dicunt votum solemne Religionis consistere essentialiter in traditione actuali dominij sui ipsius in manus Dei, & manus eorum, qui vicem Dei tenent, in eoque differre à simplici; possint affirmare specialem traditionem repertam in voto solemni, quę non reperiatur in simplici. Nihilominus posteà num. 24. rectè ostendit prædictam sententiam asserentem ex naturâ rei votum habere prædictam traditionem, quam non habeat simplex, non rectè cohærere cum definitionibus Pontificum, tum Gregorij XIII. in *Extrauag. Bullâ* pro nostra Societate, quæ incipit *Ascendente Domino*, tum *c. vnico de voto in 6.* vbi Bonifac. VIII. & cum illo postea Gregorius XIII. asserunt voti solemnitatem *solâ Ecclesiæ constitutione fuisse inuentam*; neque id posse intelligi de solemnitate aliquâ accidentali, quam Doctores aliqui comminiscebantur distinctam ab aliâ solemni substantiali, quam in ipso voto solemni agnoscebant; id enim totum est contra prædictos Pontifices maximè contra Gregorium, qui prædictam Doctorum interpretationem viderat, & legerat, & à se ibi commemoratam reiecit; atque ibidem ostendit Sanchez esse contra eandem constitutionem Gregorij illum modum traditionis, quem in voto solemni agnoscunt, quasi distinctum à traditione, quæ esse potest in voto simplici, quod emittunt multi Religiosi in nostrâ Societate; nam prædicta Constitutio Gregorij definit verè, & propriè esse Religiosos, non secus, atque Professos cuiuscunque Religionis. Ex quâ doctrinâ posteà idem Sanchez *disp.* 23. *num.* 4. *in fine* concludit votum solemne Castitatis solo iure Ecclesiastico dirimere matrimonium. Sed de his omnibus in materia de voto. Et iuuabunt, quæ diximus *citatâ dub.* 30. *disp.* 1. agentes de dissolutione matrimonij rati non consummati per professionem Religiosam.

Vasquez. Coninc. Sanchez.

Cuius mentis mutio difficilis est posteà cæteris ostenditur conformis.

Greg. XIII.

Bonifac. VIII.

Idem Gregorius.

Attentantes Religiosi vel tum Religiosis matrimonium excommunicationem incurrunt.

164. *Votum castitatis simplex in Religiosis Societatis dirimit matrimonii contrahendum, non contractum. Constat ex Bullâ Gregorij citata.*

Solùm nunc obiter obseruo Religiosos & Sanctimoniales matrimonium contrahentes, seu potiùs dicam attentantes, & eos, qui cum Monialibus contrahunt, ipso facto incurrere excommunicationem latam in Clementina vnica de *consanguinitate*.

165. *Idem posset de voto castitatis dici si aliquod tale præter professionem & Ordinem sacrum Ecclesiastico iure institueretur.*

Iam verò de voto Castitatis simplici post biennium emisso in Societate, atque adeò in Coadiutoribus formatis dicendum est dirimere matrimonium contrahendum, licet non cõtractum patet ex citatâ Bullâ Gregorij XIII. quæ incipit *Ascendente Domino*. vbi expressè definitur.

Idem quoque dicendum esset de quolibet voto solemni Castitatis, si aliquod tale institueretur ab Ecclesia extra professionem Religionis, & extra Ordines sacros; esset enim verè votum solemne; & consequenter verè haberet effectum irritandi matrimonium. Legatur Sanchez *libr.* 2. *disputation.* 18. & Bonacina *q.* 3. *punct.* 4. *num.* 2. & 3. Doctrina huius dubitationis declarabitur ampliùs *dub. sequenti*, maximè circa finem.

Sanchez. Bonacina.

DVBITATIO XVIII.

An? & quâ ratione Ordo sacer dirimat matrimonium contrahendum?

166. *Prima tonsura & quatuor minores ordines non dirimunt, nec impediunt.*

CErtum sit, vt vsus Ecclesiæ declarat, Primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines non dirimere matrimonium, neque impedire, cùm id non habeant iure aliquo naturali vel positiuo.

167. *Subdiaconatus dirimit contrahendum, saltem iure Ecclesiastico.*

Certum præterea sit Ordinem sacrum, etiam subdiaconatus dirimere saltem ex iure Ecclesiastico matrimonium contrahendum *c.* 1. & 2. *Qui Clerici, vel vouentes & ex c. vnico de voto in 6.* Atque hoc habet Ordo sacer iuxta multorũ sententiam ex duplici capite, nempe, non tantùm propter votum solemne Castitatis iure Ecclesiastico annexum ipsi voto Castitatis, vt dicitur *in citato c. vnico*, sed etiam ratione sui, id est, ratione iuris Ecclesiastici sibi annexi, vt contra Basilium de Leon. *lib.* 7. *c.* 27. & contra Bellarminũ, & alios docent Rebell. *lib.* 3. *q.* 12. & aliqui Recentiores, docueratque Sotus *in* 4. *dist.* 37. Nam in prædictis capitibus 1. & 2. citatis absolutè tribui videtur Ordini sacro nullâ factâ mentione voti, & significatur in Tridentino *sess.* 24. *Canone* 9. dum anathema dicit ei, qui dixerit posse Clericos in sacris Ordinibus constitutos *matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto*, vbi expendenda sunt illa verba. *Lege Ecclesiasticâ*. Itaque quod iure Ecclesiastico matrimonium subsequens dirimatur per ordinem sacrum, nemo negat, idque confirmant ea, quæ diximus de prohibitione ipsius matrimonij, à quo arcentur prædicti Ecclesiastici *Tract.* 6. *de Sacramento Ordinis dub.* 24. & quæ ibidem diximus *dub.* 26. agentes de obligatione continentiæ annexâ ordini sacro, vbi ostendimus posse statui, & effici hoc impedimentum propter ordinem sacrum etiam Ecclesiæ constitutione, seclusâ obligatione voti. Legantur, quæ ibi diximus *num.* 397. §. *Deinde, quòd non.*

An ordo sacer etiam seclusa voto id habeat iure Ecclesiastico?

Negant aliqui.

Basilius.
Bellarm.

Contra hos affirmant alij

Rebellus.
Recentiores alij.

Prius id docuit.

Sotus.

Significatur in Tridentino.

168. *Quæstio est an etiã iure naturæ?*

Nunc iam difficultas est, an Ordo sacer iure naturali & diuino dirimat matrimonium?

169. *Negatur cõmuniter id habere præcise ex vi voti solẽnis.*

Communis ferè Doctorum sententia est ordinem sacrum præcisè ex vi voti solemnis Castitatis annexi non dirimere matrimonium iure naturali, quam sententiam admittunt non solùm, qui dixerunt votum Religionis solemne iure tantùm Ecclesiastico dirimere matrimonium, sed etiam plures alij. Inter quos D. Thomas *in* 4. *dist.* 37. *q.* 1. *art.* 1. *in corpore*. Scotus *q. iam alij.* *vnicâ* Durand. *q.* 1. *num.* 4. Paludanus *q.* 1. *art.* 1. & 3. Bellarmin. *lib.* 1. *de Clericis c.* 18. Valentia *tomo* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 5. Henriq. *lib.* 12. *c.* 5. *n.* 9. & alij plures; quos referunt, & sequuntur Sanch. *lib.* 7. *disp.* 28. & Vasq. *in* 3. *p. tomo* 3. *disp.* 249. *c.* 3. & *sequentibus*. Probari verò potest ex eodem fundamento, quo *dub. præcedenti* diximus votum solemne Castitatis in Religione emissum non dirimere iure naturali matrimonium; de iure autem

Prater negantes in Religiosis negant etiam alij.

D. Thom.
Scotus.
Durand.
Paludan.
Bellarm.
Valentia.
Henriq.
Alij plures.
Sanchez.
Vasquez.
Probatur.

tem Diuino positiuo non constat, atque adeò admittendum non est. Legantur quæ diximus *Tract. illo 6. de Ordine dub.* 24. vbi ostendimus prohibitionem matrimonij, non esse à iure diuino sed ab Ecclesiastico; esset autem à iure diuino si inhabilitas ad contrahendum matrimonium proueniisset à iure Diuino & ibi dictis addimus nunc quæ sequuntur.

170. *Addenda ad doctrinâ alibi traditam pro eiusdem cõfirmatione. Non est certum ab initio Ecclesiæ habuisse Ordinem sacrum eiusmodi impedimentũ.* Vasquez. *Quando putetur incepisse hoc impedimentũ.* Calixtus Papa II. Concil. Roman. Innoc. II. Concil. Romanũ.

Quamuis matrimonium contrahere post ordines sacros statim ab initio Ecclesiæ illicitum fuerit, vt eadem *dub.* 24. 25. *&* 26. probauimus, tamen non satis constat ab initio Ecclesiæ eiusmodi impedimentum dirimens annexum fuisse ordini sacro; nam, (vt refert Vasq. *citatâ disp.* 249. *c.* 4. *à num.* 5.) quamuis *in Concilio Toletano* 8. *c.* 7. pœnam separationis inueniat statutam in eos, qui post sacros ordines contraxissent; tamen vsque ad Calixtum 2. qui fuit tempore Lotharij III. Imperatoris, propè tempora Gratiani, vel Vrbani secundi, qui paulò antiquior fuit, non inuenitur lex vlla, quâ hæc matrimonia post sacrum Ordinem contracta fiant irrita; ipsum verò Calixtum Canone *Presbyteris dist.* 37. In *Concilio Romano c.* 2. non solùm interdixisse Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis matrimonia contrahere, sed etiam contracta discindi præcepisse, non quidem aliâ ratione; nisi; quia noluit inhabiles efficere eiusmodi personas ad contrahendum. Id, quod paulò post Innocentius secundus in Concilio Romano *c.* 6. (& refertur *Canone vt lex* 27. *q.* 1.) apertiùs statuit, & declarauit. Eademque irritatio supponitur *c. Diacono & c. ex litterarum. Qui Clerici, vel vouentes* & *c. quod votum de voto, & voti redemptione in 6.* signum ergo est id non habere iure Diuino, sed iure Ecclesiastico, alioquin, non tam sero incepisset impedimentum hoc statui in Ecclesiâ & sicut dicebamus de voto solemni in Religione, non esse ipsius obligationem incompossibilem ex naturâ rei cum iure iustitiæ, quod transfertur in matrimoniũ; ita similiter dicendum est de voto annexo Ordini sacro, & de illâ traditione speciali, quam quis velit fingere fieri in tali voto. Legatur Vasquez *disputation.* 249. *cap.* 2. Rebell. *lib.* 3. *q.* 4.

Alij textus.

Vasquez. Rebellus.

171. *Aduertendum ex Sãchez.*

Sanch. disp. 28. rectè aduertit quæstionem hanc de iure quo sacer Ordo dirimit matrimonium subsequens, habere locum, siue teneamus continentiam esse annexam sacro Ordini iure Ecclesiastico siue diuino; siue ex solâ Ecclesiæ constitutione; quodcunque enim horum dicamus, potest adhuc esse locus opinandi, siue quòd matrimonium subsequens dirimatur iure diuino, siue quòd dirimatur iure Ecclesiastico, siue quòd tantùm ratione voti solemnis annexi, quoniam lex diuina, vel votum posset ita Clericis præcipere Castitatem, vt matrimonium posteà initum minimè dirimeret, perinde atque per votum simplex ita quis tenetur lege diuinâ & naturali à nuptiis abstinere, vt, si fortè de facto contrahat, matrimonium valeat, atque adeò, quamuis dicamus lege Diuinâ annexam esse continentiam, vel ex obligatione voti adiuncti lege Ecclesiasticâ, potest adhuc esse difficultas, an lege Diuinâ; an potius ex vi illius voti adiuncti, & ex merâ Ecclesiasticâ cõstitutione inhabilitante sic contracturum, tale matrimonium censeatur nullum. Et, (vt dicebam) videtur probabilius, non ex iure Diuino id habere.

172. *Sententia Thomæ Sãchez non satis constans in hac re in opere de matrimonio.*

Vnum tantùm aduerto in Thoma Sanchez ipsum in opere de matrimonio (quid alibi sentiat posteà videbimus) lubricè loqui, nec constare in vnâ sententiâ, dum disputat de solemnitate voti; nam, si spectemus conatum mentis, & discursus illius *à disp.* 25. *lib.* 7. *vsque ad disp.* 28. *inclusiuè*, eò collimat, vt statuat, & confirmet pro virili differentiam plus quàm merè accidentalem inter votum simplex, & solemne, maximè solemne in Religione, cuius fundamenta latè affert, & confirmat auctoritate, & ratione, vt videre est præcipuè *disp.* 25. *n.* 7. In cuius fine pressus testimoniis, seu auctoritatibus Pontificum, quibus opposita sententia nititur, putat ab eâ minimè recedendum; tamen iterum posteà *num.* 8. vsque ad 14. eandem sententiam quam deserit, reassumit, & multa in eius confirmationem congerit, & ex eâ deducit. Et posteà *à n.* 15. conatur secundùm eam sententiam componere, quod simul stet Societatis Religiosos, qui post biennium vota emittunt, esse verè & essentialiter Religiosos non obstante prædictâ distinctione, & traditione quâdam in manus Dei & manus eorum, qui vicem Dei tenent, quam ea sententia non agnoscit in votis simplicibus. Et tandem postquàm multa alia deduxit sequentibus numeris ex prædicta sententiâ, in quibus aliqua sunt contra oppositam, quòd, scilicèt votum solemne & simplex inter se non differant essentialiter; huius sententiæ patrocinium iterum assumit propter constitutiones Gregorij XIII. & Bonifacij VIII. quas adduximus *dub. præcedenti* & contendit ex ipsis deducere voti solemnitatem esse merè accidentalem in voto, & non differre vtrumque votum essentialiter & idipsum supponit totâ *disputat.* 26. dum agit de iure, quo votum solemne Religionis matrimonium posteà initum dirimit, & *disp.* 27. dum agit de continentiâ & obligatione ad illam, quæ annexa est Ordini sacro, & tandem *disp.* 28. quamuis *num.* 11. sequatur sententiam quam supra statuimus, quòd, scilicèt, solo Ecclesiæ statuto dirimatur matrimonium subsequens per ordinem sacrum, id probat tum eisdem rationibus, quibus *disp.* 27. *num.* 5. probauerat continentiam Clericorum oriri ex Ecclesiasticâ constitutione, sicut & nos probauimus, sæpè citato *Tract.* 6. *de Ordine dub. illâ* 26. habito respectu *ad* 24. *&* 25. Tandem probat citato illo num. 11. disp. 28. aliâ ratione, quæ satis ostendit adhuc non deseruisse hunc Auctorem eam sententiam, quam fortè olim altè imbiberat, nempe esse votum, quod per se & ex naturâ suâ non sit solemne, sed per accidens. Ideò probat quòd solo Ecclesiæ statuto dirimat matrimonium votum solemne Sacerdotum, *quia hoc votum* (inquit) *non est per se & ex naturâ suâ solemne, sed per accidens* (*vt probauimus disp. præcedenti* n. 17.) *non ergo dirimet matrimonium iure naturali Diuino instar voti solemnis per se, quale est professionis votum.* Hactenùs Sanchez. Quibus apertè distinguit votum per se solemne, & votum per accidens solemne, & iterum reassumit sententiam contrariam, quam prius impugnauerat; imò *num.* 17.

disp.27.ad quem se refert, expressè totam illam doctrinam, quâ nunc vtitur, posuit ex sententiâ aduersariorum, & eam reiicit in fine eiusdem numeri, vbi sic concludit. *Cæterum retentâ nostrâ sententiâ, quâ asserimus non differre votum simplex, & solemne per solam traditionem (cùm ea quoque reperiatur in aliquibus votis simplicibus, vt supra dictum est) sed ex solo statuto Ecclesiæ, dicendum est votum Ordini sacro annexum per se, & simpliciter esse solemne instar voti Professorum. Atque ita Bonifacius VIII. eo c. vnico vtrumque uotum æquiparat, dicitq; esse solemne.* Hactenus etiam Sanchez. Et immediatè post *num.*18. approbat Cordubam & Ludouicum Lopez docentes votum solemne Ordinis, & professionis non differre specie in genere moris; & reprobat Emmanuelem Rodriquez, qui dixit vtrumque solemne votum differre à simplici. Et concludit ibi Sanchez his verbis: *Sed dicendum est, nec hæc duo vota differre inter se specie, neque etiam à voto simplici; sed per solam Ecclesiæ constitutionem decernentis hæc duo vota dirimere matrimonium non autem simplex votum.* Hactenus ille. Tandem iterum clarissimè *libr.*8. *disp.7.n.9.circa medium* ostendit, & fatetur sentire, quòd votum solemne professionis dirimat matrimonium iure naturali Diuino; sic enim distinguit inter suam & aliorum sententiam. *Atque rectè meo iudicio id asserunt sustinendo opinionem probabilem dicentem votum professi solo iure Pontificio dirimere. Qui autem nobiscum tenent dirimere iure naturali diuino* &c.

173. *Apparet ex dictis iam in vnam, iam in aliam partē ibi inclinare.*

Ecce quomodo lubricè loquitur in hoc negotio, vt supra notabam, & in vnam iam sententiam propendet, iam verò subinde recurrit ad alteram, dum ait, votum solemne Clericorum non esse votum solemne per se, quale est votum professionis, & ex alio capite de vtroque voto dicit ita per accidens differre à simplici, vt non differant specie ab illo, sed per solam Ecclesiæ constitutionem tribuentis eam vim. Quæ omnia ita clarè mihi videntur opponi, vt suspicari liceat in scriptis huius Auctoris aliquid fuisse mutatum in posterioribus editionibus ab aliquo minùs cauto, qui non satis diligenter mutanda mutauit, vt omnia in eo auctore cohærerent, qui fortè priùs in eam sententiam inclinabat, quæ docet maiorem distinctionem inter votum simplex, & solemne. Sed quidquid sit de his antiquioribus illius dictis iam hic Auctor posteà *in summâ*, seu *opere morali lib.*5.*c.*1 *num.*7. expressè docet, & probat votum solemne & simplex esse prorsus eiusdem speciei, & solâ extrinsecâ accidentali differentiâ inter se distare, quod solemne muniatur eâ solemnitate ab Ecclesiâ institutâ; illâ autem simplex careat. Ex posteà *num.*8. docet votum solemne esse quoddam totum per accidens, sicut corpus album, *componitur enim* (inquit) *ex voti substantiâ & qualitate extrinseca quæ est solemnitas.* Quod totum prius probauerat *num.*6. concluditque colligens posteà *num.* 9. inde doctrinam, de quâ nunc præcipuè disputamus, scilicèt per solemne professionis votum dirimi matrimonium non ex naturâ rei, sed solo iure Ecclesiastico, pro qua sententiâ refert alios præter eos, quos retulerat *lib.*7. *de matrimonio disputation.*26.*num.*2. Quæ doctrina potiori ratione aut saltem æquali locum habet in voto annexo Ordini sacro.

Tandem idē Sanchez expressè docet nostram sententiam & in ea conquieſcit.

Habemus ergo ex dictis hucusque id, quod docet etiam Diana 8. *par. tractat.* 1. *Resolut.*62. *Paragrapho sed ego* cum Suario, Coninc, Henriquez, Perez, Becano, Arcadio, Soto, Præposito & aliis multis nempe ex duplici capite sacris initiatos esse inhabiles ad contrahendum, tum scilicèt ex Ecclesiæ constitutione illos inhabilitante ad contrahendum; tum etiam ex vi voti solemnis, cui Ecclesia hanc vim tribuit, vt dirimat matrimonium subsequens. Vtrumque sanè caput est ab Ecclesiâ; sed in hoc differunt, inter se, quòd lex, quæ inhabilitat ordinatos, immediatè reddit personas inhabiles. Lex verò, quæ obligat ad vouendum solemniter Castitatem, immediatè solùm obligat ad tale votum; quia tamen Ecclesia voto solemni dedit suâ constitutione vim reddendi inhabilem ad matrimonium, ex hoc etiam capite mediatè, id est medio voto, fecit inhabiles eos, qui sic vouent.

174. *Concluditur doctrina ex dictis.* Diana. Suarius. Coninc. Henriq. Perez. Becanus. Arcadius. Sotus. Præpos. *Alij multi.*

Ex quo patet quid dicendum sit de eo, qui ordinatur ordine sacro, & de facto; quia non vult, vel ignorat, non emittit votum Castitatis; nam quidquid sit, an eo ipso quòd vult ordinari, censeatur nihilominùs vouere (de quibus diximus locis citatis *de Ordine* maximè *dub.illa*26.) quidquid (inquam) de hoc sit, sufficit quòd Ecclesia initiatum inhabilitet ad contrahendum matrimonium lege suâ directè, & immediatè inhabilitante illum.

175. *Quid de eo, qui sacro ordine initiatur, sed aut non vult aut ignorat obligationē vouendi & ideo non vouet castitatem?*

DVBITATIO XIX.

An Ordo sacer ante vsum rationis receptus, aut ante pubertatem dirimat matrimonium? & remissiuè de ordinato per metum, aut ignoranter?

HAc de re egimus *Tractat.*6. qui est de Sacramento Ordinis, vbi diximus *disputation.*27. & 28. & 29. ordinatum absque rationis vsu, aut ante pubertatem, aut per metum, neque teneri, neque adstringi ad continentiam, neque impediri lege Ecclesiæ, quo minùs ad matrimonium possit transire. Pro quâ doctrinâ retulimus Thomam Sanchez, qui plures alios refert, quibus adde pro ordinato ante vsum rationis. Vasquez 3. *par. disputation.*246.*numer.*25. Henriquez *libr.*12. *cap.*15. Coninc *de Sacrament. Ordin. disputation.*20. Quæ doctrina intelligenda est de potestate ordinariâ Ecclesiæ per se loquēdo, & iuxta generalem legem eorum, qui ordinantur, & in hoc sensu hanc doctrinam tradidimus *in illo tract. de Ordine disputationibus notatis.* Ideò in particulari loquendo de eo, qui compellitur ex iustâ causâ, atque adeò iustè à superiore ad ordines sacros non potest nec debet negari tunc teneri. Vnde si talis, in quo iusta causa concurrit, iam fuisset ordinatus, vel ante rationis vsum, vel ante pubertatem vel legitimam ætatem ad ordines sacros aut votum, sicut nondum ordinatus posset cogi, vt ordinetur, atque adeò, vt subeat onera ordini annexa, ita etiam iam eo modo ordinatum. Porrò posse

176. *Alibi de hac re diximus, & negauimus teneri lege & voto continentiæ.* Thom. Sanchez. *Cū multis.* Vasquez. Henriq. Coninc.

Qui ex iusta causa compellitur ad Ordines sacros tenetur ea lege.

ex

Potest ex iusta causa ad id cogi. Sanchez.

ex iustâ causâ id fieri diximus cum Sanchez eodem *tract. de Ordine n.* 442. vbi illum retulimus dicentem *lib.* 7. *disp.* 29. *n.* 10. prædicta esse accipienda de iniustâ compulsione. *Si enim* (inquit ille) *vrgente necessitate compellat Prælatus iusto præcepto ad Ordines assumendos. Sic compulsus tenetur ad continentiam, & ad cætera Ordinis onera.* Pro quâ sententiâ ipse & nos attulimus Henriquez. Addo nunc in casu Ordinis suscepti ante vsum rationis Suarium *de Religione tom.* 3. *lib.* 9. *c.* 17. *dub.* 2. *n.* 19. Perez *de matrimon. disp.* 27. *sect.* 3. *num.* 3. Diana 8. *part. tract.* 1. *resolut.* 43. vbi immeritò refert Suarium, quasi contrarium Thomæ Sanchez, cùm tamen nec Suarius ibi, nec ipse Diana Suarium secutus illi opponantur. Sanchez enim loquitur præcisè ex vi Ordinis suscepti. Suarius verò expressè loquitur in casu ob grauem causam, negat tamen per se loquendo. Ait enim *existimo non excedere hoc Ecclesiasticam potestatem, quia licèt Ecclesia per se loquendo, non possit hoc præceptum absolutè imponere, vel generaliter vel specialiter alicui personæ.* (Ecce negat per se loquendo, quo sensu negat Sanch.) *tamen in casu ob grauem causam ad bonum Religionis pertinentem potest hoc præceptum imponere etiamsi ex accidenti contingat, vt eius obligatio & effectus aliquem liget absque eius consensu.* Ecce aliis verbis concedit, quod eodem sensu dixit Sanch. suprà. *Si vrgente necessitate compellat Prælatus iusto præcepto ad Ordines assumendos sic compulsus tenetur ad continentiam.* Eodē loco rem latius explicat Suarius. Parum nunc in præsenti est, quod addamus, nisi, quòd aliqui tum antiquiores tum Recentiores sequuti Rebellum *lib.* 3. *q.* 12. pro virili contendunt Ordinē sacrum susceptum ante vsum rationis dirimere matrimonium, non quidem ratione voti annexi, quia absque vsu rationis nequit votum fieri adhuc implicitè, sed ratione sui seu iuris Ecclesiastici ipsi Ordini annexi, quia ius Ecclesiasticū dirimens matrimonium est absolutè annexum Ordini sacro, non minùs, quàm iura Ecclesiastica sunt annexa Baptismo: ergo, sicut iura Ecclesiastica comprehendunt Baptizatum ante vsum rationis; ita dicendum putant ius Ecclesiasticū dirimens matrimonium comprehendere sacris initiatum ante vsum rationis. Pro quâ sentētiâ refert Diana Hurtadum *disp.* 16. *diffic.* 2.

Henriq. Suarius. Perez. Diana.

Rebellus quem alij sequuntur putat Ordinem sacrum ante vsum rationis susceptum dirimere matrimonium.

Diana. Hurtadus.

177. *Nihil probat ratio, & doctrina reiicitur.*

Hæc tamen doctrina, & ratio futilis omnino mihi videtur; est enim latum discrimen inter leges, aut iura annexa Baptismo, & annexa Ordini; nam iura annexa Baptismo sunt annexa rei omnino necessariæ ad salutem omni homini. Vnde non mirum, quòd Ecclesia baptizatum etiam ante vsum rationis cogat seruare, quæ alioquin necessaria videntur, aut valdè conuenientia pro tali statu hominis baptizati; ad quē statum capessendum omnis homo tenetur iure Diuino; cumq; etiam iure Diuino per talē statum sic necessarium subditus fiat homo Ecclesiæ; consequenter debet obligari legibus, quæ iudicio & decreto Ecclesię tali statui annectuntur. In statu verò Sacerdotali, aut Ordinis sacri, non est eadem ratio; nemo enim tenetur per se loquendo fieri Sacerdos aut Subdiaconus; sed est status merè arbitrarius; & electiuus, vtpotè in liberâ potestate hominis situs, & habet onera, quæ non simpliciter sunt necessaria ad salutem aut ita conuēnientia, vt sine illis non censeatur homo rectè, & sufficienter dirigi in viam salutis æternæ. Quapropter æquum non est; atque adeo, nec censetur Ecclesia velle, quòd, qui absque vllâ sui voluntate (adhuc implicitâ) sacris est initiatus, onus, & obligationem subeat seruandi in perpetuum Castitatem, vtpotè inhabilis ad contrahendum matrimonium.

178. *Probabile est teneri, qui ante pubertatem, sed post vsū rationis ordinatur.*

Probabilis tamen est doctrina Rebelli & aliorum, quantum ad Ordinem sacrum datum non quidem ante vsum rationis, sed ante pubertatem quamuis enim probabile sit, immò probabilius prædictum Ordinatū non obligari voto solemni Castitatis iuxta dicta citato *Tr.* 6. *dub.* 28. tamen si non voto, saltem lege Ecclesiasticâ irritante matrimonium sacris initiati, intelligi potest prædictum inhabilitari ad contrahendum matrimonium, vt docent non pauci Perez *supra* Conine & alij. Imò etiam voto, vt ibidem probabile diximus *n.* 416.

Perez. Coninc. *Alij.*

179. *Probabilius est oppositū.*

Nihilominus probabilius existimo de facto nec lege Ecclesiasticâ cogi, sed iam posteà constitutos in legitimâ ætate tenēri alterum eligere, vel ab Ordinis vsu abstinēre, vel voluntariè tale munus suscipientes & Castitatem vouēre, & legibus Ecclesiasticis se submittere iuxta ea, quæ diximus *loco notato citatis dubitationibus* 27. & 28. neque enim censetur Ecclesia velle prædictos aliter obligare.

Ad quid tamen tenentur sic initiati.

180. *De ordinato per metū remissiuè.*

Alia quæ spectant ad ordinatum per metum grauem iniustum latè diximus eodem *tract.* 6. *dub.* 29 *citatâ*.

181. *Item de ordinatis cum ignorantia voti, & obligationis annexæ.*

Quid verò dicendum sit de eo, qui cum ignorantia voti aut obligationis Ordini annexæ ordinatur, diximus etiam per occasionem eodem *Tract* 6. *dub.* 26. *n.* 390. Alia solent hic tractari circa Ordinem sacrum collatum cum matrimonio quod dirimit. Sed non sunt huius loci. Ideo omitto.

DVBITATIO XX.

Quid sit consanguinitas? & quomodo eius gradus computentur?

182. *Redditur ratio de ordine tractādorum ex parte mutato,*

DIximus de impedimento Ordinis non seruato ordine impedimentorum, quæ continentur in illis carminibus allatis *dub.* 3. vt Ordinis impedimentum coniungeremus cum impedimento voti, quod quasi sub se continet impedimentum Ordinis, in quo votum reperitur. Sic etiam pro natâ occasione mutabimus ordinem illorum carminum, vt de iis, quæ aliquam inter se habent connexionem, continenter dicamus, id quod etiam nunc continget, vbi impedimentum cognationis, & affinitatis vnum post aliud continenter explicabimus.

183. *Quæritur, t. Quid sit cōsanguinitas? Definitio consanguinitatis. Explicatur.*

Quærimus ergo 1. in hac dubitatione quid sit consanguinitas? Et omissis aliis definitionibus, illa sufficiat, quæ communior est, & potior, scilicet *Consanguinitas est propinquitas diuersarum personarum per carnalem propagationem prouenientes ita, vt ex eâdem descendant, vel vna ex altera.* Dicitur *Consanguinitas*, quasi sanguinis vnitas. Ex quo patet consanguinitatem inuoluere mutuam

quandam relationem,seu habitudinem coniunctionis in sanguine necessariò requirens natiuitatem.

184. *Quid sit gradus consanguinitatis.*

Diuidi autem solet hæc consanguinitas per varios gradus,& lineas;vnde oportet etiam scire quid gradus?quid linea sit?*Gradus est habitudo coniunctionis vnius consanguinei ad alterum.* Ideò necessaria sunt duo extrema vnum, tanquàm subiectum,& alterum tanquam terminus.*Linea verò est collectio ordinata plurium habitudinum coniunctionis consanguineorum.*

Quid sit linea consanguinitatis.

185. *Duplex linea hæc recta, & trãsuersalis. Quid recta linea? Quid transuersalis? Recta linea duplex, seu potius eadẽ dupliciter accepta ordine inuerso. Linea Ascendentium & descendentiũ.*

Hæc autem Linea duplex est; recta vna, & transuersalis altera. *Recta est collectio habitudinum eorum consanguineorum*, quorum vnus ab altero originem trahit.*Transuersalis* verò *est collectio habitudinum ab eodem stipite descendentium, quorum nullus originatur ab alio.*

Recta autem linea duplex est,seu potiùs vna: vna quidem in se, nostra tamen consideratione duplex, seu ordine inuerso considerata,nempe Linea ascendentium & linea descendentium. Ascendentium linea est *collectio habitudinum,quatenus considerantur ab stipite,*(id est ab ea persona,à qua descendunt)*versus descendentes.* Descendentium verò linea *est collectio habitudinum ordine inuerso*(id est) *quatenùs considerãtur à descendentibus versus stipitem.*

186. *Quid stipes.*

Stipes autem dicitur *ea persona à quâ descendunt illi de quorum coniunctione & gradu consanguinitatis quaritur.* Exempli causa Petrus habet filios, nepotes, & alios descendentes: stipes horum omnium Petrus est, à quo cæteri procedunt.

187. *Consanguinitas requirit carnalẽ propagationem. Adamus & Eua non sunt propriè consanguinei. Christus & B.Virgo Mater consanguinei propriè.*

Dixi autem in definitione consanguinitatis debere esse propinquitatem per carnalem propagationem; quia nisi contrahatur ea propinquitas hoc modo non erunt propriè consanguinei. Vnde Adam & Eua non fuerunt propriè consanguinei,quamuis Eua ex Adami costa formata fuerit. Christus verò fuit consanguineus Beatæ Virginis, quia ex purissimo sanguine quoad naturam humanam conceptus fuit, ab eaque accepit id, quod cæteræ matres ex parte suâ solent filiis communicare.

188. *Quaritur 2. Quaratione computandi gradicti gradus? Tres regulæ in hac re communiter traduntur.*

Quærimus iam secundò quâ ratione prædicti gradus consanguinitatis computandi sint? In quâ sanè re explicandâ multi latissimi sunt, nec tamen ideò rem clariùs explicent. Ideò omissis aliis breuiter explicandæ sunt tres regulæ, quas communiter tradunt Doctores ad prædictos gtadus numerandos, & dignoscendos.

189. *Prima Regula.*

Prima Regula *Tot gradibus in recta linea vnus ab altero distat, vel ei coniungitur, quot generationibus ab eo descendit.* Vnde filius in primo gradu coniungitur cum Patre,quia vnâ primâ generatione descendit; nepos verò cum auo, in secundo gradu; pronepos cum Proauo in tertio: Abauus cum abnepote in quarto. Et sic deinceps.

190. *Secunda Regula sumpta ex iure Canonico. Ratio dictæ regulæ.*

Secunda regula habetur in Canone *Ad sedem* & in Canone *Parentelæ* 35.*q.*5.& est talis: *In linea transuersali æquali tot gradibus vnus iungitur alteri, & ab eo distat,quot quilibet coniungitur communi suo stipiti proximo, & ab eo distat.* Ratio est; quia tantùm ratione illius coniunguntur & in ordine ad illum censentur distare plus, minusve. Vnde duo fratres sunt in primo gradu lineæ transuersalis;quia in eo gradu sunt comparatione communis stipitis,scilicèt,Patris,quo medio inter se coniunguntur, & in ordine ad quem censentur distare.

191. *Tertia Regula sumpta etiã ex iure Canonico. Ratio huius regulæ. D. Thom. Cæteri Scholastici. Sanchez. Valentia. Couarr. Henriq. Bonacina. Alij apud illum. Coninc. Reginald. Alij multi.*

Tertia regula habetur in *c. fin. de consanguinit.* scilicet. *In lineâ transuersali inæquali tot gradibus vnus alteri coniungitur, & ab eo distat, quot is, qui remotior est à communi stipite proximo ei coniungitur, & ab eo distat.* Ratio est, quia solùm coniunguntur ratione communis stipitis proximi,ideoque nequeunt magis inter se coniungi, quàm remotior illi coniungitur. Vnde patruus,& nepos ex fratre sunt in secundo gradu; quia nepos illè in secundo gradu est cum proximo stipite amborum, etiamsi patruus sit in primo. Has tres Regulas præter cæteros Doctores præcipuè assignat D. Thomas *in* 4. *distinct.*40.*q.*1.*art.*2.quem sequuntur cæteri Scholastici communiter teste Sanchez *libr.*7. *disp.* 50. *num.*4 *& sequentibus.* Valentia *tomo* 4.*disput.*10. *q.*5 *puncto* 3. Couarruu. *in epitome p.*2.*c.*6. Henriquez & alij apud Bonacinam *q.*3 *punct.*1. *num.*6. Coninc *disp.*32.*dub.*1.Reginald. *libr.*31.*nu.*141.& 142.aliique multi.

192. *Non in omnibus conueniunt circa graduum designationẽ ius Canonicum & Ciuile. In linea recta solùm conueniunt.*

Obseruat Sanchez *num.*7. & alij multi ius ciuile & Canonicum in his gradibus computandis,& numerandis non in omnibus conuenire. Conueniunt quidem in lineâ rectâ, atque adeo prima regula vtrique deseruit; non verò secunda, & tertia. Nam ius Ciuile numerat omnes gradus,qui reperiuntur in duabus personis, quæ transuersaliter comparantur.Sic iure Ciuili duo fratres sunt in secundo gradu; quia in quolibet est vnus gradus respectu proximi stipitis vtrique communis; patruus verò, & nepos ex fratre sunt in tertio gradu, quia sic computando tribus gradibus distant à communi stipite nempe patruus vno, & nepos ex fratre duobus. Vnde & duo filij duorum fratrum quatuor gradibus iure Ciuili distabunt.

193. *Quod attinet ad matrimonij impedimẽta standum est iuri Canonico. Quoad successionem standũ Ciuili. Sanchez cũ multis Couarruuias cum aliis.*

Quod verò attinet ad matrimonium computationẽ iuris Canonici sequi debemus, quia circa hoc ius Ciuile disponere non potest,quoad successionem verò seruanda est computatio iuris Ciuilis,cuius est in his disponere. Ita Sanchez *supra num.*8.cum multis & alij multi apud Couarruu. qui illos sequitur 4. *Decretalium* 2.*par.cap.*6.

194. *Iidem auctores etiã in foro Ecclesiastico quoad successionem seruandum putant Ciuile. In aliis in proprio cuiusque foro standum propria cõputationi. Alia alibi tractabamus olim pro hæreditate ex testamento vel ab intestato.*

Docent etiam Couarruu. & Sanch. aliique multi,ita seruandum hoc vltimum in foro Ecclesiastico sicut in sæculari,quod attinet ad successionem.In aliis verò contractibus, actibusq; ceteris similibus quamlibet computationẽ proprio foro seruandam esse, Ciuilem in Ciuili, Canonicam in Ecclesiastico. Latius de materia huius dubitationis diximus in nostro opere *de iustitia & iure lib.*2.*tractat.*19.*disp.*1. *dub.*37.occasione successionis in hæreditate ex testamento,aut ab intestato.

DVBIT.

DVBITATIO XXI.

An consanguinitas dirimat matrimonium iure aliquo positiuo diuino, aut Ecclesiastico? & an saltem in primo gradu dirimat iure naturali?

195. *Supponitur nihil haberi pro lege Euangelica circa hæc iure diuino positiuo. Leuit. 18.*

SVpponendum inprimis est nullo iure Diuino positiuo iam consanguinitatem dirimere matrimonium; neque enim tale ius in nouo testamento reperitur, in veteri verò, quamuis *Leuitici* 18. in aliquot gradibus dirimeret consanguinitas matrimonium; tota tamen lex vetus præcisè quatenus positiua lex est, cessauit, quod si aliqua præcepta ibi contenta durant, solùm est, aut quatenùs iure naturæ etiam præcepta sunt, aut iure nouo in nouo testamento, aut posteà in Ecclesiâ.

196. *Olim iure positiuo dirimebat vsque ad septimum gradum. Iam vsque ad quartũ.*

Iure verò positiuo olim quidem dirimebat consanguinitas vsque ad septimum gradum inclusiuè, vt videre est in Canone *Ad sedem* 35. *q.* 5. Iam verò tota vis dirimendi reducta est ad quartum inclusiuè gradum, & non vltra, vt habetur *cap. Non debet* 8. *de consanguinit.*

197. *Quid iure naturæ respectu primi gradus lineæ rectæ? Iure naturali dirimit. Ratio communis.*

Iam verò quod attinet ad ius naturæ respectu primi gradus lineæ rectæ (de hoc enim tantùm nunc loquimur) supponendum est, tanquàm receptum apud Doctores iure naturali dirimere (in quam partem Caramuel inclinet posteà dicam.) Ratio communis est; quia coniugalis vsus, ad quem matrimonium ordinatur, & ad quem in eo ius iustitiæ confertur, non potest ex naturâ suâ, ex suoque obiecto semper in casu ordinario non inuoluere multum inhonestatis, & indecentiæ inter prædictos consanguineos, nempe in filio, & in matre, & in patre, & in filiâ, semper enim est contra reuerentiam suapte naturâ debitum ascendentibus, ac proinde non potest conferre ius iustitiæ ad actum semper ex obiecto inhonestum & rationi dissonum. Vnde consanguinei in tali gradu meritò censentur inhabiles ad matrimonium, & ad ius eo contractu adquirendum; talis autem inhabilitas orta est ex naturâ prædictæ consanguinitatis; atque adeò iure naturali. Et quidem quòd Pater filiam ducat, videtur iure naturæ interdictum, atque adeò quòd filius ducat matrem; cùm sit eadem ratio, & fortè maior (vt videbimus *numer.* 208.) expressitque S. Ambrosius *epistol.* 66. quæ est ad *Paternum*, vbi *Ne pater* (inquit) *filiam suam accipiat vxorem interdictum est iure naturæ, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est inuiolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis.* Hoc tanti Patris iudicium satis significat iure naturæ non licere; sed cùm non sit idem non licere, & non valere videndum restat, an ex eo quòd non liceat iure naturæ colligatur quod non valeat, nec sit potestas in prædictis transferendi mutuum dominium corporum ad generationem de quo dicemus infra citato *n.* 208. expendentes verba non absimilia S. Thomæ, & ex illis deducemus argumẽtum *n.* 209. quo probemus Deum nõ dedisse homini potestatem transferendi tale dominium inter personas sic coniunctas.

S. Thom.

198. *Quæritur tam de casu necessitatis maximæ, an liceat?*

Quæret tamen aliquis an saltem in casu aliquo maximę necessitatis propagandi genus humanum, puta, si in mundo tantùm manerent mater, & filius, aut pater, & filia, liceat tunc matrimonium inter se inire?

199. *Sententia affirmans. Sanchez. Cũ multis. Valentia. Henriq. Basilius. Bonacina. Caramuel.*

Diuisi sunt Auctores. Quidam affirmant licere & valere. Ita Sanchez cum pluribus, quos refert *libr.* 7. *disputat.* 51. *numer.* 10. Valentia 4. *par. disputat.* 16. *q.* 5. *puncto* 3. *Paragrapho. Quin etiam.* Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio c.* 9. Basilius de Leon. *lib.* 7. *c.* 31. Bonacina *q.* 3. *puncto* 5. *numer.* 12. Caramuel *in Theologia morali. lib.* 2. *num.* 545. à fortiori prædictis assentitur, cùm solùm requirat Auctores quibus possit adnumerari in negando primum gradum in rectâ lineâ iure naturæ irritare matrimonium. Idem pro nostro casu docent Baunius *in Theologia morali tomo* 1. *tractat.* 12. *de impedimento consanguinitatis q.* 2. *assert.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 168. Caspensis *in cursu Theologico tom.* 2. *tractat.* 26. *section.* 5. *num.* 39. Texeda *in Theologia morali tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 2. *num.* 15. falsò pro se referens Caietanum *secunda secundæ q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. vbi oppositum docet, vt legenti constabit §. *ad primam autem*, & alij multi. Quæ sententia satis probabilis est, eamque videtur tenere S. Chrysostom. *Homiliâ* 44. *in Genes.* & D. Ambrosius *libr.* 1. *de Abraham c.* 6. qui excusant filias Loth à culpâ, dũ cum Patre concubuere, eo quod putarent nullum virum superesse, qui generationi posset deseruire. *Genes.* 19. Ratione verò; quia malum ordinis inferioris potest cohonestari propter bonum superioris ordinis, vt damnum vitæ propter bonum rationis. Cùm ergo priuatum malum irreuerentiæ paternæ consurgens ex tali matrimonio, seu copulâ cum ascendenti sit inferioris ordinis respectu boni communis, ad quod spectat speciei conseruatio, poterit cohonestari, vt huic bono consulatur, atque adeò desinit esse actio pro tali casu contra reuerentiã, & pietatem debitam ascendenti; quia nimirùm pro tali casu non debetur.

Baunius. Filliucius. Caspensis. Texeda. *Falsò citans.* Caietan. *Alij multi. Probabilis ea sententia.* S. Chrys. S. Ambr.

Gen. 19. *Ratio.*

200. *Sententia negans. Caietan. Petrus Ledesma. Lud. Lop. Sotus. Coninc. Diana.*

Alij verò etiam pro tali casu negant licere, & valere. Ita Caietanus proximè iam citatus. Petrus de Ledesma. Ludouicus Lopez apud Sanchez supra. Sotus *libr.* 2. *de iustitiâ q.* 3. *artic.* 8. *ad* 4. (quamuis non clarè loquatur solùm enim dicit oppositum non carere probabilitate) Coninc *disputation.* 32. *numer.* 13. Diana 8. *par. tractat.* 1. *Resolution.* 71. negans in aliquo vnquam casu valere & post relatam Caramuelis sententiam pronunciat nullo modo esse admittendam. Probant; quia etiam in tali casu irrogatur irreuerentia ascendenti in copulâ, & matrimonio, cui priuatus cedere, aut acquiescere nequit, cùm sit opposita pietati, & obseruantię; non verò iustitiæ, cuius dãno potest quis ex rationabili causâ cedere, & acquiescere.

Ratio.

201. *Ex concessione expressâ Dei admittant prædicti posse fieri. Mæratius.*

Vtraque tamen opinio & auctores illius vno excepto Perez admittunt ex expressâ concessione Dei (qui potest debitum reuerentiæ ergà ascendentes extinguere, aut aliter coniunctionẽ inter prædictos cohonestare) posse inter eos matrimoniũ validè cõtrahi & licitè. Quod etiam docent Mæratius *de Sacramẽto matrimonij disp.* 9.

Hurtado. *disp.9.sect.6.* ex Hurtado *disputat.18. diff.3.* sine quâ concessione expressa negant. Solus Perez *disp.28.* (*non* 38. *vt* refert Diana) singularem sententiam *section.2. num.* 11. secutus negat Deum posse hoc concedere, quia putat non secùs atque odium Dei & mendacium esse intrinsecè malum, vt non possit cohonestari, nec sit possibilis Dei concessio, atque adeò in eo euentu esse iudicandum, Deum velle totum genus humanum perire. Verùm ego non video cur non possit auctor naturæ tunc concedere talem potestatem ad generationem, quod enim assumit tantam esse dissonantiam, vt nec sic possit cohonestari: est petere principium; de hoc enim disputamus, & quærimus, an id tale sit, vt non possit à Deo concedi, si vellet. Hâc ergo sententiâ omissâ de vtrâque præcedenti iudicium feramus, an in tali casu, (seclusâ expressâ concessione Dei) liceat inter prædictos matrimonium? Illud in Diana etiam non satis possum cõponere nempe in §. *vnde colligo.* negat vllum esse casum, in quo sine expressa Dei concessione licitè & honestè contrahere possint prædicti. Postea verò in §. *His suppositis* quærit, an possit dari casus, in quo Pontifex possit præcipere Patri, vt assumeret filiam, quando Pontifex impotens ipse in suâ personâ esset, & tantùm superessent vnus Pater cum suâ filiâ; & respondet affirmatiuè; in quo supponit licere. Nam, si non liceret, non posset Pontifex præcipere. Iam ergo quæro ab illo, si non licet, quomodò potest Papa præcipere? si autem licet, quomodo dixit nullo vnquàm casu sine expressa Dei concessione licere? si verò supponat Dei concessionem, quid opus est recurrere ad casum, in quo tantùm esset in mũdo Pater cum suâ filiâ. Nam hodie in tanta hominum multitudine liceret, si Deus auctor naturæ dispensaret, & id concederet (quod nunquàm fecit, nec faciet) posset tamen, si vellet. Iã verò iudiciũ ferendo de vtrâq; sententiâ videamus an vtraque probabilis, & vtra probabilior.

Non admittitur Perezij fundamentum nec sententia.

Duo Diana dicta difficile conciliantur.

202. Sanè quamuis vtraque sententia probabilis sit, probabilior mihi apparet prima & fundamentum illius; nam secunda sine probatione assumit adhuc pro tali casu perseuerare irreuerentiam, quod prioris sententiæ Auctores negant; neque enim pro tali casu necessitatis debetur illa reuerentia ascendenti; id enim non est per se notum, alioquin viri doctissimi non negarent; imò illis potiùs apparet talem irreuerentiam non esse propter rationem allatam. De sententiâ tamen Chrysostomi, & Ambrosij nihil ex iis locis certi colligitur, & ad excusandas filias Loth à peccato, satis est, quod illę existimassent licere; quamuis errarent.

Vtraque prædicta sententia probabilis. Probabilior prima.

Respondetur auctoritatibus Chrysostomi & Ambrosij.

203. Sed contra id, quod diximus in hac dubitatione generaliter loquendo semper dirimere iure naturæ matrimoniũ consanguinitatem in primo gradu rectæ lineæ; adhuc mihi hæret scrupulus. Nam ratio supra facta videtur quidẽ probare esse contra ius naturæ, & peccatũ inter prædictos matrimonium contrahi. Quod verò, si de facto contrahatur, inualidum sit; non videtur satis adhuc colligi. Quamuis enim semper sit inhonestum filium cum matre, aut patrẽ cum filiâ copulari, non ideò videtur sufficienter colligi matrimonium illud inualidè contrahi, eo ipso quòd illicitè cõtrahatur; multa enim illicitè fiunt, quæ tamen, si fiant, validè fiunt.

Adhuc cita valorem potest esse difficultas etiam si non liceat.

Multa fiũt illicitè, sed validè.

Pro explicatione huius rei supponendum est 204. primò, non eo ipso, quòd matrimonium iure naturæ interdicatur in aliquo gradu fore consequenter irritum vt videre est in voto simplici Castitatis, & sponsalibus validis præcedentibus cum vnâ, nam, si quis post tale votum matrimonium ineat, peccat contra ius naturæ, & valet, sicut si cum aliâ contrahit post prædicta sponsalia contractus est validus, vt docet Sanch. *disp.* 51. *n.*3. Valentia *to.4. disp.*10. *puncto* 3. & alij multi apud ipsum.

Quædam supponenda pro explicatione. Supponendum 1.

Sanchez. Valentia. *Alij.*

Cum quo supponendum est 2. ea dici naturalia præcepta, quæ, vel solo naturali lumine absque aliquo discursu, vel saltem facillimo dignoscuntur, & apud omnes nationes benè institutas eadem sunt, eandemque necessitudinem habent, & idem est de iis, quæ prohibentur, iure naturali. Sunt autem hæc in duplici differentia; nam ita quædam prohibentur, vt nullo in casu, aut euentu possint cohonestari, vt mentiri semper est illicitum. Quædam verò, nõ ita semper illicita sunt, quin in aliquo casu possint cohonestari. Exemplum adhibet Sanchez in furto, quod tamen mihi non placet; nam, quando ex circumstantiis occurrentibus licet rem alienam accipere, vt ratione extremæ indigentiæ, definit esse furtum, cùm hoc solùm cõmittatur, quando accipitur res aliena rationabiliter inuito Domino; tunc autem non est Dominus rationabiliter inuitus. Ideò hanc doctrinam sub aliis terminis tradendam puto, vt eam tradidimus *supra disp.2. dub.*42. *n.*538. vbi diximus quædam esse præcepta, quæ sub omni circumstantia obligant, quædam, quæ non sub omni. Priorum exemplum sit non mentiri: posteriorum verò sit non occidere; neque enim semper, & in omni occasione obligat non occidere. Ibi Legatur.

205. *Supponendum 2.*

Doctrinam exemplo declarat. Sanchez. *Non placet exemplum.*

Explicatur alio modo doctrina ex alibi dictis.

Supponendum est 3. cum eodem Sanch. *n.*5. ex diuersis capitibus venandam esse iuxta dicta prohibitionem matrimonij, & eius irritationẽ. Nam prohibitio debet colligi ex eo, quod ratione naturali apud omnes nationes ipso naturæ lumine dictante repugnet; vt nuper dictum est. Quæ ratio non sufficit ad irritationem deducendam iuxta dicta. Ideò irritatio debet colligi ex ipsâ naturâ, & intrinseco matrimonij fine, qui est sobolis procreatio, & remedium cõcupiscentiæ, si enim naturæ ipsi, & fini opponatur, irritum erit. Quod si natura & finis matrimonij illæsa maneant, & ex aliqua solùm circumstantiâ extrinsecâ ius naturale violetur ex tali matrimonij contractu, erit quidem iure naturali interdictum, validum tamen. Vnde matrimonium contra votum simplex, aut priora sponsalia celebratum validum est, quia solùm violatur ius naturale, ex alio capite & circumstantiâ extrinsecâ. Pro quâ doctrina refert Sanchez Victoriam, Sotum, Petrum, & Bartholomæum de Ledesma, qui ex eo probãt matrimonium in lineâ transuersâ affinitatis non esse irritum iure naturæ, quòd non aduersetur primario vel secundario fini matrimonij. Imò hoc ipsum fecit D. Thomas vt paulò post videbimus.

206. *Supponendum 3.* Sanchez.

Victoria. Sotus. *Vterque Ledesma.* D. Thom.

Meritò

207. *Videndum restat an tale matrimonium repugnet ipsi naturæ & fini matrimonij.*

Meritò ergo inquirimus pro confirmatione doctrinæ traditæ, quod matrimonium inter parentes & filios irritum iure naturæ, an tale matrimonium repugnet ipsi naturæ & fini matrimonij.

208. *Diui Thomæ argumentum ad hoc probandum.*

S. Thom. *in 4. dist. 40. q. 30. art. vnico* atque adeo etiam in supplemento tertiæ partis *q. 14. ar. 3.* ex prædicta appositione cum fine matrimonij colligit hanc nullitatem iure naturæ; placet autem illius verba referre; ait ergo *In matrimonio illud contra naturæ legem esse dicitur, per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis, ad quē est ordinatū. Finis autem matrimonij per se primò est bonū prolis, quod quidem per aliquam consanguinitatē, scilicèt inter patrem & filiam, vel filium, & matrē impediatur, non quidem, vt totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere, & simul cū Patre nutrire, & instruere, in quibus bonum prolis consistit, sed vt non conuenienti modo fiat. Inordinatū est, quod filia Patri per matrimonium iungatur in sociam causæ generandæ prolis & educandæ, quam oportet per omnia esse patri subiectam velut ex eo procedentem. Et ideò de lege naturali est, vt pater, & mater à matrimonio repellantur, & magis etiam mater, quàm pater, quia magis reuerentiæ, quæ debetur parentibus, derogatur si filius matrem, quàm, si pater filiam ducat in vxorem, cum vxor aliqualiter viro debeat esse subiecta.* Hactenus S. Thomas.

209. *Formatur argumentū ex doctrina D. Thomæ.*

Ex qua doctrina satis à S. Doctore explicatà sic possumus argumentari. Quia suppositâ hâc repugnantiâ cum naturâ omnino incredibile apparet, Deum naturæ Auctorē dedisse hāc potestatem transferendi in alium dominiū corporis sui ad eum vsum, qui in nullo vnquam casu futurus esset non inhonestus, & quem recta ratio summè detestatur, talis autem est vsus matrimonij inter prolem, & parentē. Vnde omnes gentes benè instructæ solo naturæ lumine edoctæ nuptias inter eos nefandas existimarunt, vt latè, & eruditè probat Sanchez ex Patribus, ex Philosophis, & poëtis etiā Ethnicis. Supponitur in hac doctrinâ principium morale, quòd Deus nunquam dederit homini potestatem transferendi dominium corporis erga tales eo modo sibi coniunctos propter prædictā indecentiam, loquendo pro casibus, qui possunt & solent in humanis occurrere, quia non decet eam potestatē habere. Quod si aliqua gens aut Prouincia, vt Hibernia olim in idololatriâ pro aliquo casu (vt contendit Caramuel) non aduertit hāc dissonantiam, profectò non mihi videtur habere multum momenti, sicut enim licet aliquæ non paucæ hodie & olim gentes etiam cultæ, vxorū pluralitatē, libellum repudij, aliaque similia admiserint in suis Rebuspublicis alioquin nō barbaris, sed optimis legibus constitutis, non ideò licet inferre talia non esse iure naturæ opposita matrimonio; sic licèt aliqui Hiberni Regis Cōsiliarij, & Rex ipse in eâ fuisset sententiâ, vt posset Rex Sanctissimam Dimpnam filiam suam sibi matrimonio copulare (quod ipsa respuit vsque ad necem, quam propterea subiuit) non ideò licèt inferre, id non repugnare iuri naturali. Hâc ratione putarunt aliqui mendacium etiam cū iuramento (vt notauit Vasq. *lib. 2. disp. 122. c. 2.*) licere ratione necessitatis imminentis, quia nimirum in eius & aliorum sententiâ, *quæ in Decalogo expressa sunt, licet quando occurrunt sine aliquâ circūstantiâ nouâ, quæ videri posset excusare à peccato, ignorari non possint toto vitæ tempore.* Si tamen occurrunt cum aliquibus circūstantiis, *talis circumstātia adiungi potest, vt excusare à culpâ videatur.* Hæc meritò Vasquez & alij habent similia. Cùm ergo res adhuc non tam clara, quale est matrimonium inter Patrē & filiam occurrisset vestita eâ circumstantiâ quod non reperiretur aliquis dignus vir pro filia hærede Regni, præsertim, ne Regnū veniret ad extraneum, potuerunt illi Hiberni idololatriâ & solùm prudentiâ huius mūdi valentes (vt illis aliquid demus) ignorare vim iuris naturalis saltem pro tali casu, quamuis alioquin putarent non licere. Sicut Cassian. *collat. 17. c. 17.* & Abbas ille Ioseph, quem refert & approbat, putabāt quidem ordinariè non licere mentiri, ex bono tamen fine licere, si grauis causa id postulet, eaque ratione plures veteris Tementi Patres excusat ille Abbas à peccato mēdacij. Imò noster Mariana *in caput. 11. Iudith.* illā fatetur leue mendacium fecisse, *à quo excusare Iudith.* (inquit) *magnopere opus esse non video*, putat enim non peccasse, quia ignorabat in eâ occasione esse peccatum, ideò subiungit *An, quæ in scholis de mendacio subtiliter disputantur, mulier Sanctissima scire cogebatur?* Potuerūt ergo Consiliarij ignorare hoc de quo nunc in scholis subtiliter disputatur, & ita controuertitur, vt quāuis in eo, quòd sit secundùm se contra ius naturę consentiant Doctores vsque ad Caramuelem sit adhuc inter ipsos controuersum, an saltem in aliquo casu liceat, aliis negantibus sine expressâ Dei concessione aliis concedentibus, quando non supererent alij homines. Leue igitur est argumentum desumptum ex facto Hibernorū præsertim cum cæteri, quos in exemplum profert Sanchez supra citatus quantumuis gentiles & idololatræ respuerint semper ea coniugia. Hoc autem non tollit quin pro aliquo casu, si esset (quod tamen nunquam erit) talis coniunctio censeatur permissa; vt, quando necessarium esset ad bonum Superioris Ordinis, nempe ad propagationem generis humani, alioquin perituri, vt explicatum est.

Sanchez.

Caramuelis sententia, nō debet niti fundamento vsus inter barbaros.

Vasquez.

DVBITATIO XXII.

An consanguinitas in cæteris aliis gradibus rectæ lineæ dirimat matrimonium iure naturali?

NEgant multi satis probabiliter. Ita Perez *disp. 28. sec. 2. n. 8.* & *sect. 4. n. 4.* Sotus *in 4. dist. 40. q. vnicâ ar. 1.* Valent. *disp. 10. q. 5. punct. 3.* Couarr. *4. Decret. 2. p. c. 6. §. 6.* Lud. Lopez *2. p. Instructorij c. 4.* & alij. Inter quos Diana *8. p. tr. 1. res. 69.* & plures apud citatos cum quibusdam infra referendis. Probant, quia cum consanguinitatis ratio sit quædam sanguinis eiusdem participatio communicata à virtute generante stipitis, quæ eo debilior redditur, quo in plures generationes deriuatur & protenditur, nequit in infinitum extendi, atque adeò tandem euanescit. Atque hinc etiam est, vt in remotioribus gradibus non sit irreuerentia, aut certè non tanta, quæ sufficiat ad dirimendum matrimonium.

210. *Negatiua sententia.* Perez. Sotus. Valentia. Couarr. Lud. Lop. *Alij.* *Diana plures apud citatos.* *Probatur.*

Auctores huius sententię quāuis consentiāt in

211.

Non assignant hi auctores in quo gradu cesset tale impedimentum. Paludan. Victoria. Caietan. Rofensis. Sanchez. *Cum pluribus.*

eo, quòd non progrediatur hoc impedimentũ ad omnes ascendentes vsque ad Adamum; non tamen conueniunt in assignando gradum, vltra quem non procedat. Quidam enim existimant non procedere vltra primum. Ita cum Paludano, Victoria, Caiet. Rofensi docet Sanchez *supra n.* 19. vbi etiam plures alios refert quorum aliqui non satis apertè loquuntur, maximè D. Thom. 2. 2. *q.* 154. actus in solutione *ad* 3. *& in* 4. *dist.* 40. *q. vnicâ artic.* 3. in corpore, cum Sanchez sentit Perez loco citato, cum loquatur de auo & nepti, auia & nepote, & de iis neget. Sotus verò & Valentia supra & Tannerus *disputat.* 8. *q.* 4. *dub.* 4. *numer.* 56. *&* 59. & alij apud Sanchez *numer.* 18. adhuc putant dirimere matrimonium vsque ad secundum gradum, & non vltra. Angelus verò verbo *matrimonium* 3. *impedimento* 6. *in addit. ad numer.* 1. Palatios Rosell. & alij apud Sanchez *supra numer.* 17. non putant dirimere vltra quartum. Couarruu. verò supra extendit vsque ad vigesimum, sed non præfinit certum gradum. Ludouicus Lopez & aliqui alij dicunt non procedere vltra septimum.

Aliqui praesertim D. Thomas non satis clare loquuntur. Perez. Sotus. Valentia. Tanner. Angelus. Palatios. Rosella. *Alij apud Sanchez negant vltra quartum. Couarruu. admittit vsque ad* 20. *Alij vsque ad* 7.

Ex prædictis sententiis seu limitationibus, si ego aliquam eligerem, primam potius eligendam putarem, quam etiam alij non pauci Recentiores tenent. Inter quos Bonacina *q.* 3. *puncto* 1. §. 1. *nu.* 8. & antiquior alter iurista. Perez verbo *consanguinitas.*

212. *Prima sententia videtur praferenda.*

Nihilominus probabiliorem puto sententiam eorum, qui affirmant consanguinitatem in recta linea iure naturali dirimere matrimoniũ in quocunque gradu vsque ad Adamum ita, vt Adamus hodie resurgens nullam possit ducere vxorem. Pro hac sententia sunt innumeri Iurisperiti, & Theologi quos refert Sanchez *supra num.* 12. inter quos Bellarmin. *libr.* 1. *de matrim. cap.* 28. Vasquez 12. *disputat.* 112. *num.* 7. quibus adde Coninc *disputation.* 32. *dub.* 1. & Basilium *libr.* 7. *de matrimonio c.* 31. Hurtado *disp.* 17. *diff.* 4. *num.* 9. Mæratius *de matrim. disput.* 9. *section.* 2. *n.* 11. *& sequentibus*, & ipse Sanchez prope finem illius *num.* 12. fatetur esse probabilissimam sententiam. Fundamentum est; quia cuicunque ascendenti etiam remotissimo debita est iure naturali ea reuerentia ob quam diximus matrimoniũ esse irritum inter patrem & prolem; quilibet enim ascendens est principium naturale & per se quantumuis mediatum, & remotum. quilibet enim ascendens mediatus eâ ratione est principium descendentis remoti, quâ est principium sui proximi descendentis, nam medio proximo descendente est principium aliorum, atque adeò sicut proximi descendentis est principium per se proximum ita cæterorum est principiũ per se remotum. In copula verò carnali ob eius turpitudinem fit irreuerentia principio naturali, & naturaliter superiori, cui debet inferior potiùs parcere, & submitti, quàm coniungi cum illo ad communem societatem procreandæ & educandæ prolis, vt ex S. Thom. vidimus dub. præcedenti. Ergo propter similem inordinationem credendum est Deum non dedisse potestatem transferendi in alium dominium corporis sui, quæ esset principium illius & principium per se. Neque ex hoc, quod filius potuisset esse sine auo, vt patet in filiis Adami coligere licet auum esse principium per accidens nepotis (vt vult Perez *cit. num.* 8. *& alij*) tamen quia Petrus v. g. sub ratione nepotis tam essentialiter respicit auum, quàm patrem sub ratione filij; si verò consideretur tanquàm quid absolutum, & quatenus est hic homo secundùm ordinem naturæ tam impossibile fuit eum esse sine generatione aui quàm sine generatione patris. Quod si recurras ad potentiam supernaturalem, vel ad viam extraordinariam, quæ sit supra vires causæ creatæ, qualis fuit in creatione Adami, vtrumque est æqualiter possibile. Sicut enim Seth potuit esse, & fuit sine auo, ita Adam potuit esse, & fuit sine Patre, atque adeo, sicut hominem posse esse sine patre saltem per diuinam & extraordinariam potentiam, non tollit, quin patet sit causa per se & principium immediatum filij; ita non tollit, quin auus etiam sit principium per se mediatum nepotis.

213. *Probabilior sententia docens omnes iure naturæ dirimere vsque ad Adamũ. Innumeri Theologi & iurisperiti apud Sanchez inter quos.* Bellarm. Vasquez. Coninc. Basilius. Hurtado. Mæratius. *Fateturque Sanchez esse probabilissimam. Ratio.*

215. *Respondetur fundamento aduersariorum.*

Quod autem participatio sanguinis sit magis remota, & eo minor, quo remotior est ascendens, patrum, aut nihil refert, neque enim attenditur præcisè sanguinis participatio, sicut attenditur in lineâ transuersali; sed attenditur ratio principij, quæ ex se postulat reuerentiam, & submissionem ex parte principiati erga principium; ac proinde etiamsi participatio sanguinis, & in eo sensu consanguinitas in remotissimo ascendente iam euanuerit, nihilominùs semper reperitur ratio reuerentiæ descendentis erga ascendentem suprà explicatam, contra quam fit per copulam, & matrimonium ad illam ordinatum.

216. *Idem continetur in antiquis legibus ciuilibus.*

Hinc est vt l. *Nuptiæ* & l. *vltima* ff. *de Ritu nuptiarum* (quæ leges desumptæ sunt ex Paulo, & Caio antiquis iuris consultis) habeatur inter ascendentes & descendentes in infinitum iure gentium incestas nuptias contrahi. Nomine autem *iure Gentium* plerique iuris consulti, maximè antiqui, appellant ius naturale, vt suo loco diximus agentes de iustitiâ & iure *in nostro opere de iustitia.*

217. *Respondetur textui, qui solet obiici.*

Neque obstat nostræ doctrinæ quod *c. Non debet* de *consanguinitate* dicatur ea non dirimere matrimonium vltra quartum gradum; intelligi enim debet de lineâ transuersali; non autem de rectâ, de quâ nunc loquimur; quia ius non attendit ad casus moraliter impossibiles, qualis est, quod quis ducat filiam abnepotis; quotus enim quisque est qui pronepotem videat patrem, nedum auum, & talem auum, qui neptim habeat nubilem, & hanc sibi abauo, vel potius tritauo, vel atauo copulatam?

218. *Explicatur alius textus qui obiicitur.*

Item, quando in *c. Gaudemus* 8. *de diuortiis* dicitur non esse dissoluenda matrimonia Gentilium, quæ contraxerunt in secundo gradu, iis postea conuersis ad fidem intelligendum est de lineâ transuersali; loquitur enim Pontifex de iis matrimoniis, quæ solent communiter inter gentes fieri, inter quas inauditum est, quòd nepos cum auia, aut auus cum nepte matrimonio copuletur.

DVBIT.

DVBITATIO XXIII.

An consanguinitas in linea transuersali iure Naturali matrimonium dirimat?

219. *De alijs gradibus præter primum huius lineæ quod dirimãt iure naturæ videtur iã receptum. Et videtur in iure id supponi manifeste.*

QVod in secundo & reliquis gradibus consanguinitas non dirimat matrimonium iure naturæ in lineâ transuersa iam videntur consentire Doctores (quidquid aliqui olim nutauerint propter *locum Leuitici* 18. in quo olim aliqui gradus lineæ transuersalis pro eo populo dirimebant matrimonium, vt nepotis amita, aut matertera, id est cum sorore patris, aut matris) videturque apertè supponere Innocent. III. in *c. Gaudemus* de *Diuortiis*, quem nuper retulimus *dub. præcedenti*, decernit enim ibi infideles ad fidem conuersos, qui prius in secundo aut vlterioribus gradibus contraxerant, non esse separandos; quia tunc, quando contraxerunt non adstringebantur Legibus Canonicis. Vnde manifestè supponit eos validè contraxisse, alioquin fuissent separandi.

220. *Quæstio est de primo gradu inter fratrem & sororem.*

Solum ergo quærimus de primo gradu an scilicet matrimonium inter fratrem & sororem dirimat matrimonium iure naturali?

221. *Affirmatiua sententia.* Sotus. Toletus. Valentia. Henriq. Sanchez. Vazquez. *Alij apud Sanchez non ita clarè.* Lug. Card. Rebellus. *Alij Recentiores.* Bonacina. *Cum alijs* Mæratius. *Probant* 1. *ex iure Canonico.*

Affirmant multi, & cum primis graues. Sotus *in* 4. *dist.* 40. q. vnicâ. Toletus *lib.* 7. *Summæ cap.* 7. *num.* 2. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10 *quæst.* 5. *punct.* 3. Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio cap.* 4. Sanchez cum multis alijs *lib.* 7. *disp.* 52. *num.* 11. eamque videntur tenere, quamuis non omnino clarè. Vasquez 1. 2. *disp.* 112. *num.* 7. & alij apud Sanchez, multi enim possunt explicari de solâ prohibitione; non de irritatione; quamuis (vt rectè notauit Sanchez) rationes, quibus vtuntur, etiam probent dirimi iure naturæ. Consentit Lugo *de Pœnitentia disp.* 16. *num.* 143. Rebellus, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *qu.* 3. *puncto* 5. §. 1. & alij Recentiores, post quos Mæratius *de Sacrament. matrim. disp.* 9. *sect.* 7. Probant ergò primò ex *citato c. Gaudemus* dum ait conuersos ad fidem, qui in secundo, aut vlterioribus contraxerant, non esse separandos, videtur supponere separandos esse, qui contraxerunt in primo, ac proinde fore nullum matrimonium iure naturali. Nam iure Ecclesiastico non tenebantur, quando contraxerunt. Probari verò potest ratione, quia in copulâ inter fratrem & sororem est mutua irreuerentia ob tantam sanguinis coniunctionem, maximusque pudor naturalis, cui maximè aduersatur actus coniugalis. Vnde gentes benè institutæ ab huiusmodi nuptiis abhorrent. Nec leue signum videtur, quòd Summus Pontifex requisitus ad dispensandum in primo gradu nunquàm voluit dispensare. Hanc sententiam probabilem valdè putat Perez *disp.* 28. *sect.* 5. *nu.* 4. ipse magis inclinat in negantem, quam subiicio.

Probant 2 *ratione.*

Perez licet eam sententiam probabilem putet, inclinat in negantem.

222. *Diana cum aliis.* D. Thom. Caietan. Hurtadus. Præpos. Basil. Pont. Baunius. Perez.

Probabilius ergo est oppositum, scilicèt, non dirimere iure naturæ, ita cum alijs Diana *tum* 4. *part. tract.* 4. *Res.* 70. cum D. Thom. *secunda secundæ quæst.* 154. *ar.* 9. *ad* 3. Caietan. Hurtado, Præposito, & Basilio, Pontio quos ibi retulit & postea 8. *part. Tract.* 1. *Resol.* 70. referens Baunium & Perez *de matrimon. disp.* 28. *sect.* 5. *num.* 4. Legatur Diana loco citato vbi alios affert. Præcipua ratio est; quia nullo sufficienti fundamẽto ostendi potest ex naturâ rei, seu iure naturali debitam esse tantam reuerentiam consanguineis, qui non sunt ascendentes, & naturaliter superiores; atque adeò non est cur dicamus in copulâ inter ipsos irreuerentiam reperiri ex naturâ rei, & eorum matrimonium ad eam ordinatum esse ex natura rei nullum, imò, & esse illicitum, quamuis re verâ tanta sanguinis coniunctio sit in primo gradu, vt negari non possit esse magnã indecentiam prædictos copulari; atque adeò matrimonio iungi. Hinc est, vt omnes ferè gentes iure positiuo tale matrimonium prohibuerint, & Summi Pontifices requisiti noluerint concedere dispensationem, quia nunquam fortè oblata est causa ad dispensandum in Lege prohibente tales nuptias fundata in tali & tantâ indecentiâ. Pro quâ sententia referri potest Diana *in Tract. de circumstantiis aggrauant. Resol.* 31. & aliis in locis, quæ referuntur à Noctinot. in *summa*, *Diana* 7. *p. vers. circumst. peccatorum.* *Præcipua ratio.* Diana. Noctinot.

223. *Respondetur textui allegato ex Innocent. III.*

Quod verò attinet ad Innocentium III. *in eo c. Gaudemus* facile respondetur illum voluisse tantùm definire, quod certum erat circa id, quod ipsi propositum fuit, an scilicèt coniuges consanguinei in secundo, aut vlterioribus gradibus ad fidem conuersi separari deberent. De consanguineis verò in primo gradu, quia sibi propositum non fuit, nihil definiuit, maximè, cùm tale genus matrimonij, etiam inter Gentiles reperiri non soleat; atque adeò mirum non est, quòd nihil de talibus nuptijs definierit.

224. *Concluditur resolutio ex dictis.*

Ex dictis habemus ex quatuor gradibus consanguinitatis, qui olim erant prohibiti in Lege veteri. Leuit. 18. tantùm rectæ lineæ pertinere ad ius naturæ, cæteros verò solùm ad ius positiuum Ecclesiasticum.

225. *Omittuntur argumenta minus apta & quibus potest facile responderi.*

Non vtor pro nostrâ sententiâ argumento illo petito ex matrimoniis iniri solitis in principio nascentis mundi, quo tempore fratres cum sororibus inibãt matrimonia; quia possunt oppositæ sententiæ Auctores respondere siue Deum tunc dispensasse propter necessitatem propagandi generis humani, eamque dispensationem satis constare ex eo, quòd Deus voluerit, imò dixerit *Crescite & multiplicamini*: neque alium modum dedit, aut instituit, quàm per vnum tantùm patrem, & matrem; atque adeò fuit impossibilis multiplicatio; nisi per fratres, & sorores. Accedit, quod sicut dicebamus *dub.* 21. probabile est propter magnam necessitatem non obligare legem naturæ, etiam inter ascendentes, & descendentes, quia bonum inferioris ordinis debet cedere bono ordinis superioris, idipsum potiori ratione dicendum esse putant Auctores contrarię sententiæ in hoc casu. Non vtor etiam argumento petito ex vsu Gentilium quibus aliquando (licèt rarò quod viderim, aut meminerim me legisse) non fuit omnino insuetum sorores ducere. Nam Diodorus, & Pausanias in Atticis apud Ægyptios fuisse in vsu tale matrimonium testantur. Sic Ptolomæum duxisse Arsinoem tradunt aliqui vt interpres Aristophanis, & alij, vt Ludouicus Viues ad *lib.* 15. De ciuitate Dei. Vbi aduersus Sanctum Doctorem sæpè non impu-

Diodorus. Pausaian. *Interpres* Aristophan. Ludouic. Viues.

dentissimè, sed alioquin ineptissimè ineptit gestientibus hæreticis. Sed hæc Barbara sunt, atque vt adorare cepas & colubros non sunt in exemplum adducenda, vt probemus id non repugnare naturæ rationali. Nec vtor exemplo illo 2.*Regum cap.*13. vbi Thamar filia Dauid supponebat Patrem non negaturum ipsam tradere fratri suo Amon. An illa scire debebat id, de quo etiam nunc hodie in lege nouâ disputamus? Omitto alia leuiora argumenta pro & contra, ne leuibus rebus chartam onerem.

2.Reg.13.

226. *Colligitur in hac re potestas Papæ ad dispensandum in hu ex causa. Sed in nullo gradu rectæ lineæ. Et raro in primo transuersa esse iustâ causâ.*

Ex dictis in hac & proximè præcedentibus dubitationibus colligitur id, de quo disp. sequenti ex instituto dicemus agentes de dispensationibus posse, scilicet, Pontificem ex causâ in omnibus transuersæ lineæ gradibus dispensare, in nullo verò rectæ lineæ; ad dispensandum verò in primo gradu transuersæ lineæ vix, aut nunquàm posse esse iustam causam vt ibi videbimus *disp.*8.*sequenti.*

DVBITATIO XXIV.

Quid, & quotuplex sit cognatio spiritualis?

227. *Quid sit cognatio spiritualis.*

POst cognationem carnalem, de quâ diximus hucusque disputandum sequitur de spirituali cognatione, cuius definitio vulgaris est. *Cognatio spiritualis est propinquitas, quædam inter aliquos consurgens ex Baptismo & cõfirmatione.* Quæ definitio deducitur *ex c.finali de cognatione spirituali in 6.*

Deducitur ex iure Canonico.

228. *Olim ea cognatio triplex.*

Olim quidem erat triplex hæc propinquitas, seu cognatio, scilicet *paternitas, compaternitas, & confraternitas.* Paternitas dicitur inter baptizantem, & baptizatum, confirmantem & confirmatum; item inter patrinos ex vnâ parte, & cõfirmatum, & baptizatum ex alia. Compaternitas verò inter parentes carnales baptizati, & confirmati, ex vnâ parte, & baptizantem, & confirmantem, & patrinos ex alterâ. Imò iure antiquo compaternitas mariti suscipientis aliquem è Sacro fonte cum Patre carnali baptizati etiam transfundebatur in vxorem anteà cognitam. Confraternitas verò dicebatur, quæ intercedat inter baptizatum, & confirmatum ex vnâ parte, & inter filios carnales baptizantis & confirmantis, & patrini ex altera. constatque id ex *c.Martinus* 1.& *c.veniens* 7. *de cognatione spirituali.* & ex *c.*1.*eodem tit.in* 6.& ex *c.De eo* 30.*q.*1.

229. *Cessarunt aliqua iure Tridentini.*

Iam verò iure nouo Tridentini *sess.*24. *Canone* 2.*de Reformatione matrimonij.* confraternitas spiritualis omnino sublata est, sicut, & compaternitas inter patrinos ex vnâ parte, & baptizantem, & confirmantem ex alterâ, atque etiam transfusio cognationis mariti patrini Baptismi in vxorem. Ait ergo Tridentinum *Sancta Synodus statuit, vt vnus tantùm, siue vir, siue mulier, & ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos & baptizatum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum baptizatiq; patrem, & matrem spiritualis cognatio contrahatur.* Et infra. *Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illius patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur.*

230. Conueniunt autem Doctores cum D.Thoma *in* 4.*dist.*42.*q.*1.*art.*1. prædictas cognationes non esse ex iure Diuino naturali, aut ex Diuino positiuo; sed tantùm iure Ecclesiastico introductas, & sanè naturali iure ea Sacramenta Confirmationis, & baptismi, nullum fundamentum habent; sed ex solâ Christi institutione cæperunt esse. Vnde in puro iure naturali non potest fundari prædicta cognatio. Quod autem, neque in iure Diuino positiuo fundetur, ex eo patet, quod in sacra pagina traditionéve Ecclesiæ, aut Concilio aliquo affirmante id esse institutum à Christo, non reperitur. Solùm ergo restat, quod ex iure Ecclesiastico in capitibus citatis ortum habeat. Ratio verò sic statuendi pro illis duobus Sacramentis redditur à D.Thomâ *loco citato* iuncto *art.*2.*ad* 1.quia, sicut per carnalem generationem homo accipit esse naturale; ita per ea Sacramenta accipit esse Spirituale per modum cuiusdam spiritualis generationis. Quod non concurrit in aliis Sacramentis. Neque obstat, quod aliquando fortè propter obicem non causent gratiam; quia Ecclesia tantùm respexit, quid ex se habeat tale Sacramentum, cui annexa est talis cognatio, cætera verò Sacramenta non censentur per modum generationis gratiam conferre. Vnde Bonifacius VIII. *in c.illo finali de cognatione spirituali in* 6. dixit ex nullo alio Sacramento cognationem spiritualem oriri.

Non sunt ea cognationes ex iure diuino naturali, aut diuino positiuo. Sed Ecclesiastico.

Ratio. D.Thom.

Bonifac. VIII.

231. *Quæstio circa hoc de Sacramento Pœnitentiæ. Affirmant* Sanchez. *cum aliis.* Coninc. Riccius.

Non me latet graues aliquos Doctores specialiter in quæstionem vocare, an per Sacramentum pœnitentiæ contrahatur aliquod cognationis vinculum? & quidem Sanchez *lib.*7. *disp.*55.*num.*3.& 4. cum aliquibus aliis, quos ibi refert, item Coninc *disp.*32.*dub.*2.*num.*23. Riccius decisione 376. putant aliquam cognationem oriri inter Confessarium, & pœnitentem, non quidem ad effectum impediendi matrimonium, sufficientem tamen ad hoc, quòd si peccet carnaliter cum feminâ, quæ ei ordinariè confitetur, peccet peccato sacrilegij, cuius malitia sit necessariò explicanda in confessione. Probant verò ex *c.Omnis* 30.*q.*1. vbi Symmachus Papa ait. *Omnes, quos in pœnitentiâ accepimus, ita filij nostri sunt, vt in Baptismate suscepti.*

Non ad impediendum sed ad speciem peccati carnalis. Probat ex iure Symmachus Papa.

232. *Inde infertur tale peccatũ esse speciale, & vt tale puniri. Cælestinus Papa.*

Atque inde colligit non debere Sacerdotem fornicari cum muliere sibi confitente, & concludit. *Quapropter hoc scelus si quis perpetrauerit; non solùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam vsque ad exitum vitæ suæ iugi pœnitentiæ se subdat.* Et Cælestinus Papa relatus *c. Si quis Sacerdos eâdem causâ & quæstione* sic ait: *Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se graue adulterium commisisse.* Et posteà ibi *c.finali* sic habetur: *Non debet Episcopus aut Presbyter commiscri cum mulieribus, quæ ei sua peccata fuerint confessæ. Si fortè (quod absit) hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de filia spirituali, Episcopus quindecim annos, Presbyter duodecim, & deponatur.*

233. *Negant alij specialem malitiam.* Sà. Basilius. Ledesma. Azor. Bonacina. *Recentiores.* *Ratio.*

E contra verò Sà verbo *Confessio n.*25. Basilius *lib.*7.*c.*38. Petrus de Ledesma *de matrimon. q.*56. (quamuis hic non omnino clarè) Azor. *tomo* 3. *lib.*3.*c.*9.*q.*5. Bonacina *de matrimon.qu.*4.*punct.*16. *num.*7. alijque Recentiores putant prædictam fornicationem non continere nouam aliquam malitiam. Ratio est, quia, si aliquam nouam contineret, maximè ratione cognationis Spiritualis

tualis filiationis, & paternitatis contractæ inter Confessarium, & feminam pœnitentem, vt habetur in citatis textibus; non verò ratione Sacrilegij propter aliquam aliam specialem reuerentiam Sacramenti; cognatio autem hæc (si fortè olim contrahebatur) iam abolita est, siue contrariâ consuetudine, siue constitutione prædictâ Bonifacij VIII. *in c. finali de cognatione spirituali in 6.*

Bonifac. VIII.

234. *Casus quo aliqui putãt addere malitiam specialem. Probant.*

Non desunt tamen qui putent peccatum commissum in ipsâ Confessione, aut intra viginti quatuor horas post Confessionem, addere malitiam specialem sacrilegij (non tamen incestus procedentis ex aliquâ cognatione spirituali) quia specialiter prohibitum est propter reuerentiam Sacramenti ab Inquisitione, vbi ea viget; imò peccatum reseruatum Inquisitoribus. Scio sanè solicitationem in confessione ad huiusmodi Tribunal pertinere, siuè priuatiuè, siue cumulatiuè (de quo nunc non disputo) ac proinde mandatum fuisse datum ante aliquot annos, in edicto Inquisitorum, sicut sæpè, imò quotannis solet fieri, vt omnes, qui nouerint deferant Confessarium, siue sæcularem, siue Regularem sollicitantem filias Confessionis eos prouocando, aut inducendo verbis, aut factis ad actus turpes, & inhonestos; siue hæc sollicitatio fiat in ipso actu Confessionis, siue proximè; & fortasse illud *proximè* explicatur ab aliquibus, vt intelligatur intra viginti quatuor horas, & circa hæc legenda est tandem Bulla Gregorij XV. die 30. Augusti anno 1622. sui Pontificatus anno 2. aduersus Sacerdotes solicitantes, vbi Bullam Pij IV. editam die 16. Aprilis anno 1561. confirmat quidem, non solùm pro Hispaniarum Regnis; sed pro quibusuis Christiani orbis partibus, multaque alia ad id concernentia statuit & extendit, de quibus nunc non vacat disputare, & eius delicti cognitionem committit tam Inquisitoribus, quàm locorum ordinariis, vel simul, vel separatis. Sed hæc omnia, & similia non satis significant specialem aliquam aliam prohibitionem, quæ sit in peccato commisso cum pœnitente præter illam, quæ est ex naturâ rei secluso omni iure positiuo in solicitatione, quæ fit intra ipsum Sacramentum; quòd si posteà proximè fiat, meritò suspicionis causam præbet talis Confessarius, quod id fecerit sumptâ occasione ex confessione, atque adeò meritò procedi poterit contra ipsum, & imponi aliis obligatio ad illum deferendum solicitantem, etiam extra confessionem, proximè tamen, vel (vt in edicto Hispanico dicitur) *proxima mente à ella.* Hoc autem totum & quæuis alia diligentia, seu remedium, meritò potest adhiberi propter illam ipsam deformitatem, quæ in tali peccato est ex naturâ rei, suppositio statu Sacerdotali, & Sacramento pœnitentiæ à Christo instituto, cæteriscque circumstantiis, quæ concurrerent, etiam seclusâ speciali positiuâ Ecclesiæ prohibitione, aut cognatione institutâ de nouo, potuitque meritò Ecclesia moueri ad eam legem, pœnam, & diligentiam adhibendam propter frequens periculum, quod subesse potest talis peccati, vt Sacerdotes à tam nefando crimine arceantur; atque adeò non propter specialem prohibitionem positiuam superadditam iuri naturali, & Diuino siue ab Inquisitoribus, siue à Pontificibus, sequitur huiusmodi peccatum habere nouam, & specialem malitiam, & multò minùs habere malitiam incestus propter aliquam cognationem spiritualem tali præcepto inductam, nec video in Bullis Pontificis, vel Inquisitorum edictis, vnde colligi possit illud esse peccatum ipsis Inquisitoribus reseruatum, tum; quia verba non sonant prædictam reseruationem, tùm; quia peccata, licèt possint, non solent maximè à Pontificibus reseruari, nisi ratione superadditæ Censuræ, de quo satis suis locis diximus; nulla verò talis Censura (quòd sciam) reperitur. Vtrùm autem sit specialis aliqua reseruatio facta Inquisitoribus, & specialis aliqua prohibitio intuitu reuerentiæ Sacramenti, mihi, vt dicebam nunc in Germania degenti non constat, ideò aliis decernendum relinquo. Non nego tamen in eâ solicitatione ex naturâ rei committi Sacrilegium, maximè, quando vtitur sacrâ confessione ad solicitandum pœnitentem, & hoc ex obligatione est explicandum in confessione, vtpotè Sacrilegium ob grauissimam irreuerentiam, quæ irrogatur Sacramento, vt docet Bonacina, supra cum alijs; hoc tamen non dependet ex aliqua speciali prohibitione Ecclesiæ, sed eâ seclusâ, vt dictum est talis malitia reperitur in eo casu. Denique hac de re dixi in *Tract. 8. agens de Sacramento Confessionis disp. 9. n. 591. & seqq.* vbi disputaui an sit explicanda in Confessione circumstantia complicis pœnitentis, qui dici solet filius Cõfessionis. Videantur ibi dicta per otium latè.

Bulla Greg. XV.

Non probãt satis omnia prædicta esse talem cognationem spiritualem, & nouam malitiæ speciem.

DVBITATIO XXV.

235. *Dubium de eo, qui non baptizatus est.*

A quo possit contrahi cognatio spiritualis.

DVbitari præsertim potest, an ea cognatio contrahi possit à non baptizato?

236. *Respondetur negatiuè.* Coninc. Henriq. Speculum. Sanchez. Sotus. Bonacina. Perez. *Alij multi. Probant aliqui. Hæc ratio videtur à priori.*

Respondeo non contrahi, siue baptizet, siue sit patrinus. Ita Coninc *disp. 32. num. 25.* Henriquez *lib. 12. cap. 3. num. 4.* Speculum *1. p. art. 56. concluf. 6.* Sanchez *lib. 7. disp. 60.* Sotus in 4. dist. 42. art. 3. Bonacina *q. 3. puncto 5. §. 2. num. 19.* Perez *disp. 29. sect. 2. num. 3.* & alij multi apud Sanchez, & apud alios citatos. Probari verò solet; quia nulla cognatio spiritualis dirimit matrimoniũ; nisi ex Lege Ecclesiasticâ; nulla autem Lex Ecclesiastica obligat non baptizatum; ergo, &c. quæ probatio est præ alijs à priori rectè intellecta.

237. *Non caret difficultate ea ratio. Proponitur duplex difficultas.*

Hæc tamen ratio, quamuis ab omnibus admittatur, suam habet difficultatem; tùm, quia, etiamsi ille per se non obligetur Lege Ecclesiasticâ, sat est quòd persona, cùm quâ contracturus est lege Ecclesiasticâ obligetur; tùm; quia esto interim, dum non est baptizatus, non contrahat; si tamen baptizetur posteà, cur non censebitur iam cognatus spiritualis eius, quem baptizauit vel suscepit ex fonte Baptismatis?

238. *Responsiones adhiberi solitæ vtriq; difficultati.*

Video sanè, quid possit & soleat prædictis difficultatibus responderi; sed nescio, an sic respondentes satisfaciant?

239. *Respondent Sanchez & alij ad primam difficultatem.*

Respondent ad primam difficultatem Sanchez, & alij communiter, quòd, cum cognatio hæc sit relatiua eo ipso, quod in vno extremo

non

non resultat; quia non subditur Ecclesiæ, etiam non resultat in altero ob defectum termini correlatiui. Quæ sanè doctrina vera est; sed adhuc non caret difficultate. Nam eodem modo possumus argumentari in alijs impedimentis puta affinitatis, & consanguinitatis, & demus casum, quòd Ecclesia non prohibuerit, aut irritauerit matrimonium baptizati cum non baptizato; sed solùm condiderit legem; quâ prohibeat & irritet matrimonium inter consanguineos, & affines. Tunc sic argumentor. Contrahat Petrus baptizatus cum Bertâ non baptizatâ, sint tamen consanguinei, vel affines in secundo gradu, nemo (credo) affirmabit tale matrimonium valere, & tamen tunc vnus illorum tantùm subditur Ecclesiæ, atque hoc sufficit, vt matrimonium inter vtrumque sit nullum supposità Lege Ecclesiasticâ: ergo pari ratione in cognatione spirituali supposità Lege Ecclesiasticâ prohibente & irritante matrimonium inter baptizantem & baptizatum, seu patrem, vel matrem baptizati, etiamsi alioquin non baptizatus non obligetur, vel prohibeatur directè ab Ecclesia, poterit indirectè prohiberi, propterea quòd sufficiat alterum correlatiuum comprehendi præceptis Ecclesiæ.

Doctrina vera sed etiam non caret difficultate.

Exponitur difficultas à simili.

240. Respondeo nihilominùs disparem esse rationem, nam, consanguinitatem Ecclesia suâ lege non facit; sed supponit, & eâ supposità decreto suo statuit, quod talis consanguinitas in tali aut tali gradu dirimat, potestque suum inhabilitare subditum ad contrahendum cum eo, qui in eo gradu sit sibi sanguine coniunctus, siue id sit cum alio etiam Ecclesiæ subdito baptizato, siue cum alio quouis; atque adeò non mirum, quod etiamsi ille alius non sit subditus Ecclesiæ, sit nihilominùs consanguineus alterius, qui est subditus Ecclesiæ, cum consanguinitas non dependeat ab Ecclesiæ statuto; cognatio verò spiritualis ita ab Ecclesiæ statuto dependeat, vt nisi Ecclesia id statuisset, nulla fuisset cognatio. Vnde duo facit Ecclesia, & quod sit spiritualis cognatio, & quòd hæc spiritualis cognatio impediat, & dirimat matrimonium. Priùs ergo debet fieri ille non baptizatus cognatus, & posteà ex vi talis cognationis inducitur ab Ecclesia impedimentum; cùm autem non possit Ecclesia causare talem effectum cognationis in non baptizato, vtpotè non sibi subdito, ad cognationem autem spiritualem, qualis nunc est, requiratur vtrumque extremum, quia relatio est mutua (vt supra dicebamus;) hinc est, vt cognatio spiritalis non resultet in altero baptizato eo ipso, quòd resultare non potest in altero non baptizato, atque adeò neque impedimentum ex cognatione resultans.

Nihilominus adhuc admitti potest ea doctrina & assignari disparitas.

241. Hæc doctrina supponit contra nonnullos cognationem & impedimentum inde ortum non idem omnino esse; sed vnum oriri ex alio Ecclesiastica constitutione. Quod ni fallor efficaciter probatur in cognatione spirituali compaternitatis v.g. in cognatione spirituali inter Parochum baptizantem, & patrem baptizati, inter quos, vtpote inter duos viros non intercedit Ecclesiasticum impedimentum matrimonij; nam impedimenta Ecclesiastica maximè merè Ecclesiastica solùm statuuntur comparatione personarum alioquin naturâ suâ capacium copulæ carnalis ordinatæ ad generationem; ergo non identificatur impedimentum cum cognatione, sed impedimentum supponit cognationem inter personas alioquin sibi mutuò capaces copulandi, vt latius explicuimus in nostro *Opere de Iustitia & iure lib. 1. disp. 3. n. 300.*

Cognatio & impedimentum inde ortum non sunt idem sed vnum supponitur & alterum inde sequitur.

242. Posset quidem Ecclesia, si vellet, impedimentum inducere dirimens matrimonium inter baptizatum & non baptizatum eo ipso quod v.g. non baptizatus alterum baptizauit (distinctum ab alio impedimento, quod de facto est propter cultus disparitatem;) id tamen non fecit, quia tale impedimentum voluit esse cognationem spiritualem, quam ipsa quoque Ecclesia instituit, & hanc non fecit esse inter baptizatum, & non baptizatum; quia defuit potestas Ecclesiæ circa non baptizatum ad instituendam mutuam cognationem quamuis non defuerit potestas ad instituendum impedimentum ex parte sui subditi ad irritandum matrimonium cum altero non subdito, vt re ipsâ factum est in impedimento disparitatis cultus, in quo quamuis non baptizatus subditus Ecclesiæ, nihilominus indirectè potuit impediri ab Ecclesiâ impediendo alterum baptizatum sibi subditum, ne validè contraheret cum persona non baptizatâ.

Posset Ecclesia tale impedimentum inducere sed adhuc non fecit.

Explicatur à simili.

243. Ex hac doctrinâ respondetur secundæ difficultati suprà positæ contra datam doctrinam, scilicet, cur non possit intelligi impedimentum, & cognationem spiritualem resultare; saltem, quando ille non baptizatus posteà baptizatur? Ratio verò iam est data; quia, cùm non baptizatus non esset subditus, non factus fuit ab Ecclesia cognatus spiritualis alterius; atque adeò nec resultauit impedimentum ex tali cognatione. Quod autem, posteà superueniat Baptismus, non sufficit, vt impedimentum resultet; quia nec Baptismus sufficit, vt resultet cognatio prærequisita ad impedimentum; Nam cognatio tunc tantùm debet causari, quando fit actus sufficiens ad illam causandam, qui in nostro casu nunquam fit, quando enim ille non baptizatus baptizauit, actus ille non fuit sufficiens ad causandam cognationem, vtpote prouenies à non baptizato. Posteà verò quando iam est baptizatus, talis actus non fit, nec fieri potest & actus, qui ab initio irritus fuit, & transiuit, non adquirit vires pro hoc tempore, quia iuxta Regulam *non firmatur 1. de Regulis iuris in 6.* & Regulam, *Quod ab initio. ff. de Regul. iuris.* quod à principio irritum fuit tractu temporis conualescere nequit.

Ex dictis respondetur secunda difficultati.

244. Doctrinam hucusque traditam quamuis aliter explicatam tradunt plurimi Auctores, quos refert Sanchez *lib. 2. disp. illâ 60.* maximè *num. 7. vsque ad 17.* in qua etiam ipse consentit, & Coninc supra num. 25. & seqq. nisi quod Henriq. & Coninc docent contra Sanchez non improbabiliter. Quod si baptizatus teneat, aut suscipiat in Baptismo filium Bertæ non baptizatæ, & posteà Berta baptizetur, consurget in eo cognatio compaternitatis, ac proinde non poterit cum illo Berta contrahere matrimonium, eo quod tenuerit, aut susceperit in Baptismo filium suum, quia nimirum ex cognatione tunc orta

Data doctrina multorum est quos refert Sanchez & sequitur. Coninc. Henriq. Qui duo assignant casu in quo possit cognatio cõpaternitatis resultare post baptismum filij nõ baptizata matris, si posteà mater baptizetur.

orta inter prædictum patrinum, & filium Bertæ posteà in Bertâ, quãdo fit capax, oritur cognatio compaternitatis, quia hæc (vt putant hi Auctores) non oritur immediatè ex Baptismo, sed mediante relatione paternitatis patrini, quando parens filij est, aut fit capax dictæ compaternitatis.

245. *Probabilis ea doctrina, sed probabilior pars negans.* Sanchez. Perez.

Nihilominùs, quamuis hoc probabile sit, probabilius puto cum Sanchez & Perez *supra num.5, & seqq.* non resultare talem cognationem ex eo, quòd Berta baptizetur propter rationem & Regulam dictam; quia, *quod ab initio nullum est, tractu temporis non conualescit.* Et quamuis concederemus paternitatem in matre baptizati non oriri immediatè ex baptismo, sed mediante filio Spirituali; oritur tamen non mediante relatione, vt aduersarij volunt; sed mediante generatione spirituali, quæ fit per ipsum actum tenendi, & suscipiendi ex sacro fonte, qui actus est fundamentum, seu conditio fundandi (vt cum dialecticis, aut metaphysicis loquar) tùm relationem paternitatis, & filiationis spiritualis, inter patrinum & baptizatum; tùm compaternitatis inter patrinum & matrem, cumque illa generatio spiritualis, & actus ille tenendi, & suscipiendi initio, quando extitit, non causauerit relationem compaternitatis propter defectũ Baptismi requisiti in Bertâ matre; postea verò, quando mater baptizatur non existat actus generandi spiritualiter, vel tenendi seu leuandi ex Sacro fonte; nec tunc consurget relatio, atque adeò nunquàm: priùs quidem propter defectũ in termino, posteà verò propter defectum fundamenti, seu conditionis fundandi.

246. *Quid in hoc discursu posset ingerere difficultatem propter inconueniens, quod inde videtur sequi.*

Vnum tamen est quod secundum hunc modum philosophandi posset ingerere aliquam difficultatem; nempe, si fortè contingat, quo tempore baptizatur quis, etiam matrem aliquin baptizatam esse mortuam, posteà verò per miraculum resurgat, fore concedendum illam feminam resurgentem non habere cognationem spiritualem compaternitatis cum baptizante, propter eandem rationem, imò fortiorem, quia, quando exstitit generatio spiritualis non existebat mater illius filij, qui tunc baptizabatur; atque adeò non consurrexit relatio compaternitatis ex defectu termini; posteà verò, quando mater iam existit rediuiua, non existit generatio, quæ est fundamentum, seu conditio fundandi talem relationem. Hoc autem fortassè alicui videbitur durum concedere; consequenter tamen esset dicendum prædictum baptizantem aut patrinum posse contrahere matrimonium cum matre baptizati, quantum est ex eo capite; cùm non sint cognati.

247. *Respondetur concedendo totum; sed negando esse inconueniens.*

Respondeo concedendo totum; nec video inconueniens in eo concedendo: multa enim absurda; primo aspectu, quæ re vera non sunt absurda sequuntur, aut sequi possunt ex prædictis miraculosis resurrectionibus, de quibus suis locis disputandum est, cuiusmodi sunt casus mortui professi, & resurgentis, & mortui coniugati & resurgentis; nam qui professus erat, si semel mortuus resurgat, non resurgit obligatus professione iuxta multorum sententiam; sicut nec coniugatus resurgit coniugatus, & aligatus vxori; tamen hæc non sunt absurda. Et quod attinet ad nostrum casum Sanchez suprà *num.11.* & 15. expressè concedit valere matrimonium cum illâ personâ, quæ propter defectum Baptismi non fuit capax cognationis spiritualis; quando hæc fuisset contrahenda; si posteà baptizetur, & tollatur impedimentum disparitatis cultus. Pro hac sententiâ refert vtrobique aliquos alios contra Toletum *lib.2. Summæ c.23.*

248. *Dubium de Religiosis in contrahenda ea cognatione.*

De Religiosis verò dubitari potest, si in Baptismo, aut confirmatione suscipiant, an contrahant huiusmodi cognationem?

249. *Respondetur affirmatiue. Ratio. Multi ita sentiunt apud Sanchez.*

Respondeo contrahere; nullum enim est caput, ex quo probetur eam non contrahere; cùm sint veri susceptores, etiamsi fortè peccent id munus obeundo. Vtrùm autem reuerà peccent; diximus agentes de Baptismo *Tract.2. disput.2. dub.2.* Siue autem peccent, siue non, contrahere affinitatem, multi docent apud Sanchez.

250. *Hæretici etiam contrahunt. Ratio.* Sanchez. *cum aliis.* Reginald. Perez. *Alij.*

De Hæreticis suscipientibus, aut baptizantibus omnino affirmandum est contrahere cognationem, si sint verè & propriè Hæretici nempe baptizati; nam hi subiecti sunt Ecclesiæ, & consequenter capaces prædictæ cognationis, vt rectè Sanchez cum alijs *disp.60.n.2.* Reginald. *lib.31.num.157.* & Perez supra & alij.

DVBITATIO XXVI.

An non confirmatus suscipiens in Baptismo, vel confirmatione alium exercendo munus patrini contrahat hanc cognationem?

251. *Assertio 1. recepta ab omnibus si baptizatus baptizatum suscipiat contrahit. De non confirmato est difficultas.*

Asserendum est 1. si baptizatus suscipiat baptizatum contrahere. Quam sententiam nemo, quem viderim, negat, & meritò; quia nullibi interdicitur ea susceptio, nedum irritatur. Maior difficultas est de non confirmato exercente munus Patrini in confirmatione. In quâ re duæ sententiæ.

252. *Prima sententia affirmans contrahere cognationem.* Paludan. Sotus. Nauarrus. Sà. Rodrig. *Alij apud Sanchez & Dianam.*

Prima affirmat validè exercere, & contrahere cognationem. Ita docent Paludanus *in 4.dist.42.q.1.art.1.* Sotus ibidem *art.3.* Nauarrus *lib.3.consilior.in 1.edit.tit.de Baptismo cons.3.lib.3.* in secundâ verò editione *lib.4.tit. de cognatione spirituali consilio 1.* Sà verbo *matrimonium.* Vbi de impedimentis dirimentibus *num.5. in ordine 38.* Rodriquez *1.tomo Summæ cap.226. num.10.* & alij apud Sanchez *lib.7.disp.60.num.19.* & apud Dianam *3.Resolut.26. Tract.4.* Probabilemque putat Perez infra citandus. Rebellus *lib.6. q.6. num.8.* Probant; quia habet esse spirituale, & est membrum Ecclesiæ per Baptismum. Secundo; quia, licèt Religiosis, saltem ordinum Monachalium prohibeatur suscipere in Baptismo, vel confirmatione; si tamen de facto id faciant, contrahunt cognationem. Tertio; quia Episcopus, qui non suscepit Sacramentum confirmationis, si de facto confirmet, contrahit cognationem; ergo similiter, si in confirmatione illum teneat.

Perez. Putã. Probabilem. Rebellus. *Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.*

253. *Secunda sententia negans.* Sanchez. Angelus. Victoria. Palacios. Suarius.

Secunda sententia negat contrahere cognationem. Ita Sanchez *supra num.20.* referens Angelum, Victoriam, Palacios, Suarium *3.part.q.72. art.10.*

Henriq. Coninc. Reginald. Valentia. Bonacina. Basilius. *Recentiores.* Perez. *Probat Sanchez ex iure Canonico.*

*art.*10. *in fine* Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio c.*11.*num.*2. *& lib.*3. de *Sacramento confirmationis* Coninc *disp.*32. *num.*32. Reginaldus *lib.*31.*nu.*57. Valentia *tomo* 4.*disp.*4. *q.*2. *punct.*3. *Paragrapho penultimo* Bonacina *quæst.*3.*puncto* 5. §.2. *num.*21. falsò referens Rebellum. Item Basilius *lib.*7. *cap.*37. alijque Recentiores apud Dianam *supra resol.*26. Item Perez *disp.*29.*sect.*2.*num.*8. Probat Sanchez (à quo alij posteriores sumpserunt probationem:) nam in Canone *in Baptismate* de *Consecrat.dist.*4. dicitur: *In Baptismate vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum ipse , qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Contendit autem Sanchez (& alij supponunt) verbum illud *potest* præpositâ negatione tollere potentiam, & reddere actum nullum ; quâ de re fusius disputauerat *lib.*6.*disp* 38.*nu.*20. contendens per eadē, vel similia verba in Legibus ablatam esse potestatem pupillo validè se obligandi in foro conscientiæ absque auctoritate tutoris, seu curatoris: & testatur propter eandem rationem Valentiam supra docere non solùm illicitè; sed etiā inualidè suscipere in Baptismo, atque adeò non confirmatum in confirmatione. Probat deinde ratione Sanch. quia sicut in naturalibus, vt quisquam generare valeat exigitur vltra vitam debitum eiusdem vitæ robur. Ita ad susceptionem in confirmatione; (quæ habet rationem generationis , in quantum robur ad conseruandam vitam spiritualem Baptismi confert) oportet, vt patrinus vitæ robur per confirmationem obtinuerit.

Probat ratione.

254. *Vtraque sententia probabiles; sed prima probabilior. Fundamenta secunda multo leuiora. Ostenditur infirmitas prioris fundamenti.*

Vtraque sanè sententia probabilis est; sed mihi videtur prima probabilior, & fundamenta secundæ multo leuiora ; nam quòd affert Sanch. ex illo *c. in Baptismate.* De particula negatiuâ præpositâ verbo *potest* non est admodum certum, quin alij id negēt, & licèt in illis aliis Textibus, quos allegat *lib.*6.*disp.*38.*n.*20. significetur non solùm actum esse illicitum, sed nullum: id locum habet tùm ratione materiæ , tùm aliarum circumstantiarum. Et sanè satis per se clarum videtur verbum *non potest* etiam in phrasi iuris non semper significare actum fore inualidum ; aut nullum , si attentetur ; sat enim est; quòd sit illicitum. Sic rectè & benè dicimus eum , qui habuit votum Castitatis & Religionis non posse matrimonium inire & consummare; non, quia, si fiat, factum non teneat; sed, quia contra ius, & fas. Vnde ortum habuit illud vulgare Iurisperitorum axioma: *Id tantùm possumus, quod iure possumus.* Quare quòd præponatur particula *non* verbo *possum*, non sufficit ad colligendam actus nullitatem.

255. *Ostenditur debilitas secundi fundamenti.*

Multò minùs probat secundum fundamentum petitum à ratione; nam in iis , quæ per metaphoram & allegoriam dicuntur talia , non semper in omnibus seruanda est proportio generaliter loquendo. Descendēdo autem ad nostrum casum, & cognationem spiritualē Patrini, patet non esse necessarium ad spiritualiter metaphoricè generandum expectare aliquod vitæ robur adquirendum ; nam eo ipso, quod quis est baptizatus , sine vllâ confirmatione & nouo robore vitæ Fidei potest immediatè esse patrinus alterius, qui baptizetur. Frustra ergo requiritur in hac metaphoricâ vitâ nouum robur per analogiam ad vitam , & generationem naturalem, sicut frustrà, imò falsò requiret quis ipsam vitam Baptismi vt alterum baptizando generet per Baptismum ; imò vt dicebamus pro prima sententia , Episcopus non habens Sacramentum Confirmationis potest validè causare generationem (vt sic dicam) confirmationis, & verum Sacramentum conferre, ergo non est necessaria vita ad contrahendam prædictam cognationem eiusdem generis. Nec satisfit argumento , si dicatur cum Sanchez in fine illius *disput.*60. Episcopum contrahere cognationem; quia confert verè Sacramentum, quando confirmat , non verò , quando tenet ipse non confirmatus ; tùm , quia sicut verè confert Sacramentum , quando confirmat, ita tenet in vero Sacramento , quando tenet non confirmatus ; tùm quia non est præcisa , & sufficiens ratio contrahendi cognationem , quod conferat verè Sacramentum , nisi alioquin supponatur illud conferens capax illius cognationis, quæ contrahi solet , & potest , quando ministratur tale Sacramentum , vt videre est in non baptizato baptizante alium; qui verè confert Sacramentum, & non contrahit cognationem, quia non est capax defectu Baptismi quem non habet. Contendimus autem Episcopum non confirmatum confirmantem contrahere cognationem, quia est capax , cùm sit baptizatus , & hanc capacitatem habet quicunque alius baptizatus, & absque sufficienti fundamento dicitur vnam, & eandem personam Episcopi esse capacem compaternitatis, Confirmationis, quando confirmat, etiamsi non sit confirmatus, & non esse capacem , quando tenet , quia non est confirmatus, quod pro libito affirmabitur.

Præcluditur euasio.

DVBITATIO XXVII.

Quis actus requiratur in patrinis ad contrahendam cognationem spiritualem?

HÆc dubitatio breuibus quibusdam quæsitis expedienda est.

256. *Quæsitum primum.*

Quæres Primò; an contrahat, qui tenet puerum in solemnitatibus Baptismi , quando puer fuit domi priuatim baptizatus, & postea solemnitates adhibentur?

257. *Respōdetur. Sanchez cum multis.*

Respondeo non contrahere, quia non est susceptus in Baptismo, qui iam fuit domi priuatim administratus. Ita Sanchez *lib.*7.*disp.*62.*n.*1. cum multis quos refert *num.*4. *& seqq.* Vtrùm autem tunc contrahatur impedimentum Catechismi, si non dirimens. saltem impediens ? dicemus agentes de impedimentis non dirimentibus.

258. *Quæsitū 2.*

Quæres 2. quando fieri debeat susceptio, vt contrahatur cognatio.

259. *Respondetur primo. Sanchez. Gutierrez. Alij multi.*

Respondeo primò debere suscipi quandò primò baptizatur. Vnde, si fortè rebaptizetur cùm non sit verus baptismus , qui tunc tenet, non contrahit, quantumuis solemnis fiat rebaptizatio, vt cum multis docet Sanch. *n.*5. Gutierrez *c.*100.*n.*9. & alij multi apud Sanchez.

260. *Respondetur secundo.*

Respondeo 2. si non omnino moraliter certum sit priorem baptismum validum fuisse , & ideò infans rebaptizetur sub conditione cōtra-

hitur

hitur cognatio, & consequẽter non potest contrahi matrimonium inter personas alias in Baptismo certò impeditas, quia dum non constat de Baptismo præsumit Ecclesia cognationẽ. Ita Sanch. *n.* 6. cum Soto & Ledesma; cessabit autem talis præsumptio, si posteà constet, Baptismum fuisse validum.

Sanchez. Soto. Ledesma.

261. *Quid quãdo rebaptizatur quis, quia prius baptizatus fuerat quando nõdum erat integrè natus.*

Ex quo infertur quid dicendũ sit, quãdo quis rebaptizatur, eò quòd nondũ integrè natus fuerat baptizatus; tunc enim (quidquid alij dicãt) si baptismus collatus fuerit priùs in eâ parte, vbi ita certum sit eum fuisse validum, vt non sit sub conditione iterandus, ex priore Baptismo contrahetur cognatio, non ex posteriore, è contra verò, si inter doctos sit dubium, aut quæstio, an in eâ parte collatus Baptismus valeat, eadẽ dubitatio erit pro cognatione spirituali. Si verò sint pro vtraq; parte opiniones probabiles, quarum altera neget valere priorem Baptismũ, altera affirmet; poterit tutâ conscientiâ quis vtrãuis eligere, & secundùm vnam probabile erit ex tali Baptismo non oriri cognationẽ. Quod totũ mihi placet, quãuis hæc omnia non tàm pertineant ad Patrinũ, de quo nũc agimus, quàm ad baptizantẽ. Nã in tali Baptismo vix, aut nunquã potest, aut solet esse mẽtio, nedũ præsẽtia Patrini.

262. *Respondetur 3. exiure Canonico.*

Respondeo 3. ad contrahendam compatris, vel commatris cognationem requiri actum tenendi, vel suscipiendi baptizatũ, aut confirmatum de manibus baptizantis, aut confirmantis; nã iura, quibus ea cognatio inducitur, vtuntur prædictis, aut æquipollentibus verbis, nẽpe, suscipit, accipit, leuat, vt patet ex quinque primis Canonibus 30. *q.* 1. & ex *c. post susceptum* 30. *q.* 3. & ex *c. Si quis vnus* 30. *q.* 4. Ita Sanch. *lib.* 7. *disp.* 16. *n.* 1. & deinceps Coninc supra, & alij citati in præcedentibus. Idque tandem satis constat in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 2. *de reformatione matrimonij.* vbi vtitur verbo *suscipiant.* Alia enim iura vtuntur verbo *tangit*, quod intelligitur de tactu suscipiendi, aut tenendi aut alio æquiualente, quod dictum videtur præcipuè pro tactu adulti quando baptizatus tangitur, aut tenetur potiùs, quàm subleuatur; idque tenetur facere Patrinus adulti ex vi officij sui. Quod si id non efficiat, sed solùm, assistat nec satisfacit suo muneri, neque contrahit cognationem; etiamsi se offerat ad prædictum baptizatum instruendum, eumque suscipiat in suam curam, vt contra Sotum & Sà alioſque nonnullos docet Sanchez eadem *disp.* 56. *num.* 5. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 11. *num.* 9. Reginaldus *supra num.* 151. alij apud citatos, non tamen requiritur, vt Patrini immediatè puerum tangant, fed sufficit medijs vestibus, quia illud est morale quoddam tangere, imò etiamsi teneant Patrini puerum in quodam linteo, aut etiam in disco. Ita Sanchez cum multis *num.* 6. qui rectè posteà *nu.* 10. cum multis contra nonnullos alios docet non esse necessarium ad contrahendam cognationem, quod Patrini respondeant in Baptismo, Catechismo, nam *cap.* 1. *de cognat. spirituali in* 6. sola susceptio expenditur pro contractione talis cognationis, & iura cætera citata solius susceptionis mentionem faciunt, & in *cap.* 2. *eodem titul. in* 6. *Tridentin. sess.* 24. *cap. illo* 2. patificantur cognationes ortæ ex Baptismo, & ex Confirmatione, & in hac nulla Patrinorum verba requiruntur. Idem docet Basilius *lib.* 7. *cap.* 39. Reginaldus supra *num.* 150. Bonacina *quæst.* 3. *puncto* 5. *Paragraph.* 2. *num.* 14. Solum autem verba requiruntur in Catechismo, quod longè diuersum est ab officio Patrini, & potest esse vnus alius, etiamsi quando Catechismus coniungitur cum Baptismo, soleat esse vnus & idem Patrinus; ex Catechismo autem præcisè non oritur cognatio matrimonium dirimens, imò neque impediens post Tridentinum, vt suo loco videbimus.

Sanchez. Sotus. Ledesma. Trident. Qui non tenet aut tangit non contrahit cognationem. Sanchez. Hentiq. Reginald. Alij apud citatos. Tactus non debet esse necessariò immediate. Sanchez. Non est necessarium ad cognationem respondere in Catechismo. Sanchez. Basilius. Bonacina

263. *Commater suscipiens à compatre puerum non contrahit cognationẽ. Ratio.*

Illud etiam est aduertendum cum multis, commatrem non contrahere cognationem, quando suscipit infantem de manibus compatris; quia non censetur suscipere ex Baptismo, aut confirmatione.

264. *Quæsitũ 3. An requiratur intentio suscipientis.*

Quæres 3. an præter actum externum tenendi, aut suscipiendi requiratur intentio libera eum actum efficiendi?

265. *Respondetur requiri.* Sanchez. Coninc. Reginald. Bonacina. Basilius. Perez. *Alij.* *Sufficit tacita intẽtio. Ratio omnium. Debet esse intentio tenẽdi in eum finem.*

Respondeo requiri. Ita Sanchez *disp.* 58. Coninc *disp.* 32. *num.* 28. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 155. Bonacina *supra n.* 15. Basilius supra Perez *disp.* 29. *qui sect.* 4. etiam in alijs dictis consentit, & alij apud citatos, qui omnes docent sufficere intentionem tacitã. Ratio verò, vt requiratur intentio, est, quia non contrahitur; nisi per actum exteriorem humanum, qui non est talis, nisi procedat ex prædicta intentione; imò debet esse ex intentione efficiendi eum actum, vt Patrinus facit, vt rectè notant Bonacina *n.* 16. Basilius suprà, & alij. Ex quo inferunt eum, qui tenet puerum non intentione fungendi munere Patrini; sed, ne puer iaceat; vel, vt rem gratam faciat parentibus fingens se tenere, vt Patrinum, non contrahere cognationem.

266. *Qui cum eâ intentione tenet & suscipit, etiam si nolit cognationem contrahere, illam contrahit.*

Eo autẽ ipso, quòd quis habeat intentionẽ suscipiendi & exercendi illã cæremoniam ab Ecclesia præscriptã contrahit cognationẽ, & censetur habere intentionẽ illam contrahendi sufficientem; nam, qui vult principale, vult etiam accessorium *l. is qui. ff. commodati.* Imò, vt rectè notarunt Auctores citati, etiamsi quis velit suscipere quidem de Sacro fonte, & munus Patrini exercere, simul tamen velit cognationẽ non contrahere, illam nihilominùs contrahet. Nam cognatio non pendet ab ipsius voluntate, sed ab officio Patrini tanquàm illi annexa ex statuto Ecclesiæ. Vnde eo ipso, quo quis vult exercere officium Patrini, idque exercet, non est in suâ potestate impedire cognationem.

267. *Sufficit habere vsum rationis etiam si puer sit qui tenet. Sanchez. cum multis. Non est necesse quòd Patrinus ætate superet baptizatũ. Sanchez ex D. Thoma & alijs. Item Alij.*

Sufficit autem ad exercendum munus Patrini, quòd contrahens habeat vsum rationis, etiamsi puer sit impubes, est enim capax huius cognationis, & potest habere sufficientem intentionem faciendi, quòd cæteri Patrini faciũt. Ita Sanchez *disp.* 61. *n.* 4. cum pluribus, quos refert, & multò minùs requiritur, quòd Patrinus ætate excedat baptizatum, vt ibidem *num.* 3. probat idem Sanchez ex D. Thoma, & alijs. Item Reginaldus *n.* 57. & alij apud Bonac. *n.* 17. Perez *supra.*

268. *An necessaria sit intentio præstandi actũ vt ceremoniã Ecclesiæ.*

Vtrùm autem requiratur intentio efficiendi actum illum, vt ceremonialem, seu, vt ceremoniam ab Ecclesiâ institutam? vel sufficiat, quod exerceatur actus absque dicta intentione, non con-

Quidam negant. Ludouic. Lopez. Gallego.

consentiunt Auctores. Negat Ludouicus Lopez 2.p. *Instructorij c.*51. & Gallego *de cognat. spirit. cap.*14. quia ad cognationem contrahendam nihil aliud requiritur in iure, ex quo introducta est, quàm actus ille exterior physicè liber factus à patrino, vt patrino.

Ratio.

Nihilominus verius est, quod suprà diximus requiri scilicèt, quòd illa actio fiat ex intentione exercendi munus patrini. Nam, sicut non sufficit in baptizante intentio faciendi illum actum externum; nisi intendat facere, quod per illum intendit Ecclesia; alioquin non exercet illum actum baptizantis, vt baptizantis; ita similiter sine tali intentione non exercet actum patrini, vt patrini. Ita Sanchez *disp.*58. *nu.*4. Coninc suprà. Bonacina, & alij citati.

269. *Probabilius est id requiri.*

Coninc. Bonacin. *Alij citati.*

Quæres 4. an requiratur, quòd non adsit error personæ, quæ tenetur, seu leuatur?

270. *Quæsitū 4. de errore personæ. Quorundā responsio.* Coninc. Perez. Basilius. *Aliqui alij putant contrahere cum eo quem re ipsa leuat.*

Coninc *supra num.*34. & aliqui alij apud Sanchez *disp.*58. *n.*6. Perez *supra num.*4. cùm Basilio, quem refert, dicunt, etiamsi quis leuet, & teneat, filium Petri existimans esse Pauli, contrahere hanc cognationem cum filio Petri, quem leuat, licèt non cum filio Pauli, quem de facto non leuat; quia sæpè attenditur id, quod externè agitur L. *si is qui ff. commodati ad finem* & colligitur ex *c.*1.30. *quæst.*1. *& ex c.*2. *de cognat. spiritual.* in quibus supponitur vxorem per ignorantiam leuantem filium mariti contrahere cum marito cognationem. Secundò; quia nemo negabit baptizantem per errorem filium Petri, quem putabat filium Pauli, contrahere cognationem cum Baptizato, & eius parentibus: ergo idem erit de leuante. Quam sententiam putat ibi Sanchez satis probabilem. Et aliqui alii Recentiores, etiam probabilissimam vocant.

1. *Probant ex legibus & ex iure Canonico.* 2. *Probant ratione à simili.*

Oppositum docent alij. Sanchez. *Alij apud illum.* Reginald. *Probat Sanchez ex iure Canon.* Alexa. de Neuo. Abbas.

Ipse verò Sanch. oppositum docet *nu.*7. cum aliis, quibus adde Reginald. *supra n.*155. Probat verò Sanch. *ex cap.*2. *de cognat. spirit.* vbi deciditur coniugem, quæ per ignorantiam leuauit filium mariti, non arceri à petitione debiti. Ex quo colligit Sanchez cum Alexand. de Neuo, & Abbate ibi requiri scientiam, & animum ad contrahendam cognationem. Hoc tamen c. nihil omnino probat. Nam (vt rectè notauit Coninc) ibi idem planè dicitur de eo, qui scienter filium suæ coniugis suscepit. Et cùm prius dixisset iuxta generaliorem Regulā illos debere separari, posteà Pontifex sequutus alios humaniùs sentientes, indulget prædictis, de quibus ibi erat consultatio *quòd siue ex ignorantiâ, siue ex malitiâ id fecerint, non sunt ab inuicem separandi, &c. nisi ad continentiam seruandam possint induci.* vbi potiùs supponit cognationem quidem esse contractam, sed ob iustas causas concedendum esse, quod illi non separentur, sed alter alteri debitum reddat. Probat deinde Sanchez ratione; quia reuerà hic non intendebat exercere actionem erga hunc, quem leuauit; ergo deficit intentio. Hæc etiam ratio non probat, facilè enim respondetur putare quidem illum esse filium Petri, & non Pauli; nihilominùs intentionem dirigi ad eum, qui hîc & nunc illi proponitur, sicut in simili de baptizante dicebat opposita sententia. Et nos in simili ex instituto diximus *tomo* 1. *de Sacrament. Tract.*1. *disp.*3. *n.*176. *& seqq.* præsertim *nu.*179. cum multis & eodem Sanchez errorem personæ in cæteris Sacramentis præter matrimonium non irritare Sacramentum. Vnde videtur colligi causari etiam effectum inde resultantem qualis est hic de quo agimus, & eadem ratio locum habet pro Patrino, qui dirigit intentionem ad eum quem leuat de præsenti.

Nihil probat ea ratio ex textu. Constat ex textu eodē.

Ratione probat Sanchez.

Ratio prædicta non probat.

Verum contra hoc opponit Sanchez quòd ministri Sacramentorum teneantur habere intentionem ministrandi Sacramentum præsenti, quicunque ille sit; ac proinde, quamuis erretur in personâ, cùm verus sit Baptismus, vera cognatio contrahitur, patrinus verò non tenetur habere eam intentionem, & verè eligitur ad personam determinatam.

271. *Vtraque sententia probabilis.*

Vtraque sententia mihi satis probabilis est; sed probabilior videtur prima; quia in primis illud *c. de cognat. spirit.* potiùs supponit eam cognationem contrahi, sed ob alias causas maximè ex benignitate non esse faciendam separationem, sicut *c. Ad limina* 30. *q.*1. deciditur non esse ab vxore separandum, qui susceptum ex eâ filium in necessitate baptizauit, & hoc non tollit; quin verè contraxerit cognationem. Vnde ibid. *c.*1. apertè deciditur ignoranter suscipientes propriæ vxoris filios contrahere hāc cognationē, & quāuis ibi etiam decidatur debere ab eâ separari; hoc tamen secundū posteà correctū fuit, quia durissimum videbatur. Præterea nō est cur negemus, quod sicut baptizans debet habere intentionē baptizandi illum, quem præsentē habet, talemq; censetur habere, quoties non habet intentionem contrariam, ita similiter tenēs, seu leuans ex fonte Sacro, debeat velle tenere, & leuare illū, quem præsentē habet, idq; censetur velle quoties non habet oppositā voluntatē. Consonat hoc cum ea doctrina quam dedimus loco nuper notato de Sacramentis. Vnde etiam idem Sanchez putat hanc opinionem satis probabilem. Atque in aliis actionibus & finibus hoc ipsum sæpè contingere solet. Illud meritò concedit ipse Sanch. & communiter Doctores, quòd, si habeat intentionem suscipiendi præsentem quicunque ille sit, talis cognatio omnino contrahatur, & hanc (vt dicebam) censetur semper habere; vbi de contrariâ non constat. Tandem aduerto cum Suario 3.*p.q.*67. *art.*8. *in commentario articuli §. secundò explicat* probabilius esse quòd, si maritus & vxor alienum filium de Sacro fonte leuent, peccent saltem venialiter. Quia Vrbanus II. in cap. *Quod autem trigesima q. quarta* quamuis dicat nulla auctoritate id reperiri prohibitum. Ipse tamen potens tunc id prohibere, sic decernit, *vt puritas spiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conseruetur immunis, dignum esse decernimus, vt vtrique insimul ad hoc aspirare minimè præsumant.* Non putat verò Suarius, & ex illo Perez *disp.*29. *sect.*5. *n.*3. esse graue culpam, propter leuitatem materiæ. Quod propter eorum, & aliorum auctoritatem non ausim improbare; sed, vt verum fatear, verba Pontificis graue quid sonāt, tùm ex fine *vt puritas, &c. ab omni labe & infamia, &c.* tum ex ipsorum verborum significatione. Nam *labes infamia præsumptio*, & similia verba non sum memor in legibus, (maximè Canonicis) pro rebus leuibus vsurpari, aut leuibus actionibus tribui. Vtcunque sit, illud

Prima est probabilior. Probatur & declaratur.

Aduertendum cum Suario.

Suarius. Perez.

Glossa. illud placet, quod Glossa ad eum Textum notat (nec alieni sunt ab hoc prædicti Auctores) nempe consuetudine posse fieri, vt omnino liceat, quia vt ait Glossa *de consuetudine est in quibusdam locis quòd vterq; simul suscipit.* Quâ ratione olim de hac re interrogatus hic in Germania pro casu occurrente inter magnos imò supremos Principes censui posse fieri, quia iam sæpè constabat pridem factum in similibus.

272. *Quid iure antiquo circa hoc erat statutum? Quid iure nouo Tridentini? Secundum Sanchez idē extenditur ad Confirmationem quod statuitur in Baptismo.*

DVBITATIO XXVIII.

An si plures, quàm vnus, & vna suscipiant baptizatum, omnes contrahant cognationem spiritualem?

IVre antiquo statutum erat Canone. *Non plures de Consecrat. dist. 4. & c. finali de cognat. spirit. in 6.* ne plures patrini in Baptismo, & Confirmatione adhiberentur. Quod si prohibitione non obstante, adhiberentur plures, omnes contraherent. Iam verò iure nouo Tridentini *sess. 24. c. 2.* concessum quidem est, quod possint in Baptismo duo vnus & vna tenere, aut suscipere, & additur eos esse designandos ab eis, ad quos designatio spectat, & quod ab alijs vltra designatos etiamsi exerceant actus patrini non contrahatur cognatio spiritualis.

273. *Alij probabiliter putāt non constare satis esse extendenda prædicta ad Confirmationem. Tantùm quod cognatio non transeat vltra. Probabilior videtur sententia Sanchezij. Rationes Tridentini Declarationes Cardin. vtrobique locum habent, & cōmunis sensus Doctorum.* Suarius. Card. Tol. Rebellus. Bonacina. *cum aliis. Aduertit Bonacina in Confirmatione vnum tantum adhibendum Patrinum & non simul matrinam. Disparitas inter Baptismum & Confirmationem circa l. c. Probabilis est ea limitatio in Cōfirmatione, sed non satis clare id constat.*

Docet verò Sanchez *lib. 7. disp. 57. num. 9.* hoc ipsum etiam censeri statutum pro Sacramento Confirmationis; nempe posse adhiberi duos patrinos diuersi sexus; quia nimirum Tridentinum voluit vtramque cognationem restringere, vt ex proæmio constat, & ex fine capitis, vbi cognationem ortam ex confirmatione ad easdem prorsus personas restrinxit, quod non fieret, si omnes confirmatum tangentes contraherent; & concludit de illo; *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Alij verò in contrarium reclamant satis probabiliter; nam, si attentè legantur verba Tridentini, non satis clarè prædictam restrictionē extendunt ad confirmationem; sed solùm restrictionem, quâ cognatio non transeat vltra *confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem.* Vtrum autem, si tenentes sint plures, contrahant omnes, ibi non decernit.

Nihilominus probabilior videtur sententia Sanchez: nam rationes Tridentini, sicut & declarationes Cardinalium super hoc, locum habent etiam in hoc Sacramento, & sic videntur intelligere Doctores. Vnde Suarius *3. p. quæst. 72. art. 10.* in commentario illius paulò post medium, cùm *ex c. Quamuis de cognat. spirit. in 6.* dixisset. *Si verò de facto plures teneant confirmatum, omnes hanc cognationem contrahunt:* subiungit: *Hoc autem, & alia quæ pertinent ad hanc cognationem, limitanda sunt iuxta statuta in Concilio Tridentino sess. 24. c. 2. de Reformat. matrim.* hæc ille, & se refert ad ea, quæ in simili dixerat de Baptismo *in eodem tomo 3. q. 67. art. 8.* Idem docet Cardin. Toletus *lib. 2. de Instruct. Sacerd. c. 24. n. 11.* Rebell. *lib. 3. q. 6. nu. 6. ad finem.* Bonacina cum alijs *q. 3. puncto 5. §. 2. num 31.* qui cum prædictis aduertit *ex cap finali de cognat. spirit. in 6.* pro confirmatione adhibendum esse vnum tantummodo patrinum, quamuis vnus sit masculus, & alter fe-

mina, non obstante quòd duo sint in Baptismo. Nam licèt pro Baptismo permittat Concilium, vt ad summum vnus & vna baptizatum de baptismo suscipiant, id non habetur ibi de Confirmatione, ideò manebit hoc Sacramentum in terminis antiqui iuris, & in eo *cap. finali* cùm dictum fuisset de Baptismo *non plures, quàm vnus vir, vel vna mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo.* subiungitur. De confirmatione insuper *quantum ad hoc idem iudicium est habendum.* Hoc quidem probabiliter dicitur, sed non est admodum clarum. Nam illa particula limitatiua *quantum ad hoc* intelligi potest de eo, quod vltimo loco proximè præcesserat, nempe, *si tamen plures acceßerint, spiritualis cognatio inde contrahitur.* Quod si recurramus ad ea quæ limitata sunt in baptismo, vt quasi per consequentiam, & similitudinem rationis quæ dicta sunt in vno censeantur dicta in alio; hoc ipsum potest dici quantum ad permissionem vnius viri & vnius feminæ; atq; adeo sicut cēsetur permitti vnus & vna in Baptismo; ita etiā permittatur in cōfirmatione. Et ego vtrumq; vidi fieri in cōfirmatione.

274. *Quæstiū 1. Ad quem spectet designare Patrinos? Respōdetur. Ad parentes vel gerentes tunc curam suscipientis Sacramentum: Communis sententia.* Perez. *Ad Parochū quid spectet.* Tridentin.

Quæret 1. aliquis ad quem spectet designatio patrinorum?

Respondeo cū communi sententia, quam sequitur Perez *disp. 29. n. 5.* spectare ad parētes aut ad alios, quibus incumbit cura eius, qui baptizatur, videturq; aliquâ ratione innui à Tridentino, dum ait de Parocho: *Diligenter ab its, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de Sacro fonte suscipiant.*

275. *Quæstiū 2. quale peccatum sit plures adhibere? Quidam putant mortale.* Rodrig. Vega. Perez. *cum aliis. Alij negant esse mortale.* Sanchez. Ludo. Lop. Ioan. Andr. Dominic. Ancarran. Rosella. Sotus.

Quæres 2. an sit mortale peccatum adhibere plures patrinos, quàm ius permittit?

Respondent affirmatiuè Rodriguez *1. part. c. 226. n. 1.* Vega *1. p. c. 33. casu 39.* Bonacin. *sup. n. 32.* Hurtado *disp. 18. diff. 4. nu. 13.* Perez *disp. 29. sect. 5. n. 4.* cum alijs quamuis oppositum doceat Sanchez *disp. 57. num. 6.* referens Ludouicum Lopez & *n. 1.* idem docens refert Ioannem Andream Dominicum, Ancarran. Rosellā, Sotum, & mihi videtur non improbabilis sententia, maximè cùm videam multis in locis, & testatur ibi Sanchez consuetudinem plures adhibendi, maximè quando baptizati sunt Principes, vt plurimis personis deferant honorem patrinorum.

276. *Quæstiū 3. An Episcopus possit dispensare vt duo viri vel duæ feminæ teneant? Respondetur negatiuè.* Sanchez. Reginald. Bonacina. Perez. Rebellus. *Declaratio Cardinaliū.*

Quæres 3. an liceat Episcopo dispensare, vt duo viri, vel duæ feminæ simul suscipiant infantem in Baptismo?

Respondeo non licere. Ita Sanchez *supra n. 7.* Reginaldus *lib. 31. nu. 154.* Bonacina supra Perez *supra num. 4.* Rebellus *in declarat. Cardin. num. 82.* vbi testatur ita declarâsse Congregationem Cardinal. est enim inferior Trident. Episcopus.

277. *Quæstiū 4. Quid quādo nulli designentur & plures tangant mares aut feminæ?*

Quæres 4. an si nulli patrini designentur, omnes tangentes contrahant hanc cognationem, etiamsi sint plures quàm duo, aut, si sint duo, ambo mares, aut ambæ feminæ?

278. *Duplex sententia probabilis. Prima affirmat omnes contrahere.* Hentiq. Sà. Nauarr.

Duæ sunt sententiæ satis probabiles. Prima affirmat omnes contrahere. Ita Hentiq. *lib. 12. de matrim. c. 11. num. 3.* Sà verbo *matrimonium.* vbi de *Impedimentis dirimentibus num. 5.* vers. *cognatio spiritualis* Nauarrus Philiarchus, Graff. Viualdus apud Sanch. *supra nu. 11.* quibus adde Rebellum *lib. 3 q. 6.* & alios Recentiores, & ex parte docet Bonaci. *sup. n. 24.* scilicèt quādo omnes simul tāgūt; nā si solū succesiuè primū putat cōtrahere,

Philiarch. Graff. Viuald. Rebellus. *Recentiores Bonacina vero si omnes simul tangant, secùs tantum primum.* Hurtado. *Alij. Ratio.*

non cæteros. Hurtado *disp.* 18. *diff.* 4. *num.* 15. & *alij* Probant, quia vt quis sit validè patrinus non requiritur à Tridentino designatio, nullum enim verbum est indicans irritati actum; sed sólùm statuit, quòd Parochus non admittat in patrinum, nisi designatum ab illis, ad quos id spectat, *& quòd si alij præter designatos teneant*, non cõtrahant; eo autem casu, quo nullus sit designatus, nihil statuit; ergo in tali casu standum erit iuri antiquo *c. finali de cognat. spirit. in* 6. iuxta quem Textum omnes tenentes contrahunt iuxta dicta à nobis *n.* 270.

279. *Secunda sententia negat contrahere.* Sanchez. Suarius. Rodrig. Vega. Conine. *Alij. Probant. Confirmatur.*

Secunda sententia negat. Ita Sanchez *supra num.* 12. Suarius 3. *p. q.* 67. *art.* 8. *in fine.* Rodrig. 1. *tomo Summæ cap.* 226. *num.* 1. *notabili* 3. Vega 1. *tomo Summæ c.* 33. *casu* 40. *in fine* Coninc *disp.* 32. *nu.* 29. & alij. Probant, quia deficiente designatione nullus eorum est verè patrinus. Nam Tridentinum designationem requirit ab iis, quibus incumbit; ergo hac deficiente, non sunt patrini. Confirmatur, quia alioquin cognationis multiplicatio, quã vitare intendit, non vitaretur. Imò secundùm hanc sententiam consequenter dicẽdum videtur, etiamsi vnus tantùm teneat, aut suscipiat, non esse verè patrinum; nisi sit designatus. Deinde; quia Tridentinum in fine sic concludit: Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimẽtis omnino sublatis: personæ autẽ ibi numeratæ sunt personæ designatæ; cæteræ autem personæ non designatæ omnino sunt aliæ personæ. ergo inter eas tãquàm inter alias personas impedimenta cognationis spiritualis omnino sublata sunt. Omitto alias rationes minoris momenti, quæ videri possunt apud Sanchez *citato num.* 12.

280. *Probabilissima vtraque sententia. Secunda est probabilior. Distinguendum in hac re pro maiori explicatione.*

Inter has duas sententias probabilissimas hæc secunda mihi placet, sed vt res tota meliùs explicetur, sub distinctione loquendum est, fieri enim potest, vt parentes, vel ij, ad quos pertineat designare, designauerint quidem, & hi designati non tangant; sed alij non designati. Item fieri potest, vt ij, ad quos pertinet, nullum designauerint, & aliqui à nemine potente designare designati veniant, & obeant illud munus. In primo casu videtur mihi dicendum cum secundâ sententiâ contrahere cognationem, vt vera sint illa verba Tridentini. *Quod si alij vltra designatos baptizatos contigerint cognationem spiritualem nullo pacto contrahant*, atqui in tali, qui tãgunt sunt alij *vltra designatos*, vt ex se patet: ergo non contrahunt.

In secundo autem casu res difficilior videtur, quia vbi nulli sunt designati, illi, qui tangunt, non videntur esse *vltra designatos*; nam illa vox *vltra* videtur connotare designatos tanquàm terminum, vltra quem alij sint, sicuti nemo diceret locum aliquem esse vltra marinum seu vltra mare, nisi sit mare, vltra quòd sit talis locus. Requiritur ergo quòd aliqui sint designati, vt aliqui alij tunc tangentes dicantur esse vltra designatos.

281. *Explicatur res adhuc expenditur significatio vocis* vltra.

Nihilominùs, si spectemus vim vocis *vltra* etiã in hoc casu dicendũ videtur non requiri designatos aliquos, vt alij non designati, qui tangunt, dicantur esse vltra designatos; idq; maximè locum habet; quando illud quod apponitur post verbũ *vltra* inuoluit negationẽ; tunc enim solùm requiritur, quòd illud aliud, quod negatur, non fiat, nõ verò quod aliquid aliud antecedenter fiat. Exemplo res fiet manifesta. Nam, si præcipiatur quod nemo gestet tale genus armorũ vltra milites, etiamsi nullus sit miles, qui talia gestet arma, & fortè communes ciues gestent, censentur contrauenire legi præcipienti, vt nemo vltra milites gestet. Ergo etiãsi nullus sit designatus in nostro casu, si qui non designati se ingerãt ad tangendũ baptizatũ, censentur esse vltra designatos, atque adeò satis erit, vt nõ contrahãt cognationẽ. Existimo ergo non designatos nunquam contrahere: quia quicunque non designati censentur vltra designatos, siue fuerint alij designati de facto, siue non.

281.

Quod si designentur contra præscriptum Tridentini duo mares, vel duę feminæ philosophandũ est, sicut in sequenti quæsito, quando plures designantur non necessarij nec præscripti à Tridentino.

283. *Quæsitũ 5. Quid quando plures & designati sunt & tangunt? Contrahẽtne omnes, si simul tangent?*

Quæres ergo 5. an, quando plures quàm à Tridentino permittuntur designati sunt à parentibus, & omnes tangunt, omnes contrahant cognationem, saltem si simul tangant?

284. *Negans sententia.* Suarius. Perez. *Ratio. Admittunt oppositum esse probabile, & cauẽdum matrimonium inter illos.*

Negat Suarius *citat. q.* 67. *art.* 8. quem sequitur Perez *supra à n.* 14. quia scilicèt tunc nemo obit munus patrini eo modo, quo statuitur à Tridẽtino, nempe vt vnus tantùm teneat, vel, si duo, sint tãtũ vnus, & vna. Cẽset tamẽ contrariũ esse probabile, eaq; propter abstinẽdũ esse à matrimonio inter sic dubiè cognatos propter dubiũ.

285. *Assertio. Omnes contrahere si simul tangãt. Ratio. Doctores supra citati.* Basilius.

Asserendum nihilominus est, si simul omnes tangant, omnes simul contrahere, quia actus gestus contra legem validus est, quando Lex illum non irritat. Lex autẽ Tridentini id ita prohibet, vt non irritet, solum enim ibi ponitur pœna cõtra Parochum arbitrio Ordinarij iniungenda, *si Parochi culpa, vel negligentia secùs factum fuerit.* Ita Doctores citati quæsito præcedenti pro vtraque sententia, item Basilius *lib.* 7. *c.* 39.

286. *Si successiuè solus primo tangeni contrahit vel duo diuersi sexus illi solum. Consentiunt Doctores præsertim.* Suarius. Sanchez. Sà. Coninc. Reginald. Rebellus. Bonacina. Basilius. *Alij.*

Si verò tangant successiuè, solus primus, qui baptizatũ suscipit, vel, si sint duo diuersi sexus, illi solùm, & non cæteri, contrahent; quia illi tantùm duo verè sunt susceptores, cæteri verò, quando accedunt iam absolutum est ministerium suscipiendi iuxta Tridentini formam. In quo consentiunt Doctores, maximè Suarius *supra* Sanch. *n.* 14. Sà verbo impedimentum matrimonij *n. illo* 5. Coninc *n.* 39. Reginald. *nu.* 152. Rebell. *in Declaratian. Cardin. sect.* 4. *nu.* 95. Bonacina *supra n.* 25. Basilius *supra* & alij. Qui omnes maximè Rebellus, referunt Cardinalitũ declarationẽ.

287. *Si plures à parentibus designentur & Parochus vnum & vnam admittat illi tenentes cõtrahent. De cæteris est difficultas negant aliqui.* Bonacina. Sanchez *cum aliis* Perez. *Probant ex Tridentino.*

Hinc est à fortiori, quod si plures à parentibus designati sint, Parochus verò tantùm admittat vnum, & vnam ex designatis, ab iis tantummodò contrahatur cognatio, si illi tantùm de facto teneant, aut primò teneant iuxta dicta. Si verò etiam alij designati per fas aut per nefas, per vim aut dolum simul teneant, non video cur non contrahant, etiamsi Parochus non illos velit habere pro patrinis, quidquid in contrarium videatur sentire Bonacina *supra n.* 26. Sanchez *supra nu.* 15. cum aliis, quos ipse allegat à se relatos paulo ante *n.* 13. Perez *disp.* 29. *sect.* 5. *n.* 12. & 15. quia putant ex Tridentino ad Parochum pertinere prædictos designatos admittere, & eo ipso, quod Parochus Tridentini præceptum

exequens

exequens expellit alios præter duos diuersi sexus censentur illi expulsi perinde, ac si designati non essent. Nihilominus ratio nostra in oppositum est; quia ne vnum quidem verbum est in Tridentino, quod sonet irritam esse designationem parentum, si Parochus designatos non admittat; neque in toto *cap.* est vnum verbum, quo ipsi præcipiatur repellere, aut non, admittere aliquem ex designatis, nedum, quo infirmetur designatio; sed tantùm ibi dicitur: *diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos selegerint, vt baptizatum de Sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat*, &c. Quæ verba nihil de designatis non admittendis, aut reiiciendis habent. Aliud enim est admittere tantùm designatos aliud verò inter designatos quosdam expellere & quosdam admittere, quod non decernit Concilium. Vnde frustra recurritur ad Tridentinum maximè ad irritandam designationem, vt expulsi à Parocho censeantur (vt ait Sanchez) perinde ac si designati non essent. Quod sine vllo fundamento dicitur.

Probabilius est oppositū. Ratio,

Respondetur argumento sumpto ex Tridentino.

288. *Quæstiū 6. Quid si plures vltra designatos admittat Parochus? contrahentne illi?*

Quæres 6. an cognatio contrahatur ab omnibus, quando vltra designatos à Parentibus Parochus ipse plures admisit?

289. *Respondetur negatiuè. Ratio.*

Respondeo non omnes contrahere, sed tantùm designatos à parentibus. Ratio est; quia non spectat ad Parochum designare, quando parentes designant, vt constat ex Tridentino loco citato.

290. *Casu quo non sit alius designans ad quem spectet Parochus potest designare. Ratio 1. Ratio à simili.*

Quando verò non esset alius, ad quē pertineret designare, Parochus ipse designare poterit, quia etiam ille potest saltē pro tunc censeri inter eos, ad quos pertinet designare, & quidem Parocho incūbit curare: vt Baptismus celebretur ritè & iuxta Ecclesiæ ceremonias, qua vna est designatio patrini. Probari etiam potest à simili. Nam in confirmatione, cuius minister Ordinarius est Episcopus ipse designat Patrinum; non verò parentes: ergo non mirum, quod saltem in defectum parētum, vel aliorum, ad quos de iure, aut consuetudine pertineat possit Parochus designare, maximè cùm hoc non irritetur à Tridentino. Ita Coninc *supra n.*30. Sanch. *disp.*57. Reginald. *lib* 31. *n.*153. Bonacin. *supra n.*29. & alij plerique.

Coninc. Sanchez. Reginald. Bonacina. *Alij plerique.*

291. Omitto alia, quæ facilia sunt, & videri possūt apud Sanch. *citatâ disp.*57. imò in iis, quæ dicta sunt, cætera, quæ ibi affert, resoluta manent.

292. *In Confirmationis Sacramento iuxta dicta resolutiones conformanda.*

Quod verò attinet ad susceptorem in Sacramento Confirmationis, decidenda sunt, quantum ad cognationem, & restrictionem illius, vt iam supra dictum est.

DVBITATIO XXIX.

An, qui mittit procuratorem, & substitutum, vt nomine ipsius exerceat munus patrini, contrahat cognationem? & an etiam ipse procurator?

293. *Duæ præcipuæ sententiæ. Prima negans mittentem contrahere.* Sanchez. Henriq.

NOn consentiunt Auctores circa illum, qui mittit Procuratorem; vel substitutum. Et omissis alijs duæ sunt præcipuæ & oppositæ sententiæ: Prima negat. Ita Sanch. *lib.*7. *disp.*59. Henriquez *lib.*12. *c.*11. *num. vltimo.* Azor. 1. *p. lib.*2. *cap.*12. Toletus *lib.*7. *Summæ cap.*4. *num.*6. & alij apud Sanchez *supra num.*4. Probari potest 1. quia iura, quibus inducitur huiusmodi cognatio requirunt contactum patrini, vt contrahat, quem non habet, qui per procuratorem tenet, aut suscipit. Secundò quia, qui substituit alium ad baptizandum non contrahit cognationem ex Baptismo facto à suo commissario, seu substituto; ergo, neque, qui substituit alium ad tenendum, contrahit cognationem ex actu tenendi exhibito à suo commissario.

Azor. Toletus. *Alij apud Sanchez.* *Probatur 1. ex iuribus.* *Probatur 2. à simili.*

294. *Secunda sententia affirmat, & probabilem valde putat Sanchez pro illa plures referens.*

Secunda sententia affirmat, eamque putat Sanchez valdè probabilem *num.*2. pro qua plures etiam Auctores refert, qui vel eam sequuntur, vel probabilem putant, inter quos Panormitanus, Catdinalis *c. Veniens de cognat. spiritual.* Angelus, Nauarrus, Sà, & alij multi, quibus adde Rebellum *lib.*3. *quæst.* 6. *num.*12. Coninc *disp.*32. *num.*40. Basilium *lib.*7. *cap.*39. Galeto *verb. cognatio.* Verallus *decis.*147. *part.*3. & *in decisionibus Rotæ in antiquis habetur decis.*533. & *in Recentioribus decis* 669. Perez *disp.*29. *sect.*7. *nu.*2. Hurtado *disp.*18. *difficult.*5. alijque Recentiores. Ratio est, quia, si spectemus naturam talis actus, nulla est ratio negandi non posse oriri per procuratorem; nam, qui per talem exercet, verè, & validè censetur exercere iuxta Regulam generalem, quod qui potest per seipsum, potest per alium, quando iure aliquo non cauetur, vt in præsenti negotio contingit, nullū enim ius apparet, quod id prohibeat, vel annullet.

Panormit. Cardinal. Angelus. Nauarrus. Sà. Rebellus. Coninc. Basilius. Galeto. Verallus. Perez. Hurtado. *Recentiores.* *Ratio.*

295. *Ex his patet ad primum in contrarium.*

Ex quo patet ad primū argumentum oppositæ sententiæ; respondetur enim requiri contactum patrini; exhibitum tamen per se, vel per procuratorem nomine ipsius.

296. *Ad secundū negatur paritas.*

Ad secundum neganda est paritas, nam qui baptizat, ex licentiâ, seu commissione alterius, non baptizat nomine illius, eum repræsentans, & tanquàm eius procurator, seu minister; sed tanquàm minister Christi pro tali Sacramento, quamuis id faciat ex licentiâ alterius.

297. *Consuetudine firmatur ea sententia.*

Et quidem multum iuuat ad nostram sententiam stabiliendam notissima in Ecclesiâ consuetudo, quâ Principes, & Magnates frequenter solent per procuratorem hoc munus obire, neque Ecclesia id pateretur, si non posset validè fieri. Vnde iam videtur satis vsu, & consuetudine receptum. Et Sanchez cum aliis, quos refert *suprà nu.*6. expressè concedit posse huiusmodi cognationem validè contrahi, si iam sit consuetudine introductum, vt sic fiat.

298. *An possit communitas aliqua id facere per aliquem à se destinatū, v.g. ciuitas, vniuersitas.*

Item multi alij, quos refert *n.*7. in dubium reuocant, an suppositâ veritate nostræ opinionis, quod possit per procuratorem contrahi, possit etiam communitas aliqua, vt Ciuitas, seu vniuersitas per Syndicum ad id specialiter potestatem habentem, suscipere infantem?

Respondetur cum eodem Sanchez, & pluribus aliis quos refert, neque ipsam communitatem, nec particulares personas illius contrahere. Non contrahit vniuersitas; est enim ficta hæc persona, non vera, & huius cognationis expers; in quo omnes tenētur conuenire: nō singulæ personæ; quia ille Syndicus nō vice, aut nomine singulatū personarū; sed nomine communitatis id præstat; & aliud est vniuersitas,

299. *Tunc neque communitas neque priuatus aliquis contrahunt cognationem. Probatur.*

alij singuli vniuersitatis c. *Qui manumittitur* 12. q.2.& *l.in tantum* §. *vniuersitatis* ff.*de Rer. diuisione.*

Sanchez. 300. Legatur Sanchez loco citato.

Si quando tenet procurator designatus, qui commisit iã reuocauit non contrahit cõmittens ille. Ratio.

Rectè autem notat idem Auctor *num.* 8. argumento à simili de matrim. per procuratorem;quod si, quando procurator, seu Commissarius tenet,iam qui commisit, reuocauit commissionem, non contrahetur cognatio; quia in his casibus requiritur consensus verus, perseuerans,& non fictus iuxta Baldum, & Felinum,quos refert.

Quid de Procuratore ipso? Negat merito. Sanchez. Perez. Basilius. Coninc. Contra. Sotum. Toletum. Et alios. Ratio. Argumentũ ad hominem contra Sanchez.

Circa secundum de procuratore breuiter dicendum est contra Sotum, Toletum,& alios apud Sanch.*num.*10.*&* 11.cum eodem *num.*12. & Perez *supra num.* 5. & aliis multis apud Sanch. quibus adde Basilium & Coninc *supra* non cõtrahere,quãuis enim ipse teneat immediatè & per se,non tamẽ suo nomine;sed alieno; neque ipse dicitur Patrinus.Qui verò baptizat ex licẽtia seu cõmissione alterius,nõ baptizat nomine committentis;sed proprio, tanquàm verus minister ad id à Christo admissus institutione talis Sacramenti,ac proinde hic est,qui baptizando contrahit cognationem. Imò inde sumitur argumẽtũ contra Sanchez,qui in hac parte nobiscum consentit, & tamen in alia de eo, qui committit procuratori,ductus argumento à simili baptizantis, asseruit non contrahere cognationem, sicuti neque, qui committit alteri baptismum,non contrahit per actum baptizandi alterius.Quam similitudinem iam reiecimus, & ipse agnoscit dissimilitudinem.

DVBITATIO XXX.

An in Baptismo non solemni, sed priuatim facto contrahatur cognatio spiritualis in patrino,& in baptizante?

Baptizans contrahit cognationem etiam in priuato Baptismo. Sanchez cũ multis. Ratio.

302. Circa baptizantem dicendum est breuiter cum communi Doctorum sententia, quos refert & sequitur Sanch. *disputation.*62. *num.*10. contrahere cognationem perfectam, etiam laicum,quia iura,quibus talis cognatio, & impedimentum statuitur, absolutè loquuntur nullum baptizantem excipiendo,quamuis *in c.finali de cognat.spirit.* in narratione facti fiat mentio de Baptizante,qui fuit Sacerdos.

Parentes in necessitate baptizantes proprium filium non priuantur potestate petendi debitum.

303. Non tamen negamus in Canone *Ad limina* 30.*q.*1. excipi parentes, qui in necessitate proprium filium baptizârunt; ibi tamen non excipiuntur,quantùm ad non dirimendum matrimonium subsequens; sed tantùm excipiuntur quantum ad hoc,quòd non priuentur iure petendi debitum,quo *in Canone* 1.*&* 2.*eâdem* 30.*q.* 1.olim priuabantur.

Quid de subsequente matrimonio? Qui baptizat in necessitate quẽ genuit ex concubina non potest postea illam ducere.

Vtrum autem hodie priuentur parentes absque necessitate,& absque ignorantia proprium filium baptizantes? dicemus agentes de debito coniugali *disputation.* 9. *dubitation.*8. non tamen poterit quis priuatim in necessitate baptizans eum,quem genuit ex Concubina, ipsam ducere;quia quantum ad hoc non excipiuntur in citato Canone.

304. Circa patrinum verò Nauarrus *c.*22.*num.*40. Coninc *disputat.*32.*num.*39. Basilius *libr.*7.*c.*40. Gutierrez apud Bonacinam *supra num.*11. & alij apud Sanch. *citatâ disp.*62. *num.*13. putant patrinum etiam in Baptismo priuatim collato (qualis esse solet, quando in necessitate domi confertur)contrahere cognationem. Probant præcipuè,quia tunc patrinus verè tenet,& suscipit, & iura indiscriminatim de suscipiente in Baptismo loquuntur.Item,quia tunc baptizans cõtrahit;ergo etiam tenens. Probabilius nihilominus est non contrahere. Ita Sotus *in* 4.*dist.*4. 2.*q.*1.*art.*2.Sanchez *lib.*7.*disp.*62. *num.*14. Suarius 3.*p.q.*6.7.*art.*8.*dub.vltimo.*Rodriq. *in summâ c.*226.*num.*2.Vegâ 1.*tomo summæ c.*33 *casu vltimo.* Gallego *de cognat.spirit.c.*11. Rebell. *q.*6.*num.*16. Bonacina *q.illâ* 3.*puncto* 5. §.2 *num.*11. referens Nugnum & alios. Ratio verò est; quia tentio seu susceptio in Baptismo instituta est ab Ecclesiâ,tanquàm ceremonia pro baptismo solemni, vt ad eius solemnitatem iuuet: ergo, si Baptismus non sit solemnis, non erit solemnis quædam tentio,seu susceptio ceremonialis ab Ecclesiâ instituta,neque eo modo fit, quo, tanquã ceremonialis ab Ecclesia adhibetur, nempe in solemni Baptismo electa ad eius solemnitatem; ac proinde ex eo actu nulla oritur cognatio,hęc enim solùm resultat ex tali actu,vt ceremoniali,& vt instituto ab Ecclesiâ, de quo solùm iura loquuntur.

Quid alij putant Patri num in baptismo priuato cõtrahere. Nauarrus. Coninc. Banlius. Gutierr. Alij apud Sanchez. Probant.1. Probant.2. Probabilius est non contrahere. Sotus. Sanchez. Suarius. Rodriq. Vega. Gallego. Rebellus. Bonacina. Nugnus & Alij. Ratio.

Verum est proxime dictum etiã si ille intendat exercere munus Patrini. Sanchez cõtra Suariũ. Ratio. Ex dictis patet ad argumenta in contrarium.

305. Placet etiam mihi quod docet Sanchez *n.*15. contra Suarium adhuc esse veram sententiam in casu,quo ille,qui in Baptismo priuato tenet, intendat exercere munus patrini, nam solâ tali intentione non redditur actus ille ceremonialis, neque, vt talis adhibetur; neque enim ideo fit eo modo, quo institutus est ab Ecclesiâ. Atque ex dictis patet ad argumenta pro contrariâ sententiâ.

DVBITATIO XXXI.

Quid & quotuplex sit cognatio Legalis?

Communis definitio cognationis legalis. Adoptio quid sit? Definitio communiter recepta. Explicatur.

306. COmmuniter definiri solet cognatio Legalis, quòd *sit cognatio ex adoptione prouenies.* Vt autem hæc definitio intelligatur, nosse oportet quid *sit adoptio*, quæ etiam communiter definiri solet *est extraneæ personæ in filium vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio.* Dicitur verò extranea persona illa,quæ non originatur naturaliter ab adoptante. *Legitima verò assumptio* appellatur,quia debet fieri secundùm leges.*in filium verò,vel nepotem,vel deinceps* dicitur,quia nemo potest adoptare in patrem vel fratrem;quapropter adoptio dicitur imitari naturam quatenus pater generat filium; appellatur autem cognatio legalis,quia talis cognatio lege statuta est.In hac doctrina consentiunt communiter Doctores,vt videre est apud S. Thomam *in* 4. *distinct.*42.*q.* 2.*artic.*1. Sanchez *libr.*7.*disputat.*63. Reginald. *lib.*1.*numer.*158.Coninc *disputation.*32. *numer.*42.Gutierr.*de matrimon.c.*102. *num.*2. desumiturque tota doctrina, *tum ex c.* 1.*Extr. de Cognat. Legali.* tum ex *L. Nec apud C. de Hæred.instit.*

S.Thom. Sanchez. Reginald. Coninc. Gutierr.

307. Duplex autem est adoptio, altera perfecta altera

Duplex adoptio; perfecta scilicet & imperfecta.

altera imperfecta: perfecta solet appellari *arrogatio*, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, fitque illius hæres necessarius, etiam ex testamento. Quæ arrogatio tantùm fieri potest auctoritate supremi Principis. Imperfecta verò adoptatio, seu simplex, & quæ communiter nomen adoptionis retinet, est illa, quâ adoptatus non transit in potestatem adoptantis, quia per eam in filium assumitur aliquis, qui adhuc est, & adhuc manet sub potestate sui patris carnalis, & non est hæres necessarius ex testamento adoptantis, sed tantùm ab intestato, fierique potest auctoritate magistratus inferioris Principe. Atque his manet explicata cognatio Legalis. Cuius cognationis triplex species solet assignari, alia in recta linea, nempe inter adoptantem, & adoptatum, atque huius præcipuè mentio fit in iure Cæsareo, & Castellæ; alia dicitur in linea transuersali seu laterali, quæ est inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Huius autem mentio fit in iure Cæsareo, & Canonico. Alia denique est quasi affinitas, scilicet inter adoptantem & vxorem adoptati, & è contra inter adoptatum & vxorem adoptantis, eiusque mentio fit in iure Cæsareo, & Castellæ. Legatur Sanchez *supra num.* 6. Qui breuiter ex aliis *num.* 4. aduertit sex modis posse solui adoptionem, scilicèt, morte naturali adoptantis, item morte ciuili, vlterius ob nuptias incestuosas, præterea ob dignitatem obtentam v.g. Episcopalem: item per sententiam; tandem per emancipationem, de quibus latè Paludanus *in* 4. *distinct.* 42. *q.* 1.

Perfecta nomen est Arrogatio.

Principis supremi auctoritate fieri potest & debet.

Imperfecta & communis adoptio.

Non transit vi huius adoptatus in potestatem adoptantis.

Est, is adoptatus hæres ab intestato; non necessarius ex testamento.

Fieri potest auctoritate magistratus inferioris.

Triplex species cognationis legalis.

Prima quasi in recta linea.

Altera quasi in transuersali.

Tertia vero Adoptatio quæ est similis affinitati. Sanchez.

Sex modi soluendi adoptionem. Paludan.

DVBITATIO XXXII.

An cognatio legalis dirimat matrimonium, & quæ conditiones requirantur ad adoptionem?

CErtum est non dirimere iure naturali, vt ex se patet, dirimere autem iure positiuo Ecclesiastico. Constat ex Canone. *Ita diligenter*, & ex Canone *Per adoptionem* 30. *q.* 3. *& ex c. vnico de cognat. Legali.* Quibus in locis approbantur leges Cæsareæ, virtute quarum talis cognatio dirimens matrimonium introducta est. Hoc itaque impedimentum saltem in adoptione perfectâ debet habere locum.

308. *Non dirimit iure naturali.* *Sed positiuo Ecclesiastico.* *Constat ex iure Canonico approbante in hoc leges ciuiles.* *Id saltem viget in adoptione perfecta.*

Iam verò difficultas est primò, an cognatio orta ex adoptione imperfectâ dirimit matrimonium?

Difficultas est de imperfectâ.

Antequàm de ista virtute dirimendi matrimonium disputemus, vt rectè intelligatur, quid sit in adoptione esse legitimam, oportet præmittere, quænam conditiones necessariò requirantur, vt quis possit adoptare, & adoptari legitimè, & validè? Circa quod varias conditiones ex iure solent assignare Doctores. Prima est, quòd adoptans sit sui iuris, & maior viginti quinque annis; nisi enim talis sit, bona sua administrare non potest, nisi Castrensia, aut quasi Castrensia; atque hoc verum est iure communi, nam iure alicuius particularis Regionis, aut Prouinciæ fieri potest, vt minor ætas sufficiat. De quo consulendæ sunt tales leges, & qui peritì sunt in illis.

309. *Incipit proponi difficultas.*

310. *Conditiones requisitæ tũ pro adoptãte, tũ pro adoptato, vt legitima sit & valida adoptatio.*

Prima conditio.

Secunda conditio est, vt adoptans sit vir; nam femina adoptare non potest absque Priuilegio Principis.

311. *Secunda conditio.*

Tertia, vt possit generare; quòd si non possit; non sit ex naturali defectu, sed ex casu accidentario. Vnde quantum est ex hoc capite adoptare possunt secti gladio, aut facti Eunuchi per morbum; hi enim tantùm ex accidenti sunt impotentes; non ex defectu naturali, sicut ex defectu naturali censentur impotentes frigidi; atque adeò adoptare non possunt *l.* 2. ff. *de adopt.* & quidem meritò, quia adoptio instituta est ad supplendum liberorum defectum, ideò tantum conceditur iis, qui naturaliter possent illos habere, nisi ex accidenti impedirentur.

312. *Tertia conditio.*

Quarta conditio est, vt adoptans ita excedat adoptatum, vt possit ætate esse eius pater naturalis. Vnde leges statuerunt, quòd excederet adoptatum saltem octodecim annis.

313. *Arrogare verò nequit, qui quadraginta annos non natus est; in quo hæc perfecta adoptatio differt ab imperfecta.* Habentur prædicta *Instit. de Adopt.* & docet Syluest. verb. *Adopt. q.* 5. Qui, sicut & Sanchez suprà, & alij apud ipsum, docent Sacerdotem posse adoptare, quia naturaliter non est impotens ad generandum.

314. *Arrogatio seu perfecta adoptio requirit in adoptante 40. annos.* *Constant prædicta ex iure.* Sylvester. Sanchez. *Sacerdos potest adoptare.*

Illud circa Regnum Castellæ aduertendum in hac, & præcedenti dubitatione circa adoptionem scilicèt, ita eum, qui habet patrem non posse adoptari, vt etiamsi habeat, si tamen sit emancipatus, sit capax, vt adoptetur. Item, si pater ipse illum tradat, vt adoptetur, & in vtroque casu requiritur consensus eius, qui adoptatur, quamuis in tali casu, vt censeatur consentire, satis est, quòd taceat & non contradicat. Ita habetur *l.* 1. *tit.* 16. *Partitâ* 4.

315. *Aduertendum pro Regno Castellæ.*

Circa potestatem verò generandi requisitam, vt possit adoptare, & circa prohibitionem adoptandi, quam feminæ habent, notandum est, castratum tunc posse adoptare, quando castratus fuit in eâ ætate, in qua iam posset generare; feminam verò quæ amiserit filium in bello seruientem Reipublicæ, aut Regi posse adoptare. Ita habetur *L.* 2. *& 3. tit.* 16. *Partitâ* 4.

316. *Item notandum non quemcunque castratum in eo Regno posse adoptare.* *Vlterius feminam posse adoptare si amisit filiũ in bello seruientem Regi aut Reipublicæ.*

Item notandum est Tutorem vel Curatorem non posse adoptare suum pupillum *l.* 6. *tit.* 16. *Partita* 4.

317. *Nec tutor ibi potest aut curator adoptare pupillũ suum.*

Vlterius, qui adoptandus est, debet excedere septimum ætatis annum; adoptans verò debet octodecim annis (vt dictum est) filium adoptandum excedere, atque adeo debet excedere (vt diximus) ætatis annum 25. *l.* 2. *&* 4. *titul.* 16. *Partitâ* 4.

318. *Adoptatus debet excedere septimũ annum ætatis.*

His suppositis quærimus, an cognatio legalis proueniens ex adoptione imperfectâ dirimat matrimonium.

319. *An imperfectæ adoptionis cognatio dirimat?*

Prima sententia affirmat dirimere. Ita Toletus *lib.* 7. *c.* 4. *num.* 7. Sotus *in* 4. *dist.* 42. *q. vnicâ* & alij multi tum iurisperiti tum Theologi, quos refert Sanchez illâ *disp.* 63. *num.* 8. quibus adde Rebellum *lib.* 3. *q.* 7. Basil. *lib.* 7. *c.* 41. Et hanc sententiam putat Sanchez satis probabilem, quamuis ipse oppositum sequatur. Probari verò potest omissis aliis rationibus, quia iura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis dirimens matrimonium absque vllâ distinctione agunt absolutè de adoptione, talis autem est

320. *Prima sententia affirmans.* Toletus. Sotus. *Alij multi.* Rebellus. Basilius. *Probabilem satis putat Sanchez.* *Ratio præ-*

verè & propriè, etiam quæ dicitur imperfecta: ergo dirimit.

321. *Secunda sententia negans.* Sanchez. Henriq. Coninc. Ochauia. Perez. *Ratio.* *Quidam nec dirimere, nec impedire putant.* Ochagau. Ledesma. Perez. Sanchez. Henriq. *Hæc sententia placet*

Secunda sententia negat. Ita Sanch. *lib.* 7. *disp.* 63. Henriq. *lib.* 12. *c.* 12. quibus adde Coninc *disp.* 32. *num.* 44. Ochagauia *q.* 58. Perez *disp.* 30. *s.* 2. *n.* 6. Probari verò potest, quia impedimenta matrimonij debent restringi, eò quòd matrimonium sit res fauorabilis, atque adeò leges hoc impedimentum statuentes debent strictè intelligi. Vnde ad perfectam adoptionem restringendæ sunt. Et Ochagauia adhuc putat talem imperfectam adoptionem non solùm non dirimere, verùm neque impedire, quod etiam docent Petrus de Ledesma *de matrimon. q.* 57. *art.* 2. *q.* 2. Perez *supra num.* 7. & docuerant Sanchez *supra num.* 10. Henriquez *lib.* 12. *c.* 12. *num.* 3. nullum enim ius constat de hac re confirmatique potest, quia leges; quæ statuunt huiusmodi impedimentum, loquuntur de adoptione, quæ impedit matrimonium etiam inter adoptatum & prolem adoptantis, quòd solùm conuenit arrogationi, id est perfectæ adoptationi. Legatur Sanch. loco citato, cuius sententia mihi magis placet.

322. *Ad fundamentum oppositæ.*

Ad fundamentum verò oppositæ sententiæ Respondetur, quamuis iura non distinguant, posse nos in hoc casu distinguere, quia adest ratio distinguendi inter perfectam & imperfectam adoptionem, maximè quando ex ipsis legibus potest deduci ratio distinguendi, vt contingit in hoc casu.

323. *An dirimat secundum omnes species.*

Restat nunc videamus, an cognatio legalis secundum omnes suas species dirimat matrimonium.

324. *Certum* 1. *in recta linea dirimere.*

Certum primò sit cognationem legalem in recta linea dirimere matrimonium. Constat ex *Canon. ita diligere* 30. *q.* 3. *&* *ex* aliis iuribus.

325. *Secunda species dirimit subsequens.*

De secundâ verò specie nimirum in lineâ transuersâ dicendum est cum communi sententia contra paucos aliquos per eam cognationem dirimi matrimonium subsequens iuxta *c. vnicum de cognat. legali* & iuxta *Canonem per adoptionem* 30. *q.* 3, quibus in locis approbatur impedimentum cognationis legalis, quasi in communi, & specialiter secunda species cognationis legalis in lineâ transuersa, docentque innumeri Auctores, quos refert Sanch. *sup. numer.* 15. quibus adde Coninc *supra num.* 43. Bonacinam *supra* §. 3. Perez *supra sect.* 3, *n.* 4.

Plurimi apud Sanchez Coninc. Bonacina. Perez.

326. *Tertia species etiam dirimit pauci negant cæteri affirmant.*

De tertia verò specie etiam communiter Doctores asserunt dirimere matrimonium, imò vt notat Sanch. *n.* 13. solùm id negarunt quidam apud Hostiensem, quos ille ad citatum *c. vnicum de cognatione leg.* tacito nomine refert.

327. *Occurritur obiectioni.*

Quamuis autem hæc tertia species scilicèt affinitatis legalis non sit expressè, & in terminis iure scripto Canonico approbata, sufficit, quod in cognatione legali, quasi in communi censeatur approbata, maximè cùm omnes tres species cognationis approbatæ sint consuetudine scitâ à Pontificibus, vt rectè notat Sanch. *n.* 27. vbi rectè aduertit, quòd quamuis impedimentum cognationis legalis solis legibus Ciuilibus inductum sit, quibus erga fideles non licet, nec potestas est inducendi impedimenta; tamen hoc impedimentum est iure Canonico approbatum, vt constat ex citatis iuribus. Legatur Sanchez eodem *num.* 17. quietiam *num.* 19. aduertit, sicut & Basilius *supra*, cognationem legalem superuenientem matrimonio iam contracto non impedire petitionem debiti.

Sanchez. Basilius.

Ex dictis satis infertur tale impedimentum solo iure humano fuisse inductum, & omnes fatentur.

328. *Tale impedimentum solo iure humano.*

Inde etiam colligit Sanchez n. 22. si apud infideles hæc adoptio fieret, valere matrimonium inter adoptantem, & adoptatum; nisi fortè speciali illorum lege irritaretur, quia non sunt subiecti iuri Canonico; & addo non esse necessariam legem specialem illorum; sed sat est, quòd sint incolæ terrarum, in quibus viget ius Ciuile Cæsareum, nam tale impedimentum in eo iure statutum est, & pro non baptizato valent impedimenta legum Ciuilium iuxta dicta *dub.* 1.

329. *Valebit matrimonium cum hac adoptione inter infideles nisi Princeps induxerit tale impedimentum.*

Notandum vltimò est cum eodem Sanchez, vt cognatio legalis vim habeat inducendi impedimentum oriri debere ex adoptione, in qua seruatur forma legibus præscripta. Vnde, si fiat priuatim coram vicinis, aut aliis personis non interueniente magistratu iuxta dicta *dub. præcedenti* adoptio erit nulla, atque adeò cognatio. Legatur Sanchez *n.* 18.

330. *Debet oriri impedimentum ex legitima adoptione seruatis requisitis.* Sanchez.

DVBITATIO XXXIII.

Ad quotum gradum, & ad quantum tempus duret cognatio legalis potens matrimonium dirimere?

331. *Assertio* 1.

332. *Dubium.*

333. *Respondetur negatiuè.* Contra. Ledesmã. Ochagau. *Ratio.* Sanchez. *Cum aliis.* Henriq. Rebellus. Basilius. Reginald. Sà. Bonacina. Perez.

Assero. 1. Cognatio Legalis contrahitur primò inter adoptantem, & adoptatum: secundò inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & è conuerso inter vxorem adoptati & adoptantem: tertiò inter filios adoptantis, & adoptatum.

Dubitari autem potest; an inter adoptatum & adoptatam ab eodem adoptante sit cognatio legalis dirimens matrimonium?

Respondetur negatiuè contra Petrum de Ledesma *q.* 57. *art.* 3. & contra Ochagauiam *q.* 58. quia non est inducenda talis cognatio sine iure aliquo statuente, quod nullum est. Ita Sanch. *disputat.* 63. *num.* 9. cum aliis, quibus adde Henriquez, Rebellum & Basilium citatos *dub. præcedenti.* Reginald. *lib.* 31. *num.* 162. Sà citatum dub. præced. Bonacinam etiam ibi citatum *n.* 7. Perez *sect. illâ* 3. *n.* 6.

334. *De impedimento inter adoptantem & descendentes adoptati, an sit. Affirmant aliqui S. Antoninus. Alij. D. Thom. & alij apud* Sanchez. *Aliqui ex parte tantũ, nempe vsque ad* 4. *gradum.* Nauarr. Toletus. Sà. Valentia. *Alij apud* Sanchez. Basilius.

Iam verò difficultas est; an contrahatur cognatio dirimens matrimonium inter adoptantem, & inter descendentes adoptati? Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 13. & aliqui alij docent contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vnâ parte, & inter adoptatum, eiusque descendentes in infinitum ex alterâ. Pro quâ sententiâ etiam D. Thomam & alios refert Sanchez *disputat.* 63. *num.* 31. qui tamen non satis clarè loquuntur. Nauarrus verò *c.* 22. *num.* 45, Toletus *lib.* 7. *Summæ c.* 4. *num.* 7. Sà verbo *matrimonium*, vbi *de impedimentis dirimentibus num.* 6. vers. *cognatio legalis.* Valentia *to.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *puncto* 3. & alij apud Sanchez *supra n.* 32. quibus adde Basilium citato *capite* 41. putant contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vna parte, & adoptatum, eiusque descendentes

tes ex altera vsque ad quartum gradum tantum.

335. *Henriquez vsque ad filios adoptati tantum.*

Henriquez verò *lib.12.c.12.n.3.* extendit tantùm vsque ad filios adoptati.

336. *Assertio.2. ad omnes descendentes se extẽdere.* Sanchez. Greg.Lop. D.Thom. *Si sint in potestate ipsius adoptati refert* Sanchez. D.Anton. Sylvest. *Sed non id dicunt absolutè. Potissima ratio vera sententiæ.*

Asserendum nihilominus est cum Sanchez *supra num.34.* referente Gregorium Lopez, & D. Thomam *in 4.dist. 42.q.2.art.3.ad 4.* extendi ad omnes descendentes adoptati, qui sunt in potestate ipsius. Imò contendit Sanchez Diuum Antoninum supra citatum. Item Sylvestrum verb. *matrimonium 8.q 8. dicto 2.* esse huius sententiæ; dicunt enim cognationem legalem protrahi ad filios, & nepotes, & alios descendentes adoptati; non tamen id dixerunt absolutè, sed addidere *ad descendentes adoptatos.* Et rationem reddit Sylvester, quòd, adoptato filio, censeantur adoptati omnes descendentes, qui in eius potestate tunc sunt. Atque hæc est potissima ratio huius veræ sententiæ; nam prædicta cognatio contrahitur iuxta citata iura inter adoptantem, & adoptatum; semel autem adoptatâ aliquâ personâ, cenentur adoptari etiam omnes personæ, quæ erant sub potestate illius, quando adoptabatur, idque exprimitur in L. *si paterfamilias 15. in principio* ff. *de adopt.* Cùm ergo omnes, qui tunc erant sub eius potestate censeantur adoptati, meritò inter adoptantem, & tales descendentes adoptati inducitur impedimentum. Quod verò non protrahatur ad alios descendentes personæ adoptatæ, constat ex eo, quòd prædicta cognatio, vtpotè iure positiuo inducta in illo debet exprimi; in eo tamen non exprimitur alia persona; nisi adoptans, & adoptata, & secundùm ius nulla persona descendens censetur adoptata; nisi, quæ erat sub potestate personæ adoptatæ.

337. *Doctrina spectans ad filios naturales personæ adoptatæ, si hæc sit femina & filios illegitimos adoptati.* Sanchez. *Cum aliis.*

Ex hoc deducitur neque esse cognationem legalem, neque impedimentum matrimonij inter adoptantem, & filiam naturalem filiæ adoptiuæ; quia, cùm mulier neminem habeat in suâ potestate §. *femina.* Instit. *de adopt.* filia mulieris adoptatæ non censetur adoptata, nec transit in potestatem adoptantis. Ita Sanch. *supra numer.35.* cum aliis, quos refert. Idemque iudicium est de filiis illegitimis adoptati; quia hi non possunt esse in potestate adoptati §. *vltimo instit. de Nuptiis.*

338. *Illatum primum ex data doctrina.*

Habemus ex dictis pro praxi primò adoptãtem & adoptatum, & descendentes adoptati, qui sint in eius potestate, non posse contrahere matrimonium.

339. *Item aliud illatum.*

Secundò, neque vxorem adoptantis, & adoptatum; vel vxorem adoptati, & adoptantem.

340. *Tertium aliud.*

Tertiò, nec filios seu filias adoptantis cum adoptato, seu adoptatâ, quamdiu durat, de quo postea dicemus.

341. *Quartum.*

Quartò posse filium adoptantis cum filiâ adoptati, quia non est cognatio inter illos.

342. *Quintum.*

Quintò plures adoptatos ab vno adoptante posse inter se matrimonium contrahere.

343. *Sextum.*

Sextò adoptatum posse ducere filiam illegitimam adoptantis.

344. *Septimum.*

Septimò posse infideles, vbi non viget aliquod ius Principis sæcularis inducens talem cognationem, & impedimentum, inire inter se matrimonium non obstantibus legibus Canonicis, quibus non subduntur, vtpote non baptizati.

345. *Octauum.*

Octauò sponsalia dissolui, si cognatio legalis superueniat; quia superuenit impedimentum dirimens matrimonium iuxta doctrinam generalem datam *disp.1.dub.31.*

346. *Quanto tẽpore duret cognatio legalis? Sanchez cũ constante aliorum sententiâ. Prima species cognationis legalis & tertia affinitatis sunt perpetuæ. Constat ex legibus ciuilibus. Et ex iure Canonico.*

Circa tempus, quo durat cognatio legalis, eiusque impedimentum breuiter dicendum est cum Auctoribus (quod, tanquam constans tradit Sanchez *disp.63.num. 24.*) primam speciem rectæ lineæ, & tertiam affinitatis legalis semel contractas semper, & in perpetuum durare matrimoniumque dirimere, quantumuis adoptio legitimè cessauerit. Constat de prima L. *Quin etiam 55.* ff. *de ritu nupt. & inst. de nupt. §. Ergo non omnes,* atque in Castellâ *l.7. tit.7. Partitâ 4.*

De tertia verò specie, scilicet de affinitate constat ex l. *Adoptiuus 14.* ff. de ritu nupt. & in Castellâ ex *l.8. tit.7. Partitâ 7.* Quæ omnes leges approbatæ sunt iure Canonico, tum consuetudine introducto, tum etiam in scriptis *Canone 1.30.q.3.*

347. *Quid de secunda specie, quæ est cognatio legalis in lineâ transuersâ.* Sanchez.

De cognatione verò legali in lineâ transuersa, quæ est secunda species ex dictis, consentiunt etiam Doctores tamdiu durare, & matrimonium dirimere, quamdiu adoptio; & quamdiu etiam filij carnales legitimi simul cũ adoptiuis sunt sub potestate adoptantis, vt constat ex *c.vnico de Cognat.legal.* & ex citato Canone per adoptionem *30.q.3.* Quapropter, vt filius carnalis adoptantis ducat filiam eiusdem adoptiuam, sororem scilicet suam legalem adoptiuam, sufficit, vel, quòd cesset adoptio, vel quòd alteruter emancipetur, atque adeò desinat esse sub potestate adoptantis quacunque ratione à tali potestate liberetur. Legatur Sanch. *loco citato.* In Castellâ verò habetur hoc ipsum *l.7. tit.7. Partit.4.*

DVBITATIO XXXIV.

Quid sit affinitas? & quid ad eam contrahendam requiratur?

348. *Quid aliqui sentiant de nomine* Affinitas. *Variis verbis sed eodẽ sensu solet definiri definitio præferenda.* Sanchez. D.Thom.

AFfinitas (vt multi volunt) appellatur quasi sanguinum vnitas, seu confinitas, aut finiũ consanguinitatis vnitas; solet autem definiri variis verbis; sed quæ in idem fermè recidunt. Sed inter alias illa placet, quam ex Theologis & iurisperitis affert Sanch. cum D.Thoma *in 4. dist.41.q.vnicâ art.1. qla. 3. argum. 2.* scilicet *affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proueniens.* solet addi *omni carens parentelâ*, sed non sunt verba omnino necessaria, tantùm enim illis significatur, vt contrahatur affinitas, non esse necessariam coniunctionem consanguinitatis, quin per accidens omnino sit, si fortè talis coniunctio simul concurrat. Per illam vocem *propinquitas* conuenit affinitas cum cognatione carnali; per illam verò vocem *ex carnali copulâ proueniens* distinguitur à consanguinitate. Dicitur autem generaliter *ex copulâ*, non determinando; an ex licitâ vel illicitâ; quia ex vtrâque prouenire potest, vt videbimus. Itaque ex eo quòd vir, & femina ex copula fiant vna caro, & vnus sanguis, consanguinei vnius fiunt

Explicatur definitio.

affines

affines alteri, & è contra ipsi verò copulati vir & femina non sunt affines, sed stipes, aut truncus, siue radix vnde sumitur, & oritur tota ratio, & series affinitatis.

349. *Alterutro coniuge mortuo perseuerat adhuc affinitas. Communis sententia.* Henriq. Sanchez. Gutierr. Quamuis autem alteruter illorum moriatur adhuc perseuerat affinitas in consanguineis eiusdem defuncti cum altero superstite; nam licèt tunc persona deficiat, quæ fuit origo, & principium affinitatis, non deficit subiectum affinitatis ortæ, etiam inductæ; neque terminus illius. Ita communiter Doctores apud Henriq. *lib.* 12. *c.* 10. *n.* 1. *ad finem in Comment. Litterâ Q.* & apud Sanch. *lib.* 7. *disp.* 64. *n.* 5. & apud Gutierr. *de matrim. c.* 99. *n.* 6. & alios.

350. Ex eo autem quod affinitas oriatur ex prædictâ commixtione carnali in consanguineis cum altero se commiscente, aut (quod idem est) in vno commiscente cum consanguineis alterius, cui commiscetur; prouenit etiam vt ex numero graduum consanguinitatis, & ex eius lineis computandi sint gradus affinitatis, & assignandæ sint affinitatis lineæ.

351. *Regula generalis pro omni affinitate.* Vnde (ni fallor) hæc regula videtur mihi generaliter pro omni affinitate vera, scilicèt, quod vnusquisque eo gradu & lineâ affinitatis attingat alterum, cui est affinis, quo gradu, & lineâ consanguinitatis attingit alteram personam, quæ carnaliter copulata est. Vnde quicunque attingit Petrum in rectâ lineâ consanguinitatis, attingit etiam in rectâ lineâ affinitatis illam feminam cui Petrus fuit copulatus, & qui attingit Petrum in primo gradu, vel secundo consanguinitatis, attingit etiam in primo vel secundo affinitatis illam feminam, cui Petrus carnaliter fuit copulatus. Vnde ex copulâ Petri, qui est filius Pauli habitâ cum Mariâ, oritur inter Paulum, & Mariam affinitas in primo gradu qualis est inter socerum & nurum post consummatum matrimonium. Item ex copulâ Petri fratris Francisci cum Mariâ oritur inter Franciscum & Mariam affinitas in primo gradu lineæ transuersæ, sunt enim inter se cognati eo affinitatis genere; qualis inter Hispanos dicitur Cunnado, hoc est, quæ intercedit inter leuirum & glossem.

352. *Qualis copula causet affinitatem?* Iam verò videndum restat, qualis requiratur copula vt ad affinitatem inducendam sufficiat.

353. *Medina sententia singularis reiicitur.* In quâ re omnino reiiciendus est Michaël de Medina *lib.* 1. *de sacrorum Ordinum continentiâ c.* 76. qui contra cæteros alios Doctores teste Sanch. *suprà n.* 7. docuit copulam absque seminis effusione solâ penetratione claustri pudoris sufficere ad contrahendam affinitatem. Quod meritò cæteri reiiciunt, requirentes ad affinitatem seminis saltem virilis effusionem; quia tota ratio, ob quam ex copulâ consurgit affinitas, est, quia per eam copulam vir, & femina facti sunt vna caro: non fiunt autem vna caro, & vnus sanguis, nisi per copulam sufficientem ad generationem, qualis est sola illa, in qua saltem virile semẽ intra vas femineum recipitur, talis, scilicèt, copula, qualis requiritur vt matrimonium dicatur consummatum, iuxta dicta à nobis *disp.* 2. *dub.* 34. imò potiori ratione in hoc casu, quàm in illo. Probarique etiam potest *ex c. lex Diuina* 37. *q.* 2. vbi Benedictus Pontifex ait ideò osculum non parere propinquitatem, *quia nullam facit sanguinis commixtionem.* Et Vrbanus 2. *c. Extra ordinaria* 35. *q.* 3. ait pollutionem non impedire matrimonium cum consanguineis mulieris pollutæ, *nisi in naturalibus admissa sit*: ergo requiritur pollutio intra vas. Imò hoc sufficiet, si absque penetratione, & corporum commixtione semen virile recipiatur intra vas femineum, vt posteà videbimus. Accedit, quòd ea copula requiritur ad affinitatem, quæ sufficit ad generationem; sola autem penetratio non sufficit: ergo non contrahetur ex eâ affinitas, sicut non contrahitur ex copulâ sodomiticâ, vt posteà videbimus.

Probatur etiã ex iure.

Ratio cõtra Medinam.

Benedictus Papa. Vrbanus Papa II.

Semen admissum sine penetratione an causet affinitatem, posteà iterũ probandum est.

Asserendum ergo est primò requiri semen saltem virile. Quia hoc saltem requiritur ad generationem. Ita docent innumeri Auctores, quos refert, & sequitur Sanchez *supra n.* 8. Adde Perez *disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 4. Qui omnes contra Basilium *lib.* 7. *c.* 33. consentiunt in eo, quod nuper indicabam, scilicèt, sufficere semen prolificum, & sufficiens ad generationem absque copulâ, dummodo intra vas femineum recipiatur, quomodocunque id contingat (vt quidam putant contigisse in thermis) siue etiam id fit coactè, aut alio quouis casu, vel etiam arte Dæmonis, dummodò sufficienter constet tale semen, quãdo tunc recipitur, esse verum semen; est enim facillimum (si medicis & Philosophis fides habeatur) semen corrumpi breuissimo tempore postquam emissum est, si non recipiatur intra matricem.

354. *Assertio* 1. *requiritur virile semen. Ratio. Plurimi apud* Sanch. Perez. *Etiam non requiri copulam. Prædicti cõtra Basiliũ.*

Vtrum autem requiratur simul cum semine virili semen femineum ad contrahendam affinitatem? non est omnino certum; pendet enim ex alio principio, de quo egimus etiam citata *disp.* 2. *dub. illâ* 34. vbi diximus in quæstione positum esse apud Philosophos & Medicos; an ad generationem sufficiat tantùm semen virile, vel requiratur etiam femineum. Qui ergo docent sufficere virile ad generationem, consequenter docent sufficere ad affinitatem; docetque Sanchez *citatâ disp.* 64. & Basilius supra. Qui verò negant sufficere ad generationem, consequenter negabunt ad affinitatem. Atque ita docent Innocentius *in c. Fraternitatis de eo, qui cognouit consanguineam*, & Ludouicus Lopez 2. *parte instruct. c.* 50. & alij apud Sanchez *supra n.* 20. alique multi apud Dianam 5. *par. tract.* 13. *resol.* 64. item Perez *supra n.* 5. Quamuis autem vtrumque probabile sit, nihilominùs prior sententia quòd sufficiat semen virile, est multorum, & grauissimorum, quos refert Sanchez *ibidem nu.* 21. inter quos Syluester, qui contendit Doctores, qui ante ipsum scripserant de hac re, explicare, vt quando hi dicunt exigi semen feminæ intelligant, vel aliquid loco seminis, nempe sanguinem menstruum paratum à naturâ ad generationem prolis. Legantur quæ dicemus *dub.* 46. §. *Vtrum autem* id est *n.* 479.

355. *An etiam requiratur simul femineum semen ad affinitatem? Pendet ex doctrina Medica & Philosophica, in quâ non consentiunt Auctores. Sanchez cũ aliis putat satis esse virile.* Basilius. *Negant alij.* Innocent. Lud. Lop. *Alij apud Sanchez. Alij multi apud Dianam. Vtrumque probabile. Probabilior prior sententia Multorũ est sententia apud Sanchez. Syluester quo sensu explicet alios Doctores.*

Sanè in hac re (sicut & in casu prædictæ dubitationis 34. pro consummatione matrimonij) quotiescunque de facto adest tempore coitus, vel conceptus, vel propè, paulò ante, vel paulò post femineum semen, negari non potest, quin concurrat, Quod si semper, & in omni occasione adesset, nullum haberemus huma-

356. *In quo sit difficultas huius rei.*

no,

no, & naturali discursu argumentum; quo probaremus, non requiri femineum, sicut & virile semen. Vnde enim constare posset alterutrum non requiri, si semper adsit vtrumque?

357. *An & quatenus sit admittendum in hac re quantum ad factum, testimonium ipsarum feminarum.*

Si tamen feminis adhibenda fides est, audiui medicum dicentem plures primæ opinioni fauere, dum aiunt nulla prorsus præcedente in ipsis commotione spirituum, nullâ comite voluptate, nulloque seminis confluxu ex parta suâ (quæ sunt signa, vnde id dignosci possit) se aliquando concepisse; atque edidisse fœtum, imò cum actuali molestiâ, & naturali appetitus repugnantiâ (quæ solet repugnare seminis fluxui) argumentum hoc multum fauet primæ sententiæ; quamuis oppositæ sententiæ Auctores id totum negent, eleuentque femineum testimonium, siue eas pudore cogente id diffiteri, siue ignorantiâ, aut inaduertentiâ rem totam occultante, siue quod tantâ facilitate tunc semen confluat, vt sensum eludat. Quod gratis dicitur à prædictis Auctoribus, vt se vtcumque tueantur, & perstent in sententiâ, de quo iterum *dub.* 46.

358. *Constat ex dictis ex solo matrimonio rato non cõtrahi affinitatem.* Perez. *Declaratio Pij V.* Sanchez. *Quo sensu aliqui putent esse quæstionem de nomine in hoc de matrimonio rato. Ratio.*

Ex tradita doctrina colligitur non sufficere matrimonium ratum ad contrahendam affinitatem, nisi consummetur. Quod inter cæteros docet Perez *disp.* 31. *sect.* 5. *nu.* 4. Idque declarauit Pius V. in quodam breui, cuius initiũ est *ad Romanam.* Sed teste Sanchez eadem *disp.* 63. *nu.* 23. non desunt, qui putent hanc quæstionem esse de nomine, scilicet, an in casu matrimonij rati non consummati illud impedimentum sit affinitatis, vel potiùs publicæ honestatis. Nam vtrumque impedimentum dirimit matrimoniũ, & ad quartum vsque gradum protenditur, ac proinde ad rem moralem nihil conferri vtrouis nomine appelletur.

359. *Quæstio est de re, & grauis ad rẽ moralem.* Henriq. Sanchez. *Ratio Henriquezij.*

Nihilominùs rectè docet Henriquez *libr.* 12. *de matrimonio* 10. *num.* 1. quem refert & approbat Sanchez quæstionem esse de re, & quidem valdè conferente ad rem moralem. Nam publicæ honestatis impedimentum restrictum iam est in Tridentino *sess.* 24. *de matrim. c.* 3. ad primum tantùm gradum; secùs autem affinitas ex matrimonio consurgens.

360. *Sanchez nõ approbat rationem. Probat non esse probandam. Ex alio capite quæstio esse potest de re, & vtilis ad rem moralem.* Sanchez.

Hanc tamen rationem non approbat Sanchez, nec putat ex eo capite esse quæstionem de re. Nam publica honestas quæ restricta fuit à Tridentino ad primum gradum, solùm est publica honestas orta ex sponsalibus, de quo tamen dicemus agentes de impedimento, vbi id examinabimus cum eodem Sanchez *disp.* 70. *num.* 5. Sed quidquid sit de hoc, adhuc quæstio de re esse potest ex alio capite deseruiens ad rem moralem, scilicèt propter excommunicationem latam in Clementinâ vnicâ de Consanguinitate, vbi excommunicantur contrahentes cum affinibus. Quam tamen excommunicationem non incurrunt, qui contrahunt cum consanguineis prioris sponsæ de præsenti nondum cognitæ. Quâ de re legi potest Sanch. *lib.* 7. *disp* 48. *n.* 14.

361. *Potest largo modo appellari affinitas sed propriè impedimentum est publicæ honestatis.*

Quamuis autem largo modo dici possit affinitas seu inchoatio affinitatis illa, quæ oritur ex matrimonio rato non consummato, propriè tamen loquendo & in rigore ea non est affinitas, sed impedimentum publicæ honestatis, & præter Sanchez *suprà numer.* 25. docent quàm plurimi, quos ipsemet affert ibidem, quibus adde Bonacinam *q.* 3. *puncto* 12. *n.* 17. Coninc disp. 32. dub. 4. & alios Recentiores. *Sanchez cũ multis.* Bonacina. Coninc. *Recentiores.*

Habemus iam ex dictis solius feminæ semen non sufficere ad contrahendam affinitatem; quia per ipsum non facti sunt vna caro, & vnus sanguis, qui copulantur. Item neque congressum spadonum, nec sodomiticum, & in vniuersum, quidquid non sufficit ad generationem. Atque hoc quasi in Epitome dixerim pro praxi Confessariorum. Legantur de sodomitico, quæ diximus in opere de iustitia, & iure aliisque virtutibus *lib.* 1. *disputat.* 3. *num.* 304. & sequentibus.

362. *A fortiori constat solius feminæ semen non sufficit ad affinitatem. Ratio. Nec congressus spadonum sufficit.*

DVBITATIO XXXV.

An affinitas, quæ oritur ex prædictâ copulâ in lineâ rectâ, oriatur iure naturali?

363. *Constat oriri saltem iure positiuo Ecclesiastico ex quacumque copula perfecta etiam fornicaria.* Sanchez.

QVod oriatur hæc affinitas iure positiuo Ecclesiastico ex quâcunque copulâ perfectâ commixtione carnali adhuc fornicariâ, constat *ex c. non debet* 8. *de consanguinit. & affinit.* & *ex c. Discretionem* 6. *de eo, qui cognouit consanguineam*, & ex aliis pluribus iuribus apud Sanchez *disputat.* 65.

364. *Aduertendum cum eodem discrimen inter rationem vinculi & rationem impedimẽti. Aliud est oriri vinculum, aliud hoc vinculum impedire matrimonium. Status quæstionis.*

Rectè autem aduertit idem Sanchez in principio aliud esse quærere, an affinitas sit vinculum naturale? & aliud an iure naturali dirimat matrimonium? neque enim ex primo sequitur secundum. Nam etiam consanguinitas in secundo & vlterioribus gradibus est quid naturale, & oritur tempore infidelitatis, cùm tamen non dirimat iure naturali matrimonium. Vnde, dum quærimus, an affinitas sit quid naturale, idem est, ac quærere; an stando præcisè iuri naturæ oriatur affinitas aliquâ ex copulâ coniugali, vel fornicariâ, sicut iure naturali est consanguinitas seclusâ omni lege Ecclesiasticâ, eò quòd natura ipsa dictet ex eiusdem sanguinis communicatione oriri quandam coniunctionem, & amicitiam naturalem. Legatur Sanchez *n.* 1. & 2.

365. *Ex copulâ coniugali oritur naturaliter affinitas. Consensus Doctorum in hoc. Sanchez cũ multis.*

Conueniunt Doctores quando copula fuit coniugalis oriri naturaliter affinitatem seclusò iure positiuo; atque adeò non esse hominum inuentum; sed ratione copulæ vnum coniugem naturaliter fieri affinem consanguineis alterius, vtpotè accedens ad eorum sanguinem, & omnes gentes, quantumuis barbaræ sentiunt huiusmodi amicitiam, & coniunctionem cum consanguineis sui coniugis, vt rectè & latè probat Sanchez cum multis *supra n.* 4.

366. *Ex affinitate ante Baptismum resultat impedimentũ post Baptismũ. Sanchez cõtra Henriq.*

Vnde colligit *num.* 5. contra Henriquez infidelem qui cum vxore consummauit matrimonium tempore infidelitatis non posse post Baptismum validè inire matrimonium cum consanguineâ illius vsque ad quartum gradum *iuxta c. finale de Diuortiis.* Legatur Sanchez ibidem.

367. *In quo iam sit difficultas, nempe in copulâ fornicaria.*

Iam verò difficultas est, an prædicta affinitas oriatur iure naturę ex copulâ fornicariâ? In quo Auctores non consentiunt.

Prima

368. *Prima sententia negans.* Sanchez. Nauarr. Victoria. Ledesma. Henriq. Bonacina. Rebellus. *Alij. Variis rationibus probat Sanchez. Præcipua petita ex legibus.*

Prima sententia negat. Ita Sanchez *supra n.* 9. referens Nauarrum, Victoriam, Ledesmam, Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio c.* 1. *n.* 2. Quibus adde Bonacinam *q.* 3. *puncto* 12. *num.* 7. quamuis videatur loqui de impedimento ipso iure naturæ, non verò de ipsâ affinitate, quam nunc inquirimus, & longè diuersum est iuxta dicta esse affinitatem, & esse impedimentum propter talem affinitatem. Idem docet Rebell. *q.* 15. *num.* 9. & alij apud Bonacinam. Probat Sanchez variis rationibus, sed præcipuè quia ex illicito coitu iure antiquo non oriebatur affinitas, vt constat ex L. *Non facilè* §. *sciendum est* & §. *affines* ff. *de gradibus & affinibus.* vbi habetur affines dictos esse ab eo quod duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, *per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit*, & posteà *sciendum est neque cognationem, neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas coniungitur.* Accedit, quòd neque nomina sunt, quibus tales affines nominentur, sicut habemus nomina, quibus nominemus affines ex nuptiis. Præterea affinitas oritur ex copula, quæ nata est causare amicitiam, qualis non est copula fornicaria; imò potiùs causat inimicitias, nec filius v.g. inclinatur naturaliter ad exhibendam reuerentiam pellici, seu concubinæ sui Patris.

Vlterius probat.

Tertio probat.

369. *Alij affirmatiuam sententiam tenent.* Coninc. Rebellus. Hurtado. Perez. Ioan. Andr. Antō. Cuc. Cardinal. Veracruz. *Ratio.* 1. ad Cor. 6.

Alij verò his non obstantibus affirmant talem affinitatem oriri. Ita docet Coninc *disp.* 32. *num.* 49. Rebell. *lib.* 3. *q. illâ* 15. *concluſ.* 2. Hurtado *disp.* 20. *difficul.* 2. *num.* 7. Perez *disp.* 31. *sect.* 2. *nu.* 4. & alij; solùm enim negant impedimentum esse iure naturæ, non verò affinitatem. Item Ioann. Andr. Antonius Cucus, Cardinalis, Veracruz apud Sanchez *supra numer.* 8. Quorum fundamentum est, quia etiam vir, & femina per copulam fornicariam fiunt vna caro, & vnus sanguis, perinde atque per coniugalē, vt ex se patet. Ideò *Apostolus* 1. *Ad Corinth.* 6. ait: *qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, erunt* (inquit) *duo in carne vna*: ergo quicunque ex illis necessariò & naturaliter manet affinis consanguineis alterius, tanquàm accedens ad eorum sanguinem.

370. *Vtraque sententia probabilis in quo maximè differant aut non differant.*

Vtraque sententia probabilis est, & ni fallor (seclusâ ratione impedimenti, de quâ nunc nō agimus) non multum inter se discrepant; neque enim prior sententia negat prædictos factos fuisse vnam carnem, & sanguinem eo modo quo id fieri potest per copulam, atque adeò inde resultare illud coniunctionis genus cū cognatis alterius, quòd, si scilicèt, factus fuerit vna caro, & sanguis cum eorum cognatâ personâ, atque adeò eo modo attigerit cognationem illorum, & ad illam eo modo appropinquauerit. Atque hoc est, quod præcipuè intendunt Auctores posterioris sententiæ, dum docent iure naturæ sequi affinitatem, etiam ex copulâ fornicariâ. Neque hæc sententiâ videtur posse negare non resultare ex copulâ fornicariâ talem coniunctionem affinitatis, qualem in cōmuni rectè omnium iudicantium æstimatione agnoscimus inter cognatos vnius coniugis cū altero coniuge, vt inter socerum cum nuru &c. Hæc enim affinitas supponit causam coniunctionis multò maiorem; nempe non solam copulam, sed mutuam obligationem, & mutuum vinculum ad indiuiduam vitæ consuetudinem, honorum, dignitatum communicationem, & ex hoc capite longo interuallo superat aliam propinquitatem, quæ ex copula præcisè resultat maximè illicitâ & fornicariâ. Quare non negant Auctores posterioris sententiæ solùm reperiri meram affinitatem absque prædictis aliis. Atque in hoc sensu videntur iura antiqua citata requirere nuptias ad contrahendam affinitatem scilicèt ad eam, quæ in Republicâ habeat nomina, quæ in illo §. *ad fines* immediatè post recensentur, scilicet *socer, socrus, gener, nurus, priuignus, priuigna, leuir, glos, nouerca, vitricus.* Qui in communi omnium æstimatione talem coniunctionem habent, vt inde amor resultet, aut reuerentia debita, & assimilis ei, quæ debetur coniugi consanguineo propter vnionem, quam habet affinis cum tali coniuge. Vnde priuignus nouercæ, vel vitrico amorem debet, & reuerentiam assimilem ei, quā debet patri, vel, matri, cui vitricus, aut nouerca copulatur.

371. *Præfertur secunda sententia.*

Itaque omnibus pensatis magis placet secunda sententia, si præcisè spectemus essentiam, id est solam coniunctionem, quæ resultat necessariò ex copulâ, quâ personâ altera ad alterius cognationis finem accedit (vt lex citata loquitur,) siue inde resultet amicitia, siue non; & sanè ideò plerumque solet non resultare ex affinitate per copulam fornicariam, quia plerumque probro ducitur id ita factum esse. Et saltem inter ipsos copulatos copula (etiam fornicaria) ex se nata est causare amicitiam, atque adeò inter consanguineos huius vnius partis, & alteram partem, quamuis propter pudorem, aut dedecus, seu opprobrium, aliasve causas sæpe inimicitiæ resultent.

372. *Affinitas, saltem in secundo gradu, & vltrà linea transuersa non dirimit iure naturæ neque impedit. Ratio à fortiori consanguinitatis.*

DVBITATIO XXXVI.

An affinitas in lineâ transuersâ iure naturali dirimat matrimonium?

De primo gradu quæstio est.

QVod affinitas in 2. & vlterioribus gradibus transuersæ lineæ matrimonium non dirimat iure naturæ, imò neque impediat, omnino videtur concedendum; cùm neque id faciat cōsanguinitas quæ strictior propinquitas est (vt iā in præcedentibus probauimus.) Solùm ergo quærimus de affinitate in primo gradu lineæ transuersæ cum vxore fratris?

373. *Affirmans sententia. Aliqui non solum Catholici, sed etiam Hæretici.*

Affirmant aliqui Catholici, & Hæretici. Catholici quidem simplici affectu, quia ita verum putabant. Ita videtur sentire Paludanus *in* 4. *distinction.* 4. *q.* 1. *art.* 2. Antoninus 3. *par. titul.* 1. *c.* 11. & 14. Hæretici verò id asseruerunt, vt defenderent nefarium factum Henrici VIII. Angliæ Regis qui Catharinam filiam Ferdinandi, & Elisabethæ vxorem fratris sui Arturi, quam priùs à se præmissâ dispensatione Pontificis Iulij secundi ductam posteà repudiauit, eâque viuente duxit Annam Bolenam. Probari verò potest hæc sentētia ex Matt. 14. & Marci 6. vbi Ioan. Baptista reprehendit Herodē, eo quòd duxisset

Paludan. S. Anton. *Hæretici iniquo animo id docuerunt, ſtarent pro facto Regis Angliæ. Probari potest ex Matth.* 14. *& Marci* 6.

duxisset sui fratris Philippi vxorem, & tamen Herodes gentilis erat, nec tenebatur lege Diuinâ. Leuit. 18. vbi id prohibebatur illis verbis: *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis.* Tenebatur ergo tantùm iure naturali. Ratione verò probatur, quia matrimonium inter fratrem & sororem est iure naturali nullum, sed vxor fratris reputatur soror, quia per actum coniugalem effecta est vna caro, & sanguis cum fratre: ergo etiam iure naturali erit hoc nullum.

Ratione probatur à simili cõsanguinitatis.

374. *Aliorum negans sententia. Sanchez cũ multis. D. Thom. Caietan. Alij plures*

Negant alij. Ita Thomas Sanchez *libr.* 7. *disputation.* 66. *numer.* 11. cum multis quos refert tum *numer.* 7. tum eodem *numer.* 11. inter quos D. Thomas 2.2. *q.* 154. *articul.* 9. *ad* 3. & Caietanus *ibidem, & in opusculo* 3. *Tractat.* 13. *de coniugio* cum relictâ fratris ad Regem Angliæ, & *Tractat.* 14. de eodem coniugio ad Clementem VII. & alij plures, qui varios Tractatus ediderunt in fauorem matrimonij Regis Angliæ Henrici VIII. qui ob id contendebat matrimonium esse irritum cum Catharina Regum Catholicorum filia. Item Valentia *tomo* 5. *disput.* 10. *q.* 5. *puncto* 3. & alij multi quibus adde Basilium *Libr.* 7. *cap.* 34. Coninc *disputation.* 32. *numer.* 53. Bonacina *supra numer.* 9. Layman *libr.* 5. *Tractat.* 10. *par.* 4. *cap.* 6. *numer.* 7. & 8. Perez *disputation.* 31. *section.* 4. *numer.* 2. Diana 8. *parte Tractat.* 1. *resolut.* 68. cum Francisco Ramos quem refert testantem Pontifices in eo impedimento dispensasse. Hanc opinionem puto necessariò esse tenendam. Nam summi Pontifices in eo primo gradu sæpissimè dispensarunt, præcipuè Innocentius III. cum Libonensibus *c. finali de Diuortiis.* Alexander VI. cum Emanuele Rege Lusitaniæ & Iulius II. cum Henriquo VIII. Rege Angliæ, quam dispensationem approbauit Clemens VII. Legatur Diana loco citato, vbi ex dicto Franscisco Ramos plures satis nobiles & recentes casus affert, in quibus præter Iulium Secundum Clemens VII. & Clemens VIII. Gregor. XIII. Paulus V. Vrbanus VIII. dispensarunt. Non possunt autem Pontifices in iure naturali dispensare. Accedit; quòd Iacob sanctissimus Patriarcha. *Genes.* 29. ante prohibitionem diuinam factam *Leuitici* 28. duxit duas sorores Liam, & Rachelem, & tempore Iudæ filij eiusdem iam supponebatur, quod frater accepturus esset vxorem fratris demortui, vt cõstat ex *Genes.* 38. vbi Iudas mandauit filio secundo *Onan* accipere vxorem fratris sui *Her.* & Deuteron. 25. frater iubebatur ducere vxorem fratris mortui absque liberis.

Valentia. Posteriores multi. Basilius. Coninc. Bonacina. Layman. Perez. Diana. Ramos. Necessario videtur hac sententia tenenda ob frequentem dispensationem emanantem à Sede Apostolicâ. Innoc III. Alex. VI. Iulius II. Clem. VII. Plures casus apud Dianã & Ramos. Cle. VIII. Greg. XIII. Paulus V. Vrb. VIII. Genesi 29. factum Iacob. Paulo post tempore Iudæ. Gen. 58. Deut. 25.

375. *Probatur etiam à simili consanguinitatis.*

Probatur præterea argumento à simili, imò à fortiori quia, (vt vidimus *dub.* 23. consanguinitas in lineâ transuersali non dirimit iure naturæ matrimonium: ergo multò minùs affinitas, quæ minùs strictè obligat, imò non obligat, nisi propterea quòd factus est quis vna caro cum coniuge, aut eâ personâ, cum qua habuit copulam, ex quo oritur proprinquitas cum cõsanguineis eiusdem. Præterea nulla inter affines lineæ transuersæ reperitur superioritas, aut quasi superioritas ex naturâ rei, ac proinde ea affinitas non dirimit ex naturâ rei matrimonium, imò neque impedit; nam, si dirimeret, vel impediret, ex eo tantùm proueniret, quod carnalis commixtio fieri non posset absque irreuerentiâ, atque adeò non haberet homo ius ad transferendum dominium corporis in ordine ad talem copulam iuxta dicta in simili de Cõsanguinitate.

Firmatur.

376. *Ex dictis patet ad fũdamentum oppositæ sententiæ. Interpretatio textus ex dictis suprà.*

Atque ex dictis patet ad fundamentum aduersariorum. Qui afferre solent Textum *in cap. Gaudemus de Diuortiis* sed textus ille extra rem est, & eius interpretationem dedimus supra agentes de consanguinitate *dub.* 23. *numer.* 223. legantur ibi dicta.

377. *Cur Ioannes Baptista reprehenderit Herodem?*

Ad illud Ioannis Baptistæ respondetur ideo reprehendisse Herodem, quia vel duxit vxorem fratris sui adhuc viuentis vt testatur Iosephus 12. *Antiquitatum c.* 9. Nicephorus & alij Historici, vel, si defunctus iam erat, (vt credit Chrysostomus *Homil.* 44. *in Matth.*) non tamen erat defunctus absque liberis; habebat enim saltẽ puellam illam saltatricem, & in tali casu prohibitũ erat *Leuitici* 18. Qua lege tenebatur Herodes; quamuis enim esset professione gentilis, erat Iudæus natione vtpote Iudæi filius.

378. *Falsum assumunt in argumento petito ex matrimonio cum sorore. Nec est par ratio.*

Quod autem dicitur de matrimonio nullo ex iure naturæ inter fratrem & sororem, & falsum est, & quamuis esset verum, non est eadem ratio, neque enim est tanta propinquitas inter affines, atque inter consanguineos, vt nuper dicebamus.

DVBITATIO XXXVII.

An affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat matrimonium iure naturæ?

379. *Prima sententia affirmans & eius probatio ex dictis de consanguinitate. Multi apud Sanchez.*

PRima sententia docet affinitatem consurgentem ex matrimonio prohibere in rectâ lineâ matrimonium in quocunque gradu in infinitum. Probatque eisdem argumentis, quibus de consanguineis in rectâ lineâ probatum est *supra dub.* 22. quia eadem reuerentia debetur à filiis, & consanguineis. Ita multi, quos refert Sãchez *lib.* 7. *disp.* 66. *n.* 5.

380. *Secunda sententia in primo gradu affirmat; in cæteris negat. Multorum est hæc sententia. D Thom. Sylueſter. Couarrnu. Palud. Sotus. Bellarm. Valentia. Vasquez. Alij multi apud Sanchez. Coninc. Videntur plerique loqui de affinitate ex copulâ matrimoniali. Ledesma. Rebellus. Alij.*

Secunda sententia docet solùm in primo gradu affinitatis lineæ rectæ esse prohibitum, ac irritum, nempe inter priuignum, & nouercã, vel priuignam, & vitricum, Socerum, & nurum, Socrum & generum. Hæc sententia est multorum & grauissimorum. Inter quos D. Thomas *in illud* 1. *ad Corinth.* 5. *omnino auditur inter vos* &c. Sylueſt. *matrimonium* 8. *q.* 5. *dicto* 6. Couarruu. 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 6. §. 1. Paludanus *in* 4. *dist.* 41. *q.* 1. *ar.* 5. Sotus *ibidem art.* 3. Bellarmin. *lib.* 1. *de matrimon. sub initium* Valentia 4. *tomo disp.* 10. *q.* 5. *puncto* 3. Vasquez tum 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *disp.* 112. *n.* 7. *tum* 3 *p.* agens do pœnit. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 12. & alij innumeri apud Sanchez *supra n.* 6. quibus adde Coninc *disp.* 32. *n.* 53. Hi tamen Auctores solùm loqui videntur (saltem plerique) de affinitate, quæ oritur ex copula matrimoniali; nam si copula sit illicita, plerique non admittunt dirimere iure naturali; putant enim copulam fornicariã solo iure positiuo inducere affinitatem, vt putarunt multi, de quo iam diximus *dub.* 35. quamuis in hoc matrimonio agnoscant aliquam indecentiam, & turpitudinem; atque ita inter alios docet Ledesma *q.* 55. *art.* 6. *concl.* 3. Rebellus *lib.* 3. *q.* 15. *n.* 9. & alij.

Huic sententiæ videtur fauere Augustinus 381.

S. August. videtur prædicta sententia fauere.

libr. 22. *contra Faustum cap.* 63. *relatus in c. si vir & vxor.* 25. *q.* 3. vbi ait: *si vir, & vxor non duo, sed vna caro sunt nonaliter nurus est reputanda, quàm filia.* Hæc sententia satis probabilis est, vtpotè multorum Doctorum consensu & auctoritate fulcita. Et omissis aliis rationibus probari potest primò ex Apostolo 1. *ad Corint.* 5. ibi: *Auditur inter vos fornicatio, & talis, qualis neque inter gentes, ita, vt vxorem patris sui quis habeat.*

Sententia est satis probabilis.

1. ad Cor. 5.

382. *Inde sumitur ratio.*

Ex quo sumi posset ratio, quia copula carnalis, ad quam suâ naturâ ordinatur matrimonium, nequit ex naturâ rei haberi absque irreuerentiâ inter affines, saltem in primo gradu; ergo nequit matrimonium inter eos validè fieri; quia iuxta dicta in simili *suprà dub.* 21. de consanguinitate in primo gradu non videtur credibile concessam esse hominibus potestatem conferendi ius iustitiæ (quale confertur in matrimonio) ad id, quod ex obiecto suo est intrinsecè malum: ergo tale matrimonium non potest validè fieri. Antecedens illud primum probatur; quia vxor patris v. g. ex coniunctione carnali cum patre fit cum eo vna caro: ergo in accessu filij ad vxorem patris, quæ iam censetur caro patris, non potest non reperiri irreuerentia ex naturâ rei, eamque videtur significasse Paulus verbis citatis.

383. *Tertia sententia omnino negans etiam in primo iure naturæ dirimere.* D. Thom. Alensis. Caietanus. Abulensis. *Alij multi quos refert & sequitur.* Sanchez. *Item* Basilius. Bonacina. Gutierr. *Alij. Item Diana cum multis.* Perez.

Tertia sententia negat affinitatem in aliquo gradu, etiam primo lineæ rectæ dirimere matrimonium iure naturæ. Ita docent D. Thomas 2. 2. *q.* 154. *articul.* 9. *in solutione ad* 3. vbi inter solos parentes, & filios videtur consentire esse prohibitum iure naturæ matrimonium. Ita Alexand. Alens. 2. *par. q.* 169. *membro.* 2. & 3. *par. q.* 27. *membro.* 4. *articul.* 3. *paragrapho* 2. & *q.* 35. *membro.* 6. Caietanus 2. 2. *q.* 154. *articul.* 9. Abulensis 1. Regum 8. *q.* 176. & 149. & 151. & 152. alijque multi apud Sanchez *suprà numer.* 7. quos ipse sequitur, quibus adde Basilium *libr.* 7. *cap.* 34. Bonacinam *q.* 3. *puncto* 12. referentem Gutierrez, & alios. Adde Dianam 4. *par. Tractat.* 4. *resolut.* 93. cum multis. Adde Perez *disputation.* 31 *section.* 9. & 5. Legatur Diana *resolut. illâ* 93. & 8. *parte tractat. illo* 1. *Resolut.* 67. vbi iterum copiosè probat posse Pontificem dispensare, vt ineatur matrimonium inter nouercam & priuignum; atque adeò non esse impedimentum dirimens matrimonium iure naturæ. Ratio verò est; quia inter prædictos affines non inuenitur superioritas, contra cuius reuerentiam sit vsus matrimonij; nam ea superioritas, præcipuè reperitur in eo, qui est principium naturale alterius; non verò in eo, qui est affinis, etiamsi factus fuerit vna caro cum tali principio naturali, quatenùs ambo fiunt principium vnius carnis. Quapropter licet in accessu filij ad vxorem patris iam defuncti sit ex naturâ rei aliqua indecentia; non tamen irreuerentia, aut impietas, qualis omnino reperitur in accessu ad vxorem patris viuentis; quæ tunc irreuerentia non tam ipsi nouercæ, quàm patri fit; maximè cùm simul concurrat iniuria adulterij, & de hac loquitur Paulus loco citato pro secundâ sententiâ.

384. Et quidem supposito quod in primo gradu etiam per copulam illicitam contrahatur affinitas ex naturâ rei iuxta dicta *dub.* 35. non leue argumentum est, quòd non sit impedimentum naturæ, sed tantùm iuris positiui dispensasse non rarò in eo pro foro conscientiæ Pontifices, sicut Pius V. doctr inâ pariter & sanctitate proximè præcedenti sæculo conspicuus concessit Henrico Cardinali dispensandi facultatem in affinitate cui uscunque gradus ex copulâ fornicariâ. Nam affinitas est eiusdem rationis cum eâ, quæ contrahitur per copulam coniugalem, quia (vt loco notato diximus) etiam per copulam fornicariam præd icti fiunt vna caro.

Argumentum ex dispensatione data pro foro conscientiæ ex copula illicita. Pius V.

385. *Probabilius videtur neque esse illicitum ex naturâ rei secluso iure positiuo, tale matrimonium: Ratio. Ex dictis infertur non esse separandos qui sic contraxerunt in infidelitate iuxta nostram sententiam. Ratio.* Veracruz. Henriq. Bonacina. Perez. *Limitatio.*

Imò ex traditâ doctrinâ mihi probabilius apparet non esse illicitum ex naturâ rei secluso iure positiuo tale matrimonium, quia nulla in vsu ipsius reperitur irreuerentia, quamuis aliqualis indecentia appareat.

Ex nostra sententia colligitur cum Sanchez *suprà numer.* 8. non esse separandos eos, qui ante Baptismum contraxerunt matrimonium, quantumuis fuissent in primo affinitatis gradu coniuncti. Ratio est, quia tale matrimonium in nostrâ sententia non est iure naturæ irritum, sed iure Ecclesiastico, cui prædicti non subsunt. Ita docent etiam Veracruz 2. *par. speculi articul.* 25. Henriquez *libr.* 12. *de matrimon. cap.* 9. *numer.* 5. Bonacina *suprà numer.* 10. Perez *disputation.* 31. *section.* 5. *citata.* Excipe tamen casum, quo prædicti non baptizati haberent Legem sui Principis temporalis irritantem prædicta matrimonia, ad quæ irriranda potestatem habent iuxta dicta *dubitation.* 1. *maximè assertion.* 3.

386. *Iuxta aliâ sententiam separandi sunt.*

Iuxta secundam verò sententiam, quam diximus probabilem, prædicti postquam baptizati fuerint separandi sunt; quia secundùm eam sententiam matrimonium inter prædictos est iure naturæ nullum, ac proinde, quando primò contractum fuit, non valuit, sed prior sententia in tali casu tenenda est. Post hæc omnia scripta, imò post totum hunc Tractatum, prodijt in lucem aureus tomus Responsionum moralium eminentissimi Cardinalis Lugonis, vbi *libr.* 1. *dub.* 40. ponit casum frequenter à multis tractatum de potestate Papæ ad dispensandum, vt quis contrahat cum suâ nuru, & post multa doctè, copiosè, & eruditè dicta, ait in casu occurrenti, vt Pontifex abstineat ab eâ dispensatione sed non definit, an iure naturæ sit hoc impedimentum imò concludit numer. 36. *non definio absolutè quod summus Pontifex non possit validè dispensare, puto tamen si ea potestas sit, non nisi in extremo periculo & extraordinaria necessitate posse exerceri licitè* &c. Itaque non affirmat aut negat impedimentum esse iure naturæ.

DVBIT.

DVBITATIO XXXVIII.

An affinitas dirimat matrimonium iure aliquo positiuo? Et ad quotum gradum?

387. *Non dirimit iure positiuo diuino. Leuitici 18.*

STatuendum imprimis est tanquàm receptum à Doctoribus affinitatem non dirimere matrimonium iure positiuo diuino, quod non reperitur in nouo Testamento. Quamuis autem in veteri Leuitici 18. affinitas in aliquot gradibus dirimeret, tota iam lex vetus, quatenùs purè diuina positiua erat, cessauit morte Christi. Itaque solùm dirimit iure positiuo Ecclesiastico.

388. *Triplex genus affinitatis olim dirimebat matrimonium subsequens.*

Illud verò est in præsenti negotio obseruandum cum Sanchez *libr. 7. disputation. 67. numer. 1.* olim fuisse triplex genus affinitatis dirimens matrimonium subsequens, scilicet primum inter personam copulâ cognitam, & eius consanguineos, & è contra inter eam personam cognitam, & consanguineos cognoscentis; secundum inter verum affinem, & maritum, seu vxorem sui affinis; tertium cum mariro vel vxore illius coniuncti secundo affinitatis genere. Quæ omnia habentur in toto titulo *de eo, qui cognouit consanguineam vxoris, & in Canone porrò & Canone de propinquis 35. q. 3.* Hæc tamen omnia iam cessarunt, & in posteriore iure maximè *cap. Non debet. 8. de consanguinit.* affinitas tantùm reperitur inter cognitam personam ex vnâ parte, & consanguineos cognoscentis ex aliâ, vel è contra inter personam cognoscentem, & consanguineos personæ cognitæ, non verò inter consanguineos vnius, & consanguineos alterius.

Cessarunt illa antiqua.

389. *Olim ad septimum sed iã ad quartum vsque & non vltra se extendit affinitas.*

Quamuis autem iure antiquiori hæc affinitas extenderetur ad septimum vsque gradum vtriusque lineæ, dirimeretque matrimonium cum consanguineis alterius carnaliter commixti vsque ad septimum gradum perinde atque cum propriis consanguineis, vt constat ex Canone *nullum* & Canone *æqualiter 23. q. 3.* Iure tamen posteriori citato *cap. Non debet* iam non se extendit vltra quartum gradum.

390. *Olim tantũ ex copula licita, iam etiam ex illicita oritur affinitas, quæ dirimat.*

Præterea quamuis in iure illo antiquiore, quo affinitas extendebatur vsque ad septimum gradum, & illo minùs antiquo, quo restricta fuit ad quartum, tantum sit sermo de affinitate ortâ ex copulâ coniugali, quia tamen iure aliquo posteriore in *c. Discretionem 6. de eo, qui cognouit consanguineam*, ex copulâ fornicariâ oritur affinitas dirimens matrimonium, perinde, atque ex coniugali, iam communi Doctorum consensu, & consuetudine sic explicante receptum fuit, vt ex copula fornicaria in eisdem gradibus dirimeret, in quibus dirimit orta ex coniugali. Atque ita Tridentinum supponit receptum fuisse ad sua vsque tempora. Nihilominùs ipsummet Trident. *sess. 24. c. 4. de Reformat. matrim.* affinitatem ex fornicatione ortam restrinxit vsque ad secundum gradum, vt iam in vlteriori non tantùm non dirimat; sed neque impediet vt Pius V. motu proprio Constitutione, quæ incipit *ad Romanam* declarauit, quãuis aliqui ante ipsius declarationem putauerint in tertio, & quarto gradu affinitatem ortam ex fornicatione non quidem iam dirimere post Tridentinum; sed adhuc impedire, ne licitè fiat. Legatur Sanchez *n. 4.* Qui rectè colligit sponsalia etiam valere quantumuis præcesserit copula, quæ, si esset matrimonialis, impediret, causans affinitatem in tertio, aut quarto gradu.

Restrinxit Tridentinũ ortam ex illicitâ solum ad primum, & secundũ gradum.

Pius V. circa hoc declaratio.

Sanchez.

Nomine autem fornicationis intelligit Tridentinum vt Doctores conueniunt, quamcunque copulam illicitam, non matrimonialem, siue sit simplicis fornicationis, siue adulterij, sacrilegij, incestus &c. quia Tridentinum tãtùm distinxit affinitatem ortam ex fornicatione, ab eâ, quæ oritur ex vsu matrimonij; & hanc tantùm vult habere vim dirimendi vsque ad quartum gradum. Legatur Sanchez *supra n. 5. & 6.*

391. *Nomine fornicationis in hac re intelligitur quæuis copula illicita non matrimonialis.* Sanchez.

Inde autem ex tradita doctrina infert Sanchez contra aliquos alios fornicationem cum affine affinitate orta ex fornicatione *in 3. & 4.* gradu non esse incestum; quia fornicatio cum affini in eis gradibus non habet specialem malitiam irreuerentiæ, seu incestus iure naturali iuxta dicta, etiam nec iure Ecclesiastico; quia ius Ecclesiasticum prohibens quoad illos gradus iam cessauit cessante prohibitione matrimonij, quod tantùm prohibebatur ob indecentiam copulæ inter prædictos. Ita præter Sanchez docent Sà verbo *Luxuria n. 2.* Rodriguez *in summa c. 209.* & alij apud eundem Sanchez, qui legendus est *n. 8.*

392. *An sit iam incestus ea fornicatio? negat Sanchez contra aliquos.* Sà. Rodrig. *Alij apud Sanchez.*

De effectibus verò; quos parit affinitas superueniens matrimonio iam contracto, maximè in ordine ad petitionem, & redditionem debiti, dicemus *disp. 9. dub. 9. quæsito 3.* agentes de debito coniugali. Quoad sponsalia verò indubitatum est affinitatem superueniẽtem illa dissoluere; quod intelligendum est iuxta doctrinã datam *disp. 1. dub. 38.*

393. *De effectibus affinitatis superueniẽtis matrimonio alibi agendum. Affinitas superueniẽs dissoluit sponsalia.*

Colligitur etiam pro praxi non esse incestuosam copulam, quando duo affines, vel consanguinei etiam obtinuerunt dispensationem Pontificiam ad ineundum matrimoniũ, & post illam obtentam, & expeditam cum omnibus requisitis, se carnaliter cognoscunt, quia iam cessauit tale impedimentum, & prohibitio Ecclesiastica comparatione illorum.

394. *Non est copula incestuosa, quæ post legitimè & plenè obtentam dispensationem sequitur, iã expedita dispensatione.*

Dixi *omnino expeditam cum omnibus requisitis*, quia si (vt plerumque fit) dispensatio committatur Ordinario, vt, si preces veritate nitantur, dispenset; & Ordinarius nondum dispensauerit; copula erit incestuosa, quia nondum facta est (nedum expedita) dispensatio; Pontifex enim tunc non dispensauit, sed commisit facultatem, aut, (si velis) dedit etiam mandatum dispensandi Ordinario, si preces veritate nitantur; Ita Sanchez *supra numer. 9.* qui rectè reijcit aliquos in contrarium sentientes. ibi Legatur.

395. *Secus est si quamuis obtenta sit non sit plenè expedita dispensatio. Sanchez cõtra quosdã.*

DVBITATIO XXXIX.

An ex sponsalibus oriatur iustitia, seu impedimentum publicæ honestatis? Et quid hæc publica honestas sit?

396. *Quid intelligatur nomine publicæ honestatis?*

INcipiendo ab hoc vltimo, nomine publicæ honestatis, seu iustitiæ publicæ honestatis significatur propinquitas quædam, quæ iure Ecclesiastico introducta est orta ex sponsalibus inter sponsum ex vnâ parte, & consanguineos sponsæ ex altera, vel è contra; Item quæ eodem iure orta est ex matrimonio rato inter maritũ, & consanguineos vxoris, & è contra. Appellatur autem *iustitia publicæ honestatis*, eo quòd iustum & æquum sit propter publicam decentiam seu honestatem non contrahi matrimonium inter tales personas.

397. *Certum 1. in hac re esse inter quosdam tale impedimentum, non tamen naturali sed positiuo Ecclesiastico iure. Constat ex iure Canonico.*

In quâ re certum primò sit oriri prædictum impedimentum ex sponsalibus, eamque iustitiam dirimere matrimonium inter sponsum, & consanguineam sponsæ, vel inter sponsam, & consanguineam sponsi, idque impedimentum non oriri ex iure naturali, vt ex se patet, sed ex iure Ecclesiastico, idque constat ex Canone *si quis* 27. *q.* 2. & ex *c. Litteras de desponsi. impuber.* & ex *c. iuuenis* & ex *c. Ad audientiam* 4. & ex *c. sponsam* 8. *de sponsalibus* & ex *c. vnico de sponsalibus in* 6. & in Tridentino *sessione* 24. *cap.* 3.

398. *Quid circa hoc ante Tridentinũ. Quid post Tridentinũ?*

Hoc sanè impedimentum ante Tridentinum oriebatur ex sponsalibus absolutis, siue à principio, siue post impletam conditionem, etiamsi essent inualida, post Tridentinum verò tantùm oritur ex sponsalibus validis (quamuis neque olim oriebatur, si fuissent inualida ex defectu consensus) præterea iure antiquo non oriebatur impedimentum ex sponsalibus incertis, sed ex certis; id est cum certâ personâ initis, de quibus egimus *disputation.* 1. *dubitation.* 18. vt habetur *in citato c. vnico.* Prætereà eodem iure antiquo dirimebat hoc impedimentum vsque ad quartum gradum consanguinitatis, non, quia in iuribus quibus fuit introductum, assignetur talis gradus; sed, quia in illis dicitur dirimere inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & è contra; consanguinitas autem eo iure extendebatur vsque ad quartum gradũ, vt constat *ex c. non debet.* 8. *de consanguinitate.*

Extensio ante Tridentinum.

399. *Restrictio post Tridentinum.*

Iam tamen iure Tridentini citato hoc impedimentum non extenditur vltra primum gradum, neque oritur ex sponsalibus nullis ex quocumque capite exterius probabili.

400. *In quo iam sit difficultas.*

Iam verò difficultas est, an sponsalia nulla defectu consensus, & tantùm oretenùs celebrata valeant inducere hoc impedimẽtum? siue quia sponsalia tunc valida sunt, vel ratione sui, vel saltem ratione consensus debiti ex eo, scilicèt, quod tunc debeat exhibere consensus (quâ de re latè diximus *disp.* 1. *dub.* 4.) siue, quia quamuis sint in se nulla, apparent exterius valida, eritque tunc publicum scandalum, seu publica indecentia in contrahendo matrimonio, ob quæ vitanda introductum fuit prædictum impedimentum.

Atque in hoc sensu, & propter aliquod ex his capitibus impedimentum agnoscunt Sanchez *disputation.* 68. *numer.* 12. vbi plures alios refert.

401. *Sanchez & alij sub dicto sensu agnoscunt impedimentũ.*

Rebellus vero *libr.* 3. *q.* 14. Petrus de Ledesma *q.* 55. *articul.* 4. Veracruz *in appendice.* Bonacina *q.* 3. *puncto* 11. *numer.* 3. putant non oriri tale impedimentum; quia nimirum prædicta sponsalia, quamuis sint valida ad obligandum ex fidelitate, non obligant ex iustitia, quia non sufficiunt ad conferendum ius iustitiæ sponsis, ratione cuius vnus pertineat ad alterum, quasi proprius, ex quo solo iure resultat, quòd sit indecens consanguineos vnius contrahere cum altero, & è contra; ob quam solam causam Ecclesia introduxit dictum impedimentum. Quamuis autem tunc exterius appareat esse indecentiam, re tamen verâ non adest. Quare, licèt tunc possit esse scandalum in contrahendo, quamdiu de defectu consensus non constat; atque adeò illicitum sit contrahere quamdiu durat scandalum, tamen, si de facto fiat, validè fiet.

402. *Negant alij tale impedimentum.* Rebellus. Ledesma. Veracruz. Bonacina. *Ratio.*

Vtraque sanè sententia probabilissima est, & vtraque nititur probabilitate doctrinæ, de qua latè diximus *disputation.* 1. *tum dubitation.* 4. *tum dub.* 7. maximè *asserr.* 5. *& deinceps*, vbi probabile diximus fundamentum vtriusque opinionis, scilicèt, quòd valeat promissio sponsalitia in tali casu eo ipso, quòd exterius liberè, & seriò absque ioco proferatur, obligetque tam ex iustitiâ, quàm ex fidelitate; & quòd sponsalia validè celebrentur per consensum debitum. Quam doctrinam plerumque supponunt Auctores primæ sententiæ, qui dicunt ex talibus sponsalibus fictis resultare impedimentum publicæ honestatis. Item probabile esse prædicta sponsalia non obligare ex iustitiâ; sed tantùm ex fidelitate, aut nec etiam ex hac. Quam doctrinam videntur supponere Auctores secundæ sententiæ, dum dicunt ex talibus sponsalibus, vtpotè non obligantibus, saltem ex iustitia non resultare impedimentum publicæ honestatis. Sed, quia tandem *dubitat. illâ numer.* 89. & deinceps probabiliorem existimauimus sententiam, quæ docet prædicta sponsalia valere, ideò absolutè probabilius existimo prædictam iustitiam publicæ honestatis resultare; sed tunc non possumus dicere, quòd resultet ex contractu sponsalitio nullo, & inualido, ex defectu consensus; est enim validum, vt supponimus. Quod si quis sentiat esse inualidum re ipsâ, quamuis in foro externo censeatur validus: tunc omnino mihi videtur vera secunda sententia, dum dicit tale impedimentum non resultare verè & re ipsâ, sed tantùm quoad forum externum. Vnde, si quis tunc de facto contrahat cum consanguineâ talis sponsi, valebit matrimonium, etiamsi priùs inualidè contraxerit sponsalia cum eo sponso, vel sponsâ putatiuo, & non vero; quia re verâ non resultauit impedimentum publicæ honestatis, sicut non resultat, quoties ob quodcunque aliud impedimentum occultum (puta affinitatis ortæ ex fornicatione cum consanguineo sponsi) sponsalia in foro externo probantur valida, & in interno re ipsa

403. *Probabilissima vtraque sententia est. Declaratur ex alibi dictis vtriusque sententiæ probabilitas.*

re ipsa inualida sunt; tunc enim peccabit quis contrahens matrimonium cum consanguineis personæ, cum quâ init ea sponsalia propter scãdalum aliorum, interim dum durat scandalum; tamen, si re ipsâ contrahat matrimonium, valebit; vt contra Sanchez rectè docet Coninc *disputation.32.dubitation.5.numer.65.* maximè cùm *c. vnico de sponsalibus in 6.* generatim dicatur sponsalia irrita ob defectum consensus non inducere impedimentum. Vnde, etiamsi defectus consensus in foro externo probari non possit, si semel supponamus irritum esse contractum, non video ex quo capite possit oriri impedimentum, præsertim cum Tridentinum *citato c. 3.* dicat: *publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit.* vbi expendenda sunt illa verba *quacunque ratione valida non erunt*; negari enim non potest, quin sponsalia defectu consensus inualida, sint aliquâ ratione inualida, quod si quacunque ratione inualida non inducunt impedimentum, neque illa inducent.

404. *Alia difficultas in hac re, de cessatione impedimenti si dissolmantur spõsalia.* Vlterius etiam difficultas est, an ex sponsalibus validis ortum impedimentum publicæ honestatis cesset iis dissolutis mutuo consensu? Negat Sanchez disputation. illâ 68. numer. 21. & quidam Author. Piasecius nomine *in praxi Episcopali p. 2. c. 4.* imò & Sanchez miratur, quod Emanuel Sà verbo matrimonium, vbi *de impedimentis dirimentibus numer. 12.* dixerit, si soluta fuerint sponsalia communi vtriusque consensu, non esse tale impedimentum. Idem docet Bonacina *supra numer. 7.* qui testatur idem sensisse Recentiores nonnullos magistros peritissimos Societatis Iesu à se in hac re cõsultos. Itẽ Perez tum *disputat. 32. section. 2. num. 1. tum disp. 8. section. 2.* vbi rem latè, & ex instituto expendit. Itaque hi omnes negant cessare; putant enim prædictum impedimentum esse perpetuum, id quod probare intenderat immediatè ante Sanchez *numer. 20.* Ratio verò est, quia impedimenta matrimonij non pendent à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesiâ, quæ constituit, vt tale impedimentum consurgat ex sponsalibus validis, sponsalia autem verè fuerunt valida, etiamsi posteà dissoluerentur mutuo consensu, sequereturque (vt nuper dicebam) quòd de impedimentum publicæ honestatis non sit perpetuum *contra c. sponsam & c. si quis desponsauerit 27. q. 2.* tum, quia ratio mouens Ecclesiam ad inducendum impedimentum publicæ honestatis adhuc habet locum, quando sponsalia mutuò consensu dissoluuntur; nempe quòd non deceat matrimonium contrahi inter aliquas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia modo prædicto. Accedit, quod sequeretur hoc impedimentum posse etiam cessare per mortẽ alterius sponsi; neque enim minùs dissoluuntur sponsalia per mortem, quàm per mutuum consensum; falsum autem est impedimentum publicæ honestatis cessare, vt dicebam per mortem alterius coniugis. Quod etiam oppositæ sententiæ Doctores docent.

Negant sententia. Sanchez. Piasecius. Bonacina. *Aliqui ex nostra Societate de hac re consulti.* Perez.

Rationibus probant.

405. *Sententia affirmans cessare impedimentum.* Affirmant alij cessare prædictum impedimentum, eo ipso quòd mutuâ voluntate dissoluuntur. Ita Gutierrez *de matrimonio cap. 103. numer. 11.* Sà *supra numer. 12.* Rebell. *2 p. libr. 3. q. 14. numer. 2.* & in declarationibus Cardinalium *section. 5. numer. 99.* Basilius *libr. 7. cap. 36.* aliique Recentiores, qui referunt pro hac sententia declarationem Cardinalium. Propter quã prius Bonacina iudicauerat hanc opinionem valdè probabilem, & in praxi tutam, posteà verò propter nouam aliam in contrariam declarationẽ; de quâ ipse testatur, perstat in suâ contrariâ opinione, nec putat hanc secundam ad praxim reuocandam. Eam verò probant Auctores; quia sponsalia, quæ mutuò consensu dissoluuntur, euanescunt immediatè, & ratione sui, & sponsis viuentibus, vnus desinit ad alterum pertinere, & è contra. In quo assignant hi Auctores disparitatem inter sponsalia quæ cessant morte alterutrius, vel vtriusque, quia nimirum illa sponsalia mediatè tantùm, & ex defectu subiecti cessant, & ipsis sponsis viuentibus semper vnus pertinuit ad alterum, & è contra, ac proinde ex iis, vtpotè perpetuis, & semper validis oritur impedimentum non ex aliis.

Gutierr. Sà. Rebellus. Basilius. *Recentiores alij. Cardinalitã Declaratio.*

Ratio huius sententiæ. Disparitas inter sponsalia quæ morte cessant & quæ cessant mutuo consensu.

406. *Vtraque sententia probabilis, sed probabilior prior. Difficultas quæ est in secunda sententia.* Vtraque sententia probabilis videtur, sed prior mihi apparet probabilior; semper enim mihi futile apparet, quòd semel inductâ causâ sufficienti ad effectum semel causatum, & non pendentem in conseruari à causâ, à qua fuit primò productus, dicatur talis effectus cessare ex eo tantùm, quòd causa tali, aut tali modo cesset; imò, si vno modo cesset, dicatur non cessare effectus; cessare autem, si causa cesset alio modo. Quid enim iuuat, quòd causa cesset, vel non cesset vel quòd hoc, vel illo modo cesset, vt ideò cesset effectus, qui iam non pendet in conseruari à causa, qualis est hæc institia publicæ honestatis, quæ pendet quidem in fieri à sponsalibus validis; sed non in conseruari? Quod enim in conseruari non pendeat, ab ipsis etiam aduersariis facilè est extorquere, imò ipsis non renuentibus habemus; ipsi enim nobiscum concedunt, si alio modo, quàm cõsensu mutuo sponsalia cessent, vt morte, vel aliâ causa adhuc impedimẽtum hoc perseuerare. At quocumque modo contingat impedimentum publicæ honestatis manere non perseuerantibus sponsalibus, satis clarè apparet non dependere in conseruari ab sponsalibus.

407. *Concluditur doctrina & resolutio pro praxi.* Habemus ergo in hac dubitatione pro praxi impedimentum publicæ honestatis semper oriri, & esse perpetuum ex vi sponsalium validorum, si sint absoluta, vel à principio, vel posteà per impletam, conditionem (si conditionalia fuerunt) nunquàm verò oriri, nisi ex sponsalibus validis, ita, vt ex quocunque capite inualida sint, hoc impedimentum non inducant.

408. *Potest impedimentum publicæ honestatis aliquando concurrere simul cum impedimẽto affinitatis. Probatur ex iure Canonico.* Ex tradita doctrina colligitur id, in quo aliqui immeritò dubitarunt nempe impedimentum publicæ honestatis posse aliquando concurrere cum impedimento affinitatis, ita, vt inualidum reddatur matrimonium contrahendum cum propriâ sponsâ aut cum illâ, cum quâ habita fuit copula. Sic videtur haberi *in cap. Litteras de sponsalib. impuber.* Vnde, qui celebrauit sponsalia cum Berta & posteà copulam habuit cum sorore Bertæ, neutram potest ducere; non quidem Bertam; cum qua iam sponsalia

Nauarr. Henriq. Summa Corona. Sanchez. *Alij plerique.*

409. *Qui valide contraxit cum Bertâ etiamsi posteà cum sorore Bertæ contrahat (qui contractus non valet) potest adhuc ducere Bertã. Ratio.*

410. *Quid de cõtrahente cõditionaliter cum vna, & ante impletam conditionem, contrahente absolute cũ sorore? Non impeditur pro priori.* Sanchez. Reginald. Gutierr. *Alij. Ratio. Valeret matrimonium cum secunda, sed non sponsalia Ratio.* Sanchez. Bonacina. Gutierr. *Alij quidã.*

411. *Qui ante Baptismum contraxit sponsalia cũ vna, potest valide inire matrimoniũ cum matre illius, etiam post Baptismum suscepto. Ratio. Ex dictis vel cessant, vel soluta sunt rationes oppositæ sententiæ & quæ solẽt opponi* Sanchez. Perez.

salia cessarunt propter affinitatem contractam cum ipsâ ob copulam habitam cum sorore ipsius; non etiam sororem propter impedimentum publicæ honestatis ortum ex contractu sponsalitio valido cum Berta, qui, licèt cessauerit, non tamen impedimentum publicæ honestatis, quod iam non dependet in conseruari. In quâ doctrinâ consentiunt Nauarrus *cap. 22. numer. 57.* Henriquez *libr. 12. c. 10.* Summa Corona *de matrimonio numer. 32.* Sanchez *libr. 7. disputation. 68. ad finem* & alij plerique. Imo absolutè debent consentire, quotquot dicunt impedimentum esse perpetuum.

Colligitur etiam ex dictis eum, qui contraxit validè sponsalia cum Berta, & posteà alia iniit cum sorore Bertæ non affici impedimento publicæ honestatis, ne posteà possit ducere Bertam; ratio est, quia secunda sponsalia inualida sunt.

Item Colligitur eum, qui contraxit sponsalia sub conditione de futuro cum Berta, & posteà contraxit alia absoluta cum sorore Bertæ ante impletam conditionem priorum sponsalium, non affici impedimento publicæ honestatis dissoluente priora sponsalia celebrata sub conditione cum Berta, vt docet Sanchez *libr. 7. disputation. 69 numer. 3.* Reginaldus *numer. 129.* Gutierrez *numer. 20.* & alij; quia posteriora sponsalia non valent; quia non possunt obligationem inducere ad aliquid illicitè faciendum; illicitè autem fieret matrimonium cum sorore Bertæ. Nam, ex vi promissionis priùs factæ tenetur comparatione Bertæ expectare euentum conditionis, ante quem euentum non potest sponsus rem vni sub conditione promissam alteri tradere. Esset tamen matrimonium validum, si ante conditionis euentum celebraretur cum sorore Bertæ, quantumuis in eo peccaret; tunc enim neque est impedimentum publicæ honestatis propter nondum impletam conditionem spõsalium, neque mera sponsalia etiam absoluta tollunt vim matrimonij post ipsa celebrati. Quæ doctrina congruit cum iis, quæ diximus *disputation. 5. dub. 8. & 16.* Ita Sanchez *supra numer. 2.* Bonacina *supra num. 5.* Gutierrez *num. 19.* & alij nonnulli.

Tandem colligitur eum, qui tempore ante Baptismum contraxit sponsalia cum Berta, posse validè matrimonium inire cum Bertæ matre, vel sorore, etiamsi ineat post susceptum Baptismum; nam impedimentum publicæ honestatis non est inductum iure naturæ, aut diuino, sed tantùm iure Ecclesiastico, cui non subduntur nondum baptizati. Ex hac doctrinâ vel cessant, vel facilè soluuntur quædam, quæ aduersarij opponunt, quæ videri possunt apud Sanchez & Perez locis citatis.

DVBITATIO XL.

An ex matrimonio rato oriatur impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium?

412. *Assertio. 1. Affirmans. Colligitur ex iure Canonico.* Declaratio Pij V. *Ratio à fortiori.*

ASseto. 1. ex matrimonio rato non consummato, etiamsi non oriatur affinitas, oritur iustitia publicæ honestatis dirimens matrimonium. Ita colligitur *ex c. sponsa. & ex cap. Ad audientiam. & ex c. iuuenis de sponsalibus & ex c. Duo 52. de Desponsat. impuber. & ex Canone 14. & 15. 27. q. 2.* & ita declarauit Pius V. *in Breui*, quod incipit *Ad Romanam*, & quidem meritò, nam, si publicæ honestatis impedimentum resultat ex sponsalibus, quæ sunt via ad matrimonium, potiori ratione resultare deberet ex ipso matrimonio iam rato; non autem resultat ratione alicuius affinitatis; nulla enim est vbi copula non intercedit iuxta dicta de impedimento affinitatis; sed præcisè ratione matrimonij rati, sicut ratione contractus sponsalitij præcisè ex illo absque copulâ. Ita Speculum *in Appendice ad art. 53. concluf. 1* Sotus *in 4. dist. 41. q. vnicâ artic. 2.* Sanchez *libr. 7. disputat. 70. num. 1.* cum aliis, quos refert; quibus adde Gutierrez *sup. num. 23.* Coninc *disp. 32. num. 70.* Basilium *lib. 7. c. 35.* Reginaldum *lib. 31. n. 128.* Bonacinam *q. 3. puncto 11. num. 9.*

Speculum. Sotus. Sanchez. *cum aliis.* Gutierr. Coninc. Basilius. Reginald. Bonacina.

413. *Assertio. 2. Tale impedimentum extenditur vsque ad quartum gradum.* Declaratio Pij V. *Ratio.* Ledesma. Sà. Rodriq. *Alij.* Sanchez. Bonacina. Coninc. Basilius.

Assero. 2. impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato extenditur vsque ad quartum gradum. Vnde vir mortuâ vxore ante consummatum matrimonium non potest ducere consanguineam vxoris intra quartum gradum. Sic declarauit Pius V. citato motu proprio *Ad Romanam.* Ratio est; quia in Tridentino nõ est restricta ea iustitia publicæ honestatis, nisi tantùm in contractu sponsalitio. Ita Petrus de Ledesma *q. 55. artic. 1.* Sà, Rodriq. & alij apud Sanchez *disputation. illâ 70 num. 16.* quos ipse sequitur. Quibus adde Bonacinam *supra.* Coninc *supra* Basilium *c. illo 35.* Perez Iurista *in impedimento publicæ honestatis*, & Perez Theologus *locis citatis*, contra Toletum. Ouald. & Ludouicum Lopez apud Sanchez, qui putarunt restringi ad primum gradum more sponsalium. Quorum doctrina admittenda non est; nec ipsi eam tradidissent, si vidissent aut aduertissent citatam declarationem Pij V.

Perez Iurista Perez Theolog. *Cõtra alios.* Toletum. Oualdum. Lud. Lop.

414. *Assertio. 3. Oritur hoc impedimentum ex matrimonio inualido, nisi sit inualidũ solum ex defectu consensus. Ratio. Declaratio Cardinaliũ apud Bonacinam. Declaratio Pij V.*

Assero. 3. hoc impedimentum oritur ex matrimonio inualido dummodo non sit inualidum ex defectu consensus. Ratio est; quia non est recedendum à iure antiquo; nisi quando aliquid mutatur in nouo; sed in antiquo *c. sponsam de sponsalib. & c. Accesit de desponsat. impub.* impedimentum publicæ honestatis consurgebat ex matrimonio inualido, dummodò non esset inualidum ex defectu consensus, ergo idem erit modo, atque olim. Atque ita declarârunt Cardinales, teste Bonacina *supra numer. 11.* & (quod caput est) patet in citato motu Pij V. vbi declarat in matrimonio durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat. Ita Nauarrus *cap. 22. num. 57.* Henriq. *lib. 12.*

Nauarrus. Henriq. Valentia. Sanchez. Rebellus. Tuscus. Perez.

lib.12 c.10.num.2. Valentia tomo 4.disp.10.quæst.5. punct.3. Sanchez supra num.5. Rebellus lib.4.sect.5. in declaration. Cardin.num.101. & lib.3.disp.14 n.2. Cardinalis Tuscus tomo 5. conclus.140. Perez Theologus disp.32.sect.3.nu.2.in 2.& 3.assertione.

415. *Exceptio Emanuelis Sà.*

Excipit Sà in Summâ verbo *matrimonium* vbi de impedimentis dirimentibus n.12. si id matrimonium occultum sit, aut sit manifestum fuisse irritum, tunc enim putat non oriri impedimẽtum; fortè id dicit; quia quando matrimonium exterius non scitur ab aliis, sed occultum est, non apparet talis indecentia; sicut, quando iam omnibus notum est tale matrimonium fuisse nullum. Hoc tamen fundamentum nullius momenti est. Nam c. vnico de sponsalibus in 6. vbi dicitur hoc impedimentum ex sponsalibus nullis oriri; sola sponsalia excepit, quibus deest consensus, & simul expressit ex sponsalibus irritis ratione Religionis, Consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis consurgere hoc impedimentũ. Quæ omnia impedimenta manifestè ostendunt esse matrimonium nullum. Idemque omnino dicendum colligitur de matrimonio nullo, nam (vt notabamus) nullus est Textus scriptus, qui hoc ipsum decidat de matrimonio antè Tridentinum, sed solùm de sponsalibus; tamen vsu Ecclesiæ, & communi interpretatione sensuque Doctorum propter eandem, imò maiorem rationem repertam in matrimonio Textum illũ extenderunt etiam ad matrimonium; sed cùm posteà Tridentinum restrinxerit Iustitiam publicæ honestatis tantùm in sponsalibus; non in matrimonio iuxta citatam declarationẽ Pij V. hinc est, quod vbi iure antiquo ante Tridentinum sponsalia etiam irrita inducebant impedimentum publicæ honestatis, post Tridentinum etiam matrimonium (in quo nihil est mutatum) in eisdem omnino casibus impediat.

Non admittitur.

416. *An oriatur impedimentum hoc ex matrimonio clandestino nullo vbi Tridentinũ viget.*

Vlteriùs contra Sanchez *disp illa* 70. *num.*13. aliqui, inter quos Basilius Pontius *lib.*7. *c.*35. *ad finem*, Hurtado *disp.*21. *diffic.*2. *num.*7. Perez *disp. illâ* 32. *sect.*3, docent ex matrimonio clandestino, etiam vbi Tridentinum viget oriri impedimentum hoc v.g. ex defectu præsentiæ Parochi pro qua sententia referunt aliqui vt Perez, Coninchum *disp.*32 *dubio* 5. Verum, si Coninc attentè Legatur, præcisè in hoc puncto non discrepat à Sanchez, imò ipsum expresse sequitur, vt videre est *num.*70. *ad finem dubij* 5. vbi refert & approbat eundem Sanchez, qui putat ideò matrimonium clandestinum non valere, vbi Tridentinũ viget, quia ei deest forma; atque adeò legitimus consensus, ita, vt neque externam quidem speciem contractus matrimonij habeat, ac proinde nullum pariat impedimentum. Ex quo principio etiam, nec vim sponsalium habere tale matrimonium intulit idem Sanchez *lib.*1. *disput.*20. *num.*3. Sed ex alio capite putat Coninc ex tali matrimonio clandestino inualido in ratione matrimonij oriri impedimentum publicæ honestatis, quia nimirum licèt ille contractus non valeat, vt matrimonium valet, vt sponsalia, & hoc sufficit ad inducendum hoc impedimentum. Vnde si Coninc non putaret valere, vt sponsalia, præcisè, quatenùs matrimonium: consentiret cum Sanchez, imò consentit loco citato.

Affirmant aliqui. Basilius. Hurtad. Perez.

Falso ex eorum principijs refertur Coninc, sed ex alio.

Ex alio principio admittit Coninc impedimentũ.

417. Nos tamen qui cum eodem Sanchez, & alijs multis contra Coninc, & aliquos alios probauimus *supra disp.*3. *dub.*3. tale matrimonium non habere vim sponsalium, consequenter etiam concedere debemus non inducere hoc impedimentum, quatenùs habet vim sponsalium.

Placet sententia Sanchezy negãtis.

418. *An inducat quatenus est matrimonium irritum?*

Solùm ergo dubitari potest an inducat, quatenùs est matrimonium irritum, & in hoc sensu aliqui Recentiores prædicti putant inducere hoc impedimentum; quia tale matrimonium nullitatem, quam habet, non habet, (vt putant) ex defectu consensus, adest enim consensus; hoc ipsum etiam putant propter eandem rationem in matrimonio nullo ex defectu ætatis, in quo etiam consensus adest, vt ijdem putant.

419. *Probabilius loquitur Sanchez. Ratio iam dicta vlterius firmatur.*

Nihilominus quod attinet ad matrimonium clandestinum sine Parocho, & testibus probabilius mihi videtur loqui Sanchez propter rationem dictam; imò tunc etiam deficit consensus, quia non quicunque consensus est consensus matrimonialis, sed consensus, cui non deficiat valor ex parte causæ efficientis, & formæ; talis autem defectus efficientis causæ, & formæ reperitur in matrimonio clandestino, vbi consensus censetur nullus propterea quòd causa sit inhabilis ad consentiendum non seruatâ tali formâ, vt citatâ illâ dub. notauimus cum Sanch. & aliis, & probauimus ex Tridentino *sess.*24. *c.*1. ibi. *Ad sic contrahendum eos sancta Synodus omnino inhabiles reddit.* Quapropter consensus nullus ex defectu consentientis habilis ad consentiendum non censetur esse consensus, atque adeò tale matrimonium erit nullum ex defectu consensus. Quid, quæso, est aliud deficere consensum, quàm nullum ibi esse consensum? cùm ergo in genere moris de quo agimus (quidquid sit physicè) nullus sit consensus, non video quomodo possit negari, ibi esse defectũ consensus requisiti, qui solus est consensus eius, qui habilis est & potens consentire.

420. *Respondetur ad textum in contrarium.*

Quod verò dicitur de matrimonio nullo ex defectu ætatis, verissimum est inducere impedimentum publicæ honestatis; nam id omnino patet ex *c.vnico de Desponsat.impuber.in* 6. vbi decernitur quod tale matrimonium impuberum valeat pro sponsalibus, cumque pro sponsalibus valeat, rectè infertur in eodem Textu, quòd contractus matrimonij impuberum eo ipso, quod valeat, vt sponsalitius, debeat inducere impedimentum publicæ honestatis.

421. *Non inducit hoc impedimentũ matrimonium ex metu aut ex errore personæ aut in furia, quia deest consensus, sicut & puerorum. Sanchez.*

Non tamen valebit inducere hoc impedimentum matrimonium ex metu, aut ex errore personæ, aut in furia; in his enim casibus est nullum matrimonium ex defectu consensus personæ habilis sicut & matrimonium puerorum nondum habentium sufficientem vsum rationis, vt contingit ante septennium. Legatur Sanchez *disp.*70. *n.*9. & 10.

422. *Quid si merè deficiat internus consensus? Affirmat Sanchez. Arguit à simili ex sponsalibus. Non tamen est eadem ratio in ma-*

Vtrum autem inducat impedimentũ quando merè defuit internus consensus? non videtur ita facilè. Affirmat Sanchez *supra num.*11. consequenter suo iudicio ad ea, quæ, dixerat *disp.*68. *num.*14. in simili de sponsalibus, & quidem, si in sponsalibus non induceret, meritò diceremus consequens esse, vt non induceret in matrimonio; non tamen video consequens esse, quòd, si in sponsalibus inducat, etiam inducat in matrimonio; Nam in sponsalibus (vt no-

trimonio rato deficiente conſenſu. Aſſignatur diſparitas.

tauimus *dub.præced.*)iuxta probabiliſſimam,imò probabiliorem opinionem ſufficit conſenſus debitus exterius ſufficienter expreſſus, etiamſi deſit verus. In matrimonio verò non ſufficit conſenſus debitus ; niſi adſit conſenſus verus. Vnde deficiente conſenſu interno poteſt in eâ doctrinâ cenſeri valìdus ſponſalitius contractus, adeoque inducerè impedimentum publicę honeſtatis; non verò matrimonium,cumque ex alio capite probatum ſit matrimonium inualidum ex defectu conſenſus non inducere hoc impedimentum, conſequens eſt, vt non inducat, quando eſt nullum ex defectu interni conſenſus veri. Qui ſolus valet conſtituere contractum, & non tantum debitus conſenſus.

Gõcluditur non inducere impedimentum.

423. *Quando matrimoniũ aut ſponſalia ſi per parentes pro filiis contrahentur, inducant impedimentũ, & quando non.*

Denique pro hac,& præcedenti dubitatione notandum eſt ſponſalia,aut matrimonium contractum per parentes pro filijs , aut alias perſonas, tunc ſolùm inducere impedimentum publicæ honeſtatis,quando prædicta ſponſalia aut matrimonium valida ſunt, tunc autem non inducere, quando non ſunt valida. Quando autem valida ſint, vel non valida ? pendet ex doctrinâ datâ *diſp.1.dub.21.* vbi diſputauimus, an parentes , aut alij poſſint ſponſalia contrahere pro filiis maximè,ſi ſint adhuc infantes.Quamuis autem de matrimonio videatur eſſe aliqua maior difficultas,cùm conſtet etiam ex matrimonio nullo reſultare hoc impedimentum , nihilominus, quia conſtat etiam non reſultare ex matrimonio nullo ex defectu conſenſus , ſi in eo caſu nullum ſit , quia filij non conſentiunt cum parentibus, erit nullum matrimonium ex defectu conſenſus,atque adeò non inducet impedimentum. Legatur Sanchez *lib.7.diſput.68. num.18.& diſp.70.num.14.*

424. *An oriatur ex matrimonio rato conditionato?*

Reſtat modo videamus an oriatur ex matrimonio rato conditionato? in qua re non eſt cur multum immoremur. Nam quidquid alij reclament , abſolutè dicendum eſt non oriri ex matrimonio conditionato,ſicut nec ex ſponſalibus conditionatis. Quam doctrinam optimè explicat , & probat Sanchez pro ſponſalibus quidem *diſp.69.* pro matrimonio verò *diſp.70. num.21.* referens plures alios:quibus adde Bonacinam *quæſt.3.num.16.*Baſilium *citato c.35.*Coninc *diſp.32.num.61.*Gutierrez *c.103.n.26.* Ratio verò eſt,quia ante euentum conditionis neque habet vim matrimonij abſoluti,nec ſponſalium abſolutorum ; iuſtitia autem publicæ honeſtatis non oritur , niſi ex contractu ſponſalitio , vel matrimoniali, qui verè talis ſit,& exiſtat;nondũ autem exiſtit in ſe perfectus & verè factus contractus conditionalis ſub conditione de futuro, & ab eius euentu dependens iuxta dicta *tota diſp.5.* maximè *dub.1. & 6.* ſolùm ergo orietur poſt impletam conditionem iuxta dicta *dub.6.* citatâ:tunc enim cenſetur iam contractus abſolutus propter purificatam conditionem , neque intentio contrahentium dependenter à conditione extendebatur ad inducendam obligationem contractus ante conditionis impletionem.

Non oritur. Sanchez. cum aliis. Bonacina. Baſilius. Coninc. Gutierr. Ratio.

425. *Ex matrimonio impuberũ non oritur impedimentum honeſtatis publicæ quæ oritur ex matrimonio,niſi malitia ſuppleat ætatem.*

Ex dictis etiam colligitur pro praxi in matrimonio impuberum non oriri impedimentum publicæ honeſtatis,quæ oritur ex matrimonio, niſi quando malitia ſupplet ætatem , tunc enim matrimonium valet ; quãdo autem malitia ætatem non ſupplet,defectus ille ætatis(quidquid alij reclament) redundat in defectum conſenſus matrimonialis , quia tales perſonę non ſunt legitimæ perſonæ ad conſenſum matrimonialem ; atque adeò earum conſenſus eſt nullus; conſenſus autem nullus cenſetur non conſenſus iuxta dicta, quod ſi valet tunc pro contractu ſponſalitio , etiamſi non valeat pro matrimoniali , id habet ex diſpoſitione iuris , vt ſuprà notabam inducetque impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalitio non ex matrimoniali contractu ; multum autem refert , an ex ſponſalitio,an ex matrimoniali proueniat impedimentum; nam vt ſupra notauimus, ſi oriatur ex ſponſalitio,non excedit primum gradum iuxta Tridentinum *ſupra c.3.* Si verò ex matrimoniali (in quo nihil reſtrinxit Tridentinum) extenditur vſque *ad* 4. Ita Nauarrus *ſupra* Valentia *diſp.illâ 10.quæſt.5.punct.3.*Sanchez *diſp.70. num.8.*Reginaldus *lib.31.num.126.*Tuſcus *tom.7. concluſ.402.num.3.*Bonacina *ſupra num.17.*& alij. Omitto alia,quæ vel facilia ſunt, vel non colliguntur ex noſtrâ ſententiâ ſed ex oppoſitâ pro qua videri poteſt Perez ſuprà.

Ratio.

Induxit tamen aliquãdo impedimentum honeſtatis ortũ ex ſponſalitio,ſi valeret vt ſponſalia.

In quo magna eſt inæqualitas propter pauciores gradus ad quos extenditur.

Nauarrus. Valentia. Sanchez. Reginald. Tuſcus. Bonacina. Perez.

DVBITATIO XLI.

Quid? & quotuplex ſit impotentia ? & an debeat eſſe perpetua?

IMpotentia,de quâ nunc agimus, eſt defectus facultatis ad copulam carnalem requiſitam ad generationem. 426. *De qua impotentia ſit quæſtio præſens.*

Conſentiunt ferè Doctores in eo,quòd ſicut potentia cenſetur quintuplex pro diuerſitate actuum ſeu defectuum requiſitorum , etiam impotentia , ſeu defectus potentiæ quintuplex ſit. Prima igitur potentia eſt ad ſolam penetrationem vaſis feminei , non verò ad effuſionem veri ſeminis. Secunda ad effuſionem quidem veri ſeminis , ſed non ad penetrationem vaſis. Tertia ad penetrationem quidem vaſis,& effuſionem veri ſeminis;ſed non intra vas, vt quando ob nimium calorem ſtatim eiaculatur ſemen ante vaſis penetrationem : Quarta potentia eſt ad omnia prædicta , ſed non ad generationem; quia ſemen alioquin verum ratione alicuius accidentis eſt in fæcundum. Hæc autem potentia abſolutè dicitur potentia coëundi : Quinta verò,& perfectiſſima potentia eſt, quæ includit omnia prædicta , & in ſuper addit vim generandi , quia nimirum ſemen habet omnia requiſita ad generationem. 427. *Quintuplex potentia, & Quintuplex impotentia ſeu defectus potentiæ. Prima potentia. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.*

Iuxta prædictas ergo quinque potentias poteſt etiam diuidi impotentia in alias quinque. Prima impotentia ad penetrandum vas , quæ non repugnat cum potentiâ ad verum ſemen fundendum. Secunda impotentia ad effuſionem ſeminis , etiamſi ſit potentia penetrandi vas. 428. *Quinque impotentiæ prædictis reſpondẽtes. Prima. Secunda.*

Tertia impotentia ad effundendum ſemen intra vas, etiamſi alioquin ſit potentia , & penetrandi, & effundendi ſemen. Quarta eſt impotentia effundendi ſeminis prolifici propter impedimentum alicuius accidentis,& quælibet 429. *Tertia. Quarta.*

iſtarum

istarum dicitur impotentia coëundi. Demum quinta est impotentia, quæ prædicta omnia cõplectitur & addit seminis veri carentiam, & hæc dicitur plena & omni ex parte perfecta impotentia.

Quinta.

430. *Diuisio impotentiæ in perpetuam & temporalem, item in absolutam & respectiuam.*

Impotentia vlterius diuidi solet in perpetuam & temporalem, item siue perpetua, siue temporalis, in absolutam, & respectiuam, id est in eam, quę in se absque respectu ad has vel illas personas est impotentia, ac proinde censetur respectu omnium personarum, respectiua verò est, quæ tantùm respectu alicuius, vel aliquarũ personarum, non verò respectu omnium.

431. *Quo sensu dicatur perpetua?* Ledesma. Henriq. Sanchez. Sà. *Alij communiter.*

Ideò autem dicitur perpetua, quia non potest remoueri arte humanâ absque probabili periculo; non perpetua verò, quæ potest eâ arte tolli iuxta *c. Fraternitatis de frigidis & maleficiatis.* Ita Petrus de Ledesma *quæst.59.art.1.* Henriquez *lib.12.c.7.num.5.* & 8. Sanchez *lib.7.disp.93.num.8.* & 9. Sà *verbo matrim.* vbi *de impedimentis num.18.* & alij communiter.

432. *Quid nomine periculi in hac re significetur.*

Nomine autem *periculi* non solùm intelligimus vitæ periculum, ita, vt sola mors, quæ probabiliter timetur, faciat, vt tale impedimentum non sit perpetuum (quod aliqui iuris periti immeritò affirmant) quamuis enim, quod absque morte tolli potest, non sit physicè perpetuum, potest tamen esse moraliter tale. Quapropter circa hoc negotium sufficit solum periculum mortis, vt notarunt Sanchez *citatâ disp.93.* & Coninc *disp.31.dub.7.* id enim, quod non potest absque periculo mortis tolli, censetur moraliter perpetuum, quia periculum mortis moraliter æquiualet morti, vt Henriquez, & alij affirmãt: non verò sufficit iuxta eosdem solùm periculum grauis morbi, etiam perpetui; quia hoc non censetur æquiualere morti. Nihilominùs mihi videtur cum alijs censeri perpetuam impotentiam seu impedimentum, quod auferri non potest, absque graui & perpetuo morbo, hic enim censetur æquiualere morti physicæ non secùs, imò potiori ratione, quàm periculũ mortis. Nam ad vitandum eiusmodi morbum appeti potest periculũ mortis, imò & mors ipsa.

Sanchez. Coninc.

433. *Quo sensu dicatur temporalis, & non perpetua.*

Ex quo fit, vt moraliter loquendo ea impotentia censeatur temporalis, cuius defectus suppleri potest, aut cuius impedimentum auferri humanâ industriâ, & absque miraculo & absque prædicto periculo corporali, & etiam absque peccato; nam, si interuenire debeat peccatum, aut miraculum, id censetur impossibile fieri, atque adeò perpetuum impedimentum.

434. *Infertur 1. ex dictis.*

Ex his colligitur inualidum esse matrimonium contractum cum impotentia; quæ non potest auferri absque arte Magicâ, vel alio peccato v.g. sine copula cum alijs viris, illud enim non possumus, quod iure non possumus, tale verò est, quod non possumus absque peccato. Sic maleficium quo quis impeditur ad copulam matrimonialem, si tolli non potest nisi alio maleficio, censetur perpetuum. Ita Henriquez *supra num.9.* Gutierrez *cap.112.num.23.* & *cap.113.* Sanchez *supra.* & alij communiter.

Henriq. Gutierr. Sanchez. *Alij communiter.*

435. *Infertur 2.*

Item inualidum esse matrimonium contractum cum impotenti, quantum est ex se, perpetuo tali, sed post contractum potente facto per miraculum; impotentia enim perpetua matrimonium dirimit; qualis est ea, quæ non potest humanâ arte tolli; sed tantùm per miraculum; nomine autem miraculi intelligo pro præsenti casu id, quod modo extraordinario, & insueto fit. Hoc dixerim propter maleficium, quod licèt aliquando tolli non possit; nisi per orationes, & pia opera; non ideò dicitur auferri per miraculum sicut morbus iam desperatus, cuius remedium solet obtineri per orationes; nec tamen ideò censetur obtineri per miraculum non secùs; atque peccatorum remissio, quæ per Sacramenta obtinetur, non dicitur per miraculum obtineri; cùm fiat modo consueto, quantumuis supernaturali virtute. Ita Sotus *in 4.dist.34. quæst.vnicâ art.3.* Sanchez *lib.7.disp.93.num.8.10.* & 20. vbi notat cum alijs eodem modo philosophandum esse pro casu, quo tollatur impedimentum, existimando fuisse periculum vitæ; si enim experientiâ constet deceptos fuisse medicos, qui tale periculũ existimârunt adesse; valebit matrimonium, & re verâ impotentia non erat perpetua. Quod si constet verè subiisse mortis periculum in tollendo tale impedimentum, cuius tollendi non fuerat alius modus etiamsi inde incolumis euaserit, fuit irritum tale matrimonium priùs contractum cum tali impedimento, quia tunc satis constat tale impedimentum de se esse moraliter perpetuum, cùm tolli non potuerit absque vitæ periculo, vt in sequentibus amplius declarabitur. Eandem sententiam docet Gutierrez *cap.112.num.22.* Coninc *disp.31.num.85.* & alij multi. Legatur Henriquez *supra num.9.*

Sotus. Sanchez. Gutierrez. Coninc. *Alij multi.* Henriq.

DVBITATIO XLII.

An impotentia naturalis coëundi seu penetrandi vas, dirimat matrimonium contrahendum?

436. *Supponendũ sterilitatem solam non dirimere. Ratio.*

SVpponendum imprimis id, quod Ecclesiæ vsus probat, illud genus impotentiæ ad generationem, quod dicitur sterilitas, quamuis absolutum sit, & perpetuum, & naturale, non dirimere matrimonium contrahendum. Ratio est, quia steriles aliàs potentes ad verè seminandum intra vas femineum nullo iure probãtur inhabiles ad matrimonium; non positiuo, quia nullum est; non naturali; quia verè sunt potentes ad exercendum actum coniugalem ratione cuius quantum est ex parte ipsius, coniuges fiunt vna caro, nempe principium vnius carnis seu prolis etiamsi ob aliquod accidens generatio futura non sit; quâ ratione senes dum potentes sunt ad sic seminandum, quantumuis indigeant adminiculo artis medicæ habiles censentur ad matrimonium; quia ipsorum semen ex suâ naturâ sufficit ad generationem, quamuis ob debilitatem generatio non sit sequenda.

437. *Status quæstionis.*

De impotentiâ ergo naturali ad coëundum, id est ad penetrandum vas; atque adeò ad seminandum intra illud, quærimus; an dirimat matrimonium contrahendum.

438. *Assertio 1. Hæc impotentia solũ temporalis non dirimit*

Asserto 1. (quod constat ex dictis dub. præcedenti,) quando tantùm hæc impotentia est tempora-

Supponitur in iure Canonico. temporalis, etiamsi sit naturalis, & absoluta non dirimere matrimonium. Ita supponitur in c. *Fraternitatis 6. de Frigidis & maleficiatis*, decentque Doctores tàm Iurisperiti quàm Theologi, quos ideo non refero. Ratio verò est, quia nec iure positiuo, nec naturali dirimit; de positiuo quidem nobis non constat tale induxisse impedimentum; de naturali verò probatur; quia qui tantùm est impotens ad tempus, potest ex naturâ rei tunc tradere Dominium sui corporis ad vsum coniugalem posteà possibilem, ad idque obligari. Quod etiam verum est, licèt ab altero contrahente talis impotentia ignoretur. In quo vix vnus aut alter Doctorum oppositũ insinuat, cæteri quos viderim, conueniunt, idque præsertim verum puto, quando talis impotentia breui est cessatura.

Docent hoc Doctores tã Theologi, quàm Iuristæ.

Ratio.

439. *Casus in quo potest esse maior difficultas.* Solùm in vno casu dubitari potest, nempe, quando tempore contractus adest illa impotentia temporalis, quæ spectato ordine naturali, breui erat cessatura, posteà verò, antequàm tempus cessandi veniret facta est propter aliquã causam superuenientem impotentia perpetua. *Ratio difficultatis & dubitandi.* Ratio dubitandi est; quia non videtur assignabile tempus, quo talis contrahens fuerit capax contrahendi & transferendi Dominium. Nam tempore, quo impotentia illa censebatur, & erat ex se temporalis, non potuit tradere ius ad vsũ pro illo tempore; tempore verò sequenti iam inducta est causa perspicuæ impotentiæ, vt supponimus: ergo nunquam fuit, nec futura erat apta materia contractus matrimonij: ergo vel à principio non fuit matrimonium, vel solùm contractus ille fuit conditionatus expectãs conditionis euentum. Multum autem interest scire, an à principio fuerit validus, & absolutus contractus matrimonij, vel solùm conditionalis expectans aduentum potentiæ coëundi, nã, si à principio fuit validus, etiamsi posteà superueniat impotentia, perseuerabit matrimonium, nam (vt suo loco dicemus) impotentia superueniens matrimonio rato solum, & non consummato, illud non dirimit.

440. *Videtur res aliquantulũ difficilis potest tamen decidi ex generalibus principiis. Videtur valere matrimonium & non dirimi per superueniens impedimentum. Probatur.* Hæc res mihi videtur aliquantulum difficilis. Sed si rectè attendamus ad principia generalia, quibus nos in sequentibus vtemur, existimo prædictum matrimonium valere à principio, eoque valore posito per superueniens impedimentum non dirimi, atque hoc secundum in sequentibus ex instituto probabimus. Quod ergo valeat matrimonium sic probo. Nam in c. *De illis. l. 2. de desponsimpub.* deciditur circa impuberes eorum matrimonium valere, si adsit potentia coëundi cum minori ætate; ergo vbi adest ætas idonea, non debet attẽdi potentia tunc actu existens, vt docet Sanchez *lib. 7. disp. 104. num. 15.* vbi cum multis probat, & nos probabimus cum illo prædictum matrimonium cum sufficienti ætate, etiamsi nondum aduenerit potentia coëundi, esse validum; nec tamen Doctores eius valorem concedentes, & deducentes ex Textu citato loquuntur de valore conditionato, vel pendente ex euentu futuro potentiæ coëundi, quæ mox futura expectatur; sed satis censetur, quòd impotentia, quæ nunc adest non sit perpetua, quin natura huius indiuidui talis ex se sit, vt seclusis extrinsecis accidentibus, contingentibusque casibus habitura sit talẽ potẽtiã, vt ex nunc possit absolutũ, & validum contractum celebrare, & illa censetur materia capax huius contractus quia ex se, & ex suâ constitutione naturali, quam hîc & nunc habet, nata est habere talem potentiam, etiamsi ex accidenti posteà non habeat. Atque hac ratione in nostro casu philosophandum est. Alioquin etiam in illo casu, in quo præd. cti Doctores fatentur valere, nondum existente potentiâ sequeretur eodem modo non valere, aut non valuisse, si fortè ante aduentum potentiæ ille moriatur. Nam eodem modo pro tempore ante mortem & aduentum potentiæ, quando ea potentia censebatur temporalis, & ex se talis erat, non potuit (si valet ea ratio) tradere ius ad vsum, tempore verò sequenti non quomodocumque potentia non est, sed neque subiectũ illius, ergo nunquàm fuit nec futura erat apta materia contractus matrimonij. Ecce eandem rationem & tamen nullam habet vim. Respondeamus ergo illi.

Ratio dubitandi à simili probatur ineffi-cax.

Ad rationem ergo dubitandi respondeo negando non esse assignabile tempus, quo talis contrahens fuerit capax contrahendi, & ad probationem dico falsum esse, quod toto tempore quo impotentia censebatur, & erat ex se temporalis, non potuerit tradere ius corporis; quãuis enim non tradiderit, ius ad vsum pro illo tempore, potuit tradere ius ad vsum pro alio tempore, quo, quantum est ex se, natura habitura erat potentiam coëundi, quamuis ex accidenti illam posteà non habuerit.

441. *Respondetur illi rationi dubitandi.*

442. *Assertio 2. impotentia naturalis coëundi perpetua & absoluta dirimit contrahendum. Sanchez. Constat ex iure Canonico. Imò & naturali. Sixt. V. videtur id definiisse. Sanchez. Basilius. Alij plures Theologi, & Iuristæ apud Sanchez. Gutierr. Coninc. Bonacina. Reginald. Perez. Est communissima sententia. Ratio. Confirmatur.* Assero 2. iuxta dicta *dub. præcedenti* impotentia coëundi naturalis, quando est perpetua & absoluta dirimit matrimonium contrahendũ, saltem in ordine ad generationem. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 92.* constatque *ex 33. q. 1. per totam & ex toto titulo de frigidis, & maleficiatis* definitumque videtur à Sixto V. in motu proprio anno 1587. cuius verba refert idem Sanchez & Basilius *lib. 7. cap. 68.* Atque hoc non solùm est iure positiuo; sed iure naturali, de quo posteà, & præter Sanchez *disput. 98.* consentiunt plures alij Theologi & iurisperiti quos ille refert ibi *nu. 2.* quibus adde Basilium proximè citatum Gutierrez *de matrimonio c. 112.* Coninc *disp. 31. n. 77.* Bonacinam *q. 3. puncto 13. num. 12.* Reginaldum *lib. 31. num. 99.* Perez *disp. 37. sect. 2. num. 4.* Itaque est sententia communissima, & ferè ab omnibus recepta. Ratio verò est, quia talis impotens est inepta materia ad actum, & vsum coniugalem: ergo non potest ad illum transferre dominium, ratione cuius actus coniuges fiant vna caro. Confirmatur, & declaratur; quia nemo potest transferre dominium eius, quod nullo modo habet, sed talis impotens non habet posse copulari in ordine ad generationem, ergo non potest dominium, & ius ad id transferre in alterum, seque obligare ad id præstandum.

Est autem eadem ratio, etiamsi adsit potentia seminandi extra vas; aut in ore vasis, tum; quia hæc seminatio per se non sufficit, vt per eam coniuges fiant vna caro, id est principium vnius carnis, etiamsi fortè per accidens, aliquando contingat sufficere, vel sufficiat; quia nimirum (vt aliqui volunt) virtute matricis attrahentis

443. *Item dicendum etiamsi extra vas possit seminare. Ratio.*

seminis

seminis pars recipitur & attrahitur, quod valdè per accidens est, & potentia ad sic seminandum est impotentia moralis coëundi. Ita Sanch. *disp. illâ 92 num. 7. &* 8. cum multis aliis Theologis, quos refert, atque adeò non solùm qui defectu virium penetrare non possunt, sed qui præ nimio calore antequàm penetrent, seminant, sunt incapaces matrimonij, si talis impotentia seminandi intra vas sit perpetua. Legatur Sanchez ibid. cui consentit Perez *supra. num. 5. & 6. & num. 7.* idem docet (sicut & alij) de femina ita arcta, vt nec aliqua arte iuuari possit ad recipiendum semen intra vas, cùm non possint in iis casibus coniuges fieri vna caro. Quæ dicta sunt locum habent, vndecumque proueniat impotentia si perpetua sit.

Sanchez cũ multis aliis Theologis.

Perez.

DVBITATIO XLIII.

An impotentia naturalis coeundi perpetua dirimat matrimonium in ordine ad castè viuendum?

444. *Non solum matrimoniũ dat ius ad copulam, sed etiam est intima Societas ad alia officia mutuo sibi præstanda.*

INter alia, quæ secum habet matrimonium, vt constat non solùm est ius ad copulam carnalem; & alia, quæ inde sequuntur, sed etiam est Societas quædam satis intima, quâ sibi mutuo præstant alia varia officia, deducitur que ex *c. Consultationi* 4. & ex *c. Laudabilem* 5. *de frigidis & maleficiatis.* Hoc suppositio.

445. *Prima in hac re sententia negat dirimere contrahendũ in ordine ad ea officia præter copulam. Probãt* 1. *ex textibus citatis. Supponit hoc Sixtus V. Probatur ratione. Magister. D. Thom. Paludan. S. Antonin. Multi apud Sanchez. Basilius. Recentiores. Hugo Vict.*

Prima sententia est prædictam impotentiam non dirimere matrimonium contrahendum in ordine ad naturalem vitæ, & officiorum in diuerso sexu Societatem, sed solùm cõtrahendum in ordine ad generationem. Deducunt primò hanc suam sententiam ex nuper citatis Textibus, in quibus supponitur posse inter impotentes celebrari matrimonium in ordine ad transigendam viram, vt fratres. Quod etiam supponit Sixtus V. *in suo motu proprio.* Ratione verò probari potest omissis aliis leuioribus, quia ad matrimonium non videtur necessaria mutua corporum traditio ad coitum, sed sufficit ad Societatem vitæ, quia ex suâ naturâ non tantùm ordinatur ad prolis generationem, sed etiam ad vitæ Societatem. Quamuis ergo impotentia ad coitum inhabilitet ad matrimonium in ordine ad generationem, non in ordine ad vitæ Societatem. Ita docent Magister *in 4. dist. 34. cap. 1.* D. Thomas *in 4. dist. 36. q. vnicâ art. 1. & dist. 34. q. vnicâ art. 2.* Paludanus *ibidem quæst. 2.* Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 22.* alijque multi apud Sanchez disp. 97. nu. 1. quibus adde Basilium *lib. 7. cap. 56. & seqq.* & alios Recentiores, quibus fauet Hugo de S. Victore quem referunt.

446. *Secunda & vera sententia affirmans dirimere etiam in ordine ad hæc. S. Bonau. Valentia. Toletus. Sà. Alij quam plurimi Sãchez cum illis. Vazquez.*

Secunda sententia, quam puto omnino veram, docet prædictam impotentiam omnino dirimere matrimonium contrahendum, etiam in ordine ad prædictam vitæ Societatem. Ita Bonauentura in *4. dist. 34. art. 2. quæst. 1.* Valentia *tomo 4. disp. 10. quæst. 5. puncto 3.* Toletus *lib. 7. Summæ cap. 12.* Sà verb. *matrimonium in impedimento impotentiæ num. 14.* alijque quàm plurimi, quos refert & sequitur Sanchez *supra. num. 2.* quibus adde Vasquez *3. part. disp. 125. cap. 7. & alios* plurimos Recentiores inter quos Perez *disp. 37. sect. 4. num. 3.* qui cum Vazquez testatur in hanc sententiam conspirare omnes Scholasticos. Atque inprimis hæc sententia videtur definita à Sixto V. *in citato illo motu proprio edito anno* 1587. Vbi absque vlla distinctione matrimonij ad hunc vel illum vsum, absolutè decernit, & declarat impotentes esse ineptos ad contrahendum matrimonium.

Recentiores multi. Perez. Videtur definita à Sixto V.

447. *Deducitur ex citatis textibus.*

Atque etiam non leuiter deducitur ex citatis capitibus *Consultationi & Laudabilem.* in quorum primo dicitur: *Quæ, tanquàm vxores habere non possunt, habeant, vt sorores.* In secundo verò: *vir eam, si non, vt vxorem, saltem habeat, vt sororem.* Vbi expressè negatur haberi posse, vt vxorem absque vllâ distinctione matrimonij ad hunc, vel illum finem. Præterea *in c. illo Laudabilem*, & in aliis capitibus eiusdem tituli supponitur potentem, qui matrimonium contraxit cum impotente, posse aliud matrimonium contrahere. Signum ergo est ibi Pontificem iudicare prædictum matrimonium in nullo sensu esse validũ maximè vt vinculum perpetuò duraturum inducat, quo posito, non posset cum alio contrahere, cum quo etiam in ordine ad vitæ consuetudinem, sicut & ad generationem deberet alligari.

Hoc argũmentum videtur validum cõtra perpetuitatẽ talis contractus.

448. *Ratione probatur* 1. *ad* 1. *Cor.* 7.

Ratione verò probari potest primò à priori; quia contractus ex naturâ suâ postulat quod tradatur dominium, seu potestas mutua corporis, vt constat ex Paulo 1. Ad Corinth. 7. & ex communi consensu; atqui per illam traditionem dominij, seu potestatis ad dictam vitæ Societatem non traditur dominium corporis; ergo non subsistit contractus veri matrimonij per solum enim dominium ad commixtionem carnalem constituuntur verè maritus & vxor, & per eam solam commixtionem dicuntur coniuges vti corporibus, & non per hoc solùm, quòd simul viuant, & sibi inuicem obsequantur. Nullum itaque est verum matrimonium, nisi, quod contrahitur in ordine ad copulam; prædicta autem impotentia dirimit matrimonium in ordine ad copulam: ergo absolutè, & omnino matrimonium dirimit.

449. *Quorumdã ratio ab inconuenienti.*

Solet etiam probari hæc sententia ab inconuenienti, seu absurdo, quia alioquin sequeretur inter patrem & filiam posse iure naturali contrahi matrimonium, quia sunt personæ aptæ ad dictam Societatem.

450. *Posse eludi ea ratio.*

Huic tamen rationi responderi posset negãdo sequelam; quia hæc Societas requirit personas esse pares, aut saltem quòd vna sit alteri suppar, sicuti vir & vxor dicuntur pares, vel certè vxor suppar viro, cui tanquàm capitis subordinetur. Hæc autem paritas vel supparitas non reperiri potest, nedum debet inter patrem & filiam & multò minus inter filium, & matrem, vt ex S. Thoma vidimus *supra dub. 21.* pro argumento S. Doctor probauit irritum esse matrimonium iure naturæ inter ascendentes & descendentes.

451. *Alia absurda, quæ solent ex oppositâ sententiâ deduci. Primum.*

Alia solent etiam absurda ex oppositâ sententiâ deduci, nempe quod in tali matrimonio ad talem vitæ Societatem inito sequeretur coniuges, si ad se mutuò accedant peccare peccato simplicis fornicationis; quia esset accessus ad per-

personam non suam in ordine ad actum carnalem. Item quòd alius accedens ad illam coniugem, non peccaret peccato adulterij; quia non accederet ad illam, tamquàm ad vxorem illius viri. Tandem; quia sequeretur matrimonium ex se non esse perpetuum; quia tantùm est tale propter bonum prolis.

Secundum.

Tertium.

452. *Non nimis vrgent ea absurda. Non primũ.* Verum neque hæc etiam absurda nimis vrgent: non primum; responderi enim potest suppositâ impotentiâ vnius illorum (in quo casu loquimur) non iam simplicem fornicationẽ; sed actum illum libidinosum (qui copula esse non potest, neque ex se ordinatus ad copulam propter impossibilitatem illius) esse quandam speciem peccati contra naturam; sicut pollutio, aut tactus impudici, quæ haberentur absque intentione copulæ inter solutos. Quod si fingamus casum, in quo duo potentes inter se contrahant matrimonium simile huic de quo disputamus, nimirum tantùm in ordine ad vitæ Societatem, & nullo modo in ordine ad generationem, ita, vt nec dominium radicale in copulam transferatur; responderi posset, vel tale matrimonium inter tales personas esse impossibile; quia vbi est capacitas ad plenum & perfectum matrimonium contrahendum, etiam in ordine ad generationem, non potest separari ius illud ad individuam vitæ consuetudinem à iure saltem radicali in copulam (de quo latè diximus *disp.* 5. *dub.* 12.) atque hoc sufficit, vt talis accessus, si fiat, non sit fornicatio, sed tunc non est noster casus.

Proeuasione posset fingi casus, & inflari.

Contra posset primo responderi.

453. *Secundò potest responderi.* Vel secundò respondetur, si supponamus separari ius individuæ Societatis à iure copulæ, concedi posse illam, esse simplicem fornicationem propter rationem dictã in ipsa deductione absurdi, scilicèt, quia accessus erit ad non suam in ordine ad copulam; neque hoc fore absurdum in tali genere matrimonij si esset. Atque etiam inde posset responderi ad secundum absurdum, nimirum non fore adulterium illud eo ipso, quòd tale genus matrimonij esset possibile. Nec etiam illud genus matrimonij esset naturâ suâ perpetuum (quod pro tertio absurdo affertur) sicut si velis, concedendum erit nõ esse Sacramentum; hæc enim omnia prædicta in tali genere matrimonij, supposito quod sit possibile, non esse cur censeantur absurda; solùm enim absurda essent comparatione alterius matrimonij communis, & ordinarij ordinati ad generationem, in quo transfertur corporis dominium in ordine ad vsum coniugalem.

Ad secundũ absurdum ex proximè dictis posset responderi.

Item ad tertium.

454. *Quomodo ex dictis posset fortè vtraque sententia conciliari, & esse quæstionem solùm de nomine.* Ex hoc discursu vnum, ni fallor, possumus colligere, quòd fortè potest vtramque sententiam conciliare, vel quòd ostendat vtriusque sententiæ dissidium potiùs esse in voce, quàm in re: nam prima sententia, quæ pro virili contendit eiusmodi matrimonium valere suppositâ impotentiâ perpetuâ, solùm videtur contendere, & probare posse esse quemdam contractum Societatis ad mutuam vitæ consuetudinem, & individua officia sibi mutuò præstanda, quod secunda sententia non negat, nec nos illam sequuti negamus; non concedimus tamen illud esse appellandum matrimonium; nec re verâ tale est, quamuis in aliquo referat similitudinem. Et hoc tantùm probant ratio & Textus allati pro primâ sententiâ; nam in illis Textibus, & in Bulla Sixti V. solùm habetur quòd possint simul degere tanquam fratres, & quod vir habeat feminam, non, vt vxorem sed vt sororem. Et quamuis supponat Sixtus V. hoc posse fieri, & videatur supponere ab impotentibus contrahi matrimonium, solùm intelligendus est quoad attentationem; non quoad veritatem; imò etiam si ibi permittat eos, qui iam coniuncti erant, non separari, si vellent castè viuere, & licèt, etiam non impediret de nouo coniungi contractu quodam Societatis ad vitæ, & munerum mutuam cõmunicationem, & Societatem in diuerso sexu, adhuc etiam ibi excepit Eunuchos, qui iam prædicto motu proprio non permittuntur coniungi; &, qui ante eum contraxerant, permissi fuerunt non separari exceptis iis, qui coniuncti fuissent simul dormisse. Itaque in radice respondemus oppositæ sententiæ, quòd quamuis matrimonium ordinetur ad vitæ, & munerum Societatem nihilominùs, quia primariò, & per se ordinatur ad prolis generationem, ideò ab impotentibus coire, vtpotè per se ineptis ad eum finem, non posse validè celebrari.

Explicantur textus & Bulla Sixti V.

Responsio adæquata & fundamentalis ad primam sententiam.

455. *Reijcitur dictum quorumdam & negatur quod assumunt.* Alexa. III. Quod verò aliqui dicunt in nullâ matrimonij definitione fieri mentionem coniunctionis in ordine ad coitum, negandum omnino est; nam (vt vidimus *disp.* 2. *dub.* 1.) in definitione approbata ab Alexandro III. in *c. illud quoque* 11. *de Præsumpt.* appellatur viri & mulieris maritalis coniunctio, & in secundâ aliâ definitione, quã ibi approbauimus, expressè habetur mutua corporum potestas ad prolem: neque vlla in probatis Auctoribus inuenietur definitio, in qua saltem virtualiter non contineatur, aut denotetur huiusmodi potestas, ius, & dominium.

DVBITATIO XLIV.

Quo iure impotentia perpetua dirimat matrimonium?

456. *Assertio 1. Iure Ecclesiastico dirimit.* ASsero 1. impotentia perpetua dirimit matrimonium contrahendum iure Ecclesiastico. Constat ex dictis in proximè præcedentibus dubitationibus, & Textibus ibi citatis maximè *ex* 33. *quæst.* 1. *& ex toto titulo de frigidis & maleficiatis.* Solùm potest esse controuersia; an etiam dirimat iure naturali? quod obiter suprà iam tetigimus.

Constat ex hucusque dictis. Controuersia restat de iure naturali.

457. *Prima sententia negans.* Paludan. Maior. *Supplementum Gabrielis.* S. Antonin. Medina. Angelus. Tabiena. Armilla. Gaeta. Prima sententia negat dirimere iure naturali; sed solùm Ecclesiastico. Ita Paludanus *in* 4. *dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *Maior in* 4. *dist.* 34. *qu.* 1. *concluſ.* 3. Supplementum Gabrielis ibidem *q. vnicâ art.* 2. *concluſ.* 1. S. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *cap.* 15. Michaël de Medina *lib.* 5. *de cælibatu. c.* 54. Angelus, Tabiena, Armil. Gaeta apud Sanchez *disp.* 98. *n.* 1. Probant *ex c.* 2. *de frigidis & maleficiatis.* vbi dicitur: *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio; sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* atqui matrimonia puerorum seu impuberum non iure naturali, sed tantùm Ecclesiastico irrita sunt: ergo etiam impotentum. Ratione verò probant, quia ad essentiam matrimonij non requiritur copula, sed traditio mutua corporum, viri, &

Probant iure naturali. Probant etiam ratione.

feminæ sufficiens est; impotentia verò tantùm impedit copulam non ttaditionem mutuam corporum; ergo impotentes non sunt inhabiles ex natura rei seu iure naturali ad contrahendum matrimonium.

458. *Confirmatur.* Confirmatur; quia impotentia matrimonio iam facto superueniens non dissoluit illud: ergo potentia non requiritur essentialiter ad matrimonium; nam, si essentialiter requireretur, etiam superueniens dissolueret, perinde atque dissoluit superueniens conuersio feminæ in virum, eo quod diuersitas sexus sit essentialiter requisita. Omitto leuiores alias rationes.

459. *Assertio 2. etiam iure naturali dirimere.* D Thom. Sanchez *cum multis.* Basilius. Bonacina. Coninc. *Alij.* *Frigiditatē sic impedire Sixtus V. declarat.* *Eadem est ratio pro aliis impotentia generibus.* *Probatur vlterius assertio ratione.* Asserendum nihilominus est 2. impotentiam perpetuam, etiam iure naturali dirimere. Ita D. Thomas *in 4. dist. 3. 4. q. vnicâ*, & alij multi quos refert & sequitur Sanchez *lib. 7. disp. 98.* quibus adde Basilium, Bonacinam, Coninc & alios quos retulimus *dub. 42. assert. 2. num. 442.* & sanè quod attinet ad impotentiam ex frigiditate habetur in illo motu proprio Sixti V. cuius mentionem fecimus *proximè præcedentibus dubitationibus.* Quòd si hoc genus impotentiæ dirimit iure naturali, eâdem ratione quæcumque impotentia dirimet; est enim omnium eadem ratio. Probatur vlterius assertio nostra ratione. Nam, qui est impotens ex naturâ rei ad copulam sufficientem ex se (siue impotens sit physicè siue moraliter, siue intrinsecè, siue extrinsecè) est etiam ex naturâ rei perpetuò ineptus, vt alteri tradat dominium sui corporis, contrahatque obligationem ad commixtionem carnalem generatiuam, nemo enim potest ad id obligari, quod sibi semper est impossibile, vt dicebamus *citatâ dub. 42.* ergo ex naturâ rei seu iure naturali est inhabilis ad contrahendum matrimonium. Hæc ratio probat eam impotentiam etiam antecedenter cognitam ab vtroque contrahente dirimere matrimonium, quia fundatur in incapacitate personæ ad talem contractum: vt contra Paludanum ostendit Sanchez *disp. 97. num. 4.* Coninc supra & Textus citati non distinguunt inter cognitam, & non cognitam impotentiam.

Sanchez. Coninc.

460. *Ad textum in contrarium respondetur.* Ad Textum *ex cap. 2. de frigidis* respondetur facilè ibi comparationem inter matrimonia puerorum, seu impuberum ex vnâ parte, & impotentium ex altera, solùm esse, quantum ad nullitatem ipsam matrimonij; non verò quantùm ad ius, ex quo nullitas oritur.

461. *Ad argumentum respondetur.* Ad argumentum verò respondetur, quamuis ad matrimonium ipsum non requiratur copula, requiri nihilominùs traditionem dominij ita, vt obligatio saltem radicalis ad illam requiratur iuxta dicta *disp. 5. dub. 12.* aliisque in locis, vnde necessaria est aptitudo ad illam.

462. *Ad argumenti confirmationem sequenti iā dubitatione respondebitur.* Quod verò attinet ad confirmationem ibi tangitur difficultas de impotentiâ, quæ superuenit matrimonio, quâ de re *sequenti dub.* disputabimus, & de mutatione feminæ in virum, quæ ibi etiam tangitur.

DVBITATIO XLV.

An impotentia matrimonio superueniens, illud dirimat, eiusue vsum impediat.

463. *Assertio 1. Cōsummatum matrimonium nō dissolui.* Asserendum primò est, si matrimonium est consummatum certissimum est & indubitatum tale matrimonium non posse dissolui per quodcunque impedimentum superueniens impotentiæ, quantumuis perpetuæ. Ratio est, quia matrimonium est indissolubile iuxta dicta *disp. 2. dub. 27. & 28. & 29.* *Ratio.*

464. *De rato & non consummato est difficultas.* *Affirmant aliqui, dissolui.* Gratianus. Albericus. Rubion. Carrerius. *Alij apud* Sanchez. Solùm ergo quærimus, quando superuenit matrimonio nondum consummato. Affirmant aliqui dissolui, nec desunt argumenta pro eâ sententiâ difficilia. Ita Gratianus *33. q. 1. in summa ad finem.* Albericus, Rubion. Carrerius, & alij apud Sanchez *lib. 7. disp. 102.* Probari potest *ex c. Quod proposuisti 32. quæst. 7.* vbi Gregorius III. cuidam concessit licentiam migrandi ad aliud matrimonium propter impotentiam perpetuam priori vxori superuenientem. Probatur 2. quia non minùs requiritur ad conseruationem, quàm ad primam rei productionem, & essentiam primò constituendam; sed matrimonij essentia primo constitui nequit, si adsit perpetua impotentia: ergo nec poterit conseruari, si superueniat post iam constitutum. Tertiò, quia obligatio reddendi debitum est inseparabilis passio matrimonij; ergo obligatione cessante per superuenientem impotentiam, cessabit essentia, cùm esset passio inseparabilis. Quartò, quia ex *c. Ex c. litteris de frigidis, & maleficiatis.* Alexander tertius concessit potestatem ineundi nouum matrimonium ei, cuius vxor ante consummationem fuit reddita copulæ inepta. Ex his argumentis secundum & tertium non parum difficultatis habent, (quidquid alij videantur eorum vim contemnere & eleuare) vt infra videbimus.

Primum argumentū ex iure Canonico. Greg. III. *Secundum argumentū.* *Tertium argumentum.* *Quartum argumentū ex iure Canonico.* Alexan. III. *Difficilia sunt secundum, & tertium argumentum.*

465. *Assertio 2. nec ratum matrimoniū dirimitur per impotentiam superuenientē.* S. Bonau. Scotus. Richard. Maior. Supplem. Gabriel. Henriq. Valentia. Rodrig. *Alij multi & cum ipsis* Sanchez *putans esse iustam causam dispensandi, si sit graue periculum incontinentiæ.* Abbas. Alexand. de Nouo. Brunel. Angelus. Lancelot. *Probatur ex iure Canonico.* Asserendum nihilominùs secundò cum secunda sententia nec matrimonium ratum dirimi per quamcunque impotentiam superuenientem. Ita Bonauentura *in 4. distinct. 34. art. 2. quæst. 2.* Scotus ibidem *quæst. vnicâ* Richardus, Maior, supplementum Gabrielis, Henriquez, Valentia, Rodriguez, & alij multi, quos refert, & sequitur Sanchez *supra num. 3.* fatetur tamen esse iustam causam, vt Pontifex in eo matrimonio rato dispenset, si multum timeatur de incontinentia alterius coniugis potentis. Pro qua doctrinâ refert Abbatem, Alexandrum de Neuo, Brunel, Angelus, Lancelot. Probatur assertio ex *c. Hi, qui 32. quæst. 7.* vbi generaliter definitur per nullam impotentiam superuenientem matrimonium cassari, & *ex cap. si vxorem 32. q. 5.* vbi Augustinus affirmat retinendam esse vxorem anteà ductam, non obstante quocunque corporis incommodo superueniente. Præterea in Ecclesiâ receptum est per professionem tantùm dissolui, & hoc est, certum vel per Papæ dispensationem, & hoc est probabile, & mihi plus quàm probabile.

466. *Ad primum argumentũ in contrarium.* Ad argumenta in contrarium respondetur ad primum prædictum Textum varias habere expositiones. Sed iis omissis, respondetur priorem coniugem non fuisse legitimam vxorem ob impedimentum perpetuum, idque solùm declarâsse Pontificem; ex eo tamen, quod ibi dicat non debere virum à priori vxore debitum subsidium auferre, non colligitur, quòd validum priùs fuerit matrimonium; sed tale subsidium, vel intelligitur dos restituenda, vel, si de alio subsidio accipiatur, solùm esse Consilium, quod ibi dat Pontifex. Pro qua expositione refert & sequitur Sanchez, Bellarminum *lib. 1. de matrimon. c. 11. in fine. & lib. 4. de Pontif. cap. 12. columna 1.* Sotum *in 4. distinct. 33. quæst. 1. artic. 2. in fine.* Menochius *de arbitr. lib. 2. Centur. 5. casu 420. num. 95.* & Glossa. ad prædictum Textum *verbo Nubat.* Eodem modo respondetur *ad quartum* ibi scilicèt textum loqui de impotentiâ perpetuâ, quæ præcessit matrimonium, quod indicant illa verba. *Si mulier illa vitium illud à natura contraxit.* Ita Glossa ibidem in verbo contraxit, quam refert, & sequitur Sanchez *disp. 102. num. 4.*

Sanchez. Bellarmin. Sotus. Menoch. Glossa. *Ad quartũ argumentũ ex eâdem doctrinâ respondetur.* Glossa. Sanchez.

467. *Ad secundũ communiter respondetur. Difficilis solutio vt ex dicendis cõstabit.* Ad secundum respondetur cõmuniter multa esse necessaria ad primam productionem existentiæ, eiusque essentiam primò constituendam in esse actuali, quæ posteà ad eius conseruationem non sunt æquè necessaria. Difficultatem huius & sequentis solutionis pro tertio argumento mox expendam.

468. *Ad tertium Responsio communis.* Ad tertium ergo respondetur etiam communiter obligationem reddendi debiti præsertim proximam non semper comitari matrimonium; sed tantùm in principio quando primò fuit, vt patet, quando communi consensu vterque coniux Religionem profitetur, vel quando alter est reus adulterij. Doctrina vtriusque solutionis mihi non parum difficultatis videtur habere in repræsenti etiamsi alioquin vera censeatur. Nam quod dicitur in solutione primi, multa esse necessaria ad primam productionem, quæ non sunt æquè necessaria ad eiusdẽ rei conseruationem, tunc tantùm verum est, quando agitur de requisito non essentiali, & essentialiter constitutiuo rei, vel quod essentialiter inuoluitur in conceptu illius, sic aliquando in physicis aliqua requiruntur ad primam formæ introductionem, quæ non requiruntur, vt introducta perseueret, ea tamen non debent esse constitutiua rei essentialiter, vt materia & forma, vel ita specificatiua rei, vt sine illis res non possit intelligi, vt relatio sine termino; sic etiam in moralibus, aut etiam mixtis ex morali & physico contingit v. g. quamuis in probabili sententiâ vinum conglaciatum non possit in eo statu consecrari, si tamen iam consecratum conglacietur, consecratio manet (de quo dixi *in 1. tomo de Sacramentis tract. 4. disput. 2. num. 85.*) Item licèt in probabili sententiâ, si tam parua materia sit, vt non possit naturaliter sentiri, non possit eadem consecrari; si tamen post consecrationem separetur, ita vt alioquin substantia panis in eâ conseruaretur, si ibi fuisset; manebit consecratio, (de quo ibidem dixi *num. 237.*) Illo verò; quæ omnino sunt essentialia rei, non minùs requiruntur, vt res conseruetur, quàm, vt incipiat sic essentia compositi, sic modus rei alicuius, & similia non minùs requirunt partes essentiales, & rem, cuius est modus, vt conseruentur facta, quàm, vt primò fiant. In nostro ergo casu corpus aptum ad generationem essentialis materia est contractus matrimonij (vt omnes fatemur) atque adeò non solùm, vt primò fiat, sed, vt perseueret necessaria essentialiter erit ea materia. Id quod in quouis alio contractu, & in quouis iure inde proueniente apparet v.g. si ex contractu emptionis, aut permutationis acquisiui domum, atque adeò ius vtendi illâ, tale ius non solùm requirit domum in prima acquisitione iuris, sed etiam in conseruatione, ita, vt si domus desinat esse, non possit non desinere tale ius. Addo si ius acquisitum non esset ad omnem vsum rei, sed ad certum quoddam tantùm, & res facta fuisset omnino inepta ad talem vsum, ita, vt vsus ille esset naturâ impossibilis, non posset manere ius ad vsum. Sic si habuisses tantùm, & præcisè ius habitandi in eâ domo, & non alium vsum, nisi hũc, & per miraculum, aut alio modo domus facta fuisset inhabitabilis, atque adeo nõ domus; sed aliquid aliud v.g. saxum solidum, & tale, vt nunquàm possit fieri domus habitabilis, non potest concipi, quòd maneat ius habitandi in illâ, &, sicut non potuit primò acquiri ius habitandi pro tali casu, ita non potest perseuerare tale ius, quod vt existat essentialiter habet pro obiecto, seu termino talem rem aptam ad id. Sic ergo in nostro casu, cùm ius quod habet vnus coniux sit tantũ ad vsum corporis alterius coniugis ad generationẽ, & ad hãc (vt supponimus) non minùs inepta materia sit v.g. masculus sectus quã ad habitandũ domus versa in saxum, & vxor Lothi versa in statuam salis Gen. 19. non magis inepta esset ad generandũ ex illo, quàm, si viua vel mutasset sexum vel reddita fuisset prorsus incapax copulæ coniugalis generatiuæ, non videtur posse intelligi quòd maneat ius, quod prius inceperat, sicut non manet ius habitandi in domo, quod priùs inceperat, eo ipso quòd domus sit inepta ad habitationẽ, aut desinat esse domus. Ex quo videtur etiam corruere doctrina solutionis secundi argumenti, dũ licèt fateatur non manere obligationẽ proximã reddendi debiti, & non esse necessarium, vt maneat matrimonium supponens vtique manere radicalẽ: quã tamen non manere posse probare videtur ratio facta; sicut enim non potest manere proxima obligatio sine proximâ potẽtiâ; ita neque radicalis obligatio sine radicali potentiâ, quæ non videtur manere, quando materia est inepta naturâ suâ. Quod si recurras ad quandã remotissimam capacitatem, scilicèt quod non repugnet per diuinã potentiam illam potẽtiam restitui, atque adeò, quòd coniuge facto incapaci adhuc maneat in vtroque ius, & dominiũ, vt si Deus iterum restitueret potentiam, sit ius in vtroque ad talem vsum, & hoc appelles ius & dominium radicale: si hoc (inquã dicas) suboriuntur aliæ difficultates. Primò, quod si hoc sufficeret posset etiã dici manere dominium & ius etiamsi femina (vt aliquando factũ est) erupisset

Huius & præcedentis argumenti responsio & doctrina non parum difficilis ostenditur.

Augetur difficultas & ostenditur.

Explicatur.

Eadem difficultas locũ habet in solutione secundi argumenti.

pisset in masculum, erumpente decursu tẽporis inchoato quodam sexu masculino succrescentibus partibus ad id requisitis quia Dei potẽtia æquè potest illi restituere pristinũ sexum, atque pristinã potentiam. Quapropter, sicut tunc si dicas semel acquisito dominio, & iure, quod non poterat sine actuali potentiâ acquiri, manere nihilominùs destructâ iam potentiâ tale dominium quia satis est, quòd maneat adhuc ius, vt si Deus restituat potentiam, possit vti suo iure; eodem modo dici poterit, si semel acquisito iure & dominio, quod non poterat sine actuali sexu femineo acquiri; manere nihilominùs destructo iã aut mutato sexu in alium, quia satis est, quòd maneat ius tale, vt si Deus restituat pristinum sexum, possit vti suo iure, quod tamen non concedunt Doctores sed tunc docent perire ius & dominium. Secundò suboritur difficultas, quod eodẽ modo in aliis pactis, & contractibus posset dici, etiam destructâ, aut mutatâ re, manere ius, vt, si iterum redeat ad pristinum statum; habeat homo ius vtendi illâ, & in hoc sensu perseuerare ius antiquum Domini v. g. in suo mancipio mortuo, & ius, quod dicebamus vtendi domo iam destructa seu conuersa in saxum, & ius in Loth ad suam vxorem versam in statuam salis, præsertim, si non aliunde supponamus contractum fuisse restrictum vsque ad mortem, & non vltra, vt de facto dici solet & meritò, quòd si coniux mortuus resurgat, non resurget ius, & vinculum matrimonij, quod morte fuit extinctum. Cùm ergo mortuis, & amputatis membris, & instrumentis generationis, non minùs mortua sit & extincta potentia generatiua, quam, si totus homo coniux esset extinctus, non appareret, quomodo possit manere ius etiam radicale, cùm in vtroque casu, nec radicalis potentia maneat in naturâ; potentia verò supernatulis æquè sit pro vno casu, atque pro alio; ergo æquè erit extinctum, vel non extinctum ius in vtroque casu. Atqui constat mortuo toto homine ius extingui & alterum coniugem manere liberum, ergo mortuo partiali homine, id est mortuâ eâ parte hominis, in quâ residebat obiectum essentiale talis iuris, extingui debebit tale ius in altero; atque adeò alter coniux potens manebit liber, quia nec alter tenetur ipsi ampliùs, nec ille alteri debitũ reddere, cùm hoc sit omninò impossibile extincto quidem obiecto iuris in eo, qui adhuc manet potens; extincto etiam subiecto iuris ex parte impotentis, quia neque hic habet subiectũ capax iuris vtendi altero potente, nec alter potest habere ius vtendi impotente, seu ad vsum, qui non est copula matrimonialis. Res tota mihi videtur manifesto exemplo declarari. Ponamus duos siue ex pacto, siue ex lege habere ius & obligationem alterum alterius statis temporibus mutuò oculos aspiciendi. Hoc ius & obligatio non solùm extinguitur vtriusq; vel alterutrius morte; sed etiam quando saltem alterutri illorum eruti essent oculi, adeò, vt, sicut alterutro mortuo superstes alter maneret liber à mutuo aspectu (quia iã est impossibilis mutuus) ita alterutro orbato oculis maneret, is qui potest adhuc videre, liber à mutuo oculorum aspectu, quia iam est impossibilis mutuus. In non cæco quidem quia non habet obiectũ scilicet oculos alterius, in cæco verò, quia nõ habet capax subiectum & potentiam talis aspectus; scilicet oculos proprios, & non potest ius manere sine obiecto iuris, & sine subiecto iuris. Sic ergo in nostro casu licèt coniuges illi habuerint ius & obligationem copulandi se mutuò ad generationẽ, tale ius cessabit, non solùm vtriusque vel alterutrius morte; sed etiam alterutrius organo amputato, quod nõ minùs est essentiale instrumentũ ad copulã, quàm oculi instrumentũ ad visionẽ, vnde sicut in illo casu esset impossibile mutuum ius se mutuò aspiciendi, quia in vno deficeret obiectum iuris, & in altero subiectum capax talis iuris; ita & in nostro casu erit impossibile ius se copulandi, quia in vno deficit obiectum iuris, nempe correlatiuum instrumentum ad copulam; in altero verò subiectum potens talem copulam exercere, atque adeò subiectum capax talis iuris.

Alia difficultas suborta circa hoc sumpto argumento ex aliis pactis & contractibus.

Declaratur res tota exemplo.

469. *Quomodo ita sit accipienda & intelligenda doctrina Doctorum circa durantẽ obligationẽ in eo casu, & circa quæ.*

Propter hucusq; dicta non possum nõ explicare aliter id, quod dicitur, quando Auctores affirmant superueniente impotentiâ post matrimonium iam ratum, aut (si velis) etiam consummatũ manere adhuc vinculum & ius radicale, atque adeò non dissolui matrimonium. Nam, si intelligas ius copulandi se copulâ matrimoniali, nõ videtur hoc posse manere, siue ius intelligas proximũ siue radicale propter discursum, quem iam exposui; cùm enim omnino destructa sit physica potentia, quam necessariò requirit tale ius morale, nulla radix talis iuris aut ius radicale potest manere. In quo apparet discrimen nostri casus & aliorũ, qui solent assignari, in quibus manet ius radicale. v. g. in Professione Religiosâ legitimè factâ post consummatum matrimonium, aut in mutuo pacto nunquàm se copulandi; in iis enim, & similibus casibus potest manere simul cum potentiâ physicâ radicale ius, & impeditum proximum ius & obligatio iuxta dicta in præcedentibus præsertim *disput. 5. dub. 12.* sed abolitâ penitus potentiâ physicâ, quæ est fundamentum essentiale iuris etiam radicalis ad vsum talis potentiæ, non assequor quâ ratione possit intelligi ius radicale manere ad omnino impossibile. Quando ergo dicitur adhuc manere ius & vinculum solùm debet intelligi quoad alia. Primò quòd adhuc maneant coniuges sibi mutuò deuincti ad seruandã fidem cõiugalem non admittendi alium ad aliqua turpia & inhonesta, quæ, si fiant sint contra ius alterius coniugis & contra fidẽ sibi mutuò datã, & quod non solùm coniux factus impotens sit propter impotentiam incapax coniugij, sed ille, & alter adhuc fortè potens nõ possint vtroque viuente citra iniuriã alieno quacunq; ratione carnaliter adiũgi; quod debeãt se mutuò amare, fouere cohabitare, iuuare, & cætera præstare, quæ alioquin debuissent, si potentia maneret in vtroque solâ exclusâ obligatione & iure ad copulã factã impossibilem. Hac ratione intelligo verum esse id, quod dicitur tale vinculum coniugale, vt primò incipiat requirere plus, quàm, vt posteà conseruetur, nempe vinculum ad ea omnia, ita, vt non possit etiam coniux, qui adhuc est potens, alteri se tradere, & alterũ deserere, & quòd

Concluditur doctrina ex dictis.

ad id maneat ius in vtroque hoc (inquam) & reliqua dicta (excepto solo iure ad copulã, quod est impossibile) posse manere deficiente tali iure, & potentiâ copulandi se, quãuis non potuisset incipere, nisi in principio, quando fuit contractus, adesset potentia generandi, vt completè contractus fieret, semel autem facto contractu, etiamsi posteà desit potentia ad copulam, & ius ad illam, vtpotè impossibilem, cætera, quæ possunt manere sine potentiâ ad copulam, adhuc manent, vt dictum est. Atque ex his manet explicata doctrina solutionis, vtriusque argumẽti, & quo sensu possit & debeat admitti.

470. *Ad confirmationem positam in fine dubit. præcedentis.*

Iam verò ex his respondendum est ad cõfirmationem illã, quâ dub. præcedenti aduersarij contendebant impotentiam perpetuam nõ impedire matrimonium iure naturæ, cuius solutionem in hunc locum reiecimus. Concedimus ergo impotẽtiam superuenientem matrimonio nõ dissoluere illud quoad alia prædicta, vt probatum est in hac dubitatione; dissoluere tamen etiam quoad prædicta conuersionem feminæ in virum, de quo *dub.* 51. alia dicam. Omnium verò ratio est, quia impotentia superueniens solùm ex se reddit impossibilem actum copulæ coniugalis; non verò reliqua officia, quæ sibi mutuo debent coniuges, vir erga feminam, & femina erga virum. Mutatio vero feminæ in masculum; etiam alia officia, munia, & obsequia reddit impossibilia; quia obsequia, & officia, quæ debebat vir, tantùm sunt propria viri erga feminam, non viri erga virum, qualis iam est alter: Item obsequia, quæ debebat qui erat femina tantùm sunt obsequia propria feminæ erga virum, non viri erga virum; cum autem facta sit vir non possunt esse obsequia, & munia feminæ, qualis iam non est qua priùs fuerat femina cessant ergo tunc, non solùm ius ad copulam, sed ad cætera omnia, quia tunc, non solùm obiectum iuris ad copulam est obiectum impossibile; sed etiam obiectum iuris in viro ad obsequia sibi exhibenda à femina; & obiectum iuris in feminâ ad obsequia sibi exhibenda à viro (quæ sunt mutua officia) est obiectum impossibile. In quo apparet magna disparitas, quando sola potentia copulæ cessat.

DVBITATIO XLVI.

An impotentia naturalis ad seminandum dirimat matrimonium, etiamsi adsit potentia ad penetrationem vasis? vbi etiam agitur de Eunuchis & senibus & infirmis?

471. *Sententia negans aliquo iure dirimi. Hugo. Glossa. Alij nonnulli. Ratio pro iure Ecclesiastico. Ratio pro iure naturali.*

NEgant Hugo *lib. de matrimon. c.* 19. Gloss. *in Canonem. Hi, qui* 32. *quæst.* 2. alijque nonnulli; quia, quando adest potentia penetrandi, iam adest potentia coëundi; sed iure Ecclesiastico tantùm inhabilitatur, qui caret potentia coëundi, quæ nihil aliud est quàm potentia penetrandi; hac autem non caret: ergo nec potentia coëundi, ac proinde non est inhabilis iure positiuo. Præterea nec iure naturali, quia potentia ad penetrandum, etiamsi deficiat potentia seminandi, sufficit ad sedandam concupiscentiam propriam, & alterius; ergo iure naturali sufficit ad matrimonium, quod etiam suâ naturâ ordinatur in remedium concupiscentiæ. Omitto alia leuiora argumenta.

472. *Assertio affirmans. Sanchez contra aliquos. Coninc. Perez. Communis sententia. Indicatur in aliquibus textibus iuris Canonici & argumẽto inde ducto probatur.*

Asserendum nihilominus est impotentiam ad seminandum, etiamsi adsit potentia ad penetrandum vas, inhabilitare ad matrimonium. Ita Sanchez *lib.* 7. *disp.* 92. *num.* 8. contra aliquos alios, quos ibi refert. Item Coninc *disput.* 31. *dub.* 7. Perez *disput.* 37. *sect.* 3. estque communis sententia Doctorum, quæ videtur indicari *in cap.* 1. *de frigidis & maleficiatis*, vbi feminæ, quæ non potuit effici mater à viro, quem acceperat, conceditur licentia, vt nubat alteri, *& in cap.* 1. *eodem titulo &* 33 *quæst.* 1. *Canone* 2. vbi supponitur ad valorem matrimonij requiri in coniugibus potentiam ad talem commixtionem carnalem, quæ sufficiat, vt fiant vna caro, atqui ex eo tantùm, quòd vir nequeat seminare, quamuis possit penetrare, non potest femina fieri mater ex defectu veri seminis per se requisiti, neque contrahentes possunt fieri vna caro, id est principium vnius carnis: ergo impotentia ad seminandum inhabilitat ad matrimonium, etiamsi adsit potentia ad penetrandum.

473. *Probatur argumento ex Bulla Sixti V. Eiusdem Papæ, N intius declarauit hoc. Gutierr. Ledesma.*

Probatur etiam efficaciter argumento deducto ex sæpe citato motu Sixti V. & ex declaratione facta à Nuntio Hispaniarum virtute eiusdem motus proprij, quem referunt Gutierrez, & Petrus de Ledesma ille in quęstionibus Canonic. *in* 2. *edit. lib.* 1. *cap.* 16. retractans propter huiusmodi motum proprium, sententiam, quam ante illum editum fuerat sequutus; hic verò *quæst.* 58. *de matrimon. articulo primo dub.* 3. In eo igitur motu, & declaratione Nuncij illi commissa à Pontifice, declarantur Eunuchi, & Spadones vtroque teste carentes ad matrimonia contrahenda inhabiles ibi: *eosq; ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate nostrâ declares: & tàm locorum ordinarios, ne huiusmodi coniunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas; quàm eos etiam, qui de facto contraxerint, separari cures; & matrimonia illa sic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida esse decernas.* Itaque ibidem ideò prædicti Eunuchi declarantur esse, & fuisse inhabiles ad matrimoninium, quia quamuis possint coire & penetrare (vt multi dicuntur posse) verum nihilominùs semen non emittunt: ergo pari ratione, si quis alius etiam non Eunuchus nullum possit emittere verum semen, non erit habilis ad matrimonium.

Verba Pontificis ad Nuntium.

474. *Ratio à priori ex dictis & aliis textibus.*

Atque ex his pro omnibus sumitur ratio à priori sæpè in præcedentibus assignata, quia ad matrimonium requiritur corpus aptum, vt fiat vna caro cum corpore alterius vt supponitur in eo *cap.* 5. *de frigidis & maleficiatis* & in *Canone illo* 2. 33. deducturque ex illo *Genes. Et erunt duo in carne vna.* Requiritur etiam, quod sit aptum ad reddendum debitum coniugale, vt significatur *in capit. secundo de frigidis.* Sed, qui est impotens ad verè seminandum, neque est aptus, vt fiat vna caro iuxta dicta, neque, vt satisfaciat debito coniugali,

ugali, cui non satisfit per copulam ex se insufficientem ad generationem, vt ex dictis etiam & dicendis constat: ergo tales eâ potentiâ destituti non sunt habiles ex naturâ rei ad matrimonium.

475. *Colligitur ex dictis inhabilitas Eunuchorũ seu Spadonũ.* Ex dictis in hac, & præcedentibus dubitationibus colligitur primò Eunuchos seu Spadones, quibus nominibus intelliguntur, qui sunt vtroque teste priuati, siue quia sunt testes aulsi, seu contusi, & attriti ita, vt sint inepti ad verum semen administrandum, esse omnino inhabiles ad matrimonium licèt possint penetrare, & humorem quendam semini similem communicare, vt constat ex citato motu Sixti V.

476. *Senes quando censeantur inhabiles ex eo capite. Communis sent. & Sanchezij cõtra Nauarrum & alios.* Colligitur 2. senes ita vel exhaustos, vel effetos vt adhuc arte medicinæ adiuti nequeant coire seminando intra vas, esse inhabiles ad matrimonium propter dictas causas, vt contra Nauarrum & alios docet Sanchez supra, & communiter Doctores.

477. *Quid de infirmis & existentibus in articulo mortis?* De infirmis verò existentibus in articulo mortis quamuis iam non possint coire, habiles esse ad matrimonium docent communiter Doctores, & vsus Ecclesiæ probat; quia eorum impotentia non censetur perpetua, quãuis enim duret vsque ad mortem; id omnino per accidens est, nempe ex defectu subiecti; nam, si subiectum non moreretur, tandem potentia fieret expedita.

478. *Quid si maior pars seminis extra, aliqua tamẽ intra cadat?* Quãuis autem magna, imò maior pars seminis prolifici non possit intra vas mitti; si tamen aliqua pars intra vas mittatur, sufficit; sicut ad consummandum matrimonium, ita ad generationem, & valorem ipsius. Vnde à fortiori etiamsi aliquis nimis calidus sit, effundatque semen ante penetrationem; tamen postea penetret si in coitu perseuerans, iterum possit seminare (quod quidam dicuntur experiri) non obstabit nimius calor, vt censeatur habilis ad matrimonium, nec prima effusio peccatum erit, vtpotè per accidens & præter intentionem contingens, dum ille vtitur iure suo.

479. *Quid, si femina seminare nequeat.* Vtrùm autem, si femina seminare nequeat, valeat matrimonium, dummodò capax sit seminis virilis recipiendi? pendet ex eâ quæstione Philosophicâ, & Medicâ, de qua nõ semel diximus in præcedentibus maximè *disp.* 2 *dub.* 34. an scilicèt ad generationem sufficiat semen vitile intra matricem receptum; vel requiratur etiam femineum? Et, quia vtraque sententia est probabilis, probabilis etiam erit pars affirmatiua, & negatiua in nostro casu; quamuis quod attinet ad praxim, semper videatur iudicandum in fauorem matrimonij, ita, vt valeat; & docet Sanchez suprà *n.* 9. cũ alijs, quos refert, qui (vt diximus loco notato) putant semen femineum non esse præcisè necessarium. Atque (vt in *hac disp.* notabam *dub.* 34.) non pauca feminæ testantur se concepisse & peperisse absque vlla seminis ex parte sua administratione. Quod, si semel concedatur Auctoribus oppositæ sententiæ non esse habendam in eâ re fidem feminis (nempe; quia ipsis non aduertentibus, semen ex ipsarum parte etiam concurrit) colligiturque etiam id, quod dico scilicèt in praxi sequendam esse oppositam opinionem. Nam si non sentientibus, & non aduertentibus feminis fieri potest, & fit, quod semen femineum coniungatur cùm vitili, ipsæque seminent, nullo modo poterit probari, quod matrimonium non valeat, & femina sit inhabilis ex eo præcisè quod ex parte suâ non sit capax ad communicandum semen; vnde enim id poterit dignosci, si potest ille concursus fieri sine vllo feminæ sensu, & aduertentia? Confirmatur, quia in casu, quo femina dicit se concepisse, & peperisse absque semine ex parte suâ, dicunt aduersarij id falsum esse, illamque non sensisse, aut aduertisse, quamuis reuerà adfuerit semen; ergo idem omnino dici poterit, etiam quando nulla proles sequitur, nunquamque erit locus in praxi tali opinioni aduersariorum, vt censeatur inhabilis femina ad matrimonium solum ex eo, quod non seminet. Quæ ratio etiam probat pro consummatione matrimonij, de quâ diximus *disput.* 2. *dubit.* 34. & pro affinitate contrahenda. Quâ de re diximus in hac *disp. dub.* 34.

480. *Carentes altero tantũ testiculo capaces sunt matrimonij.* De iis verò, qui altero tantum esse carent, & experientia docet, & Doctores consentiunt esse habiles & capaces ad matrimonium. Legatur Sanchez loco citato.

481. *Ex dictis patet responsio ad fundamentum aduersariorum.* Ex traditâ doctrinâ patet ad fundamentum aduersariorum, qui falsò assumunt, nec iure Ecclesiastico nec naturali impotentem seminare esse inhabilem ad matrimonium, falsò etiam assumunt talem copulam esse aptam materiam, & sufficientem ad sedandam concupiscentiam; imò licèt eâ ratione sedari posset, adhuc non sufficeret ad matrimonium, ad quod requiritur potentia copulam habendi aptam ex se generationi, vt probatum est. Ideò etiam iterum displicet, quod docet Sanchez *lib.* 8. *disp.* 102. *num.* 6. & 7. & diximus nobis displicere. *Tractat. de Pœnitent. & confess. disp.* 9. *n.* 374. nempè licere copulam marito, qui non potest verum semen effundere, quia vtroque teste orbatus est, quem in hoc etiam sequitur Perez *disput.* 37. *sect.* 10. *num.* 4. & refert Toletum *lib.* 7. *summæ cap.* 12. *num.* 4. sic sentientem de facto Eunucho post matrimonium. Probant, quia vir ille iure suo vtitur vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit, quam doctrinam loco notato reiecimus, & probauimus non cohærere cum iis, quæ alijs in locis ibi à nobis notatis docet idem Sanchez accessum scilicèt Eunuchi ad non vxorem esse peccatum contra naturam, si enim penetrando vas est contra naturam ea copula; etiam talis erit copula cum vxore. Nam esse copulam contra naturam, non prouenit ex defectu matrimonij: sed ex eo quod non sit quoad substantiam naturalis copula, atque adeò non potest esse copula coniugalis, neque actus coniugij, seu matrimonij, neque enim matrimonium præbet ius ad actum contra naturam. Vnde contra Sanchez sic conficiebam dilemma. Vel actus ille est ex se contra naturam, vel non? Si est ergo falsò affirmat ibi *n.* 7. quod vir ille iure suo vtatur, neque enim potest habere ius ex vi sui matrimonij ad actum contra naturam. Si verò non est contra naturam, ergo neque inter non coniugatos est contra naturam,

Notandum pro praxi contra Sanchez *& contra* Perez *& contra* Toletum. *Non licere copulam viro facto Eunucho post coniugium. Aduersariorum ratio supponẽs vel assumẽs falsum.*

Impugnatur Sanchez *argumento ad hominẽ.*

Dilemma.

Sanchez *cum alijs.*

in quibus tantùm deest vinculum matrimonij, quod vinculum non facit actum, qui ex se est contra naturam, desinere esse contra naturam, vt latius ibi dicebam. Præterea (vt ibi quoque notabam) in fundamento eius sententiæ est petitio principij assumendo id, de quo est præsens controuersia reddendo pro ratione *quod vir ille iure suo vtatur*, & quod *sit vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit* (de hoc enim erat ibi controuersia) & oportebat aliunde probare, quòd habeat Eunuchus ius ad talem copulam. Vide, si placet plura, quæ ibi diximus contra hoc.

DVBITATIO XLVII.

An impotentia respectiua dirimat matrimonium contrahendum?

482. *Assertio.1. si est potentia talis perpetua, dirimit matrimonium contrahendum cum termino respectus.* *Argumentũ ex iure Canonico.*

ASsero.1. si fortè possibilis est impotentia aliqua naturalis respectiua perpetua dirimit matrimonium contrahendum cum eâ personâ, comparatione cuius est illa impotentia. Probatur argumento deducto ex *c. fraternitatis 6. de frigidis.* vbi feminam arctam comparatione cuiusdam viri falsò talem putatam reducit Pontifex ad matrimonium cum tali viro, quod iam Episcopus per sententiam dissoluerat, non reducturus illam ad tale matrimoniũ, si verè fuisset arcta comparatione ipsius. Præterea de impotentiâ ex maleficio expressè admittitur in *c. finali 33. q. 1.* Quapropter si impotentia respectiua ab extrinseco prouenies dirimit matrimonium, potiori ratione dirimet impotentia naturalis intrinseca, si perpetua sit.

Ratio à priori.

Ratio verò à priori est, quia naturaliter impotens non potest fieri vna caro toto tempore, quo durat impotentia comparatione eius personæ, respectu cuius est impotens: ergo, si impotentia naturalis respectiua sit perpetua, faciet impotentem semper ineptum, vt fiat vna caro comparatione ipsius, atque adeò comparatione eiusdem erit inepta materia matrimonij.

483. *An sit possibilis impotentia naturalis respectiua perpetua.*

Solùm ergo restat difficultas, an talis impotentia respectiua naturalis sit possibilis?

484. *Prima sententia negat.* D. Thom. D Bonau. *Alij apud Sanchez.*

Prima sententia negat talem esse perpetuam. Ita D. Thomas *in 4. dist. 3. 4. q. vnicâ artic. 2. ad 5.* & D. Bonauentura *ibidem art. 2. q. 2.* alijque apud Sanch. *disp. 93. num. 2.* videturque deduci ex Canone *2. 33. q. 1.* vbi dicitur: *nam, si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conueniet?* secundò quia *in c. Fraternitatis*, citato definitur matrimonio dissoluto propterea quòd vir non posset vas feminę penetrare, propter nimiam ipsius arctitudinem, si postmodum ea alteri nubat, & ab eo cognoscatur prius instaurandum esse matrimonium. Sentit ergo Ecclesia non esse impotentiam respectiuam; nam si hæc esset, iniusta fuisset decisio illius capitis, fieri enim potest, quòd prior vir esset impotens respectu illius feminæ & femina incapax respectu illius, non verò respectu posterioris viri.

Videtur deduci ex iure Canonico 1.

Secundo deducitur ex eodem iure.

Tertio deducitur.

Tertio, quia ex *c. Laudabilem 5. de frigidis* decidit virum separatum à femina, & feminam à viro præstito iuramento, quod vir non possit eam cognoscere, esse ad idem matrimonium reuocandos, si ille aliam duxerit, & habentur rei periurij, & vt tales puniendi. Quod iniquè fieret, si posset esse impotentia aliqua naturalis perpetua respectiua cum priori femina; nam ex sequenti copulâ cum secundâ non rectè inferretur aptitudo ad copulam cum primâ. Tandem, quia impotentia censetur temporalis, atque adeò non dirimens, quando per artem potest tolli iuxta *c. citatum. Fraternitatis.* atqui eiusmodi est impotentia, quando quis inuenitur potens ad corruptam non autem ad virginem, ergo non dicitur talis impotentia, quæ ex se sit naturalis perpetua.

485. *Assertio.2. cum 2. sententiâ. Possibilis est impotentia aliqua naturalis respectiua perpetua.* Durand. Richard. Paludan. Henriq. Valentia. *Alij multi apud Sanchez quos ipse sequitur.* Coninc. Basilius. Perez. Hurtad.

Asserendum nihilominus est 2. cum secunda sententia possibilem esse impotentiam aliquam naturalem respectiuam perpetuam. Ita docet Scotus in *4. dist. 34. q. vnicâ* Durandus ibi. *q. 2.* Richard. *art. 2. q. 2.* Paludanus *q. 2. art. 2.* Henriq. *lib. 12. c. 7. num. 4. & 9.* & ibi in Commentario littera P. & littera Q. Valentia *tomo 4. disp. 10. q. 5. puncto 3.* alijque multi apud Sanchez quos sequitur supra num. 5. quibus adde Coninc *disputation. 31. num. 84.* Basilium *libr. 7. cap. 61.* Perez *disputation. 37. section. 5. numer. 3.* Hurtadum *disputat. 22. diffic. 6.*

486. *Probatur.1. argumento ex iure Canonico.* Basilius.

Probari verò potest 1. argumento deducto ex *c Fraternitatis* vbi quodam matrimonio dissoluto, quia vir propter nimiam feminæ arctitudinem non poterat eam cognoscere, & ipsa posteà alteri nupta ab eodem secundo corrupta fuit, definitur restaurandam esse priori, non quidem absolutè, sed quia vir similis erat priori, nempe quoad ætatem, robur, & instrumentum. Ex quibus constabat priorem virum potuisse illam cognoscere. Vnde in eo capite supponitur non fore restituendam, si prior vir esset debilior posteriore, atque adeò supponitur esse impotentia naturalis respectiua perpetua dirimens matrimonium. Et legi potest Basilius, qui rectè, & latè expendit verba illius capitis & maximè videntur expendenda illa verba: *cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscetur, & ideò inter ipsam, & primum virum dicimus matrimonium extitisse.* Quibus satis denotat Pontifex non fuisse restaurandum matrimonium, si prior vir debilior fuisset.

487. *Probatur ratione.*

Ratione verò probatur fieri enim potest virum ita esse debilem, feminam verò adeò arctam, aut viri instrumentum adeò crassum, & os vasis adeò angustum, vt femina non possit tali instrumento penetrari, neque vllâ humanâ industriâ absque vitæ periculo possit incidi, aut aperiri, possit verò esse apta alteri, qui fortis sit aut non ita crassus, vt ipsi aptari femina possit. Quæ omnia videntur non posse negari: ergo nec negandum est posse esse impotentiam aliquam naturalem respectiuam, eamque perpetuam, atque adeò dirimentem matrimonium. Ex quo fundamento corruit vltimum argumẽtum aduersariorum.

Vltimum argumentũ aduersariorum ex dictis soluitur.

Ad primum Textum ex Canone illo primò Respondetur loqui in casu, quo feminæ alicui concordare non potest vir naturaliter propter naturalem frigiditatem, quod impedimentum non est respectiuum, sed absolutum.

488. *Ad primũ textum in contrariũ.*

Ad secundum Textum *c. Fraternitatis* constat ex

489. *Ad secũdũ.*

ex dictis non decidi absolutè reddendam esse priori viro, sed tantùm quando secundus erat similis primo.

490. *Ad tertiũ.* Ad tertium *ex c. Laudabilem.* Respondetur ibi etiam esse sermonem de impedimento frigiditatis, vt constat ex initio capitis. Quod impedimentum non est respectiuum, sed absolutum.

491. *Quæsitum de perpetuitate respectiuæ impotentiæ.* Quæret tamen aliquis, quænam impotentia respectiua censeatur perpetua, & vnde dignoscatur?

492. *Respondetur ex supra dictis.* Respondeo hoc quæsitum iam supra resolutum esse *dub.* 41. vbi diximus eam dici perpetuam, quæ non potest remoueri arte humanâ absque probabili periculo vitæ aut grauis mortis miraculo, aut peccato ibi legatur.

493. Solùm hîc addendum est, pro dignoscenda potentia respectiua perpetua meritò dubitari posse, quid censendum de femina arcta; quæ viro non frigido sed potenti nupsit, & ab eo cognosci non potest, tamen per coitum cum altero viro potentiori aptari potuit vel aptata fuit priori.

494. *Respondetur ex principiis generalibus.* Sanè si constet per vsum cuiuscunque temporis prioris viri, aut arte medicinæ absque corporis periculo, aut absque peccato non posse aptari, dicendum est tale matrimonium esse irritum, & impotentiam censeri perpetuam. *Ita sentiũt plurimi relati dub. 41. ex Sanchez & alij etiã plures.* Quam sententiam tradunt innumeri Doctores, quotquot sentiunt censeri impedimentum perpetuum & dirimens, quod tolli non potest per opus humanum absque peccato. Quos Authores retulimus *citatâ dub.* 41. ex Sanchez *l.* 7. *disp.* 93. *n.* 9. idemque docent alij plures, quos ipse etiam refert *n.* 11. & 12. Sanchez. *Alij plures.*

495. *In quo iam tandem sit difficultas.* Solùm restat difficultas, an eo ipso, quòd facti experientiâ comperitur eam feminam potuisse ab alio potentiori cognosci, vel matronæ peritæ iudicent id fieri posse, præsumat ius potuisse quoque cognosci à priori viro non frigido, sed maleficato?

496. *Quorundã sententia.* Affirmant aliqui apud Sanch. *supra numer.* 11. petito argumento ex sæpe *citato c. fraternitatis*, vbi femina cognoscibilis vni præsumitur cognoscibilis omnibus.

497. *Non ex eo quod fœmina potuerit ab vno cognosci sufficienter constat potuisse cognosci ab aliis. Constat ex dictis.* Nihilominùs verissimum puto non ex eo quod potuisset ab vno cognosci, sufficienter præsumi posse cognosci ab aliis, constatque ex dictis in hac dub. pro explicatione *citati c. fraternitatis*, sed in eo casu inspiciendum esse, an vterque vir similis sit ætate, robore, instrumentoque virili? & inuentâ similitudine præsumenda est apta priori viro, atque adeò matrimoniũ valere; secùs verò, si dissimiles sint, maximè si prior fuisset senex, debilis, aut defectum in instrumento pateretur; è contra verò secundus. *Probatur ex textu sæpe citato.* Probatur hoc *ex c. fraternitatis* verbis illis citatis, *cùm pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscetur.* Requirit ergo textus similitudinem vnius viri cum altero in prædictis qualitatibus conducentibus ad præsumendam potentiam, & non solam similitudinem naturæ, quæ non sufficit ad talem præsumptionem. Atque ita docet Sanchez *supra numer.* 12. cum aliis plurimis, quos refert, quibus adde Basilium, Coninc, & Perez *suprà*. Sanchez. *Cum aliis multis.* Basilius. Coninc. Perez.

498. *Obiectio.* Obiicies tamen aliquis eo ipso, quod femina per vsum cum posteriori viro reddita fuerit apta priori, meritò præsumi potest etiam potuisse reddi apta aliis instrumentis, siue ligneis, siue alterius materiæ: ergo sufficienter præsumi potuit impotentiam illàm non esse talem respectiuam, quæ non potuerit tolli arte, & remedio humano.

499. Respondetur disparem esse rationem apertionis factæ membro virili ab eâ, quæ fieri posset ligno, vel ferro, quia hæc est contra naturam, & omnino violenta, atque adeò mirũ non est, si ex hac corporis periculum timeatur, quod ex illâ non imminet. Ita Sanchez supra & alij citati. Sanchez. *Alij citati.*

500. *Dissimilitudo prædicta debet esse notabilis, nõ exigua tantùm.* Quod dixi de dissimilitudine prioris & posterioris viri intelligendum est, si ea notabilis sit, nam, si tantùm exigua, non sufficit, vt præsumatur inepta primo, quæ fuit apta secundo, vt ex Durando & Henriquez docet idem Sanchez *numer.* 13. qui cum aliis *numer.* 14. putat, si dissimilitudo non satis constet, & sit dubia, præsumendum esse eam feminam à priori viro potuisse cognosci, ac proinde illius matrimonium valere, esseque instaurandum, si fortè priùs fuisset dissolutum. Ita Abbas Matienzo, & Rosella verb. *Diuortium n.* 3. quos refert ibi Sanchez, qui dicunt, si non cõstet de discrimine inter vtrumque virum, præsumi feminam potuisse cognosci à priori viro. Sanchez. Durand. Henriq. *In dubio præsumendũ pro valore prioris matrimonij, & erit instaurandum.* Abbas. Matienzo. Rosella.

Imò idem Sanchez cum Angelo & Henriquez quos retulerat *numer.* 12. probabiliorem meritò putat sententiam, quæ docet oportere apertè constare de dissimilitudine, ne præsumatur priùs matrimonium validum, & restaurandum sit. Atque expresè in terminis tradunt Sylvest. verbo *matrimonium* 8. *q.* 16. *dicto* 4. & verbo *Diuortium q.* 19. *numer.* 22. vbi supplementum Pisanæ *numer.* 3. & addunt supplementum, Sylvester, & Rosella (& quidem meritò) id locum habere, etiamsi maritus prior ijs nuptijs dissolutis ad alias migrasset. Legatur Sanchez loco citato, vbi rectè addit cum Paludano, quando constat notabilis dissimilitudo inter vtrumque non esse feminam reddendam priori viro, etiamsi dubium sit, an per vsum illius potuerit quoque reddi apta, quia adhuc contra illum est præsumptio. Vnum tamen addiderim (saluo meliori iudicio) non improbabile; postquàm scilicèt eò res deuenerunt, vt prius matrimonium declaretur validum, & adhuc neuter contrahens velit ingredi Religionem; si timeantur graues difficultates, posse Papam dispensare in illo priori matrimonio, vtpotè nondum consummato iuxta doctrinam datam *disp.* 2. *dub.* 29. sed hoc pendet ex circumstantiis prudenter cõsiderandis. Sanchez. Paludan. *Casus in quo videtur posse Papam dispensare, pensatis prius prudenter circumstantiis.*

501. *Addendum cum Sanchez & aliis debere constare apertè de dissimilitudine, ne præsumatur prius validum, & sit instaurandum. Quando constat dissimilitudo cũ priori viro non debet illi restitui, etiam in dubio an vsu potuerit illi reddi apta.*

DVBITATIO XLVIII.

An coniux naturaliter impotens, cui licitè absque periculo vitæ, humano remedio potest subueniri, teneatur id pati, si alter coniux exigat?

502. HViusmodi difficultas solet præcipuè disputari de feminâ, quæ, nisi patiatur medi-

In femina habet locum præcipuè hæc quæstio.

cam & artificiosam, ac fortè violentam apertionem claustri pudoris ferro, aut ligno, sebaceâ candelâ, aliove instrumento, nequit à marito cognosci. Dubium autem esse potest in duplici euentu; primò, quando id prouenit ex parte ipsius feminæ ob nimiam & extraordinariam arctitudinem. Secundò, quando ex parte viri ob extraordinariam debilitatem, vel fortè ob extraordinariam crassitudinem, & de vtroque casu sigillatim dicemus.

Duplex casus, in quo esse potest dubium.

Primus.

Secundus.

503. *Supponendum 1. contra Basilium cum communi sententiâ.*

Supponendum verò primò est (quidquid reclamet Basilius lib. 7. c. 62.) cum communi Doctorum sententiâ similem sigilli, claustrique apertionem licitam esse non solùm in femina corrupta, sed etiam in virgine; neque enim turpe censetur iuuare naturam ad actum honestum, qualis est coniugalis. Quapropter, si ex alio capite non repugnet impotentia, quæ sic tolli potest absque peccato, & periculo corporali, non censetur perpetua, nec dirimere matrimonium, nec eiusmodi medium horret natura, vt ille putat.

504. *Circa primum casum communis sensus Doctorum contra Basilium affirmat teneri si possit absque graui incommodo. Ratio.*

Circa primum ergo casum obstaculi se tenentis ex parte feminæ conueniunt ferè Doctores contra Basilium tenêri feminam id pati, si possit fieri absque graui incommodo, aut absque graui infirmitate, grauique dolore; nam ad id ipsa matrimonialis obligatio videtur posse obligare & consentit Diana in additionibus secundarijs ad 3. *par. resol.* 3. §. *Hoc supposito* quamuis *eadem 3. parte tract.* 4. *resol.* 201. inclinauerit saltem tanquàm in sententiam probabilem imò validis rationibus probatam sententiam Basilij, sed meritò in additionibus citatis temperauit ex parte doctrinam Basilij vt dicam infra.

Diana diuersis in locis variè sentire videtur sed tãdem quid dixerit apparebit infra.

Tota iam difficultas est; an quando fieri nequit absque graui incommodo, teneatur id pati?

505. *Status quæstionis si possit absque graui incõmodo an teneatur?*

Negant aliqui apud Sanchez *libr.* 7. *disputation.* 93. *numer.* 30. si nequeat fieri absque graui dolore.

506. *Negatiua sententia si nequeat absque graui dolore.*

Alij verò affirmant absolutè teneri id pati etiamsi sit cum graui dolore, quoties non imminet graue periculum mortis. Ita Palatios *in* 4. *distinct.* 34. *disp.* 1. Oualdus *disp. vnicâ corol.* 4. qui addit dummodò non timeatur perpetuum aliquod corporale incommodum. Angles *in floribus* 1. *p.* agens *de matrimonio q.* 8. *art.* 2. *dub.* 1. *difficultate* 1. & alij apud Sanchez *supra numer.* 31. & non dissentit Diana supra, vbi solùm excipit casum periculi mortis, aut grauis morbi.

507. *Affirmans sententia absolutè teneri etiam cum graui dolore cũra graue periculum.*

Palatios.
Oualdus.
Angles.
Alij apud Sanchez.
Diana.

Sanchez verò ibidem *num.* 32. cum Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio c.* 7. *num.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 34. *q. vnicâ. art.* 2. Rodriguez 1. *tomo Summæ in* 2. *editione c.* 235. *num.* 1. & alij apud Sanchez mediam quasi viam tenent, nempe teneri, quãuis futurus sit grauis dolor, non verò, si sit futura grauis aliqua infirmitas. Ita post alios Perez *disp.* 37. *sect.* 6. *num.* 4. & 5. Quæ sententia quoad vtramque partem mihi placet. Prior verò pars probatur; quia, cùm defectus sit ex parte feminę non debet graue nimis durumque censeri quod teneatur prædictum dolorem citò transiturum pati, ne in perpetuum priuetur maritus debito. Posterioris verò partis ratio est; quia meritò nimis graue iudicatur, & durum feminam adstringi ad solutionem debiti cum tanto detrimento sanitatis, aut vitæ.

508. *Media sententia vera non cum graui in firmitate sed teneri etiam cum graui dolore.*

Sanchez.
Henriq.
Sotus.
Rodrig.
Alij apud Sanchez.
Perez.

Circa posteriorem euentum defectus se tenentis ex parte viri triplex etiam est sententia. Primam sequitur Ochagauia *Tract.* 3. *q.* 69. scilicèt feminam teneri etiam cum graui dolore non periculoso; quia id putat hic Auctor exigere ius viri, quod habet in corpore feminæ. Eandem videtur tenere Megalius *in suo Promptuario Theologico* verbo *corruptio virginis num.* 5. vbi affert duo capita. Scilicet *c. ex litteris* & *c. fraternitatis de frigidis & maleficiatis*, vbi putat suã sententiam definiri.

Prior pars probatur.

Posterior pars probatur.

Secundam sequitur Sanchez *supra numer.* 34. scilicet teneri, quando non inde sequatur grauis infirmitas, quia, cùm vir culpâ vacet, & naturali imbecillitati, vel obstaculo ex parte ipsius mederi nequeat, quærendum est remedium ex parte feminæ, vt reddatur apta tali viro. Omitto alias rationes minoris momenti, quas ibi affert Sanchez, vt miratus fuerim tantùm virum illis fuisse vsum, qualis est maximè illa, quia si vir non posset moueri ad cognoscendam vxorem, nisi certo situ, aut pulchra, ornatáue pretiosis vestibus sit; tenetur femina eo situ vti, & talibus vestibus indui, fuciscque iuuari ad viri imbecillitatem iuuandam. Quæ ratio videtur absre, cum in præsenti agamus de remedio adhibendo cum graui incommodo, & dolore (citra periculum tamen) quorum nihil in eo remedio inuenies, quando situ, vestibus, aut fuco vtitur femina? Cùm Sanchez, quem pro se refert videtur sentire. Perez *supra numer.* 6. dum non grauem dolorem excipit, sed tantum grauẽ infirmitatem.

509. *Circa secũdum casum defectus se tenentis ex parte viri. Prima sententia teneri feminam etiam cum graui dolore non periculoso.*

Ochagau.
Ratio.
Megalius.

Magis placet tertia sententia, quam sequitur Petrus de Ledesma *de matrimonio q.* 58. *art.* 1. scilicèt non teneri feminam id pati. Ratio est, quia vt casus supponit ex parte feminæ nullum est impedimentum particulare, neque obstaculum præter commune virginitatis, atque adeò, quãtùm est ex se apta est ad reddendum viro debitum, totumque obstaculum est ex parte viri. Quapropter illi soli incumbit, & non feminæ vti remedio, quo defectus ipsius possit suppleri. Quod si non possit, sibi imputet vir, quòd cum tali defectu voluerit vxorem ducere; nam feminæ satis erit offerre solutionem debiti modo ordinario, maximè cùm natura quodammodò horreat, & insitus pudor difficilè patiatur feminam, præcipuè virginem artificio, aut instrumento violenter corrumpi, incidi, aut aperiri. Eandem sententiam dicit Pontius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 62. *num.* 2. quem refert & sequitur Diana *Resolutione illa* 3 *in addit.* & docuerat cum eodem 3. *p. tract.* 4. *Resol.* 201. idem quoque sentit Hurtado *de matrim. disp.* 12. *difficult.* 7. & 8. *nu.* 25. Caput verò *ex Litteris de frigidis & c. fraternitatis* eodem titulo expresè loquuntur de priori casu impedimenti se tenentis ex parte feminæ; non in hoc se tenente ex parte viri, ideò nihil probant.

510. *Secunda sententia est teneri quãdo inde non sequitur grauis infirmitas.*

Sanchez.
Ratio.
Alia eiusdem auctoris rationes pro tanto viro satis leues.
Consentit.
Perez.
cum Sanchez.

Ex dictis resolui potest quoddam dubium, de quo Sanchez agit *supra numer.* 29. an scilicèt integrum sit viro impotenti ad virginem, potenti autem ad corruptam propriâ auctoritate instrumento aliquo ligneo, aut ferreo, vel simili ad id accommodato; digitisve claustra virginis

511. *Tertia sententia negans teneri præfertur.*

Ledesma.
Ratio.

Basil. Pont.
Diana.

Hurtado.

Textus allegatus in cõtrarium loquitur in priori casu, non in hoc.

512. *Dubium.*

à se

à se ductæ referare, vt sic possit consummare matrimonium?

513. S. Thomas quid sentiat in hoc.

Sanctus Thomas *in 4. distinct. 34. q. vnicâ artic. 2.* sic ait: *si non posset implere carnalem actum cum virgine & posset cum corrupta; tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere & coniungi.* Idem docet Albertus magnus *ad eandem distinctionem articul. 4.* expressè dicens posse digitis. Idem docent alij, quos refert Sanchez *citato numer. 29.* Qui tamen putat eorum sententiam esse intelligendam, vt fiat à medico, & secundùm illius artem; ideo enim addiderunt illam vocem *medicinaliter*, vt significarent id nõ posse fieri propriâ auctoritate, sed iuxta medicorum præscriptum. Quod mihi placet; sed aliqui non distinguunt de impedimento ex parte viri aut ex parte feminæ.

Albertus Magnus. Alij apud Sanchez. Temperat merito, & limitat Sãchez & explicat prædictos Doctores.

514. Adhuc videtur distinguendũ in hac re.

Etiam adhuc supposito præscripto medicorum, & etiamsi medici dicant nullum esse periculum in eo remedio; ex alio capite apparet difficultas, & mihi videtur distinguendum. Nam, vel loquimur in casu, quo ex parte feminæ est impedimentum, propter extraordinariam arctitudinem, vel in casu, quo solùm ex parte viri. Si loquamur de casu ex parte feminæ, & in eo remedio non sit, (vt supponimus) periculum vitæ, aut grauis morbi, dicendum videtur iuxta dicta feminam teneri id pati, atque adeo virum etiam ipsâ inuitâ, & renitente id posse facere, vi, aut aliquo dolo incautam illam intercipiendo, si aliter non possit, tunc enim ius suum recuperat. Si verò impedimentum sit ex parte viri modo explicato; dicendum est iuxta nostram sententiam feminam non teneri cum eo dolore, & horrore, atque adeò non posse virum eâ inuitâ vi, aut dolo vtendo id facere; est enim iniustus dolor aut vis, vtpote cogens ad id, ad quod femina non tenetur. Omitto alios casus, qui facilè solui possunt ex dictis, & habentur apud Sanch. *citatâ disput. 93.* & apud Perez qui rectè respondet ad leuiora argumenta Basilij absolutè contendentis non teneri feminam id pati in vtroque casu impedimenti etiam se tenentis ex parte suâ, & ostendit saltem ex vi contractus teneri. Quod ego admitto pro impedimento se tenente ex parte feminæ & in iis mediis, etiam in virgine supposito matrimonio non esse indecentiam. Quod si in iure Canonico non reperiatur vsus talis incisionis, id potest fieri, quia non fuit propositus Pontificibus talis casus, & aliis viis potuerunt decidi casus illis propositi, & eiusmodi mediumnon est eligendum, nisi tentatis aliis facilioribus, præsertim, si ex aliis capitibus constet tale medium non necessariò debere, aut posse tentari.

Alij casus omittuntur faciles ex dictis & habentur apud Sanchez & Perez.

Non obstat data doctrina quòd in iure Canonico non fiat mentio prædictæ incisionis.

DVBITATIO XLIX.

An impotentia proueniens ex maleficio dirimat matrimonium subsequens?

515. Dæmones in hac re possunt nocere, & eorum opera malefici præsertim femina solẽt id facere. Martin. del Rio.

QVod dæmones id possint mali inferre, atque adeò malefici homines (quod vitium in feminis frequentius est) latè & eruditè probat Martinus del Rio *lib. 3. disquisitionum magicarum p. 1. q. 4. sect. 8.* possunt autem dæmones, aut malefici dæmonis arte causare impotentiam ad commixtionem carnalem, siue efficiendo illam perpetuam, siue temporalem, siue absolutam, siue respectiuam, potestque eiusmodi damnum variis signis dignosci. Qua de re latè agit Sanchez *libr. 7. disputation. 94.* à principio vsque ad *numer. 6.* sex fundamentis præmissis ad hanc quæstionem. In quorum primo supponit, & probat cum communi Doctorum hoc damnum esse possibile.

Varij modi sic nocendi in hac re. Varia signa id dignoscendi. Sanchez.

516. Quinque modi quibus frequentius id potest contingere. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

In secundo docet quinque modis posse contingere frequentius: primò impediendo corpora, ne sibi mutuò appropinquent; quando volunt copulari; secundo vel inflammando ad actum, vt ante coitum effundatur semen; vel è contra refrigerando, ne suppetant vires. Tertiò turbando phantasiam, & æstimatiuam, vt mulier reddatur viro exosa, vel è contra. Quartò prohibendo vim, & rigorem membri, saltem in ipsa occasione coitus. Quintò prohibendo missionem spirituum, & intercludendo vias seminis, ne ad vasa spermatica descendat, aut, ne semen excidat, vel emittatur, vel certè semen subtrahendo. Sextum modum addit prædictus Martinus del Rio *suprà* nempe obseruando, aut nimium arctando vas muliebre, aut viri genitalia abscondendo, retrahendo, vel admendo.

Alius sextus modus ex Martin. del Rio.

517. Tertius modus non solũ in viris sed etiam in feminis locum habet.

In tertio, non solos viros, sed etiam feminas posse maleficiis impotentes ad copulam reddi; quamuis frequentius sit hoc in viris damnum.

518. Quartus quandoque perpetuum, quandoque temporalem impotentiã inducit. D Thom.

In quarto maleficium quandoque inducere impotentiam absolutè, quandoque tantùm respectu vnius, vt docet D. Thomas ab omnibus receptus *in 4. distinction. 34. q. vnicâ articul. 3.*

519. Alia notanda circa quintum & sextum.

In quinto docet, ex quibus signis possit dignosci impedimentum prouenire potiùs, ex frigiditate, quàm ex maleficio, & in 6. signa maleficij potiùs, quàm frigiditatis. Et sanè quod attinet ad signa frigiditatis, pleraque imò omnia, quæ ibi affert Sanchez ex variis Auctoribus, non video cur non possint etiam arti dæmonis attribui. Probabiliora, quidẽ sunt signa maleficij maximè respectiui nihilominùs absolutè patent calumniæ, si quis vellet signa talia eludere, & etiam tribuere naturali, siue imbecillitati, siue etiam horrori propter aliquam causam, quã alter; vel vterque coniux habeat comparatione alterius. Vnde existimo maximâ prudentiâ, & cautelâ in iis discernendis opus esse. Legatur Sanchez *supra n. 5. & 6.*

Magna prudentia & cautela adhibenda ad discernendũ vnde proueniat damnum.

520. Prima sententia negat impotentiã quamcunque ex maleficio dirimere. Glossa. Innocent. Almaynus. Videtur deduci ex iure Canonico.

Iam verò prima sententia est nullam impotentiam ex maleficio prouenientem dirimere matrimonium. Ita Glossa *c. finali* verb. *nequibunt. 33. q. 1.* & c. *fraternitatis* verb. *diuinum de frigidis & maleficiatis*, & Innocentius c. *Laudabilem eodem titulo verbo Triennium* & c. *finali numer. 2.* ibidem, Item Almaynus *in 4. distinct. 34. q. vnicâ ad finem.* Quæ sententia deduci videtur ex *c. ex litteris 3. de frigidis* ibi: *si vitium illud mulier à natura contraxit, nec opere medicorum potuit adiuuari; viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem*: ergo à contrario sensu, quando vitium non prouenit à natura, non dirimit matrimonium. Ratione

Ratione probatur.

tione verò probatur. Nam impedimentum proueniens ex maleficio, non est perpetuum; neque enim aliquod maleficium est, quod non possit auferri per ipsum maleficum absque peccato: ergo nulla impotentia ex tali veneficio proueniens dirimit matrimonium, vtpotè non perpetua.

521. *Assertio affirmans cū plurimis Theologis, & Iurisperitis apud* Sanchez. Coninc. Basil. Reginald. Bonacin. Perez.

Asserendum nihilominùs est cum innumera Theologorum, & iurisperitorum caterua, quos refert & sequitur Sanchez *supra num.* 8. quibus adde Coninc *disp.* 31. Basilium *lib.* 7. *cap.* 65. Reginaldum *lib.* 31. *num.* 104. Bonacinam *q.* 3. *puncto* 13. *num.* 9. Perez *disputation.* 37. *section.* 7. *num.* 5. impotentiam ex maleficio posse dirimere matrimonium.

522. *Probatur* 1. *ex iure Canonico. Probatur* 2. *etiā ex iure Canonico. Sanchez cū cæteris.*

Probatur 1. ex Canone *finali* 33 *q.* 1. qui Canon quamuis sit cuiusdam Archiepiscopi, & non Romani Pontificis, quantùm adhoc tamen receptus est communi Ecclesiæ vsu. Item probatur ex *c. finali de frigidis & maleficiatis* quē Textum testatur Sanchez ab omnibus scribentibus intelligi de impedimento maleficij præter vnum Innocentium; qui illum explicat de impedimento frigiditatis, contra quem latè ibi disputat Sanchez. Aliqui Recentiores probare contendunt ex *c. Laudabilem* in quo tamē nihil inuenio, quod ad rem faciat.

523. *Probatur ratione generali.*

Ratione verò generali probari potest; quia quæcunque impotentia, si perpetua sit, dirimit matrimonium, vt sæpè diximus, & satis videtur significari in toto titulo de frigidis & maleficiatis, sed ex maleficio potest prouenire impotentia, ergo dirimere potest matrimonium. Maior patet ex sæpè dictis; quia non potest persona perpetuò impotens ad reddendum debitum, obligari ad illud reddendum, neque corpus impotens ad commixtionem carnalem est materia apta contractus matrimonij, in quo datur ius ad talem commixtionem & copulam. Minor verò, quòd scilicet, ex maleficio possit prouenire impotentia perpetua, probatur. Nam ex maleficio fieri potest tanta frigiditas, quanta solet esse frigiditas naturalis, ex quâ prouenit impotentia naturalis absoluta, & perpetua. Vnde non minùs, quàm ex causis aliis naturalibus potest quis ex maleficio impediri, quominus possit coire, & penetrare, aut post coitum semē emittere fieri etiam potest, vt maleficium, ex quo tale impedimentum prouenit, nequeat tolli absque alio maleficio; atque adeò absque peccato, quod sufficit, vt impedimentum censeatur perpetuum, vel certè, si absque alio maleficio tolli potuit, iam Auctor maleficij mortuus esse potest; quin sit alius, qui possit scire, aut indicare modum dissoluendi maleficij, ac proinde impedimentum censetur, & est perpetuum. Ex quo soluta manet ratio oppositæ sententiæ.

Ex dictis soluta manet ratio oppositæ sententiæ.

524. *Argumentū à contrario sensu sumptū ex iure.*

Argumentum verò à contrario sensu petitum *ex c. ex litteris* nihil probat, tale enim genus argumenti à contrario sensu non est efficax, maximè, si oppositum contineatur in iure, in quo probauimus contineri, posse esse impotentiam perpetuam dirimentem matrimonium.

525. *Obiectio.*

Obijcies ex hoc sequitur in dæmonis potestate esse efficere ex matrimonio non matrimonium, & ex non matrimonio matrimonium, inducendo, scilicèt, perpetuum obstaculum, illudve tollendo.

526. *Respōdetur.*

Respondetur concedendo posse per accidens; non verò per se, & directè, hoc est posse dæmonem personas habiles ad matrimonium reddere ineptas; tollendo maleficiis potentiam coëundi; non verò posse matrimonium semel validum irritare; quia per nullam superuenientem impotentiam irritatur omnino & quamuis irritaretur per superuenientem impotentiā de quo latè diximus *dub.* 45. id esset per accidens nedum directè ex parte dæmonis, sicuti ex parte cuiuscunque alterius, qui directè, & per se efficeret hominem directè impotentem; inde autem ex naturâ rei resultaret nullitas matrimonij propter defectum potentiæ requisitæ. Et eodem modo negandum est posse dæmonem de non matrimonio matrimonium constituere, ita, vt, si semel ratione maleficij perpetui non valuerit matrimonium, possit facere dæmon, vt valeat, etiam auferendo maleficium; si enim maleficium reuerà erat perpetuum ob impedimentum, quod modo licito nequibat auferri, quamuis arte dæmonis temporale fiat, vel omnino auferatur; non ideò valebit prius illud matrimonium. Solùm ergo poterit dæmon tollendo impedimentum perpetuum, efficere, vt persona, quæ sic impedita erat inhabilis, sublato impedimento habilis fiat; in quo nihil est absurdi.

527. *Quid si quis procurauit sibi maleficium? potestne petere dissolutionē matrimonij ratione illius? Negant aliqui.*

Nonnulli quidem sunt, qui putent eum, qui procurauit maleficium, non posse petere ratione illius dissolutionem matrimonij, cùm suâ culpâ id euenerit. Ita Gloss. Albericus. Astensis. Gaet. apud Sanchez *numer.* 13. quos rectè ille reiicit; quia semel positâ impotentiâ, à quocunque prouenerit, non pendet ex coniugum voluntate valor matrimonij, atque adeò vteruis illorum quacumque laboret culpâ, potest petere dissolutionem.

Gloss. Astensis. Gaet. *Reiiciuntur rectè à Sanchez.*

528. *Difficultas in hoc & diuersa ratio de maleficio præcedente, & de subsequente contractum.*

Vnum circa hoc de maleficio non leuem mihi ingerit difficultatem; nempe qua ratione philosophandum sit, quando non satis constat, an maleficium præcesserit, vel subsequutum fuerit matrimonium; nam, si præcessit perpetuum ante matrimonium non valet iuxta dicta; si verò subsequutum sit, matrimonium valet. Et quidem (ni fallor huiusmodi periculum, aut dubium frequentissimè timeri potest, maximè in casu, quo tale maleficium inducatur à tertio in odium vtriusque, vel alterutrius coniugum; fieri enim potest, quòd interim, dum pendet contractus matrimonij nondum factus, maleficium non fiat, & cum primum factus fuerit, incipiat habere effectum, quod sanè sæpe potest contingere, & fortè solet. Vnde non videtur tutum propter impedimentum notum post contractum matrimonij, declarare matrimoniū nullū, nisi alioquin idoneo argumento probetur impedimentum extitisse ante contractum matrimonij, quod in maleficiis rarò potest probari.

529. *Quid videatur tunc faciendum.*

Ideò mihi videtur accuratè adhibendam diligentiam, vt quantum fieri potest, sciatur, an post contractum matrimonij inductum fuerit maleficium. Nam, si constet fuisse post contractum

ctum matrimonij, licet nondum consummatum, valet matrimonium, licèt possit subesse causa vt Pontifex illum dissoluat. Si verò res sit dubia, mihi videtur posse præsumi maleficum seu maleficam id feciſſe, ante initum matrimonium, quia ista damna plerumque solent in hûc finem fieri, vt prædicti contractus disturbentur. Sanè in his omnibus, magnâ prudentiâ opus est, & magnâ diligentiâ.

§30. Vnum tamen aduerterim pro praxi, quod cùm in hoc casu sit opinio quorundam, quos retulimus *dub.45.* & refert Sànchez *disp.102.* per impedimentum superueniens matrimonio nôdum consummato dirimi matrimonium, huius opinionis probabilitas poterit iuuare, vt in vrgenti aliquo casu saltem, quando res est dubia, nec certò sciri potest, an præcesserit maleficium, vel subsequutum fuerit, Confessarius facilius sedare debeat conscientiam dubitantis maximè, postquam iam auctoritate iudicis dissolutum est matrimonium, aut declaratum fuisse nullum.

DVBITATIO L.

An liceat à malefico parato ad soluendum maleficiis maleficium id petere?

531. *Non omnino est huius loci de hac re disputare.* HAc de re disputare non omnino videtur ad hunc locum pertinere, sed ad tractatum de scandalo in materia de charitate, & nonnihil, in quodammodo simili diximus *Tr.1. de Sacramentis in genere disp.3. dub.* 13. disputantes an liceat accipere, aut petere Sacramentum ab eo, quem scio in administratione peccaturum. Placet tamen hic aliquid breuiter, quod sit proprium nostri casus, applicando doctrinam generalem, exponere.

Aliquid nihilominus hoc loco agendum.

532. *Affirmanti sententia.* Aureolus. Angelus. *Probant.* Affirmant aliqui inter quos Aureolus *in 4. dist. 34. q.2.* Angelus verbo *superstitio numer.13.* Probant; quia sic petens non inducit maleficum ad peccatum; sed peccato vtitur ad sanitatem obtinendam. Hanc sententiam tanquam erroneam, reiiciunt plerique Theologi, & Iurisperiti.

Erroneam putant hâc sententiam plerique Theologi, & iuristæ.

533. *Asserendum cum eisdem certum esse id nô licere. Ratio.* Cum quibus asserendum est, tanquam certissimum id, nullo modo licere; quia iuxta dicta à nobis loco notato & *Tractat. de Censuris disp.3. dub. 34. & dub. 41. & in nostro opere de iustitia in tract. de vsuris disp.4. dub.1.* aliisque in locis, solùm à parato licèt ob necessitatem, vel vtilitatem magnam petentis petere id, quod licitè potest præstare, tunc enim non petit peccatum, nec cooperatur peccato alterius, cùm res postulata possit fieri licitè, & solùm alter malitiâ suâ illicitè faciat. In quo casu pentens vtitur quidem malitiâ alterius, sed illi minimè cooperatur, vt, si quis petat mutuum ab vsurario; iuramentum ab infideli; Sacramentum ab administraturo, qui sit in peccato mortali, à quo peccato potest, si velit, liberari, antequam administret. Atqui in nostro casu maleficus (vt suppono) nunquàm potest maleficio vti ad prius maleficium soluendum, ergo nunquam licet ab eo id petere. Maior conceditur ab omnibus. Minorem expressè docet D. Thomas *in 4. dist. 34. q. vnicâ art.3. ad 3.* quem omnes etiam sequuntur, constatque ex scriptura *Leuit.19. Non declinetis ad magos, neque ab Ariolis aliquid scisciteminí, & c.20. Anima, quæ declinauerit ad Ariolos, & magos, & fornificata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.* Idem habetur Deuteronomij 18. vnde Alexander III. *c.2. de sortilegiis.* Presbyterum damnauit, qui bono fine superstitiosam diuinationem expertus fuit. Et Augustinus relatus in Canone. *Qui sine saluatore 26. q. 2. Omnis curatio* (ait) *quæ à Diuinis, vel magis vel ab ipsis damoniis in Idolorum cultura expetitur, mors potiùs dicenda est, quàm vita; & qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam perditionem tendunt.* Idem docent alij Patres, quos refert Sanchez *lib.7. disp.95. num.5.* Atque adeò hanc nostram sententiam docent præter citatum D. Thomam Albertus Magnus, Sotus, Caietanus, Abulensis, Cardinalis Toletus, Henriquez, Martinus del Rio, Rodriguez, Sylvest. Nauarrus, & alij multi quos refert Sanchez *numer.7.* Adde Perez *disputation.37 section.8.* & plures alios ante & post Sanchez.

D. Thomas quem omnes sequuntur in hac re. Leuit. c.19. & c.20. Deut. c.18. Alex. III. S. Augustí. *Alij Patres apud Sanchez.* Albert. Magnus. Sotus. Caietanus. Abulensis. Toletus. Henriq. Martin. del Rio. Rodrig. Sylvest. Nauarr. Sanchez. Perez.

534. *Non licèt etiamsi quis dum petit non explicet se petere, vt maleficio soluat maleficium, quàdo aliter nequit. Ratio communis.* Perez. Qui rectè etiam notat *num.8.* adhuc non licere petere non explicando, quod maleficio soluat, si constat eum non posse, aut nescire soluere absque alio maleficio, quia tunc petitur res, quam nequit licitè præstare. Qua ratione cum vtantur Auctores omnes citati, etiam in hoc debent consentire, & expressè cõsentit Perez,

535. *Nec licet per vim id extorquere, del Rio cõtra Remigium.* Sanchez. Eâdem ratione non licet per vim extorquere in eo casu prædictam maleficij dissolutionem, vt contra Remigium *lib.3. Dæmonolog. c.3.* docet Martinus del Rio *lib.6. Disquisit. magic. c.2. section.1. q.2.* quia semper est intrinsecè malum, tã cogendo, quàm rogando. Legatur Sanch. *n.9.*

536. *Sanchez meritò improbant iudices ad id cogentes, maleficum quadam benedictione.* Mart. del Rio. Colligit etiam Martinus del Rio *libr. 6. disquisit. magic. cap.2. section. 1. q.2. corollar. 1.* & cum eo Sanchez *num.* 10. meritò non excusari iudices à peccato, qui cogunt maleficum benedictione quâdam veneficium auferre, nam ea malefici benedictio nihil aliud est, quàm formula & cęremonia quædam, quâ ex pacto dæmon cessaturum se spopondit.

Solùm iam difficultas restat, an, quando maleficus pluribus mediis, quorum aliqua sunt licita, & aliqua illicita potest dissoluere maleficium, liceat ab eo petere vt dissoluat?

537. *An liceat petere quando potest cũ licito medio, tũ illicito?* Negat Caietanus *tom.2. Opuscul. tract.12. de malefic. q. vnica in fine corporis.* Nec multum dissentit ab eo Martinus del Rio *q. illa 2.* nuper citatâ *dicto 4.* dum ait non licere petere à maleficio sciente media licita, vt maleficium soluat, quando petens est moraliter certus, quòd maleficus soluturus sit medio illicito. Quamuis autem dicat id sibi certum esse, nullâ ratione probat. Caietanus verò probat tum, quia quando absolutè petitur, censetur peti opus maleficij, vt sic, quod non licet, tum, quia necesse est petere peculiare opus, & non vagè relinquendo petitionem propriam arbitrio hominis Diabolici. Quæ doctrina nescio quomodo eidem Caietano placere potuerit, iuxta sua principia in aliis locis. Imò idem in eo ipso loco statim in solutione ad argumentum fatetur licere petere mutuum ab vsurario, & iuramentum ab infide-

538. *Caietanus negat, ferè nõ dissentit.* Martin. del Rio. *Caietani probatio. Non videtur Caietanus ea ratione probare posse secundum sua principia.*

infideli, etiamsi petens certus sit, quod vsurarius sit exacturus vsuras, & infidelis iuraturus per idolum.

539. *Licet petere in tali casu.* Sanchez. *Ratio à simili.*

Vnde absolutè asserendum est, inter hos casus nullam esse differentiam, ac proinde licitum esse petere à malefico absolutè, vt maleficium soluat, etiamsi constet illum vsurum illicito medio, cùm possit licito. Ita Sanchez *supra num.* 12. qui rectè probat à simili ex prædictis casibus, in quibus omnes consentiunt, est enim eadem ratio de vsurario exacturo vsuras, & de infideli iuraturo per falsos Deos; nam in illis casibus ideò dicitur licere, quia, quod petitur ab vsurario, & ab infideli, potest non solùm malè, sed etiam benè fieri. Quod si malè fiat & medio illicito facientis vitio fit, non petentis, cùm & vsurarius sine vsurarum exactione mutuum dare, & infidelis per verum Deum iurare possit. Atqui in nostro casu eodem modo petitur à malefico solutio maleficij, quam potest medio licito præstare; ergo, si illicito faciat, facientis vitium est, non, petentis. Vel ergo illi alij casus negandi sunt, vel hic etiam casus concedendus. Consentit nobis Perez *supra.*

Perez.

540. *Respondetur argumentis Caietani.*

Neque argumenta Caietani vim vllam habent ad huiusmodi paritatem eneruandam: non enim petitur opus vagè à malefico, sed determinatum, nempe maleficij solutio, quamuis autem modus vagè petatur; id non obest; nam id ipsum etiam reperitur in petitione illâ mutui ab vsurario, & iuramenti ab infideli, & tamen in iis obest; quia nimirum inter modos, quibus vtrumque præstari potest, est modus licitus, quem potest eligere ille, à quo petitur. Quod etiam locum habet in nostro casu. Nec etiam petitur (vt vult Caietanus) à malefico, vt maleficus est; id enim esset petere ministerium artis maleficæ, sed petitur ab eo in quantum potest licitè maleficium auferre; sicut enim, qui petit ab vsurario mutuum, non petit ab eo quatenus vsurarius est; sed quatenus potest licitè mutuare; imò, sicut petens mutuum ab vsurario & iuramentum ab infideli, potest recipere acceptatâ conditione dandi sub vsuris, & iurandi per idola, nec appareret cooperatio aliqua; sed solus vsus peccati alterius, qui culpâ suâ malefacit (quod omnes fatentur) ita similiter (inquit Sanchez *numer.* 12.) si maleficus nollet soluere modo licito maleficium, vti nouit: potest acceptari, vt alio maleficio soluat, nec petenti tribuetur culpæ, vtpote, qui minimè cooperatur peccato alterius. Pro qua sententia refert Sanchez Petrum de Ledesma *de matrimonio q.* 58. *articul.* 2. *dub.* 2. qui tamen Auctor non satis clarè loquitur. Id autem docent multi alij Recentiores doctissimi ex nostra Societate, cum quibus non semel de hac re disputauimus, & Perez *suprà.*

Sanchez.

Ledesmam refert Sanchez, sed non ille clarè loquitur. Multi alij id docent doctissimi Recentiores. Perez.

541. *Aduertëda quædam circa hanc doctrinam. Primò vrgens causa & ratio sine qua non licet.*

Sed in hac doctrina nonnulla sunt meritò aduertenda cum citatis Auctoribus. Primò, quod causa rationabilis, & vrgens aliquo modo concurrat ad id petendum; nam si quis æquè benè, & facilè posset petere ab alio mutuum, aut Sacramentum, aut solutionem maleficij, & cætera similia, quem sciat licitè ista facturum; non video quomodo à peccato excusetur, si petat ab eo, qui paratus est illicitè facere, qui propter eam petitionem sumit occasionem illicitè faciendi alias non facturus. Et quidem in hoc casu saltem Dei amor & misericordia in proximum videtur me obligare ad vitandum peccata aliena, quæ commodè vitare possum, etiamsi alius ex malitiâ suâ peccet. Ita Nauarrus *in summâ cap.* 21. *num.* 26. Suarius *tomo* 3. *in tertiam partem disputation.* 18. *sect.* 1. *Corol.* 2. *& de Charitate disputat.* 10. *section.* 3. *numer.* 2. Sanchez *libr.* 1. *moralium cap.* 7. *num.* 15. Valentia 2. 2. *disputat.* 5. *q.* 21. *puncto* 4. Bonacina *disp.* 2. *de peccatis q.* 4. *puncto* 2. §. *vnico num.* 2. Vasq. *de scandalo q.* 43. *art.* 8. *dub.* 3. & alij, quos in simili retulimus. *Tract.* 1. *de Sacramentis in genere disp.* 3. *dub.* 13. vbi in particulari de administraturo Sacramentum in peccato mortali, an, & quando liceat ab illo petere disputauimus. Quę iuuare etiam possunt ad præsens negotium.

Nauarr. Suarius. Sanchez. Valentia. Bonacina. Vasquez. *Alij.*

542. *Aduertendum. Secundò non esse admittendam medicinam vanam, superstitiosam &c.* Sanchez.

Aduertendum 2. cum Sanchez citato *numer.* 12. non licere admittere, si fortè maleficus velit applicare medicinam aliquam vanam & superstitiosam, esset enim vti medicinâ vanâ & superstitiosâ, quæ vim non habet sanandi, nisi ope & inuocatione Dæmonis, quod est intrinsecè malum; neque hoc est tantùm vti peccato alterius; sed consentire positiuè cum illo; nam consentiens illam medicinam sibi applicari, reuerâ vtitur illâ, atque adeò vtitur medio superstitioso, & illicito.

543. *Aduertendum 3. cum eodem Sanchez esse monendum maleficum vt medio licito faciat si speretur profutura monitio. Non prænonens tunc tantum violat præceptũ correctionis.*

Aduertendum 3. cum eodem si spes sit fore, vt prosit monitio, tenêri ex lege Charitatis monere maleficum vt medio licito faciat, non secùs, atque qui petit mutuum ab vsurario, & iuramentum ab infideli. In quibus omnibus casibus meritò putat Sanchez eum, qui omittit monitionem illam, non esse reum peccati inductionis malefici; sed solius violati præcepti correctionis fraternæ.

544. *Aduertendũ ex del Rio, & Sanchez, Perez & aliis.*

Aduertendum 4. cum eodem *nu.* 13. & Martino del Rio citato *lib.* 6. *c.* 2. *sect.* 1. *q.* 2. Perez & aliis, quando dubium esset; an maleficus nosset medium aliquod licitum soluendi, non licere ab eo petere maleficij solutionem, quia præsumptio est contra illum; frequentiùs enim malefici sola media superstitiosa norunt, & tunc petitur tolli maleficium, quod non nudam priuationem importat; sed aliquid actus positiui, atque adeò quæri oportere priùs à malefico in tali casu; quæ media norit? qui, si renuat explicare, vehementem suspicionem præbet contra se, si verò explicet, tunc examinanda sunt. De regulis autem, & signis id examinandi legi potest Sanchez *citatâ disp.* 95. *n.* 5.

In dubio an liceat mediũ vel non liceat, non licere petere. Indagandũ ex maleficio. Et examinanda media. Sanchez.

Ex dictis infertur rarissimè licere petere maleficij dissolutionem, aut medelam ab alio maleficio, qui non fuerit auctor maleficij, nisi fortè de loco & modo maleficij ab ipso auctore vel ab alio certior factus sit. Ita Martinus del Rio *supra dicto* 4. Sanchez *supra numer.* 14. Perez & alij.

545. *Rarò licet petere ab vno maleficio vt dissoluat maleficiũ alterius.* Martin. del Rio. Sanchez. Perez. *Alij.*

Qui rectè impugnant Briancon. *in collect. super.* 4. *sententiar. q.* 13. *conclus.* 3. dicentem etiam à Dæmone ipso posse peti, vt soluat maleficium medio licito, si is maleficia dedisset. Contra quem præter citatos etiam est Sotus *in* 4. *q. vnica articul.* 3. Ratio verò est; quia omnis familiaritas

146. *Reiicitur ab iisdẽ Briancon. dum ait posse peti dissolutionem ab ipso Dæmone.* Sotus. *Ratio.*

ritas & amicitia cum Dæmone prohibita est ac cum eo perpetuum bellum inductum. Ideò precibus ab eo petere minimè licet. Imperio tamen nemini integrum est vti, quia dæmon ei non subiicitur; possumus tamen illi imperare per modum exorcismi nomine Dei, quod competit sacerdotibus, vel saltem exorcistis.

Imperare an liceat & quatenus? Licet sacerdotibus aut exorcistis per modum exorcismi imperare.

Vtrum autem liceat signum maleficij destruere ad obtinendam maleficij sanitatem? non est huius loci ex instituto disputare. Respondeo tamen breuiter cum Sanchez *lib.7.disputat.96.num.3.* licere illa signa dissipare, amouere, aut destruere, animo non destruendi pacti cum Dæmone initi, & obtinendi sanitatem maleficiati. Qua de re latissimè tractat Martinus del Rio citato *lib.6.c.2.sect.1.q.3.* per totam, eandemque sententiam sequitur ipse, aliique multi, tum apud ipsum, tum apud Sanchez loco citato. Vnde licet icunculas seu paruas statuas cereas capillos, partes vestis, & id genus alia amouere, frangere, atterere comburere; in iis enim omnibus actionibus destruit quis opera Diaboli; non cooperatur illi. Legatur Sanchez *loco citato.* Nos de hac re si Deo placeat in tractatu de superstitione oppositi virtuti Religionis ex instituto dicemus.

Licet destruere signũ maleficij dissipare, amouere. Limitatio. Legendus Martin del Rio in hac re. Sanchez. Ratio.

DVBITATIO LI.

An Hermaphroditus possit matrimonium inire?

548. *Quid nomine hoc intelligatur? Quotuplex Hermaphroditus?*

HErmaphroditi nomine intelligimus eum, qui habet vtrumque sexum, cuius meminimus per occasionem agentes *de Ordine tract.6. dub.20.* & in *opere de censuris* agentes de irregularitate *disputation.7.dubitation.4. & 8.* Quibus in locis diximus alios esse Hermaphroditos, in quibus virilis sexus præualet, alios in quibus femineus, alios, in quibus æque vterque sit.

549. *Potest inire coniugium iuxta sexũ præualentẽ. Sanchez. Coninc. Angelus. Sylvest. Tabiena. Armilla. Recentiores. Bonac. Cum aliis. Perez. Basilius. Hurtad. Possent multo plures referri. Ratio.*

In casu verò præsenti matrimonij consentiunt Doctores Hermaphroditum posse, & licitè, & validè matrimonium inire iuxta sexum in eo præualentem, seu eminentem, ita vt si præualeat virilis, possit ducere vxorem, si verò femineus nubere viro. Ita Sanchez *lib.7. disp.106.* Coninc *disp.31.dub.7.* Angelus, Sylvester, Tabiena, Armil. *verbo Hermaphroditus* in fine, & alij Recentiores inter quos Bonacina *q.3.puncto 13. num.26.* cum aliis quos refert *n.27.* & Perez *disp. 37.sect.13.n.3.* referens Coninc Basilium & Hurtadum; possemus & nos multo plures referre: Ratio est; quia iuxta sexum eminentem habet potentiam ad perfectam copulam, si aliud non obstet, & iuxta talem sexum præualentem censetur vir, aut femina.

550. *Quid si vterque sexus sit æqualis? Iure naturali posset alterc. Iure positiuo etiam potest sed iurare quod electũ sexũ sequetur semper.*

Quod si contingat sexum vtrumque esse æqualem, poterit iuxta sexum, quem elegerit, cõtrahere matrimonium, si iuxta vtrumque habeat potentiam ad perfectam copulam. Atque hoc verissimum est spectato iure naturali non impedito per ius positiuum; imò iure etiam positiuo datur optio, vt eligat sexum, quem volet, in casu talis æqualitatis, vt cum multis probat Sanchez *supra numer.1.* Quo casu debet se iuramento adstringere, quod in posterum minimè vtetur altero sexu præter semel electum argumento capitis Presbytero *16.q.1. & c. Diuersis de Clerico coniugato & l. si plures ff. de pactis* & præter citatos adde Coninc *supra nu. 89.* Gutierrez *de matrimonio cap.119.* Perez *supra numer.2.* & alios apud Vgolinum *de irregularit. cap.48.* Et quidem ipso lumine naturali patet indecens valdè esse vt vno modò sexu, modò altero vtatur.

Argumento deducto ex textu. Coninc. Gutierr. Perez. Alij apud Vgolinum.

551. *Quid si post initum cõiugium & solutũ morte coniugis, alter sexus præualeat? Licebit mutare nisi prohibeatur lege. Ratio. Reclamat Sanchez.*

Quod si post initum matrimonium in vno sexu mortuo coniuge, ineat matrimonium in alio, validè contrahet (si alioquin ius positiuum non obstet (de quo mihi non constat.) Ratio est, quia iuxta eam habet etiam potentiam ad perfectam copulam vt supponimus. In quo omnes Auctores, quos viderim conueniunt; imò (vt aliqui Recentiores volunt) non solùm validè sed etiam fortè licitè id fiet, nisi coram competente iudice iurauerit, aut ab eo mandatum acceperit, aut lege Canonicâ, vel ciuili prohibeatur vti altero sexu præter semel electum. Quamuis oppositum doceat Sanchez *num.8.*

552. *Quid si duo tales inter se contrahant cum æqualitate sexus?*

Ex quâ doctrina videtur mihi efficaciter colligi præcisè spectato iure naturæ seclusis omnibus aliis prohibitionibus, seu scandalis extrinsecis, si duo Hermaphroditi inter se matrimonio copulentur, quorum vteruis æquè sit vir ac femina, & æquè capax copulæ in vtroque sexu, posse saltem validè matrimoniũ inire ad vtriusque sexus vsum, si præcisè spectemus matrimonialem copulam ordinatam ad generationẽ. Nihilominùs absolutè puto iure naturæ fore tantùm validum, quando alter illorum contrahat, vt vir, & alter, vt femina; non verò quando vterque vt vir & femina. Ratio est; quia matrimonium, quale institutum est ab Auctore naturæ, ita est maris & feminæ coniunctio, & societas, vt tamen alter alteri subsit; nempe femina viro iuxta illud Domini Dei ad Euam: sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. hoc autẽ non potest habere locum, si vterque gerat vices viri; vicesque feminæ, cum neuter alteri subesset, nec posset esse caput alterius. Per aliam viam & alio discursu Perez *supra sect.15.* postquam varias rationes expendit hoc ipsum, quod nos, cõcludit, sed non facilè posset probare ideò non licere, quia (vt ait) natura abhorret, & detestatur promiscuum illum congressum & hoc continere indecentiam quando vterque sexus concurrit, & vtriusque finis nõ frustratur; ideò nos recurrimus ad institutionem auctoris naturæ instituentis matrimonium modo prædicto, vt alter sit caput, & alter coniux subsit, non ex electione & pacto ipsorũ (alioquin ex pacto possent conuenire communiter coniuges vt vxor esset superior, & vir pareret) sed ex naturâ & institutione Creatoris id habetur, vt diximus.

Perez.

553. *An possit contrahere iuxta sexũ minùs valentem?*

Difficultas verò est; an possit Hermaphroditus contrahere matrimonium iuxta sexum minus valentem?

554. *Negat Sanchez. Probat.*

Negat Sanch. *sup.n.5.* qui ait fore irritum iure ipso naturæ. Probat; quia, si præualeat v.g. femineus sexus, & nihilominus tanquam vir ducat feminam, tale matrimonium erit inter personas eiusdem sexus, atque adeò nullum; nam Hermaphroditus, in quo præualet

sexus, censetur femina, & tamen feminam ducit, ac si vir esset, & è contra. Idem Bonacina *supra*.

Bonacina.

555. *Affirmant alij.* Basilius. Hurtado. Perez. *Recentiores alij.*

Basilius tamen *lib. 7. cap. 65.* quem sequuntur aliqui inter quos Hurtado; quem refert & sequitur Perez *supra num. 4.* aliique Recentiores, putat posse validè contrahere iuxta sexum minùs valentem, si iuxta illum sit potentia ad perfectam copulam; quia iure naturali non est inhabilis, cùm verè sit potens iuxta eum sexum, neque iure aliquo positiuo, quale nullum ostenditur; quamuis enim iuxta legem. *Quaritur. 10. ff. de statu hominum* dicatur eius sexus existimandum, qui in eo prævalet, nihilominùs comparatione alterius, qui sit vir, potest censeri, & est femina, si habeat femineum sexum aptum ad copulam: illa enim legis comparatio est tantum inter vtrumque sexum in eadem persona existentem, hoc autem non tollit, quin eiusdem personæ sexus femineus sit verè femineus, quamuis prævaleat virilis, & è contra. Itaque comparatione alterius personæ, cum quâ copulatur potest gerere vicem oppositi correlatiui sexus, quem verè habet copulæ capacem, etiamsi sexus fortè alius prævaleat, & ob id nomen viri à sexu virili prævalente sortiatur. De eo verò, qui decursu temporis, ex feminâ factus est vir (si tamen id fieri potest) vel è contra ita, vt maneat ineptus ad copulam ad quam fuit admissus rectè docent auctores cessare matrimonium, quâ de re latè & doctè post Martinum del Rio quem refert, agit Perez *disputation. illa 37. section. 14.* sed nobis dicta hîc & *dubitation. 45. numer. 470.* sunt satis, quantum ad eam mutationem, quam esse possibilem, & factam fuisse à peritis medicis, & aliis audiui, certè quòd sexus qui minus valebat antea, posteà prævaleat, non videtur negandum. Sed pergo ad alia.

556. *Parochus non debet adesse tali matrimonio aqualis sexus ante legitimam sexus electionem seruandam.*

Aduertendum est cum Sanchez supra numer. 7. Parochum non debere interesse matrimonio Hermaphroditi habentis sexum æqualem, donec Hermaphroditus coram iudice Ecclesiastico protestetur, quo sexu velit vti, maximè cum Parocho satis constare non possit, vter sexus prævaleat; vel, an sit æqualis. Ideo consulendus est iudex Ecclesiasticus, cuius est id discutere. Quod etiam docet Maiolus *libr. 3. de irregularit. cap. 25. numer. 16.* & alij Recentiores?

557. *Ad quem spectet iudicium de prævalentia sexus? & quid in dubio?*

Quæret aliquis, ad quem pertineat discernere prævalentiam sexus? & quid faciendum in casu dubij?

558. *Ad medicos & peritas matronas spectat. In dubio ipsius Hermaphroditi dicto standū. Ratio.*

Respondeo cum Sanchez *supra n. 2.* & Alberico citatam L. *Quæritur num. 5.* & Turrecrematâ. c. *si testes* §. *Hermaphroditus* Bonacina *supra num. 28.* iudicium esse penes medicos, vel peritas matronas. Quod si hi adhuc dubitent vter sexus prædominetur standum esse ipsius Hermaphroditi, dicto, nemo enim melius valet hoc negotium discernere.

559. *Quid, si omnes dubitēt.*

Quando autem consultis medicis & ipso Hermaphrodito, adhuc dubiū esset vter sexus prævaleat, meritò docet Sanchez *n. 9.* censendū esse vtrumque sexum æqualem, & iuxta dicta in ordine ad matrimonium in casu sexus æqualis erit in tali casu philosophandum.

Obiiciet tamen aliquis contra dicta in casu sexus æqualis prædictum videri incapacem matrimonij, nam omnes asserunt illum esse Ecclesiastici ordinis incapacem, de quo diximus *tractat. 6. de Ordine citatâ dub. 20.* paulò post initium cum alijs, quos retulimus, & eâdem ratione est incapax profitendi in Religione. Atque vtrumque probat Nauarrus *libr. 1. Consilior. titul. de ætate & qualit. cons. 8. numer. 3. in primâ editione.* In secundâ verò *libr. 3. titul. de irregularib. cons. 47. numer. 3.* vtriusque rationem reddit; quia æquè est femina, ac vir, ac proinde quamuis ex eâ parte, quâ vir est, posset videri capax ordinis; tamen, quia etiam in femina, censeri debet absolutè incapax. Item si profiteatur in Religione virorum, professio est nulla, quia etiam est femina; sicut & in Religione feminarum, quia etiam est vir æquè, atque feminâ: ergo eâdem ratione in matrimonio si tanquàm femina viro nubat, non valebit; quia etiam est vir; si autem tanquàm vir feminam ducat, non valebit; quia etiam est femina.

Cēsendus est aqualis sexus vterque & iuxta dicta iudicandum.

560. *Obiectio à simili de ordinis Ecclesiastici, & professionis Religiosa incapacitate. Nauarr. Ratio Nauarri.*

561. *Respondent.* Sanchez. Perez. *Alij.*

Respondet Sanchez *supra*, Perez & alij negando paritatem, quia cùm maximè dedeceat feminam ad Ordines promoueri; meritò credi debet Christum ita Sacramentum Ordinis instituisse, vt illius noluerit esse capacem eum, qui vtrumque sexum participat, ita æqualiter, vt æquè vir censeatur ac femina; item cùm indecētissimum sit, maximeque ad luxuriam prouocans si, quæ femina est, profiteatur in virorum monasterio, & è contra; atque is Hermaphroditus simul vir, & femina sit, meritò censendum est Ecclesiam irritantem professionem apud personas diuersi sexus irritasse quoque professionem eius personæ, quæ vtriusque sexus verè, & æquè particeps est. Pro quâ doctrinâ Sanchez refert Nauarrum loco citato. At in matrimonio illius natura, & decentia solùm videtur postulare potestatem vacandi copulæ coniugali. Quare cùm id detur in eiusmodi Hermaphrodito non est cur nequeat iuxta alterutrum sexum matrimonio copulari. Quæ doctrina probabilis est & mihi placet. Sed iuxta hoc vltimum non debuisset Sanchez negare supra valorem matrimonij, quando Hermaphroditus nubit in sexu minus valenti, capaci tamen perfectæ copulæ, quàm solùm respicit matrimonium iure naturæ. Legantur dicta *Tract.* de censuris *disp. 7. de irregularit. dub. 8. illatione 14.*

Probabilis doctrina, sed non satis ad aliud à se dictum consequenter respondet Sanchez.

DVBITATIO LII.

Quantum temporis requiratur ad experiendam potentiam vt ob defectum illius perpetuum declaretur nullum matrimonium?

562. *Multa dicuntur ab aliis quæ pro foro solum externo sūt, alia pro vtroque foro valent.*

MVlta solent Auctores circa hanc rem cōgerere, quæ potius pro foro externo seruiunt, quàm pro foro conscientiæ. Multa etiam sunt vtrique foro communia.

Illud inprimis certum sit pro foro conscientiæ, quando in eo satis constat impotentiā esse perpe-

563.

perpetuam,aut, quando ferè certò sic creditur, ita, vt probabilissimum sit esse perpetuam impotentiam absque probabilitate opposiri non posse coniuges se maritaliter cognoscere,seu id intentare,& conari,etiamsi per censuras, ad id compellantur.Ratio est;quia pro foro conscientiæ comparatione illorum, aut certum,aut ferè certum est matrimonium esse nullum, & non habent probabile ius.

In foro conscientiæ si constet satis de perpetuitate;neque tentare licet,etiamsi compellatur per censuras.

Ratio.

564. Supponendum præterea, quando probabile est impotentiam non esse perpetuam , etiamsi oppositum sit probabile, posse nihilominus cõiuges inter se maritaliter agere , & ad copulam conari, quia nimirum tunc prudens iudiciũ est pro valore matrimonij. Quando verò vtrinque dubium est, ita vt nec certum aut ferè certum sit impotentiam esse perpetuam,& ex alio capite etiam non sit probabile,quòd perpetua non sit,sed res tota manet in dubio, posse coniuges in matrimonio,& eius vsu pro tempore aliquo perseuerare.Nam subsistente dubio, habent ius inquirendi;an impotentia sit perpetua, nec potest aliter explorari,quàm conando,& experiẽdo,an possint carnaliter copulari. Ad hoc autem aliquod tempus necessarium est, quod Ecclesia in *c.Laudabilem* 5.& *in c.finali de frigidis* prudenter extendit ad triennium;hoc enim illi visum fuit necessarium,& sufficiens ad veritatem indagandam; Quapropter triennio iam transacto,nequeunt iam vltra coniuges ad copulam conari,quando eo transacto, adhuc non cõstat, saltem probabiliter impotentiam non esse perpetuam.Quibus suppositis.

In casu probabilitatis vtriusque partis licitũ est conari ad copulam.

Ratio.

In casu dubij vtrinque possunt pro aliquo tempore subsistente dubio experiri & tentare an possint.

Ratio.

Ecclesia tẽpus triennij iudicauit concedendũ.

Posteà non licet amplius conari.

565. Quærimus an triennium illud requiratur pro foro externo,seu iudiciali , vt declarari possit matrimonium nullum.

Quæsitum an triennium sit pro foro externo.

566. Assero.1.si certò, aut ferè certò constet impotentiam esse perpetuam , quia nimirum aliqua signa vel euidenter,vel ferè euidenter prædictæ impotentiæ perpetuitatem persuadent; tunc nulla est necessaria triennij experientia, aut minoris temporis ad prædictam nullitatem declarandam;quia solùm requiritur tempus in casu dubij,vt experiendo superari possit dubiũ in tali autem casu,nullum est,saltem moraliter dubium. Atque in hoc consentiunt Doctores, & legi potest Sanchez *lib.7.disp.*107.*num.*3.& 4. vbi cum Antonino , & Alexandro de Neuo, quos refert;item Basilius c.66.Perez *disp.*37.*sect.* 11.*n.*5. *& seqq.* & alij Recentiores putant verò Sanchez & Basilius, quando non omnino certò,sed tantùm ferè certò constat de impotentiæ perpetuitate esse necessarium iuramentum ipsorum coniugum fatentium impotentiam ; & tale iuramentum,etiam alio iuramento propinquorum,aut(si deficiant)vicinorum testimonio firmandum esse, qui iurent iudicare se posse in hac parte coniugibus credi.

Assero.1.

Certò, nec certò constet impotentiam esse perpetuam, quando.

Aliunde impotentia cõstat non requiritur etiam pro externo triennium aut aliud tẽpus.

Ratio.

Consensus Doctorum in hoc inter alios.

Sanch.cum S.Anton.

Alex de Neuo.

Item.

Basilius.

Perez.

Recentiores alij.

Sanchezij & Basilij placitũ circa iuramentum coniugum.tum propinquorum,aut vicinorum.

Hæc tamen iuramenta mihi videntur absque sufficienti fundamento requiri ; nec enim id probatur iure aliquo,non quidem positiuo, in quo tantùm requiruntur ea iuramenta pro casu dubij,qualis non est præsens : non iure naturali ; quia cùm in nostro casu perpetuitas sit moraliter,& humano modo certa, frustra putabitur necessaria maior probatio. Ideò Perez supra,& ante ipsum Hurtado *disputation.*12.*dif-*

567. *Non videntur cũ sufficienti fundamento ea iuramenta requiri.*

*ficult.*11.*num.*38.negant ea iuramenta requiri.

Assero.2.si nec certò, nec ferè certò constet iudici impotentiam esse perpetuam deficientibus signis euidentibus , aut ferè euidentibus perpetuitatis,imò sit dubius, quia perpetuitatis signa dubia sunt;neque vterque coniux fatetur impotentiam,sed alter negat:tunc necessarium est triennium experientiæ ad iuridicam declarationem nullitatis. Quod satis probatur ex c. *Laudabilem*.In hac etiam assertione conueniunt communiter Doctores,quos ideo non refero.

Assero.2.

Quando nec certo nec ferè certo iudici constat de perpetuitate impotentiæ,requiritur triennium.

Ratio ex textu citato.

Consentiunt Doctores.

Iam verò difficultas est,an in casu dubij si vterque fateatur impotentiam necessarium sit expectare triennij experientiam?

Quid si in casu dubij vterque fateatur impotentiam?

Prima sententia docet non esse necessarium, sed satis esse tempus arbitrarium iudicis. Ita Angelus verbo *matrimonium* 3. *impedimento* 16. Rosell.verb.*Diuortium num.*1. Syluest. ibidem *q.* 18.*num.*21.Innocentius Abbas,Hostiensis, Mascardus , & alij multi maximè iurisperiti apud Sanchez *lib.*7.*disp.* 108 *n.*3. Probariqúe potest ex *c.*1.*de frigidis* vbi intra breuius tempus concessa fuit separatio.Quod saltem locum habet,quando vterque fatetur impotentiam.Item ex c.*Laudabilem*,in quo videtur requiri triennium,tantũ, quando vnus coniux affirmat,alter negat. Ratione verò probatur , quia post experientiã alicuius temporis satis videtur impotentiã probare confessio vtriusque coniugis.Plerique tamen auctores huius sententiæ id intelligunt, quando in coniugibus adest plena pubertas , nempe quando vir expleuit decimum octauum,& femina decimum quartum.

570. *Prima sententia negãs triennium requiri,sed satis esse arbitrarium tempus.*

Angelus.

Rosella.

Sylueſter.

Innocent.

Abbas.

Hostiensis.

Mascard.

Alij multi, præsertim Iuristæ.

Secunda sententia docet requiri triennalem experientiam,quantumuis vterque impotentiã fateatur.Ita Sanch.*sup.n.*5.referens D.Thomam *in* 4.*dist.*34.*in fine in expos.Litt.magistri.*Paludan. ibid.*q.*2.Antonin.3.*p.tit.*1.*c.*12. & alios multos Theologos,quibus ad de Basil.*lib.*7.*c.*66. Hurtado *supra* Perez *sup.n.*7.Probatur ex c.*Laudabilem*, in quo absolutè requiritur triennalis experientia,quando non constat de frigiditate,id est de perpetuitate impotentiæ;Quamuis autem vterque coniux fateatur impotentiam, adhuc non satis constat de frigiditate ; sæpe enim meritò dubitari potest, an ea impotentia sit naturalis, & perpetua,an accidentalis,& temporaria.Atque adeò expectari debet tempus iure alioquin requisito ad pellendum dubium;imò ibidẽ etiã requiritur iuramentum vtriusque coniugis iurantis impotentiam,& iuramentum quatuordecim propinquorum,aut his deficientibus vicinorum,qui etiam iurent,quòd possit coniugibus credi. Signum ergo est in eo capite etiam agi de casu,quo vterque coniux fateatur impotentiam;nam quando alter negat,præter dictũ triennium,& præter dicta iuramenta etiam requiritur vera probatio per testes, qui audierint ab ipsis cõniugibus non posse fieri vnam carnem,nisi hoc vltimum suppleatur per aspectum corporis & septimam manum matronarum, de quâ ibi fit mentio.

Probant ex iure Canonico.

Probant Ratione.

Requirunt tamen tunc plenam in vtroque puberbatem.

571. *Secunda sententia requirit triennium.*

Sanchez.

D.Thom.

Paludan.

S.Anton.

Alij multi Theologi,

Basilius.

Hurtadus.

Perez.

Probatur ex iure Canonico.

Iuramentũ in eodẽ iure requiritur vtriusque coniugis, & aliorum.

Ratione verò probatur,quia quando est dubium perpetuitatis, sola confessio & iuramentum vtriusque non tollit dubium, atque triennalis experientia conceditur propter dubium: ergo etiamsi vterque fateatur concedenda erit.

Quando alter coniugũ negat impotentiam alia in eo textu requiruntur.

erit. Minor constat ex dictis; meritò enim potest dubitari; an fallantur ipsimet coniuges, & perpetuam putent impotentiam, quæ perpetua non est.

572. *Ratione probatur secũda sententia.*

Hæc sententia mihi placet; quia, si rectè expendatur totum caput, non est vnde colligamus non esse necessariam triennalem experientiã, quam alioquin generaliter concedit pro casu dubij Pontifex ibi interrogatus, dum ait: *Vt à tẽpore celebrati coniugij si frigiditas priùs probari non posſit, cohabitent per triennium.* Quæ propositio cùm sit indefinita, & doctrinam contineat, habeaturque in lege, æquipollet vniuersali pro omni casu dubij, quod non tollitur per meram confessionem coniugum vt dictum est; Quãuis enim illis constet, quòd actu non habeant potẽtiam, idque iuramento confirment, non potest illis ordinariè constare, quòd causa illius impotentiæ sit perpetua, atque adeò censeatur aliquis illorũ naturaliter impotens, & non ex accidẽti.

573. *Placet secunda sententia. Probatur & explicatur.*

574. *Respondetur ad ius allegatum in contrarium.*

Neque in illo *c. De frigidis* aliquid in contrarium continetur; ibi enim tantùm conceditur separatio intra tempus breuius triennio, quando ante triennium probatur vera frigiditas, & impotentia perpetua, id quòd etiam habetur in citato *c. Laudabilem*, in quo primò quidem absolutè exigitur pro casu dubij triennalis experientia. Quod verò vltra requiritur, quando altera pars negat, tantùm est dicta probatio per testes. Quod si fortè contingat, quòd mulier quidem fateatur impedimentum, & vir neget; nec tamen illa ab initio matrimonij; sed posteà reclamet, rectè notat Sanchez *disputat.* 109. & ex illo alij, vt Perez *supra numer.* 8. si vir dicat se consummasse, credẽdum esse viro, quia præsumptiones duæ sunt contra illam, tũ quòd illa tandem reclamarit, tum quòd vir, qui est caput, asserat esse matrimonium consummatũ. Id tamen intellige nisi aliunde femina certis signis probet impotentiam viri, tunc enim non obstante morâ debebit audiri. Quando autem illa tempore oportuno reclamauit; nempe intra bimestre; aut paulò post, audienda erit quantumuis vir neget, & procedendum ad probationes, quæ, si sufficiant, danda erit sententia in feminæ fauorem. Habetur hoc *c. 1. de frigidis* vbi dicitur. Si autem statim in ipsa nouitate post mensem aut duos ad Episcopum vel eius missum proclamauerit dicens: *volo esse mater volo filios procurare, & ideò maritum accepi, sed vir quem accepi frigidã naturæ est, & non potest illa facere, propter quæ illum accepi, si probari potest per rectum iudicium, separare potestis, & illæ si vult nubat.* Hactenus textus ille. Illud autem censetur *rectum iudicium* vt separari possit non expectato triennio, quando mulier proclamat initio etiam viro negante, & apparent signa dubia frigiditatis viri, quæ prudentem præsumptionem causant, & vxor reperitur virgo, accediteque iuramentum quatuordecim propinquorum eius. Id totum probatur ex eodem *c. 1.* vbi distinguitur inter casum, quo illa non statim reclamat, viro negante impotentiam, (quo casu decernitur viro esse credendum, nec illam audiendam) & inter casum, quo statim reclamat (in quo decernitur audiri debere, & dissoluendum esse matrimonium legitimè probatâ impotentiâ) nulla verò est differentia si per legitimam probationem, seu (vt textus loquitur) *per rectum iudicium*, intelligi deberet, quod transactum esset triennium, vel signa essent euidentia; in iis enim casibus, etiamsi non statim reclamaret, deberet audiri, & matrimonium solutum, aut nullum declarari. Requiritur ergo vera probatio, nisi alioquin fiat per aspectũ corporis, & per testes, qui audierint ab ipsis coniugibus non posse fieri vnam carnem. Dixi autem illam debere reclamare intra bimestrem, vel paulò post, quia textus postulat reclamationem fieri *statim in ipsa nouitate post mensem aut duos*, ad hoc autem, vt *statim* dicatur fieri sufficit, quòd fiat intra triduum post duos illos menses, quia id censetur statim fieri iuxta ea quæ cum multis diximus, & ex iure probauimus *disp. 1. n. 48.*

Explicatur alius textus.

Doctrina aliorum textuum circa hoc explicatur.

Quid disponat ius Canonicum quando femina fatetur impedimentum, & vir negat. Sanchez. *Cum aliis.* Perez.

Illud censetur fieri statim quod fit intra triduum.

A quo vlterius puncto sit triennium cõputandum; non omnino consentiunt Doctores. Illud videtur magis certum, non esse computandum à tempore ante conatum ad copulã; in hoc enim Doctores consentiunt; quia ante eum conatum non potest inchoari experientia, computandum ergo est à die conatus, & non à tempore præfixo à iudice, postquàm egerunt coniuges pœnitentiam de matrimonio, vt nonnulli iurisperiti dixerunt, qui supponunt pœnitentiã esse iniungendam coniugibus. Quod totũ sine aliquo fundamento dicitur. Ratio verò pro nostra doctrina est quia in sæpè citato *c. Laudabilẽ* expressè dicitur computandum esse à die celebrationis coniugij, hoc est à die intentatæ copulæ; quia nimirũ eo die solet intentari. Quæ doctrina locum habet non solùm in impotentia, quæ prouenit ex aliis causis sed etiam in eâ, quę prouenit ex maleficio, vt cũ multis probat Sãch. *n. 4. & 5.* vbi rectè expendit verba *capitis finalis de frigidis* ibi: *si constiterit vobis præfatum virum & vxorem cohabitasse intra prædictos annos per continuum*, adiuncto principio eiusdem Textus ibi: *mulier proposuit, quòd per multos annos fuerant simul & cohabitauerãt.* Ex quibus, & ex aliis, quę habẽtur in eo Textu, apparet eos coniuges ante omne præceptum iudicis, & nondum lite motâ cohabitasse octo annos; & tamen Pontifex decidit dirimendum matrimonium; si intra eos octo annos continuè habitauerint. Ex quo patet, non requiri talem terminum assignari per iudicem; nec semper hoc impedimentum ex peccato consurgit, vt ideo non procedat triennium ante peractam pœnitentiam. Neque obest, quod in eodem *c. finali* narretur pœnitentiam peccatorum fuisse illis iniunctam. Nam in hoc narrat factum, non statuit ius, quando enim decidit, solùm petit, quòd cõiuges intra totum illud tempus octo annorum triennio continuè habitauerint simul.

575. *A quo puncto sit computandum triennium. Non est cõputandum ante conatũ ad copulam, aut à destinato tempore à iudice. Quorumdã iuristarum dictum, vt potè sine fũdamento reiicitur. Ratio nostræ doctrinæ. Locum habet hoc etiã in impotentiã ex maleficio. Sanchez rectè id colligit ex verbis textus.*

Occurritur obiectioni quæ posset oriri ex eodẽ textu.

Ex quo infertur necessarium esse, quod triẽnium sit continuum; quia id supponitur in eo capite, quæ continuitas moralis debet esse; non mathematica, sed iuxta cõmunem modum, vt docent auctores communiter, de hoc tamen dicemus *dub. 55.*

576. *Necesse est triennium esse continuũ moraliter.*

577. *Etiam si cõstet certò de maleficio cõcedi debet triennium.*

Rectè autem docet Sanchez *disp. 107. n. 9. & 10.* etiamsi certò constet de impedimento maleficij, concedendum esse triennium; quia cùm impotentia inde proueniens non naturalis, sed

Ratio. Sanchez cum pluribus aliis.

sed accidentalis sit, præsumitur fore, vt decursu temporis mediis adhibitis remoueri possit, atque adeo non esse declarandum irritum matrimonium ante triennalem experientiam. Pro quâ sententiâ plures alios offert.

578. Concedunt à iudice maleficiatis aliquod tẽpus impendendum in oratione & operibus pœnitentiæ. Sanchez.

Deinde *n.*10. docet in maleficij impedimẽto esse vltra triennium arbitrio iudicis assignandum aliquod tempus coniugibus, vt orationi vacent, ac operibus pœnitentiæ eo consilio, vt vel sic Deus placatus coërceat Dæmonem, vt desistat maleficio nocere. Quod colligitur ex *citato c. finali* vbi dixit Pontifex loquendo de impedimento maleficij post multos cohabitationis annos. *Iniunxistis eisdem, vt agerent pœnitentiam de commissis, & sic fortè placeret Deo, vt opus matrimonij consummarent.* Pro quâ doctrina plures alios refert.

Ex textu videtur colligi. Plures apud Sanchez.

579. Quando debeat incipere cõputari tempus in impedimẽto nimiæ arctitudinis fœminæ? Henriq. Reginald. Sanchez, Ledesma. Bonacina. Cum aliis.

Quod verò attinet ad impotentiam ex nimiâ fœminæ arctitudine, tunc debet incipere computari triennium, quando incipiunt remedia adhiberi. Ita Henriquez *c.* 8. *n.*1. Reginald. *lib.*31. *n.*107. Sanchez *disp.*110. Petrus de Ledesma, & alij quos sequitur Bonacina *q.*3. *puncto* 13. *numer* 21.

580. Si constet deceptum fuisse Ecclesiam existimando impotentiam an sit inchoandum aliud triennium? Sanchez.

Rectè etiam probat idem Sanchez *disp.* 99. *n.*34. & 35. quando prius matrimonium ratione impotentiæ existimatæ instauratur; quia Ecclesia inuenit se fuisse deceptam, debere numerari aliud triennium à die restaurationis, & nouæ copulæ, non secus, atque nuper dicebamus de remedio arctitudinis incipiendum esse tunc numerari tempus; quia scilicèt, ex tunc incipit sumi experientia.

581. Quæsitũ an à plena pubertate debeat inchoari triennium?

Quæret tamen aliquis, an quando coniux non est adeptus plenam pubertatem triennium debeat computari à die plenæ pubertatis?

582. Respondetur affirmatiuè. Ratio. Sanchez.

Omissis aliorum sententiis asserendum est triennium incipere à plenâ pubertate, scilicèt in viro à decimo octauo anno expleto, & in fœmina à decimo quarto; quia vsque ad eam ætatem præsumi potest impotentiam prouenire ex fragilitate ætatis, quæ præsumptio obtentâ plena pubertate cessat. Ita Sanchez *disputation.* illa 110. *num.*10. qui rectè etiam probauerat *disputation.* 104. *numer.*18. quando puer decimo quarto anno, aut fœmina duodecimo, contracto matrimonio adhuc inueniuntur impotentes ad copulam, expectandum esse ad plenam vsque pubertatem prædictam; nam in *c. Laudabilem* conceditur illa triennalis experientia quãdo coniectari potest ex frigiditate, aut alio impedimento impotentiam prouenire, tunc enim meritò ex cohabitatione triennij præsumit Ecclesia impedimentum esse perpetuum, quod tamen non ita potest præsumere, quando præsumi etiam potest prouenire impotentiam ex ætatis imbecillitate: id autẽ potest præsumi, quãdo nondum adest perfecta pubertas. Pro qua sententia Sanchez refert Cardinalem *c. Puberes n.vnico de desponsatione impuberum*, imò ad hanc sententiam reuocat plures Doctores, quos retulerat eodem *lib.disp.99.num.*34. & 35. docentes triennium experientiæ incipere à tempore, quo cessante priore impedimento, ob quod ex errore declaratum fuit irritum matrimoniũ, eoque instaurato coniuges incipiunt vacare nouæ copulę. Qui auctores sunt plures numero & iurisperiti. Ideo non placent in hoc puncto Hurtado *disp.*12. *difficult.*11. *n.*41. quem sequitur Perez *disp.* 33. *sect.*11. *n.*11. qui ideo dicunt computandum esse tempus à priori pubertate illâ non perfectâ; quia in iure triennium eodem modo absque distinctione aliqua horum vel illorum supponit triennalem experientiam sufficere; id enim negamus, sed talem requirere, quæ tollat dubium de temporali defectu proueniente ex imbecillitate ætatis; non tollitur autem hoc dubium, nisi experimentum capiatur à tempore, quo iam imbecillitas ob defectum ætatis non habet locum; habet autem locum in iis, qui nõdum venerunt ad perfectam pubertatem.

Cardinalis. Plures Doctores apud Sanchez.

Sunt non solum plures hi auctores sed iurisperiti. *Non admittuntur negantes hoc Hurtado, & Perez.* *Eorum ratio nihil probat.*

583. Notandum maximè pro foro externo prudenter procedente.

Illud autem vltimò obseruandum est, quòd scilicèt diximus de triennali experientiâ indubio perpetuitatis impotentiæ requisitâ pro foro exteriori habere etiam locum, quamuis pro perpetuitate impotentiæ sit probabilis ratio, seu opinio, dummodo etiam pro non perpetuitate probabilis ratio, seu opinio sit, nam in tantâ contingentia physicâ non perpetuitatis impotentiæ quanta in eo casu apparet, æquitas ipsa postulat, vt per experientiam requiratur veritas, neque ante inquisitionem declaretur matrimonium à iudice nullum.

DVBITATIO LIII.

Quid faciendum quando Ecclesia iudicauit matrimonium nullum, & postea deprehensus est error iudicij, sed iam vir professus fuerat in Religione, vel sacros Ordines susceperat?

584. Proponitur casus de quo dubitatur possibilitas, & status quæstionis.

COntingere potest, quòd per Ecclesiastici iudicis sententiam matrimonium declaretur nullum propter impotentiam falsò iudicatam perpetuam, vir autem, eâ suppositâ sententiâ, se liberum putans profiteatur Religionem, posteà verò deprehendatur error. Quærimus ergo quid tunc faciendum sit?

585. Assertio. 1.

Assero. 1. si alteruter coniux sit iam professus, aut profiteri velit, nihil esse de nouo intentandum; neque vllam restitutionem faciendã; quia prius matrimonium per professionem vtpote nondum consummatum dissolutũ est, aut dissolui potest. Atque ita in hoc euentu decidit *c. fraternitatis de frigidis*, & docet Sanchez cum multis *lib.*7. *disp.*99. *à n.*37. vbi rectè notat ex Hẽriq. *lib.*12. *de matrim. c.*7. si fortè virgo, quæ nimis arcta iudicata est ob id dissolutum matrimonium; postea verò inuenitur apta tali viro, si saluâ integritate receperit semen intra vas quacunque arte id factum fuerit, aut matrice illud attrahente tale matrimonium censeri consummatum, atque adeo minimè dissolui professione. Quod etiam docet Gouarruuias 2. *p. c.*3. §. 4. Petrus de Ledesma *de matrim. c.*105. atque adeò tunc vir restituendus erit vxori, quæ iam agnoscitur potens.

Colligitur ex iure Canonico. Notandum circa hoc ex Henriq. Couarr. Ledesma.

586. Aliud notandum ex Sanchez.

Meritò docet Sanchez (quamuis alios Doctores desideret pro eâ sententiâ, si fœmina ita arcta sit, aut vir ita debilis, aut calidus, vt non possit cum fœmina hâc coire, vt semen intra

intra vas emittat, sed tantum foras mittat casu, quo hoc sit impedimentum perpetuum, & immedicabile, matrimoniumque esset nullum iuxta doctrinam, quam nos tradidimus *supra in fine dubitationis* 42. cum eodem Sanchez *libr.*7. *disputation.*92. *numer.*7. 8. & 9. vbi alios refert; in nostro nunc præsenti casu adhuc esse verè irritum matrimonium, si adhuc arctitudo feminæ perseuerat, vel debilitas viri, quantumuis arte, vel matricis attractione receptum fuerit semen intra vas; nam valor matrimonij non potest pendere ex casu raro & fortuito. Accedit, quòd vir ille verè est impotens ad seminandum intra vas & alioquin nunquam talis impotentia posset dirimere matrimonium, quod esset contra innumeros illos Auctores relatos à Sanchez *citato: n.*7. semper enim semen illud, saltem vase aliquo vitreo receptum, posset in vas femineum immitti.

587. *Obiectio.* Sed obiicies contra hoc, si illa receptio seminis intra vas fæmineum sine penetratione non sufficit ad hoc, vt censeatur consummatum matrimonium sine penetratione; perseuerante adhuc impotentiâ penetrandi; etiam non sufficiet, vt censeatur consummatum cessante impotentiâ; quia, vel illa copula est sufficiens, vt fiant vna caro, vel non, si est sufficiens, ergo in vtroque casu fient vna caro, si non est sufficiens, in neutro fient vna caro; atque adeò in neutro consummabitur matrimonium. Vnde quamuis superueniat potentia, quæ credebatur non superuentura, non censebitur matrimoniũ consummatum per illud genus copulæ; quod non fit per coitum, sed per intromissionem seminis arte, vel attractione.

588. *Respondetur.* Respondetur in vtroque quidem casu factos fuisse vnam carnem; sed in vno casu matrimonium non valere; atque adeò non sufficere illud genus copulæ, vt censeatur consummatum matrimonium, quod fuerat nullum, in alio verò casu fuerat validum, atque adeò per illud genus copulæ potuit consummari.

589. *Notandum pro casu cõtingenti.* Quod si contingat, quòd facta professione alter coniux in sæculo relictus transierit ad aliud matrimonium tunc aduertendum maximè est; an matrimonium inierit ante, vel post alterius professionem; nam, si post professionem, valebit matrimonium, quantumuis apparuerit impotentiam non fuisse perpetuam; quãuis enim prius matrimonium valuisset, dissolutum fuisset per professionem, vtpotè nondum consummatum, atque adeò valebit secundum. Si verò ante professionem; posterius matrimonium erit irritum, atque, vt valeat, necesse est adhiberi nouum consensum post factam professionem; quia ante illam nondum erat dissolutum prius matrimonium.

590. *Quid in hoc errore Ecclesia, si post sententiam vir initietur ordine sacro? Restituẽdus est vxori. Quid in petendo & reddendo debito?* Circa secundum verò de viro sacris initiato, quando per errorẽ impotentiæ existimatæ perpetuæ illum Ecclesia per sententiam declarauit liberum à matrimonio, dicendum est omnino debere restitui; quia vinculũ matrimonij adhuc perseuerat, cùm non fuerit irritum ratione impotentiæ falsò existimatæ perpetuæ. Nec facer Ordo, aut votum ibi inclusum dissoluerit illud. Quapropter vir tenebitur reddere debitũ vxori, cum ipsa non sit priuata iure petendi; ipse verò non poterit petere propter votum castitatis emissum in ordinatione. Ita Sanch. cum multis *disp. illa* 99. *n.*36. & 40. quibus adde Rebell. *li.*3. *q.*16. *sect.*4. *n.*22. Bonac. *q.*3. *punct.*13. *n.*24. Verùm, vt nihil dissimulem, quod mentem meam pungat, adhuc in hac Sanchezij & aliorum resolutione, quantum ad facultatem, quã negant tali viro petendi debitum, & solùm fatentur habere reddendi obligationẽ vxori petenti hæret mihi scrupulus quia ille ex falsa existimatione vouit castitatem, & ordines susceperit, alioquin non susceperus. Vidit hanc difficultatem Sanchez, & aliquot centenis annis ante ipsum Ricardus *in* 4. *dist.*34. & 3. *q.*2. *ad*3. Deinde Astensis 2. *parte summæ lib.*8. *tit.*29 *art. vnico q.*7. Rosella *verbo diuortium numer.* 6. Supplementum Pisanæ *eodem verb. nu.*7. Syluester eodem verbo *q.*21. *num.* 24. ex quibus Ricardus & Astensis suppresso nomine testantur aliquos sentire posse petere, nec ipsi duo videntur alieni ab ea sententia, cùm & vltimo loco iam referant, & nullo signo videãtur ostendere sibi non placere. Reiicit autem hanc sententiam Sanchez tum loco notato breuiter & obiter *tum lib.*10. *disp.*9. *n* 23. latius ex doctrinâ à se eâdem *disp. data* & concludit in simili ibi contra Rosellam loco citato professionẽ feminæ valere, quando falsò credens diuortium iustè fuisse celebratum ipsa professa est, viro iã professo, aut in sacris ordinibus constituto contendit verò cùm Sylueſtro verbo *Diuortiũ n.*22. & Armilla *ibi. n.*16. falsũ esse, quod valebat Rosella illam professionem vitiari ex falsâ causâ finali; tum quia falsa illa existimatio diuortij iustè celebrati non est causa finalis, sed impulsiua. Professionis enim finis est communiter, seruire Deo in Religione. Et contendit ex nullo alio capite illius feminæ professionem esse irritam, quod ego facilè concesserim supposito quòd ille iam sit in sacris, aut aliàs legitimè professus, vt ibi supponit Sanchez, quia nec à viro potest reuocari, quia in eo statu in quo est, non habet ius illam reuocandi, vt rectè probauerat idem Sanch. *n.*12. *eiusdẽ disp.*9. item rectè probauerat *n.*20. non esse irritam ex falsâ causâ diuortij. Venit autem deinde ad nostrũ casum ex parte quidem feminæ, quem nos tractamus ex parte viri, & contendit pro vtroque casu ex doctrinâ à se datâ num.9. teneri reddere debitum; sed non posse petere, pro qua sententia congerit satis multos Auctores, & (quod magis deberet vrgere) est argumentum à simili casu petitum *ex c. Placet de conuersione coniugatorum*, vbi putat Sanchez contineri, quòd femina falsò putans maritum mortuum ingressa Religionẽ fuerat, se per professionem obligauerit, vt etiamsi marito iterum comparente deberet ad illum redire, nihilominus non possit petere; sed obligatam manere ad non exigendum, quod erat in potestate ipsius. Hæc omnia reddunt prædictam sententiam non solùm tutiorem, quod euidens est; sed omnino consulendam nisi aliud obstet. Verùm, si ratione agamus mihi videtur valdè difficilis, etiam in principiis ab eodem Sanchez, & quod caput est ab omnibus ferè receptis, & propter aliqua quæ videtur inde sequi, quæ omnia ob oculos proponã, & iudiciũ legentibus relinquam. Primò idem Auctor

Tenebitur reddere, non putatur posse petere. Sanchez. *Cũ multis.* Rebell. Bonacin. *Quid videatur in eã resolutione difficile circa petitionẽ debiti.* *Videbat hoc Sanchez & olim.* Richard. Astensis. Rosella. Supplem. Pisanæ. Syluester. *Aliqui putarunt posse petere neque abhorrent ab hoc Richardus, & Astensis.* *Impugnat hoc Sãchez.* *Variis in locis contra illam agit, sed non tangit directè nostrum casum.*

Probabiliter hæc dicuntur à Sanchez sed nõdum nostrum casus.

Accedit ad nostrum casum & negat posse petere debitũ. *Affert plures in sui fauorem.* *Contendit probare ex iure Canonico.*

Difficilis tamen est sententia si agamus ratione. *Vrgetur argumentis ad hominem.*

lib.7 disput.34. disputans de hac obligatione & afferens *num.1.citatum c.Placet* & cap. *Quidam de conuersione coniugatorum*, in quibus videtur expresse haberi professionem quidem, & votum Religionis non valere, votum (inquit textus) *non tenuit, vnde ratione voti non tenetur ad monasterium redire* castitatem tamen esse seruandam *promisit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideò quoad hoc votum tenuit.* Cùm ergo idem Sanchez varijs locis præsertim citatis concludat id, quod in eâ *disp.34.dixit num.2.votum illud castitatis in eâ professione emissum* (quam professionem meritò fatetur esse inualidam, vt factam sine consensu & licentiâ coniugis) *habere vim voti simplicis, & obligare coniugem in quantum se obligare potuit* statim *num.3.* subiungit *sunt tamen hæc intelligenda, nisi coniux ille emitteret votum Castitatis in ea professione dependenter ab illâ, & ex fine immediato permanendi in Religione. Tunc enim in virtute talis intentionis ad nihil aliud voluit obligari cassatâ professione illâ. Quare, vt professionem irritam faciens, maneat voto simplici ligatus desideratur intentio obligandi se independenter à professionis valore.* Quibus verbis vltimis, si non constet de tali intentione, significat debere esse locum coniecturis sufficientibusque rationibus, vt censeatur independenter à tali professione voluisse obligare se, & putat ius positiuum præsumere *eam intentionem, vbi de contrariâ non constat.*

Debilitas fundamenti Sanchezij in hac re.

Quod verò ius ita præsumat non alio argumento probat, quàm ex citatis textibus. Ex quibus omnibus non possum non videre satis esse debile fundamentum ad inducendam eam obligationem. Nam seclusis textibus, (de quibus posteà dicam) illud est certum, si voluerunt prædicti, de quibus in eis capitibus agitur se obligare independenter à valore professionis, non posse esse dubium, quin teneantur, sicut è contra, quòd non teneantur, eo ipso quòd dependenter à valore professionis se obligarint. Veniamus ergo ad casum, in quo nihil cogitauerint, de iure coniugis reuocantis talem professum coniugem, & de intentione dependente. In hoc ergo casu non video quare debeat esse præsumptio, quod voluerit quis se obligare independenter à professione Religiosa. Sunt enim multæ rationes, quæ moueant potiùs ad præsumendum dependenter à professione. Atque in primis maius est periculum, cui expositus est cohabitans cum coniuge in eadem domo, & etiam lecto, & mensâ, ita, vt ex parte suâ nec debitum petere, nec aliquid ad id ordinatum possit præstare. Vnde graues viri prudentesque Theologi ordinariè loquendo putant votum Castitatis coniugati præsertim, si coniuges non sint Senes, nec alieni à venere nõ expedire, imò posse esse illicitum, vt notauit Perez *disp.52.sect.6.num.15.* ponitque exemplum in coniugibus iuuenibus adhuc, & cubantibus in eodem lecto, quia periculum est grauissimũ; tale verò periculum satis commune est; & media ad seruandam castitatem in Religione sunt meliora, tutiora, & faciliora. Profectò satis præstiterit qui cum diuinâ gratiâ puritatem seruet separatus à consortio & contubernio correlatiui sexus, ob rei difficultatem. Quid quæso erit, si penes se ad indiuiduam vitæ societatem coniugem habeat, quam nec aspicere possit carnali illo affectu, qui esse alioquin inter illos solet. Vnde in litteris, quibus Sedes Apostolica solet concedere dispensationem in voto Castitatis alicuius feminæ, inter alias causas solet esse, quòd quando votum Castitatis emisit, putabat fore, vt monialis fieret, nec iam suppetant media, vt possit esse monialis, adeoque difficilè credat aut speret se seruaturam votum in sæculo manendo. Nempe difficilius multò est in sæculo esse castam, quàm inclusam in monasterio. In viris quoque suo modo id ipsum cernere licèt cùm in multis periculis versetur etiam Religiosus in sæculo, à quibus procul est in Religione, non ergo (nisi aliunde constet aliud) censeri debet voluisse manens etiam in sæculo se obligare mansurus (vt putabat) in Religione sine his periculis.

Secundo ostenditur difficultas argumento ad hominẽ cum communi sententiâ.

Secundò idem Auctor, & multi communiter fatentur, professionem in eo casu esse nullam. Ideò tamen ille putat ex tali professione manere obligationem voti simplicis, quia iuxta vtrumque Textum (vt expendit eodem *nu.2.*) *votum illud* (quod in professione emisit) *coniugẽ adstrinxerit, quatenus se obligare potuit; at potuit se obligare adhæc, scilicèt* (quæ dixerat prius) *vt in eo matrimonio abstineat se à debiti exactione, & eo per mortem soluto; ab alio matrimonio ineundo, & ab alijs quæ castitati promissæ aduersantur.* & in hoc agnoscit disparitatem inter professionem irritam, vt obliget, vt votum simplex Castitatis, & votum factum in ordine Sacro valore carenti, quod (vt dixerat *disp.27.num.13.*) votum Castitatis est essentialiter annexum statui Religioso; non verò ordini Sacro, cui adiungitur castitas tantùm ex statuto Ecclesiæ, quod ibi latiùs & optimè declarat. Ex hoc autem principio & doctrinâ, si sufficeret probaretur plus quàm ille auctor & alij contendunt, & vltra, vel contra textus citatos: quod sic probo. Non minus essentiale est statui Religioso paupertas, & obedientia quàm castitas, vt omnes fatemur, & ipse Sanchez post alios multis in locis probauerat. Et tandem probat *lib.5.summæ cap.1.num.16. & 17.* vt indubitatum sit, quod dixit Innocentius III. c. *Cum ad monasterium de statu monachorum. Abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ monachali, &c.* Ergo sicut ex professione illa inualida resultat votum simplex castitatis seruandæ, in quantum potest sine præiudicio alterius coniugis, ita resultare deberet similis obligatio paupertatis ex voto simplici (idem dic de Obedientia) & sicut postquam liber est à vita coniugali per mortem coniugis, tenetur plenè totam materiam castitatis seruare ex vi illius professionis, ita, vt (sicut ille ait in *num.13.*) *quamuis non valeat, vt solemne propter aliquem acceptationis defectum valeat eo modo, quo valere potest, nempe, vt simplex* eodem modo dicendum sit de duobus votis paupertatis, & obedientiæ, ad quæ seruanda soluto matrimonio plenè teneatur. Quod nec auctor prædictus, nec alij meritò concedent. Certè tantùm abest, vt in prædictis Textibus id habeatur, vt potiùs habeatur oppositum. Nam in *c. Placet* decernitur vt *si adhoc induci non poterit ipsam inuitam credimus non cogendam*, quod tamen dictu

Nimis multum probaret illud fũdamentum si probaret.

Casus in quo potest esse difficultas non præbet locũ præsumptioni voluntatis obligandi se independenter à valore professionis, sed potius oppositæ voluntatis.

Primò ostẽditur difficultas.

Perez.

Textus, quos pro se allegauit, potius videntur oppositum probare.

iniquum esset, si teneretur. Itaque, sicut ex tali professione dicitur colligi obligationem seruandi partem quidem materiæ castitatis durante matrimonio; soluto verò per mortem; seruandi totam; ita de aliis duobus votis dicendũ esset, quod tamen dici non potest. Quod si recurrat ad inualidam professionem pro duobus alijs votis, cur non eodem modo recurrit ad eiusdem valoris defectum pro voto Castitatis? Ideò mihi persuadeo, non ex merâ nudâ professione communi modo factâ censeri (in cap. *Quidem*) obligatum illum, sed quia simul expressè renunciauit suo iuri, & promisit se non exacturum ampliùs debitum; ille enim intrauit monasterium inuitâ vxore, & ipsâ repetente coactus est redire, & ille videtur non solùm voluisse in Religione; sed etiam seorsim. Ideo cum dixisset Pontifex *votum non tenuit, vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire* cum subiunxisset *vlterius verò non poterit vxorem accipere.* Huius rationem reddit. *Promisit enim, se non exigere debitum.* Nempe fieri potuit, vt cùm inuitus reuocaretur ad sæculum feruore quodam, ac deuotione ductus, tunc, quando cogebatur exire, & simul esse cum vxore, promitteret se saltem velle seruare quod poterat, scilicèt debitum non exacturum, & de hoc tandem meritò subiungere potuit, & subiunxit Pontifex. *Quod in eius potestate erat, & quoad hoc votum tenuit.* Simile quid suspicari licet de casu capitis *Placet* vbi femina putans maritum mortuum intrauit monasterium, & cum etiam repetente marito reuocaretur inuita, vel etiam in ipso ingressu aliqui vel aliquæ moniales adhuc dixissent, quid si maritus superstes sit? illa præsenti feruore promisisset se nolle ampliùs vti marito, ideò Pontifex etiam potuit dicere: *Promisit enim intrando monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius.* Et quidem, nisi pro casu, quo maritus superstes esset, & compareret, eamque reuocaret, non erat materia promissionis *non exigere carnis debitum.* Quod enim debitum poterat exigere, quæ tunc fiebat religiosa, & maritum credebat mortuum? Quis poterat illi iam amplius debere debitum carnis, vt illa id non exigere promitteret? signum ergo est, quod id promisit casu, quo maritus non esset mortuus. Vnde non mirum quod Pontifex censeret illam obligatam, etiam pro casu, quo maritus adhuc viueret, atque adeò professio non valeret. Hæc & alia quæ omitto dixerim, vt ostendam non esse tam clarum, aut certum, vt putatur, quòd maneat prædicta obligatio non exigendi debitum, & seruandi plenè castitatem soluto post mortem coniugis matrimonio. Nec desunt qui sentiant liberum esse talem coniugem ab obligatione non petendi, vt supra dicebamus de Ricardo, & Astensi, qui etiam de aliis id testantur. Quia tamen grauitas & multitudo Doctorum est pro opposita sententia, quos refert Sanchez *lib.*10. *disp.*9. *nu.*9. non ausim præsertim in praxi affirmare ab iis recedendum. Quamuis (vt hoc obiter notem) non omnes satis clarè loquantur, & Abulensis quem ibi refert, nihil de hoc dicat, vt legenti constabit. Admittendo igitur communem doctrinam iuxta illam pergo.

Ricardus. Astensis.

Limitandum ergo puto id quòd diximus de obligatione reddendi cum eodem Sanchez *disp.illâ* 99. *num.*39. & cum Henriquez *lib.*12. *c.*8. *num.*3. *vt non* habeat locum, si vxor fornicata esset; quia tunc ratione fornicationis, si vir esset innocens posset illam repellere. Quæ doctrina mihi vera videtur, sed pro casu, quo talis fornicatio fuerit, postquam est cognitus valor matrimonij, vel saltem interim, dum dubitabatur, de valore, & inquirebatur veritas. Nam in tali occasione certum est illam peccâsse peccato adulterij, quia, vel certò sciebat valere matrimonium, vel se exponebat periculo adulterandi, quando non sciebatur, an valeret, vel non. Solùm mihi videtur habere difficultatem, si vxor fornicata fuisset illo tempore quo matrimonium ex declaratione iudicis censebatur nullum; tunc enim bonâ fide putauit matrimonium non valere atque adeò fornicando non commisit adulterium; nec fregit fidem formaliter, quia nulla fides data, nec obligatio iustitiæ putabatur subsistere: ergo non est ratio, ob quam in tali casu vir possit negare debitum vxori, quæ illi formaliter nullam intulit iniuriam; nec commisit formaliter adulterium, non secùs; atque si bonâ fide alteri viro nupsisset, & cum eo habuisset copulam quamuis enim vna sit fornicaria formaliter, & non altera; tamen neutra est formaliter adulterium, & ob solùm adulterium coniux coniugi negare potest debitum. Vnde, licet alter coniux sciat ante initum matrimonium suum coniugem fornicatum fuisse; non ideò potest post matrimonium initum debitum negare, quamuis ea fornicatio sufficeret, si nota fuisset ante matrimonium ad retrocedendum, etiamsi præcessissent sponsalia, vt suis locis diximus. Vnde mihi videtur pro nostro casu non excusari virum à reddendo debito. Quæ doctrina multò mihi clarior videtur ordine inuerso, si femina vouisset Castitatem, putans se iam fuisse liberam à tali matrimonio, & vir, non quidem transiret ad Sacros Ordines, sed adhuc maneret Laicus, & existimans se liberum fornicaretur cum alià feminâ; tunc enim instaurato matrimonio, aut declarato iam valido, non poterit mulier negare debitum, neque cohabitationem ob fornicationem viri; quæ non fuit formaliter adulterium, & iniustitia contra ipsam, cui bonâ fide putabat se non alligatum. Atqui quantum ad hoc reddendi, vel non reddendi debitum coniugi adultero eadem est ratio de feminâ, atque de viro; ergo, si femina non excusatur propter talem fornicationem viri, nec vir excusabitur propter talem fornicationem feminæ; etiamsi alioquin in communi æstimatione magis indecorum censeatur, quod vir habeat vxorem ab alio fornicariè cognitam, quàm quod vxor habeat virum, qui aliam fornicariè cognouerit; id enim totũ est extra ius ipsum matrimonij.

591. *Limitatio admissa doctrina.* Sanchez. Henriq.

Sub limitatur hoc ipsum.

592. *Si vxor sacris initiatum virum non repetat ille non potest redire ad illam.* Sanchez. Ledesma *putat tunc feminam debere castitatis votũ emittere. Non placet.*

Illud mihi videtur omnino verum, quòd si vxor non repetat virum sic sacris initiatum, ille non poterit redire ad vxorem; quia sibi præiudicauit per ordinem Sacrum. Ita Sanchez cum alijs *num.*39. vbi rectè reprobat Petrum de Ledesma putantem feminam nolentem repetere tenêri votum Castitatis emittere; nec enim est

est cur ad id obligetur. Nam Textus *in c. coniugatus* de *conuers. coniug.* solùm hoc petit, vt vir de consensu vxoris legitimè ad Sacros Ordines ascendat; hic autem iam ascendit absque vllo vxoris consensu; neque est vllus Textus alius, qui petat huiusmodi votum; quando vxor suâ libertate vtens nolit ipsum repetere.

593. *Assertio 1. negans, si nullus defectus sit in alijs rebus, vt in ætate. Constat ex iure Canonico.*

DVBITATIO LIV.

An impotentia temporalis ex defectu ætatis dirimat matrimonium, vel potius defectus ipse ætatis?

Non dirimit iure naturæ defectus solũ ætatis.

Assero prima impotentia temporalis ex mero defectu ætatis prouenientis, non dirimit matrimonium contrahendum, ipse tamen defectus legitimæ ætatis nondum attingentis duodecimum annum in puella, & decimum quartum in puero dirimit matrimonium iure Ecclesiastico. Constat totum ex *c. Puberes* & ex *c. continebatur* & ex *c. Attestationes* & ex c. *ex Litteris de desponsatione impuberum* non autem dirimit iure naturæ, si aliàs sufficiens sit vsus rationis; quia ex naturâ rei apti sunt obligari ex tunc ad actum coniugalem posteà possibilem.

594. *Assertio 2. si malitia supplet ætatem, nec iure Ecclesiastico dirimit.*

Assero secundò defectus ætatis, quando malitia ætatem supplet, nullo iure adhuc Ecclesiastico dirimit matrimonium, vt constat ex *c. Continebatur* & *c. De illis* & ex *c. finali de Desponsatione impuberum.*

595. *Quid nomine malitiæ intelligatur? Item an ætas requiratur mathematicè completa? Quanto tẽpore ante ætatem suppleat malitia? Et, an peccatum sit ante eam ætatem contrahere? remissiuè.*

Quid autem nomine malitiæ intelligatur? & an ad valorem matrimonij requiratur ea ætas mathematicè completa vel solùm moraliter? Item quanto tempore ante dictam ætatem malitia eam suppleat? & an sit peccatum ante talem ætatem contrahere diximus latè & ex instituto *disp. 1. dub. 19.* vbi disputauimus de ætate requisitâ ad sponsalia, & ad matrimonium: ibi legantur, vbi etiam duas assertiones hic positas tradidimus, & confirmauimus.

DVBITATIO LV.

An prædictum triennium experientiæ debeat esse continuum vel saltem debeat suppleri, si quid fuerit inter missum?

596. *Qualis continuitas triennalis experientiæ ex dictis constat.* Gutierr. *cum multis.*

Diximus iam obiter *supra num. 576.* triennium experientiæ debere esse moraliter continuum, vt decidit expressè c. *finali de frigidis*, ibi: *Per continuum triennium in simul habitasse.* Et quidem quamuis Textus non ita expressè loqueretur, sufficeret regula generalis, quod in dubio tempus lege aliquâ vel Canone requisitum necessariò debeat esse continuum, vt docet Gutierrez *Quæst. Canonic. lib. 1. c. 12. n. 24.* & multi apud ipsum.

597. *Quidam argumentis contendunt eam continuitatem talem esse debere; vt nõ sit aliqua interruptio, sed quasi mathematica, aut physica.*

Quæ argumenta alij afferunt vt probent tempus illud necessariò debere esse continuum tali continuitate vt nullo modo sit aliqua interruptio, atque adeò sit cõtinuitas quædam, quasi mathematica, aut physica perpetuæ, & non interruptæ cohabitationis. Probantque hoc vltimum vlterius à simili Nouitiatus Religiosi; quia

Probant à simili nouitiatus Religiosi, & temporis requisiti ad præscribendum.

ferè omnium & verissima sententia est annum Nouitiatus ita debere esse continuum, vt tempore aliquo intermissum debeat de nouo incipere priori non computato; item à simili de tempore requisito in iure ad præscribendum: quod si semel intermittatur, incipere de nouo debet, vt cum aliis tradit Couarruuias Regula Possessor *de Regulis iuris in 6. in 2. part. Paragrapho 12. de Regulis iuris in 6.* Hanc sententiam sequuntur Cardinalis *citato c. finali in* fine Archidiaconus 33 *quæst. 1. in Summa. num. 3.* & ibi Bellamera *num. 2.*

Couarr. Cardinalis. Archidiac. Bellamera.

598. *Assertio. Non requiritur tàm exacta continuatio. Sanchez cum multis Bonacina. cum alijs. Ratio.*

Asserendum nihilominùs est non exigi tam exactam continuitatem. Ita docet Sanchez cum multis *disput. 111. num. 2* quibus adde Bonacinam *quæst. 3. punct. 13. num. 21.* & alij apud ipsum. Ratio est; quia verba in decretis accipi debent ciuili, & possibili modo, & iuxta subiectæ materiæ exigentiam, vt ex variis legibus probat idem Sanchez, maximè ex *c. finali de verb. signific. in 6.* vbi deciditur aliquem dici commensalem, & domesticum continuè alicuius, licet quandoque pro illius negotiis gerendis absit, & idem est, si propriis, vt docet ibi Glossa verbo *pro Tuis*; neque enim verbum continuè ita rigide accipiendum est; sed ciuili modo &, vt subiecta materia postulat. Vnde cum in nostro casu coniuges sic continuè habitare vacando copulæ sit moraliter impossibile, siue, quia morbus intermittit; siue, quia negotia, peregrinationes, & iter aliquod suscipiendum necessariò occurrit, idque postulat gubernatio domus cui vir incumbere debet: sufficit quòd ciuili modo, & moraliter censeatur illud tempus continuum, non verò mathematicè. Atque hac ratione intelligenda est illa particula Textus citati *per continuum triennium*, & ex *infra* dicendis ampliùs declarabitur.

599. *Nec moralis continuitas desideratur. Ratio.*

Imò etiam cum Sanchez mihi probabilissimum apparet, nec moralem desiderari continuitatem; quia finis illius triennij assignati est, vt coniuges experiantur, an decursu temporis ea impotentia possit auferri, atque adeò non sit perpetua matrimonium dirimens; adhoc autem experiendum satis est, quod illud triennium expleatur, etiamsi non sit in illo triennio continuitas habitationis, & assistentiæ ad copulam, imò quo magis continuè vacatur copulæ, ait Sanchez eo debilior redditur vir. Legatur Sanchez *loco citato.*

Atque ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ. Nam illa, quæ afferuntur de Nouitiatu & præscriptione, vera sunt, quia tale genus continuitatis postulat illa materia; id autem non postulat materia nostri casus, vt ex dictis constat. De particula autem *continuum* iam diximus, & amplius infrà declarabitur pro *citato c. finali.*

600. *Ex dictis patet solutio argumentorum in contrarium.*

601. *De complemento trienniij supplendo difficultas.*

Iam verò difficultas est, an saltem ita completum exigatur triennium, vt intermissum tempus suppleri debeat.

602. *Asserendum non sufficere per maiorem partem anni cohabitasse. Sanchez.*

In quâ re omissis quorundam sententiis breuiter assero cum Sanchez *supra num. 6.* habito respectu ad *num. 5.* non sufficere vt aliqui volunt cohabitationem maioris partis anni, sed necessarium esse triennium totum compleri, supplerique tempus intermissum non quidem meta-

metaphysicè aut mathematicè, quasi quodcunque breue tempus intermissum supplendum sit, sed, quando arbitrio prudentis censetur notabile ita, vt moraliter loquendo non censeatur plena triennij experientia, nisi suppleatur, ac proinde sufficit cohabitare triennio sumpto morali modo, vt communiter solent habitare coniuges. Pro quâ sententia refert Sanchez, Ioannem Andream, Abbat. Alexandrum de Neuo, & Præposit. Vnde æquitas poscit, vt ea triennalis habitatio non censeatur interrupta, atque adeò neque ex parte supplenda, ex eo quòd pauci dies, ijque interpolati defecerint, imò, vt cum prædictis ait Sanchez, etiamsi dies interpolati toto illo triennio exæquent spatium 6. mensium simul computati non censentur supplendi, qui tamen, si simul omitterentur, supplēdi essent, quia in priori illo modo praxis interpretatur non esse notabilem absentiam, quia, cum ijs breuibus & interpolatis absentijs procasibus occurrentibus censetur ordinaria, & moraliter continua cohabitatio coniugum, quę communi modo fit. Simultanea verò absentia sex mensium simul meritò censetur grauis, & notabilis, atque adeò supplenda. Legatur Sanchez loco citato, qui cum prædictis & alijs *n.* 5. explicat *c. finali de frigidis* vbi ponderatur toto spatio octo annorum, quod à contractu matrimonij transierat in casu illius textus coniuges cohabitasse triennio ibi : *Intra prædictos octo annos continuum triennium in simul habitasse* vbi vox *continuum* non significat continuitatem triennij, vt supra probatum cum eodem Sanchez ; sed significat perfectam triennij integritatē, ita, vt sensus sit, intra prædictos annos habitasse integro triennio integritate scilicèt morali explicatâ, alioquin superflua esset illa particula, quæ superfluitas in legibus non est admittenda. Legatur Sanchez ibi : Omitto alia circa hoc impedimentum, quæ merè spectant ad forum externum, vt, an, si coniux propriâ auctoritate recedat, post triennij lapsum ob alterius impotentiam sit statim coniux spoliatus restituendus, non obstante, quòd matrimonium non sit consummatum ? Item quales debeant esse matronæ, de quibus mentio fit *c. penultimo de Probat.* quæ debent inspicere, & deponere de virginitate ad probandum matrimonium non fuisse consummatum. Quod etiam habetur in *c. Fraternitatis in principio* & *cap. finali de frigidis.* & alijs Textibus. Item an ius, & actio proclamandi propter nullitatem matrimonij competat soli coniugi potenti, vel etiam impotenti? De quibus omnibus agit Sanchez *lib.7.disp.112.* vsque *ad* 114.

Moraliter debet hoc intelligi.

Sanchez. Ioan. Andr. Abbas. Alexand. de Neuo. Præposit.

Quot dies interpolati non videantur tollere continuationem moralem?

Explicatur textus in contrarium.

Quædam ad solum externum forum pertinentiâ, & omittenda.

Sanchez.

DVBITATIO LVI.

An machinatio mortis coniugis dirimat matrimonium postea cum altero contrahendum?

603. *Assertio 1.*

ASsero 1. machinatio mortis coniugis siue proprij, siue alieni dirimit matrimonium contrahendum inter superstitem coniugem, & alterum, quando ab aliquo ex ipsis duobus machinatio processit. Ita docent omnes quos viderim Doctores. Vnde adulterium solùm nō obstat matrimonio contrahendo constat ex Canone, *si quis viuente 31. quæst. 1.* & ex *c. 1. de conuersione infidelium* & ex *c. significasti de eo, qui duxit*, &c. atque hoc habet locum, quamuis vnus eorum, inter quos est contrahendum matrimonium, machinatus fuerit mortem ante Baptismum : constatque ex dicto *c. 1.* Quod intelligendum est, quando fidelis dedit consilium infideli, & ex tali consilio infidelis coniugem interemit, in tali enim casu loquitur prædictus Textus, vt rectè contra Palatios docet Sanchez *lib.7.disp.78. num.4.* quia tunc etiam coniux fidelis est causa illius machinationis mortis per consilium, aut mandatum, quod sufficit, vt intelligatur cooperari, vt rectè cum multis docet idem Sanchez *num.5.* qui rectè *num.6.* docet non sufficere meram ratihabitionem mortis, quam alter infidelis machinatus fuit, etiamsi hæc ratihabitio coniūgatur cum adulterio ; quia ratihabitio ex solâ fictione iuris trahitur retrò, & mandato æquiparatur, atque, vt hoc locum habeat, requiritur quod duo extrema sint habilia ad illum actum exercendum. Vnde, si quis nomine infantis hominem occidit, & infans maior factus ratam occisionem habet, non potest ratihabitio retrotrahi, quia infans nequibat tunc mandare. Item, si concesso termino ad aliquid agendum amicus nomine alterius fecit, quia post terminum non poterat verè efficere. Atque ad huius rei maiorem intelligentiam iuuabunt quæ dicimus de ratam habente percussionem Clerici aut homicidium agentes *de censuris Tract.1.* tum *disp 3. dub.58. cap.1. §. Dubitabit adhuc* & sequentibus *tùm disp.7. dub.25. assert.2.* In nostro ergo casu cùm textus requirant machinationem ad necem coniugi inferendam, & hâc illatâ, nequeat interuenire machinatio; nequibit etiam ratihabitio illa retrotrahi. Ita docent multi quos refert & sequitur Sanchez *supra num.6.*

Communis sententia recepta.

Constat ex iure Canonico.

Quid si aliquis illorum nondum fuisset baptizatus?

Sanchez *contra* Palatios.

Non sufficit ad hoc impedimentum sola ratihabitio mortis, etiam adiuncta adulterio.

Ratio.

604. *Non tantū Machinatio mortis vxoris dirimit matrimonium, sed etiam mariti.* Sanchez *cum multis contra* Victoriam, Ledesmam *& alios.* Coninc. Bonacina *cum aliis.*

Nec tantum machinatio mortis vxoris dirimit matrimonium (in quo omnes consentiunt) sed etiam machinatio mortis mariti, vt contra Victoriam Ledesmam aliosque nonnullos docet Sanchez cum multis alijs quos refert *num.8.* Quibus adde Coninc *disp.31. num.55.* Bonacinam *quæst.3. puncto 6. num.7.* cum alijs. Ratio verò est ; quia, quamuis in aliquibus iuribus tantùm fiat mentio machinationis in mortem vxoris tamen in *c. si quis viuente citato & c. illo de conuersione infidelium* fit etiam mentio de machinatione ex parte vxoris in mortem Mariti. Idem etiam docet Basilius *lib.7. cap.45.* Perez *disput.37.*

Ratio.

Basilius.

Perez.

Necessarium præterea est, quòd machinatio sortiatur effectum in quo citati Doctores & alij communiter consentiunt constatque ex duobus citatis textibus. Quamuis enim in alijs iuribus, in quibus fit mentio machinationis non exprimatur effectus mortis, parum refert. Nam ea iura explicanda sunt per alia in quibus id exprimitur, & generaliter loquendo quando iura pœnam imponunt pro crimine intelligenda sunt de crimine completo, quando aliud ex alio capite non constat iuxta doctrinam quam

605. *Requiritur effectus machinationis.*

Ratio.

latè

Sanchez.

latè tradidimus de Censuris *Tractat.10.disput.2. dub.*11. Legatur Sanchez *n.7.*

606. *An requiratur vt necem intulerit animo contrahendi matrimonium.*

Iam verò difficultas est 1. an vt ea machinatio in mortem re ipsâ sequutum dirimat matrimonium contrahendum necessarium sit quod fiat animo contrahendi illud.

607. *Sententia negans.* Caietan. Petr. Sot. Scotus. Armilla. Angles. Ouandus. Pedraza. *Alij.*

Negat Caietanus *in summa verbo matrim. c.1. de impedimentis.* Petrus Sotus *de matrimonio in impedimento criminis casu* 2. Scotus *in 4. dist.35. q.vnicâ* Armilla, Angles, Ouandus, Pedraza, & alij apud Sanchez supra nu.12. Probant quia ea intentio nullo iure ad effectum dirimendi matrimonij requiritur.

608. *Probabilius est requiri intentionem.* Sanchez *cum multis.* Bellarm. Toletus. Valentia. Henriq. Coninc. Basilius. Bonacina. *Alij plures.* Perez. Hurtado. *Ratio.*

Probabilius nihilominus est, necessariam esse intentionem contrahendi matrimonium. Ita docet Sanchez cit.n.13.cum multis alijs Theologis & Iurisperitis, quos refert inter quos sunt vterque Card. Bellarmin. & Toledus, item Valentia & Henriquez quibus adde Coninc *disp. illâ 31. n.51.* Basilius *suprà*, Bonacina supra & alij plures alij Recentiores & post cæteros Perez *supra num.6.* & ante ipsum Hurtado *disput.23. difficult.1.num.3.* Ratio verò est, quia quamuis in iure non exprimatur insinuatur tamen *in c. super* hoc 3. de eo qui duxit in matrimonium & *in c.1. de conuers. infidelium* ibi: *malitiosè fuerint machinati* & in *c. si quis viuente* ibi: *occidisse notetur*, verbum enim *notetur*, denotat malitiosam procurationem mortis. Accedit quòd ratio, & finis inducendi hoc impedimentum fuit, ne quis ex affectu noui matrimonij occidat proprium, vel alienum coniugem. Quæ ratio nequit habere locum, nisi coniugis occisio tendat in eum finem.

Vrgetur ratio.

609. *Sufficit quod alteruter habeat eam intentionem. Ratio.*

Rectè autem notat Sanchez *num.14.* sufficere quod alter illorum machinantium id intendat, tunc enim concurrit mortis machinatio cum affectu & animo contrahendi, nulloque iure decernitur vtriusque intentionem esse necessariam.

610. *Necesse est eam intentionem exterius indicari.* Basilius. Perez. ex *Vazquij doctrina & consentit* Hurtadus. *Ratio. Adde Dianam.*

Docet etiam sic Basilius & Perez cum illo supra n.7. iuxta doctrinam Vasquij c.2.disp.160. necessariam esse eam intentionem exterius indicari, quia Ecclesia non potest punire, nisi quæ potest cognoscere & iudicare: hæc autem pœna est merè Ecclesiastica, & Ecclesia non potest cognoscere actum merè internum. Ita etiam Hurtado *disp.23.diff.1.n.3.* Diana 9.part.Tract.7. resol.25.

611. *Probabile est sufficere internam non manifestatâ exterius. Ratione à simili de Censura. Ratio propria quasi à priori.*

Probabile nihilominùs est etiam incurrere posito tantum fine interno incognoscibili ab Ecclesiâ, quæ omnino potest punire talem actũ machinationis cum effectu infligendo pœnam sub eâ tantùm conditione interna talis finis, seu affectus iuxta doctrinam quam tradidimus de Censuris *tract.10.disp.2. dub.10.* vbi id in simili probamus de Censura, quam Ecclesia potest imponere alicui actui externo malo, si fiat ex tali, vel tali intentione, secùs verò, si ex eâ non fiat. Legantur quæ ibi diximus *assertione* 5. vbi rationem reddidimus, quia cum absolutè possit Ecclesia imponere pœnam tali peccato externo, etiamsi sine illo animo fieret, potius restringit effectum suæ potestatis puniendi, quàm extendit, quia non punit (quamuis posset) nisi, quando concurrit talis conditio internæ intentionis ex parte operantis, vt in exemplo excommunicationis impositæ Inquisitoribus, quando ex amore vel odio, vel spe lucri omittunt procedere vel procedunt contra iustitiam, ibidem explicuimus: sic ergo in nostro casu cum posset Ecclesia hanc pœnam impedimenti matrimonij extendere ad quoscunque machinantes mortẽ coniugis; potuit non extendere, nisi ad illos qui mortem machinarentur ex eâ intentione, etiamsi alioquin intentio illa exterius non manifestetur. Vnde responderi potest ad fundamentum Basilij (cessantque plura quæ in confirmatione suæ sententiæ afferunt ex Vazquio Ecclesiam non punire eam intentionem internam, quæ non manifestatur) sed punire actum machinationis in mortem coniugis non tamen semper, sed quando coniungitur cum eâ intentione ineundi matrimonium modo prædicto. Quę doctrina præcipuè locum habet in eo genere pœnæ, quæ non requirit exequutionem particularem ex parte iudicis inflicturi, sed quæ ipso facto incurritur, qualis est Censura, & hæc pœna de qua nunc agimus.

Ex his respondetur ad fundamentum oppositum, & cessant alia argumenta petita ex Vazquio. Aduerte.

612. *Infertur 1. ex dictis.*

Ex supra dictis colligitur 1. si coniugatus adulteræ dicat, si non essem alligatus vxori, te ducerem; & posteà occidat vxorem, posse adulteram ducere, quia occidit quidem, sed non ob finem matrimonium contrahendi cum adulterâ, neque ea verba continent futuri matrimonij promissionem, & machinatio illa non facta ex fine matrimonij ineundi non præstat impedimentum dirimens, vt cum Sylueſtro Calderino, & alijs docet Sanchez *supra n.5.*

Sylvester. Calderin. Sanchez. *cum alijs.*

613. *Colligitur 2.*

Colligitur 2. non esse impedimentum, si cõiux & persona adulterans cum coniuge interficiant communi consilio alterum coniugem, vt liberius libidini vacent; vel ne à coniuge, quem interficiunt, interficiantur; quia in tali intentione deest finis ineundi matrimonij, quem iam diximus esse necessarium adhoc impedimentum. Ita Sà verbo matrimonium vbi de *impedimentis dirimentibus numer.7.* Rodriguez 1. *tomo Summæ in 2. editione cap.229.numer.5.* Vega 2. *tom. Summæ cap.34. casu* 120. Sanchez *supra numer.16.*

Sà. Rodrig. Vega. Sanchez.

614. *Colligitur 3. Ratio.*

Colligitur 3. non induci hoc impedimentum, etiamsi vir vxoris mortem machinetur animo ducendi alteram, nec mors ex eâ machinatione sequatur; etiamsi posteà adultera vxorem illam casu enecet, nec communi consilio, nec animo nubendi coniugi superstiti. Nam ea machinatio in eum finem caruit effectu, & occisio vxoris facta ab adultera caruit fine ineundi matrimonium sine quo impedimentum non subsistit. Ita Sanchez *n.17.*

Sanchez.

615. *Quæsitum. Responsum quorundã.* Veracruz. Matienzo. Vega.

Quæret tamen aliquis, quid sentiendum, quando intentio viri occidentis vxorem fuit ducendi feminam incertam, aut vnam ex pluribus. Veracruz Matienzo, Vega apud Sanchez *suprà n.18.* negant esse impedimentum dirimẽs, quando animus fuit ducendi non certam, & determinatam feminam; sed incertam; secus, si fuit ducendi hanc, vel alteram, aut vnam ex pluribus, dummodo omnes illæ essent expressè intentæ, tunc enim esset impedimentum dirimens cum quâuis earum.

616. *Approbat Sanchez cũ limitatione eam resolutionem.*

Hanc sententiam approbat Sanchez si intelligatur cum limitatione, nempe, quando cum omni-

omnibus illis expressè intentis præcessit adulterium; quia nimirum putat (de quo posteà dicemus) non sufficere ad hoc impedimentum, quòd vir interfecerit vxorem machinando mortem in eum finem, nisi etiam concurrat adulteriū. Vnde infert, quod si interfecerit vxorem animo ducendi feminam indeterminatam poterit posteà ducere quamcunque, etiam eam, cum qua vxore superstite adulteratus est, quia intentio matrimonij determinati ad hoc impedimentum incurrendum requisita, defuit. Item colligit ex hac sententiâ posse adulteram illam ducere, quando habuit animum ducendi aliquā aliam determinatam, vel vnam ex pluribus determinatis, distinctam tamen ab eâ adulterâ; imò & tunc posse quamuis ex illis ducere; quia cum cæteris adulterium defuit, & cum adulterâ defuit animus contrahendi. Et addit Sanchez, quod si in mente suâ expresserit adulteram, siue solam, siue inter alias, respectu solius adulteræ erit impedimentum dirimens; quia respectu illius reperitur adulterium cum animo contrahendi matrimonium cum illâ.

Approbatur Sanchezij data doctrina vt in praxi seruetur.

Sed speculatiuè aliud videtur probabile.

Hæc doctrina absolutè mihi placet, & seruanda videtur in praxi occurrenti, quamuis speculatiuè loquendo, si præcisè ratione agamus, non videatur improbabile, quòd quamuis quis habuerit intentionem ducendi hanc, vel illam, seu vnam ex pluribus determinatis; etiam expressè cogitatis, & intentis, &, etiamsi præcesserit adulterium cum illis, adhuc non incurratur impedimentum; tùm quia deficit expressa & determinata intentio matrimonij cum aliqua illarum, est enim intentio illa vaga; & sub disiunctione, tùm quia finis, quem intendit Ecclesia in tali impedimento inducendo, non videtur habere locum in tali casu; finis enim Ecclesiæ fuit imponendo tale impedimentum, ne quis ex desiderio ineundi matrimonium moueretur ad machinandam mortem proprij vel alterius coniugis. Quod non ita frequenter contingere solet moraliter loquendo respectu personarum indeterminatarum, etiam quando vna vagè ex pluribus permultis intenditur. Et quidem, si semel concedatur, vt concedunt Sanchez, & alij citati non esse impedimentum machinari mortem, quando fuit animus ducendi non certam, & determinatam feminam, sed vagè & indeterminatè aliquam incertam, atque adeò in tali casu posse ducere etiam illam, quâcum fuit commissum adulterium, solùm ex eo quòd intentio non fuit ad illam determinata; eâdem ratione videtur dicendum, etiamsi sit intentio ad vnam ex pluribus certi cuiusdam & determinati numeri; nam hi casus solùm à præcedenti differunt in expressione, non in determinatione; vtrobique enim intentio est indeterminata, & vaga, quamuis in vno casu non exprimantur; at in neutro intenditur determinatè hæc, aut determinatè illa; sed hæc, vel illa; ergo, si intentionem esse vagam sufficit secundum hos Auctores ad non inducendum impedimentum, vtrobique non inducetur, quia vtrobique intentio vaga est. Nihilominùs standum est (vt dicebam) maximè in praxi prædictæ sententiæ.

Argumentū ad hominē.

617. *An simul cū tali morte ex intentione requiratur adulterium.*

Restat adhuc difficultas, an machinatio mortis reipsâ sequutæ, & procedens ex dictâ intentione dirimat matrimonium, si non interueniat adulterium?

618. *Negant aliqui.* S. Anton. Veracruz. Philiarch. *Alij plures.*

Nonnulli negant esse necessarium adulterium etiamsi vnus solus modo prædicto machinatus fuerit mortem coniugis. Ita Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 5. Veracruz 1. *part. speculi art.* 33, Philiarcus *de officio Sacerdot. tomo* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *impedim.* 4. & plures alij apud Sanchez *supra num.* 9.

619. *Affirmant alij.* Monald. Friburgo. *Probabile putat.* Bassolis. Ochagau.

Alij verò absolutè requirunt adulterium, etiamsi vterque nempe vnus, & alter qui matrimonio volunt copulari, machinatus fuerit mortem alterius coniugis. Ita docet Monaldus in *Summa Tractat. de matrimonio.* vbi de impedimento criminis Ioannes de Friburgo in *Summa confess. lib* 4. *tit.* 9. *q* 2. & probabile putat Bassolis apud Sanchez *suprà*, quibus adde Ochagauiam *Tract.* 3. *q.* 61.

620. *Probabilius est distinguendum in hac re.* Sanchez. Bellarm. Toletus. *Plurimi apud* Sanchez. Basilius. Perez.

Probabilius verò est quod docet Sanchez ibidem cum magna Theologorum & Iurisperitorum manu, inter quos duo Cardinales Bellarminus & Toletus, prior *lib.* 1. *de matrimonio cap.* 22. posterior *verò lib.* 7. *Summæ cap.* 6. *num.* 3. quibus adde Basilium supra Bonacinam *supra num.* 5. & Perez *supra num.* 4. *& sect.* 2. *num.* 1. aliosque Recentiores. Qui omnes sub distinctione loquuntur tunc scilicèt, requiri adulterium, quando vnus tantùm machinatus est mortem, vt constat ex *cap.* 1. & c. super hoc *c. significasti de eo, qui duxit & c. si quis viuenti* 3. 1. *quæst.* 1. in quibus Textibus, quando solius alterius machinatio interuenit, simul etiam fit mentio de adulterio admixto, cumque res hæc sit pœnalis, & matrimonium cassans non debet extendi, sed potius restringi ad casus, & circumstantias de quibus ibi fit mentio. Vnde nec videtur sufficere adulterium commissum, nisi tale adulterium ab vtroque scienter committatur, quia de tali adulterio sermo est, & docet Sanchez *num.* 12. Sà in Summ. verbo matrimonium, vbi *de impedimentis dirimentibus num.* 7. Quando verò vterque machinatus est mortem, non requiri adulterium. nam *in c.* 1. *de Conuersione infidelium* nullâ mentione factâ adulterij dicitur matrimonium inter vxores occisorum à Saracenis, & inter ipsos Saracenos, etiam ad fidem conuersos non valere; quia vxores illæ cum Saracenis ipsis malitiosè machinatæ fuerunt in mortem maritorum. Legatur Sanchez loco citato.

Sanchez.

621. *Notandum ex Sanchez circa primū membrum date distinctionis.* Monaldus.

Sed circa primum membrum huius distinctionis, in quo requiritur adulterium, rectè notat Sanchez *supra num.* 10. ex Monaldo satis esse adulterium subsequens machinationem, dummodò ante mortem coniugis contingat, vt, si vir venenum propinet, aut vulnus infligat vxori, & antequam illa moriatur, adulteretur cum eâ, cuius ducendæ causa machinatus est mortem. In hoc enim casu verificatur intercedere adulterium cum occisione coniugis, secùs verò, si iam defuncta vxore copula habeatur, quia ea non est adulterium, atque adeò deficeret adulterium.

Meritò

622. *Reiiciuntur negantes requiri adulterium si interuenit data fides.*

Meritò tamen reijcit Sanchez *n.*11. nonnullos, qui putant non requiri adulterium, quando interuenit data fides de futuro matrimonio ineundo. Cuius oppositum docent quàm plurimi relati à Sanch. *n.*9. dum absolutè, & absque limitatione requirunt adulterium vt in eo casu machinationis ex parte vnius incurratur impedimentum; imò, & Textus supra relati sine vllâ mentione fidei datæ adulterij admixti mentionem fecerunt, neque vllus apparet alius Textus, qui solâ fidei datione cum machinatione alterius tantùm impedimentum inducat.

DVBITATIO LVII.

An adulterium absque mortis machinatione matrimonium dirimat inter adulteros?

623. *Assertio 1*

Asserendum est primò adulterium absque machinatione in mortem coniugis dirimere matrimonium contrahendum inter ipsos adulteros, si adulterium coniungatur, vel cum matrimonio de præsenti attentato inter ipsos adulteros, adhuc altero coniuge superstite, vel cum promissione matrimonij cõtrahendi cum altero complice, factâ ante coniugis mortem.

Constat ex Iure Canonico.

Constat hoc ex *Canone Relatum* 31. *quæst.* 1. *ex c.*1. 6.7. & *vltimo de eo qui duxit in matrimonium.* Atque hoc habet etiam locum, siue adulterium præcedat, siue subsequatur prædictam attentationem, seu promissionem matrimonij. Ita Sanchez *disp.*79. *n.*1. Rebellus *lib.*3. *q.*8. *n.*10. Henriquez *lib.*12. *c.*14. *n.*3. Coninc *disp.*31. *num.*6. & 61. Perez *disp.*33. *sect.*3. *num.*1. & alij apud Bonacinam *q.*3. *puncto* 6. *num.*8. Item siue facta fuerit cum iuramento, siue non. De ficta verò promissione posteà dicemus, constatque ex citato *c. vltimo.* Intelligi autem debet, dummodò adulterium fiat ante mortem illius coniugis, quo superstite facta fuit promissio, aut matrimonium initum, seu attentatum, neque enim sufficit adulterium posteà in alio matrimonio commissum, vt consentiunt Doctores.

Sanchez. Rebellus. Henriq. Coninc. Perez. Alij apud Bonacin.

624. *Assertio 2.*

Assero 2. vt hoc adulterium inducat impedimentum, debet esse verum, & formale, ita, vt vterque habeat notitiam matrimonij proprij, aut matrimonij alterius adulteri. Constat ex *cit. cap.*1. & 7. in quibus ideò dicitur femina non incurrisse tale impedimentum, quia ignorauit matrimonium alterius ideoque non peccauit formali peccato adulterij.

625. *Quæsitum. Quorumdã responsio affirmans. Recentiores quidam.*

Vtrùm autem sufficiat quando vterque est coniugatus, quod quisque norit proprium coniugium, quamuis ignoret alterius? aliqui Recentiores affirmant; quia in eo casu vterque verè peccat peccato adulterij in citato autem *c.*1. & 7. ideò dicitur femina ignara matrimonij non incurrisse impedimentum dictum; quia femina illa non erat coniugata, vt ibi supponitur.

626. *Negant alij Sanchez.*

Sanchez nihilominùs *disp. illâ* 7.9. negat sufficere, quod vnusquisque nouerit proprium coniugium ignorato alterius; quia in *cit c.*1. dicitur prædictam feminam non contrahere propter ignorantiam alterius coniugij ibi: *Inscium quod ille aliam haberet vxorem* vbi sola matrimonij alterius adulteri ponderatur ignorantia, quæ etiam sola ponderatur in *c. veniens* 7. *eodem titulo*, quia impedimentum hoc institutum est propter iniuriam ab vtroque adultero irrogatam eidem matrimonio committẽdo aduersus illud adulterium. In tali autem casu nemo illorum committit eidem matrimonio simul cum altero iniuriam; sed vnusquisque soli proprio, vt ex se patet. Pro qua sententia refert Sanchez Maiorem, Supplementum Gabrielis, Palacios, Angelum, & Syluestrum. Quæ sententia quamuis oppositа probabilis sit mihi probabilior videtur, sunt enim huiusmodi pœnæ restringendæ.

Maior. Supplem. Gabriel. Palacios. Angelus. Syluester. Præfertur hæc secundæ sententia.

627. *Aduertendũ in praxi.*

Sufficiet autem ad impedimentum quòd matrimonium de facto ineatur, seu attentetur inter vtrumque, etiamsi tunc sit ignorantia prædicta coniugij posteà verò posità scientiâ adsit copula. Nam perseuerando in eodem matrimonio attentato, & eo vtendo, censentur contractum illum matrimonij approbare, & ansa præbetur machinandi in mortem coniugis. Ita plurimi Auctores, quos refert & sequitur Sanchez *supra num.*31. qui hoc meritò temperat, nisi iam habitâ scientiâ resiliissent ab eo matrimonio, & posteà casu adulterium commisissent; tunc enim non coniunguntur simul matrimonium attentatum, & adulterium.

Ratio. Sanchez cum multis. Limitatio.

628. *Aliud pro praxi notandum. Ratio.*

E contra verò sufficiet promissio futuri matrimonij facta cum ignorantia coniugij, si posteà habitâ notitiâ, sequatur adulterium nondum priore fide dissolutâ; quia vtrumque tunc coniungitur, nempe promissio, & adulterium, neque est maior ratio de matrimonio quàm de promissione illius, quantùm adhoc, quia in *c. finali de eo, qui duxit.* æquiparantur omnino pro hoc impedimento promissio, & matrimonium attentatum. Ita Sanchez *supra num.*34. referens Abbatem, Angelum, Rosellam & alios.

Sanchez. Abbas. Angelus. Rosella. Alij

629. *Infertur adhuc pro praxi. Ratio.*

Hinc infertur, si ante adulterium tale matrimonium attentatum, aut promissio præcedet cum notitiâ coniugij, posteà verò, communi consilio dissoluatur tale pactum attentati matrimonij, & promissionis retractando priores voluntates, durante adhuc matrimonio, & post talem dissolutionem fidei datæ aut matrimonij attentati sequatur fortè adulterium; non resultare prædictum impedimentum. Ratio est, quia non coniunguntur simul adulterium & matrimonium attentatum, seu promissio. Ita Sanchez *supra num.*7. habito respectu ad ea quæ dixerat *num.*6.

630. *Quæsitum de ignorantia coniugij alterius.*

631. *Plerique putant ignorantiam debere esse probabilem.*

Quæret aliquis an excuset ab hoc impedimento quæuis ignorantia coniugij alterius; an sola probabilis?

Coninc. Hurtado. Perez.

Pleriique teste Sanchez *n.*38. cum quibus Coninchus *dub.*5. *n.*61. Hurtado *diffic.*2. *num.*7. & vt probabilius Perez *supra sect.*3. *n.*6. docent ignorantiam debere esse probabilem & iustã, quia ignorantia vincibilis & culpabilis non excusat à culpa. Pro quâ sententiâ plurimos refert Sanchez, eamque appellat valdè probabilem, quibus adde Rebellum *lib.*3. *q.*8.

Plures apud Sanchez qui valde probabilem sententiam putant. Rebellus.

632. *Quamcunque ignorantiam*

Ipse verò Sanch. cum alijs, quos refert putat quamcunque ignorantiam excusare etiam crassam, & supinam, tùm; quia hæc ignorantia

rantiam, etiam crassam excusare putat Sanchez cum aliis. Ratio. Petita ex iure cùm Canonico, tùm Ciuili Calderin. Alexand. de Neuo. Veracruz. Probabilis est hæc sententia. Limitatio aliqua in Regula Iuris.

est facti, quæ excusare solet iuxta Regulam *ignorantia* de *Regul. Iuris in 6.* tùm quia adulterium est necessarium, quod tamen absque dolo non committi fatentur omnes per *l. penult.* ff. *Ad l. Iuliam de Adulter.* at, vbi dolus exigitur non sufficit lata culpa iuxta Glos. receptam *l. magnà negligentiâ.* ff. de *verb. signific.* verbo *Dolus.* Pro qua sententia refert Sanchez Calderinum, & Alexander de Neuo eamque docet probabilem Veracruz. Quæ sententia probabilis est, congruitque cum iis quæ diximus de Censuris *Tract. 10. disp. 2. dub. 23.* disputantes an ignorantia impediat vim Censuræ? dummodò ignorantia non sit tàm crassa, vt dolo æquiparetur; nam hæc (vt ibi diximus) non excusat, ideò ignorantia crassa, & supina mihi videtur etiam non excusare iuxta ibidem dicta in simili de Censuris, quam multi putant dolo æquiparari, & saltem sufficit ad committendum peccatum adulterij, ob quod hoc impedimentum statuitur, & ipsemet Sanchez loquens de ignorantiâ crassa, aut supina *lib. 9. de matrimon. disput. 32. num. 31.* & agens de Censuris, & alijs pœnis spiritualibus, expressè concedit per factum cum ignorantia crassa aut supina incurri pœnam, dummodò lex non restringat illam pœnam ad eos, qui *scienter* faciunt. Cùm ergo in hoc casu hæc pœna non requirat specialiter scientiam, neque in textu eam imponente reperiatur illa vox *scienter* aut alia æquiualens, non est cur requiramus talẽ scientiam, quę excludat etiam crassam ignorantiam, aut supinam. Ideò hoc sentit Coninc cum alijs *disp. 31. num. 61.*

In nostra materia non cogimur eam limitationem admittere. Coninc *cum aliis.*

633. *Non sufficit ad hoc impedimentum tactus, aut conatus ad copulam. Ratio. Consentiunt in hoc Doctores. Nec copula absque feminis intromissione sufficit.* Basilius. *Ratio.*

Non sufficit autem ad hoc impedimentum incurrendum, quod cum promissione aut attentato matrimonio, sufficientique notitiâ facti subsistentis adhuc prioris matrimonij habeantur tactus, aut etiam conatus ad copulam; quia nihil horum est perfectum adulterium, in quo Doctores consentiunt. Imò, vt aduertit Basilius *supra* non sufficit copula absque feminis intromissione, quia absque hac non censetur perfectum adulterium; pœna verò quæ imponitur pro aliquo crimine absolutè, tantùm censetur imposita crimini in suo esse perfecto, quale illud non est.

634. *An sufficiat attentatum matrimonium clandestinum adulterorum? Affirmant* Sanchez. Coninc. *Probant.*

Iam verò circa id, quod dictum est de matrimonio intentato inter adulteros, ratione cuius adulterium inter ipsos dirimit matrimonium inter eosdem contrahendum, quærunt Sanchez *supra*, & Coninc, an sufficiat matrimonium clandestinum sic attentatum, & concurrens cum adulterio? Vterque verò affirmat, neque enim ponderatur valor matrimonij, aut sponsalium, quo impedimentum hoc consurgat, imò matrimonium illud semper est irritum propter cõiugium præcedẽs, quod adhuc durat.

635. *Non videtur improbabile oppositum.*

Nihilominus non videtur mihi improbabile oppositum. Nam, quod adulterium cum matrimonio inter adulteros inito dirimat matrimonium, pœna est; atque adeò restringenda, maximè, cùm in iure ad hoc impedimentum inducendum, tantùm fiat mentio matrimonij, quod ad sui valorem non habet alium defectũ, quàm quod alter coniux viuat. Præterea solùm matrimonium, quod aliàs non viuente coniuge valeret, censetur ordinariè loquendo præbere occasionem occidendi coniugem; atque hoc inconueniens est, quod Ecclesia per tale impedimentum vitare contendit.

636. *Requiritur ad impedimentum quod sit expressa aliquo signo externo non promissario, & acceptata.* Sanchez. Veracruz. Perez. Bonacina. Gutierr. *Alij.* *Acceptationem non putant aliqui exprimi tacendo. Contrarium putant alij.* Perez. Rebellus. Hurtado. Sylvester. *Probant.* *Non placent hi posteriores, nec eorũ ratio.* *Diana in hoc puncto legendus.*

Circa promissionem verò matrimonij notat Sanchez *supra num. 9.* eam promissionem debere esse aliquo signo externo sufficienter expressam; quia promissio interna matrimonij cum adulterio, vtpotè non nota promissario, non præbet ansam machinandi mortem coniugis. Pro quâ sententiâ refert etiam Veracruz consentit Perez *disput. 33. sect. 5. num. 3.* Idem docet Bonacina *supra num. 9.* qui etiam cum Sanchez, Gutierrez, & alijs requirit, quod promissio sit acceptata, nec putat sufficienter acceptari per taciturnitatem, cùm promissio non sit simpliciter grata acceptanti, & sit de re onerosâ. Quæ doctrina mihi placet contra Coninc *num. 58.* contra Perez etiam *num. 4.* qui cum Rebello, Hurtado & Sylvestro probat quia cum adulteri se mutuò ament, censentur expetere mutuum matrimonium, & vnus alteri promittit tanquam fauorabile. Non placet ratio, nec sententia, quia amare possunt se ad venerem licèt non ad matrimonium, vt sæpè contingit, quando duo fornicantur, maximè quando alię rationes concurrunt, vt matrimonium non placeat. Quid si sciat aliquis illorum hoc ipsum esse impedimentum? Itaque taciturnitas non videtur sufficiens acceptatio. Legi potest Diana, qui loco paulò post citando pro vtrâque parte alios refert.

637. *An sufficiat ficta promissio? Aliqui affirmant. Ratio.* Sanchez. Coninc. *Alij.*

An verò sufficiat ficta promissio, & tantùm oretenùs facta? non consentiunt Doctores, etiamsi, quantum exterius apparet videatur seriò, & ex animo facta. Quo casu aliqui docent sufficere; quia nimirum etiam ficta promissio præbet ansam insidiandi vitæ alterius coniugis. Ita Sanchez *n. 10.* Coninc *n. 57.* & alij. Quorum aliæ rationes debiliores sunt.

638. *Negant alij.* Henriq. Rebellus. Bonacina. Hurtado. Sa. Perez. *Recentiores alij.* *Hoc videtur probabilius. Ratio.* Diana.

Henriquez verò *lib. 12. cap. 14. num. 3.* Rebellus *suprà* Bonacina *suprà num. 8.* Hurtado *difficult. 2. num. 9.* Sà verbo *matrimonium* vbi *de impedimentis dirimentibus num. 7.* & alij Recentiores inter quos Perez *disp. 33 sect. 4. num. 2.* putant non sufficere. Quod mihi magis placet: tùm; quia hoc impedimentum est pœna, atque adeò restringenda. Quare, sicut non extendimus illã ad casum adulterij imperfecti; sed plenum adulterium requirimus, vt incurratur; ita plenam, & perfectam promissionem concurrere oportet, qualis non est illa, cui deficit animus internus, tùm; quia iuxta probabilissimã sententiam promissio illa est ficta, non vera; promissio autem ficta non est promissio. Neque obstat quod esset alioquin valida ad obligandũ iuxta dicta *disp. 1. dub. 4.* & *locis ibi notatis*; hoc enim tantùm probat, quod etiam ficta promissio; si aliud non obstaret, posset inducere obligationem; nõ verò tollit, quin reuerà deficiat consensus maximè in eo, qui alioquin putat esse possibilẽ promissionem, sine voluntate se obligandi, de quo ibidem diximus. Idẽ docet Diana *9. par. Tract. 7. Resol. 26.*

639. *An promissio debeat esse mutua ad hoc impedimentum.*

Dubitari vlterius potest; an promissio debeat esse mutua, vt inducatur impedimentum?

640. *Respondetur negatiuè.*

Respõdeo nõ esse necessariũ; potest enim esse vera promissio absq; repromissione, vt patet ex

6. signi-

significasti de eo, qui duxit. ibi: *Nisi alter eorum in mortem vxoris defunctæ fuerit machinatus, vel eâ viuente fidem ei dederit de matrimonio contrahendo.* particula enim *alter* de vnius promissione verificatur. Et in aliis iuribus, in quibus fit mentio eiusdem impedimenti, tantùm fit mentio adulterij cum promissione, seu fide datâ, quæ omnia (vt dicebam) verificantur, etiamsi promissio non sit vtrinque facta. Ita Sylvester & alij apud Sanchez qui per varias conclusiones huic difficultati respondet simul cum alia, de quâ iam diximus, scilicèt de acceptatione. Et sanè, si verum esset, quod aliqui dicunt ipsam acceptationem promissionis sponsalitiæ esse saltem virtualem repromissionem, & eo ipso quòd quis acceptat per solam acceptationem censeri repromittere, de quo diximus *disputation. 1. dubitation. 5.* (pro quâ sententia retulimus Vasquium, Basilium, Paludanum) si hæc (inquam) sententia vera esset, consequenter ad supra dicta dicendum foret promissionem debere esse mutuam, vt existimat Henriquez *supra cap. 14. numer. 3.* Vgolinus *de Sacramentis*, vbi *de matrimonio cap. 19. numer. 8.* Quia tamen loco notato probabilius existimauimus cum Sanchez & aliis solam acceptationem non censeri repromissionem; dicendum est in hoc casu non ob solam acceptationem censeri repromittere; atque adeò verba *citati cap.* in quibus solùm fit mentio promissionis vnius partis, etiamsi intelligenda sint cum acceptatione alterius partis, non ideò intelligi debent cum repromissione aliquâ, quæ includatur in acceptatione. Ideò nostram sententiam præter Sylvestrum Sanchez & alios apud ipsum *numer. 20. & 24.* docent etiam Bonacina *supra numer. 9.* Rebellus *q. 8. numer. 6.* Coninc *supra numer. 62.* & alij apud Bonacinam. Item Perez qui testatur de communi sententia supra *num. 5.* Qui *num. 6.* addit fieri posse, quòd acceptatio fiat per modum contractus ad eum modum quo in contractu sibi oblato v.g. venditionis, qui acceptat, virtute contrahit, acceptans enim equum pro pretio certo virtute censetur pretium repromittere. Ita in nostro casu putat acceptare promissionem matrimonij posse censeri virtute repromittere. Non acquiesco: quia doctrina vel non est vera; vel non ad rem. Si enim sermo sit de acceptatione ipsius promissionis, quâ vnus alteri promittit, & alter acceptat promissionem hæc acceptatio non est contractus, nec complet contractum propriè, id est mutuum ex vtraque parte quod enim hîc acceptatur non est obiectum, quod essentialiter requirat mutuam seu reciprocam obligationem (qualis esset res promissa per talem promissionem, scilicèt matrimonium celebrandum) sed acceptatur promissio ipsa, cuius acceptatio non inuoluit ex parte acceptantis repromissionem; quia acceptatio tantùm habet pro obiecto, propriè loquendo, alterius promissionem, & consequenter obligationem alterius ad ipsum, quod non est acceptare per modum contrahentis, sed per modum admittentis alterius liberalem promissionem, sicut in exemplo illo equi; si Petrus velit se Ioanni obligare ad vendendum eidem equum, & Ioānes acceptet, illa acceptatio formaliter, & præcisè non est per modum contractus, nec ea acceptatio formaliter est contrahere, imò nec formaliter acceptat contractum; sed promissionem contractus, dum Petro dicenti: *ego me obligo ad vendendum tibi equum pro centum aureis* respondet Ioannes *accepto tuam obligationem, aut verbum quod mihi dedisti*; non enim acceptat equum pro pretio, nec se obligat, aut suscipit in se quòd velit dare tale pretium pro tali equo, sed significat sibi placere, quòd Petrus obligauerit se ipsi Ioanni, & hāc illius obligationem admittit. Sic ergo in nostro casu acceptans alterius obligationem significat solùm, sibi placere, quod alter maneat ipsi obligatus ad dandum ius in corpus mutuū per matrimonium, non verò se obligat ex parte suâ ad tantundem præstandum. Si verò sermo sit de acceptatione, qua acceptat alterius promissionem, vt propriè mutuam & sponsalitiam idest, vt correlatiuam, & reciprocam, vera est doctrina & per se nota, sed non ad rem de hac enim non est præsens dubium, nec potest esse cōtrouersia, quod sit acceptatio simul inuoluens mutuam promissionem. Inutilis ergo est prædicta limitatio prioris doctrinæ, quæ omnino vera est, & ad hoc genus acceptationis nullo modo requiritur virtualis, aut formalis obligatio mutua, & mutua promissio.

Sylvester. *Alij apud Sanchez qui huic & difficultati de acceptatione variis conclusionibus respondet.*

Aliqui ex diuersis principiis requirunt mutuam. Henriq. Vgolinus. *Nos iuxta nostra principia non admittimus necessitatem mutua.*

Consentit etiam nobiscum. Bonacina. Rebellus. Coninc. *Alij apud* Bonacinā. Perez. *Testatus de communi. Additamē tum Perezij non placet. Reiicitur: ratione in vno sensu eā doctrina.*

Declaratur pes in allato exemplo.

Applicatur exemplum ad rem præsentem.

In alio sensu verum est quod dicitur, sed non ad rem.

641. *An sit necessaria promissio absoluta ad tale impedimentum?*

Quæret tamen aliquis, an necessaria sit promissio absoluta, siue quæ à principio fuerit absolutè facta, siue quæ per euentum conditionis fiat absoluta, vel sufficiat conditionalis?

642. *Sententia putans sufficere conditionatam.* Sanchez *Probat. Refert pro se alios.* Nauarr. Rodrig. Vegam.

Sanchez *sup. n. 11.* existimat sufficere conditionatam, vt ex ea cum adulterio pullulet hoc impedimentum. Probat; quia licèt conditionalis promissio non obliget ante conditionis euētum ad rem promissam implēdam, nihilominùs sufficit, vt verè dicatur data fides, & obligationem inducit non resiliendi ab eâ donec conditio defecerit, & inde concipitur spes futuri matrimonij; daturque ansa machinandi in mortē prioris coniugis. Pro quâ sententia refert Nauarrum, Rodriguez, Vegam.

643. *Probabilius videtur oppositum.* Coninc. Perez. Hurtado. *Ratio. Multo minus impediet si conditio sit contra substantiam matrimonij.*

Probabilius tamen mihi videtur id, quod docet Coninc *sup. n. 59. §. Et hoc credo.* Perez *sect. 4.* Hurtado *diffic. 2. n. 10.* qui requirunt promissionem siue absolutam à principio, siue quæ facta fuit absoluta conditionis euentu ante mortem coniugis. Ratio est; quia in iure requiritur promissio, talis autem non est plenè & perfectè loquendo promissio conditionalis ante impletā conditionem. Vnde multo minus inducetur impedimentum (quidquid Sanchez dicat) quādo conditio fuerit contra substantiam matrimonij, & vno verbo, quando conditio talis fuerit, vt appositio illius alioquin redderet contractum sponsalitium irritum, & quotiescunque promissio illa, & consensus detur dependenter ab euentu conditionis talis.

644. *Exceptio, seu limitatio, conditio scilicèt mortis coniugis.*

Vna tamen conditio excipienda est in hac doctrina id est illa ipsa, quam interuenire supponunt citata iura, quæ inducunt hoc impedimentum, scilicèt, conditio mortis coniugis viuentis adhuc, cuius mors tanquam conditio necessaria expectanda erat. Vnde quòd sit contractus conditionalis ex eo tantùm capite, non tollit quin impedimentum consurgat.

imò hoc ipsum ordinariè concurrit; vt, si Maria nupta Francisco dicat Petro adulteranti secum: *promitto me tibi nupturam, si Franciscus maritus meus moriatur*, talis quidem promissio in rigore conditionalis est; sed ea conditio est, quam iura prædicta supponunt, vel expressam, vel virtute inclusam in tali promissione, & eâ suppositâ volunt tollere occasionem machinandi mortem inducendo hoc impedimentum.

645. *Notandum pro praxi. Non impedire promissionem ducendi quam tertius designauerit, etiamsi ille alius iuret se designaturũ adulteram ipsam.*

Illud etiam mihi verissimum est (quidquid alij dicant) non scilicèt satis esse ad hoc impedimentum, quod Maria Petro soluto se tradat adulterandam, & Petrus illi det fidem, quod viro Mariæ mortuo contrahet cum eâ feminâ, quam Ioannes designauerit, etiamsi Maria certò credat, quòd ipsa sit à Ioanne designanda, neque enim tunc datur fides contrahendi cum Maria, cum absque dictæ promissionis fractione possit Petrus contrahere cum aliâ feminâ, si aliam Ioannes designet. Quod verum puto, etiamsi tunc Ioannes promittat, aut iuret se designaturum ipsam Mariam; adhuc enim Ioannes poterit de facto eam non designare, & talis promissio comparatione Mariæ semper est virtualiter conditionata ducendi scilicèt illam, si Ioannes designauerit. Quia conditio adhuc est pendens, atque adeò philosophandum est in hoc casu, sicut nuper dicebamus de promissione conditionatâ.

646. *Quia si ille dicat se ex nunc pro tunc designare eandẽ adulteram?*

Difficilius apparet in casu, quo Ioannes diceret subsistente adhuc priori matrimonio: Ego ex nunc pro tunc designo Mariam; in tali enim casu videtur iam adulterium commissum coniungi cum promissione absoluta ante mortem coniugis; quia promissio erat sub conditione designationis faciendæ à Ioanne, quæ designatio iam videtur esse facta: ergo nihil deficit ad impedimentum.

647. *Adhuc non videtur incurri impedimentum. Ratio.*

Nihilominus adhuc puto non incurri impedimentum, quia designatio non est verè, ac propriè & absolutè facta. Nam, cùm designatio sit non pro eo tempore, quo Ioannes hîc & nunc verbis designat; sed pro alio tempore, quo datum est illi arbitrium designandi; illa designatio qualis non censetur habere vim designationis quousque & veniat tempus legitimum designandi, & ipse tunc habeat ratam antiquam designationem, siue in eâ perseuerans, siue de nouo eam confirmans. Vnde, si suo tempore reuocet designationem, vt potest, vel ante tale tempus moriatur; designatio nulla erit; quia ab initio facta non fuit valida, vtpote ante tempus legitimum.

648. *Exceptio proxima doctrinæ.*

Excipe, nisi data fuerit illi potestas quocunque tempore designandi, & designet Mariam ante mortem coniugis; tunc enim promissio transit in absolutam comparatione Mariæ, & coniungitur cum adulterio, atque adeò, potest causare impedimentum.

649. *Alij in particulari casus omittuntur qui ex dictis possunt resolui.*

Omitto alios casus in particulari, ad quos descendit Sanchez *citatâ disp.* 79. & omnes possunt ex datâ doctrinâ facillimè resolui.

650. *Anacephaleosis aut synopsis omnium prædictorum quæ habemus ex dictis. Habemus 1.*

Placet nihilominus cum ipso quandam quasi anacephaleosim aut synopsim eorum, quæ dicta sunt ad extremum afferre. Habemus ergo ex totâ doctrinâ quasdam, siue conditiones, siue limitationes requisitas ad incurrendum hoc impedimentum resultans ex adulterio, & contractu, seu promissione futuri matrimonij. Primò itaque requiritur quòd adulterium sit cum seminis effusione intra vas.

651. *Habemus 2.*

Secundò, quòd cum adulterio concurrat promissio (sufficitq; simplex & non iurata) futuri matrimonij, aut contractus ipse matrimonij attentati de præsenti, siue adulterium præcedat, siue subsequatur, dummodò verbum promissionis non sit remissum, aut matrimonium illud de facto attentatum non sit dissolutum, quando adulterium superuenit. Non sufficit autem ad impedimentum id, quod sit data fides adulteræ ineundi matrimonium cum persona, quam quidam tertius designauerit; nisi fortè id fraudulenter fiat, vt ille tertius adulteram designet, & designatio fiat ante mortem veri coniugis præcedentis; nam, si designator omnino maneat liber ad designandam, quam voluerit, etiamsi credatur illam fore designandam, non sufficiet ad impedimentum. Non sufficit autem quod matrimonium illud clandestinum sit, debet autem fides, aut matrimonium simul cum adulterio existere durante vno & eodem matrimonio vero, neque enim sufficit, quòd adulterium sit vno matrimonio durante, & promissio fiat in alio, vel è contra.

652. *Habemus 3.*

Tertiò requiritur quòd adulterium perpetratum sit, sciente vtroque adultero matrimonium alterius, nec sufficit; quòd vterque adulter alligatus sit, & norit proprium coniugium, neque excusat ignorantia, quæ non excusat à peccato adulterij. Vnde ignorantia non probabilis præsertim crassa, & supina non excusat hoc impedimentum. Sufficit verò, quòd promissio fiat, aut matrimonium attentetur ante scientiam coniugij alterius, si habita iam eius scientiâ, copula accedat. Non verò sufficiet copulam haberi quidem ante scientiam, post scientiam verò fidem dari aut matrimonium attentari.

653. *Habemus 4.*

Quartò requiritur promissionem matrimonij esse signo externo significatam, & probabilius est non sufficere externam promissionem, sine animo promittendi, quamuis oppositum etiam sit probabile. Nec sufficit, quòd promissio sit conditionalis, sed necessaria est absoluta, vel quæ per conditionis euentum facta fuerit absoluta subsistente priore matrimonio.

654. *Habemus 5.*

Quintò requiritur, quòd sit promissio acceptata ab altero, etiamsi ille alter non repromittat. Nec sufficit ad acceptationem sola taciturnitas eius, cui promissio fit.

655. *Tandem in omnibus prædictis supponitur verum fuisse matrimonium inter coniuges quo durãte oritur prosequenti impedimentũ.*

Tandem in tota doctrina tradita supponitur matrimonium prius (quo durante debent concurrere adulterium & promissio futuri matrimonij, vel illud de præsenti attentatum) debere esse verum matrimonium (etiamsi non sit consummatum) & quamuis dissolutum sit quoad thorum, parùm refert, quia reuerâ tale matrimonium perseuerat.

DVBITATIO LVIII.

An raptus dirimat matrimonium? & quid requiratur ad Raptum, eiusq; pœnas incurrendas?

656. *In hac re illa seligemus, quæ ad præsens institutum spectant.*

DE naturâ raptus, & pœnarum illius iure antiquo, & qualiter eodem iure impediat matrimonium, latè disputat Sanchez *lib.7. de matrimonio disp.12.* quorum pleraque ad præsens institutum non spectant, quamuis alioquin multa sint ibi ab eo Auctore disputata scitu dignissima, & vtilia. Illa nos in præsenti tantùm dicemus, quæ nostro instituto videantur deseruire.

657. *Quid sit Raptus.* Iulius Clarus. Molina.

Raptus, qui propriè est *violenta puellæ extractio de domo patris*, tunc propriè concurrit quando persona aliqua inuita, aut resistentibus illis, sub quorum cura est, per vim abducitur ad libidinem explendam, vel contrahendum matrimonium. Idque constat ex *36. quæst.1. c. Lex illa.* Quâ de re legi potest Iulius Clarus *lib.5. sententiarum Paragrapho Raptus* & docet Molina *tomo 4. disp.105.* estque communis & recepta doctrina.

658. *Raptus in latiore significatione. Clauis Regia.*

Tamen, si loquamur latiore significatione de Raptu in genere. *Raptus est, violentia fœminæ facta causâ libidinis explendæ*, siue abducatur siue non, vt docet Clauis Regia *lib.8.c.5.n.5.*

659. *Raptor quis dicatur? Duplex genus Raptoris.*

Ex hac doctrinâ aliqui colligunt, non solùm illum raptorem, qui feminam abduxit, causâ contrahendi; sed etiam, qui causa tantùm explendæ libidinis, atque adeò subiacere pœnis contra raptorem constitutis in Tridentino. Ita docet Sà verbo *matrimonium num.9.* Veracrux *in appendice ad speculum*, vbi de rapto & alij apud Sanchez *supra disput.13. num.3.* quos sequitur Bonacina *de matrimonio quæst.4. puncto 18. num.3.* testatur autem Sà ita declaratum esse à Congregatione Cardinalium, probatq; Bonacina quia Tridentinum generaliter loquitur, cùm autem constet illum esse raptorem, qui abduxit causa explendæ libidinis, aut contrahendi matrimonium, sequitur etiam ipsum subiacere pœnis Tridentini. Consentit prædictis Ochagauia *Tract.3.q.44.*

Vterque subiacet pœnis vt putant aliqui. Sà. Veracruz. *Alij apud Sanchez.* Bonacina. *Congregatio Cardinaliũ apud Sà. Ratio.* Ochagau.

660. *Solùm in hoc impedimento comprehenduntur raptores ad matrimonium.* Sanchez. Perez. *Argumentũ ex Tridentino.* Sanchez. Salzedus. Rodrig. Vega.

Probabilius nihilominùs docet Sanchez *disp. illâ 13. num.4.* Perez *disput.431. sect.4. num.3.* solos comprehendi Raptores feminarum causâ matrimonij contrahendi. Probant quia Tridentinum *sess.24. c.6.* statim à principio incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam; atque adeò de illo tantùm raptu censetur agere, qui causa matrimonij admittitur, maximè, cum illud decretum ponatur sub *Rubricâ de Reformatione matrimonij.* Quod signum est loqui de raptu in ordine ad matrimonium, & imponere tam acerbas pœnas raptoribus, quales ibi ponit Tridentinum, omnino videtur extra rem, si fiat contra raptores, qui non causâ matrimonij rapiunt. Neque est eadem ratio in his, atque in rapientibus causâ matrimonij, qui peccant contra matrimonij libertatem, & ab initio interfuit coactio. Legatur Sanchez *loco citato*, qui pro hac sententia refert Salzedum in Practica Bernardi Diaz *c.78.*

661. *Bonacina etiam subiacere putat pœnis eum qui non expleuit libidinem ob superueniens impedimentum, aut quia pœnituit.*

in fine Rodrig. *in summâ in 2. edit. c.213. nu.7.* Vega *2. tomo Summæ c.34. n.157. notabili 1.*

Molina de sola excommunicationis pœna hoc admittit.

Addit verò Bonacina, etiam subiacere pœnis Tridentini raptorem, quamuis posteà non expleuerit libidinem ob superueniens impedimentum, aut eo quod ipsum pœnituerit, qui adhuc videtur dici propriè raptor. Pro quâ doctrinâ refert Molinam citata *disp.105. n.12.* qui tamen non de omnibus pœnis loquitur; sed de solâ excommunicatione imò *in fine illius numeri expressè docet* eum, qui pœnitentiâ ductus non exequutus est id, ad quod mulierem honestam rapuerat, dignum esse cum quo mitius agatur, & alia in huius sententiæ fauorem priùs dixit eodem numero loquens de alijs legibus ciuilibus etiam Regni Castellæ. Refert etiam Bonacina Thomam Sanchez disp.13. num.21. qui tamen non id docet, sed magnâ ex parte oppositum non quidem *disp.13.* in qua nihil habet de hoc puncto, sed *disp.12. num.18.* vbi sub distinctione loquitur, & expressè docet, quòd, si raptor à copulâ se abstinuerit pœnitentia ductus, non sit ordinariis raptus pœnis obnoxius. Pro qua sententiâ plures alios refert. Secùs verò docet, si, quia non potuit, non expleuit, quam sententiam limitat cum Couarr. & Deciano; nisi rapta sit monialis, tunc enim raptor pœnam ordinariam subibit quacunque ex causa copula non sit subsequuta.

Nec Thom. Sanchez certa fide refertur à Bonacina.

Quid in hac re Sanchez doceat. Couarr. Decianus.

662. *De requisitis ad raptum.*

Iam verò videamus requisita ad raptum, vt inde posteà colligamus quando incurratur pœna iuris maximè imposita à Tridentino.

663. *Duo requiruntur. Primo requiritur vis, sine quâ non est raptus, sed fuga voluntaria.* Sanchez.

Ad Raptum igitur duo requiruntur, primum vis, vt constat ex traditâ descriptione Raptûs. Ex quo infertur, si femina nullam vim patiatur, quando abducitur, sed sponte, aut etiam precibus discedit cum amasio, etiam insciis parentibus, non esse raptum; sed fugam voluntariam. Ita Sanchez *lib.7. disput.13. num.9.* habito respectu *ad 7.* vbi etiam contendit id esse verum, etiamsi post abductionem sequutam voluntatem mutet femina prioris facti pœnitentiâ ducta; secùs verò, si principio abductioni renitatur, quamuis post ipsam abductionem consentiat, & factam velit. Eandem vim & resistentiam ex parte feminæ requirunt *Speculum ad art.25.* Gutierrez *de matrimonio cap.86. num.12.* Perez *disp.38. sect.2. num.2.* putat verò, quando femina initio resistens posteà consentit non esse puniendum raptorem pœnâ ordinariâ, sed mitiori, quia is raptus non est consummatus, quia ad sui consummationem petit violentam abductionem, & violentam copulam.

Idem putat etiamsi posteà femina mutet voluntatem. Raptus est si initio renuit sed post abductionem consentiat. Speculum Gutierrez. Perez. *Sed adhuc non videtur perfectè raptus communi pœna dignus sed mitiori. Ratio.*

664. *Quid si Parentes & sciant & renuant licet ipsa velit? Quidam putant raptum esse.* Henriq. Gutierr. Tuscus.

Quando verò parentes sciunt & tenuunt, censetur raptus iuxta multorum opinionem, quia vis infertur parentibus. Ita Henriquez *lib.12. c.14.* Gutierrez *c.illo 86. n.17.* Tuscus *tom.6. verb. Raptor. concluf.5. num.4.*

665. *Sanchez cũ multis peccatum putat raptum esse; sed non sufficere ad pœnam Tridentini Concilij, si ipsa consentiat. Ratio.*

Sanchez verò *suprà disp.12. num.35.* expressè quidem concedit illud peccatum esse peccatum raptus propter iniustitiam prædictam factam parentibus, aut tutoribus, & cum multis probat *Disput. verò 13. num.13.* his non obstantibus etiamsi plures in oppositum referat, putat ad incurrendam pœnam Tridentini non sufficere (si ipsa conniueat) resistentiam parentum,

Conine. Perez. Alij.

tum,aut tutorum propter rationem,scilicèt,suprà insinuatam,quod Tridentinum in eo capite loquatur de raptu in ordine ad impediendam libertatem matrimonij,& vt matrimonium liberè fiat; statuit hoc impedimentum, & alias pœnas. Ad eã autẽ libertatẽ sufficit,quòd nulla sit vis respectu feminę contrahentis.Eandẽ sententiam sequitur Coninc *disp.41.n.48.* Perez supra & alij.

666. *An in hoc preces importuna sufficiant sicut vis cui æquiualere censeantur.* *Affirmant* Sanchez. Gutierr. *Alij plures.* *Placet.*

Quod diximus de vi,dicendum quoque plerique putant de precibus adeo importunis, vt æquiparentur violentiæ.Ita Sanchez *citatâ disp. 12. num.32.* habito respectu ad ea, quæ dixerat *num.10.* Ratio est; quia his precibus molestissimum & durissimum est, ac difficillimum resistere iuxta ea, quæ diximus *disputation. 4. dubitat.2.num.27.* Idem docet Gutierrez *supra numer.14.* & alij plures apud Sanchez,quæ doctrina mihi placet.

667. *Quid de dolo,aut fraude? Negandũ est contra Gutierrez & Bonacinã.* *Ratio.* Sanchez. *Confirmatur à simili de rapinâ.*

Secus dicendum puto de dolo aut fraude contra Gutierrez *num.15.* & contra Bonacinam supra *n.5.*quia licèt ignorantia , fraus,& dolus auferant voluntarium , tamen non inferunt vim, quæ necessaria est ad constituendum raptum.Ita Sanchez *supra n.33.*& confirmatur à simili de rapina,quæ,si fiat dolo , aut ignorantia domini,non est rapina,sed furtum solùm; quia rapina vim requirit, quam non minùs requirit raptus.

668. *Secundò requiritur ad raptũ,quod abducatur femina libidinis,vel matrimonij causa.* *Ad Tridentini verò pœnas solum si fiat causa matrimonij.*

Secundo requiritur ad raptum,vt ex definitione constat, quod abducatur causa libidinis, vel matrimonij,quamuis vt dictum est ad pœnas Tridentini incurrendas non sufficiat, quod rapiatur causa solius libidinis, sed in ordine ad matrimonium.

669. *Ob alium finem,vt seruitutis, non est raptus.* *Erit Plagiũ.*

Ex hoc fit , quod si femina non abducatur causâ libidinis,vel matrimonij,sed tantùm propter alium finem, puta redigendi eam in seruitutem,non erit raptus, sed aliud vitium , quod appellatur *plagium.*

670. *Colligũtur prædicta.*

Ex quibus omnibus habemus primò ad raptum requiri abductionem causâ libidinis, aut matrimonij,secundò vim. Vnde, si persona aliqua promissis, aut precibus communibus non æquiualentibus violentiæ , vel etiam dolo abducatur,non committitur propriè raptus propter violentiæ defectum.

671. *Quid si femina rapiat virum nolentem;& fiat matrimonij causa? Quidam de hoc putant esse raptum. Probabilem putat Sanchez hanc sententiam. Veram putant alij.* Henriq. Rodrig. Vega. Bonacin. *Ratio.*

Vtrum autem sit propriè raptus, quando femina virum rapiat nolentem , vt secum ineat matrimonium non videntur Auctores consentire , alij enim putant esse eandem rationem. Quam sententiam latè refert & confirmat Sãchez *disp.12. n.24.* & probabilem putat etiam pro pœnis iuris antiqui incurrendis contra Raptores,imò & pro pœna Tridẽtini de qua agit idem postea auctor *num.16.* & sequitur Henriquez *sup.num.4.*Rodriguez *in summa c.232.* Vega in summa *c.34.casu 157 notab.5.* quibus adde Bonacinam *sup.n.7.*Ratio est , quia in raptu viri concurrunt duo illa requisita ad raptum scilicèt vis & abductio causa libidinis , vel matrimonij.

672. *Probabilius est saltem*

Nihilominus idem Bonacina & Sanchez *nu. illo 16.* & alij Recentiores referentes Basilium & Rebellum meritò putant saltem illud decretum Tridentini non se extendere ad feminam rapientem virum;quia dictum Decretum Tridentini tantùm loquitur de raptore nõ de raptrice , & odiosum & pœnale non est ad raptricem extendendum;præsertim quia maior ratio est fauendi feminis ne cogantur,quàm viris, in quibus hoc vix aut rarò potest,vel solet contingere.Pro eadem sententia refertur Coninc *supra dub. 4.* ibi tamen nihil habet. Idem docet Gutierrez *supra num.23.speculum* & alij apud Bonacinam Perez *supra n.6.* qui alias congruentes rationes affert.

Tridentini decretum nõ se extendere ad hoc. Sanchez. Bonacin. Basilius. *Recentiores.* Rebellus. *Probant.* *Coninc non certa fide relatus.* *Consentiũt* Gutierr. *Alij apud* Bonacin. Perez.

Dubitari autem potest , an raptus propriæ sponsæ ipsâ inuitâ dirimat matrimonium?

673. *Quid de raptu propriæ sponsæ inuitæ.*

Non est hic sermo de sponsa de præsenti, vt ex se patet,sed de sponsa de futuro: de qua aliqui putant non impediri matrimonium nec comprehendi in Tridentino,quia iure communi raptus hic à pœnis liberatur.*c. penultimo de Raptoribus*, de quo videri potest Sanchez *disp 12.numer.15.* Pro qua sententia idem Sanchez *disp.13.num.15.*refert Henriq. Sà. Rodriguez & addit Henriquez esse verum, quantumuis inuita abducatur.

674. *Sermo est de sponsa de futuro non de præsenti. Aliqui negant esse impedimentũ aut comprehendi in Tridentino.* Henriq. Sà. Rodrig.

Meritò tamen idem Sanchez *eodem num. 15.* & Coninc *supra* docens oppositum saltem quãtum ad Tridentinum,vbi ind scriminatè impedimentum statuitur contra raptum, quo libertas ad matrimonium lęditur, in hoc autem casu verè lædtur. Idem docet Azor infrà & Bonacina *num.11.*

675. *Oppositum est verum.* Sanchez. Coninc. Bonacin. Azor. *Probant.*

Circa pœnas verò impositas raptori breuiter dicendum est,omissis aliis pœnis iure Ciuili impositis,vt capitis & amissionis bonorum , quas latè explicat Molina supra. Iulius Clarus *sup.* § *Raptus* Azor *tomo 3.lib.3.c.15.*Menoch.*de arbitrariis lib.2 Centur.3.casu 291.* Cardinalis Tuscus *to. 7.verbo Raptor concluſ.6.* His inquam omissis solum dico iure Ciuili in L. *vnica de Raptu* dirimi matrimonium inter raptorem & raptam, quod videtur approbatum iure Canonico antiquo in *Canone Placuit.36.q.2.* Quamuis hoc & alia iura antiqua,si quæ sunt putantur communiter correcta in posteriori iure.*cap finali de raptoribus:* Oportet tam de iure nouo curare, lato in Tridentino nisi fortè alicubi non sit receptũ Tridentinum. Tunc enim standum erit prædicto *cap.finali* vt inter alios notauit Perez *disp. 38.sect.3.n.2.*vide quæ dicam *infra n.685.*Quod ergo attinet ad ius nouum Tridentini tres pœnæ seu pœnarum genera constituuntur *sess.24. de Reformation.matrimonij.* Prima est, vt Raptor & omnes consilium,auxilium fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, perpetuum infames,& omnium dignitatum incapaces. Quam excommunicationem non puto reseruatam iure communi,quia in Tridentino nulla fit mentio reseruationis.Ita contra Rodriguez Sanch. *disp.13.num.1.*

676. *De pœnis raptorũ. Quædam sunt iuris Ciuilis. Eas referãt & explicãt.* Molina. Clarus. Azor. Menoch. Tuscus. *Celebrior illa qua dirimitur matrimonium inter raptorem & raptam,& iure Canonico approbatur. Correctum postea in alio textu. Seruandum Tridentinũ vbi est receptum. Alioquin standum est prædicto iure Canonico.* Perez.

De infamia verò & incapacitate ad dignitatem,de qua ibi agit Tridentinum , an incurratur ipso facto ante sententiam iudicis. Affirmat Bonacina supra *n.9.*satis probabiliter cum non requirant executionem ex parte patientis eam pœnam,atque adeo non est cur requiratur sententia iudicis.

Nihilominus Sanchez eâdem *disp.13.n.1.* docet sententiam iudicis requiri : quamuis enim regulariter loquendo pœna priuatiua incurratur

Tres pœnæ in Tridentino.

tur sine iudicis sententiâ, nihilominùs, quando pœna continet magnam acerbitatem, non incurritur ante iudicis sententiam. Et quidquid de hoc sit, saltem perpetua infamia sententiam iudicis postulat, & priuationem dignitatum consequitur infamia; atque adeò neutra pœna ante iudicis sententiam incurritur. Legatur Sanchez *loco citato*. Consentit Perez *supra numer.4*.

Prima.

Secunda pœna Tridentini est, quod raptor teneatur decenter dotare raptam arbitrio iudicis, siue eam ducat, siue non. Ex quo patet hãc pœnam iudicis postulare.

Contra Raptorem & consilio, auxilio fauentes &c.

Quoad alia verò damna, quæ ex tali actu pullularint, tenebitur raptor ante vllam iudicis sententiam satisfacere in foro conscientiæ, vt notarunt Henriquez *citato c. 14.num.15.* Sanch. *supra n.1.* Coninc supra. Bonacina *supra num.10.* & alij. Ratio est, quia absque vllâ iudicis sententia tenetur, qui causa iniusta damni fuit, illud resarcire.

Excommunicatio.

Tertia pœna & huius loci propria est, quod matrimonium inter raptorem, & raptam sit inualidum interim dum rapta est in potestate raptoris, quod intelligendum est, etiamsi ipsa liberè consentiat, nam Tridentinum immediatè liberum ipsius consensum tantùm admittit ad valorem matrimonij, quando fuerit rapta à raptore, separata, & in loco tuto, ac libero constituta. Ita post alios Perez citatus.

Non videtur reseruata excommunicatio. Sanchez. Contra Rodriq.

Hoc ipsum impedimentum extendunt plerique Doctores ad sponsalia iuxta declarationẽ Cardinalium, quam refert & sequitur Molina *supra num.22.* Sanchez *disp. illâ c.3.n.17.* Gutierrez *n.24.* Bonacina *num.* 10. & alij apud Sanchez. Nec Concilium sufficienter prouidisset malo vitando, si sponsalia, quæ inducunt obligationẽ ad matrimonium essent valida.

677. *An infamia tunc incurratur ante sententiam? ob incapacitatem ad dignitatem? Affirmat probabiliter* Bonacina. *Ratio.*

Valebit tamen matrimonium, atque adeo etiam sponsalia, si femina in loco tuto, & libero separata à raptore, *illum in virum habere consenserit*, vt expressè ait Tridentinum. Legatur Sanchez *supra n.2.* Gutierrez *c.86.n.7.* in quo consentiunt alij citati.

678. *Negant alij* Sanchez. *Ratio.*

Quamuis autem raptor & rapta non possint inter se contrahere, dum est in potestate raptoris siue eam rapuerit per se, siue per interpositam personam; poterit tamen tertius, qui non rapuit contrahere cum raptâ, vt docet Sanchez *supra n.7.* Gutierrez *cap. 186.n.10.* Bonacina *n.12.* & alij; Nam pœna Tridentini est impedimentum inter raptorem & raptam, non inter raptam & alium, qui non rapuit.

679. *Secunda pœna obligatio dotandi. Postulat pœna hæc sententiam.*

Tandem aduertendum est, id quod iam insinuauimus quamuis ad pœnas Tridentini incurrendas non quicunque raptus, qui in essentiâ sit verè raptus, sufficiat; quantum ad pœnas aliorum iurium sufficere potest, quicunque verè raptus sit. Vnde etiamsi puella non renuat, & rapiatur inuitis parentibus, aut tutoribus, verè raptus est, & pœnis aliis obnoxius, vt docet Sanchez *disp.12.num.4.8.12.13.14.* nisi præcesserit prius tractatus de matrimonio ineundo, & puella volens reclamantibus parentibus à sponso extrahatur ad matrimonium. In quo ius ciuile correctum est per Canonicum *c. penultimo de Raptoribus*, vt latè probat Sanchez *n.15.* atque (vt vno verbo dicam) ad incurrendas pœnas iuris quadruplex conditio requiritur in raptu. Prima, vt sit violentia, de qua iam diximus. Secunda, vt fiat causâ libidinis, vel matrimonij de quâ etiam diximus. Tertia vt mulier rapta sit honestæ vitæ, vt docet Sanchez supra, & plerique Doctores citati. Quarta, vt sit traductio de loco ad locum. Vnde, si absque traductione opprimatur femina, non erit raptus, vt cũ multis probat Sanchez *supra n.20.* & sequitur Perez: in regno tamen Castellæ plectetur eisdem pœnis iniustus oppressor, scilicet capitis & amissionis bonorum (quæ est pœna propria illius Regni pro Raptoribus) perinde atque si esset raptor; quia ita disponitur *L.3.tit.10.Partitâ 7.* vt cũ multis docet ibidem Sanchez.

680. *Damna emergentia ex raptu ante sententiã resarcire tenetur in foro conscientiæ.* Henriq. Sanchez. Coninc. Bonacina. *Alij. Ratio.*

Qui etiam *n.21.* aduertit non quamcunque traductionem de loco ad locum sufficere; sed quæ sit ad effectum abducendi, & non gratia commodioris vsus, & coitus. Vnde traductio puellæ ab vna cammera in alteram non sufficit ad raptum. Legatur Sanchez loco citato.

681. *Tertia pœna non valere matrimonium inter raptorẽ, & raptam, dum ea est in potestate raptoris.* Perez.

Quod autem femina rapta debeat esse honesta constat ex L. vnicâ statim in principio C. *de raptu Virginum*. ibi: *Raptores Virginum honestarum, vel quarumlibet viduarum*, scilicet, etiam honestarum, vt explicat Glossa ibi: Legatur *n.22.*

682. *Extenditur hoc ad sponsalia, cõmunis sententiæ declaratio*

Vltimò placet breuiter indicare, quid Raptus sit, quod attinet ad forum conscientiæ, quẽ solent numerare Auctores inter species luxuriæ; sicuti & nos numerauimus *in nostro opere de iustitiâ, cæteris q; virtutibus Cardinalibus* agentes *de virtute Temperantiæ lib.1.disp.3.dub.14. & 15.* Vbi raptum definiuimus esse *violentam abductionem mulieris rapientis non desponsatæ, vel addictæ*, siue tunc violentia inferatur mulieri siue parentibus (aut qui locum tenent parentum vt tutores) siue vtrique iuxta doctrinam D. Thomæ *q.154. art.7.* ex Gratiano. Itaque malitia propria huius delicti consistit iuxta D. Thomam *ibi* ad secundum; & Caietanum *ibidem in solutione ad secundum dubium*, in eo quod homo affectu luxuriæ impulsus eo perueniat, vt ad libidinem explendam vim inferat feminæ, aut iis sub quorum potestate, aut cura est. Addit Sanchez *supra disp. 12.n.3.* Inde raptum specialem malitiam sumere, quod cum actus venereus in solo matrimonio legitimè exerceatur; atque hoc vt debito ordine seruato ineatur, requirat feminæ, & eorum, sub quorum cura est beneplacitum *L. vnicâ ad finem C. de raptu Virginum.* Inde est, vt specialiter à debito ordine deuiare censeatur copula raptu extorta, eo quod aduersetur beneplacito feminæ, aut eorum quorum potestati subditur. Ex quo fit raptum malitiam specificã habere; alteram contra Castitatem, alteram cõtra iustitiam ratione violentiæ, atque adeò duplicem malitiam, sicut adulterium, incestus & sacrilegium, diuersisque virtutibus opponi imo (vt loco citato agentes de luxuria diximus) hæ species adulterium, raptus, sacrilegium tantùm sunt species accidentales luxuriæ, nec contineantur directè sub genere luxuriæ formaliter contra Castitatem, vt rectè docuerunt Caietanus *supra art.1.* circa secundum argumentum & Vasquez *1.2.q.18.art.10.disp.53.n.10.* & ex ipsis Sanchez supra; nam in illis omnibus reperitur

Cardin. Molina. Sanchez. Gutierr. Bonacina. Alij apud Sanchez.

683. *Valebit vterque contractus si femina sit in loco tuto separata & sponte consentiat.* Sanchez. *Alij.*

684. *Poterit alius tertius qui non rapuit contrahere cum rapta etiam dum est in potestate raptoris.* Sanchez. Gutierr. Bonacina. *Alij. Ratio.*

685. *Aduertendum circa pœnas alias extra Tridentinum posse incurri, licet aliquid sit excusans à pœna Tridentini.* Sanchez. *Limitatio. Quadruplex conditio ad inquirẽdas pœnas iuris. Prima violentia. Secunda quod sit libidinis aut matrimonij causa. Tertia quod rapta sit honestæ vitæ. Quarta quod sit traductio de loco ad locũ, nec sufficit oppressisse illam. Quid in Regno Castellæ?* Sanchez.

686. *Qualis debeat esse traductio de loco ad locũ?* Sanchez.

687. *Honestas feminæ constat ex iure.*

688. *Quid in foro conscientiæ sit raptus qui solet connumerari inter species luxuriæ.* D. Thom. Caietan. Sanchez.

quædam luxuriæ species infima; at malitia aliis virtutibus opposita per accidens coniungitur, vt loco notato etiam explicuimus.

Ex quo habemus in foro conscientiæ, & cõfessionis necessariò explicandam esse speciem raptus vltra fornicationis malitiam contrariam Castitati est enim malitia iniustitiæ propter violentiam illatam. Vnde in omnibus casibus, in quibus supra diximus reperiri iniustam violentiam; atque adeò incurri pœnas à iure statutas committitur peccatum iniustitiæ explicandum in confessione, & vbi violentia non intercedit, sed fraus, aut dolus, poterit quidem esse malitia specialis iniustitiæ commissæ in illa fraude & dolo; sed erit alia distincta à malitia raptus. Quod si femina sit sub potestate parentum, aut tutorum, & tam ipsa inuita, quàm inuitis parentibus aut tutoribus, rapiatur, habebit actus ille præter malitiam luxuriæ, ad quam rapitur, non solùm malitiam iniustitiæ illatæ puellę; sed malitiam quoque iniustitię illatæ parentibus, aut tutoribus, atque id totum explicandum est in Confessione vt ex se patet etiam in opinione eorum, qui nobiscum sentiunt non esse explicandas necessariò circumstantias aggrauantes intra eandem speciem. Vtrùm autem Virgo ipsa rapta præ timore consentiens suæ defloratione teneatur explicare circumstantiam suæ virginitatis diximus, agentes *de Pœnitentia Sacramento disp. 9. n. 445. & seqq.* Omitto alia, quæ circa hæc dici possent, quæ communia sunt pro omnibus similibus peccatis, & non propriè pertinent adhunc locum, vel adeo clara, vt non sit cur in iis explicandis tempus teramus, quale est, quod si quis proprio motu, & non petente, qui matrimonium est initurus, aliquam rapiat, non vt secum, sed cum alio matrimonium contrahat, non sit propriè eius generis raptor, de quo Tridentinum loquitur, & valeat matrimonium cum illo tertio, si alioquin alia impedimenta non interueniant. Res est clarior quàm, vt ex instituto debeat disputari.

Duplex species malitiæ in Raptu contra castitatem, & contra iustitiam. Adulterij Raptus, sacrilegium sunt solum accidentales species luxuriæ. Caietan. Vasquez. Sanchez.

689. *Necessariò explicanda in confessione raptus species: Alia malitia quando nõ per vim, sed fraudem aut dolum iniustitia in hac re fit. Omittenda quædam in hac re.*

DVBITATIO LIX.

Quo iure disparitas cultus inducat impedimentum dirimens matrimonium?

690. *Certum in hac re matrimonium esse nullum sed non naturali Diuino iure. Exemplis in Ecclesia receptis declaratur. Occurritur obiectioni in contrarium.*

CErtum est matrimonium inter personas cultu dispares, id est inter baptizatam, & non baptizatam, etiamsi sit Catechumena esse nullum, non autem iure naturali, & Diuino. Inprimis de Diuino naturali nõ cõstat aliquo argumẽto petito ex ipsâ naturâ matrimonij, cùm disparitas in Baptismo nullam ex naturâ rei habeat incompossibilitatem cum matrimonio. Vnde olim Sancta Clotildis nupsit Clodoueo Regi non Baptizato. Quod autem prædictæ personæ aliquando non satis conueniant ad benè educandam prolem non satis est, vt matrimonium inter eas personas censeatur ex natura rei nullum; Quando enim id contingit est per accidens ex malitia personæ non baptizatę, imò, si hoc foret ex naturâ rei impedimentum potiori ratione esset tale impedimentum, quãdo vterque coniux esset infidelis, tales enim personæ potiùs conueniunt inter se ad malam prolis educationem. Accedit, quòd huic periculo occurri potest varijs alijs medijs, quibus pacisci poterunt contrahentes de educandâ sobole in cultu Christiano. Præterea viri alij sanctissimi fideles in lege antiquâ, & naturali inierunt matrimonium cum infidelibus, vt Iacob cum filiabus Laban. *Genes. 29.* Ioseph cum Ægyptia Putipharis filiâ *Genesis 41.* Moyses cum filia Ietrò Æthiopissâ, item Esther cum Assuero. *Esther. 2.* Salomon cum filia Pharaonis, & præter Clotildem in lege gratiæ plura matrimonia fuerunt tempore Hieronymi, & Augustini, & ipsi testantur, Hieronymus quidem *libr. 1. contra Iouinianum.* Augustinus verò libro *de fide operibus c. 19.* nec censebantur irrita, imo eiusdem mater Sancta Monica Pagano nupsit. Nihilominus illicitum erit ex naturâ rei fideli sic contrahere; quando sit probabile periculum malæ educationis prolis, aut peruersionis eiusdem fidelis contrahentis cum infideli.

Exempla Veteris Testamenti. Gen. 29. Gen. 41. Esther. 2. *Alia exempla Christianorum.* S. Hieron. S. August. *Quando id ex naturâ rei sit illicitum.*

Solùm restat difficultas an disparitas hæc baptizati & non baptizati dirimat matrimonium iure diuino positiuo, aut solùm Ecclesiastico?

691. *An dirimat iure diuino positiuo, aut solùm Ecclesiastico.*

Circa positiuum diuinum aliqui affirmatiuè respondent. Ita Viguerius in Summâ. *c. 16. §. 7.* Vasquez *disp. 2. n. 20.* Probant, quia eo ipso, quod Christus matrimonium personæ baptizatæ instituit in Sacramentum, irritauit matrimonium illius cum personâ non baptizatâ; tale enim Sacramentum adhuc ex parte personæ baptizatæ non est Sacramentum, vt diximus, *disp 2. dub. 18.* cum ratio Sacramenti tantùm conueniat toti matrimonio, quod in vtroque contrahente reperitur, & non tantùm in vno. Omitto alias rationes quas affert Sanchez *libr. 7. disp. 71. num. 6.* vbi alios Auctores refert pro hac sententia.

692. *Affirmant aliqui iure diuino.* Viguerius. Vasquez. Sanchez.

Asserendum nihilominus est non esse irritum iure Diuino positiuo, Ita Sanchez cũ multis, quos refert ibidem *num. 7.* Gutierrez *de matrimonio cap. 104. num. 1.* Coninc *disp. 31. num. 41.* Perez *disp. 36. sect. 1. n. 3.* estque ferè cõmunis Doctorum sentẽtia, & quidem meritò, nam de tali iure Diuino non constat, imò (vt multi satis probabiliter volunt) generaliter loquendo in lege gratiæ nullum ius diuinum positiuum est præterquam Sacramentorum, aut etiam fidei; Nam cætera alia præcepta diuina sunt simul iuris naturalis, vt docent multi, maximè D. Thomas. *Quodlib. 4. art. 3. & 1. 2. q. 108. art. 1. in fine corporis, & art. 2. etiam in fine* Sotus *in 4. distinctione 40. q. vni cã art. 4.* Couarr. *4. Decretal. 2. p. c. 6. §. 10. n. 1.* Valentia *tomo 4. disp. 10. q. 5. puncto 3.* Ludouicus Lopez *2. p. instruct. de matrim. c. 49.* Vnde (vt rectè notat Victoria) nullum est hodie præceptum diuinum positiuum purè negatiuum. Legatur Victoria. *Relect. de matrimon. 2. p. secunda partis numer. 3.*

693. *Assertio non irritari iure diuino positiuo.* Sanchez cũ multis. Gutierr. Coninc. Perez. *Communis ferè sententia. Ratio.* D. Thom. Sotus. Couarr. Valentia. Lud. Lop. Victoria.

Ad fundamentum Viguerij, & Vasquez respondetur Christum non instituisse in Sacramentum matrimonium personæ adhuc baptizatæ; nisi, quando etiam fit cum alterâ baptizatâ, & quamuis instituisset non inde inferretur eo ipso irritasse matrimonium illius cum personâ non baptizatâ, etiamsi non posset esse Sacramen-

694. *Ad fundamentum oppositum.*

cramentum ; nam etiam inter duas personas baptizatas potest non fieri Sacramentum ex intentione eorundem contrahentium, etiamsi sit validum matrimonium in ratione contractus, vt cum eodem Vasquez & alijs probauimus *disp.2.dub.19.* contra Sanchez & aliquos alios, vbi diximus sic contrahi matrimonium esse illicitum & sacrilegium; valere tamen in ratione contractus.

695. *Reliquum est vt solo iure Ecclesiastico positiuo sit irritum tale matrimonium.* Sanchez. *Cũ multis.* *Ratio.*

Restat ergo tantum merè iure positiuo Ecclesiastico eiusmodi matrimonium esse irritum, vt docet idem Sanchez cum innumeris alijs *citato num.7.* Probat; quia si ex mente omnium hoc matrimonium esset irritum, & non iure naturæ, nec Diuino restat tantùm esse irritum iure humano positiuo, atque adeò iure Ecclesiastico.

696. *Difficultas in assignando textu vbi irritetur.*

Sed statim occurrit quærere quo Textu? nullus enim talis apparet; nam omnes, qui adhoc allegantur, vel de speciali coniugio loquũtur, inter Christianam & Iudæum, vel non expresè dicunt matrimonium fore irritum; sed tantùm illud prohibent, vel sunt ex Conciliis Prouincialibus desumpti, vt in simili notauimus *disput.2. dub.37.* Accedit quòd aliqui ex eisdem Textibus eodem tenore interdicunt matrimonium fidelis cum Hæreticâ, vt videre in c. *Caue* & c. *Non oportet* 28. *q.1.* & in Concilio Chalcedonensi Generali. *c.4.* & tamen, vt videbimus *dub. sequenti* tale matrimonium neque est irritũ iure positiuo, neque aliquo alio.

Nullum apparet ius scriptum. Expendũtur quæ solent afferri & nullum probat.

697. *Est irritum iure Ecclesiastico non scripto. Sed antiquissimo Ecclesiæ vsu recepto, sed viua vocis oraculo sufficienter intimato.* Sotus. Bellarm. Henriq. Valentia. *Alij apud* Sanchez. Perez.

Dicendum ergo est esse quidem irritum iure Ecclesiastico non scripto; quia nullum extat satis clarum, sed consuetudine introducto antiquissimo Ecclesiæ vsu, aut viuæ vocis oraculo sufficienter intimato & fortè ex Apostolorum traditione. Ita Sotus *in 4. dist.39. q. vnicâ artic.2.* Bellarminus *lib.1. de matrimonio c.23. propos.2.* & 3. Henriquez *lib.12. de matrimonio c.23. num.3.* Valentia *tomo 4. disputation. 10. q.5. puncto 3.* & alij apud Sanchez *supra numer.8.* Perez *supra n.4.*

698. *An hoc supposito valeat nunc inter Indos matrimonium fidelis cum infideli. Non valere putant.* Veracruz. Sanchez. *Ratio.*

Ex hac doctrinâ Veracruz *primâ parte speculi art.32. dub.1. conclus.7.* primò quidem dixit videri probabile inter Indos noui orbis recens ad fidem conuersos valere matrimonium fidelis cum infideli, eò quòd cesset ratio prædictæ consuetudinis Ecclesiasticæ receptæ; nempè timor peruersionis infidelis; Verum posteà subdidit id non esse dicendum, propterea quòd lex generalis Ecclesiæ ex antiquissimo eius vsu deducta non desistit obligare, eo quod in quodam speciali casu eius ratio deficiat. Quam sententiam approbat Sanchez *supra n.9.*

699. *Quid speculatiuè in hoc posset videri ex similitudinem alterius doctrinæ.*

Nihilominùs, quamuis in praxi ita tenendum sit, & sine legitimâ dispensatione non sit faciendum; tamen speculatiuè loquendo videtur posse dici aliquid simile ijs, quæ diximus *disp. illâ 2. dub.37.* agentes de obligatione fidelis baptizati separandi se à coniuge infideli, vbi distinximus tria tempora: primum, quo nascente adhuc Ecclesiâ, spes erat, quòd coniux infidelis per fidelem esset conuertendus, nec erat tantùm periculum peruersionis; quo tempore diximus esse consilium, quod coniux fidelis non discederet ab infideli, vt ibi latiùs explicuimus, & in hunc sensum explicuimus tale consilium Apostoli 1. *ad Corinth.7.* de quo diximus eâdem *disp.2. dub.36.* cum Augustino, quem ibi retulimus. Omitto cætera quæ *citatâ dub.37.* dixi, vbi alia duo tempora posteriora explicuimus, pro quibus posteà prohibitum esse cæpit coniugibus fidelibus cohabitare cum consortibus infidelibus, vel certi generis infidelitatis, vt cum Iudæis, vel absolutè cum quibuscunque infidelibus. Nihilominùs ibi diximus rationi consonum videri, vt in Regionibus, in quibus nunc primò nascitur fides, etiam distinguantur illa tria tempora, & nunc in principio non ita facilè censeantur separandi fideles à coniugibus infidelibus in ijs Regionibus. Sic ergo in nostro casu quoad nullitatem matrimonij videtur dici posse, quòd sicut lex illa separationis fidelis ab infideli, non iure scripto sed consuetudine introducta est; & tamen illa consuetudo probabiliter non censetur habere locum nunc in his Regionibus, in quibus nunc primò fides nascitur, & propagatur: ita similiter hæc lex inhabilitans fidelem ad contrahendum cum infideli, solâ consuetudine introducta non censeatur habere locum in ijs Regionibus, in quibus nunc primò nascitur Fides, & in hoc philosophandum sit, sicut in principio nascentis Ecclesiæ. Accedit, quòd ex vno capite esset difficilè paucos recenter conuersos coarctare ad contrahendum inter se connubia, præsertim cùm sæpe nobiles & paris conditionis, quoad sæculum, pauci soleant primò conuerti, quos adigere ad contrahendum cum inferioris notæ personis esset magna occasio tentationis in fide susceptâ, multumque retraheret à suscipiendâ: ex alio verò capite non parùm iuuaret ad promouendam rem Christianam, quòd vbi pericula peruersionis non timeantur, per huiusmodi connubia incipiant alij infideles ad fidem allici.

700. *Argumentum ad hominẽ contra Sanchez.*

Confirmatur hoc ad hominem contra Sanchez quia ipse *disp.72. num.5.* non obstante generali prohibitione, quâ cauetur, ne Catholica persona cum Hæretica matrimonium ineat, concedit in Regionibus, in quibus Hæretici nõ denunciati, nec notorij Clericorum percussores cum Catholicis permixti conuiuunt, licere inter se matrimonia inire; vt in Germaniâ, Galliâ, Poloniâ; in his enim consuetudine receptâ & toleratâ licent coniugia Catholicæ personæ cũ Hæretica, dummodò Catholica liberè permittatur, & absque peruersionis periculo in fide permanere; quia ea coniugia ineuntur instar aliorum contractuum ciuilium ob amicitiæ leges, & ad communem pacem, ac Reipublicæ tranquillitatem tuendam. Hæc Sanchez. Pro qua sententia refert Azorium, & Nauarrum. Ergo eâdem ratione, & propter easdem causas intelligi potest, quòd in Iaponiâ & indiis Oriẽtalibus, & Occidentalibus, vbi baptizati cum non baptizatis permixti conuiuunt, ex simili aliâ tacitâ concessione, vel consuetudine receptâ & toleratâ fideles coniuges cum infidelibus non solùm in inito coniugio permanere; sed de nouo etiam inire validè possint & licitè. Vnde existimo standum esse consuetudini earum Regionum notæ, & toleratæ, si quæ sit, ita faciendi, semper tamen quantum fieri potest id euitandum esse.

Concluditur standũ consuetudini earum Regionum notæ & toleratæ, si aliter non facilè possit.

Illud

701. *Ex Pontificia dispensatione potest omnino fieri.* Sanchez. *Cũ multis.* Perez.

Illud autem certissimum est, & infertur ex supra tradita doctrina posse fieri ex Pontificia dispensatione cùm Pontifex possit in omni iure Ecclesiastico dispensare hoc autem impedimentum (vt vidimus) solùm iure Ecclesiastico, aut consuetudine introductum est. Ita docet Sanchez *disp. illâ* 71. *num.* 10. cum multis, quos refert. Perez *supra n.* 4.

DVBITATIO LX.

An matrimonium personæ baptizatæ fidelis cum baptizata infideli sit nullum, aut illicitum?

702. *Sexta Synodus ingerit in hac re difficultatẽ.*

Difficultatem in hoc negotio ingerit sexta Synodus generalis *Canone* 72. dum ait *non licere Orthodoxum cum Hæretica coniungi, nec Orthodoxam cum Hæretico: sed & si quid eiusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui.*

703. *Assertio cũ communi sententia.* Sanchez. Reginald. Coninc. Bonacina. Perez. *Validũ est. Ratio.*

Asserendum nihilominus est cum communi Doctorum quos refert & sequitur Sanchez *disp.* 72. quibus adde Reginaldum *libr.* 31. *nu.* 167. Coninc *disp.* 31. *dub.* 3. Bonacinam *q.* 3. *puncto n.* 2. *de matrimonio c.* 104. Perez *disp.* 36. *sect.* 2. *n.* 2. matrimonium inter eas personas esse validum. Ratio est, quia nullo iure irritatur non Ecclesiastico scripto; nullum enim exstat, non naturali, aut Diuino, vt constat à fortiori ex dictis præcedenti dubitatione.

704. *Ad Canonẽ sexta Synodi non esse legitimum.* Sanchez *legendus.*

Neque vrget Canon ille sextæ Synodi citatus; est enim Trullanus, vnus, scilicèt, ex iis, quos Trullanos vocant, qui editi sunt à nonnullis Episcopis post Synodum ipsam dissolutam. Præterea non irritatur iure aliquo consuetudine introducto; de hoc enim non constat, sed potiùs oppositum, cùm ferè omnes antiqui, & moderni validum esse testentur. Omitto alias rationes leuiores, quæ videri possunt apud Sãchez: legatur Sanchez *disp.* 28 *n.* 7. quò se refert *loco citato.*

705. *Est non irritum; sed prohibitum tale coniugium. Concilium. Chalcedonense vniuersale alia concilia Prouincialia sed à Pontificibus approbata.* Simancas. Sanchez. *Mortale est sic contrahere. Exceptio Sanchezij admittitur pro aliquibus Regionibus.* Azor. Nauarr. *Scriptores moderni tẽporis in Regionibus septentrionalibus.*

Quamuis autem tale matrimonium non sit irritum, est Ecclesiastico iure prohibitum, vt patet ex *Concilio Chalcedonensi. Canone* 13. quod est generale Concilium, & ex aliis Conciliis Prouincialibus, scilicèt, *Eliberitano c.* 16. *Laodiceno c.* 16. & 31. Carthaginensi 3. *c.* 12. & *Agathensi c.* 67. quod refertur *c. Non oportet* 28. *q.* 1. sunt autem prædicta concilia, quantumuis Prouincialia, approbata à Pontificibus vt ex Simancâ *de institutione Catholicâ tit.* 40. *n.* 21. docet Sanchez *supra n.* 3. Atque esse peccatum mortale sic contrahere, docet cum multis, quos ibi refert, & consentiunt plerique Doctores. Placet autem exceptio, quam adhibet Sanchez *num.* 5. cuius meminimus *dubitatione præcedenti*; scilicèt in Regionibus, in quibus permixti conuiuunt Hæretici, & Catholici, licere prædicta matrimonia ex consuetudine receptâ & toleratâ cum circumstantiis, quas ibi ex eodem Sanchez retulimus, & colligit Azor ex Nauarro, quem sequitur, & docent etiam scriptores nostri temporis præsertim, qui in his Regionibus septemtrionalibus scribunt, multa enim permittuntur Catholicis permixtis cum Hæreticis, quæ alioquin non permitterentur, vt videre est in simili de matrimonio non inito coram Parocho, & testibus, de quo diximus *disp.* 3. *dub.* 10. Consentit etiam Perez *supra n.* 5. qui rectè *n.* 6. docet pacta quædam, quæ solent fieri, vt filij quidam adhæreant Catholicę alij verò hæresi, esse prorsus irrita & impia & contra ius Ecclesiasticum nam c. *ex litteris de conuersione fidelium*, & c. *Iudei* 22. *q.* 1. præcipitur, vt ex alterutro parente Catholico suscepta proles catholicæ Religionis sacris initietur. Aduersatur quoque iuri diuino, quia paruulis vsu rationis carentibus parentes debent ministrare media necessaria ad salutem. Mouent hìc aliqui difficultatem. An hæc tacita dispensatio, seu consuetudo habeat etiam locũ in matrimoniis Regum? Affirmat Cardinalis Lugo *Tract. de fide disp.* 22. *sect.* 11. Quia, si non tenentur petere dispensationem subditi, non est cur teneantur Reges. Negat tamen Hurtadus Mendoza *Volumine* 1. *de fide disp.* 76. §. 233. quem sequitur Diana 8. *part. tract.* 1. *resolut.* 74. *in fine.* nec putant esse eandem rationem; quia matrimonia Regum sunt maioris momenti, & possunt secum afferre pluta damna, & inconuenientia, quæ diiudicanda sunt, non ab alio, quàm à Summo Pontifice. Vtrumque mihi videtur probabile, sed probabilius secundum ob dictam rationem. Cui tamen posset responderi; maiora quidem timeri posse damna, simul tamen maiora & potentiora remedia, vt præcaueantur. Absolutè tamen magis placet recursus ad Papam. Illud mihi omnino verum videtur, si alter coniugum Catholicus, incola sit, & indigena nationis Catholicæ, in quâ non est talis consuetudo, debere petere dispensationem, quia pro tali non censetur inducta consuetudo eundi ad nationem, in quâ viget hæresis, & illa consuetudo; ibique quærere consortem hæreticum. Vtique in Hispania, quo tẽpore ante triginta annos aliquid tale cogitabatur semper suppositum esse concedendam, & petendam Põtificiam dispensationem pro matrimonio Principum, de quo tunc agebatur.

Perez. *Pacta quædam tunc fieri solita irrita sunt & impia.*

706. *Peccatum sic contrahendi est sacrilegium.*

Erit etiam peccatum talis matrimonij contra prohibitionem Ecclesiæ initum peccatum sacrilegij indignè recipiendo Sacramentum matrimonij.

707. *Quod peccatum etiam hæreticus committit. Catholica si dispensetur non peccat. Occurritur obiectioni.*

Quod autem persona Hæretica etiam peccet peccato sacrilegij eodem modo, nemo dubitat; hoc autem non obstat, quominùs persona Catholica ex legitimâ dispensatione, seu receptâ & toleratâ consuetudine licitè possit cõtrahere cum illâ, quamuis cooperetur contractui, qui à persona Hæretica sacrilege fit; nam, quatenùs fit, à personâ Catholicâ, licitè fit, & posset à personâ Hęreticâ licitè fieri, si se disponeret ad gratiam, vt posset, si vellet, at suâ nequitiâ non vult. Quâ de re, qui velit videre doctum iuxta & eruditum discursum legat Eminentissimum nostrum Lugonem *tomo de Sacramentis disputation.* 8. *sectione* 14. vbi rectè & plenè complanat difficultates, quæ circa hoc possunt oriri, & ostendit quod ex eâ parte quod Sacramentum ministretur indigno nõ est illicitum tale matrimonium Catholici cum Hæretici coniuge (quidquid sit ex aliis capitibus.) Nam de aliis non pertinebat ad suum præsens institutum disputare.

DVBIT.

DVBITATIO LXI.

De vi, & ligamine, & defectu Parochi & testium remissiuè.

708. *Quædam ex his quæ proponũtur in titulo, iã alibi sunt explicata.*

DE impedimento, quod appellatur vis, satis diximus *disp.* 4. De impedimento verò Parochi, & testium diximus *disp.* 3. de impedimento ligaminis, quod est vinculum prioris matrimonij, quo durante posterius matrimonium inualidum est (vt rectè ait Henriquez *lib.*12.*c.*6.*num.*1.& alij communiter.)Plura diximus agentes de Polygamia, & libello repudij *disp.*2.*à dub.*41.*vsque ad dub.*44. nonnulla tamen hic addenda occurrunt pro praxi, suppositio quod diximus ibi pluralitatem coniugum simul illicitam esse,& nullam; & ex vi primarum nuptiarum durantium non esse locum secundis nuptiis.

Aliqua hoc loco addenda circa impedimentum ligaminis.

709. *Quæsitũ* 1. *de certitudine obitus coniugis.*

Quæri potest primò, an & quanta debeat esse certitudo de morte coniugis, vt superstes possit cum alio matrimonium inire?

710. *Respondetur requiri moralem certitudinem.* Sotus. Sanchez. Valentia. Gutierr. Perez Iurista. Perez Theolog. *Alij multi. Ratio.*

Respondeo requiri moralem certitudinem, hoc est tantam, quanta iudicio prudentis sufficiat ad credendum priorem coniugem certò mortuum esse. Ita Sotus *in* 4.*dist.*22.*q.vnica.ar.*5. Sanchez *lib.*2.*disp.*46. Valentia *tomo* 4. *disp.*10.*q.* 2.*puncto* 2. Gutierrez *in summa c.*223. Perez Iurista *de impedimento ligaminis fol.* 210. & Perez Theologus *disp.*35.*sect.*5.*num.*3.aliique multi. Ratio verò est; quia, nisi adsit tanta certitudo, contrahentes exponunt se periculo adulterij committendi,atque inualidè contrahendi,cùm fieri possit priorem coniugem esse superstitem; cui periculo non se exponunt,qui abstinent à matrimonio contrahendo, quando ea certitudo non adest.

711. *Corolla quædam ex dictis illata. Primum illatum non sufficit multorum annorum absentia.* Speculum. Sanchez. Sylvester. Nauarr. Rodrig. Valentia Perez. Gutierr. *Alij multi.*

Ex hoc infertur primò non posse vxorem cum alio contrahere ex eo solùm;quòd vir abfuerit per multos annos; nec adhuc sciat, quid factum sit de illo; moralis enim certitudo de morte illius non habetur per solam absentiam plurium annorum; imò nec per solam famam quæ sæpè oriti solet ex fallaci, aut in certo auctore; nisi fortè factâ diligentiâ existant tanta indicia, vt nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius.Ita Speculum & Sanchez *suprà* Sylvest.*matrim.*8.*q.*13.Nauarrus 22.*n.*51.Rodriguez & Valentia *suprà* Perez, Gutierrez *supra num.*3. & alij multi apud Sanchez *eadem disput.* 46.*n.*6. vbi rectè probat eandem certitudinem requiri,vt Ecclesia possit dare facultatem, contrahendi,quàm vt ipsimet contrahentes possint contrahere, satisque constat ex *cap. in præsentiâ* de sponsalibus in fine, & ex *c. Dominus de secundis nuptiis.*

712. *Secundum illatum. De viro ingresso prælium & non amplius comparente,& famâ obito.* Henriq. *Alij citati.*

Secundò infertur posse vxorem cum alio matrimonium contrahere,quando eius vir ingressus prælium non amplius comparuit, & fama est ipsum periisse, aut quando per litteras eorum,qui prælio interfuerunt, acceptum est ipsum fuisse mortuum.Ita Henriq.*lib.*12.*c.*6.*n.*3. & alij plerique citati.

713. *Tertium illatum de iudicio prudentis prò particularibus causis.* Sanchez *cũ multis.*

Tertiò infertur in casibus particularibus standum esse iudicio prudentis,nec posse prescribi certam Regulam ad iudicandum; an sit certitudo moralis, & coniecturæ sufficientes ad contrahendum nouum matrimonium. Ita Sanchez *supra n.*7.cum multis, quos refert.

714. *An sufficiat vnus testis de obitu cõiugis. Affirmant aliqui apud* Sanchez *item* Speculum. Gutierr. Rebellus. *Recentiores attẽdũt qualitates testis, & iudicis arbitrium admittunt.*

Vtrum, autem sufficiat vnus testis affirmans mortem coniugis,vt liceat alteri secundas nuptias inire?non consentiunt Auctores. Affirmant aliqui apud Sanchez *supra n.* 10. quibus adde Speculum,& Gutierrez *suprà* Rebellum *lib.*3.*q.* 20.& alios Recentiores; attendendum tamen esse testis personam & qualitatem, & an per verba verosimilia deponat;atque in hoc iudicis arbitrium habere locum.

715. *Negant alij* Sanchez *cum aliis* Perez. *Ratio à priori,& à simili. Limitant. Plures alij sequuntur hanc sententiam.*

Negant alij apud Sanchez *n.*11. quos ipse sequitur *n* 12.item Perez *supra n.*4. probant, quia non potest dici nuntium certum, quod per vnũ tantùm testem probatur, & sicut vnus testis non sufficit in causis pecuniariis; ita neque in causis matrimonij,in quo agitur de periculo animæ,nisi fortè adsint tales coniecturæ;quæ illi persuadeant;vel;nisi coniux mortuus sit in loco adeò distante,vt non possint facilè haberi aliæ probationes. Atque hâc ratione intelligunt Auctores huius sententiæ citatum.c.*in præsentia de sponsalibus.* vbi præcipitur Prælatis, ne permittant matrimonium contrahi *donec certum nuncium recipiant de morte virorum*, & illud verbum *nuntium* accipiunt in neutro genere contra Auctores prioris sententiæ, quorum aliqui accipiunt in genere masculino, vt significet personam nuncium, atque adeò sufficiat vnus tantùm nuncius.Secundam hanc sententiã sequuntur plures alij.

716. *Vtraque sententia probabilis. Secunda quidem tutior; sed prima probabilior.* Sanchez. Gutierr. Riccius. *Cur prima præferatur?* Rebellus. Gutierr. Bonacina. *Alij.*

Vtraque mihi videtur satis probabilis, tutior secunda,probabilior prima. Quâ de re legi potest Sanchez locis citatis & Mascardus *de probat conclus.*749.& 1705. Gutierrez *c. illo* 51. *num.*2. Riccius *decis.* 265. Ideo verò videtur mihi probabilior prima; quia, si alioquin testis fuit fide dignus meritò credi potest. Vnde Rebellus 2.*p. lib.*3.*q.*13. Gutierrez *eodem c.*51.*in fine.* Bonacina *q.*3.*puncto* 10. & alij meritò putant posse feminam matrimonium contrahere secluso scandalo; quamuis mortem probare non possit, vt, quando ipsa sola nouit mortem sui mariti; tũc enim cessat periculum adulterij, & nullitatis matrimonij.

717. *Declaratur & ostenditur licere in conscientiâ sufficere fide dignum testimonium vnius. Secluso scãdalo etiamsi non probetur in foro exteriori, licitũ est in conscientia.*

Et quidem quidquid sit de foro exteriori pro foro conscientiæ, non satis video cur non censeatur sufficere testimonium vnius fide digni,etiam in re pecuniariâ, & cur non possit existimari moralis certitudo, quando valdè fide digna persona testatur,maximè,si ea persona de certa notitia testetur. Vnde, qui habet apud se aliquam rem, quam dubitat, an sit alterius, imò,& qui non habet, nec possidet actu; sed potest statim illam capere & apprehendere,credere potest alteri fide digno dicenti rem illam esse suam, & eâ fide nixus accipere aut retinere;imò etiamsi ex vno capite constet illi se fuisse debitorem Petro pecuniæ ab illo acceptæ, & nullo modo meminerit se eam pecuniam soluisse;poterit quoad forum conscientiæ credere vni soli personæ fide dignæ dicenti se certam esse de tali solutione debiti factâ. Neque obstat, quòd in foro externo ea non sit legitima probatio. Sed de hoc alibi disputandum est.

An

718. *Certum est tam quæ bona fide nupsit secundo teneri illum recedere, & ad primum redire, si postea constet viuere. Quid si non sit certum? Non potest sub tali dubio petere debitum. Ratio.*

An verò vxor, quæ contraxit matrimonium cum secundo credens priorem virum fuisse mortuum, teneatur recedere à secundo, si cognouerit priorem virum superstitem esse? nemo est, qui possit iure dubitare; tenetur enim; alioquin committeret adulterium petendo, vel reddendo post huiusmodi notitiam, vt ex se patet, cum secundum matrimonium sit inualidum, & primum omnino perseueret, atque adeò tenetur ad primum virum redire. Constatque ex Canone *si virgo* 34.*q.*2. si verò non certò nouit priorem virum esse superstitem; sed tantùm dubitat, non potest perseuerante dubio petere debitum iuxta *c. Inquisitioni.de sent. excom.* alioquin se exponeret periculo adulterij; nam ille censetur adulterium committere, qui viuente altero coniuge, alium carnaliter cognoscit lex autem, quæ prohibet aliquid facere, prohibet etiam, seclusis causis excusantibus, se exponere periculo id faciendi.

719. *Explicatur ratio vlterius, & ostenditur debere alteri reddere bona fide petenti.*

Dixi seclusis causis excusantibus; quia alteri secundo coniugi bonâ fide petenti debitum, tenetur reddere, quamdiu non constat priorem coniugem superstitem esse; nam talis secũdus coniux habet ius petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti de valore talis matrimonij; nisi dubitãs talibus argumentis probet, vt alter teneatur propter eadem argumenta credere, aut saltem ita dubitare, vt nequeat deponere dubium. Ita Valentia *supra.* Speculum & Rebellus *supra.* Nauarrus *c.22.n.53.* Henriquez *lib.12.de matrimonio c.15.n.13.& c.6.num.7.* & 8. Sanchez *lib.2.disp.41. num.52.* Gutierrez *de matrimonio c.49.num.39.* & 37. Perez Iurista supra. Couarr. *supra* §.2. Bonacina *q.3. puncto 9. n.17.* de quo iterum incidet sermo, quando agemus de debito coniugali, & vsu matrimonij. Omitto alia, quæ faciliora sunt, & ex dictis facilè solui possunt.

Valentia. Speculum. Rebellus. Nauarrus. Henriq. Sanchez. Gutierr. Perez Iurista. Couarr. Bonacina.

DVBITATIO LXII.

Quot & quæ sint impedimenta tantùm impedientia matrimonium?

720. *Duodecim talia impedimenta partim tantum olim, partim etiã nunc.*

IMpedimenta iure naturali, & antiquo Ecclesiastico tantum impedientia matrimonium, quibus, aut olim erat, aut ex parte etiam nunc est illicitum matrimonium inire, duodecim numero sunt his carminibus comprehensa.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum;
Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum.
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis
Vel, si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat: prohibent hæc coniugium sociandum.

721. *Duo ex his sine crimine impedimẽta sunt, secus cætera.*

Ex quibus omnibus impedimentis quatuor priora duobus primis carminibus contenta sine vllo crimine contingunt, vt patebit. Reliqua verò contenta in quatuor sequentibus carminibus crimina sunt.

722. *Primũ impedimentũ explicatur. Ecclesiæ vetitum.*

Primum impedimentum scilicet *Ecclesiæ vetitum* est, quando adest prohibitio Ecclesiæ facta specialiter à iudice ex iusta causâ vetante aliquibus matrimonium ad tempus, vt quando dubitatur de impedimento inter eos, donec aliquando constet. Quæ obligatio meritò censetur sub mortali, vtpotè prohibitio rei grauis. Quam prohibitionem non solùm ab Episcopo, vel eius Vicario, seu iudice; sed etiam à Parocho posse procedere aduertit Sanchez *libr.3. disp.15.& 16.& lib.7. disp.6.n.6.* Hurtado *disp.25. diffic.1.n.1.* Perez *disp.23.sect.1.n.1.* Antoninus 3 *p. tit.1.c.16.* Basilius *lib.6.c.7.* constatque ex *c. finali de Clandestina dispensatione* hoc autem tantum fieri potest à Parocho extraiudicialiter cum ille non sit iudex.

Episcopus, eius vicarius; & Parochus etiã potest aliquando prohibere. Sanchez. Hurtado. Perez. S. Anton. Basilius. *Constat ex iure Canonico.*

Secundum impedimentum est *Tempus feriatum.* Id est prohibitio, quâ iure ipso pro certis temporibus prohibetur matrimonium solemniter celebrari, cui iure contrauenire mortale peccatum est, vt docent communiter Doctores relati, & referendi. Quamuis autem iure antiquo pro pluribus temporibus id prohiberetur, iam iure nouo Tridentini *sess.24.c.10.* tantùm se extendit prohibitio ab aduentu vsque ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum vsque ad octauam Resurrectionis inclusiuè; prohibitio autem tam, quæ olim erat, quàm quæ nunc est in Tridentino, non fuit prohibitio ipsius Contractus matrimonij; sed solemnitatis consistentis, in Benedictionibus Nuptialibus & introductione sponsæ ad domum sponsi comitatu solemni, seu splendido conuiuio, & aliis lætitiæ signis, vt ferè omnes consentiunt, & legi potest Sanchez *libr.7.de matrim.disp.7.n.2.& 3.* Reginald. *lib.31.num.188.* Henriq. *lib.11.c.16.numer.2.* & indicat Tridentinum ibi: *Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones Sancta Synodus obseruari præcipit.*

723. *Secundum impedimentum Tẽpus feriatum explicatur. Tempus iure antiquo lõgius: Iure nouo Tridentini cõtractum. Quæ sit materia huius prohibitionis? Communis ferè omniũ sententia.* Sanchez. Reginald. Henriq. Trident.

Hoc autem intelligendum est, nisi, vsu & consuetudine legitimè præscripta alicubi oppositum præscriptum sit. Vnde in aliquibus locis, vt Mediolani teste Bonacina *q 3. puncto 13. num.4.* vsu receptum est, vt nuptiæ non interdicantur vsque ad Sabbatum ante Dominicam primam Quadragesimæ; imò multis placet iam nostris temporibus, non, nisi ipsas meræ benedictiones Nuptiales prohibitas esse, & licere traductionem sponsæ, & conuiuium cum reliquis lætitiæ signis propter oppositam consuetudinem toleratam, vt notarunt Sanchez & Perez aliique citati.

724. *Limitatio per vsum & consuetudinẽ legitimè. Aliorum laxior sententia.* Sanchez. Perez. *Alij citati.*

De licentia verò Ordinarij possunt dictis temporibus prædicta fieri, vt aliqui volunt, quos refert Sanchez *citatâ disp.7.n.6.* quando causa esset nimis vrgens, cauendo ne populi frequentia adsit, nec aliæ consuetæ solemnitates interueniant, vt si quispiam puellam pauperem nollet dotare; nisi statim solemnes benedictiones reciperet. Ita Sotus. Veracruz, Bartholom. à Ledesma. Graff. Synodus Neapolitana, Sà apud Sanch. loco citato. Et quidem ipse Sanchez cum aliis, si casus sit valdè vrgens, tandem concedit, non quidem iure Ordinario sed extraordinario pro casu valdè vrgenti; nam iure Ordinario cum Episcopus sit inferior Pontifice, iure communi & Tridentino; hæc autem prohibitio habeatur *Clement. 3. c. Capellanus de feriis*, & in Tridentino *sess.24.de matrimonio c.10.* non censetur posse Episcopus tanquam inferior dispensare in lege Superioris.

725. *Licentia Ordinarij circa hoc, an sufficiat ex causa? Aliqui affirmant apud Sãchez cum limitatione & cauendo ni-miam frequentiam.* Sotus. Veracruz. Ledesma. Graff. Synod. Neapol. Sà. *Sanchez. a-liquando e. vrgẽti causa. Non tamen iure ordinario potest Episcopus. Ratio.*

Nihilominus (vt ipse Sanchez fatetur) Sotus in *4.dist.23.q.vnicâ art.3.* & alij relati qui ipsum

Sotus tamē & aliqui relati vidētur loqui de iure Ordinario.

sum sequuntur pro parte affirmatiua de iure ordinario loqui videntur. Nam Sotus nititur eo principio, quod putat meritò Sanchez verissimum, scilicèt Episcopum in suâ diœcesi posse dispensare non aliter, atque Pontificem in vniuerso orbe, quoties dispensatio non est sibi in aliquo casu specialiter à Pontifice interdicta, vt in hoc casu, in quo nec Pontifex, nec Tridentinum dispensationem hanc sibi reseruant. Hoc tamen principium quamuis admittat idem Sāchez addit nihilominus eo ipso, quòd lex editur à Pontifice, vel Generali Concilio, nec conceditur dispensatio, non posse Episcopū dispensare; sed censeri reseruatam dispensationē propter illud principium generale, *quod inferior nequeat in lege superioris dispensare*. Quâ de re latè agit idem Auctor *lib.8.disp.6.* & mihi placet doctrina. Vnde Episcopus poterit quidem dispensare in casu vrgenti; quia non censetur ius, aut Pontifex pro tali casu reseruare, vt in similibus casibus videbimus, agētes de dispensationibus, atque adeò in hoc casu poterit Episcopus non solùm iure extraordinario (quidquid dicat Sanchez) sed etiam iure ordinario; quia comparatione eorum, quæ reseruata non censentur, potestas Episcopi ordinaria est, vt suo loco videbimus. Meritò tamen docet Sāchez rarissimè posse contingere casum tantæ necessitatis, vt Episcopus in cā lege valeat dispensare. De contractu verò sponsalitio nihil prohibitum est, vt cū Sylvestro testatur Sanchez ex communi sententiâ. Pari etiam ratione de denunciationibus præmittendis nihil est prohibitum. Legatur Sanch. *citatâ disp.7.à n.10*, vbi latè cum multis aliis docet feriatum tempore neque illicitū esse matrimonium contrahere, nedum inualidum, vt quidam antiqui somniarunt, neque sponsæ traductionem prohibeti, neq; matrimonij consummationem prædictis temporibus.

An sit prohibitus contractus sponsalitius tūc? Non est prohibitus. Nec denunciationes. Sanchez. Nec contractus matrimonij. Nec consummatio matrimonij.

726. *Tertium impedimētū* Catechismus *explicatur. Constat ex iure Canonico. Non est certum durare post Tridentinum. Aliqui affirmant.* Ledesma. Vgolinus. Nauarr. Ochagau. *Alij apud* Gutierr. *Ex parte consentit* Perez.

Tertium impedimentum est Catechismus, quo quis in Baptismo solemni pro baptizādo, aut pro iam baptizato respondet sacerdoti interroganti, an credat, & an renunciet Diabolo; etiamsi non teneat baptizatum. Constatque ex *c.per Catechismum 2. de cognat.spirit. in 6.* Hoc tamen impedimentum non constat inter Auctores adhuc durare post Tridentinum: nam Bartholom. de Ledesma apud Sanchez & Vgolin. *de matrimon. cap.20.* Nauarrus *c.22.num.72.* Ochagauia & alij multi apud Gutierrez infrà putant adhuc perseuerare. Item Perez *disput. 22. sect.3.* putat restrictam quidem; sed non penitus sublatam; sed manere in solo primo gradu. Iuxta quam opinionem dicendum est eam cognationem seu impedimentum contrahi ab eo, qui gerit personam infantis, respondendo, vt dictum est, etiam puero iam baptizato, priuatim in necessitate, quando supplentur solemnitates posteà publicè.

Quid in hac vltima limitatione sequatur.

Probabiliùs nihilominus docet Sanchez *lib.7.disp.10.num.12.* Gutierrez *c.84.num.6.* Coninc *disp.30.num.24.* Reginaldus *lib.31.num.190.* Henriq. *lib.12.cap.2.* Basilius *lib.6. cap.11.* aliique multi apud Sanchez, iam hoc impedimentum cessasse sublatumque esse à Tridentino *c.2.* vbi in Baptismo tantùm vult contrahi cognationem spiritualem inter baptizatum eiusque parentes ex vnâ parte, & inter baptizantem, eiusque patrinos ex alterâ, *omni aliâ cognatione sublatâ*. Neque hæc verba restringi debent, vt volunt aliqui ad solam cognationem dirimentem, non ad solum impedientem matrimonium. Voluit quidem Tridentinum obuiare præcipuè inconuenientibus quæ sequebantur ex multis cognationibus dirimentibus, cum quibus contractus multi erant non solùm illiciti, sed etiam irriti, tamen simul censendum est voluisse prouidere, ne tot illiciti fierent, quamuis non essent irriti, ideò subdit *omni alia cognatione sublatâ*. Adde quòd, cùm sic à tot viris intelligatur, & typis mandetur, & sciatur à Papâ sic videtur lex accipienda; nec scio esse vsum petendi dispensationem, vt licitè fiat. Ex Catechismo verò, si aliquod impedimentum olim oriebatur, tantùm erat cognationis spiritualis imperfectæ.

Sanchez. Gutierr. Coninc. Reginald. Henriq. Basilius. *Alij multi apud* Sanchez. Trident. *Occurritur obiectioni.*

727. *Iam cessauit hoc impedimentum.*

728. *Quartum impedimentum* Sponsalia *explicatur.*

Quartum impedimentum est *Sponsalia*, quæ priùs inita cum vnâ, iure naturali impediunt, ne licitè contrahatur matrimonium cum alterâ quamuis valeat, si fiat iuxta dicta *disputat.1. dubitat.37.* vbi probauimus prædicta sponsalia per superueniens matrimonium dirimi esse tamen peccatum contra iustitiam, & fidelitatem. Vnde retenta opinione regulariter loquendo verissima, quòd scilicèt sponsalia, si propriè talia sint, obligent ex iustitia, peccatum mortale erit post ipsa sponsalia, quæ adhuc in sua vi perseuerant, cum alia persona matrimonium inire. In quo omnes Doctores consentiunt, vt videre est apud Nauarrum *cap.22.num.74.* Coninc *disputat.30.num.23.* Sanchez *lib.1.disputation.27.n.2.* Reginald. *lib.31.num.187.* Rebell. *lib.3.q.18.* & alios apud Sanchez, & quos nos retulimus *citatâ dub.37.* ac proinde, neque si quis iurauerit prædictum matrimonium contrahendum licitè poterit illud contrahere, nec iuramentum contrahendi obligat, vt diximus Tract. de iuramento *disp.3.dub.9.in fine.*

Nauarr. Coninc. Sanchez. Reginald. *Alij.*

729. *Quintum impedimentum.* Votū *simplex Religionis vel* castitatis *aut* cælibatus. *Explicatur & probatur.*

Quintum impedimentum est votum *simplex Religionis, aut Castitatis, aut Calibatus*, atque adeo suscipiendi sacros Ordines; tale enim votum sua natura obstat, quominus absque peccato mortali matrimonium possit iniri; quia tunc contrahere est contra fidem Deo datam in re graui, quamuis votum Religionis, aut Castitatis solùm impediunt contrahere cum animo consummandi, nam, si contraheret cum animo ingrediendi Religionem, & in ea profitendi, non faceret contra votum (quidquid sit, an ex alio capite possit interuenire, alia iniustitia) de quo satis diximus *disputation.1.dubitation. 32.numer. 480.* vbi ex instituto disputauimus; an peccet; qui emisso voto simplici Castitatis, aut Religionis vult contrahere matrimonium animo ingrediendi Religionem antequam consummet. Illud existimo non fore peccatum contra votum Religionis, per tale votum impediri matrimonium, si priusquam ineatur matrimonium ex consensu vxoris, & ipsâ concedente facultatem, velit quis priùs cōtrahere matrimonium, & etiam consummare, si in his omnibus vxor consentiat, hoc enim totum non tollit; quominùs Religionis votum impleri possit. Legatur Sanchez *libr.7.*

disputation.11. vbi varios casus circa hoc impedimentum resoluit quorum plerique non sunt huius loci.

730. *Sextum impedimentũ* Incestus. *Explicatur.*

Sextum impedimentum est incestus cum persona consanguinea coniugis in primo gradu, aut in secundo, & etiam cum matre, & filia neutra vxore incestuosi. Itaque impedimentum hoc consistit in fornicatione cum affine in gradu prohibito. Vnde, qui talem incestum commisit non potest mortuo altero coniuge contrahere matrimonium.

731. *Septimum impedimentum* Raptus aliæ sponsæ.

Septimum impedimentum est raptus alienæ sponsæ etiam ipsa consentiente.

732. *Octauum vxoricidiũ*

Octauum est vxoricidium, quando quis occidit propriam vxorem.

733. *Nonũ* suscipere in Baptimo aut in Cõfirmatione prolem ex propria vxore.

Nonum est, suscipere in Baptismo aut in Cõfirmatione prolem ex propria vxore, quando fit ex malitia, id est intentione negandi debitum vxori.

Decimum est occisio iniusta Presbyteri; vndecimum publica pœnitentia, dum agitur iuxta præscriptum Canonicum Ecclesiasticorum.

734. *Decimum* occisio iniusta Presbyteri *vndecimum pœnitentia publica.*

Duodecimum est contrahere, seu attentare matrimonium cum moniali.

735. *Duodecimũ attentare matrimonium cum moniali.*

Circa hæc septem impedimenta vltima possemus latè disputare cum variis Auctoribus, omnia tamen duximus omittenda, quia iam desuetudine cessarunt, teste Nauarro *c.22.num.75.* Sanchez *lib.7.disp.17.* Coninc *disp.30.dub.3.* Basilio *lib.6.c.14.* qui omnes maximè Sanchez *ibidem num.9.* docent iam nullum impedimentum tantum impediens iure positiuo statutum perseuerare; quia solùm iam sunt sponsalia præcedentia, & votum, quæ impedimenta iure naturali vim habent; prohibitio autem iudicis impedit quidem pro tempore, quo imponitur à iudice; tempus autem feriatum non impedit matrimonium ipsum, vt dictum est; sed solam celebritatem nuptialem certis temporibus.

736. *Prædicta septem vltima iam desuetudine cessarunt.* Nauarr. Sanchez. Coninc. Basilius. *Putant nullum iam impedimentum impediens durare, si tantũ sit iure positiuo.*

DISPVTATIO OCTAVA.

De dispensatione Impedimentorum matrimonij.

1. *De hac re alij hoc loco latius; alij contractius agunt.* Sanchez. Bonacina.

HAc de re multi latè disputant, maximè Sanchez, vocantes in hunc locum totam doctrinam generalem pertinentem ad dispensationes, cum tamen ea disputatio proprium locum habeat *in tract. de legibus.* Alij verò breuiter se expediunt, vt Bonacina, qui vix vnam paginam in dispensationibus consumit, sicut & alij Recentiores, quibus familiare est non minùs omittendo, quàm perstringendo Tractatus edere breuissimos, nempe vt litterarum vulgus, & studiosorum farrago gestiat, & lætetur videns se habere paucis paginis, aut etiam lineis comprehensum, quidquid alij longo volumine se pandentes vix absoluũt. Quasi verò idem esset quandam anacephaleosim, vel rerum indiculum texere, & rem pro dignitate tractare. Nos quasi mediam viam probamus, & eligimus, nec volumus lectorem obruere congestis omnibus, quæ pro variis dispensationibus afferri possent, neque rem totam ita perstringere, vt pleraque ex iis, quæ ad rẽ præsentem faciunt, omittamus.

Recentiores quidam de more vt vulgo placeant non tam contrahunt quam omittunt.

Media via nobis tenenda in hac re.

DVBITATIO I.

An Pontifex dispensare possit in impedimentis matrimonij?

2. *Præmittendum 1. pro sequentium intelligẽtiâ. Quid hoc loco per dispẽsationẽ intelligamus. Dispensatio iuris & voti in quo differant.*

PRo iis, quæ dicenda sunt in totâ hâc disputatione, præmittendum inprimis est dispensationem hoc loco accipi propriè pro relaxatione, seu absolutione ab obligatione iuris, vel etiam voti. Longè autem differt dispensatio iuris à dispensatione voti; nam dispensatio iuris facta à supremo Auctore illius iuris, etiamsi absque rationabili causâ fiat, atque adeò illicitè est valida, vt latiùs dicemus *in tractat. de Legibus.* Iuris enim conseruatio omnino pendet à voluntate condentis, & statuentis illud ius. vel (quod idem est) ab æquali successore, vel à superiore illius. Quapropter, si nolit quod tale ius perseueret, vel absolutè, vel respectu alicuius personæ, non perseuerabit, etiamsi immeritò & absque causâ iustâ talem personam eximat, cùm tamen dispensatio voti, si fiat absque iustâ & rationabili causâ, nulla sit, quia voti obligatio cessat remittendo verbum promissionis nomine Dei, cuius remissionis potestas non censetur à Deo concessa Vicario ipsius, nisi pro casu, quo prudenter iudicetur rationi consonum esse promissionis verbum remittere.

Patet discurrendo per singula.

3. *Dispensatio in hac renõ est mera interpretatio. Ratio.*

Ex quo fit in præsenti negotio non esse intelligendam nomine dispensationis meram interpretationem, qua iudicatur ius, aut votũ hîc & nunc obligare ob aliquam causam; nam, si hoc esset dispensare, quicunque vir doctus diceretur dispensare in iure, aut voto, quoties scitiâ & doctrinâ suâ declarat hîc & nunc pẽsatis circumstantiis votum, aut legem non obligare.

4. *Præmittendum 2. Facultatem dispensandi esse largè interpretãdã.* Sanchez. *Ratio. Dispensatio vero strictè, vniuersim loquendo. Ratio. Constat vtrumque ex Regula iuris. In causa vero matrimoniali dispensatio latè interpretãda secluso scandalo. Sanchez. cũ multis.*

Præmittendum secundò est dispensandi facultatem alicui concessam, seu à Principe delegatam esse largè & amplè interpretandam, vt latè & eruditè probat Sanchez *libr. 8. disput. 2.* quia scilicèt ea commissio fauor est Principis, & fauores sunt ampliandi. Quamuis autem iuxta doctrinam eiusdem cum multis eodem *libr. disputat. 1.* dispensatio ipsa strictè interpretanda sit, vtpote odiosa, eo quòd sit discessio à iure communi, & causa alicuius discordantiæ inter membra eiusdem communitatis & corporis mystici, & vtraque regula data satis constet ex Regula 15. *de Regulis iur. in 6.* vbi dicitur: *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* nihilominùs si dispensatio sit in causâ matrimoniali, amplè est interpretanda in fauorem matrimonij, nisi scandalum ex eâ extensione, & largâ interpretatione sequatur. Pro quâ sentẽtia plures refert & sequitur Sanch. *citat à disp 1. num.30.*

Legatur

Legatur idem Sanch. *vtrâque disp. citatâ primâ & secundâ*. Coninc *disp.33.dub.2.*

Coninc.

5. *Circa impedimenta tãtum impedientia, & non dirimentia, si sint iure positiuo Papa potest dispẽsare.*

Nunc (vt ab impedimentis tantùm impedientibus , & non dirimentibus nos expediamus) consentiunt Doctores Pontificem posse in illis dispensare , quæ solo iure Ecclesiastico impediunt (si aliqua talia adhuc durent) vt patet ex dictis ; quia talia impedimenta à iure positiuo sunt inducta , & ab aliis Pontificibus; Pontifex autem superior est ipso iure positiuo, & aliorum Pontificum successor, & in potestate æqualis.

Ratio ex dictis.

6. *Qua ratione Papa possit in votis dispensare vt liceat matrimonium.*

Præterea in voto; quamuis ex natura rei, seu iure naturali impediat, potest dispensare Pontifex ex commissione quadam extraordinariâ Christi superaddita officio summi Pastoris & legislatoris Ecclesiastici, quæ *Ioannis* 21. illis verbis. Pasce oues meas: agnoscitur Pontifici concessa ad remittendum nomine Dei obligationem ortam ex voto nuncupato ipsi Deo. Quia tamen hæc potestas superaddita est Pontifici, non absolutè, sed in ædificationem, & destructionem animarum ; ideò voti dispensatio (vt nuper dicebam) nisi ex rationabili causâ prudẽter tali iudicatâ, non valebit.

Solùm valet ex rationabili causâ dispẽsatio voti.

Vlterius Pontifex dispensare potest in sponsalibus initis cum vnâ, etiamsi hoc impedimẽtum iure naturali impediat contrahere cum aliâ; nam (vt diximus *disputation. 2. dub. 29.*) potest Pontifex ex iusta causa dispensare in matrimonio rato, ac proinde à fortiori etiam in sponsalibus. Et quamuis plerique dicant etiam in spõsalibus id habere Pontificem extraordinariâ & superaddita Christi commissione, vt inde colligant etiam non effecturum validè, nisi ex rationabili causâ spirituali cedente in ædificationẽ animarum, vt, si timeatur priorem sponsam futuram sponso occasionem peccandi , aut, si ex matrimonio cum posteriori speretur pax publica ; nihilominùs saluo meliori iudicio ego putarem in sponsalibus non extraordinariâ, sed ordinariâ potestate posse dispensare; neque enim est eadem ratio de matrimonio rato, atque de sponsalibus. Nam matrimonium ratum est naturâ suâ indissolubile , & etiam iure diuino iuxta dicta *disp. 2. dub. 1. & 27. & 28.* ita, vt non sit in potestate humanâ etiam contrahentium matrimonium dissoluere, contractus verò sponsalitius est contractus, tum merè humanus , tum non eleuatus ad rationem Sacramenti, nec factus speciali quâdam lege , aut declaratione perpetuus à Deo, sicut in principio citatæ *dub.* 28. diximus de matrimonio, & ibidem extendimus etiam ad matrimonium ratum. Cùm ergo sit contractus non excedens sphæram actiuitatis (vt sic dicam) humani Principis, ac superioris, contractusque ex se dissolubilis sit , non video cur potestas illum rescindendi reuocanda sit ad extraordinariam quandam concessionẽ Dei Pontifici factam; sufficit enim , quòd adsit iusta causa dispensandi in eo contractu , aut illum rescindendi , vt ordinaria potestas censeatur ad id extendi; imò non solùm Pontificis, sed etiam Principis sæcularis supremi comparatione omnium etiam baptizatorum, nisi alioquin reseruata censeretur causa & negotium matrimoniale (etiam sponsalitium tanquàm ad matrimonium spectans) soli iudici Ecclesiastico.

Videtur posse ordinaria.

Disparitas in hoc inter matrimonium ratũ, & spõsalia.

Ratio à priori pro dispensatione in sponsalibus.

Etiã Princeps sæcularis secluso reseruatione Ecclesiæ erga baptizatos, posset erga omnes.

Vnde respectu subditorum non baptizatorum Ethnicus Princeps , aut etiam Christianus rescindere potest contractum sponsalitium, aut in eo dispensare ex iustâ causâ vtendo legitimâ ordinariâ potestate superioris potentis non minùs in hoc, quàm in aliis contractibus ciuilibus dispensare, illumve rescindere. Est autem quantum ad effectum idem rescindere, & dispensare, cùm in vtroque relaxetur vinculum & obligatio contractûs, qui effectus manebat tantùm post transactum ipsum contractum, qui in fieri consistit. De quo iterum dicemus *dub.* 4. per occasionem agentes de potestate Episcopi ad dispensandum in sponsalibus.

Erga non baptizatos potest, etiã Ethnicus Princeps ex causa iusta.

8. *Circa impedimenta dirimentia iure Ecclesiastico potest Papa dispẽsare: non in dirimentibus iure naturæ. Ratio.*

Circa impedimenta etiam dirimentia consentiunt Doctores Pontificem posse dispensare in impedimentis solo iure Ecclesiastico dirimẽtibus, vt patet ex dictis in principio huius dubitationis, non verò posse dispensare in dirimẽtibus iure naturali, quia Pontifex id non potest auctoritate ordinariâ superioris purè humani, vt ex se patet; nec extraordinariâ aliquâ superaddita ex Dei commissione, cùm ex nullo capite constet eam à Christo accepisse. Quapropter non potest dispensare in impedimento impotentiæ perpetuæ neque in impedimento ligaminis, aut consanguinitatis in lineâ rectâ , cum hæc iuxta dicta *disp. praced.* dirimant iure naturali, neque etiam in impedimento erroris. Nam hic dirimit ex defectu consensus, quem Pontifex supplere non potest iuxta dicta *disp. 2. dub. 6.* vbi ostendimus non posse fieri matrimonium sine consensu contrahentium, potest tamen dispensare in impedimento consanguinitatis cuiuscunque gradus lineæ transuersalis; item affinitatis in quacunque lineâ, & gradu, & in cognationis etiam spiritualis & legalis , atque in impedimento solemnis voti Castitatis, & Ordinis sacri , & aliis quibuscunque dirimentibus, cùm omnia præter illa quatuor primò enumerata dirimant solo iure Ecclesiastico.

DVBITATIO II.

An Pontifex dispensando in impedimentis matrimonij irritè contracti, possit attingere dispensatione effectus etiã sæculares per legitimationẽ prolis anteà susceptæ?

HAc de re latè & eruditè more suo Sanch. disput. *lib.8. disp.7.* post Molinam, qui *to.3. de iustitiâ disp. 624. n.3.* etiam latè & eruditè de hac re disputauit.

9. Sanchez. Molina. *Latè, & eruditè agũt de hac re.*

Præmittendum verò est cum eodem Sanchez *num.1.* & cum eodem Molina *tomo 1. tract.2. disputat.173.* in principio, & aliis apud ipsos , & post ipsos iuxta veriorem sententiam potestatem Pontificis directè , & per se non se extendere ad legitimandã prolem, quoad bona temporalia, & officia sæcularia extra loca tẽporali suæ iurisdictioni subiecta, sed tãtùm quoad beneficia, Ordines, atq; Ecclesiastica officia. Ratio est, quia sicut Princeps sæcularis nequit legitimare quoad Ecclesiastica , quia caret iurisdictione circa hęc, ita nec Põtifex quoad tẽporalia extra loca sibi tẽporaliter subiecta; quia in eis nõ

10. *Præmittendum cum eisdem auctoribus & aliis, non posse directè quoad temporalia extra suam ditionem temporalẽ. Ratio.*

habet temporalem iurisdictionem, ad quam id spectat. Estque communis sententia Doctorum c. *Per venerabilem*, & multis citatis docet Couar. 4. *Decretal.* 2. *p. c.* 8. § 8. *n.* 18. *& n.* 16. temperat hãc doctrinam, nisi causa ardua accideret, quâ valdè expediret Christianæ Religioni eam legitimationem fieri; imò nec tunc posset, vt rectè docet Molina, & Sanchez proximè citati, nisi casu quo Princeps, ad quem alioquin ea legitimatio spectat, eam efficere renueret; vel non tam citò vellet, aut posset, atque res postulat; tunc enim potestate illâ suâ in ordine ad bonum spirituale integrum est Pontifici sæcularium Principum negligentiam, aut defectum supplere.

Communis sententia. Couarr. *Cũ multis.* *Temperat dictum* Couarr. *Nec tunc posset nisi in defectum Principis renuentis aut non potentis, seu nolentis tã cito atque oportet.* Molina. Sanchez.

Iam verò difficultas est, an ea legitimatio, quoad bona sæcularia, & temporalia fieri possit à Pontifice, saltem indirectè nempe dispensando in radice matrimonij irritè contracti, ita, vt possit legitimare filios ex irrito matrimonio natos ante matrimonij dispensationem in locis sibi temporaliter non subditis, vt capaces sint officiorum sæcularium ac successionis bonorũ temporalium. Atque adeò quærimus, an possit efficere, vt dispensatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id mattimonium irritum contractum est, ita, vt censeatur, quasi à principio fuisset validè initum? Atque primò quærimus, quando impedimentum, ob quod irritum fuit matrimonium iure Pontificio inducitur; dicturi posteà de impedimentis iure Naturali.

Ratio.

11. *An indirectè possit à Papa fieri?*

Status quæstionis exponitur.

12. *Prima sententia negat.* *Probat* 1.

Prima sententia negat posse Pontificem legitimare. Probat; quia id matrimonium iam produxit suum effectum illegitimitatis prolis, & ad præteritum non datur potentia. Vnde Põtifex non potest facere, quòd talis effectus non sit productus; reparatio autem illius damni fieri nequit; nisi per dispensationem in eo iure, quo incurritur; ad id autem se non extendit Pontificia potestas extra loca sibi temporaliter subiecta, cùm tale damnũ inducatur iure Ciuili: ergo non poterit reparare. Confirmatur; quia vel dispẽsare in radice matrimonij est efficere, vt matrimonium illud ab initio reddatur validum, & hoc fieri non potest, neque quòd sit validum à tempore dispẽsationis concessæ; quia valor eius petit nouum contrahẽtium consensum; vel est tollere effectus ex eo matrimonio irrito productos, & hoc etiam fieri non potest, quoad effectus ciuiles, in locis sibi in iurisdictione temporali non subiectis; id enim esset directè legitimare prolem, quoad sæcularia, quod non potest Pontifex iuxta dicta.

Confirmat.

13. *Probãt.* 2.

Secundò probatur, quia fictio iuris fingentis aliquid retrotrahi, exigit terminum *à quo*, & terminum *ad quem* habiles iuxta doctrinã Bartholi communiter receptam L. *si is, qui pro tempore n.* 4 *&* 28. ff. *de vsu capion.* atqui matrimoniũ ab initio contractum, quod est terminus ad quem huius fictę retrotractionis; nõ est habile, cùm sit prorsus irritum; ergo non est locus retrotractioni. Confirmatur; quia si nullum prorsus præcessisset matrimonium, saltem, quoad figuram externam contractus, non posset Pontifex sic dispensare, vt fatentur omnes (de quo *infrà* dicemus) atqui cum tale matrimonium fuerit irritum, perinde est, ac si non fuisset. Ita Molina *disput. illâ* 624. Ceruanes alij apud Sanchez *supra*

Confirmat.

Molina. Ceruantes.

n. 3. inter quos Nauarr. *libr.* 4. *Consil. in* 2. *edit. tit.* Qui filij sint legitimi *cons.* 2. *in fine* vbi ait Gregorium XIII. anno 1584. negasse dispensationem huiusmodi, & addidisse se non posse sic dispensare. Eandem sententiam sequitur Coninc *disp.* 33. *n.* 41. Hurtado *disput.* 26. *diff.* 1. Perez *disp.* 44. *sect.* 5. *n.* 8. *& seqq.*

Alij apud Sanchez. Nauarr. Greg. XIII. *Dicitur negasse talem dispensationem quia non putabat posse.* Coninc. Hurtado. Perez.

Opposita sententia frequentissima est apud Doctores maximè iurisperitos, quos in magno numero simul cum Theologis refert Sanchez *supra numer.* 4. (qui numerus ab ineptis quibusdam expunctus est vt notabo.) Quorum præcipuum fundamentum est; quia tota radix illegitimitatis prolis est lex Ecclesiastica statuẽs tale impedimentum, sine quâ matrimonium attentatum priùs fuisset validum (atqui Pontifex potest suam legẽ irritare, & reuocare quoad effectus humano iure ex eâ sequutos, perinde, ac si nunquàm fuisset: ergo potest efficere, vt illa proles sit omnino illegitima. Minor probatur quia Clemens V. reuocat clementinâ vnicâ *de immunitate* quosdam effectus prædecessorum anteà productos.

14. *Opposita sententia frequentissima præsertim apud iuristas, & plures Theologos.* Sanchez. *Præcipuum fundamentum huius sententiæ.* Clem. V.

Hæc tamen ratio mihi non placet, quia (vt rectè notat Coninc, & alij) Pontifex ibi apertè solùm agit de effectibus iure Ecclesiastico inductis, quos per se immediatè poterat tollere; hic verò agimus de effectibus iure Ciuili inductis, quos suppossuimus Pontificem directè, & per se tollere non posse.

15. *Ratio non placet.* Coninc. *Alij.*

Probari potest secundò quia Pontifex tunc directè non dispensat in lege Ciuili, & effectibus eius, sed indirectè, & per quandam consequentiam.; quia, scilicèt lege Ciuili incurruntur ea damna à prole suppositâ Legis Ecclesiasticæ irritantis matrimonium prædictum firmitate, ex quâ subsequutum est, quod matrimonium sit irritum, & subinde proles ex eo cõcepta sit illegitima, & subdita omnibus damnis illegitimitatis iure Ciuili statutis. Cùm ergo Pontifex suâ dispensatione in ipsâ matrimonij radice tollat directè firmitatem illius legis Ecclesiasticæ, eamque prorsus aboleat perinde, ac si lex illa nunquàm prodiisset; indirectè quoque efficiet, & per quandam consequentiam, quod ea omnia damna cessent, vtpote quæ ex legis Ecclesiasticæ firmitate pendebant. Explicat hoc vlteriùs Sanchez, neque, enim dicimus posse nunc Pontificem efficere, vt id matrimonium fuerit à principio firmum vel nunc incipiat valere absque nouo contrahentium consensu, vel, vt ex eo non sint sequuti effectus iure Ciuili statuti; hæc enim omnia apertè non subsunt Pontificiæ potestati; sed tantùm dicimus eam esse Pontificis potestatem, vt possit dispensando prout ex tunc in ipsâ matrimonij irriti radice, delere, ac reuocare omnia damna quocunq; iure humano incursa, ac in eũ statum restituere, quẽ haberet, si ex matrimonio valido orta fuisset. Destructo enim legis Ecclesiasticæ valore, cui, tanquàm fundamento, illegitimitas, ac cætera damna nitebantur, illa omnia corruent. Et confirmat; quia multa possunt fieri indirectè per quandam consequentiam, quæ directè & principaliter fieri nequeunt. Adducit in exemplum Sanchez ius Patronatus, quod non potest per se & directè vendi abs-

16. *Probatur* 2.

Sanchez vlterius hoc explicat.

Confirmat adhuc.

que

que Simonia; consequenter verò venditur, vendito fundo. Idē posset dici de vēditione calicis consecrati, cuius benedictionem non possumus vendere per se.

17. *Satis probabilis est hæc sententia videtur probabilior prior. Explicatur & confirmatur.*

Hæc sententia satis probabilis est, sed (vt verum fatear) semper mihi visa est probabilior prior sententia, & omissis aliis rationibus sic eam explico, & confirmo. Quod illegitimitas illa orta fuerit prius non prouenit immediatè ex impedimento Ecclesiastico; sed ex nullitate ipsâ matrimonij, quo existente inualido, eaque nullitate perseuerante, ex naturâ rei consequitur, quòd filius natus ex illis parentibus non sit natus ex legitimo matrimonio, sed ortus à non coniugibus. Posteà verò suppositâ natiuitate à non coniugibus, iure Ciuili inducuntur damna, quibus subiacet talis proles, quòd scilicet non admittatur ad nobilitatem, hæreditatem, honores &c. Qui effectus à lege Ciuili orti, ab eadem dependent, vel potius ab Auctore illius illos inducente in eam personam, quam inuenit natam ex non coniugibus. Tunc ergo Pontifex quantumuis dispenset iam, & velit, quod matrimonium per nouum contrahentium consensum validum fiat, & ipsi validè contrahant; facere non potest, quòd illa proles nata non fuerit ex non coniugibus, & vt talis passa omnia damna, quæ à Principe, & lege Ciuili statuta sunt pro sic natis. Postquam autem talia damna inducta sunt, non dependent in conseruari, nisi tantùm à voluntate illius, qui ea induxit, & potuit non inducere, &, vt ea induceret solùm requisiuit, tanquàm conditionem aut motiuam causam, natiuitatem ex parentibus non coniugibus, quę ratio adhuc perseuerat, neque potest Pontifex facere, quod ille natus fuerit à coniugibus.

18. *Argumentū ad hominē.*

Probatur deinde argumento ad hominem, quia (vt plerique Auctores oppositæ sententiæ concedunt, maximè Sanchez *numer.* 10.) quando matrimonium fuit nullum defectu cōsensus in vtroque, vel altero contrahente, non potest Pontifex dispensare in radice illius; ergo, nec quando adfuit quidem consensus, sed fuit aliquod impedimentum dirimens puta defectu præsentiæ Parochi, & testium. Probo consequentiam; quia perinde est esse consensum inualidum, & nullum esse consensum. Nam, quod inualidum, & irritum est, perinde est, ac si non esset, atque adeò nullum potest causare effectum.

19. *Euasio.*

Respondebit fortasse aliquis disparem esse rationem; nam defectus consensus est defectus, seu impedimentum iuris naturalis; defectus autem præsentiæ Parochi, & testium tantùm est defectus, seu impedimentum iuris positiui & in hoc potest Pontifex, non in illo.

20. *Præcluditur euasio.*

Contra hoc tamen est, quòd defectus, ratione cuius irritum est matrimonium clandestinum, non est ipsa præcisè (vt sic dicam) clandestinitas, seu prohibitio clandestinitatis, sed est inhabilitas ipsarum personarum contrahentium clandestinè, quam quidem potuit Tridentinum, aut Pontifex non inducere, semel tamen redditis inhabilibus personis, ex naturâ rei cōtractus est nullus, & cōsensus ille ex naturâ rei nullus, ita, vt perseuerāte inhabilitate personarum, implicet contradictionem consensum illum valere. Non minùs autem requiritur ex naturâ rei habilitas personarum præbentium consensum in contractu, quàm ipsemet cōsensus. Quòd autem inhabilitas prouenerit ex voluntate Principis legislatoris, vel ex alio quocúque capite, nihil refert dummodò tempore prębendi consensum personæ non sint habiles, quocunque enim modo, & vndecunque cōtingat; matrimoniū æquè est nullum deficiēte habilitate in consentientibus; atque deficiente cōsensu. Vnde, si aliquis effectus subsistere debet à tempore, seu puncto initi, seu attentati matrimonij inualidi, is non potest prouenire ab ipsomet matrimonio nullo, & non subsistente; sed ab aliâ causâ, nempe à Principe potente per se, & directè accusare talem effectum. Cùm autē Pontifex non possit per se, & directè causare talem legitimationem prolis, quoad sæcularia, & ciuilia, in terris sibi in temporalibus non subiectis, parùm, aut nihil refert dispensatio ipsius adhunc effectum inducendum, cum dispensatio posterior non possit facere quòd contractus ille prior matrimonij non fuerit nullus, & cōtractus nullus nullum possit, vel potuerit causare effectum, atque adeò legitimatio prolis, quoad sæcularia non subsistit.

21. *In praxi opposita sententia vtpotè multorū & grauissimorum admittipotest tum à Papa tum à prole sic legitimatâ, & à iudicibus etiā sæcularibus. Iuxta illam multa inferenda pro praxi.*

Verum enimuerò; quia opposita sententia multorum est, & grauissimorum; eam in praxi, & Pontifex sequi potest dispensationem præbendo, quæ per talem retrotractionem legitimam reddat prolem; & ipsamet proles se pro legitima gerendo; & iudices (etiam sæculares) in fauorem illius legitimationis iudicando; sequi possunt; & iuxta eandem sententiam multa pro praxi inferre licèt, & indicare placet.

Sed prius noto prædictum Sanchez cū Nauarro quem refert & sequitur citatâ *disp.* 7. *nu.* 5. peccaturum grauiter Pontificem; si absque legitimâ causâ dispensationem hanc concederet, quantumuis validam; quia nimirum cederet in graue damnum successuri alioquin in hæreditatem, si proles non fuisset legitimata. Quod, an verum sit, & cohæreat cum doctrina, quæ proximè sequitur, paulò post videbimus.

22. *Notandum ex mente Sanchezij & Nauarri sed an verè postea videbimus.*

Hoc suppositō colligit primò Sanchez posse Pontificem dispensare, etiamsi parentes prolis, qui irritum matrimonium inierant, iā obierint; quia dispensatio hæc iuxta eam sententiam non innititur ablationi prioris impedimenti dirimētis, vt validè tunc ineatur matrimoniū, imò, quod de nouo validè ineatur, nihil confert, sed tantùm innititur (inquit Sanchez *num.* 6.) reuocationi legis Ecclesiasticæ; quâ prius matrimonium irritum fuerat, factæ ex tunc, quando matrimonium contractum est ita, vt abolentur effectus inde producti. Pro quâ sentētia plures alios refert. Atque hoc putat habere locum, non solùm quādo pater superstes id petiit, tunc enim, etiamsi dispēsatio videatur cedere in tertij præiudicium, licitum est propter consensum patris sic postulantis, probatque ex doctrina Bartholi, Iacobi de Puteo, & Peregrini: sed etiam, quando parentis consensus non præcessit, quia satis est, quòd præcesserit in eo casu

23. *Colligit primo Sanchez posse fieri etiam post mortem parentum.*

Etiamsi Pater id non petierit.

Bartholus Iacob. de Puteo. Peregrin.

matrimonium, saltem in figurâ,& affectu,vt tali matrimonio per ablationem impedimenti legis Ecclesiasticæ possit tribuere Pontifex talem effectum,vel potiùs facere, vt ex eo resultet talis effectus eo ipso, quòd per illam quasi retrotractionem censeatur reuocata Lex Ecclesiastica à principio.

24. *Multum putat idem auctor conferre in hac re matrimonij figura.*

Porrò eam figuram matrimonij præcessisse multum putat Sanchez operari iuxta *L. 3. ff. de don.inter vir.& vxor.*& c. *Plerumque eodem titulo & c. Nuper de Bigamis.* Cùm ergo Canonica lex fuerit causa irritandi matrimonium, atque adeò fuerit causa, ob quam ea hæreditas deferenda esset,ac deuoluenda in alios successores, poterit etiam Pontifex id ius quæsitum auferre reuocando eam legem,prout ex tunc, quoad effectus iam productos.Quippe ea conditio tacitè inerat.Quando hæreditas est deuoluta.Atque hoc modo explicata hæc secunda sententia maiorem præ se fert probabilitatem.

Nota hoc, pro maiori probabilitate eius sententia.

25. *Credendum semper putat Papam nolle præiudicare iuri aliorum adquisito. Probat ex iure.* Salicetus. Hippolytus Rim.

Simul tamen putat Sanchez semper credendum esse nolle Pontificem iuri aliorum adquisito derogare,nisi ex certâ scientiâ hoc faciat,& significet sufficienter; quia in dubio clausula in Rescriptis Pontificum apposita intelligitur sine tertij præiudicio,vt per Textum in L.*prima* §.*si quis à Principe* ff.*Nequid in loco publico.* tradunt Salicetus L.*Generaliter* §.*Cum autem n.*7.C.*de instit. & substitut.* Hippolytus Rimin.*con.*46.*n.*32. *volumine* 1. Quæ doctrinâ mihi probabilis videtur suppositâ huius sententiæ probabilitate.

26. *Non videtur hoc satis cohærere cũ doctrinâ paulò ante tradita. Probatur.*

Nihilominùs non videtur satis cohærere cum doctrinâ paulò ante traditâ ex eodem Sanchez, dum ait peccare mortaliter Pontificem, si absque legitimâ causâ dispensationem hanc concederet; quia cederet in graue damnum succedentium in hæreditatem. Nam,si ea hæreditas non esset deuoluẽda ad alios successores; nisi ex suppositione conditionis legis Ecclesiasticæ impedientis valorem matrimonij, & legitimitatem, quâ positâ ea hæreditas deuolueretur ad filium, Pontifexque potest eam legem,& conditionem,quæ tacitè inerat, tollere,non videtur peccare contra ius quæsitum aliorum;quia,si in iure aliorum quæsito semper inest ea conditio tacita, non videtur fieri contra ius aliorum eo ipso, quòd conditio non existat;conditio autem non existit,eo ipso,quòd Pontifex tollit legem Ecclesiasticam pro illo casu,& vult ita res se habere, ac si à principio talis lex non substitutisset. Vnde si lex à principio non substitutisset,non fuisset deuoluta hæreditas, aut ius ad illam, ad alios hæredes præter illum filium.Quod si fuit ad illos deuolutum,semper fuit sub conditione, quod filius non esset capax;nunquàm tamen adquisiuerunt ius ad incapacitatem filij,id est adhoc, quòd filius non fiat capax;sed tantùm adhoc,quòd, si filius non sit capax, ipsi habeant hæreditatem. Quando autem quis habet ius ad aliquam rem sub positione alicuius conditionis, non eo ipso habet ius ad ipsam positionem conditionis. Sicut enim v.g.secundo natus habet ius ad succedendum in maioratu suppositâ incapacitate maioris natu ob professionem solemnem; non tamen eo ipso habet ius ad hoc vt ponatur conditio professionis,vel ad hoc,quod semel posita talis conditio per validam dispensationem non tollatur (semper enim deuolutio maioratus ad secundum habet insitam conditionem, si non sit alius primò natus,& capax)sic in nostro casu alij consanguinei patris non eo ipso, quòd habeant ius ad hæreditatem sub conditione, si filius non sit capax,habent ius ad hoc, vt semel factus incapax non fiat capax;semper enim deuoluitur ad illos hæreditas sub tacitè insitâ cõditione,si non sit aliquis filius capax.Quod autem sit vel non sit capax, extra eorum ius est, & qui faciat filium capacem, nihil contra eorum ius faciet.

27. *Colligit secundò cum multis.*

Secundò deducit Sanchez ex suâ probabili opinione cum multis,quos refert *n.*7. quando proles habita fuit nullo præcedente matrimonio irrito;sed ex concubitu omnino fornicario, non posse Pontificem quoad temporalia & sæcularia legitimare extra loca suæ temporalis iurisdictionis;quia nulla est matrimonij radix, in quâ directè dispensando,legitimet indirectè, & per quandam consequentiam. Vnde tunc esset legitimare directè quoad temporalia, quod diximus non esse in suâ potestate.

28. *In vtraque sententia & maximè in nostra locũ habet præcedens illatum sed adhuc in eius sententia expendendũ restat. Proponitur difficultas.*

Hoc sanè in vtraque opinione locum habet multoque magis vim habet in nostrâ probabiliori sententiâ,sed in sententiâ huius Auctoris, & aliorum,secundùm quam nunc philosophamur,adhuc restat aliquid expendendum. Nam in duobus casibus possemus considerare dispensationem Pontificiam.Vno,quando nullum posteà sequutum fuit,vel sequuturum sit legitimum matrimonium ex dispensatione Pontificis;& in hoc casu verissima est doctrina in cõmuni sententiâ eorum, qui negant potestatem vniuersalem directam (etiam in temporalibus) Pontificis in totum Orbem;esset enim tũc omnino directè legitimare. In altero casu possumus considerare dispensationem Pontificis, quando scilicèt posteà sequitur, vel sequutum fuit ex legitimâ dispensatione matrimonium inter illos alioquin impeditos, & in eo casu, si copula fornicaria,ex qua susceptus est filius,fuit copula inter personas, inter quas tempore,vel conceptus,vel natiuitatis filij poterat esse legitimum matrimonium,etiamsi posteà superueniat impedimentum, ratione cuius non possit esse matrimonium inter parentes, adhuc ille filius est illegitimus quidem,non tamen spurius; sed naturalis. Vnde, si posteà Pontifex dispenset in impedimento, quod superuenit,& matrimonium legitimè fiat,filius assequetur plenissimã legitimationem non secus,atque,si natus fuisset præcedente legitimo matrimonio, quia sic leges etiam Ciuiles disponunt. Tunc autem non prouenit proximè legitimatio ex dispensatione Pontificis; sed ex vi matrimonij; radicaliter tamen, & indirectè prouenit ex dispẽsatione,quatenùs, si Pontifex non dispensasset in matrimonio,non fieret legitimus ille filius.Si verò post natum filium ex illicito concubitu,& nullo existente matrimonio velit Pontifex dispensare cum tali filio poterit quidem, quoad Ecclesiastica & spiritualia illũ legitimare,quoad temporalia verò non poterit facere de illegitimo legitimum; poterit tamen facere de spurio naturalem, atque adeò facere illum capacem

eorum

eorum omnium, quorum capaces sunt filij naturales. Vnde nobilitatis paternæ capax erit, vbi lege communi naturales filij capaces sunt; item vbi lege communi filij naturales hæredes sunt, in defectum legitimorum matris quidem necessariò, patris verò liberè; si pater velit illos hæredes; eodem modo iste filius, de quo nunc loquimur ex dispensatione Pontificis potest fieri capax hæreditatis modo prædicto in Regno Castellæ.

29. *Papa in ea sententia posset ex spurio facere naturalem. Ratio.* Porrò posset Pontificem (iuxta sententiam in quâ loquimur) de spurio facere naturalem; sic probo; quia tota ratio, ob quam ille filius erat spurius, est; quia non poterat intercedere matrimonium inter parentes, eo quòd interuenisset impedimentum dirimens iure Ecclesiastico, vt supponimus; atqui Pontifex, sicut potest in hac sententiâ tollere legem Ecclesiasticam inducentem impedimentum matrimonij retrotrahendo dispensationem ad tempus illius matrimonij attentati, & inualidè initi, solumque habentis figuram matrimonij, & ablatâ eâ lege, censetur indirectè legitimari filius, qui propter talem legem non fuerat legitimus: ita similiter dispensando in eodem impedimento iuris Ecclesiastici, & retrotrahendo dispensationem ad tempus suscepti filij nati spurij, & ablatâ eâ lege, censetur indirectè fieri naturalis filius, qui propter talem legem non fuerat naturalis; sed spurius. Legantur, quæ dicemus dub. sequenti. num. 39.

30. *Tertiò colligit Sanchez etiam in omni sententia verũ, non habere locum prædicta legitimatio si iure naturæ fuit impedimentum.* Tertiò deducit Sanchez *numer.* 8. id quod verum est in omni sententiâ, scilicèt non posse Pontificem legitimare, quoad prædicta, quãdo matrimonium irritum erat ob impedimentum iuris Diuini naturalis, quia radicem nullitatis illius matrimonij, cùm sit impedimentum iuris naturalis non potest Pontifex dispensando auferre. Et quamuis diceremus posse in casu peculiari; at cum non omnimodâ potestate circa ea impedimenta gaudeat (sicut circa iuris Pontificij impedimenta) non poterit ea dispensando tollere quoad effectus ex eis ante dispensationem productos. Quæ doctrina mihi placet, & pro eâ refert Sanchez ibi plurimos alios.

Alij multi meritò id docent apud Sanchez.

31. *Quartò colligit in vna sententia posse, & in alia non posse hoc ipsum quando impedimentũ fuit votum solemne.* Quartò deducit *num.* 9. iuxta opinionem eorum, qui dicunt votum solemne, etiam professorum in Religione solo iure Ecclesiastico dirimere matrimonium, posse Pontificem dispensare in radice matrimonij initi cum impedimento voti solemnis Ordinis, aut professionis, in opinione verò, quam dicit esse suam, quòd scilicèt votum solemne in Religione dirimat matrimonium iure naturali Diuino, non posse sic dispensare iuxta dicta ab eodem *num. præcedenti.*

32. *Mira varietas eiusdẽ circa vim voti solemnis; vel aliorum in posthumis eius libris non certa fides.* Verùm hic Auctor, vel varius est, & inconstans in eâ doctrinâ voti solemnis dirimentis matrimonium, an scilicèt id habeat iure naturali Diuino, aut tantùm Ecclesiastico; vel certè iam mutauit sententiam; vel denique libris posthumis huius Auctoris alieni panni centones assuere aliqui voluerunt, vt latè notauimus *disputation. 7. præcedenti. dub. 18. numer. 172.* & sequenti, vbi diximus illum tandem Auctorem (nisi etiam aliena manus ibi grassetur delendo & mutando) mutasse sententiam *in summâ, seu Opere morali lib. 5. cap. 1. num. 7.* & docuisse per solemne votum professionis dirimi matrimonium solo iure Ecclesiastico, non ex naturâ rei. Atque hoc verissimum puto, vt loco citato ostendimus, & dicemus agentes de voto.

33. *Quintò colligit non posse sic legitimare, quãdo defectus fuit consensus in vtroque vel altero contrahente. Admittitur in vtraque sententia.* Quintò deducit *numer.* 10. non posse Pontificem legitimare dispensando in radice, quando matrimonium fit nullum ex defectu consensus in vtroque vel altero contrahente, quia est iure naturali irritum, neque potest eiusdem radicem tollere supplendo consensum. Quæ doctrina in vtrâque opinione verissima est, tam in nostrâ, quàm in hac, in quâ versamur.

Addit verò Sanchez ibidem, quoties dubium est; an impedimentum iuris naturalis (quale est hoc deficientis consensus) extiterit, vel non extiterit, posse Pontificem in radice matrimonij dispensare; atque adeò sic legitimare. Pro qua sententia refert nonnullos alios. Quæ doctrina difficultate non caret; nam, si reuerâ adfuit tale impedimentum, reuerâ potestas Pontificis, non se extendit ad id, si verò non adfuit, matrimonium validum est & filius legitimus. In casu autem dubij potest quidem & meritò Pontifex decernere, quòd filius habeatur pro legitimo, ne scilicèt subiaceat pœnis, aut inhabilitatibus certis pro incertâ causâ, non tamen potest facere, vt certò sit legitimus tollendo dubium speculatiuum; quia semper in tali casu (vt casus ipse supponit) manet dubium, an adfuerit impedimentum. Quod, si adfuit certum est Pontificem non posse facere illum sic legitimum.

34. *In dubio de defectu iuris naturalis putat posse dispensare. Refert alios pro se. Difficultas eius doctrinæ.*

35. *Quid tunc fiet de coniugibus si adhuc superstites sint Ratio dubitandi.* De ipsis verò coniugibus, si adhuc superstites sint non est facilè pronunciare, quid decernendum sit à Pontifice in tali casu; an scilicèt separandi sint, an permittendi cohabitare? nam, si permittantur cohabitare, periculum est permittendi duos non coniuges; sed naturali iure impeditos carnaliter copulari. Si verò non permittantur, periculum est priuandi coniuges iure suo; quia, si fortè non fuit tale impedimentum iuris naturalis, sunt veri coniuges. Quid ergo fiet?

36. *Resolutio saluo meliori iudicio iuxta principia generalia.* Existimo imprimis saluo meliori iudicio, si aliquando hi coniuges cæperunt bonâ fide possidere, & postea superuenit dubium, idque pelli non potest, permittendos esse cohabitare, & in hoc plerosque aut omnes Auctores puto conuenire iuxta illud principium, quod *in dubiis melior sit conditio possidentis.* Si verò nunquam cæperunt possidere bonâ fide, videntur separandi; tum, quia in dubiis, quando non fauet possessio tutior pars est eligenda, tum quia (licèt hoc non careat difficultate) tunc etiam possidet lex naturalis prohibens, vel copulari iure naturali impediente, vel exponere se periculo sic faciendi: hæc enim lex semper viget. Atque hic posterior casus videtur supponi in præsenti negotio, in quo nunc versamur; supponit enim casus noster, in quo agimus de legitimando filio alioquin illegitimo, neutrum coniugem habere bonam fidem in eo matrimonio, alioquin non

esset necessaria Legitimatio. Nam sola bona fides alterutrius parentis sufficit, vt filius sit legitimus, vt communis, & recepta doctrina docet. Omitto alia, quæ docuit & obseruat Sanchez *num.* 11. & 12. & non sunt huius loci. Tandem aduerto id, quod suprà indicaui in aliquibus impressionibus Venetijs fuisse expunctum totum *num.* 4. de quo agimus in prædicto Sanchez. Quia nimirum aliquibus non placuit talem Auctorem extare cum hac opinione fauente Sedi Apostolicæ, qui per summam iniuriam mutilam huius Auctoris doctrinam Typis mandarunt vt hac ratione simul Sedis Apostolicæ potestati detraherent. Ideò meritò Vrbani Papæ VIII. auctoritate in quodam decreto edito Anno 1627. Sacra Congregatio Indicis librorum prædictos libros sic mutilos prohibuit, donec totus ille numerus 4. reponatur in *prædicta disp. 7. libri* 8. vbi prædicti falsarij non solùm per summam iniuriam expunxerunt sententiam; sed per non minorem imperitiam & ineptiam, quæ Auctor ex eâ sententiâ deducit intacta reliquerunt sequentibus numeris, vt in hoc maximè casu in quodam sensu appareat, quod dici solet, *peccans est ignorans.* Ign orantissimi ergo fuerunt peccantes illi.

Iniqua fides quorumdã in impressione huius auctoris.

Vrbanus VIII.

DVBITATIO III.

Quando censeatur Pontifex in radice matrimonij dispensare ita, vt deleat illegitimitatem prolis?

37. *Non habet dubitatio hæc locum in nostra sententia. Habet in altera probabili multorum: ideò pro praxi discutiendum, ea supposita sententia.*

HÆc dubitatio absolutè non habet locum in nostra sententia, cùm negauerimus dub. præcedenti posse Pontificem ita dispensare in radice matrimonij anteà inualidi, vt legitimet prolem, etiam quoad sæcularia, in terris sibi non subiectis temporali iurisdictione. Quia tamen simul diximus affirmatiuam partem esse multorum, imò plurium Doctorum, atque adeo probabilem & in praxi tutam, placet cum Sanchez *citatâ dub. 7. n.* 14. de hac re disputare.

38. *Assertio* 1.

Asserendumque est primò probabile esse, quando nullum fuit initum matrimonium, & ad illud ineundum petitur dispensatio explicatâ copulâ præcedenti apponiturq; clausula apponi solita iuxta stylum Curiæ, nempe *vt non obstante impedimento matrimonium inter se contrahere liberè, & licitè valeant, auctoritate nostrâ dispenses prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam decernendo.* (Quæ clausula etiam apponitur, quando dispensatio est in foro conscientiæ addendo vltimis verbis particulam *in foro conscientiæ tantùm*) tunc non dispensari in radice matrimonij, neque, vt proles ante dispensationem susceptæ sit legitima, quoad temporalia, sed solùm, quoad spiritualia. Ita Sanchez *supra num.* 14. iuxta doctrinam à se traditam *num.* 7. quia scilicèt nullum matrimonium præcessit; nequit Pontifex dispensare in radice nec legitimare prolem quoad temporalia, atque adeò ea verba de solâ legitimatione quoad spiritualia, esse accipienda. Imò virtute huius clausulæ putat Sanchez non legitimari prolem susceptam, quoad temporalia, quamuis ij, cum quibus dispensatur sint in locis temporalis Iurisdictionis Pontificis, quia ea clausula communis est dispensationibus omnibus vbique degentium. Quare non censetur diuerso modo apponi pro iis, atque pro alijs, maximè, cùm tunc Pontifex non dispenset, ac legitimet, vt est dominus temporalis eorum oppidorum; sed, vt pastor est totius Ecclesiæ; secundùm quam rationem non pertinet ad illum legitimatio, quoad temporalia, quando non dispensat in radice matrimonij priùs inualidè initi. Accedit, quòd dispensatio quoad temporalia est multò maioris considerationis; nec videtur credendum mentem Pontificis esse velle eum concedere verbis tàm generalibus, & de communi stylo Curiæ in omnibus dispensationibus, vbi adfuit copula, apponi solitis.

Sanchez.

39. *Probabile etiam est oppositum.*

Nihilominùs, quamuis hæc omnia probabilia sint, & ipsa per se, & propter auctoritatem prædicti Doctoris ita sentientis; probabile etiam iudico in eâ concessione fieri legitimationem illam indirectam, quoad temporalia, non quidem ex eo quod Pontifex dispensauerit in radice matrimonij; quia nullum fuit priùs adhuc inualidè initum, vt supponimus in hac assertione, sed, quia dispensatione suâ Pontifex potuit facere, censeturq; fecisse filium de Spurio naturalem antecedenter ad matrimonium parentum; nam iuxta dicta *dub. præcedenti nu.* 28. *& sequenti*, potest Pontifex de spurio facere naturalem, quando impedimentum tempore susceptæ prolis tantùm erat Iuris Ecclesiastici, & non naturalis; quia scilicèt potest Pontifex dispensare in radice retrotrahendo dispensationẽ ad tempus habitæ copulæ, vel susceptæ prolis, non minùs quàm ad tempus initi, seu attentati matrimonij inualidi. Nam idem ipsum impedimentum, quod fuit in causa, vt matrimonium illud esset nullum, atque adeò, vt proles tunc susceptæ fuissent illegitimæ, etiam fuit causa, vt inter tales parentes non potuerit intercedere matrimonium legitimum; atque adeò, vt proles susceptæ fuerit spuria, & non naturalis. Vnde sicut dispensando in matrimonio & suppositio illo matrimonio nullo per dispensationem tollitur damnum illegitimitatis & censetur proles indirectè per talem dispensationem legitimata, etiam quoad temporalia; eâdem ratione per eandem dispensationem censebitur proles (vt sic dicam) naturalizata, quoad temporalia, & ablata esse damna spureitatis, (vt sic etiam loquar.) Ex quo vlterius descendendo ad nostrum casum, probabile est, quòd quando Pontifex dispensat, vt inter parentes illius prolis, possit esse legitimum matrimonium, censeatur ablata lex impediens tale matrimonium, atque adeò personæ reductæ ad capacitatem talis matrimonij inter ipsas; ac proinde, sicut in casu matrimonij inualidi censetur ablata radix illegitimitatis; ita in casu præsenti censetur ablata radix spureitatis per ablationem legis Ecclesiasticę comparatione talium personarum, & consequenter proles conuersa de spurio in naturalem, sicuti parentes conuersi de inhabilibus ad matrimonium, ad habiles ad matrimonium. Atqui eo ipso quòd proles facta fuerit naturalis, si matrimonium deinde sequatur ablato impedimento;

Explicatur & probatur.

Applicatur doctrina ad rem præsentem.

mento ; etiam eo ipso absque vllâ aliâ dispensatione proles transit à naturali in legitimam : ergo quando Pontifex in prædictâ clausulâ nullo præcedente matrimonio (etiam inualido) parentes reddit habiles ad matrimonium, tollendo radicem inhabilitatis, scilicèt impedimenti, & volendo, vt proles suscepta habeatur legitima, probabile est tollere radicem spureitatis, & eo ipso quod facit parentes habiles ad matrimonium, reddere prolem ; non iam spuriam; sed naturalem ; atque adeò capacem, vt per virtutem sequentis matrimonij validi reddatur legitima.

40. *Aliud quod docet admittitur.* Illud mihi placet, quod docet Sanchez *nu.*15. si factâ dispensatione, & legitimatione prolis susceptæ parentes mutatâ sententiâ nolint matrimonium inire ; tunc eam prolem non fore legitimam; quia in fauorem matrimonij ineundi inter parentes prolis, concessit Pontifex eam legitimationem, nullatenùs aliàs concessurus; nulla enim alia ratio tunc videtur occurrere, quæ iustam reddat eam legitimationem. Vnde ea legitimatio facta per Ordinarium, vel Confessarium pendet à matrimonio posteà ineundo, & illo non inito cessat; vel potiùs nõ incipit.

41. *Aliud quod addit.* Addit vlterius *num.*16. sicut antequam Ordinarius vel Confessarius dispenset in eo matrimonij impedimento, id non manet ablatum, & matrimonium contractum erit irritum ; ita quamuis dispenset in impedimento, & matrimonium validè ineatur, si tamen non explicuit, se quoque dispensare, vt proles anteà habita sit legitima, ad nihil legitimatam manere ; prolem verò posteà susceptam, quoad omnia esse legitimam, etiamsi nihil exprimatur in dispensatione cùm illa orta sit ex legitimo matrimonio. Quæ omnia sunt probabilia satis.

Probabilia sunt hæc omnia.

42. *Quid tamen videatur in hac re dicendum.* Mihi tamen in hac re saluo meliori iudicio dicendum inprimis videtur, etiamsi parentes nolint posteà inire matrimonium, consequenter philosophando circa hanc sententiam, quam supponimus in hac dubitatione, prolem, esto non sit legitima (quod verissimum puto) esse tamen naturalem, quia iuxta supra dicta antecedenter ad matrimonium dispensatum est in radice spureitatis, & redditę personæ habiles ad contrahendum quotiescunque voluerint, quantum est ex parte illius impedimenti. Deinde mihi videtur probabilius, quòd, quamuis non exprimat ille dispensator Commissarius legitimationem prolis, adhuc proles possit censeri legitima iuxta supra dicta, quia legitimando personas parentum ad contrahendum matrimonium legitimum, proles illa anteà suscepta redditur de spuriâ naturalis ; posteà verò per matrimonium ipsum proles iam facta anteà naturalis transit in legitimam, declaratio autem talis legitimatis facta, vel per Pontificem, vel per Cõmissarium seruire potest ad maiorem abundantiam, & certitudinem.

43. *Aliud eiusdem dictum approbatur.* Illud mihi maximè placet, quod docet Sanchez *n.*17. si ordinarius, vel Confessarius omisit decernere prolem susceptam legitimam, quando dispensauit in matrimonij impedimento, posse id posteà facere quandocunque durante eius officio, quo nondum plenè functus est. Quod si ille iam amotus fuerit ab officio, vel obierit, successor poterit exequi, sicut, si cæpta causæ cognitione id corrigisset; nam ea cognitio non personæ ; sed tribunali commissa est; imò posset alius Cõfessarius Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor ex approbatis ab Ordinario adiri, etiamsi prior, qui dispensauit in impedimento consuli possit. Quamuis secus sit in Ordinario; nam hic est Iudex in foro externo, atque adeò semel cæpto iudicio ita manet Iudex, vt alius adiri nequeat; nisi successor in officio sit (de quo videri potest Sanchez eodem *lib.*8. *disp.*27. *num.*38. 39. 40. Confessarius verò cum sit Iudex in foro conscientiæ, non ita debet necessariò idem ipse adiri, quamuis cæperit Iurisdictione vti; quin possit adiri alius. Imò possunt hæc duo datâ operâ à diuersis peti, sicut, quando virtute Bullæ, vel Iubilæi conceditur Confessario potestas absoluendi à reseruatis, & commutandi vota, potest pœnitens quendam Confessarium adire, vt à reseruatis absoluat, & alium, vt vota commutet. Sanchez.

44. *Assertio 2.* Sanchez. Assero 2. cum eodem Sanchez *n* 18. si dispenset Papa, vt matrimonio semel contracto inualidè ob impedimentum iuris Ecclesiastici id iterum ineatur, ea dispensatio non extenditur ex eo præcisè capite, vt ante dispensationem nata proles aliquo modo legitimetur. Ratio est, quia cùm dispensatio sit stricti Iuris non extenditur vltra expressa ; ea verò dispensatio tantùm fuit ad matrimoniũ ineundũ, nullâ prolis mentione factâ; nec potest dici eam prolem per subsequẽs matrimonium legitimari, cùm sit spuria. Ita docet Molina *tomo* 3 *de Iustitiâ Tract.*2. *disp.*624. *num* 3. *in fine* Couarr. 4 *Decretal.* 2. *p. c.*8. §.8. *nu.*13. & alij apud ipsum, & apud Sanchez. Qui rectè notat fore legitimam prolem, si nasceretur, post datam dispensationem ante initum matrimonium, quia tunc proles esset naturalis, atque adeo legitimaretur, quoad omnia, per subsequens matrimonium inter parentes *iuxta c. Tanta. Qui filij sint legitimi*, cui capiti standum est vt Iuris Canonici, etiamsi Iure Cæsareo aliquæ conditiones requirantur, vt filius censeatur naturalis, vt cum alijs docet Sanchez *num.*19. Vnde in Hispania *l.*11. *Tauri, quæ est Lex.* 9. *tit.*8. *lib.* 5. *recopil.* satis est, quòd tempore conceptionis, vel natiuitatis prolis potuisset subsistere matrimonium inter eius parentes absque dispensatione Pontificiâ. Cùm ergo proles nata post dispensationem, nascatur ex parentibus, inter quos iam poterat esse matrimonium, licitè, & validè absque vllâ aliâ dispensatione proles erit naturalis, atque adeò per subsequens matrimonium legitimabitur. Vtrùm autem sufficiat natam esse prolem post dispensationem expeditam à Confessario in foro conscientiæ, non est ita facilè. Existimo tamen dicendum censeri legitimam in foro conscientiæ, in quo tantùm ea dispensatio valet ; valebit autem tunc in eo solo foro quoad temporalia, & spiritualia, & pro eo foro erit filius plenè legitimus. Ita Sanchez *lib.*8. *disp.*34. *n.*47 *in fine.*

Molina. Couarr. *Aliy apud ipsum. & apud* Sanchez. *Legitima erit proles si nascatur post dispensationem.*

45. *Assertio 3.* Assero 3. etiamsi Pontifex dispenset in matrimonio irrito, vt denuò celebretur, dispensando simpliciter cum prole ex eo matrimonio natâ, probabile est non censeri in matrimonij radice dispensare, ac omnino legitimare prolem;

sed

sed tantùm legitimare quoad spiritualia, sicut, si extra matrimonium nata esset. In hac assertione eandem probabilitatem agnosco, quam in primâ, & pro eâ sententiâ refert & sequitur Sanchez plures alios *num.* 20. Probat verò, quia cùm dispensatio sit stricti Iuris, non de omni legitimatione intelligenda est; sed de eâ, quæ conuenit Papæ, vt Papa est. Idemque putat verum Sanchez etiam in terris Pontifici temporaliter subiectis iuxta dicta *in* 1. *assert.* Imò addit Sanchez *num.* 21. cum alijs, etiamsi Pontifex explicaret se prolem legitimam efficere, non censeri in radice matrimonij dispensare; atque adeò nec legitimationem esse quoad temporalia; sed quoad sola spiritualia. Pro quâ doctrinâ refert nonnullos alios. Probat; quia ea dispensatio non est facta in *ratione* matrimonij præcedentis; nec Pontifex se matrimonium præcedens legitimare explicat. Fortè loco illius vocis in *ratione* debuisset esse *in radice* & typographus aut alius quiuis errauit, sed parum refert.

Sanchez cum multis. *Ratio.* *Addit præterea aliud.* *Probat quod addit.*

46. Sanè, quamuis hæc tota doctrina probabilissima sit iuxta principia iuris, probabile mihi nihilominus videtur eo ipso, quod explicat se dispensare cum prole vt legitima fiat; dispensare etiam in eo quod requiritur, vt plenè sit legitima; nam, vt omittam, quòd Beneficium Principis sit amplè interpretandum, quando res patitur; etiam ex alio capite mihi videtur iuxta dicta post primam assertionem vsque ad secundam, prædictam prolem legitimare plenè, scilicèt dispensando cum prole, & habilitando parentes ad matrimonium, censetur ipsam prolem naturalizare tollendo scilicèt radicem spureitatis & constituendo illam in statu filij naturalis, ad id enim videtur se extendere dispensatio eo ipso, quod cum prole vult dispensare. Semel autem naturalizatâ prole, non est necessarium recurrere ad dispensationem in radice matrimonij; nam per solum matrimonium subsequens legitima fiet iuxta sæpe dicta in hac & præcedenti dubitatione.

Quid præterea in hac re probabile etiam videatur.

47. Assero 4. Si Pontifex explicet se dispensare in matrimonij irritè contracto, vt ex tunc ab initio contractus legitimum censeatur, dispensat in matrimonij radice, & consequenter legitimat prolem, quoad omnia, etiam in terris, sibi temporaliter non subiectis; tunc enim clarissimè explicat suam mentem dispensandi in matrimonij radice iuxta doctrinam huius opinionis secundum quam philosophamur.

Assertio 4.

48. Nec placet Sanchez *num.* 23. asserens non censeri factam dispensationem per illa verba clausulæ *Prolem susceptam si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo.* Quamuis enim ista verba fortè possint explicari ita, vt dispensatio non se extendat ad matrimonij radicem, nihilominùs eo ipso quòd prolem legitimam decernit, & parentes habiles reddit in fauorem matrimonij, censetur Pontifex illos reducere ad statum, in quo essent; si non fuissent impediti; atque adeò proles censetur reduci de statu spureitatis ad statum naturalitatis, vt sæpe dictum est, & posteà virtute matrimonij subsequentis eo ipso euadit in legitimam, & iuxta hoc principium probabiles & fauorabiles possumus interpretationes adhibere alijs clausulis. Legatur Sanchez *à num.* 24. *vsque ad* 29.

Aliud circa hoc Sanchezij dictum non admittitur.

49. Habemus ergo inprimis ex hac & totâ præcedente dubitatione per principia mihi intrinseca, id est quæ spectato rationum pondere mihi probabiliora apparent non posse Pontificem dispensando in radice matrimonij in terris sibi temporaliter non subiectis legitimare prolem quoad sæcularia ordinariè loquendo; per principia verò mihi extrinseca, id est propter multorum, imò plurium auctoritatem posse; eâ tamen opinione suppositâ probabiliter inferri, etiamsi non præcesserit matrimonium irritum, posse indirectè legitimare dispensando in impedimento Iuris Ecclesiastici retrotrahendo dispensationem ad punctum susceptæ prolis illegitimæ per ablationem Legis Ecclesiasticæ inhabilitantis illius parentes, & sic transferendo prolem à spuria in naturalem, vt per matrimonium posteà subsequens legitima fiat. Et quamuis probabile sit Pontificem id non facere, nec posse facere absque vrgenti causâ propter præiudicium aliorum, qui successuri essent in hæreditatem, si proles non legitimaretur; probabile nihilominùs esse; etiamsi faciat, & de facto dispenset absque tali causâ non irrogare iniuriam aliàs successuris; quia hi non habent ius ad eam successionem; nisi sub eâ conditione; quæ tacitè inest, scilicèt, si non adsit filius legitimus, qui succedat in hæreditatem.

Concluditur 1. ex dictis in hac & præcedenti dubitatione.

50. Habemus præterea probabile esse per sola illa verba, quæ communiter apponi solent in dispensatione iuxta stylum Curiæ non censeri factam dispensationem in radice ita, vt proles censeatur legitimari: probabile nihilominùs aliâ viâ legitimari; nempe eo ipso, quòd Pontifex legitimat prolem, & dat facultatem parentibus ad validè ineundum tollendo impedimentum, censeri prolem factam naturalem, & Pontificem dispensare in radice, vt sit naturalis retrotrahendo dispensationem, habendoque pro ablato ab initio impedimentum, ratione cuius proles fuerat spuria, vt eâ ratione per initum matrimonium inter parentes, proles priùs de spuriâ naturalis facta, legitima fiat per subsequens matrimonium.

Aliud vlterius infertur ex dictis.

51. Denique habemus verissimum esse iuxta hanc sententiam; quòd, si Pontifex dicat, se ita dispensare in matrimonio priùs irritè contracto, vt ex tunc contractus censeatur legitimus, id est ab initio; censendus sit voluisse dispensare in matrimonij radice, atque adeò consequenter prolem fore plenissimè legitimam.

Aliud denique infertur.

Omitto plura, quæ Sanchez in pluribus alijs disputationibus circa dispensationem præsertim voti & professionis disputat; quia non sunt huius loci.

DVBITATIO IV.

An Episcopus possit dispensare in impedimentis? Et quomodò se debeat gerere Confessarius dispensans in foro Conscintiæ?

52. Assero 1. id, in quo conueniunt Doctores, scilicet Episcopum non posse dispensare ordinariè

Assertio 1. cum recepta sententiâ.

dinariè in impedimentis dirimentibus, quia hæc inducta sunt, aut iure naturali, aut Pontificio, aut Concilio generali quibus omnibus Episcopus inferior est. Quod videtur sentire Sotus 1. *de Iustitia quæst.* 7. *art.* 3. & *in* 4. *dist.* 37. *q. vnicâ*, quamuis absolutè videatur negare: nisi in vrgentissimo casu, quando impedimentum præcedit matrimonium. Nam superueniens facilius concedit posse ab Episcopo tolli, sed quidquid ille dicat, iam plures alij sentiunt aliter vt apparet ex iis, quæ subiicio.

Ratio.

Sotus aliquid singulare videtur sentire.

53. Ideò ergo dixi *ordinariè*. Nam pro foro conscientiæ posse dispensare aliquando Episcopum ex tacitâ Pontificis concessione in iis, quæ iure naturali non dirimunt, multi satis probabiliter docent, & ego verum puto cum Syluestro verb. *dispensatio quæst.* 9. §. 15. Angelo *ibidem num.* 5. Armill. *num.* 20. Nauarro *cap.* 22. *num.* 85. Henriq. *lib.* 6. *de Pœnitent. cap.* 10. *num.* 1. & *lib.* 12. *de matrimonio cap.* 3. *nu.* 2. alijsque multis apud Sanchez, qui eos refert, & sequitur *lib.* 2. *disput.* 40. *num.* 3. quibus adde Coninc *disp.* 33. *num.* 32. Basilium *lib.* 8. *cap* 13. Vasquez 1. 2. *disp.* 178. *num.* 15. & 16. Lessium *de Iustitia cap.* 40. *num.* 127. Hurtadum *disp.* 26. *difficult.* 1. *num.* 4. Perez *disp.* 44. *sect.* 6. *nu.* 2. & 3. Bonacin. *quæst.* 3. *puncto* 15. *num.* 3. Rebellus *lib.* 3. *quæst.* 18. *num.* 15. Petrum de Ledesma *q.* 5. 8. *art.* 8. Gutierrez *de matrimonio c.* 123. *num.* 7. Riccium *decis.* 261. estque iam nostro tempore communis sententia. Legique potest Diana variis quidem in locis, sed nouissimè 8. *part. Tract.* 3. *resolut.* 71. 72. 73. 78. 79. 80. & 96. vbi multa affert ex multis Auctoribus tùm pro potestate vniuersim loquendo quàm habent in certis casibus inferiores dispensandi in legibus superiorum, tùm speciatim pro potestate, quam habent Episcopi dispensandi in impedimentis matrimonij. Quæ doctrina intelligenda est pro casu, quo impedimentum est occultum quidem, matrimonium verò publicum, nec coniuges possunt separari absque magno scandalo, neque ad Summum Pontificem patet recursus propter paupertatem, aliáue damna grauia, aut locorum distantiam, aut ob alia legitima impedimenta, aut quia quamuis possit aditi Pontifex, interim tamen, cùm separari non possint absque graui scandalo, sunt in magno periculo cohabitantes simul. Quæ sententia etiam locum habet in diuitibus, si quamuis habeant, quantum satis, vt possint mittere ad Pontificem, est periculum interim grauium malorum, quæ prudenter timentur, vt post Perez & ante illum docent aliqui, inter quos Diana 8. *p. Tract. illo* 3. *resol.* 78. §. *& hanc doctrinam.* Requiritur præterea communiter, quòd prius fuerit matrimonium bonâ fide (saltem vnius) contractum. Quamuis hoc vltimum nescio, an ita strictè necessarium sit, nã si quamuis malâ fide contraxerint, eo deuenerunt res, vt cætera inconuenientia sequantur; non video cur etiam pro tali casu non possit Episcopus concurrentibus aliis circumstantiis. Ideò bonam fidem non requiri docet Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio cap.* 3. *num.* 2. Sed de hoc posteà dicemus.

Explicatur proximè dictum, & limitatur clarius assertio.

Sylvest.
Angelus.
Armilla.
Nauarrus.
Henriq.
Sanchez *cum aliis multis.*
Coninc.
Basilius.
Vasquez.
Lessius.
Hurtad.
Perez.
Bonacina.
Rebellus.
Ledesma.
Gutierrez.

Riccius cõmunis sententia.

Diana.

Doctrina hæc habet locum quãdo non potest vel absolute, vel sine graui incõmodo Pontifex consuli.

Perez.
Alij.
Diana.

An & quatenus etiam requiratur bona fides, saltem in alterutro contrahentium?

Non videtur adeò strictè id requiri.

Henriq.

54. Ratio prædictæ doctrinæ est; quia non est credibile Pontificem pro tali casu, quando prædicta inconuenientia sequuntur, velle talem dispensationem sibi reseruare. Nam, cùm reseruatio (sicut & quæuis alia similis Lex) ordinetur in ædificationem animarum; non in destructionem, credendum non est, quòd pro tali casu sub iis circumstantiis, sub quibus, si reseruatio fuisset, vergeret in damnum animarum: velit Pontifex eam reseruationem locum habere.

Ratio data doctrinæ.

Accedit: quia cùm multi celeberrimi Doctores, tùm in Scholis, tùm in Scripturis, seu libris editis hanc sententiam doceant, & iam olim docuerint, non potuerunt nec possunt Pontifices ignorare hanc sententiam esse receptissimã in Ecclesiâ, atque adeò satis potest Pontifici innotescere, quod Episcopi eâ potestate vtantur, & tamen non reclamant: nec se opponunt Põtifices quotquot fuerunt, ex quo talis sententia cœpit vigere, signum ergo est eam saltem tacitè approbare. Quâ ratione soleo vti in variis occasionibus tanquam sufficienti signo, quòd aliqua sententia à Superiore tacitè approbetur.

55. *Confirmatur valido argumento pro re pendente ex voluntate Papæ.*

Signum approbationis dictæ sententiæ tamquã probabilis.

Hoc ipsum posse Episcopum etiam ante cõtractum matrimonium probabilissimum est pro casu necessitatis; quando non patet aditus ad superiorem vt, quando quis est morti proximus, & vult legitimare filios, vel restaurare concubinæ honorem, vel ita oportet fieri pro bono pacis. Quam doctrinam sequuntur Sanchez. Basilius *supra.* Henriquez *lib.* 12. *cap.* 5. *nu.* 2. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *puncto* 5. Bonacina *supra num.* 6. & alij Recentiores apud Dianam 8. *part. Tract. illo* 3. *resol* 80. contra Auersam, quem ibi refert. Qui omnes maximè Sanchez, Basilius, Diana resol. 79. & Coninc dicunt hanc potestatem Episcopi non competere eius Vicario. Quod verò ad hęc ait Auersa apud Dianam citatum parum roboris habet. Contendit enim prædictos casus non posse, aut vix habere locum, nam si impedimentum erat notum non debet extendi potestas Episcopi (maximè pro foro externo) ad id; si autem erat occultum non habent locum ea damna. Hoc (inquam) parùm roboris habet. In casu enim occulto falsò negat Auersa quòd damna non sequantur. Attende quæso. An proles, quæ ob vitium occultum non fuisset re verâ legitimata, quia defuit dispensatio, iustè succederet parentibus, aut aliis siue ab intestato, siue ex testamento, præsertim, si id tandem euidenter constaret? An, si aliqui quidem sciant impedimenta; licèt non tot, quot sufficiant, vt res censeatur publica, & notoria, non posset decursu temporis res propolari & inde sequi multa mala? An non etiam inter illos paucos, qui sciunt possunt esse aliqui, qui rem vehementer sentirent, & possent ab illis, & ab alijs quibus id communicarent, timeri scandala, rixæ, inimicitię, & similia? Itaque hodie est satis recepta & tuta & ipsis etiam Pontificibus nota sententia prædicta affirmans.

56. *Probabile est posse id ipsum ante contractum matrimonij in casu vrgentis necessitatis.*

Sanchez.
Basilius.
Henriq.
Valentia.
Bonacina.

Recentiores apud Dianã

Diana *ipse.*
Coninc.

Oppositum sentit Auersa sed non sufficienter probat.

Quod diximus de Episcopo pro suâ diœcesi, potest etiam Legatus à latere in sua prouincia, in qua eandem potestatem habet; atque Episcopus in suo Episcopatu, non tamen maiorem, vt notarunt Coninc suprà & Henriq. *lib.* 12. *c.* 3.

57. *Idem potest legatus à latere in sua Prouincia, aut Nuntius.*

58. *An præsente Legato possit Episcopus?*

Vnde dubitari potest. an, si adsit Legatus aut Nuntius, possit tunc dispensare Episcopus?

59. *Vtraque pars videtur probabilis.*

Vtraque pars affirmatiua & negatiua est satis probabilis iuxta ea quæ dicimus in simili de

Censuris

Affirmatiuæ partis ratio.

Censuris disput.3. dub.3. Affirmatiua pars probatur ex præiacto fundamento, quod Pontifex pro tali casu vrgentis necessitatis non censeatur reseruare, sicut de absolutione à Censurâ loco notato diximus cum Auilâ & Henriquez ibi citatis. Vnde, si seclusâ reseruatione potest Episcopus, per accidens est, quòd superueniat aliquis habens delegatam iurisdictionẽ. Idque adhuc maiorem probabilitatem habet in hoc casu, quàm in illo, de absolutione à Censuris. Nam quod attinet ad absolutionem à censuris expressè dicitur in Textibus ibi citatis adeundum esse Legatum Pontificis, si possit adiri, & in defectu Pontificis vel Legati posse Episcopum absoluere. In hoc autem casu non habetur similis Textus.

Argumentũ à simili de censuris.

Imò potiori ratione in re præsenti.

60. *Henriquez eam partem affirmatiuã tuetur.*

Ideò hanc sententiam sequitur Henriquez *c.3.n.1.lib.12.de matrimonio in Comment. Littera H. & lib.6.de Pœnit.in Comment.c.10.n.1.Littera D.*

61. *Opposita sententia & tutior est & probabilior.* Sanchez. Nauarrus. *& alij.* Diana. Perez. *Ratio.*

Opposita nihilominùs sententia non modo tutior sed & probabilior videtur, quam sequitur Sanchez *lib.2. de matrimonio disp.40. num.8.* cum Nauarro, & alijs, quos refert. Item Diana *8.part.Tract.3. Resolut.78.* Perez *disput. 44. sect.6.num.9.* propter rationem, quam loco citato cum eodẽ Sanchez adduximus, scilicèt, quia Episcopus solùm potest in hoc casu dispensare ratione necessitatis vrgentis. Sed, quando adest alius, qui possit dispensare, cessat necessitas: ergo pro tali casu non censetur Pontifex eam facultem concedere Episcopo, vel non abstuliſſe ab Episcopo, quando reseruauit, nec reseruatio tũc cedit in destructionem animarũ. Legantur quæ diximus *loco citato* in simili de absolutione à censurâ. Confirmationem quam ibi affert Sanchez à simili de Sacerdote simplici, qui quamuis ob necessitatem possit absoluere existentem in articulo mortis; si tamen adsit, qui habeat ordinariam vel delegatam iurisdictionem non potest; ego non facilè admiserim quia suam habet difficultatem, de quâ egimus *disp.10.nu.363. & seqq.de Sacramento confessionis*, & oppositum sequuti sumus.

62. *Aduertendũ pro locis in quibus est vsus Bullæ Cruciatæ.*

Addendum præterea est in Hispaniâ, & alijs locis, vbi est vsus Bullæ Cruciatæ posse pro foro conscientiæ commissarium generalem eiusdem Bullæ dispensare cum iis, qui bonâ fide, (saltem alterutrius) inualidè contraxerunt ob affinitatẽ occultam ortam ex fornicatione, in quocumq; gradu. Admoneri tamen debent cõtrahentes, vt iterum validè contrahant suppositâ eâ dispensatione. Vtrùm autẽ impedimenti ignarus monendus sit necessariò, & fieri debeat conscius impedimenti, & nullitatis, vt eius consensus de nouo præstetur, & valeat? aut quâ ratione in iis agendum sit? Item, an tale matrimonium iterũ celebrari debeat coram Parocho & testibus? diximus *disp.2.à dub.9.vsque ad 11.*

63. *Prædictum priuilegium Bullæ Cruciatæ locum habet etiam Papa præsente nedum Legato ipsius. Ratio.* Sanchez. Perez. Basilius. *Addendum ex alijs probabiliter.* Glossa. Cardinal. Hostiens. Henriq. Alexand. *Circa potestatem Episcopi.*

Poterit etiam Commissarius eam dispensationem concedere, etiamsi præsens sit Pontifex nedũ Legatus ipsius, quia id illi expressè conceditur absque vllâ limitatione. Qua de re legi potest Sanch. *lib.8.disp.6.nu.23.* & Perez *disp.44. sect.7.* qui alia circa Commissarij prædicti facultatẽ explicant, & Basilius *supra.* Addunt etiam Gloss. Card. Hostiens. Henriq. & Alexand. *in c. Quia circa de consanguinit.* Episcopum post matrimonium contractũ dispensatione impedimenti alioquin subreptitiè obtentâ posse dispensare in eo impedimento, confirmando dispensationem Pontificis. Idque probabile putat Basilius, nec mihi videtur improbabile (quidquid alij reclament) si crimen subreptionis sit omnino occultum, nec facilè possit aditi Pontifex, vel timeatur graue scandalum, aut periculũ peccati interim, dũ expectatur legitima Põtificis dispẽsatio.

Consentit Basilius. *Placet pro casu impedimenti occulti, & sine facili aditu ad Papam, aut si scãdali sit periculũ.*

64. *Aliud minori cum fundamento addunt alij* Valentia. Basilius. *Circa petitionem debiti. Habet eam potestatem Cõmissarius Cruciatæ. Aliqui etiã Religiosi.*

Addunt etiam Valentia *disp.10. q.5.puncto 5.* & Basilius *suprà* posse Episcopum dispensare in impedimentis dirimentibus superuenientibus matrimonio iam contracto, & impedientibus petitionem debiti; vt possit licitè peti. Quã doctrinam aliqui Recentiores absque fundamento putant esse traditam, & mihi nullum apparet satis idoneum fundamentum; eam tamen facultatem esse concessam constat Cõmissario Bullæ Cruciatæ, item Religiosis nostræ Societatis, quibus id fuerit commissum à Prouinciali: Et idem possunt alij mendicantes, qui nobis communicant in Priuilegijs. Legatur Sanchez *lib.8. disp.16.n.8.*

65. *De bonâ fide, an requiratur in contrahentibus, vt possit Episcopus dispensare? Affirmant graues Auctores.* Sanchez. Ledesma. Ludouic. Lopez. Diana. *Probant ex Tridentin.*

Iam verò circa id, quod supra polliciti sumus, & obiter tetigimus in hac dubitatione, scilicèt, an bona fides in contrahentibus requiratur, vt possit Episcopus dispensare concurrentibus alijs circumstantijs? Sanchez *lib.2.disp.40. num.4.* cum Bart. à Ledesma & Ludouico Lopez, & alijs *disp.44.sect.6.num.7.* Diana *8.part. Tract.3. resolut.79.* putant omnino necessariam bonam fidem. Probantque ex Trident. *sess.24. de Reform. matrim.c.5.in Decreto de Reformat.matrim.* vbi dicitur: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idq; in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in cõtrahendo matrimonio neglexerit, tisdẽ subijciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit.* Vnde colligit rationem Sanchez, quia scilicèt hæc sententia innititur manifestæ æquitati, quæ suadet mentem legislatoris, non esse, vt in eo euentu Episcopus nequeat dispensare: atqui quando matrimonium est malâ fide contractum, mens Pontificis non est iniquitati fauere, & peruersæ contrahentium audaciæ, ne frequenter hâc spe celebrarentur matrimonia contemptis impedimentis dirimentibus.

66. *Probabilissima, & in praxi seruãda quantum fieri possit ea sententia. Opposita videtur probabilior. Ratio est propter damna eadẽ quæ timentur, etiãsi nõ præcesserit bona fides.*

Nihilominùs quamuis hoc probabilissimũ sit, & quantùm fieri potest in praxi seruandum non possum mihi persuadere voluisse Cõcilium, aut Põtifices, qui illud confirmârunt, hanc reseruationem locum habere in iis casibus, in quibus diximus posse Episcopum dispensare propter grauissima damna & inconuenientia scandali peccatorum, & impotentiam adeundi Pontificem; nam tota ratio, ob quam pro tali casu diximus posse Episcopũ in foro conscientiæ est; quia si non posset, reseruatio cederet in destructionẽ animarum, & non est credendum Pontificem cum damno, & periculo animarũ velle pro tali casu, & circumstantiis reseruare, cum licita non esset reseruatio, quidquid sit de valore atqui etiam fieri potest, vt quamuis malâ fide contractũ

sit

sit matrimonium, sequantur eadem damna, & pericula animarum, & sit eadem moralis impotentia adeundi Pontificem, idemque periculum in mora: ergo eodem modo credendum est, non esse mentem Pontificis, quod Episcopus pro tali casu non possit.

67. *Tridentinū citatū seruit pro foro exteriori, in quo præcaueri possunt damna. Vel non ex reseruatione sed aliūde mala prouenient. Concessa tunc dispensatione maiora mala possent timeri.*

In citato autem c. Tridentinum loquitur pro foro exteriori, in quo, si semel constet de prædicto impedimento, præcaueri poterunt reliqua damna, & separari coniuges. Quod si in eo casu sequantur scandala, & alia incommoda; tunc non sequuntur ex ipsa separatione illorum, & ex negatione dispensationis, & spei illius obtinendæ; sed ex ipsa notorietate, vel probatione externa commissi delicti. In quo casu maiora inconuenientia sequerentur ex eo, quòd permitterentur non separari, aut ex facilitate dispensandi cum illis, quàm ex ipsa separatione, & negatione dispensationis, imò hoc deseruiret ad tollendum scandalum. In casu autem, quo delictum est omnino occultum, & tantùm agitur de foro conscientiæ; si in eo foro sit periculum in morâ expectandi Pontificis dispensationem, vel sit moraliter impossibilis aditus ad illum, & scandalum in separatione, longè alia ratio est. Vnde, quando Concilium dixit: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur &c.* tantùm intelligendum est pro casu, quo ex merâ benignitate concedenda esset dispensatio. Pro nostro autem casu dispensatio concedenda est, non ex merâ benignitate; sed ex obligatione, quam habet Superior, prouidendi bono animarum, & auertendi præcauendique peccata subditorum, & scãdala. Quæ omnia vt supponit noster casus, moraliter præcaueri non possunt; nisi dispensatio cõcedatur, & matrimonium legitimè fiat. Ideò hanc sententiã tenet Henriq. *lib. 3. n. 2.* litera K. & litera. O & locis notatis *sup. n. 776.* & probabilẽ putat Præpositus apud Dianam *supra*.

Explicatur amplius.

Henriq. Præposit.

68. *Ex dictis satisfit fundamentis in contrariũ.*

Atque ex his patet ad fundamentum aduersariorum & Tridentini locum, quem pro se afferunt; sed etiam necessitatem postulare, vt Episcopis in tali casu possit dispensare, vt vitentur damna, & incommoda prædicta, Conciliũ verò tunc tantùm negat debere Ecclesiam æquitatem exhibere erga prædictos, qui sic contraxerunt, quando ea damna, & scandala auferri possunt aliâ viâ, vel quando non sequuntur ex ipsâ separatione, quæ fieri debet, nempe, quando alioquin in foro externo notum, probatum, aut probabile sit tale impedimentum dirimens. Quamuis autem quis sequatur, non esse locum dispensationi, quando mala fides intercessit, probabile est; quod docet Perez *disputat. 44. section. 6. num. 9.* & ante ipsum alij & post ipsum alij & post ipsum & ex ipso Diana supra resol. 79. in fine tunc dicendum esse malam fidem, quando coniuges non solùm sciunt impedimentum cùm contrahere volunt, sed etiam sciunt inde oriri impedimentum dirimẽs matrimonium contrahendum, nec censendã esse malam fidem, quamuis procedat ex latâ culpâ & ignorantiâ culpabili, quia Tridentinum citatum expressè petit, vt scienter præsumatur, at non verè dicitur scientes facere, qui ex ignorantiâ crassâ facit, sed dolus requiritur. Vnde solùm excludetur bona fides, quando ignorantia esset adeo crassa, vt esset ingens temeritas, quia tunc æquiparetur dolo.

Notandum circa hoc vt censeatur fuisse factũ mala fide ad præsens negotium. Perez. Diana. & alij.

Obseruant præterea Sanch. *lib. 2. disp. 40.* Gutierr. *de matr. c. 49. n. 11.* Bonac. *supra n. 6.* & alij, quando Cõfessarius in confessione detegit impedimentũ aliquod dirimens posse hoc remedio vti ad vitandam suspicionem alicuius criminis, vel infamiæ inter sponsos, nempe quòd ille, vel illa voueat castitatem ad mensem, vel duos menses, deinde dicat consanguineis, aut etiam aliis se castitatem vouisse, ideoque à Cõfessario sibi iniunctum esse, vt abstineat à matrimonio donec obtineatur dispensatio à Sede Apostolicâ, cauere tamen debet, ne dicat votum esse ad tempus; ne audientes opponant sufficere dispensationem Episcopi, & eâ ratione remedium deludatur. Verùm, vt dicam quod sentio cùm eiusmodi consilium & medium sit apud varios & notos Auctores & homines in mundo proni ad suspicandum sint, aut in deteriorem partem interpretandum acta aliorum; non est facilè vtendum tali remedio clausâ portâ; nec debet facilè Confessarius dare eiusmodi consilium, nisi vbi & quando moraliter certum sit, quòd eâ ratione femina non veniet in suspicionem. Adde, quòd hac ratione potest maritus multò eam minùs æstimare, imò & licitè resilire ab ipso contractu, & magnum detrimentum inde resultaret feminæ, eiusque existimationi. Est ergo cautissimè eo medio vtendũ, si tamen aliquando vtendum est; quia vix poterit adhiberi sine periculo infamiæ.

69. *Consilium quorumdã datum coniugatis in hoc negotio. Sanchez. Gutierr. Bonacina. Alij Suggerendũ à confessario.*

Non videtur facilè posse vsurpari eiusmodi remediũ & consiliũ.

Aduertendum præterea est primò circa Cõfessarium dispensaturum in foro confessionis, cum posse accipere hanc facultatem, non solùm à Pontifice quod omnino certum est; sed etiam ab Episcopo in casu, quo ipse potest dispensare, vt latè cum multis contra nonnullos docet Sanchez *citato lib. 2. disput. 40. n. 14.* consonatque hæc doctrina cum iis, quæ diximus *de censuris tract. 10. disp. 3. de absolutione dub. 4. sect. 4.* habito respectu ad dicta *dub. 3.* quibus in locis diximus iurisdictionem, & potestatem ex Principis priuilegio competentem non iam personæ solùm particulari, sed dignitati; vel officio perpetuò concessam censeri, & esse ordinariam, & non delegatam, vt cum multis Theologis & Iurisperitis probat Sãchez loco citato. Talis autem est hæc potestas Episcoporum pro illo casu, atque adeò poterit ab Episcopo delegari confessarius ad id; quia Ordinarius potest delegare. Legantur quæ diximus de censuris *dub. 3. & 4. citatis.* Legatur Sanchez *citato n. 14. & 15.*

70. *Aduertendum 1. confessarium posse eam facultatem obtinere ab Episcopo, in quo ea potestas est Ordinaria, eãque potest delegare. Sanchez. cum multis.*

Aduertendum est. 2. circa eundem Confessarium qui à Pontifice, vel Episcopo accepit facultatem dispensandi in tali impedimento sub conditione, si, quæ narrata sunt in petitione dispensationis, veritate nitantur, debere diligenter inquirere, num res ita sit, sicut exposita fuit Sũmo Pontifici, vel Episcopo; sufficit autem, quòd hoc inquirat ab ipso pœnitente, cui pro foro cõscientiæ credendũ est, & sub illius testimonio potest procedere ad dispensationem, nisi ipse contrarium sciat extra confessionem, aut, nisi compererit tacitum fuisse aliquid, quod in narratiuâ debuisset explicari.

71. *Aduertendum 2. circa potestatem dispensandi sub conditione veritatis contenta in petitione.*

72. *Aduertendum 3 non esse necessarium præmittere confessionem.* Sanchez. Gutierr. Bonacina. *Alij.*

Aduertendum est 3. cum Sanchez *libr. 8. de matrimonio disputation. 34. numer. 29.* Gutierrez *cap. 128. numer. 18.* Bonacina *supra numer. 7.* & aliis non esse necessarium, quòd pœnitens cui concedenda est dispensatio præmittat confessionē; nam in concessione summi Pontificis non exigitur confessio, tanquam conditio, etiamsi in eâ dicatur *in foro conscientiæ tantùm.* Quæ doctrina consonat cum iis, quæ diximus *citatâ disput. 3. de censuris dub. 4. sect 3.* agentes in simili de absolutione à Censurâ reseruatâ concedenda ab Episcopo virtute priuilegij concessi à Tridentino *sess. 24. c. 6.* item de facultate absoluendi ab excommunicatione per priuilegium Bullæ Cruciatæ, aut Religiosorum mendicantium, de quo diximus *eadem disp. 3. dub. 18.*

73. *Difficultas maior circa prædicta in iis qui non sunt Doctores, aut magistri, sed ex speciali gratia ea facultas datur.*

Difficilius apparet in iis Confessariis, qui cùm non sint insigniti gradu Doctoris, aut magistri in sacra Theologia, vel decretis, tamen spectatâ illorum prudentiâ, & doctrinâ habent priuilegium à Sede Apostolicâ, vt aliqui Confessarij Societatis, & alij Regulares, qui à suo Generali, aut Prouinciali huiusmodi priuilegium communicatum habent, scilicèt expediendi dispensationes; quas Pontifex dirigit expediendas *discreto viro Confessori magistro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario* &c. Nam in concessione facta à Gregorio XIII. in Bulla qua id priuilegium conceditur nostræ Societati expressè dicitur *Litteras huiusmodi aperiendi, confessionibusq; fidelium ad ipsos recurrentium auditis, & imposita salutari in illis expressâ vel de iure infligendâ pœnitentiâ absoluendi; ac in foro conscientiæ quascunque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes & pœnitentiarum iniunctiones excipiendi, & exequendi licentiam, & facultatem tenore præsentium concedimus.*

Ratio difficultatis ex verbis Papæ concedentis tale priuilegium Societati Iesu.

74. *Non obstantibus iis verbis habet in illis locū data doctrina.*

His tamen non obstantibus adhuc puto locum habere prædictam doctrinam, & posse dispensationem concedi non auditâ confessione, vt diximus *citatâ illâ disputat. 3. dub. 18. de Censuris.* § *Iam verò descendendo* vbi etiam pro solutione à Censuris id ipsum diximus tum in priuilegiis Bullæ Cruciatæ, de qua eadem est ratio; tum in priuilegiis mendicantium, de quibus nunc agimus. Ille verò particulæ *Confessionibus fidelium* &c. *auditis.* intelligendæ sunt per distributionem, seu attributionem accommodam, nempe pro casibus in quibus fuit necessaria confessio, ita, vt particulæ illæ non sint limitatiuæ, sed ostensiuæ, aut extensiuæ, ita, vt ostendant, & extendant potestatem concessam attingere etiam ad ipsam confessionem audiendam, & absolutionem à peccatis, vbi id necessarium fuerit, non verò limitent, & coarctent potestatem intra limites præcisè Confessionis Sacramentalis.

75. *Aduertendum 4. Circa impositionem pœnitentiæ, esse iudicio confessarij commissam quādo non taxatur in pœnitentiario.* Sanchez.

Quartò aduertendum est, relinqui prudentiæ Confessarij imponendam pœnitentiam, quando alioquin pœnitentia non est taxata à sacrâ pœnitentiariâ. Qua de re legi potest Sanchez *disp. illâ 34. lib. 8. n. 41.*

76. Tandem pro dispensatione concedenda ab Episcopo vel ab eodem cōmittenda Cōfessario aduertendum est delictum occultū (in quo solo id potest fieri) & impedimentum occultū tunc tantùm censeri tale, quādo non laborat publicâ infamiâ, aut quando non est deductū ad forum contentiosum, vt probat Sanch. *sup. n. 55.* Regin. *lib. 31. n. 219.* consonatque cum doctrina, quam tradidimus *de Censuris disp. illâ 3. dub. 4. sect. 2.* explicantes verba Tridentini *sess. 24. c. 6. de Reform.* vbi conceditur facultas Episcopis absoluendi sibi subditos à reseruatis *in quibuscunque casibus occultis:* ibi legatur; & legi potest Sanch. loco citato cum quo *n. 56.* notauimus censeri impedimētum matrimonij contractum ex dicto occultum, etiamsi publicè constet de copulâ, vnde ortum est impedimentum, si alioquin publicè ignoretur quatenus impedimentum.

Aduertendum 5. quādo censeatur delictum occultum, vt possit Episcopus dispensare. Sanchez. Reginald.

77. *De impedimentis tantum impedientibus. Potest Episcopus dispensare præterquàm in duobus votis. Ratio.* Nauarr. *Bonacina refert aliquos Sanchezium Ledesmam & alios, sed non exprimunt directè. De sponsalibus difficultas an possit Episcopus? Negant aliqui.* Hentiq. *Ratio illius. Recentiores eorū Ratio. Probabile hoc est & in praxi seruandum.*

Veniamus nunc ad impedimenta tantùm impedientia, in quibus conueniunt Doctores Episcopum posse dispensare præterquam in voto castitatis perfectę, & religionis. Ratio est; quia quamuis inferior non possit dispensare in lege Superioris per se loquendo; nihilominus, vt docet Nauarr. *c. 22. n. 85.* consuetudine receptū est, vt dispensatio horum impedimentorū non necessariò obtineatur à Papa excepto voto castitatis, & religionis. Ita Bonac. *citato punct. 15. nu. 3.* referens Sanchez, Ledesmam, & alios, qui tamē solùm per consequentiam citari possunt. De vno autem impedimento est difficultas inter Doctores, nempe de sponsalibus; an scilicèt Episcopus possit dispensare in impedimento spōsalium? In qua re Henriquez supra putat non posse, quantumuis sit rationabilis causa; quia nullo fundamento potest hæc facultas Episcopo tribui. Idem sequuntur aliqui Recentiores, & probant; quia per sponsalia acquiritur ius iustitiæ ad corpus alterius, quod Episcopus nullâ causâ potest auferre. Quæ sententia valdè probabilis est, & in praxi videtur sequenda.

78. *Non videtur improbabile oppositum. Quo sensu sit, vel non sit illa propriè loquēdo dispensatio?*

Nihilominùs non videtur improbabile oppositum quoties legitima causa dispensandi subsit. Nā, si causa talis sit, vt non obstante iure iustitiæ, quod alter acquisiuit, possit à legitimo Superiore rescindi contractus sponsalitius, non video cur, si Papa potest in vniuersali Ecclesia, etiam vbi non est Dominus temporalis, dispensare in eo impedimento; non possit etiam Episcopus in propriâ Diœcesi; vbi dispensando tantundem potest; si non sit reseruatum à Pontifice. Sed (vt verum fatear) huiusmodi impedimentum non videtur propriè loquendo dispensabile, cùm sit impedimentum iuris naturalis; sed tantùm contractus ille sponsalitius; qui impediebat matrimonium, potest rescindi à legitimo superiore ex causâ; ita, vt non ampliùs subsistat, liberando contrahentes à vinculo, & obligatione illius contractus, quādo iudicetur rationi consonum, quòd (etiam alterâ parte, vel vtraque renuente) talis obligatio non subsistat. Nam quòd subsistente contractu spōsalitio, non sit impedimentum, fieri non potest. Solùm ergo dispensationem appellamus rescissionem, & dissolutionē talis contractus; ad quē contractum dissoluendū ex legitima causâ, non video cur non habeat potestatem etiā Episcopus. Quod sic probo, & declaro suppositâ doctrinâ probabili de qua diximus *disp. 1. dub. 22. & disp. 4. dub. 7.* quibus in locis probabilius existimauimus contractū sponsalitium (sicut cæteros

Probatur & declaratur doctrina.

alios

alios contractus præter matrimonium) etiamsi metu extorqueatur, valere, sed posse à iudice rescindi. Ex quâ doctrinâ colligitur non deesse Episcopo potestatem dispensandi in eo impedimento. Nam dispensatio in hoc sensu est iusta, & efficax dissolutio, cuius vi talis contractus non subsistat, nec impediat matrimonium cum aliâ personâ, sed hanc potestatem habet Episcopus, & eius Vicarius: ergo habet potestatē dispensandi, id est tollendi obligationem Iustitiæ, quæ resultabat ex tali contractu, dissoluendo illum. Atque vt notauimus disp. 1. huius disp. n. 7. idem est quantum ad effectum rescindere & dispensare.

79. *In voto castitatis perfectæ & Religionis non potest Episcopus dispensare. Difficultas de votis cōditionalibus & pœnalibus non spectat ad præsentem Tractatum. In voto cælibatus & castitatis ad tempus, potest Episcopus dispēsare. Doctores cōmuniter contra* Nauarrum *&* Valentiam. Sanchez. Coninc.

Quod verò attinet ad votum castitatis, & religionis, quando votum est castitatis perpetuæ, & religionis approbatæ, constat non posse Episcopū dispensare, si votū sit plenè, & perfectè etiam in radice factū, & absolutū. Hæc omnia dixerim propter varias quæstiones & difficultates, quæ sunt inter Theologos & Iurisperitos circa vota conditionalia, tàm merè conditionalia, quàm pœnalia, de quibus hoc loco disputare solent aliqui maximè Sanch. *lib.* 8. *à disp.* 9. *vsque ad* 15. Quæ omnia potiùs spectant ad Tractatū de voto, nunc tantùm sufficiat dicere, quando votum non est castitatis perpetuæ, sed vel cælibatûs, vel non contrahendi matrimonium, vel castitatis quidem perfectæ, sed tantùm ad certum tempus posse dispensationem ab Episcopo conferri, vt contra Nauarrū, & Valentiam, docent communiter Doctores, maximè Sanchez, & Coninc locis citatis, quia tale votum est castitatis simpliciter, & totalis: Eâdem ratione poterit dispensare in voto suscipiendi sacros Ordines etiamsi admittatur sacro Ordini esse annexum votum castitatis simpliciter; quia in voto suscipiendi Ordines solùm reperitur votum faciendi id, cui annexum est votum castitatis, non verò votum ipsius castitatis.

80. *An possit Episcopus dispensare ad petendū debitum cū ijs qui post votum plenè castitatis contraxerūt matrimonium? Negant aliqui.*

Addunt etiam Henriquez & Valentia suprà Episcopum dispensare posse cum iis, qui post votum castitatis simpliciter contraxerunt matrimonium, vt possint licitè petere. Quod tamē alij negant, quia id esset dispensare in aliqua parte substantiali voti castitatis simpliciter, quod nullo iure videtur concedendū Episcopo

81. *Probabile est posse.* Henriq. Valentia.

Hoc tamen non obstante mihi videtur probabile quòd prædicti Doctores docent, de quo iterum in *Tract. de Voto* ex instituto dicendum est; nam, qui vouit castitatem simpliciter, & eo non obstante contraxit matrimonium, in eum statum peccando se reduxit, in quo interim dum durat, non teneatur ad castitatem simpliciter, atque adeò votum pro illo tempore durantis matrimonij non est in statu voti castitatis simpliciter, rediturum tamen, ad statum castitatis simpliciter, si superuiuat alteri coniugi; ergo Episcopus dispensando pro illo tempore, vt possit petere debitum, tantùm dispensat in parte voti pro illo tempore, non castitatis simpliciter; cùm teneatur vouens reddere debitum coniugi, & quoad illam partem non seruare castitatem.

82. *Aliqui Confessarij nostræ Societatis habent*

Eandem dispensationem concedere possunt Confessarij nostræ Societatis, quibus Prouincialis Præpositus id cōmiserit; de quo fit mentio in nostris Priuilegiis in Compendio verbo *dispensatio* §. 9. atque adeò aliæ Religiones, quæ habent communicationem Priuilegiorum cum Franciscanis, quibus id concessit Pius V. 26. Octobris Anno 1569. & legi potest Sanchez *lib.* 8. *disp.* 8. *disp.* 16. *de matrim. & lib.* 4. *Summæ c.* 43 *n.* 10. Henriq. *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 7. *& c.* 28. *n.* 6.

eam potestatem sic dispensandi. Item ex aliis Religionibus. Sanchez. Henriq.

DVBITATIO V.

Quæ sint iustæ causæ ad dispensandum in impedimentis matrimonij? & quando debeant subsistere?

83. *Supponendū 1. valere dispensationem in lege humana etiam sine causa, si sit à legitimo superiore. Secùs est de dispensatione voti, aut sponsalium sine causa.*

SVppono primò ex tradendis in Tract. de Legibus, id, quod non semel insinuauimus, scilicèt dispensationem in impedimentis iure tantū humano appositis valere, si à superiore alias potente dispensare fiat, etiā sine iustâ causâ. Loquor de habente potestatem ordinariam quidquid sit, an illicitè faciat: Dispensationem verò voti & sponsalium, non valere sine iustâ causâ; nam dispensatio fit extraordinariâ potestate superaddita à Christo Domino capiti Ecclesiæ, vt nomine ipsius remittat verbum promissionis, quando id iudicetur expedire iuxta dicta *supra dub.* 1. huius disputationis, quæ potestas non censetur concessa; nisi subsiterit causa.

84. *Valida non est dispensatio in sponsalibus sine iusta causa iuxta dicta. Vnde id prouenial?*

Quod verò attinet ad sponsalia ibidem diximus *num.* 7. ordinariam potestatem se extendere ad hanc dispensationem, dummodò adsit iusta causa. Nunc verò addimus non posse dispensare validè, nisi adsit iusta causa, non ex eo, quòd non habeat ordinariam potestatem legitimus Superior; sed ex eo, quòd obligatio sponsalitia non oriatur ex potestate legislatiua Superioris, sed oriatur ex iure Iustitiæ ex naturâ rei adquisito ab alterâ parte, quę non potest spoliari eo iure, nisi ex iustâ causâ, aut ex mutuâ voluntate contrahentium; nec censetur data legitima potestas Superiori ad tollendum ius Iustitiæ adquisitum, nisi subsistente iustâ causâ.

85. *Supponendū 2. Qualis & quanta causa necessaria sit. Non requiritur causa quæ sufficiat vt cesset obligatio. Sufficit quæ prudentis iudicio censeatur rationabilis, pensatis circumstantiis.*

Suppono vlterius, vt dispensatio licita sit, aut valida, (quando ad valorem requiritur iusta causa) non esse necessariam causam, quæ sufficiat, vt cesset ipsum ius, aut votum, seu promissio, vel pactum; alioquin dispensatio non esset ablatio iuris, & obligationis comparatione eius, qui dispensatur; sed potiùs esset interpretatio cessationis, quod fieri posset à viro docto, vt etiam notabamus *num* 719. Causa ergo, quæ requiritur ad dispensandum, est ea, quæ satis sit, vt quis rationabiliter eximatur, & liberetur per Superiorem ab ea obligatione, quæ autem causa ad id satis sit? iudicio prudentis discerni debet; pendet enim sæpissimè ex particularibus circumstantijs, quæ in singulis casibus solent aut possunt occurrere variæ, & diuersæ.

86. *Eo grauior causa requiritur ad dispensandū in impedimento, quo grauius est, & arctius impedimentum. Circumstātia Personæ vt Principis addit pondus ad causam dispensandi. Tridentinū eam causam agnoscit.*

Illud solùm in vniuersum dici potest quoad nostrum negotium cò graviorem causam requiri ad dispensationem quo grauius, & arctius sit impedimentum, in quo dispensandum est. Præterea pleriq; Doctores fatentur facilius posse dispensari cum Principib. & Magnatibus, quam cum alijs communis conditionis,

& eò videtur respexisse Tridentinum, quando sess.24.in Decreto *de Reform.matrim.c.5.ad fin.* loquens de impedimẽtis, quæ deprehendũtur adhibitâ solemnitate denuntiationũ,cum dixisset: *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio,vel rarò,idq; ex causa,&c.* concludit: *In secundo gradu nunquam dispensetur;nisi inter magnos Principes,& ob publicam causam.* Ex quo patet iudicasse Concilium habendam esse rationem personarum, cum quibus dispensatur;& quidẽ decet Ecclesiam specialem illum affectum, & amorem ostendere erga tales Principes, & Potentes, expedit enim ipsi Ecclesiæ, & Pontifici, seu Superiori dispensaturo eos habere Ecclesiæ propitios & fauentes. Potest autem iusta causa adesse dispensandi non solùm cum prædictis, sed etiam cum longè inferioris notæ hominibus, vt in secundo gradu affinitatis, vt rectè cum multis notat Diana 7.*part.Tract.12.resol.36.* loquens in casu speciali eius, qui nec Princeps erat,nec Magnas;seu vt ipse ait Titularis Dominus qualem sub nomine Principis aliqui volũt comprehendi, vt ex praxi atque Auctoribus ostendit etiam cum simplicibus nobilibus;imò & iis, qui infra eos sunt sæpè solere Pontifices dispẽsare. Quænam verò sint causæ sufficientes ad id maiori ex parte pendet ex circumstantiis, quæ non possunt ad certum numerum aut qualitatem reuocari cum sint tàm variæ,& impedimenta diuersa,diuersas postulant causas.

Aliquando etiam cum multo inferioris notæ personis potest esse causa dispensandi.

87. *Tres causæ assignari solitæ pro dispensatione.* Diana.

Descendendo tamen quantum fieri potest, tres solent causas communiter Doctores (quorum aliquos affert Diana) assignare, quarum quæuis sufficiens iudicatur ad dispensationem concedendam.Prima est extinctio, aut præcautio grauis litis,aut discordiæ ortæ, vel quæ oriri timetur inter varias familias,& personas, speretúrque fore occurrendum huic malo per affinitatem,& mutua connubia.

Prima causa.

88. *Secunda causa.*

Secunda causa est,quando quis non; nisi satis difficilè & magno suo incommodo inuenire potest nuptias sibi dignas, nisi cum cognatâ, aut aliâ ratione habente impedimentum, cuius petitur dispensatio,vt ipsi nubat,vt cum quis nequit illam in proprio oppido inuenire.

Tertia causa.

Tertia causa est;quam solent appellare *propter indotatam*, id est propter defectum dotis competentis,cuius defectu nequit femina sibi competentem virum aliquem inuenire præter eum, inter quem, & ipsam intercedit impedimentũ,

89. *Aliqua alia possunt & solent esse dispensandi.* Sanchez. Henriq. Coninc.

& eodem modo ex parte viri, si is defectu Patrimonij, & bonorum ad congruam, sibique dignam sustentationem nequeat competentem vxorẽ inuenire præter eam, cum qua habet impedimentum.

Non desunt autem aliæ causæ præter has tres communissimas, quæ meritò sufficientes reputentur,quas latè persequitur Sanch. *lib.8.disp.19.* Henriq.*lib.12.*Coninc *disp.33.dub.5.* Placet autem breuissimè tres aut quatuor recensere.

90. *Primò sufficit conseruatio illustris familiæ.* *A Tridentino indicatur.*

Primò ergo sufficit conseruatio illustris familiæ intra eundem sanguinem,quod sæpè non parum expedire iudicatur bono publico; idque indicant citata verba Tridentini: *Inter quos Principes,& ob publicam causam.*

91. *Secundo conseruatio*

Secundò sufficit conseruatio ampliſſimorum bonorum & diuitiarũ intra eandem familiam, ne causâ dotis distrahatur ad aliam, quod sæpè cernitur expedire bono publico, vt quando eiusdem Prouinciæ,aut Regni partes essent diuidendæ inter virum aliquem & feminam puta inter patruum, & neptim; coniungentur verò,& meliùs conseruabuntur,si vnitæ ab eisdem coniugibus possideantur & gubernentur.

ampliſſimorum bonorũ intra eamdem familiam.

92. *Tertio meritum eximium eius gratiam cõceditur.*

Tertiò sufficit eximium aliquod meritum, quo benè meritus sit de Ecclesia,vel petens dispensationem, vel ille in cuius gratiam petitur; par enim est,vt, qui de Ecclesia benè merentur, eiusdem benignitatem experiantur: tùm vt Ecclesia se gratam exhibeat: tùm vt alij ad id ipsum promerendum animentur.

93. *Quarto magna pecuniæ summa expendenda in pia opera in bonũ Ecclesiæ.* *Alia causa iudicio prudentis expendenda.*

Quartò sufficit magna pecuniæ quantitas in pia opera expendenda oblata,vel ab impetratuto dispensationem, vel nomine, & in gratiam ipsius,ita, vt meritò hoc subsidium in bonum Ecclesię censeatur dignum tali beneficio dispensationis, quod præsertim habere potest locum, si impedimentum non sit ex maximis, & grauissimis. Omitto alias causas iudicio prudentis expendendas.

94. *Plures causæ quæ singulæ non sufficerent,simul possunt esse satis.*

Illud non omittam, quod sæpè potest, & non rarò solet occurrere, plures, scilicèt, causas aggregatas esse posse, quæ simul sufficiant, & singulæ non sint satis. Vnde non solùm de vnaquaque per se; sed de omnium collectione iudicandum erit iudicio prudentis. Iuxta vulgatum illud: *singula, quæ non prosunt, simul coniuncta valent.*

95. *Post initum matrimoniũ saltem bona fide vnius contrahentis facilius potest, aut expedit dispensare quam ante.* *Item post susceptam prolem.*

Neque illud etiam omittendum videtur, facilius posse imò omnino expedire post initum matrimonium bonâ fide,saltem vnius & publicè celebratũ dispensari,quàm, si dispensatio cõcedenda sit ante illud,imò,tũc,etiamsi aliæ causæ deessent;sufficit præcessisse illud quale quale matrimonium; nam ex separatione contrahentium plura eademque grauia solent incommoda pullulare, maximè, si matrimonium iam fuit consummatum, aut consummationis suspicio, famave percrebuit, & multò magis, si iam fuit susceptа proles.

96. *Pro dispensatione in impedimento voti tantum impedientis etiã requiritur causa iusta iuxta dictа iudicio prudentis pensanda.* *Vt spes publicæ pacis.* *Item si iam materia sit periculosa vouenti.* *Exempla huius rei.*

Pro dispensatione verò in votis, quibus matrimonium impeditur, seu prohibetur, licèt non dirimatur necessaria est etiam iusta causa ad valorem vt sæpè notauimus, quæ iudicio prudentis discerni debet. Talis aut est spes publicæ pacis, quæ speratur ex tali matrimonio; item quòd materia voti sit facta periculosa vouenti; siue propter occasiones moraliter ineuitabiles, siue propter scrupulos, siue propter fragilitatem, vt meritò timeatur periculum animæ. Sic cum eâ, quæ credens, aut sperans, quod monialis fieret, & defectus dotis, aut valetudinis monialis esse non potest, & expedit, maximè, si adsit aliquis competens vir, qui eam velit sibi in matrimonium copulare, & competenter dotare. Item dispensari potest, quando sit dubium, an materia voti sit validè promissa Deo, vel an fuerit satis maturè promissa?

97. *Requiritur & qualis ad dispensandũ valide in sponsalibus, seu ad rescindendum potiùs.*

Ad dispensandum verò validè in sponsalibus, seu ad illa rescindenda, vt possit matrimonium contrahi cum aliâ personâ, etiam requiritur causa arbitrio prudentis discernenda;

&

& præter illam, quam assignauimus *dub. præcedenti*, quòd scilicèt sponsalia fuerint metu inita, atque adeò meritò rescindenda à iudice per sententiam, quæ censetur, quantum ad effectum dispensatio quædam, vt notauimus *dub.1.* Etiam censetur causa sufficiens, si timeatur priorem sponsam futuram esse occasionē peccandi sponso; aut, si ex matrimonio cum alterâ speretur publica pax, aut extinctio, vel præcautio grauium discordiarum.

98. *Discrimen inter proximè assignatas causas.*

Est autem latum discrimen inter hanc vltimam causam & proximè præcedentem; nam dispensatio data propter futuram occasionem peccandi, quæ timetur si sponsalia illa impleantur, est dispensatio omnino absoluta, quæ non dependet ab aliqua conditione posteà futura; dispensatio verò, quæ fit, vt possit sponsus inire matrimonium cum aliâ, quia speratur publica pax aut extinctio, vel precatio grauium discordiarum, est dispensatio omninò conditionalis, nempè si ineatur matrimonium cum aliâ; nam, si, post obtentam dispensationem in sponsalibus illis, renuat inire matrimonium cum illâ aliâ, cum quâ vt iniret, dispensatum illi est; iniquum omnino videtur alteram iure suo priuare ob finem & causam, quæ non subsistit. Licebit tamen priori sponsæ, etiamsi ille velit redire ad priorem fidem, illum non admittere; quia iā ipse, quantum est ex parte suâ resilierat. Vnde integrum est sponsæ quoque resilire.

99. *Circa dispensationem datam ob causam discordiarum difficultas proponitur.*

Difficilius videbitur alicui; an dispensatio data ob causam grauium discordiarum, quæ timebantur ex matrimonio inter eos sponsos, valeat absolutè; etiamsi post datam dispensationem cesset timor prædictarum discordiarum? vel, an semper censeatur dispensatio dependens ex verâ subsistentia talis timoris?

100. *Satisfit difficultati proposita sub distinctione.*

Huic difficultati breuiter respondeo primò, si posteà appareat prædictum timorem fuisse vanum, & non benè fundatum, dispensatio est nulla, & sponsalia subsistent, vtpotè non subsistente causâ dispensandi, & eâ dissoluendi. Si verò tempore dispensationis verè prudenter timebantur ea incommoda, etiamsi postea nouâ rerum mutatione cesset timor, valebit dispensatio, & sponsalia non conualescent; quia verè fuerunt extincta, & rescissâ; nempe subsistente verâ causâ dispensandi, & rescindendi. Si verò per longum tempus durauit ille timor post dispensationem factam, quia sic tunc prudenter putabatur, etiamsi posteà deprehendatur error talis existimationis, non valebūt sponsalia; quia non censentur contrahentes ab initio contractus voluisse se obligare ad suspensionem tam longi temporis, atque adeò per illam diuturnitatem sponsalia non subsistent iuxta doctrinam traditam *disp.1.dub.35.n.528.*

101. *Circa existentiā causæ tempore dispensationis notandū cum aliis.* Sāchezio. Basilio. Perezio. *Res est accuratè attendenda.*

Circa existentiam causæ dispensandi tempore, quo dispensatio fieri debet, mihi maximè placet Sanchez *lib 8.disp.30.* & ex illo Basil. *lib.8. cap.20.* Perez *disp.45 sect.6.num.2.* nempe si causa motiua, qua Pontifex motus fuit ad committendam Ordinario dispensationem, existat, quādo commissio ipsa fit à Papa, valere commissionem etiamsi fortè quando mittitur supplicatio pro commissione ad Curiam Romanam, causa illa non subsistat: E contra verò non valere, si causa non existat, quando fit commissio, etiamsi extitisset, quando mittebatur pro commissione. Ratio est, quia commissionis concessio innititur existentiæ causæ motiuæ, quâ deficiente non potest subsistere valor commissionis, quæ illi innitebatur.

102. *Adhuc accuratè aliud in praxi circa hoc attendendū.*

Hinc etiam est, quòd si tempore faciendæ dispensationis ab Ordinario antequàm fiat, cesset causa illa motiua, dispensatio ab Ordinario facta sit nulla: quia cùm iam non possit licitè fieri ab Ordinario ob defectum causæ, nō censetur mens esse Pontificis, quòd fiat.

Quid si facta dispensatione ab Ordinario cesset posteà causa ante quam fiat matrimonium?

Imò addunt Sanchez suprà Coninc *disp.33. num.94* Hurtado *disp.26.difficult.3.num.15.* contra Sà verbo *Gratia num.6.* & contra Basilium *supra* & contra Perez *supra numer.6.* & contra Suarium *libr. 6. de legibus cap.20.numer.15. & seqq.* probabilius videri dispensationem factam ab Ordinario, sed antequam matrimonium fiat, reddi nullam; nam deficiente causâ motiuâ, nequit dispensatio perseuerare licita, ac proinde mens Pontificis censetur esse, quòd tunc non valeat; non secus atque deficiente causâ motiuâ, ob quam fuit facta dispensatio in lege non comedendi carnes in diebus prohibitis, adhuc tantùm pro vno die cesset dispensatio. Perseuerabit autem dispensatio, vt iidem Doctores aduertunt, quamuis causa motiua minuatur, etiamsi adeo minuatur, vt sic diminuta ante dispensationem non esset sufficiens, vt primò concederetur, sufficiatque vt perseueret dispensatio, quòd causa magnâ ex parte maneat; quia nimirum causa minor sufficit, vt gratia semel concessa perseueret, quàm vt primò concedatur. Legatur Sanchez loco citato. Hæc sententia valdè probabilis est & in praxi consulenda saluâ semper probabilitate oppositæ, quam nō possum non videre satis probabilem. Tunc enim dispensationis gratia consummatur, quando fit relaxatio legis, seu ablatio vinculi aut impedimenti per legem introducti, ergo, si iam est sublatum impedimentum, illa non potest reddi inualida, cùm semel iam fuerit iusta & licita; & effectum habuerit. Quod autem iam causa cessauerit, sufficeret quidem, vt, si positâ cessatione causæ dispensatio fieret, iusta non esset; non verò sufficit, vt dispensatio prius facta, dum causa subsistebat, iusta non fuerit, & valida, atque adeò effectus illius, qui est hominem reddi liberum à tali lege, cui, vt subiiciatur denuò nulla causa adest. Sicut enim, si vniuersaliter ex causâ lex abrogetur, etiamsi posteà cessaret causa, non eo ipso reuiuiscit lex; sic suo modo, si in particulari ablatum fuit vinculum legis pro vno ex causâ tunc subsistente; non eo ipso quòd post sublatum vinculum cesset causa, reuiuiscet vinculum. Hæc tamen omnia non ita me conuincunt, quin videam aliquam disparitatem, quia in nostro casu non tollitur lex propriè, sed impeditur ne obstet propter causam sic impediendi vim legis, quæ causa, si deficiat, non censetur, nec censeri debet voluntas dispensantis fuisse, vt impedimentum & obstaculum legis ad ligandum illum adhuc perseueret, atque adeò non est in nostro casu reuiuiscentia legis comparatione illius hominis; sed cessario impedimenti, quod ex causâ & dependenter à causa

Dissensus in hac re Doctorum.

Affirmant cessare & non valere aliqui. Sanchez. Coninc. Hurtado.

Si omnino cesset causa valere autē putant alij. Basilius. Sà. Perez. Suarius.

Solum minus causam non putant priores auctores sufficere vt cesset valor.

Ratio.

Vtraque sententia probabilis; prior in praxi consulenda.

Secunda magna probabilitas declaratur.

Ratio à simili.

Potest nihilominus probabiliter rationi responderi & assignari aliqua disparitas.

existebat, ne lex ad ipsum comprehendendum se extenderet, & ablato impedimento, ob non subsistentem causam; lex quæ adhuc viuebat, se extendit ad illum, sicut ad alios. In casu autem abrogationis legis lex quando subsistebat causa, penitus extincta fuit; atque adeò quamuis causa abrogandi post ipsam abrogatam cesset, non ideò reuiuiscit, & necessarium est denuò vt condatur, vt ad id teneantur homines ad quod priùs tenebantur per legem extinctam priorem. Itaque vtraque sententia satis probabilis est. In priorem verò Sanchezij sententiam plusculum inclino præsertim cum datâ limitatione, quod valeat etiamsi causa minuatur, vt dictum est. Nec contra sententiam Sanchezij vim habet exemplum, quo vtitur Perez, & alij nempe irregularis dispensati ad ordines propter paupertatem propriam, vel parentum, vel propter indigentiam Ecclesiæ quæ caret ministris, cuius dispensatio valet & perseuerat, etiamsi causa cesset. Hoc (inquam) exemplum vim non habet. Nam irregularitas non est propriè ipsa prohibitio alicuius actus suscipiendi ordines, aut ministrandi in susceptis, sed est moralis inhabilitas personæ ad ordinem Ecclesiasticum obtinendum vel in obtento ministrandum, prohibitio verò ipsam inhabilitatem consequitur, semel autem sublata seu extincta inhabilitas non ampliùs reuiuiscit, quando ergo est iusta causa illam extinguendi, & extinguitur restituta personâ ad inhabilitatem, quam habebat, vel habitura esset, si non adfuisset ea inhabilitas cessat prohibitio ex ea resultans quod non contingit in casu nostro, vbi vinculum legis & lex non extinguitur, sed manet, & ipsa lex est prohibitio generalis, quæ solùm impeditur in eâ sententiâ ex voluntate eius, qui dispensat solùm ex causâ, & non absque causâ, vt casus supponit, non autem cessat ex legis extinctione priùs factâ sicut prohibitio illius irregularis cessat ex extinctione inhabilitatis iam sublatæ prius.

Magis placet prior sententia. Aliam paritatem affert Perez & alij ex irregulari dispensato ad Ordines.

Disparitas nihilominus apparet.

103. *Aliud aduertendum in hac materia dispensationum sicut in aliis gratiis emanantibus à Principe.*

Sanè pro hoc & similibus casibus illud præoculis habendum est, quod alibi me dixisse memini, scilicèt in his dispensationibus concedendis sæpe inter alias causas computandam esse dignitatem, & auctoritatem Principis, quem, sicut in aliis muneribus liberalem esse decet, ita & in elargiendis dispensationibus, quæ ab ipso petuntur, & ad ipsius auctoritatem, & dignitatem spectat, quod ex merâ gratiâ, & liberalitate possit aliquando id facere. Præterea sicut in elargiendis muneribus etiam iis, quæ precario iure, & ad arbitrium reuocabiliter conferuntur, sæpe causæ defectus, aut paruitas quæ sufficeret, vt initio absque detrimento liberalitatis & decentiæ Principum non fieret, non videtur sufficere, vt semel facta gratia, vel auferatur vel minuatur, vt, si dominus famulo constituisset aliquem censum annuum ad arbitrium reuocabilem spectatâ famuli indigentiâ, etiamsi absque detrimento liberalitatis posset initio, si minor fuisset indigentia, censum vel nullum vel minorem constituere; semel tamen factâ gratiâ, non sufficit, quòd indigentia famuli aliquâ ex parte minuatur, aut cesset, vt magnus ille Dominus liberalitatem primam, & donum vel minuat, vel subtrahat. Sic in nostro casu dispensator Princeps, qui spectatâ causâ dispensandi dignum liberalitate suâ iudicauit gratiam dispensationis conferre, etiamsi absque vllâ illiberalitatis notâ, si ab initio minor fuisset causa; potuisset dispensationis beneficium negare; semel tamen exhibito beneficio illiberale esset; aut non omnino decens propter aliquam causæ imminutionem collatum iam beneficium reuocare. Atque adeò censendus non est Pontifex propter solam cessationem partis causæ, velle, vt dispensatio iam prius collata non subsistat, si maior pars adhuc perseuerat.

DVBITATIO VI.

An dispensatio in cuius supplicatione vel falsum exprimitur, vel reticetur verũ, sit nulla?

104. *Distinctio causæ præcipua motiua seu finalis & causa impulsiua & minus præcipua.*

INter causas, quæ solent offerri pro obtinenda dispensatione quædam sunt causæ motiuæ, seu finales principales; quædam impulsiuæ, seu finales minùs principales. Illa motiua causa dicitur, seu finalis principalis, quæ proposita & expressa superiori, ita illum mouet siue sola, siue in consortio aliarum, vt, si ea non offerretur, dispensatio non concederetur, vel certè nõ, nisi cum aliquibus limitationibus. Impulsiua verò seu finalis minùs principalis dicitur illa, quæ non quidem mouet ad concessionem dispensationis, id est, non est causa, vt absolutè cõcedatur; sed vt faciliùs detur, seu (vt alij loquũtur) non conducit ad substantiam concessionis, sed tantùm impellit, & addit facilitatem, atque adeò talis est, vt quamuis non concurreret, non ideò negaretur dispensatio.

105. *Idem est in causis negandæ dispensationis, quod dictũ est in causis concedendis illam.*

Quod dictum est de causis motiua & impulsiua concedendæ dispensationis, suâ quoque proportione dici debet de causis dispensationis negandæ, ita, vt quædam sit motiua, quæ; quia adest & exprimitur, de facto mouet ad negandum; impulsiua verò quæ quamuis adsit, & exprimatur, non mouet ad negandum; sed ad faciliùs negandum. His præmissis.

106. *Assertio 1. omissio eius quod iure debet exprimi inualidat dispensationẽ licet non sit motiuum.* Sanchez. Couarr. *Alij multi.*

Assero. 1. quando in petitione omittitur aliquid, quod iure præcipitur exprimi, etiamsi talis veritas & notitia illius tantùm pertineat ad causam impulsiuam dispensatio est nulla. Ita Sanchez *lib. 8. disp. 21.* Couarruu. *lib. 1. variarum c. 20.* & alij multi apud Sanchez *supra nnmer. 13.* Item Perez *disp. 46. sect. 1. num. 2.* qui indictis & dicendis consentit, idque efficaciter probatur ex c. *si motu proprio* 23. *de Præbendis in 6.* Ratio verò est, quia tunc conceditur dispensatio dependenter ab expressione illius veri tanquàm à conditione, & quasi pro formâ exigunt iura talem expressionem, quæ forma ad vnguem obseruanda est.

Perez. *Probatur ex iure Canonico. Ratione probatur inde petita.*

107. *Solùm habet hoc locũ quando ob preces, non quando ex motu proprio dispẽsatur. Ratio. Limitatur proximè dictum.*

Hæc doctrina solùm habet locum, quando dispensatio datur ad petitionem, non verò, quãdo ex mero motu proprio Pontificis, vt constat ex citato Textu. Est enim mera Principis liberalitas à quâ procedit tale beneficium, & meritò præsumitur concessurus, etiam conscius eius, quod non exprimitur. Dummodò tamen non taceatur inhabilitas concernens personam,

vt

vt si acceptaturus beneficium Ecclesiasticum sit irregularis, vel careat legitimâ ætate in iis enim & similibus casibus verba illa *ex motu proprio* nõ censentur supplere personæ inhabilitatem, nec dispensationem inducere in eo quod opponitur iuri communi, in quo, nisi exprimat non dispensat Pontifex. Item dummodò non taceatur, quòd illa concessio contra ius tertij, vt si sit beneficium iuris Patronatus. Neque enim ex vi motus proprij censetur Pontifex velle auferre ius in re, vel ad rem alteri quæsitum.

Alia limitatio.

108. *Inualidat prædicta omissio etiã si fuerit inculpabilis. Ratio. Sanchez cum aliis Contra Henriq.*

Præterea nihil refert, quod illud verum ex præscripto iuris explicandum inculpabiliter tacitum sit ex probabili ignorantiâ, cùm enim omittatur forma requisita à iure non iuuat ignorantia, vt actus non corruat, solumque iuuabit ad excusandum à culpâ vt docet Sanchez *supra num.* 14. cum nonnullis aliis quos refert contra Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio c.* 3. *nu.* 8. qui ait excusari taciturnitatem hanc etiam ex culpabili ignorantia dummodo non sit crassa, nec valet argumentum à simili in excommunicatione. Nam hæc incurritur ob inobedientiam, & contumaciam quæ cessat, vbi est ignorantia iuxta dicta de Censuris *Tract.* 10. *disput.* 2. *dub.* 23. dispensatio verò corruit ex non seruatâ forma requisitâ ad eius valorem, propterea, quòd deficit intentio in concedente eo ipso, quod forma non seruatur; idque non suppletur per ignorantiam quamuis inculpabilem.

Occurritur argumento à simili de Censuris.

109. *Vt censeatur aliquid necessario exprimendũ in petitione non requiritur specialibus verbis reperiri in iure requisitum.*

Aduertit etiam Sanchez *num.* 15. ad hoc, vt censeatur aliquid necessariò exprimendum in petitione ex dispositione iuris, non esse necessarium, quod expressis, & specialibus verbis inueniatur in iure decisum eam qualitatem, seu circumstantiam fore explicandam; sed satis esse, quòd decisum in iure inueniatur non esse delictum aliquod remittendum, vel non esse dispensationem concedendam, nam eo ipso exprimitur mentem iuris esse denegandi dispensationem; nisi in speciali aliquo casu eâ qualitate Principi expressâ, velit ille in eo iure dispensare. Quam doctrinam colligit Sanchez ex aliis Doctoribus, qui ideò omnes asserunt ineuntem seu attentantem matrimonium scienter in gradu prohibito teneri in dispensatione (ne subreptitia sit) exprimere talis matrimonij contractum; quia Tridentinum *sess.* 24. *de matrimonio c.* 5. decidit hunc spe dispensationis caritarum.

Sanchez.

Idem Sanchez cum Nauarro communis sententia.

item Sanchez idem cum Nauarro, quem refert (& testatur de communi sententiâ omniũ) *in lib.* 3. C. *de Episcop. aud.* in remissione secundi homicidij necessariò putat faciendam esse mentionem remissionis primæ; quia ibi deciditur, quod tale delictum tantùm semel remittatur.

110. *Assertio. 2. inualidat etiam omissio eius quod iuxta stylũ Curiæ Romanæ esset explicandũ.*

Assero. 2. quod dictum est de qualitate seu circumstantia explicanda ex præscripto iuris, dicendum est de eâ, quæ ex stylo Romanæ Curiæ in Rescriptis exprimenda est; nam illa etiam necessariò explicanda est, nec spectandum an Princeps eâ expressâ Rescriptum similiter concederet; nam Stylus Curiæ ius facit *c. Quam graui de crimine falsi*, & ab eo non est recedendum. Pro qua sententia plures Sanchez refert. Et idem putat cum Menochio, Mascardo, & Gutierrez quando ex consuetudine Principis qualitas aliqua narranda est, quia consuetudo pro lege obseruatur L. *minimè* ff. *de legibus*. Vnde neque in hoc casu ignorantia excusabit tacitur nitatem iuxta dicta.

Sanchez cũ multis, idem est de reexplicanda ex cõsuetudine Principis.

Non me latet quod Henriquez asserit. *Libr.* 12. *c* 3. *num.* 7. nempe taciturnitatem qualitatis exprimendæ ex stylo Curiæ non vitiare dispensationem pro foro conscientiæ, sed solùm pro externo; secus, quando iure erat exprimenda. Quod tamen rectè impugnat Sanchez; tũ quia Doctores allegati æquiparant stylum Curiæ quo ad hoc, cum iure, tum; quia idem semper seruatur in foro interno, atque in externo, vbi non est falsa præsumptio, nec lex pœnalis exequutionem requirens ex parte passuri pœnam, quo casu in foro conscientiæ non tenetur exequi suam pœnam. Sed de hoc alibi. Legatur Sanchez *num* 16.

Gutierr. Menoch. Mascard. Sanchez.

111. *Henriquez putat eam omissionem requisitæ qualitatis ex stylo curiæ solum in foro externo inualidare dispensationem. Reiicit hoc Sanchez.*

Assero. 3. quando in petitione exprimitur aliquid falsum, aut tacetur aliquid verum, etiamsi circa hoc non exprimendum, vel non tacendum nihil sit dispositum in iure, neque in stylo Curiæ; tamen tale est, vt pertineat ad causam motiuam concessionis, aut negationis dispensationis; efficit dispensationem nullam. Ratio est; quia tunc error aut ignorantia concedentis dat causam concessioni; ac proinde concessio est subreptitia, vel obreptitia; quia tacetur verum vel exprimitur falsum dans causam concessioni. Constatque ex *c. finali de filiis Presbyter.* Præterea dispensatio fit dependenter, tanquam à conditione, ab existentiâ motiui, quod exprimitur, aut à non existentia motiui ad negandum, dummodò tale motiuum sit quasi substantiale & intrinsecum, ac per se spectans ad rationabilem, & prudentem concessionem, aut negationem, quale censetur esse ad concessionem dispensationis impedimenti matrimonij spes publicæ pacis, tale autem non censetur esse quod per accidens se habet ad rationabilem concessionem, aut negationem dispensationis; verbi gratia; amicitia, aut inimicitia petentis dispensationem cum ipso dispensante. Ita Sanchez cum aliis *supra nu.* 17. vsque ad 19. vbi docet qualitatem exprimendam vel non exprimendam conducere ad concessionem, vel negationem dispensationis, & eius generis esse, vt eâ expressa, aut non expressâ negaret Princeps aut concederet discernendum esse prudentis arbitrio. Prudens autem hoc arbitrari poterit attento communi Curiæ stylo, & Principis cõsuetudine, attentis aliis similibus rescriptis. Pro quâ doctrinâ plures alios refert.

112. *Assero. 3. inualidat reticuisse aliquid verũ vel expressisse aliquid falsum si pertineat ad causam motiuam licet in iure non fuerit expressum. Ratio. Probatur etiam ex iure Canonico. Vrgetur vlterius. Quando censenda vel non censenda talis ea causa.* Sanchez. *Alij.* *Prudentiũ arbitrio discernendum. Vnde possit iudicium hoc sumi?*

113. *Quid si dubitetur an causa sit finalis principalis, vel solum impulsiua? Censebitur ne potius finalis & pracipua?*

Iam verò grauis difficultas est, quando attentis omnibus circumstantiis dubitatur; an causa in dispensatione tacitâ, vel falsò expressa sit finalis principalis, vel tantùm impulsiua, & minùs principalis; censenda potiùs finalis principalis, & motiua, vel minùs principalis, & impulsiua?

Aliqui affirmant, quos refert Sanchez *supra num.* 20. quorum nonnulli putant causam in dispensatione vel aliâ gratiâ expressam à Principe, semper præsumendam esse finalem, ex quâ ipse fuerit motus, & plures alij affirmant generaliter de ratione expressâ in lege semper præsumi finalem. Ita Molina, & Co-

114. *Affirmant aliqui apud Sanchez. Si exprimatur in lege.*

Molina. Coninc. Perez. Hurtado.

nunc citandi Perez *suprà* Hurtado *disp.* 26. *dific.*4. *ad finem.*

115. *Assertio negans præfertur præsertim in gratiis, & priuilegiis &c. Ratio. Sanchez cum multis. Loazes.*

Asserendum nihilominùs est 4. in dubio nō præsumi causam finalem; sed tantùm impulsiuam maximè in gratiis & priuilegiis, seu dispēsationibus. Ratio est; quia valori actus iura maximè fauent; atque in dubio in eius fauorem præsumunt, vt ex dicendis magis constabit. Ita Sanchez cum multis aliis *citato num.*20. laudans doctrinam cuiusdam Loazes *de matrimonio Regis Angliæ dub.*5. *n.* 42. *&* 43. docentis causam in omnibus gratiis, & priuilegiis insertam semper in dubio præsumi impulsiuam, & non finalē: & in eo dubio non vitiari gratiam ob eius defectum, aut falsitatem. Legatur Sanchez *loco citato.*

116. *Resoluitur ex dictis quid dicendum in dubio an valida sit dispēsatio?*

Ex hâc doctrinâ, vt eam ampliùs explicemus, resolui potest, quid sentiendum sit in dubio de dispensatione an valida sit, vel potiùs surreptitia, quando dubium est; an satis probetur veritas narratorum in precibus, vel quando dubitatur, an causa tacita vel falsò inter alias veras expressa sit finalis?

117. *Distinctio Petri Ledesmæ inter matrimoniū contractū, & contrahendum, & in hoc abstinendum à contractu. Ratio* 1. *Ratio.* 2.

In hac re Petrus de Ledesma in *Summâ Sacrament. vbi de matrimonio c.*27. *in fine* putat, si nōdum sit matrimonium contractum, non esse ineundum, si verò dubium inito matrimonio superueniat iudicandum esse in matrimonij fauorem. Probat primum tum; quia culpa est rem dubiam attentare, tum; quia Pontifex concedit Ordinario, vt dispenset, si preces veritate nitantur; at; quando tale dubium est, non nituntur veritate. Præterea probari potest, quia de impedimento constat; dispensatio verò dubia est, ergo promissio stat pro impedimento. Ita etiam Molina *disputat.*173. *Tractat.*2. Coninc *disputat.*33. *num.*93.

Molina. Coninc.

118. *Probabilius est valere iuxta dicta. Sanchez. Riminald. Bentius.*

Probabilius nihilominus est iuxta datam doctrinam *assert.*4. in dubio eam dispensationem censeri validam. Ita Sanchez *sup. n.*25. cum Riminaldo *cons.*275. *n.*17. *volumine* 3. *& cons.*562. *num.*26. & cum Bentio *Tractat. de Nullit. sent.*4. *Qualiter sentētia & processus, qui dicūtur nulli. n.*127. vbi ait attendendum esse, nunquid nullitas obiecta possit aliquo modo ex iure vel facto offuscari; vel saltem dubia reddi; quia, re existente dubiâ iudicandum est in fauorem valoris illius actus, vt potiùs valeat, quàm pereat *c. Abbate. de verb signific.* & L. *Quoties* ff. *de rebus dubiis.* Vnde meritò putat Sanchez virtute eius dispēsationis posse id matrimonium iniri, aliàs frustra ea præsumptio esset.

119. *Ex dictis corruunt argumēta in contrariū.*

Atque ex hac doctrina corruunt argumenta in contrarium facta; negamus enim iuxta dicta esse practicè dubiam dispensationem, cùm à iure præsumatur valida; atque adeò, si quoad alia, de quibus constat fuisse causam motiuam, veritate nitatur dispensatio, non obstat., quòd sit dubium speculatiuum de aliis; nam eo dubio posito, practicè præsumit lex illam non esse causam motiuam. Quod sufficit, vt etiam dispensatio sit certa, sicut impedimentum est certum; sufficit enim probabilis certitudo valoris dispensationis in impedimento alioquin euidenter certo.

120.

Vnum denique aduerto cum Sanchez *n.* 27. vbi refert pro eadem doctrina Felinum, Nauarrum, & Mascardum, scilicèt non obstare, quod in petitione dispensationis tacita fuerit veritas notoria, & quam creditur Princeps nouisse; talis enim taciturnitas non inducit subreptionem, vtpote quæ non inducit ignorantiam ac defectum intentionis. Idem iudicium est de tacitâ qualitate, quæ de iure ineſt, qualis est reseruatio generalis in corpore iuris clausa, vt cum eodem Felino, Mascardo, & Nauarro & aliis docet idem Sanchez *n.*28.

Aduertendum cum Sanchez ex Felino. Nauarro. Mascardo. *Veritatis notoriæ omissio non inualidat dispensationem. Idem de qualitate quæ iure ineſt.*

Restat iam difficultas; an taciturnitas veri, aut expressio falsi pertinentium ad causam impulsiuam, reddant dispensationem nullam, quando verum, quod tacetur, nec iure, nec stylo Curiæ præcipitur exprimi?

Iam agendum de taciturnitate veri aut expressione falsi spectātis solum ad impulsiuam causam.

Affirmant aliqui, Angelus verbo *Rescriptum num.*3. Tabiena *q.*3. *n.*4. Panormitanus & alij *in c. ex parte* 14. *de conuers. coniug.* Atque inprimis probant taciturnitatem veri pertinentis ad causam impulsiuam ad negandam dispensationem eam reddere nullam; tum *ex c. si motu proprio.* Tum ex *c. si proponente* 42. *de Rescriptis* in quibus concessio Præbendæ censetur nulla, quando impetrans tacuit, se habere aliud beneficium, quantumuis paruum, & tamen, quamuis parui beneficij possessio exprimeretur, non auerteretur Pontifex à concedenda Præbendâ. Deinde probant expressionem falsi pertinentis ad causam impulsiuam ad concedendam dispensationem, eam reddere nullam, quia in omnibus dispensationibus, & rescriptis ineſt conditio saltem tacitè: *si petitio veritate nitatur*, vt constat ex *c.* 2. *de Rescriptis.*

121. *Affirmant aliqui inualidari. Angelus. Tabiena. Panorm. Alij. Probant de taciturnitate veri ex iure Canonico. Probant de expressione falsi.*

Asserendum est nihilominus 5. cum Sanchez supra n.17. adiuncto num. 11. & num, 32. & Couarruu. & aliis apud ipsum, & cum Hurtado *suprà num.*19. quem sequitur Perez *supra n.*4. non vitiari eam dispensationem; colligiturque ex doctrinâ in principio traditâ; tunc enim error, aut ignorantia non est in causa, vt fiat dispensatio: Quamuis enim verum illud non taceretur, aut illud falsum non exprimeretur, adhuc fieret dispensatio eo ipso, quòd non pertineat, (vt supponimus) ad causam motiuā; sed ad impulsiuam, ergo dispensatio tunc subreptitia non est, atque adeò, neque nulla.

122. *Assertio.*5. *cum* Sanchezio. Couarruu. *Alios.* Hurtado. Perezio. *Non inualidari dispensationem. Colligitur ex datâ doctrina.*

Quæ doctrina etiam locum habet quantumuis taciturnitas veri, aut expressio falsi fiat ex malitiâ & fraude; quantumuis enim sic fiat, non pertinet ad causam motiuam, sed impulsiuam. Vnde semper eo non obstante subsistit causa motiua.

123. *Etiam si prædicta fiant ex malitia valet dispensatio.*

Excipe tamen; quando illa taciturnitas, seu expressio fit pro obtinendis rescriptis iustitiæ ad lites terminandas, quia in his in pœnā fraudis, & malitiæ ille, qui tacuit verum, aut expressit falsum, quamuis pertinens ad impulsiuam causam, meritò priuatur in totum beneficio rescripti sic disponente iure positiuo *c. super literis* 20. *de Rescriptis*, quamuis, neque tunc sit eo ipso priuatus; sed post sententiam iudicis, vt rectè probat Sanchez *citatâ disputat.*21. *numer.*76. ibi legatur.

124. *Exceptio in proximè dictis.*

Ad fundamentum aduersariorum pro taciturnitate veri impulsiui respondetur ideò in illis duobus capitibus ex taciturnitate beneficij, quantumuis parui annullari concessionem; quia

125. *Respōdetur ad fundamentum aduersariorum pro taciturnitate veri.*

iure

iure ipso præcipitur exprimi ; nunc autem loquimur de qualitate, seu circumstantiâ, quæ iure non præcipiatur exprimi; atque adeò Textus non sunt ad rem. Ad fundamentum verò pro expressione falsi respondetur conditionem illã *si petitio veritate nitatur* inesse Rescriptis, quando veritas pertinet ad causam motiuam secùs, quando solùm ad impulsiuam.

Ad fundamentum pro expressione falsi.

DVBITATIO VII.

An taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos, aut affines irritet dispensationem inter sic impeditos?

126. *Supponendum 1. copulam quæ habetur post dispensationem expeditam ab Ordinario non obstare. Congreg. Cardinaliũ. Rebellus & alij.*

SVpponendum est id, in quo Doctores conueniunt, copulam, quæ habetur post dispensationem expeditam ab Ordinario in tali impedimento, præcedente legitimâ commissione Pontificis, non irritare dispensationem sic expeditam. Quod & per se satis patet, & congregatio Cardinalium declarauit, vt videre est apud Auctores infra citandos maximè apud Rebellum.

127. *Supponendum 2. ex communi & recepta sententia ex tali copula non resultare necessitatem dispensationis ab Episcopo. Ratio.*

Supponendum est 2. cum communiter receptâ sententiâ contra nonnullos alios ex tali copulâ non resultare necessariam esse dispensationem Episcopi ; siue quia iam copula illa post dispensationem desinit esse incestus, vt multi volunt, siue, quia quamuis incestus esset, iam non impedit, quia tale impedimentum cum aliis impedientibus iure diuino desuetudine amiserunt suam vim, vt notauimus *disputation. 7. dub. 62.* in fine cum Sanchez, Nauarro, Basilio, & aliis.

128. *Status quæstionis an precedens predicta copula taciturnitas cõcessionem & commissionẽ obstet. Affirmans sententia. Sanchez. Cũ multis. Coninc. Declaratio Cardinalium apud Rebellum. Valdè probabilis ea sententia est. Probatur 1. ex stylo Curiæ. Probatur ratione.*

His suppositis difficultas est, an taciturnitas copulæ habitæ ante concessionem, seu commissionem Papæ irriter dispensationem?

Affirmat Sanchez *lib. 8. disp. 25. Coninc disp. 33. num. 83.* & plures alij apud Sanchez *numer. 8.* Quod etiam declarauit congregatio Cardinalium apud Rebellum *n. 122 & 149.* Quæ sententia valdè probabilis est. Probatúque potest, primo ex stylo Curiæ, qui obtinuit, vt incestus exprimatur in petitione. Secundò; quia copula illa, si exprimatur, efficiet, vt solùm concedatur cum quibusdam limitationibus, nempe impositâ pœnitentiâ contrahentibus, & maiori compensatione pecuniæ, & quod eo matrimonio per mortem dissoluto superstes non contrahat aliud: ergo taciturnitas copulæ, vtpote pertinentis ad causam motiuam, reddit dispensationem nullam.

129. *Quidã hoc ipsum putãt inter cognatos spirituali cognatione.*

Hanc ipsam doctrinam extendunt aliqui ad taciturnitatem copulæ habitæ inter cognatos cognatione spirituali. Quod etiam Cardinaliũ Congregatio declarauit.

130. *Probabilis est sententia negans irritare.*

Quamuis autem prædicta sententia probabilissima sit mihi videtur satis probabilis opposita, quòd scilicèt ea taciturnitas non irritet, & præter alios Recentiores, qui hâc ætate hanc sententiam sequuntur, eam quoque probabilem existimat Sanchez *num. illo 8.* atque eam tradunt Rodriguez *1. tomo Summæ c. 238.* Vega *2. tomo cap. 34. casu 97.* Zaballos *in Quæstionibus Practicis q. 737.* Basilius *lib. 8. de matrimonio c. 17. §. 6.* Sà, Salzedo, Ouandus, & alij apud Sanchez *num. 6.* Adde Perez *disp. 46. sect. 6.* Hurtado *disp. 26. diff. 5* & alios apud citatos. Ratio verò est, quia incestus neque est impedimentum, quod ratione sui egeat dispensatione, vt suprà dicebamus; neque iure præcipitur exprimi; neque enim præcipitur iure aliquo scripto; tale enim non constat, neque consuetudine seu stylo Curiæ, vt volebant aduersarij; neque enim semper exprimitur, sic consulentibus viris doctis; quã uis etiam aliquando exprimatur. Quando autem exprimitur non est causa motiua ad negangandam dispensationem, & quamuis sit causa ad superaddenda prædicta illa additamenta pœnitentiæ, pecuniarum &c. id non spectat ad causam motiuam, quia non adduntur pro ipsâ dispensatione consanguinitatis, aut affinitatis, sed in pœnam copulæ. Ex quo patet ad fundamentum aduersariorum.

Recentiores ẽã sequuntur. Probabilem quoque putat Sãchez. Sequuntur eam alij. Rodrig. Vega. Zaballos. Basilius. Sà. Salzedo. Ouandus. *Et alij apud* Sanchez. Perez. Hurtado. *Alij apud citatos. Ratio. Ex dictis soluitur fũdamentum aduersariorum.*

Ad congregationem verò Cardinalium respondetur sequutam fuisse probabilem quidem & tutiorem sententiam; sed non ideò probabiliorem.

131. *Ad Congregationem Cardinaliũ.*

Ex hac nostrâ sententiâ cessat alia quæstio, de quâ disputat Sanchez *eâdem disp. 25.* scilicèt, quid dicendum sit de taciturnitate copulæ, quæ habetur post commissionem Papæ, sed ante dispensationem ab Ordinario expeditam? Nam iuxta nostram sententiam, si taciturnitas (etiam ante commissionem Papæ) habitæ copulæ non annullat dispensationem, multò minùs annullabit, seu irritabit taciturnitas copulæ habitæ post commissionem factam. Si tamen sequamur oppositam sententiam probabilissimam, consequenter probabilius existimo non valere dispẽsationem, quamuis neque sit improbabile oppositum. Legatur Sanchez loco citato. Nobis sufficiat opposita secunda sententia id non esse necessarium explicare.

132. *Cessat ex dictis alia quæstio. Philosophãdum iuxta principia alterutrius sententiæ.*

133. *Potiori ratione dicta locum habẽt in cognatione spirituali.*

Quod diximus de taciturnitate comparatione consanguinitatis & affinitatis, potiori ratione locum habet in cognatione spirituali.

Habemus ergo ex doctrina tradita, quando in dispensatione non apponitur clausula illa *dummodo copula non interuenerit*, valere dispensationem, etiamsi copula taceatur. Quod si, non obstante, quòd talis clausula non apponatur in commissione, Ordinarius, cui committitur interroget etiam sub iuramento de copulâ habitâ, possunt sub æquiuocatione negare contrahentes, etiamsi adsit infamia copulæ, aut semiplena probatio; tunc enim quod attinet ad dispensationem expediendam (de quâ tunc agitur, & non de puniendo delicto incestus) non interrogat iuridicè; quia non interrogat de re pertinente ad dispensationem sibi commissam. Ita Salzedo in Practicâ Bernardi Diaz. *c. 126.* Nauarrus etiam putat saltem de incestu occulto non esse obligationem illud faciendi *Libr. 4. Consilior. in 1. edit. tit. de Sponsalibus cons. 2. & in 2. edit. tit. de consanguinit. cons. 10.* Ouandus, Henriquez, Sà, Petrus de Ledesma, Rodriguez, apud Sanchez *eâdem disp. 25. num. 14.* Sanchez etiam, suppositâ nostrâ sententiâ, quam probabilem putat, nobiscum consentit in hoc puncto. Item Perez supra n. 6.

Illatum ex dictis pro praxi. Salzedo. Nauarr. Ouandus. Henriq. Sà. Petrus Ledesma. Rodrig. Sanchez.

134. Quod si clausula illa: *dummodò copula non interuenerit*

Quid si in concessione requiratur quod non sit copula & hæc negetur & agatur de re pro foro externo?

uenerit apponatur,& commissio à Papa facta est pro foro externo , quando copula Ordinario non plenè constat; etiamsi concurrat infamia, aut semiplena probatio copulæ,& etiamsi concedamus eos teneri fateri copulam, quando infamia existit,aut semiplena probatio, adhuc, quantumuis illicitè negent copulam, valida erit dispensatio facta ab Ordinario.Nam,quando Ordinario non plenè constat, non censetur interuenisse copulam modo sufficienti , quia commissio facta fuit Ordinario in foro exteriori,seu iudiciali;atque adeò clausula illa intelligenda est in eodem foro. Si verò ordinario copula plenè constet,& dispenset , dispensatio nulla erit, quia clausula illa est quædam conditio reddens commissionem conditionalem, atque adeò commissio ei limitatur, vt iuridicè dispenset dependenter à talis conditionis veritate iuridicè constante. Et ob eandem causam, quando in petitione exprimitur copula in commissione verò Papæ additur clausula illa *dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis.*si ordinario iuridicè constet eâ spe habitam fuisse,nulla erit dispensatio; si verò ei plenè nõ constet sub eâ spe fuisse habitam,valebit dispẽsatio,etiamsi verè fuerit sic habita.

135. *Quid in foro interno?*

Quando verò Commissio Papæ fit pro foro merè interno Conscientiæ , qualis est in litteris datis *Discreto verò Confessori &c.*& in eâ ponitur clausula:*dummodò copula non fuerit*,aut alia *dummodò copula habita non sit spe facilioris dispensationis*, etiamsi copula sit omnino occulta, & non constet Confessori Commissario; aut etiamsi spes illa sit eodem modo occulta,dispensatio erit nulla ; si in priori casu copula fuit verè habita , aut in posteriori casu fuit habita sub eâ spe;quia tunc commissio data fuit Confessori Commissario ad dispensandum dependenter à veritate non habitæ copulæ , aut non habitæ sub eâ spe,tanquam à conditione.

136. *Additamẽtum quorumdam.* Palao. Hurtado. Perez *apud* Dianam.

Addunt verò aliqui Recentiores , dummodò spes sit exterius significata , & non tantùm interiùs concepta ; quia spes tantùm interiùs concepta non subest humanæ potestati. Ita Castro Palao *tomo* 5. *disputation.*4. *punct.vltimo* § 3. *num.*9. Hurtado & Perez apud Dianam *Part.*9. *Tract.*7.*resol.*36.

137. *Hoc vltimum non ita certum est,imo non placet. Ratio.*

Hoc tamen vltimum non est ita certũ ; mihi certè non placet. Nam licèt conditio illa , tanquàm aliquid , de quo iudicandum sit ab humana potestate,non cognosci possit , nisi exteriùs manifestetur;tamen , vt mera conditio,à quâ dependenter detur dispensatio, maximè in foro conscientiæ,benè potest requiri , etiamsi exteriùs non manifestetur , nihil enim obstat, quòd Pontifex,& Commissarius Confessarius eius nomine eam dispensationem concedant dependenter ab existentiâ talis conditionis; quod enim conditio dispensanti nota sit, vel non sit,non impedit , quominùs possit intentionem dispensandi tali conditioni alligare, perinde atque promissionibus , donationibus, & quibuscunque contractibus , vt constat ex dictis *disp.*5. quando egimus de consensu conditionato in contractu tam matrimonij, quàm sponsalitio , vbi ostendimus non esse necessariam notitiam existentiæ conditionis , & posse dari consensum dependenter à quauis conditione,saltem possibili. Vnde hoc ipsum dicendum erit in nostro casu,etiamsi existentia conditionis, vtpote merè interna dignosci nõ possit.In quibus etiam consentit Perez *loco citato n.* 7.*& seqq.*quidquid alibi dicat.

DVBITATIO VIII.

An si sint plura impedimenta,requiratur in petitione dispensationis ad eius valorem omnium eorum expressio?

138. *Impedimẽta plura,diuersa rationis non connexa; necessariò exprimi debent. Ratio.*

IN confesso est apud Doctores, si impedimẽta non modo plura sint; sed diuersæ rationis, & non connexa v.g,consanguinitatis, & affinitatis,esse necessaria in petitione dispensationis exprimenda.Nam ex vno capite quodlibet impedimentum exigit dispensationem,atque adeò Pontifici est exprimendum , & ex alio cùm non sint connexa in vnius expressione non exprimitur aliud.

139. *In connexis sufficit vnius expressio,si quod exprimitur supponat aliud Declaratur in exemplo.*

Quando verò impedimenta sunt connexa, etiamsi sint diuersæ rationis , conueniunt Doctores sufficere expressionem vnius supponentis aliud,vt etiam illud censeatur expressum exempli causâ.Iustitia publicæ honestatis prouenies ex matrimonio rato , & affinitas orta ex consummatione matrimonij non sunt necessariò seorsim,& sigillatim exprimendæ;sed sufficit,quòd exprimatur affinitas;hac enim expressâ, simul exprimitur iustitia publicæ honestatis,quæ non potest non cum illâ esse coniũcta; non tamen sufficeret è contra ; quia in publicæ honestatis iustitiâ non supponitur necessariò affinitas.

140. *Quærimus 1. de pluribus eiusdem rationis, sed non connexis?*

His ergo suppositis,quærimus primò;an impedimenta plura & non connexa , si sint eiusdẽ rationis & speciei sint necessariò explicanda,vt valeat dispensatio , vt,si quis sit consanguineus alteri ex duplici parte?

141. *Prima sententia negans.* Henriq. Petrus Ledesma. Rodrig. Vega. *Alij apud* Sanchez.

Prima sententia negat,Ita Henriquez *libr.* 12. *c.*10. loquens tam de affinitate , quàm de consanguinitate, & Petrus de Ledesma in summa vbi *de matrimonio c.*27.Rodriguez , Vega & alij apud Sanchez *lib.*8.*disp.*24.*num.*4. loquentes tãtùm de affinitate quia nimirum tunc ob vnitatem subiecti affinitas, quamuis ex duplici capite proueniat , censetur tamen vna. Quæ ratio etiam potest applicari consanguinitati , in qua eodem modo videtur habere locum. Vnde hi Auctores , quamuis de affinitate loquantur, possunt etiam de consanguinitate referri , sicut Henriquez.

142. *Opposita sententia affirmans probabilior.* Sanchez. *Cũmultis.* Coninc. Basilius. *Ratio.*

Probabilius nihilominus est necessariam esse expressionem omnium impedimentorum. Ita Sanchez *supra num.*5.cum multis aliis , quos refert.Quibus adde Coninc *disp.*33.*dub.*6.Basilium *lib.*8.*c.*17.§.5. Ratio verò est,quia talia impedimenta aut sunt plura numero distincta totaliter,cùm sint relationes respicientes diuersa extrinseca;aut , si mauis impedimentum esse vnum , est nihilominùs habens plures gradus, quorum quilibet auferri potest,alio adhuc manente,sicut & vnus potest induci absque alio. Vnde non eo ipso , quod est dispensatio vnius censetur

censetur esse dispensatio alterius. Legatur Sanchez loco citato, cui consentit Perez *disputat. 46. section. 4.*

Perez.

143. *Quærimus 2. an si sint plura debeant in vna petitione simul exprimi vel sufficiat seorsim exponi?*

Quærimus 2. an, si plura sint impedimenta debeant necessariò exprimi simul in vna petitione, vt simul dispensentur; vel sufficiat seorsim exponi?

144. *Prima sententia est omnia simul exprimenda fore. Sanchez cum multis. Ochagau.*

Prima sententia docet necessarium esse omnia illa simul exponi. Ita, Sanchez *lib. 8. disput. 23. num. 2.* cum pluribus aliis, quos ibi refert, quibus adde Ochagauiam *q. 10.* Et omissis aliis rationibus, sic breuiter potest probari. Nã quodlibet impedimentum fortius ligat, si coniunctum sit cum aliis, quàm, si sit ab illis separatũ. Ac proinde non eo ipso quòd Pontifex dispẽsat in aliquo impedimento existente in persona, quæ nullum aliud habet, censetur dispensare in eodem existente in personâ; quæ habet illud simul cum alio.

Ratio præcipua.

145. *Secunda sententia est satis esse seorsim exponi. Ratio.*

Secunda sententia docet non esse necessarium in vnâ, & eâdem petitione simul omnia explicare; sed satis esse, in vnâ petitione vnum, & in aliâ aliud dispensandum exponere; quia ea simultas nullo iure requiritur; non positiuo; quia nullum tale extat, vt supponimus, non naturali; potest enim vnum auferri, non ablato alio, ac proinde, si pro singulis sit sufficiens dispensandi causa, poterit dispensatio vniuscuiusque seorsim peti. Ita Henriquez *libr. 2. c. 3.* Sà *verbo dispensatio num. 16.* & alij multi apud Sanchez *eadem disp. 23. n. 1.*

Henriq. Sà. *Alij multi.*

146. *Vtraque sententia satis probabilis. Alia quasi media sententia præfertur.*

Quamuis vtraque sententia satis probabilis sit; media quædam via mihi magis placet, vt aliquid demus vni sententiæ aliquid alteri; nempe si plura impedimenta adeò sint diuersæ rationis, & adeò inter se non connexa, vt quamuis simul concurrant, vnum non augeat indecentiam alterius, neque simul vnam quandam maiorem indecentiam componant, aut constituant; tunc non est necessarium vtrumque simul, seu vtriusque simultatem, & concurrentiam explicare; sed satis est cuiusque dispensationem per se petere v. g. quando simul concurrunt votum & affinitas, tunc enim nullum resultat strictius impedimentum ex coniunctione vtriusque, præsertim cùm dispensatio in voto non ordinetur determinatè ad ducendam consanguineam, sed solùm ad coniugium indifferenter; quando verò sunt eiusdem rationis, & adeò inter se connexa, vel ad idem obiectum seu eundem finem spectantia, vt prudenti æstimatione ex coniunctione vtriusque sit, aut resultet noua quædam, aut maior indecentia; tunc necessarium erit, vtriusque simultatem exponere v.g si sint duæ consanguinitates, quæ conueniunt in eo, quòd vtraque sit coniunctio naturalis, item consanguinitas & affinitas, aliaue cognatio; nam omnes hæ vel aliquæ, si concurrant simul, conueniunt vel in vnâ ratione genericâ coniunctionis, & propinquitatis, vel in vnâ ratione specificâ talis coniunctionis & propinquitatis, ratione cuius coniunctionis prædicta omnia sunt impedimenta, & concursus eorum auget coniunctionem, atque habet rationem impedimenti, quodlibetque illorum censetur strictius fortiusque ligare propter cõiunctionem cum altero, & rationabili morali æstimatione vnum quodque per se difficiliùs tollendum censetur, maioremque requirit causam vt tollatur in consortio alterius; quàm, si esset solùm sine altero; atque hoc secundum est, quod probat prima sententia. Quapropter quòd hæc posteriora impedimenta simul declarentur, videtur requiri iure naturali; quamuis enim possit vnum absque altero auferri; difficiliùs tamen auferuntur plura simul non solùm difficultate tenente se ex parte Pontificis concessuri dispensationem, qui difficiliùs mouebitur ad dispensationem concedendam; sed etiam ex parte ipsorum impedimentorum, quia fieri potest, vt causa, quæ rationabiliter censeatur sufficiens ad dispensandum seorsim, in vnoquoque non sit, nec censeatur talis ad dispensandum in omnibus simul concurrentibus.

Declaratur positis exemplis.

Hoc secundum probat prima sententia, & iure naturali videtur requiri.

147. *Quid si post dispensationem vnius contrahatur aliud? debebit explicari in dispensatione secũdi fuisse prius aliud? Videri potest affirmandũ.*

Quæ ratio videtur concludere, quòd si fortè vnum impedimentum sit prius contractum, & in eo dispensatum, & posteà concurrat aliud, adhuc in petitione dispensationis pro hoc posteriori, sit explicandus concursus vtriusque impedimenti in eodem subiecto; quia nimirum maior indecentia est circa matrimonium ineũdum cum persona, quæ prius habuit impedimentum quamuis dispensatum, & posteà habuit aliud, in quo vult dispensari v.g. Petrus cognouit Mariam consanguineam Ioannæ, in quo dispensatum est; posteà verò cognouit Franciscam eiusdem Ioannæ consanguineam, & petit in hoc impedimento dispensari secum, vt ducat Ioannam, sanè multò magis difficilè est dispensare in hoc secundo impedimento supposito alio (quantumuis dispensato) quàm, si nullum præcessisset aliud. Nam dispensatio non facit, quòd illi contracturi non fuerint antea affines; sed quòd ea affinitas non obstet, quominùs matrimonium licitum sit, & validum. Vnde quãdo venitur ad dispensandum in secundo impedimento, vt matrimonium fiat, meritò dispensaturus sentire potest maiorem difficultatem dispensandi cum eo, qui re verâ duplici coniũctione est coniunctus ei, quam vult ducere, quam si nunquàm fuisset aliter anteâ coniunctus, & quando dispensat cum tali, si vtrumque impedimentum nouisset, fortè non dispensasset; quia non iudicasset causam esse sufficientẽ, vt datâ vnâ dispensatione inter semel coniunctos, detur secunda inter eosdem iterum coniunctos.

148. *Probabile nihilominus videtur oppositum, præsertim ex noua causa.*

Probabile nihilominus videtur oppositum præsertim, si causa dispensandi sit noua pro nouo impedimento, nam in tali casu pro primo impedimento dispensando, & eius difficultate superanda fuit vna causa sufficiens, & pro secundo iam adest alia. Vnde sicut est concursus duorum impedimentorum, ita est concursus duarum causarum, & si qua est maior difficultas in concursu duorum impedimentorum; ita potest intelligi maior vis causę in concursu duarum causarum, quarum quæuis sufficiat pro suo impedimento.

149. *Ex hac responsione apparet probabilitas secũdæ sententiæ.*

Hæc sanè responsio, ratio, & doctrina videtur ostendere etiam probabilitatem secundæ sententiæ, (quam probabilem putat Sanchez *n. 1. in fine.*) Nam etiamsi neutrum impedimentum sit dispensatum, & diuersis petitionibus seorsim

seorsim cuiusque dispensatio petatur, si in petitione vnius offeratur vna causa, & in petitione alterius altera, quæque sufficiens pro suo impedimento, iam concursus duorum impedimentorum videtur vinci per concursum duarum causarum dispensandi, censeriqúe potest Pontifex dispensaturus alioquin in duobus simul impedimentis concurrentibus propter duas simul causas concurrentes, sicut dispensat in impedimentis seorsim propter causas seorsim. Itaque omnes prædicti modi dicendi, atque sententiæ sunt probabiles. In aliquo alio casu mihi videtur valdè probabile per accidens posse duo impedimenta seorsim explicari, quando scilicet vnum est vnius fori scilicèt externi & alterum interni v.g. si quis habeat impedimentum occultum tale vt illius manifestatio infamiam generet, alterum verò, quod in foro externo debeat manifestare poterit vnum in foro externo seorsim exponere & alterum in interno. Atque ita videtur docere Perez *disp.46.sect.4.nu.6.* Quamuis adhuc posset simultas vtriusque habere locum in foro interno, quamuis enim sit causa non explicandi in foro interno vtriusque simultatem. Nam etiam pro interno maiorem sentiet difficultatem Pontifex in dispensando cum eo, qui simul habet duplex impedimentum, quam in eo, qui non habet, nisi solùm illud occultum, pro quo in eo foro petitur dispensatio, & fieri potest, vt non censeat iustam esse causam, quæ allegatur, si simul concurrat aliud impedimentum iuxta dicta pro primâ sententiâ. Nihilominus cùm pro impedimento fori externi adsit causa dispensandi in eo foro, & rursus alia causa pro dispensatione alterius impedimenti in foro interno iam concursus duarum causarum pro duabus dispensationibus in duobus foris valere potest iuxta dicta.

Colligitur probabilitas omnium trium sententiarum. Casus in quo per accidens videtur posse & sufficere seorsim explicari.

Perez. Euasio.

Præcluditur.

DVBITATIO IX.

Quomodo explicandi sint gradus cognationis in petendâ dispensatione vt valeat?

150. *Assertio.1. Necesse est exprimere in quoto gradu sit coniunctio. Ratio.*

ASsero.1. necessarium esse ad valorem dispensationis impedimenti consanguinitatis, aut affinitatis, aut iustitiæ publicæ honestatis consurgentis ex matrimonio rato, exprimere in quoto gradu & cuius lineæ sint sic coniuncti contrahentes. Nam quodlibet eorum impedimentorum eo strictiùs impedit, quo gradus est propinquior; & pro lineâ rectâ fortiorem causam requirit dispensatio, quam pro transuersali. Ita docent communiter Doctores, quos ideo non refero, quia nullum video alicuius notæ Auctorem dissentire.

Communis & recepta sententia ita sentit.

151. *Assertio.1. Iure communi Canonico sufficit exprimere gradum remotiorẽ.*

Assero.2. ad obtinendam dispensationem cuiuslibet impedimenti ex prædictis, si spectemus ius commune, sufficit exprimi remotiorem gradum eorum, qui inæqualiter distant à communi stipite proximo; nam re verâ tantùm sunt cõiuncti in eo gradu iuxta dicta *disputat.7. dub.20.* quod intelligo secundum ius commune Canonicum, & in ordine ad matrimonium; nam de iure ciuili iam ibidem diximus aliam esse rationem computandi gradus.

152. *Assertio.3. Iure nouo Pij V. aliquid speciale statutum est.*

Assero.3. iure particulari Pij V. in motu proprio, qui incipit *Sanctissimus* necessarium est ad valorem dispensationis consanguinitatis, & affinitatis, quòd, quando propinquior stipiti proximo communi distat tantùm in primo gradu, etiam hic primus gradus exprimatur, nec sufficiat explicare remotiorem. Quando verò propinquior distat in secundo aut tertio, si non exprimatur talis gradus propinquior; sed tertius, aut quartus remotior præcipit Pius V. quòd post obtentam dispensationem litteræ Pontificiæ habeantur declaratoriæ super propinquiori gradu non expresso in petitione; quæ litteræ non requiruntur ad valorem dispensationis, & quamuis hæ non expediantur, erit valida, sed dandæ sunt ad vitandum scandalum, quod oriri solet in vulgo, atque plebeculâ, dum putat duos inæqualiter distantes v.g. alterum in secundo, & alterum in quarto esse magis propinquos, quã si vterque distaret in quarto. Hæc mandata sunt pro gradibus affinitatis & consanguinitatis non pro aliis, vt publicæ honestatis, in quibus satis est expressio remotioris gradus.

Prædicta locum habent solum pro consanguinitate & affinitate.

Quamuis autem aliqui Recentiores nimis scrupulosè loquantur circa has litteras obtinẽdas, nihilominùs probabile puto, & omnino tutum, quando nullum timetur scandalum posse licitè contrahi matrimonium non expeditis iis litteris. Ita Sanchez *libr.8. disputation. 24. numer.31.* Filliucius *p.2.c.10.* Basilius *libr.8.cap.17.§.5.* quibus consentit Perez *disputation.46. sect.5.num.7.*

153. *Si nullum sit scandalũ. Probabile est posse sine illis litteris declaratoriis iniri licitè matrimonium.* Sanchez. Filliucius. Basilius. Perez.

Assero.4. (in quo Doctores consentiunt) quando in petitione est error in gradu, si exprimatur maior pro minori v.g. tertius pro quarto, dispensatio valet, quando maior, & minor sunt eiusdem speciei, nempe vterque consanguinitatis, aut affinitatis. Ratio est; quia minor continetur in maiori, & qui dispensat in maiori eo ipso dispensat in minori, quando verò sunt diuersæ speciei, dispensatio est nulla, vt, si exprimatur secundus consanguinitatis pro tertio affinitatis; tunc enim minor tacitus non continetur in maiori expresso. Latius tractantur hæc ab aliquibus, quæ nos contraximus, quia, quæ diximus rem abundè declarant, & non est alicuius momenti controuersia apud Auctores, alia dicta sunt in præcedentibus maximè *disp.7.* agendo de ipsis impedimentis, de quorum nunc dispensatione agimus.

154. *Assertio.4. Si erretur in petitione exprimendo maiorem gradum pro minori valet dispensatio, si vterque sit eiusdem speciei. Ratio. Si sint diuersæ speciei non valet dispensatio.*

DVBITATIO X.

Quomodo cesset aut expiret potestas data dispensandi in matrimonio, & de aliis, quæ pertinent ad dispensationem remissiuè?

155. *Multa omnino communia cum cæteris dispensationibus nõ sunt hoc loco tractanda.*

MVlta restabant adhuc de dispensationibus disputanda; sunt tamen omnino cõmunia cæteris aliis quibuscunque dispensationibus, atque adeo explicari debent in tractat. de legib. & aliqua etiam dicemus in tractat. de voto & iuramento. Nunc illud tantùm breuissimè

simè indicabo, quod attinet ad cessationem dispensationis, seu facultatis dispensandi.

156. *Obseruandum commissionem factã à Papa re iam nõ integra non expirare morte Papæ.*

Obseruare igitur oportet (id, in quo consentiunt Doctores commissionem Papæ, factam Ordinario, vt ille dispenset seu exequatur dispensationem in impedimentis matrimonij non expirare morte Pontificis qui concessit, quando res non est integra, id est quando iam commissarius cœpit vti commissione iuridicè. Qua de re per occasionem diximus generaliter de simili facultate delegatâ ad absoluendum in confessione *Tractat.* 8. *de Pœnitent. disputation.* 10. *dubitation.* 6. *in principio* præsertim *numer.* 132. & etiam *Tractat.* 10. *de censuris disputation.* 2 *dubitation.* 46. maximè à *paragrapho, Ex dictis infertur paragrapho excipiuntur* agentes de facultate, quæ vel cessat, vel perseuerat in delegato cessante, vel deficiente facultate, & iurisdictione in delegante. Imò etiamsi res sit integra, neque adhuc inceperit, poterit expedire talem dispensationem, vt cum multis aliis satis probabiliter docet Sanchez *lib.* 8. *disputation.* 28. Quod etiam docet Molina *Tractat.* 5 *disp.* 20. *num.* 4. Salas de legibus *cap.* 17. *num.* 9. Nicolaus Garzia 6. *p. de Beneficiis num.* 2. *c.* 312. Basilius *lib.* 8. *cap.* 19. §. 1. *numer.* 7. & alij apud citatos. De quo ex instituto dicemus *in tractat. de legibus*, vbi ostendemus gratiam factam non expirare morte concedentis, & hanc esse gratiam factam. Legantur, quæ diximus loco citato *de Pœnitent.* & *de censuris.* Adde pro nostro casu; quamuis commissio facta fuerit tantùm viuâ voce, & litteræ non fuerint expeditæ ante mortem Papæ, valebit dispensatio pro foro conscientiæ, quidquid sit de foro iudiciali, in quo fortè non admittetur quousque litteræ expediantur nomine successoris, litteris tamen expeditis illius nomine valebit commissio à puncto concessionis. Sed de hoc alibi disputandum est. Legatur etiam Diana 8. *part. tract.* 3. *resol.* 98.

Sanchez. Molina. Salas. Garzia. Basilius. *Alij.*

Quid si res sit integra? Poterit dispensationem expedire.

Etiam si commissio facta fuerit viuæ voce nondũ expeditis literis, valebit pro foro conscientiæ.

Diana.

DISPVTATIO NONA.

De vsu & debito coniugali, & de vitijs carnalibus.

1. *Multa communia pro aliis actibus extra coniugium in peccato luxuriæ hoc loco explicanda.*

MVlta solent hoc loco ab Auctoribus disputari, maximè à Sanchez, quæ pertinent ad peccatũ luxuriæ non solùm inter coniuges; sed generaliter, quorum pleraque vix possunt excusari, vel in alios Tractatus reiici; sunt enim vel maximè connexa cum vsu coniugali, vel multum iuuant ad illius naturam, vel licentiam explicandam. Ideò de his hoc loco agemus, quamuis aliqua dixerimus *In nostro opere de iustitia libr.* 1. *disputation.* 3. *à dub.* 15. *vsque ad* 21.

DVBITATIO I.

An liceat actus coniugij?

2. *Hæretici quidã nuptias reprobantes & actum coniugij.*

OMitto hæreticos apud Bellarminum *libr.* 1. *de matrimonio cap.* 1. *vsque ad* 5. qui & nuptias reprobarunt, & actum coniugalem illicitũ esse dixerunt.

3. *Catholici quidã putarunt actum coniugij esse peccatum veniale.* Hugo. Siric. Papa.

Inter Catholicos non defuerunt aliqui, qui saltem putauerint esse peccatum veniale teste Bonauenturâ *in* 4. *distinction.* 31. *art.* 2. *q.* 1. quibus adde Hugo *c. vir cum propria* 33. *q.* 4. nempe mouebantur auctoritate Gregorij, & aliquorum aliorum Patrum, qui dixerunt in eo actu esse immunditiam quandam. Accedit, quòd Siricius Papa epistolâ ad Himerium Tarraconensem verba illa ad Roman. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*, accommodat ad eos, qui matrimonio copulantur, & *Apocalyp.* 14. dicitur de viris virginibus. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinãti.* Quæ omnia immunditiam quandam aut saltem culpam venialem indicare videntur.

4. *Certum est actum coniugij esse licitum, imo meritorium sub debitis circũstãtiis.*

Certum nihilominus est in Catholicâ fide actum coniugij esse licitum, imò & meritoriũ, si cum debitis circumstantiis fiat. Constatque omissis aliis ex eo, quod Deus Gen. 1. primis parentibus dixit commendans & approbans actum coniugalem: *Crescite, & multiplicamini.* Vnde Apostolus ad *Hebr.* 7. torum coniugatorum immaculatum appellat. Efficaciter etiam probatur ab absurdo, nam alioquin matrimonium esset illicitum, vtpotè inordinatum ad actum illicitum. Ratio verò à priori est: tum, quia actus coniugalis est vsus corporis coniugis, cuius quis dominium habet & potestatem ad talem vsum; tum, quia talis actus est ordinatus naturâ suâ ad procreandam prolem in Dei honorem, & cultum, & ad conseruandam speciem hominum, ad quod ratio ipsa inclinat: ergo ex se licitus est, & honestus; nisi ab extrinseco, & defectu circumstantiarum vitietur. Vtrum autem ipsemet actus coniugalis det gratiam *ex opere operato* in aliquo casu siue ante Tridentinum, siue vbi non viget Tridentinum, quatenus copula habita coram Parocho & testibus iisdem ipsis, coram quibus habita fuerunt prius sponsalia, ita vt copula ipsa sit ipsa expressio consensus matrimonialis, atque adeò pars Sacramenti; & concurrens ad gratiam pendet ex multis capitibus & suppositionibus in nostrâ sententiâ falsis. Nam iuxta principia nostra, quæ tradidimus *disputation secunda dubitation.* 14. non transibatur per illam copulam cum omnibus illis circumstantiis ad statum matrimonij, nec præsumptum quidem nedum verum. Si tamen illa esset expressio consensus constituti matrimonij, & non adesset impedimentum ad effectum gratiæ ob indispositionem se copulantium, vel iuxta sententiam, quod matrimonium recedẽte fictione det gratiam *ex opere operato*, & posteà in aliâ occasione tolleretur fictio, si hæc inquã & ala requisita essent vera & concurrerent, rectè contra Basilium ir ridentem

Conflat ex Gen. 1. Ad Hebr. 7.

Probatur ab absurdo.

Ratio à priori.

An actus coniugij aliquando det gratiam ex opere operato pendet ex quibusdam principiis non veris.

Basilius immerito irridet Sanchezium. Illum defendit. Perez.

tem Sanchezium defendit illum Perez *disputat.* 46. *section.* 1. & ostendit sub iis suppositionibus esse verum, quod concurrat ad gratiam *ex opere operato*. Ibi poterit, qui velit legere. Nos verò non damus locum quæstioni, quia nunquam putamus copulam; sed ad summum aggressio vel conatus ad illam posse esse signum expressiuum consensus iuxta ibi dicta.

5. *Respondetur fundamentis in contrarium.*

Neque obstat, quod in actu seu vsu coniugali reperiatur immundities quædam naturalis, & corporea, quatenus exercetur, membris, quæ natura voluit velata esse, & occulta, & motibus quodammodo fœdis; id enim non tollit, quòd prædictus actus per se iustus, & ad prædictos fines necessarius licitus sit, & honestus, & supposito matrimonio debitus, quamuis aliqui Patres propter huiusmodi corporalem siue immunditiam, siue indecentiam, & propter nimiam voluptatem, quæ in eo actu exercendo solet interuenire (quam plerique non cohibent, vel ad debitum rationis præscriptum ordinant; atque adeò venialiter peccant) dixerint vel agnouerint aliquam immunditiam, indecentiam & necessitatem mundandi se, vel se separandi à communicatione sacrorum, imò sæpe indicauerint animum, qui in eam se voluptatem effudit, non esse aptum paulò post ad Diuina tractanda, & adhæc videntur respexisse aliqua loca Scripturæ dum coniugatos aliquâ ratione inquinatos agnoscunt, & lotionibus indigere in veteri Testamento.

DVBITATIO II.

Quis finis debeat intendi in actu coniugali, vt licitus fiat?

6. *Assertio 1. Procreatio prolis, & vitare coniugis alterius incontinentiam fines honesti sunt. Neque ad vitandam propriam incontinentiã erit culpa grauis ille vsus.*

Assero primò cum omnibus Catholicis, si actus fiat ad procreandam prolem, vel ob vitandam incontinentiam, quam coniux vidit in altero coniuge, actus est licitus & honestus, quia ij sunt duo fines immediati, & proprij vsus coniugalis. Præterea, si fiat ad vitandam propriam incontinentiam, non est mortalis culpa? Hæc patent ex dictis, & dicendis.

7. *An tunc sit venialis, quæstio est.*

Vtrum autem sit venialis, quando solùm exercetur ob vitandam propriam incontinentiã? non consentiunt Doctores?

8. *Affirmant aliqui, Magister, Scholastici plures & Summistæ. Referri solent aliqui Ecclesiæ SS. PP.*

Prima opinio affirmat esse venialem. Ita Magister *in* 4. *distinction.* 31. quem sequuntur multi Scholastici, & Summistæ, vt videre est apud Sanchez *libr.* 9. *disputation.* 9. & apud Dianam 3. *part. tractat.* 4. *resolution.* 219. Pro qua sententia allegant varios Ecclesiæ Patres, & omissis aliis rationibus probant. Quia, qui vtitur actu coniugali ob prædictum finem, non ordinat illum in proprium finem, talis actus, qui est prolis generatio, neque etiam in illum finem, seu bonum fidei; nam ad hoc bonum tantùm pertinet reddere debitum petenti, & abstinere ab actu coniugali cum alio.

9. *Sanchez cũ limitatione hanc sententiã sequitur.*

Hanc eandem sententiam cum limitatione sequitur Sanchez *supra numer.* 4. nempè, vt tantùm vera sit, quando talis persona potest aliis mediis incontinentiam in seipso vitare; secùs, si non possit, nam qui aliter potest videtur inordinatè vti medio per se ordinato ad prolis generationem, & fidem seruandam ad alium finem maximè cum coitus rationem absorbeat, & tanto bono, etiamsi per breue tempus, priuet. Quæ doctrina consonat cum iis, quæ idem Auctor dixerat *libr.* 2. *disputation.* 29. *numer.* 26. agens de ipsomet contractu matrimonij inito ex primariâ, & principali intentione remedij concupiscentiæ, & vitandæ fornicationis, vbi etiam docuit id esse peccatum veniale. Quam sententiam nos retulimus, & reiecimus *disputation. secundo dubitation.* 25.

Loquitur Sanchez consonè ad dicta à se alibi. Non placet.

10. *Secunda sententia probabilior negat. Durand. Alij multi apud Sanchez. Rebellus. Coninc. Basilius. Diana cum pluribus aliis. Perez. Hurtad. Probatur ex alibi dictis.*

Secunda ergo opinio probabilior docet nullam esse culpam in eum finem vti actu coniugij. Ita Durandus *in* 4. *distinction.* 31. *q.* 4. & multi alij apud Sanchez *supra numer.* 3. quibus adde Rebellum *libr.* 3. *q.* 19. *section.* 1. Coninc *disputat.* 34. *numer.* 6. Basilium *libr.* 10. *cap.* 8. Diana supra cum multis aliis Perez *disputat.* 49. *section.* 2. *numer.* 2. Hurtado *disputat.* 10. *difficult.* 2. *numer.* 4. consonatque cum iis, quæ diximus *disputat.* 2. *dub. illa* 25. vbi probauimus nec veniale peccatum esse primariò & principaliter intendere in contrahendo matrimonio remedium libidinis, & fundamentum quod probat licitum esse in eum finem matrimonium inire, probat etiam ipsum actum coniugij, in quem matrimonium ordinatur, esse licitum in eundem finem.

11. *Probatur ex Paulo 1. Ad Corinth. 6.*

Specialiter verò probatur de actu coniugij sententia nostra ex Paulo 1. Ad *Corinth.* 6. vbi prius dixit: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat* &c. Deinde iterum subdit: *Reuertimini in id ipsum ne vos tentet Sathanas propter incontinentiam vestram*, quamuis autem posteà subdat: *Hoc secundùm indulgentiam dico, non secundum imperium.* Solùm significat se id dicere secundùm permissionem; non verò denotat aliquod genus culpæ in actu coniugij ad propriam incontinentiam vitandam; alioquin non hortaretur ad illum: significat ergo illis verbis esse quidem minorem perfectionem vti copulâ quàm abstinere ab illâ. Et idem significat, dum dicit: *Si nupserit virgo non peccabit: ego autem vobis parco.* illud enim verbum *parco* non significat parcere culpæ alicui, cùm immediatè priùs dixerit non peccare; sed significat se nolle omnes adigere, & cogere ad illam maiorem perfectionem, quæ est in cælibatu; sed liberè permittere, vt, quæ virgo voluerit, *nubat tantùm in Domino.*

12. *Ratione probatur.*

Probatur etiam ratione sententia nostra; nam actus coniugij suppositâ fragilitate naturæ post peccatum, naturâ suâ ordinatur in remedium concupiscentiæ propriæ (vt patet, & significat Paulus locis citatis) etiamsi minùs principaliter, quàm in prolis generationem, ergo in vsu coniugali ob talem finem nulla est inordinatio. Et quamuis quodammodò vsus coniugalis rationem absorbeat, ex se tamen & naturâ suâ licitus est; Accedit, quòd (vt loco notato diximus,

Vrgetur.

&

& probauimus) nullo iure cogimur, vt in vsu rei principaliorem finem intendamus; sed sat est quòd intendamus finem ex se bonum; alioquin neque vsus coniugalis ad vitandam incontinentiam in altero coniuge, qui tunc existat in periculo illius; licitus esset, nec sterilis posset vti matrimonio, cùm non posset prolis generationem intendere; imò neque alteri petenti posset reddere; quia neque alter posset petere, cùm nequeat ex ipso sterili intendere generationem.

13. *Licitus est vsus coniugalis etiam ob sanitatẽ corporalem & alium quemuis honestum finẽ.* Almaynus. Maior. Coninc. Diana. Basilius. Henriq. Perez. *Alij. Ratio.*

Consequenter ad dicta hoc loco, & citatâ illâ *dub.* 25. affirmandum est contra Magistrum, & alios, apud Dian. 3. *part. Tractat.* 4. *Resolut.* 218. vsum coniugalem ob finem sanitatis corporalis, & ob quemcunque alium finem honestum, etiam ipsi vsui extrinsecum, esse licitum, etiamsi non simul intendatur finis alius intrinsecus, & proprius. Ita Almaynus in 4. *distinct.* 31. *q. vnicâ.* Maior *ibidem concluſ.* 4. Coninc Diana, & Basilius *suprà*, Henriquez *libr.* 11. *cap.* 15. Perez *suprà numer.* 4. & alij citati pro nostra sententiâ. Ratio verò est, quia (vt diximus loco notato) absque fundamento asseritur esse contra rationem quòd efficiens aliquod opus illud ordinet ad finem, & effectum alioquin ex se licitum, etiamsi non sit finis intrinsecus talis rei, & etiamsi sit minùs honestus, & minoris virtutis finis, quàm primarius; nemo enim tenetur operari propter præstantiorẽ, aut præstantissimum finem, vt ibidem latiùs explicuimus. Imò rectè notat Basilius in nostro casu fore licitum, etiamsi quis expresso affectu excludat finem primarium, vt, si propter paupertatem, aliamue licitam causam, aut finem ineffi-

Basilius rectè notat neque finem primarium simplici expresso affectu excludere esse peccatũ.

caciter quis desideraret (nullum adhibendo medium positiuum ad id) non sequi prolem, quia bonitas, aut malitia affectus inefficacis voluntatis solùm ex motiuo sumitur, vt ex 1. secundæ supponimus cum D. Thoma, & aliis Theologis.

14. *Actum coniugij solum ob delectationem carnalem ipsi actui annexam vt assidius vsurpatus seruiat ad generationẽ licere putãt aliqui.* Basilius. Perez. Almaynus. Maior. Veracruz. *Diana cum aliis.*

Addunt vlterius, & satis probabiliter Basilius, Perez, Almaynus suprà, & Maior *concluſ.* 7. actum coniugij exercitum solùm ob delectationem carnalem capiendam ipsi actui annexam, vt eâ ratione auidius appetatur ad conseruandam speciem, nullo modo esse illicitum adhuc veniale; quod etiam probabile putat Veracruz 3. *par. speculi* quia delectatio, seu voluptas illa verè est, licita perinde atque actus ipse. Ita Diana cum aliis 3. *par. tractat.* 4. *resolution.* 216.

15. *Quo sensu sit admittenda prædictorum doctorum doctrina.*

Nihilominus probabilius est non carere culpâ, maximè, si fiat ob nimiam illam delectationem, & solùm ex desiderio illius. Vnde Augustinus *de bono coniugali cap.* 6. dixit: *Coniugalis concubitus generandi causâ non habet culpam, concupiscentiæ verò saltandæ venialem habet culpam.* Si quis tamen intendat quidem delectationem, non vt in illâ sistat; sed vt eâ ratione actus cum maiori delectatione exercitus magis aptè fiat, & plenè in ordine ad generationem, non video esse culpam; sicut, quamuis in cibo intendere merè delectationem veniale peccatum sit; eam tamen intendere, vt eâ ratione magis prosit, meliusque nutriatur natura iuxta illud delicioſorum hominum axioma. *Quod ſapit, nutrit.* nullum est peccatum. Et in hoc sensu in nostro casu admittenda est doctrina prædictorum Auctorum.

16. *Nõ est mortale nec veniale petere & reddere ante benedictiones nuptiales.* Sanchez. *Cum aliis.* Basilius. *Ratio. Reiiciendi in hoc.* Paludan. Sotus. S. Anton. Richard. *Aliqui alij.*

DVBITATIO III.

Quo tempore liceat actus coniugalis?

QVòd non sit mortale imò neque veniale, si causa subsit petere & reddere debitum ante benedictiones nuptiales diximus iam *disputation.* 3. *dub.* 31. disputantes de consummatione matrimonij ante prædictas benedictiones cum Sanchez & aliis, quos ibi retulimus, quibus adde Basilium *lib.* 10. *c.* 4. Ratio est, quia ex naturâ rei non est illicitum, vt patet; iure autem positiuo non constat; Quamuis enim Tridentinum *sess.* 24. *c.* 1. de matrimonio hortetur ad abstinendum ante benedictiones, ibi tamẽ, aut alibi non prohibetur. Ideò meritò reiiciuntur Paludanus, Sotus, Antonin. Ricard. & aliqui alij, qui dixerunt id esse illicitum, & eorum aliqui affirmarunt, esse mortale absque vllo fundamento.

17. *Reiiciendi qui dixerũt esse illicitum diebus festis.* Magister. Durand. *Sicut & qui id extendũt ad diem cõmunionis & ieiunij &c.* Hieron. Augustin. Ambros. *Et alij Patres.*

Eadem ratione reiiciendi sunt Magist. *in* 4. *distinction.* 32. & Durand. ibi. *q.* 1. qui docuerunt hunc actum esse illicitum diebus festis, quod etiam aliqui extendunt ad diem communionis, & ieiunij, & ad diem supplicationum solemnium. Atque ex Auctoribus quidam putant esse mortale; quidam solùm veniale. Quæ omnia absque fundamento dicuntur. Nam quod Hieronymus Augustinus, Ambrosius & aliqui Patres, qui referuntur 33. *q.* 4. dicant prædictis diebus esse abstinendum; solùm probat prædictis temporibus esse aliquam indecentiam tali actui vacare, & sanctum esse consilium tunc orationi addere continentiam.

Non docent esse peccatũ sed aliqualẽ indecentiã, & sanctum consilium abstinere.

18. *Absolutè iis diebus nõ est illicitum.* S. Bonau. Scotus. Richard. *Alij cum quibus.* Sanchez. Coninc. Basilius. Perez. *Alij.*

Ita Bonauentura. Scotus, Ricardus, & alij plerique, quos refert & sequitur Sanchez *lib.* 9. *disputation.* 12. Coninc *disputat.* 34. *dub.* 9. Basilius *lib.* 10 *c.* 9. Perez *disp.* 49. *sect.* 3. & alij communiter absolutè docent non esse illicitum prædictis diebus etiam solemnissimis, quia nullo iure constabat esse prohibitum.

Disputari potest vlterius, an liceat actus coniugij tempore fluxus feminei?

19. *De tempore fluxus mentſtrui.*

In tribus casibus consentiunt Doctores id esse licitum. Primò; quando fluxus ille est adeò frequens & irregularis, vt sit ferè perpetuus aliàs ratò possent coniuges vti iure suo, quod esset durissimum. Secundò, quando in alterutro esset periculum incontinentiæ, si abstineret. Tertiò, quando iudicaretur necessarium ad vitandum dissidium inter ipsos coniuges.

20. *Tres casus in quibus tunc Doctores consentiunt licere. Primò. Secundò. Tertiò.*

Quod si obiicias, esse tunc iniuriam, seu damnum prolis, quæ eo tempore genita concipietur monstruosa. Negandum est inconueniens; tum, quia id rarissimè contingit; tum, quia licèt sic conciperetur nulla illi infertur vel iniuria, vel damnum, nam proli melius est sic esse, quàm absolutè non esse, nec concipi.

21. *Occurritur obiectioni de dãno prolis.*

Solum ergo restat nunc videndum; an liceat tempore menstrui regularis, quando neq; est id

22. *Status dubij pro mẽſtruo regulari.*

necessa-

necessarium ad vitandum incontinentiæ periculum, neque ad pacem, & amorem, vitandumque dissidium?

13. *Prima sententia negat licere.* S. Bonau. Scotus. Sotus. Henriq. Basilius. *Alij apud* Sanchez. *Probant. Nihil probat ea ratio. Alij putant esse veniale. Ratio.*

Aliqui putant esse illicitum. Ita Bonauent. Scotus, Sotus, *in 4. distinction. 32.* Henriquez *11. de matrimon. cap. 15. numer. 7.* Basilius *libr. 10. cap. 14.* & alij apud Sanchez *libr. 9. disputation. 21.* quorum aliqui putant esse mortale, quia proli imminet periculum grauis mali; poterit enim concipi monstruosa, aut leprosa. Sed de hoc iam paulo ante diximus nullius esse momenti. Ideò multi solùm putant esse venale; quia talis tunc actus est superfluus, vtpote non deseruiens, aut ferè parum ad generationem, quæ vix, aut rarò tunc esse solet, & certè ipsa natura, quæ tale tempus destinauit illi purgationi videtur ab eâ copula abhorrere, cùm femina minùs apta sit retinendo semini; vnde apparet aliqua incontinentia non expectando tempus magis commodum. Ita Sanchez *disp. 21. libr. 9.* vbi *num. 7.* habito respectu ad *num. 5.* hanc sententiam putat probabiliorem, cum pluribus aliis quos refert.

14. *Assertio non esse illicitū.* Glossa. Castro. *Alij apud* Sanchez. Perez. *Alij. Ratio.*

Asserendum nihilominus est; nullo modo esse illicitum. Ita Glossa in Canone *si causa* verb. *conceptus 33. q. 4.* Castro *de lege pœnali libr. 1. cap. vltimo paragraph. alia est.* aliique apud Sanchez Perez *supra* & alij apud ipsum. Ratio est; quia actus ille non est illicitus ratione periculi, & damni prolis, vt diximus, quia vel non est, vel non magnum, vel, quia quamuis esset; non fit iniuria proli, cui melius est sic nasci, quam non nasci: neque est illicitus ex eo, quòd sit superfluus ad generationem; tum, quia quamuis non satis seruiret, hoc contingit per accidens, & potest fieri ob alios fines iuxta dicta *dub. præcedenti*; tùm, quia falsum est non seruire ad generationem; sæpè enim sequitur generatio ex copulâ tunc temporis habitâ, vt ipsimet aduersarij ex testimonio aliquorum coniugum fatentur, ergo ex nullo capite probatur illicitus.

15. *De tempore quo iã vxor est grauida.*

Vlterius etiam dubitari solet; an sit illicitus actus tempore, quo iam femina est grauida.

26. *Erit mortale si sit periculum abortus formatæ prolis, quod rarò contingit, & ideò ordinariè non erit mortale.*

In hac re consentiunt Doctores esse illicitum & mortale, quando est probabile periculum abortus formatæ iam prolis; quod tamen rarissimum est, vt experientiâ dicunt constare. Vnde putant ex hoc capite, si ex alio principio in particulari casu non probetur periculū, non esse mortale tunc habere actum,

27. *Sed, si proles non sit formata periculū non vitare non erit mortale.* Sanchez. *Cum multis communis sententia.* Conine. Hurtado. Perez. *Ratio. Ratio hæc videtur claudicare. Ratione quasi à priori probatur.*

Ideò autem dixi *formatæ iam prolis*; nam si tantum periculum sit dissipandi materiam; non ideo actus erit mortaliter illicitus. Ita Sanchez *disputation. 22. num. 3.* vbi testatur de communi sententiâ, plurimosque allegat ibi, & *numer. 4.* idem sentiunt Conine, Hurtado quos refert & sequitur Perez *supra numer. 15. & 16.* Ratio nostra est, quia talis dissipatio materiæ non est tanti momenti, vt ob eius periculum censeatur actus mortalis inter eos, qui habent ius ad ipsum actum. Hæc tamen ratio licèt videatur pro coniugatis sufficiens, tamen, si solùm ius ad copulam faceret non esse mortale ad prægnantem accedere, futurum alioquin mortale, si non adesset tale ius; sequeretur, quòd fornicatio habita cum prægnante præter malitiam fornicationis haberet aliam mortalem explicādam necessariò in confessione, cùm in eo casu non sit ius inter fornicantes. Probatur ergo ratione à priori; quia nulla reperitur prohibitio talis accessus tam grauis, vt sit mortale peccatum, vt constabit ex solutionibus obiectionum in contrarium immediatè sequenti resolutione.

28. *An saltem sit veniale.*

Quæri ergo iam potest, an saltem sit venialis culpa tunc accedere?

29. *Affirmant multi graues.* Paludan. *Plures apud* Sanchez. Basilius. *Probant 1. Ex PP qui id reprehendunt. Probant. 2. Ratione.*

Affirmant multi & graues. Ita Paludanus *in 4. distinct. 32. q. 1. artic. 3.* & alij multi apud Sanchez *disput. 22. numer. 4.* Item Basil. *supra cap. 14.* Probant; 1. ex Patribus Augustin. Ambros. Hieronymo, & aliis apud eundem Sanchez *supra numer. 2.* qui reprehendunt huiusmodi accessum ad prægnantem. Probant. 2. ratione, quia semen frustratur fine generationis, ad quem ordinatur.

30. *Probabilius est nullam esse culpam.* Henriq. *Multi apud* Sanchez. Conine. Perez. Hurtado. *Ratio generalis. Ab inconuenienti. Valet hoc multo magis ad excusandum à mortali.*

Probabilius omnino est nullam esse culpam. Ita Henriquez *libr. 11. de matrimon. cap. 15. num. 7.* & alij multi, quos refert & sequitur Sanchez *supra num. 6.* Item Conine *disputation. 34. num. 78.* Perez *supra numer. 17.* Hurtado *disputation 10. diffic. 3. numer. 13.* Ratio generalis est & à priori; quia nullo iure probatur aliquo modo prohibitum. Atque omisso iure positiuo, de quo non est dubium; iure naturali non apparet prohibitio. Nam, quòd effusio seminis frustretur generationis fine non probat esse illicitum actum, sunt enim alij fines honesti in matrimonij vsu, vt vidimus *dub. præcedenti*, & vt supponimus actus sit debito modo. Accedit, quòd alioquin esset exponi coniuges frequentissimè periculo peccandi venialiter simul degentes, & cætera mutua officia præstantes, si quoties copulārentur, peccarent venialiter. Quæ ratio etiam ostendit à fortiori non esse mortale, alioquin multi in magno periculo, & occasione proximâ peccandi versarentur per nouem mēses & vltra; vnde sæpè deberent separari, vt eam occasionem vitarēt, quæ omnia durissima sunt, nec facilè admittenda.

31. *Ad PP qui obiiciebantur.* Sanchez. 32. *Ad argumentū finis frustrati constat ex dictis.* 33. *Extenditur sententia nostra etiam ad tempus post partum durante purgatione.* Sanchez. *Et alij cōtra* Basilium. Ochagau. *Consentiūt nobis.* Conine. Henriq. Perez. *Alij posteriores.*

Ad Patres, qui in contrarium obiiciuntur respondetur cum Sanchez *numer. 7.* vel loqui in casu, quo sit periculum abortus, vel solùm eam doctrinam esse consilij, non præcepti; ita vt hortentur ad id, quod melius est; sed non obligatorium.

Ad argumentum petitum ex frustrato fine generationis iam dictum est;

34. *Limitant aliqui doctrinam. Sanchez. cum aliis nisi sit periculū morbi.*

Adde quod diximus locum habere pro tēpore post partum, etiamsi adhuc duret purgatio, nullum enim peccatum in eo apparet, vt rectè docet Sanchez *supra num. 11.* contra nonnullos alios, quos supra retulerat, & alij contra Basilium *supra* & Ochagauiam *Tractat. 5. q 3.* nobiscum verò sentiunt Conine *supra* Henriq. & plures alij ibidem relati à Sanchez Perez & alij posteriores. Ratio eadem omnino est; atque in præcedenti casu.

Limitat verò Sanchez cum aliis, nisi ex eo concubitu timeretur morbus alterutrius coniugis; tunc enim pro grauitate morbi iudicandū est an sit mortale, vel veniale, habitâ ratione probabilitatis talis morbi sequendi.

35. *Distinguēdum videtur.*

Ego tamen adhuc in hoc casu distinguerem; nam si morbus non esset nimis grauis, & actus

iudica-

iudicaretur necessarius, vel maximè vtilis ad bonum animæ in remedium libidinis, non esset veniale; sed potius honestum velle aliquid tale pati; sicut etiamsi quis videat ex abstinentiis, chameuniis, aliisque castigationibus carnis fore minuendam valetudinem potest omnibus iis remediis vti. Cur ergo non poterit cum aliquo valetudinis detrimento in remedium libidinis vti actu coniugij?

Probatur à simili.

36. Tandem hæc ipsa doctrina locum habet pro tempore, quo proles adhuc lactatur; meritò enim docet Sanchez *disp.22.num.14.* Basilius & Ochagauia *supra* & alij apud Sanchez contra nonnullos alios, nullum, adhuc veniale, esse peccatum; quia neque proli concipiendæ, neque proli quæ lactatur inde imminet damnum, aut periculum, neque ex alio capite apparet aliqua inordinatio; nam quod attinet ad prolem lactentem, si fortè ex concubitu proles concipiatur, potest tunc nutrici lactanda dari; imò experientiâ compertum est, ordinariè non sequi damnum considerabile, vt videre est in parentibus pauperibus; quamuis enim mater gestet in vtero, & simul lactet, nullum considerabile damnum notatur; neque etiam impeditur, fœtus ventris quominùs sufficienter coalescat, & crescat. Et quamuis alterutra proles, vel vtraque aliquid tunc pateretur durissimum esset ob id tanto tempore obligare coniuges ad abstinendum à copulâ.

Extenditur doctrina etiam ad tempus, quo proles lactatur à matre.
Sanchez.
Basilius.
Ochagau.
Contra quosdam.
Ratio.

DVBITATIO IV.

An actus coniugalis cum coniuge amente sit licitus?

37. Supponendum primò licitum esse, quando vterque vel alteruter non omnino mente destitutus est, sed fatuus hispanicè *tonto*; imò tali petenti reddendum est debitum, quia re verâ vsu rationis, libertateque fruitur ac meriti capax est, & culpæ. Ita Riccius & supplementum Gabrielis, quos refert & sequitur Sanchez *lib.9.disp.23.nu.1.* Qui meritò docet idem iudicium esse de iis, qui solùm in vnâ, aut alterâ re amentes sunt, cùm circa matrimonium & alia sint sui compotes, atque adeò sufficientem habeant deliberationem iuxta dicta *disp.1.dub.2.* Legatur Sanchez *lib.1.disp.8.n.23.*

Supponendum licere si solus sit alteruter vel vterque fatuus & petenti deberi.
Ratio.
Riccius.
Supplem. Gabrielis.
Sanchez.
Idem est de ijs, qui in vna aut altera re solum amentes sunt.
Sanchez.

38. Iuxta quam doctrinam idem dicendum est de habentibus lucida interualla, si tempore lucidi interualli petatur debitum; quia tunc liberè, & actu humano petunt, vt cum multis docet idem Sanchez *num.3.* Qui tamen rectè aduertit, si lucida interualla essent rara, & probabile periculum amentiæ perpetuæ consequenterque probabiliter timeretur, vel abortus, vel mala prolis educatio; tunc philosophandum esse perinde, atque in casu amentiæ perpetuæ.

Inde colligitur quid censendum de habentibus lucida interualla.

39. Supponendum vlterius cum eodem Sanchez, & aliis apud ipsum, & cum Coninc *disputat 34.num.79.* Perez *disp.49.sect.7.* vbi in prædictis consentit, & in plerisque sequentibus (estque communis Doctorum sententia) quando vterque coniux est amens mortale peccatum esse illorum copulam procurare, quin potiùs separandos esse donec ad mentem redeant saltem ob periculum malæ educationis prolis, ob quam causam inter alias rationes censetur illicitus vagus concubitus, imò maius periculum malæ educationis est in tali amentium prole, quàm in prole ex vago concubitu. Quando autem femina sterilis est, alia est ratio inter coniuges, vt *infra* dicemus *assertione 1.*

Supponendum adhuc amentium coniugum copulam procurare graue esse peccatum.
Sanchez *cum aliis.*
Coninc.
Perez.
Communis sententia.
Quod si femina sit sterilis, postea dicemus.

Ex quo à fortiori patet peccare mortaliter eos, qui duos amentes non coniugatos ad copulam incitant, vt cum multis docet Sanchez *num.6.* & infert cum Ledesma eos, quibus amentium cura demandata est, curare debere ne congrediantur; perinde, atque tenentur, ne alia mala inferant. Et addit eos, qui ita copularent prædictos amentes aperire debere in confessione easdem circumstantias, quæ fatendæ essent eâ copulâ habitâ inter personas mentis compotes, quia talis circumstantia volita est à copulantibus illos amentes.

40. *Peccant mortaliter, qui duos amentes non coniugatos ad copulam incitant.*
Sanchez *cum multis.*
Ledesma.
Id debent curare ne fiat, qui amentiũ curam gerunt.
Incitantes debere eam circumstantiam in confessione explicare existimant.

Hoc tamen vltimum quamuis probabilissimum & fortasse verum, & in praxi ita seruandum suam habet difficultatem pro omnibus casibus absque vlla distinctione loquendo, quamuis enim in plerisque verissimum sit, vt si aliquis amentium coniugatus sit, in quo casu sic incitans est causa iniustitiæ commissæ contra coniugem alterum; in aliis tamen casibus v.g. voti emissi ab illo amente seruandi castitatem, quando erat sui compos; non video quâ ratione tam certum sit sic incitantem amentem habentem votum, peccare peccato sacrilegij contra votum castitatis, quod amens olim prudens emiserat: nam, licèt demus doctrinam generalem (quæ suam habet difficultatem quam alibi discutimus) scilicèt eum, qui mouet, aut incitat alium ad aliquod peccati genus peccare eodem genere peccati cum eo, qui sic incitatus peccat, saltem malitiâ secundariâ quatenùs præceptum obligans aliquem ad aliquid faciendum, vel omittendum ex naturâ rei obligat cæteros, vt non hortentur, aut incitent illum ad contraueniendum tali præcepto. De quo dixi *in tract. de Sacramento confessionis disp.9. à num.* 305. & deinceps præsertim à num. 333. quamuis (inquam) hoc ita esse generaliter fateremur; tamen in nostro casu ille, qui incitat amentem habentem votum castitatis ad copulam, non est causa, vt amens frangat votum, neque, vt amens peccet contra illud, sitque infidelis Deo, & sacrilegus, quia nihil tale committit in illo actu, ergo non peccat eo genere peccati, quo peccaret, si amens ille fuisset sui compos. Imò si rectè expendamus, nec malitiâ secundariâ fornicationis intra genus intemperantiæ peccat, quicunque incitat amentes ad copulam, quia non est causa; vt illi sint intemperantes, & venerei, tales enim non sunt in eo actu. Quod consonat cum dictis in eadem *disp.9.num.* 240. & aliis in locis eiusdem tractatus adiunctâ doctrinâ paulò ante datâ ibi *n.238. & seqq.* & locis ibi notatis. Solùm ergo peccat sic incitans, quia incitat ad actum, quem naturæ leges non permittunt in naturâ rationali, nisi inter coniuges & sui compotes, id est non amentes, quorum saltem alter possit seruire ad rectam prolis

41. *Hoc vltimum alioquin probabile aut fortè verum & seruandum difficultate non caret.*
Ratio difficultatis pro aliquibus casibus.
Consonat hæc doctrina cum alibi dictis.
Ratio potior & vera.

educationem, vt posteà dicemus.

42. *Cur qui incitaret amentes alioquin coniugatos; sed nō inter se; peccaret peccato iniustitiæ; non vero eodem modo peccato fornicationis, aut contra votum. Disparitas probatur.*

Ex hac doctrina possumus colligere rationem, ob quam incitans amentes coniugatos nō inter se sed cum aliis ad copulam inter se habendam, peccet peccato iniustitiæ, qualis est in adulterio peccato non absimili ei, quo peccaret incitans ad copulam coniugatum non amētem; non verò peccet peccato fornicationis (etiam malitiâ secundariâ) qui incitat amentem solutum sicut, neque peccato (etiam secundario) sacrilegij contra votum, qui incitat ad copulam amentem, qui sui compos vouerat castitatem. Ratio disparitatis est; quia ad peccandum peccato iniustitiæ etiam directè, & per se non est necessarium, quod ille qui incitatur ad inferendum damnum, peccet per se contra iustitiam; sufficit enim, quòd incitans ipse sit voluntaria causa damni; quod tertiò infertur; tale autem infertur, quando corpus amentis coniugati copulatur alteri non coniugi, cuius damni causa est ipse incitans. Vnde in tali casu sic incitans non peccat peccato secundario iniustitiæ, quatenùs causa, quòd amens peccet peccato iniustitiæ; sed peccat peccato primario, & directo; quatenus ipsemet est causa, incitando amentem, damni contra coniugem amentis; at verò incitans alterum non coniugatum, etiam habentem votum, non potest peccare peccato fornicationis secundario, vel sacrilegij secundario, nisi quatenùs causa, quòd alius peccet tali genere peccati; in nostro autem casu amens non peccat; atque adeò nec incitans, qui solùm peccat tunc, quatenùs incitat ad actum non eodem modo, & cum talibus circumstantiis factum, cum quibus lex naturæ præcipit fieri, aut sine quibus fieri vetat, ne alioquin vergat in damnum prolis non benè educandæ. Atque ex his patet non esse omnino certum eodem genere peccati peccare incitantem amentes, atque si incitaret non amentes, neque eadem circumstantias esse explicandas in Confessione. Vide, si placet, quæ diximus de hac re locis notatis *n. præcedente.*

43. *Assertio 1. concubitus licet, quoties sterilis est vxor, siue vterque siue alter sit amens. Ratio.*

His omnibus præmissis asserendum est 1. si constet vxorem esse sterilem, quantumuis sit amens, licet cum eâ actus coniugalis, siue vir sit etiam sanæ mentis, siue non. Ratio est; quia tunc cessat periculum prolis, cùm nulla futura sit, vt supponimus & ex alio capite vir accedat ad suam: ergo non est caput vnde non liceat.

44. *Assertio 2. si alter coniux solus sit amens potest licere concubitus. Ratio.*

Asserendum est 2. si alter coniux sit solus amens, est licitus concubitus, est enim verum matrimonium, nullumque proli detrimentum sequitur, vt supponimus, quod sequatur damnū alia est ratio. Ideò subiungo.

45. *Assertio 3. si sit periculū abortus aut damni notabilis peccatum erit talis copula. Ratio.*

Asserendum est 3. si sit periculum abortus, aut damni notabilis prolis, aut coniugis sani, peccatum erit cum coniuge amente copulari, & ad id incitare. Ratio est; quia tale damnum tenetur coniux sui compos euitare; erit autem mortale, vel veniale pro qualitate, & probabilitate damni, quod timetur iuxta supra dicta, quamuis (vt etiam notabamus) si damnum leue sit, non videtur priuandus coniux sui compos vsu matrimonij, præsertim quando actu illo indiget in remedium libidinis.

46. *Conueniūt in prædictis. Sotus. Ledesma vterque. Lud. Lop. Angles. Sà. Sanchez. Coninc. Perez. Hurtado.*

In prædictis assertionibus conueniunt Sotus, vterque Ledesma, Ludouicus Lopez, Angles, Sà, quos refert & sequitur Sanchez *suprà num.* 7. & deinceps. Quibus adde Coninc *num.* 79. & deinceps. Perez supra. Hurtado *disput.* 10. *diff.* 12. *num.* 55.

47. *Periculum quod amens seminet extra vas non sufficit vt illicita sit copula ex parte non amentis. Sanchez. Sotus. Lud. Lop. Alij.*

Rectè autem notat Sanchez, quod si solum sit periculum, vt amens seminet extra vas, non ideò censenda sit illicita copula, quia nimirum coniux sanus dat operam rei licitæ, & præter eius intentionem, ac per accidens euenit illa effusio. Vnde, licèt aliquando ita contingat ex defectu amentis, non semper ita eueniet. Pro qua sententia refert Sotum & Ludouicum Lopez. Idem alij docent.

Colligit præterea *num.* 8. ex dictis regulariter non licere actum, quando vxor non sterilis est amens, quod ego multò verius puto, quando amentia simul est cum furia; tunc enim meritò potest timeri, quòd præ furore & insaniâ prolem necabit in vtero, quod periculum non est, quando, licet amens vxor sit, quieta est alioquin & nullo furore corripitur.

48. *Non licet copula si vxor non sterilis est amens, præsertim si sit furiosa. Ratio. Sanchez.*

Asserendum 4. si vxor sit mentis compos, & vir impos licitus est congressus, & potest femina virum insanum incitare, vt secum coëat. Ita Sanchez cum aliis *supra n.* 9. quia tunc nullum est periculum prolis.

49. *Assertio 4. etiamsi vir sit amens, si vxor sit cōpos mentis, licet copulæ. Sanchez. Ratio.*

Assero 5. coniugem sanum præcisè ex vi & naturâ obligationis, quæ in matrimonio repetitur ad reddendum debitum; non tenetur reddere coniugi insano petenti; quia illa debiti petitio non est actus humanus. Vnde, sicut vir ob amentiam, & furorem amittit ius ad bonorum administrationem, ita etiam ad vsum matrimonij, vt rectè Sanchez cum multis aliis *supra num.* 10. & Coninc *disputation.* 34. *dubitat.* 9. & plures alij.

50. *Assertio 5. sanus cōiux non tenetur vi contractus matrimonij reddere insano petenti. Ratio. Ratio alia & simili. Sanchez. cum multis. Coninc. Plures alij.*

Addit tamen Sanchez *num.* 11. si periculum esset in coniuge furioso, quod negato sibi debito accederet ad aliam, vel effunderet semen, tunc teneri sanum per accidens ratione cauendi hoc periculum. Pro quâ sententiâ refert Victoriam, Sotum, Ludouicum Lopez, Henriquez & alios. Ipse verò Sanchez cum Ludouico Lopez adhuc distinguit & solùm putat verum, quando femina est rationis compos, & vir amens; nam, si esset illa amens, non putat teneri virum illi debitum reddere, quando esset periculum abortus, quia hoc periculum præponderat periculo effusionis seminis. Ita Perez cum aliis supra.

51. *Quid si periculum sit vt amens vir accedat ad aliā vel effundat semen extra vas? Quidā vxorem putant per accidens teneri. Sotus. Lopez. Henriq. Alij.*

Hæc mihi doctrina à toto genere vera videtur, maximè, quando est periculum accessus ad aliam personam; tunc enim coniux sanus non potest pati nec permittere congressum alterius cum suo coniuge insano, quin peccet contra iustitiam peccato & malitiâ secundariâ iniustitiæ contra se ipsum, & quod sibimetipsi iniustitia fiat contra ius, cui ipse cedere nequit, vt in sequentibus explicabimus obiter; nam ex instituto spectat *ad tract. de bonitate & malitiâ*, & de peccatis, & aliqua concernentia dixi locis notatis *de pœnitentia Sacramento.*

Solùm difficilius apparet pro casu, quo tantum est periculum effundendi seminis extra vas, si illi debitum non reddatur; tunc enim illa effusio seminis facta ab insano omnino per accidens

Distinguit Sanchez cũ Lopez, & negat teneri, si amens sit vxor & periculum sit abortus. Ratio. Consentit Perez & alij.

cidens est, & in illo, vel aliâ personâ extrinsecâ nullum est peccatum, de illâque pollutione sic contingente non amplius curandum est quàm de pollutione in somnis. Vnde sicut non teneretur coniux petere debitum aut reddere tali coniugi ex eo præcisè quòd timeret probabiliter sibimet coniugi sano euenturam pollutionem in somnis omnino inculpabiliter, nisi peteret aut redderet debitum tali amenti; multò minùs ad id tenebitur ad euitandam pollutionem in ipso amente; perinde enim est, quòd pollutio contingat in amentia, atque in somnis.

52. *Adhuc potest limitari hoc & negari pro casu quo est periculum accessus ad aliam personam.*

Ex traditâ doctrinâ constat, quomodo philosophandum sit in debito reddendo coniugi ebrio; nam iuxta dicta coniux sobrius non tenetur illi petenti reddere interim, dum ebrius est, quia non petit actu libero humano. Ita Sanchez *supra num.* 12. cum aliis. Quod intelligendum est de obligatione per se, & ex naturâ rei ex vi talis petitionis debiti; nam per accidens v.g ratione periculi incontinentiæ fieri potest, vt obligetur; neque in tali casu curandum est; an sit femina, vel vir; neque enim in ebrietate est periculum abortus, sicut in amentia cùm ebrietas citò transeat. Legatur Sanchez loco citato. Neque nunc disputo an coniux sobrius possit negare debitum coniugi ebrioso, maximè furioso præsertim, si ebriosus sit vir, quem femina non facilè possit compescere, & impedire; tunc enim, sicut potest diuortium facere, quoad habitationem, potiori etiam ratione poterit diuortium facere quoad torum, & negare debitum. Omitto aliqua leuiora & satis facilia ex dictis.

53. *Ob periculum effundendi semen abamente extra vas non videtur tanta obligatio coniugis sani. Ratio. Explicatur & probatur à simili.*

54. *Ex dictis infertur quid dicendum de debito reddendo coniugi ebrio. Per se loquendo non tenetur tũc Sobrius. Ratio. Sanchez cũ aliis. Per accidens potest obligari. Sanchez.*

DVBITATIO V.

In quo loco fiat illicitus actus coniugalis?

ILlud est apud omnes certum (si nonnullos excipias Hæreticos, quos appellabant Turrelupinos) non licere petere nec reddere debitũ in loco publico; id enim esset mortale, quod verum puto, etiam secluso scandalo aliorum qui id viderent, nam ob naturalem quandam turpitudinem talis actus grauiter dissonat rationi, quod publicè fiat. Vt post alios notat Martinus Perez *disputat.* 49 *sect.* 4. *n.* 2.

55. *Quidquid aliqui Hæretici effutierint non licet hoc in loco publico, etiam seclusa scandalo. aliorum. Ratio. Perez.*

Iam verò præcipuè difficultas est, circa locum sacrum, aut benedictum. In qua re prima & probabilissima sententia docet actum coniugalem in loco sacro aut benedicto esse illicitum, & sacrilegum. Ita docent absolutè Paludanus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 8. *art.* 4. Richardus; Supplemẽtum Gabrielis, & alij apud Sanchez *lib.* 9 *disp.* 15. *nu.* 7. item Toletus *lib.* 5. *c.* 8. aliique multi Theologi, & Iurisperiti. Quam sententiam approbat ipse Sanchez, non quidem absolutè, sed cum limitatione, vt scilicèt tantùm sit illicitus actus, quando non est necessarius ad vitandum incontinentiæ periculum. Secus verò, si ad id sit necessarius. Ita etiam docet Suarius *tomo* 1. *de Religione lib.* 3. *c.* 8. Coninc *disp.* 34. *dub.* 9. & multi alij apud Sanchez *suprà n.* 12. Tunc autem putant necessarium, quando habetur à coniugibus diu inclusis, & permansuris in loco sacro v.g. per vnum mensem, & non possunt ad turrim, seu cubicula adhærentia diuertere, atque hac ratione intelligunt *c. vnicum de consecratione Ecclesiæ in* 6. *& c. finali de consecrat Ecclesiæ*, vbi, aut prohibetur aut supponitur prohibitus talis actus intuitu loci sacri.

56. *An liceat in loco sacro, aut benedicto? Probabilis sententia negans licere. Paludan. Richardus. Supplem. Gabrielis.*

Alij apud Sanchez. Toletus. Multi Theologi & Iurisperiti.

Quamuis autem hæc sententia probabilissima sit. Probabilis etiam multis videtur aliorum sententia, quam sequitur Glossa *in Canone: Ecclesiis de consecrat. dist.* 1. Hugo Laurentius & Gandulphus, ibidem. Henricus in *c. finali de consecrat. Eccl. num.* 3. Rosella verbo *Consecratio. 1. n.* 9. Basilius *lib.* 10. *c.* 10. scilicet actum coniugalem in loco sacro, aut benedicto non esse illicitum, nedum sacrilegum; quia inprimis non est illicitus iure naturali, nec Diuino, vt patet. Deinde non satis probatur esse illicitum iure Ecclesiastico; nullibi enim reperitur Textus, in quo vel prohibeatur vel supponatur prohibitus nam præd*ictum c. finale de consecrat.* Ecclesiæ (qui solus Textus solet adduci) non satis probat: quando enim ibi dicitur: *Si Ecclesia, cuiuscumque fuerit se mine, aut sanguinis effusione polluta* &c. non constat ibi esse sermonem de effusione etiam coniugali seminis modo naturali, & debito; nam ad eorum verborum veritatem sufficit seminis effusio non coniugalis, & illicita contra castitatem, si ue feminæ sit, siue viri, siue Clerici, siue non Clerici. Idque videtur indicari illis verbis, si *fuerit polluta*, nam cùm aliàs non constet satis actum coniugalem in Ecclesiâ esse prohibitum intuitu Reuerentiæ Ecclesiæ, non est cur dicamus eo actu pollui Ecclesiam maximè cum eodem tenore verborum ibi dicatur Ecclesiam pollui sanguinis effusione, & tamen non polluitur effusione sanguinis alioquin licitâ: ergo sicut non extenditur Ecclesiæ pollutio ad licitam effusionem sanguinis, ita non videtur extendenda ad licitam effusionem seminis. Ecclesia ergo iuxta probabilem hunc discursum tantùm polluitur sanguinis, aut seminis effusione illicitâ, & non coniugali. Et quidem probabilissimum etiam est, non quacunque illicitâ effusione seminis; sed tantùm publicâ, id est, quæ confessione à reo factâ in iudicio aut facti euidentiâ venerit in multorum notitiam, vt contra Paludanum, Antoninum. Rebel. Sanchez Suarium, & alios docent Vasquez 1. 2. *disp.* 98. *n.* 6. Toletus *lib.* 5. *c.* 8. Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 26. *q.* 13. Basilius suprà & alij Recentiores. Vtrum autem copula illicita etiam non publica sit sacrilegium explicandum in confessione si fiat in loco sacro dixi *in tract. de pœnit. disp.* 9 *num.* 645. *& seqq.* vbi etiam ostendimus argumentantes contra aliquos posse intelligi maculatum quidem esse locum sacrum, sed in foro externo non censeri tale, nisi innotescat, & solâ positâ notitiâ posse incipere censeri maculatum. Sed quidquid sit de his nunc solùm est quæstio de actu licito coniugali, an liceat seruatis cæteris circumstantiis, solùm quia sit in loco sacro.

Sanchez. cum limitatione. Consentit. Suarius: Coninc. Alij multi apud Sanchez. Argumentũ petitum ex iure naturali, nec Diuino, vt patet. Deinde non iure Canonico

57. *Licet sit probabilissima ea sententia, & seruanda in praxi. Probabile est licere. Glossa. Hugo. Laurent. Gandulp. Henricus. Rosella. Basilius. Ratio. Satisfit textui allegato in contrarium. Quid si seminis effusio non sit publica? Probabile est non pollui Ecclesiam. Contra Paludanum. & Anton. Rebellum. Sancheziũ. Suarium. Et alios docet Vasq. Toletus. Azor. Basilius. Recentiores alij. An sit tunc sacrilegium alibi diximus.*

Quid autem intelligatur nomine loci sacri, quantum ad hanc violationem latè disputat Sanchez supra *à num.* 23. & Basilius *loco citato.* Breuiter nunc dico non esse sacrilegium, si copula habeatur supra Ecclesiæ tectum, vel in turri seu cubiculis corpori Ecclesiæ adhærentibus;

58. *Quid intelligatur per locũ sacrũ? Sanchez. Basilius.*

nec in cellulis, quas Hispanicè *tribunas* appellant. Ex quibus Princeps, aut alij viri graues solent audire sacrum intra proprias domos, quas habent adhærentes Ecclesiis; neque etiam in Sacristiâ, si merè Sacristia sit, & non pars Ecclesiæ, vt aliquando contingit, quando scilicèt in vna ex Capellis Ecclesiæ, quæ iuxta dispositionem & formam, verè est pars illius licèt ad tempus aut propter defectum alterius loci magis commodi, ibi Ecclesiæ suppellex asseruetur, & Sacerdotes se induant, & exuant sacris vestibus. Legantur Sanchez & Basilius locis citatis. Cætera diximus latè loco notato.

DVBITATIO VI.

Quo situ actus coniugalis illicitus fiat?

59. *Illicitum est absque sufficienti causa variare situm naturalem. Erit mortale si sit periculum effusionis extra vas.*

STatuendum inprimis est, tanquàm ab omnibus receptum, illicitum esse absque vllâ causâ pro merâ voluptate & libidine variare modum, aut situm naturalem, vt quando femina non est succuba, aut vir incubus. Erit autem mortale omnium consensu quando est probabile periculum effusionis seminis extra legitimum vas.

60. *An secluso eo periculo sit mortale?*

Solùm ergo restat difficultas, an secluso effusionis periculo, & nullâ existente rationabili causâ, sit peccatum mortale situm inuertere?

61. *Affirmant multi.* Paludan. Præpos. Monald. *Alij apud* Sanchez. *Recentiores multi.*

Affirmant multi inter quos Paludanus *in* 4. *distinct.* 31. *artic.* 2. Præpos. Rubric. *de sponsalib. n.* 13. Monald. *de matrim. tit. de bonis matrimonij* & alij apud Sanchez *lib.* 9. *disp.* 16. *n.* 2. pluresque alij Recentiores posteà scribentes.

62. *Alij idem putant saltem de congressu more brutorum. Vtriusque sententiæ præcipuum fundamentum.*

Alij verò apud eundem Sanchez ibidem id docent saltem de congressu, qui fit more brutorum præposterè & à tergo. Præcipuum vtriusque sententiæ fundamentum est; quia quando variatur modus, aut situs naturalis, actus fit contra naturam, vtpotè contra modum præscriptum à naturâ, atque adeò ab ipsius Auctore, in hoc autem videtur esse grauis inordinatio: ergo & peccatum mortale.

63. *Assertio negans esse mortale solâ variatione. Sanchez cũ magna Auctorum caterua.* Coninc. Basilius. *Ratio.*

Asserendum nihilominus est, variationem modi aut situs naturalis non esse mortalem, siue fiat à latere, siue sedendo, siue stando, siue præposterè siue viro succumbente. Ita Sanchez *supra num.* 3. cum magnà Auctorum caterua. Quibus adde Coninc *disp.* 34. *dub.* 9. & Basilium *lib.* 10. *c.* 11. Bonacinam *q.* 4. *puncto* 13. *num.* 2. Perez *disp.* 49. *sec.* 7. *n.* 8. *& seqq.* Ratio est; quia nulla variatio modi naturalis obstat generationi: ergo nulla talis censenda est grauis inordinatio. Antecedens probatur; nam nulla prædictarum variationum (vt supponimus) impedit effusionem seminis intra vas ita, vt peruenire non possit ad matricem; maximè cùm receptum sit apud Medicos & Philosophos semen ad eam non venire per merum & solum descensum sed per attractionem virtute naturali attractiuâ matricis. De quo legi potest Aristoteles 2. *de generat. animal. c.* 4.

Aristotel.

64. *Explicatur amplius & occurritur difficultatibus.*

Ex tali autem variatione modi, & situs non sequitur, quòd substantia actus coniugalis sit contra naturam, cùm fiat intra legitimum vas, vt supponimus. Solùm ergo est contra naturam quoad modum, atque hoc ita, vt non impediatur generatio, non ergo apparet in eâ re tam grauis inordinatio, vt mortale peccatum censeri debeat, imò ab hac inordinatione (vt rectè notant Toletus *lib.* 7 *c.* 20. Sanchez supra & alij) facilè excusabit ægritudo aut dispositio corporis aliaue causa difficilè admittens situm, & modum naturalem, & in eo casu non potest alter coniux negare debitum sic petenti; quia ad petendum illo modo habet iustam causam. Ita Perez supra *num.* 16. & alij, imò Sanchez Basilius Perez ipse & alij putant etiamsi petens peccaret venialiter, reddentem non peccare sufficit enim illi pro causâ nolle displicere alteri, & nolle dare occasionem discordiæ propter rem, quę ipsa per se non est intrinsecè mala.

Excusare potest ab eâ ordinatione ægritudo aut corporis dispositio, & similes aliæ causæ. Perez. *Alij. Etiamsi petens peccaret venialiter, reddens posset non peccare.* Sanchez. Perez. Basilius. *Alij.*

Addit etiam Basilius non esse mortale, etiamsi propter prædictam variationem situs elabatur aliqua pars seminis, dummodo retineatur alia, consentit Sanchez *supra num.* 5. Perez *supra num.* 12.

65. *Nec putant esse mortale etiamsi aliqua particula seminis extra ob id effundatur.* Sanchez. Perez. Basilius.

Hæc tamen doctrina larga mihi, & nimis laxa licentia videtur; est enim prodigere semen humanum absque rationabili causâ, quia coniuges, vt suppono alioquin ad talem situm non habent ius propter impedimentum, aut difficultatem vtendi naturali situ, quin potiùs facilè possent illum seruare, nec refert, si dicatur id esse per accidens, & præter intentionem. Nam supposito, quòd tale periculum præuideatur, & sic congrediens non vtatur iure suo, non censetur id resultare per accidens ex vsu sui iuris. Neque enim habet ius ad sic congrediendum, quando aliter potest, & debet. Vnde in tali casu meritò censetur causa moralis illius effusionis extra vas, quam non solùm permittit; sed etiam efficit adhibendo modum, ad quem non habet ius. Quæ ratio, & doctrina maximè vim habet in sententiâ verissimâ, & mihi certâ quod vel minimæ particulæ seminis deliberata administratio extra legitimum coniugium, aut legitimum vas sit peccatum mortale; neque in eâ re sit locus paruitati materiæ. Negari autem nõ potest, quin illa pars, quæ in tali casu effunditur, sit æquè administrata, atque illa, quæ intra vas legitimum recipitur, & tamen administratur præuidendo (vt supponimus) ex tali modo, ad quem non habet ius, fore extra vas effundendam. Atque hæc sufficiant de situ in habendâ copulâ. Nunc de modo congressus, & concursus ad illam vtriusque coniugis dicendum est.

66. *Non placet Ratio displicendi.*

DVBITATIO VII.

Quomodo se gerere debeant coniuges in exhibitione, & consummatione copulæ?

67. *Plura & breuia quæsita circa hoc expedienda.*

CIrca hoc variæ sunt difficultates sigillatim explicandæ breuibus quæsitis.

68. *Quæsitũ 1. an necesse sit vtrumque seminare?*

Quæres igitur primò; an necesse sit in actu matrimoniali seminare vtrumque coniugem?

69. *Respõdetur negatiuè.*

Respondeo non esse necesse iuxta probabilissimam sententiam, quæ docet femineum, neque

que actiuè, neque passiuè concurrere ad generationem, vel si concurrat, non esse necessarium, sed sufficere tantùm virile. Quâ de re diximus *disp.2.dub.34.& disp.7.dub.34.& 46.* & legi potest Sanchez locis ibi notatis, & *lib.9.disp.19.*& Perez *disp.49.sect.8.n.3.* Curandum tamen est, vt ambo coniuges seminent, quamuis enim probabile sit femineum semen non requiri, iuuat tamen ad prolis meliorem naturalem constitutionem, pulchritudinem & sanitatem. Atque hac de causa coniux tardior ad seminandum potest se tactibus præparare ad copulam, vt possit cum altero seminare. Vnde vir potest continuare copulam, etiamsi iam seminauerit donec femina, quæ nondum seminauit, possit seminare; hoc enim pertinet ad complementum copulæ ex parte vxoris. Ita Caietanus 22. *q.15. articul.11.* & alij apud Henriquez *libr.11. cap.16. numer.7.* aliique Recentiores citati & plures alij.

Sanchez. Perez. *Iuuat si vtrque concurrat & id merito procurari oportet.*

Caietanus. *Alij Recentiores.*

70. *An qui prius seminauit teneatur perseuerare donec alius cõsummet. Respondendum iuxta varias sententias de necessitate vtriusque seminis. In nostra sententia vir potest si absoluit se retrahere absque culpa mortali.* Perez. *Alij multi.* Henriq. *Causam addit difficilẽ creditu.*

Ex quo soluitur illud dubium, in quo non parum dissentiunt Auctores, an scilicèt alteri coniugi seminanti priùs maneat adhuc obligatio perseuerandi incopulâ donec alter coniux etiam seminet? Sanè qui putant vtriusque semen esse necessarium ad generationem, consequenter pronunciant mutuam esse obligationem sub mortali se expectandi donec vterque consummet, si spes sit fore, vt vterque seminet. Ita docent Auctores, quos pro eâ sententiâ retulimus locis notatis. Qui verò dicunt tantùm virile semen esse necessarium (quod ego probabilius puto) consequenter affirmant virum postquam seminauerit, absque culpâ mortali posse se retrahere. Ita Perez *num.illo 3.* & multi alij. Imò Henriquez suprà ait ideo inter alias causas non teneri expectare tardantis feminæ seminationem; quia periculum est, ne hoc pacto impediatur generatio. Quod vltimum mihi apparet difficile, nec video idoneo argumento probari.

71. *Poterit tunc femina tunc immediatè se excitare donec etiam seminet. Probatur & occurritur difficultati in contrarium.* Sanchez. Henriq. Basilius. Perez. *Contra Rodriguez apud Dianã.*

Quamuis autem vxor tempore congressus non seminauerit, poterit tactibus, aut motibus se excitare immediatè post recessum viri donec etiam seminet; id enim non est se polluere extra matrimonij vsum; sed inceptam iam copulam consummare; & quidem durissimum esset obligari feminam sic vehementer excitatam manere; maximè cùm semen femineum iuuet (vt dicebam) ad meliorem prolis constitutionem, pulchritudinem, & valetudinem: hoc autem non habet locum in viro, vt patet. Ita Sanchez *num.12.* Henriquez *supra c.15.num.3.* Basilius *lib.10.c.11.num.3.* nec repugnat Perez prædictos referens. Quamuis reclamet Rodriguez apud Dianam *2.par.tract.17.resol.38.*

72. *Femina prius seminans non potest se subtrahere. Ratio. Auctorũ in hoc cõsensus. Itẽ peccat vir si postquam seminauit vxor se retrahat.*

Femina verò, si priùs seminauit, quàm vir non potest se subtrahere; sed tenetur expectare semen virile. Vnde peccat mortaliter, si id non faciat; quia femineum semen non sufficit se solo ad generationem, in quo Auctores conueniunt, sicut & in eo, quòd peccet mortaliter vir, qui postquam seminauit vxor, antequam ipse seminet, se retrahit, quod si faciat inuitâ vxore, peccabit etiam contra iustitiam; habet enim vxor ius iustitiæ, vt vir consummet copulam cum ipsâ.

Quod si neuter coniux in actu ipso seminauit possunt absque peccato contra naturam ab ipso actu copulæ incepto desistere nullam expectando seminationem; tunc enim ille congressus tantùm est quidam tactus, qui inter cõiuges licet. Ita Sanchez & Perez *supra sect.9.* Quod si altero renuente, recedat alter peccatum erit iniustitiæ. Secus si ex consensu vtriusque fiat. Ita Perez *sect. illa 9. num.3.* cum multis quos referunt & sequuntur Sanchez *libr.9. disputation.19.num.3.* Basilius *lib.10.c.11.n.9.*

73. *Possunt ex mutuo consensu si neuter seminauit ante quam seminent desistere.* Sanchez. Perez.

Quod diximus de viro recedente ante seminationem, postquam iam femina seminauit, dicendum omnino est, si recedat, quando femina iam ita est excitata, vt probabile sit periculum seminandi. Legatur Sanchez *citatâ disp.19.num.4.* & deinceps.

Peccabit vero contra iustitiam si alter inuito consorte recedat. Perez. Sanchez. Basilius.

Qui rectè *num.6.* (& sequuntur alij citati) ait non fore mortale, si vir recedat ante seminationem ob vrgentissimam causam superuenientem, vt si post feminæ seminationem superueniret, vel aduerteret vir superuenisse graue periculum vitæ, aliudue grauissimum damnum; nam si id aduerteret ante coitum, teneretur non cõire. Postquam tamen coiuit, siue prius aduerterit, siue non, licebit pro tali vitando damno resilire. Vnde liceret, si fera, aut hostis superueniret. Atque idem putat Sanchez, si aduersaretur naturali honestati, vt si coniugibus eoëuntibus subitò & inopinatò adessent aliqui, neque enim putat damnandum tunc virum, si ex tali causâ recederet. Sed in hoc vltimo casu adhuc ego distinguerem; nam si persona superuenens tantæ familiaritatis sit, aut tam coniuncta coniugibus, illisue subdita, vt absque notabili vel rubore, vel alio inconuenienti possint illam amandare; non video iustam causam sic resiliendi. Vnde, si mater alterutrius coniugis casu superueniret, aut vtriusque filia, non est cur potius coniuges recedant, quàm illa alia persona; sed hoc prudentis arbitrio iudicandum est.

Alij multi. 74. *Peccauit femina si recedat quando iam ipsa ita est excitata vt probabile sit periculum seminandi.* Sanchez.

75. *Non est mortalis talis recessus ob vrgentissimam causam. Exemplis & casibus occurrentibus declaratur. Distinctio in vltimo casu arbitrio prudentis.*

Quæres 2. an maritalis copula sit licita seni, qui dum congreditur cum suâ vxore, effundit semen extra vas?

76. *Quæritur 2. an liceat copula seni seminanti extra vas.*

Respondeo in hac re philosophandum esse iuxta dicta de impotentiâ superueniente post contractum matrimonij *disput.7.dub.45.& 46.* Secundum quam doctrinam, quando senex habet probabilem spem seminandi intra vas, potest vti copulâ, vtitur enim iure suo, etiamsi fortè contingat semen quandoque, aut sæpè extra vas effundi, perinde atque dictum est locis notatis de frigido, cui concessum est triennium experientiæ, vt conetur ad copulam. Quamuis autem senex sciat se non posse effundere semen intra vas; atque adeò non posse vti copulâ, vel conari ad illam, potest nihilominus vti osculis, & amplexibus, si id fieri possit citra periculum pollutionis alterutrius coniugis. Legatur Sanchez *lib.9. disp.17.* quâ de re iterum incidet sermo.

77. *Respondetur iuxta alibi dicta de impotentia superuenienti matrimonio.* Sanchez.

Quæres 3. an sit licita copula vxori, quæ post coitum non potest semen retinere intra vas?

78. *Quæritur 3. de vxore nõ retinente semen.*

Respondeo licere; nam ille seminis excursus, seu defluxus per accidens omnino, & præter intentionem contingit. Accedit, quod sæpe retinet

79. *Respõdetur?*

tinet semen necessarium ad generationem, etiamsi excernatur superfluum.

80. *Quæsitũ 4. de femina mingente post coitũ, vt emittat semen.*

Quæres 4. an peccet mortaliter femina, quę post copulam causa effundendi seminis recepti statim mingit, vel aliquid aliud ad id ordinatum facit?

81. *Respondetur peccare mortaliter. Sanchez. Sylvest Henriq. Contra. Angelum. Consentiũt nobis alij. Reginald. Bonacina. Rebellus. Damnantes oppositum. Ratio. Non tenetur femina esse nimis anxia seruandi receptũ semen.*

Respondeo peccare. Ita Sanchez *lib. 9. disput. 20. num. 3.* cum Sylvestro & Henriquez contra Angelum, quem refert. Et post Sanchez rõ docent & damnant oppositum Reginaldus *lib. 31. num. 334.* Bonacina *q. 4 puncto 6. n. 18.* Rebel. *lib. 3. q. 19. num. 15.* Ratio est, quia in tali casu operatur contra finem, ad quem semen est institutum à naturâ. Legatur Sanchez loco citato, qui rectè addit *num. 4.* non teneri feminam esse nimis anxiam in conseruatione seminis recepti, atque adeo nec diu tenetur manere immota & iacens, quia rarò talis fluxus contingit, nam (vt notat ex Henriquez) os matricis naturâ suâ recepto semine clauditur strictissimè?

82. *Quæsitũ 5. de malitia speciali pollutionis extra vas inter coniuges.*

Quæres 5. an pollutio inter coniuges extra vas debitum habeat specialem malitiam in cõfessione explicandam?

83. *Respõdetur esse grauius peccatum contra naturam & cum malitia adulterij. Sanchez. Reginald. Bonacina. Alij multi. Explicandũ in confessione fuisse cũ propria vxore. Ratio prima partis resp̃onsionis. Ratio secunda partis. Caietan. D. Ambr.*

Omissis aliis opinionibus, de quibus videri potest Sanchez *disp. 18. num. 1. & 2.* respondeo cum eodem, & alijs apud ipsum, & cum Reginaldo *lib. 31. num. 333.* Bonacina *supra num. 19.* aliisque multis Recentioribus inprimis eiusmodi peccatum inter coniugatos extra vas legitimum esse grauius, quàm simile inter solutos. Deinde huiusmodi peccatum esse contra naturam, & habere malitiam adulterij tam ex parte viri, quàm vxoris consentientis, tenerique in confessione explicare vtramque circumstantiam adulterij, imò addo cum eodem Sanchez *nu. 5.* non satis esse dicere adulterium cum coniugata in genere, & simul peccatum contra naturam; sed explicandum esse; id fuisse commissum cum propriâ vxore. Prima pars responsionis quòd scilicèt sit grauius inter coniuges, quàm inter solutos, constat; quia inter solutos tantùm est merè peccatum contra naturam; inter coniuges verò etiam est peccatum adulterij, vt dicitur in secundâ parte responsionis, quam sic etiam probo, quia neuter coniux seruat alteri suum corpus casté, quod ad bonum fidei pertinet; neque enim alter alterius coniux est ad illum actum, sed ad naturalem, vt docuit, & obseruauit Caietanus *2. 2. q. 154. art. 1. in solutione ad 4.* Atque hoc videtur voluisse D. Ambrosius *Lib. 1. de Patriarch.* & refertur *c. Nemo sibi 32. q. 4.* vbi ait: *Nec hoc solum est adulterium cum alienâ peccare coniuge; sed omne, quod non habet potestatem coniugij.* At talis actus potestatem coniugij non habet (vt patet) ergo est adulterium.

Ratio tertia partis.

Alia malitia nempe si esset renitẽte coniuge, etiã deberet explicari in confessione.

Denique tertia pars, quòd, scilicèt explicandum sit fuisse peccatum cum propriâ coniuge, nec sufficiat explicare in genere malitiam adulterij sic probo; quia, si dicatur fuisse cum personâ cõiugatâ in genere, eo modo cõfessionis explicatur iniustitia aduersus coniugem illius personę, cùm tamen nulla talis interueniat. Præterea si tale peccatum fiat cum propriâ coniuge renitente, & ad id coactâ, vltra malitiam adulterij haberet quandam malitiam raptus, quæ etiam explicari debet vtpote distincta. Quod si fiat cũ consensu illius, hoc ipsum erit explicandum. Neque sufficiet dicere, se commisisse tale peccatum cum feminâ coniugatâ consentiente viro illius, intelligendo se ipsum, qui eo ipso, quòd peccat cum vxore suâ, consentit vt illa peccet. Hoc (inquam) non sufficit, quia in tali casu explicaret etiam malitiam, quâ fuerit causa, vt vir talis feminæ consentiret in eam turpitudinem, quæ malitia tunc non interfuit, cùm ipse non dederit alteri viro occasionem peccandi, sed ipsemet fuit, qui contra se ipsum, & contra ius suum, & propriæ vxoris talis peccati auctor, & causa fuit non dans alteri viro occasionem sic peccandi.

Si autem cum consensu illius fiat, id ipsum deberet explicari.

84. *Secundum quid & secundum aliam considerationem maius est peccatum si id fiat inter solutos. Ratio. Explicatur quo nã modo sit intelligenda ea doctrina.*

Non negauerim tamen secundum quid, & secundum aliam considerationem maius esse peccatum inter solutos; nempe, quia accessus ad solutam est peccatum, quoad modum & substantiam rei; accessus verò ad vxorem est peccatum solùm quoad modum; sed hoc intelligendum est in materiâ castitatis, non in materiâ iustitiæ: nam si solutus cum solutâ prædicto modo peccent, peccant solùm in materiâ castitatis. Quando verò coniugatus cùm propriâ vxore peccat, interuenit, etiam malitia iniustitiæ. Ex quo patet grauius peccare virum coniugatum, qui cum propriâ vxore sic peccat, quàm si peccaret cum solutâ, quod attinet ad materiam iustitiæ. Nam qui cum vxore sic peccat, vltra peccatum contra naturam duplici ex parte peccat peccato iniustitiæ, & adulterij, nempe ex parte ipsiusmet viri, & ex parte vxoris; nam & ipse committit iniustitiam contra vxorem, & est causa, quod vxor committat iniustitiam contra ipsum; atque adeò est adulterium duplex. Cùm solutâ verò peccans, tantùm est adulterium ex parte solius viri.

DVBITATIO VIII.

An actus coniugij sit illicitus ob superuenientem cognationem spiritualem?

85. *Supponendum 1. posse cognationẽ hanc matrimonio superuenire. In quibus casibus id contingat. Estque graue peccatum si scienter aut culpabili ignorãtiã fiat.*

SVpponendum est cognationem spiritualem posse matrimonio superuenire, quando vnus coniux post matrimonium contractum prolem alterius coniugis ex priori fortasse coniugium mortuo, vel prolem communem vtriusque coniugis baptizat, aut tanquàm Patrinus tenet in Baptismo, vel in Confirmatione. In quo, si scienter faciat, mortaliter peccat, aut, si ex ignorantiâ vincibili absque necessitate, id enim est prohibitum 30. *q. 1.* ferè per totam, & res est per se satis grauis.

86. *Supponendum 2. non impediri per eam cognationem actũ coniugalem si fiat cum inuincibili ignorantia vel in necessitate.*

Supponendum 2. est cum communi & receptâ sententiâ, quando Baptismus datur absque culpâ, quia vel ignoranter inuincibiliter, vel in vrgente necessitate fit, quando scilicèt non est alius, qui id possit facere: cognationem spiritualem inde prouenientem non impedire actum coniugalem. Quod satis videtur significari in Canone *ad limina 30. q. 1.*

87. *Licet alter culpabiliter faciat; alter non manet impeditus à petendo debito.*

Supponendum 3. etiamsi id culpabiliter fiat ab vno coniuge, non impediri alterum innocentem à petendo debito; atque ipsi petenti debitum esse reddendum, quod etiam verum est, etiamsi coniux tenuerit, vt patrinus absque vllâ

vllâ ignorantiâ; sed tantùm in casu necessitatis, vt contra Henriq. & Basilium docent cõmuniter Doctores; quando enim fit in necessitate fit absque culpâ, etiâsi tentio illa non sit necessaria necessitate salutis. Idque maximè locum habet iuxta doctrinam, quam tradidimus, *disp.7. dub.* 30. vbi inter alia docuimus in Baptismo priuato probabilius esse non contrahi cognationem spiritualem à tenente: extra Baptismum verò priuatum vix occurrit necessitas tenendi; nam, quando Baptismus solemniter fit, non baptizatur quis properè, & sine magno temporis spatio, quo possit adhiberi patrinus alius distinctus à parente.

88. *Status Quæstionis de casu quo alter vel vterque culpabiliter ea facit.* Iam verò difficultas est, an; quando alteruter vel vterque coniugum culpabiliter baptizat, aut tenet, contrahitque cognationem, tunc nocens alter, vel vterque impediatur à petendo debito?

89. *Prima sententia probabilis affirmat.* S Anton. Sanchez. Henriq. *Alij multi apud ipsos. Videtur colligi ex Canonico iure. Probatur 1. etiam ex alio iuris textu.* Duæ sunt satis probabiles sententiæ. Prima affirmat, estque magis communis Ita Antoninus 3.*par. tit.1.c.*15. Sanchez *lib.9. disp.* 26. *num.*7. Henriquez *lib.* 11.*c.*15. & alij multi apud ipsos maximè apud Sanchez. Videturque hæc sententia expressa *in Canone* 1.*&* 2.*causâ* 30.*q.*1. vbi dicitur non esse separandos coniuges, si leuatio de sacro fonte non fuerit facta vtriusque consensu: ergo à contrario sensu, si vtriusque consensu fiat, separandi sunt; neque ob aliam causam separatio fit, nisi, vt neuter petat, atque adeò etiamsi vnius tantùm consensu fiat, ille saltem petere non potest. Probant vlterius ex c. *Ad limina eadem causâ.& q.* vbi dicitur eum, qui filium in necessitate baptizauerat non esse à coniuge separandum; quia id laudabiliter fecit: ergo à contrario sensu, qui id culpabiliter fecit, separandus est, ne videlicèt petat.

90. *Secunda sententia negat.* Durand. *Multi apud* Sanchez. Glossa. Suarius. Coninc. Hurtado. Perez. *Probabilem valdè esse putant Sanchez & Bonacina sequens oppositam. Præfertur hac sententia. Ratio. Quia nullã ius vigens obstat. Textus citati non cogunt quia iam sunt correcti.* Secunda sententia negat. Ita Durandus *in* 4. *dist.*42.*q.*1.*art.*3.& alij multi apud Sanchez, inter quos Gloss. in *c.si vir.2.de cognatione spirituali.* Suarius 3.*p.q.*67.*art.*8.§. *penultimo.* Coninc *disp.* 34.*dub.*8. Hurtado *disput.*10.*diffic.*6.*n.*24. Perez *disp.* 26.*sect.* 6.*n.* 7. *& seqq.* eamque sententiam valdè probabilem putat Sanchez loco citato & Bonacina *q.*4.*puncto* 2.*num.*4. quamuis vterque oppositam sequatur. Quæ sententia mihi placet, Ratio verò est; quia talis priuatio, seu prohibitio petendi nullo iure perseuerante in suo vigore probatur; Nam *citato Canone* 1.*&* 2. allegatis pro primâ sententiâ, quamuis id contineatur, etiam quando cognatio inculpabiliter contrahitur, & quamuis contra Basilium *Lib.* 10.*c.*6. concedamus ibi esse sermonem de cognatione superueniente post contractum matrimonium ad impediendum actum coniugalem, nihilominùs hi Canones iam nullam vim habent, vtpotè correcti quoad separationem à toro per Canonem 4.*&* 5. *eâdem causâ* 30. *q.*1. & per alios eiusdem quæstionis, atque etiam per *c.si vir.2.de cognatione spirituali*; vt infrà videbimus; imò ex nullo iure potest per consequentiam deduci, vt quidem ex aduersariis contendunt, vt constabit ex expositione Canonum, qui pro aduersariis allegantur.

91. *Potius videtur colligi oppositum.* Quin potiùs videtur deduci vtrumque vel alterutrum coniugem (etiamsi cognationem spiritualem culpabiliter contraxerint) nullo modo priuari actu, & vsu coniugali ex aliquibus Textibus, si rectè expendantur. Atque inprimis ex Canone *de eo* 30.*q.*1. dum dicitur: *si autem coniuges legitimi vnus, aut ambo ex industriâ fecerint, vt filium suum de fonte susceperint: si innupti* (id est continentes) *permanere voluerint, bonum est; sin autem: grauis pœnitentia infidiatori iniungatur, & simul maneant.* Quibus supponitur, quod quamuis ambo, & de industriâ id fecerint, simul possint permanere, & in eâdem domo, & toro habitare. Item ex citato c. *Si vir.2.de cognatione spirituali.* dum dicitur: *siue ex ignorantiâ, siue ex malitiâ id fecerint non sunt ad inuicem separandi; quia, si ex ignorantia id factum est eos ignorantia excusare videtur; si ex malitiâ, eis sua fraus non debet patrocinari.* Ideò autem ait Pontifex fraudem non debere patrocinari, quia aliqui ex malitiâ id faciebant, quia olim etiam innocens coniux separabatur, & malitiosus alter, vt separaretur contrahebat eam cognationem, non vult autem Pontifex, vt ea fraus illi patrocinetur ideò negat esse separandos. Porrò eam fraudem fuisse aliquando constat ex *c.dictum est* 30.*q.*1. vbi habetur *quasdam feminas infidiosè, quasdam verò fraudulenter, vt à viris suis separarentur proprios filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse.* De eâ verò, quæ id fecerit decernitur, quamdiu viuet agat pœnitentiam, à viro tamen suo non separetur.

Expenduntur verba textus. *Alia quoque alterius textus verba expenduntur.*

92. *Ex his apparet correctio antiquorũ Canonum, solũ quoad separationem à toro; non quoad cognationem.* Corriguntur itaque Canones illi 1.& 2. per hos duos Canones, quos nunc expendimus, non quidem, quoad contractionem cognationis sed, quoad separationem à toro, nam in c. *si vir* & Canone *de eo* statuitur, vt vidimus, non impediri ab actu coniugij, qui ex malitiâ contrahunt cognationem spiritualem. In quo etiã comprehenduntur ij, qui scienter absque fraude eam contrahunt, nam ex fraude contrahere maior est malitia, & peior, quàm id scienter, & absque fraude facere. Præterea ibidem statuitur non impediri eos, qui eam cognationem contrahunt ex ignorantiâ vincibili eandem cognationem contrahunt; quia ignorantia vincibilis est simpliciter ignorantia, & saltem aliquâ ratione excusat factum ex ipsâ.

93. *Adhuc ex alio textu allegato pro aduersariis contra illos sumitur argumentum.* Accedit, quòd etiam ex Canone *nosse* qui pro aduersariis allegabatur, efficaciter deducitur, quando non vtriusque, sed vnius tantùm culpâ superuenit matrimonio cognatio spiritualis neutrum impediri; ibi enim statuitur quòd quando tentio seu leuatio non fuit facta vtriusque consensu, separandi non sint. Ex hoc autem quòd dicatur non esse separandos, si leuatio non fuerit facta vtriusque consensu: non potest efficaciter deduci esse separandos, quando fuerit vtriusque consensu facta. Sicut ex eo, quòd *in Canone ad limina*, allegato pro aduersariis dicatur eum, qui in necessitate baptizauit filium suum, non esse à coniuge separandum, quia nimirùm id laudabiliter fecit; non potest efficaciter deduci esse separandum à toro, quãdo id fecit culpabiliter; alioquin, si separandus esset à toro, non solùm non posset petere, sed nec reddere innocenti: ergo neque ex *Canone ad limina.* neque ex *Canone nosse* possunt aduersarij efficaciter deducere tunc esse separandos; solùm enim posset deduci argumento à contra-

rio

tio sensu; talis autem deductio, & argumentum in iure inefficax est (maximè ad inferendam pœnam, quæ potiùs restringi debet, quàm extendi) præsertim cum Pontifices sæpe responsa sua iuridica limitent, aut eorum aliquam rationem afferant; non, quia, decernant deficiente eâ limitatione, aut ratione, prædicta responsa non habere locum, & oppositum esse dicendum; sed, vt suis responsis, & limitatione præcisè interrogata respondeant, & rationem aliquam responsorum afferant, vt eorundem certitudinem adstruant, & ostendant; etiamsi ratio illa, quam afferunt non sit adeò vnica, & necessaria, vt eâ deficiente decisio corruat; neque enim tenetur Legislator semper & vbique adæquatam, & vnicam rationem in lege ipsâ apponere sic statuendi. Aliqua huc spectantia dicemus *dub. seq.* Omitto alia faciliora, quæ videri possunt apud Coninc & Perez citatos, & in iis quæ diximus vel continentur, vel ex illis facilè deducuntur.

DVBITATIO IX.

An actus coniugij sit illicitus, quando superuenit affinitas?

94. *Non potest maritus incestuosus cũ consanguinea vxoris ab vxore petere debitum. Constat ex iure Canonico. Tenetur reddere. Sanchez. Neque alius textus obstat. Neque vxor debet tunc copulari quinsi reddès sed tamquã petens, & vtens iure suo. Sanchez. Copula illa vt inducat impedimentum debet esse perfecta. Quod dictũ est de viro erga vxorẽ habet locum in vxore erga virum. Prædicta debent vt impediant fieri à sciente & volente copulam incestuosam.*

CErtum est maritum incestuosum cum cõsanguineâ vxoris eo ipso quòd talem affinitatem scienter contraxerit, non posse ab vxore petere debitum. Constat ex c. 1. *de eo, qui cognouit consanguineam* teneri tamen reddere petenti *iuxta c. 6. 10. & 11.* eodem titulo, quos Textus rectè explicat, & expendit Sanchez *lib. 9. disp. 27. num. 1.* vbi ostendit huic doctrinæ nõ obstare *Canonem qui dormierit 27. q. 2.* vbi dicitur incestuoso non licere reddere. Vbi particula incestuoso coniungenda est cum verbo reddere, vt sensus sit, vxori non esse licitum reddere debitum incestuoso marito, vtpotè non potenti petere. Quare si vxor velit in eo casu copulari marito non debet id fieri, tanquam redditio debiti, sed tanquàm petitio ex parte vxoris, & tanquàm vsus iuris, quod habet vxor. Legatur Sanchez loco citato. Qui rectè aduertit cum aliis iuxta doctrinam, quam cum ipso tradidimus *disp. 7. dub. 34.* & locis ibi notatis copulam illam quæ impedit petitionem debiti debere esse cõsummatam permissionem seminis intra vas. Quod diximus de viro cognoscente consanguineam vxoris, dicendum quoque est de vxore cognoscente consanguineum viri, vt rectè cum alijs ostendit Sanchez *ibidem.* Præterea *(vt habetur c. 1. & 6. citatis)* doctrina prædicta locum habet, quando quis sciens, & volens habuit copulam incestuosam. Secus verò, si per ignorantiam fiat, aut per vim absolutam ineuitabilem.

Vtrum autem coniux consentiens incestui amittat ius petendi à coniuge incestuoso, qui contraxit affinitatem? non consentiunt Doctores. Affirmat Sanchez *supra num. 3.* & Basil. *lib. 10. c. 7.* & alij apud citatos. Idemque dicendum est in impedimento cognationis spiritualis. Quæ sententia probabilissima est. Non est tamen improbabile oppositum imò probabilius quod asserit Ochagauia *Tract. 5. q. 5.* Hurtado *disp. 10. dissic. 7. num. 28.* Perez *disp. 5. 2. sect. 2. n. 5.* Quia si textus expendantur, nullo iure certo statuitur expresè quamuis enim *c. Discretionem de eo, qui cognouit consanguineam* dicatur coniugem innocentem non debere suo iure priuari, non licèt à contrario sensu inferre, quòd si nocens sit, non quidem incestuosè adulterando, sed consentiendo in incestum, & adulterium sui coniugis, debet eo ipso iure suo priuari, tale enim argumentum est à contrario sensu. Quod (vt notabam dub. præced.) non est efficax in iure maximè ad inducendam pœnam & impedimentum. Accedit quod crimen commissum à consentiente propriè loquendo non est ipsummet crimen primarium, & proprium incestus, sed reductiuè, & secundariò habet malitiam incestus, quatenùs non repugnat, sed consentit in alterius coniugis incestum. His præmissis, resoluenda sunt aliqua quæsita.

Non per ignorantiam aut vim absolutam. 95. *An coniux consentiens incestui alterius amittat ius petendi? Affirmant aliqui.* Sanchez. Basilius. *Alij. Probabilissima est ea sententia. Probabilior opposita.* Ochagau. Hurtado. Perez.

Quæri potest primò, an priuetur iure petendi qui per metum cadentem in constantem virũ cogitur ad copulam?

Ratio ex textibus non cogentibus ad oppositũ. Vrgetur fũdamentum. 96. *Quæritũ 1. de coacto per metum grauem an priuetur iure.*

Iam indicauimus coniugem, qui cogitur per vim absolutam, & à se ineuitabilem non incurrere priuationem talis iuris iuxta c. *Discretionem citato* vbi redditur ratio; quia æquum non est, vt, qui caret culpâ subeat pœnam. Nunc verò per metum grauem (nam per leuem certum est non excusari) assero probabile esse non priuari iure petendi, Ita Nauarrus *c. 27. puncto 2. num. 5.* Ratio est; quia huiusmodi metus excusat ab incurrendis censuris, ergo etiam excusat ab incurrendâ pœnâ priuationis debiti petendi; neque enim credibile est velle Ecclesiam cum tanto rigore tam graui pœnâ punire eos, qui metu graui compulsi non seruant suam legem. Quæ doctrina consonat cum iis, quæ diximus *de censuris tract. 10. disp. 2. dub. 24. vbi*, & locis ibi notatis generaliter diximus Ecclesiastica præcepta non obligare ad suam pœnam cum tanto rigore ordinariè loquendo.

97. *Resp̃ odetur. Probabile est non priuari.* Nauarr. *Ratio à simili.*

Non est tamen improbabile, & fortè probabilius est oppositum, quod docet Sanchez *lib. 9. disp. 31. n. 4.* & Reginald. *lib. 31. n. 295.* & alij apud illos. Item Basilius *lib. 10. c. 17. num. 6.* quibus adhæret Perez *disp. illâ 52. sect. 4.* alij quoque post & apud citatos. Sanchez verò pro virili cõtendit virtute aliquorum Textuum eum, qui coactus est non excusari à pœnâ, imò nec ab excommunicatione. Nihilominùs oppositam sententiam appellat pietate plenam. Legantur quæ latè & ex instituto diximus *citatâ disp. 2. de Excom. dub. 24. & dub. 30. & 31.* existimo enim in hac re philosophandum esse omnino, sicut in censuris, vbi aliquâ ratione in hanc sententiam Sanchezij tandem inclinauimus, saltem quando adhuc vrget præceptum quatenus Ecclesiasticum.

98. *Oppositum non est improbabile sed fortè probabilius.* Sanchez. Reginald. Basilius. Perez. *Alij.*

Illud non videtur posse negari, alterum coniugem si sciat illum peccasse etiam ex metu graui non teneri reddere illi petenti (etiamsi concedamus illum non peccare petendo nec priuari facultate petendi) quia in iure non solùm ea lex est; in odium peccantis; sed etiam in fauorem innocentis, qui in compensationem & solamen iniuriæ acceptæ liberatur ab obligatione reddendi. Vnde fit, quod petitio ex parte adulteri

99. *Saltem coniux sciens illum sic peccasse, non tenetur illi reddere petenti, siue ille possit petere siue nõ.*

Non erit tũc debiti petitio sed petitio eius quod potest sponte concedi aut negari.

teri, non sit propriè debiti petitio, sed eius, quod potest alter liberè negare, & in hoc sensu potest absolutè dici eum non posse petere debitũ, quia licèt non illicitè petatur, non est debitum ipsi, quod petit.

100. *Quæsitũ 2. de contrahente ex ignorantia iuris, facti, vel pœna affinitatem; an priuetur?*

Quæri potest 2. an coniux, quæ contraxit affinitatem, vel cognationem spiritualem cum altero coniuge ex ignorantiâ iuris, vel facti, vel pœnæ, quâ quis impeditur petere debitum à coniuge, cuius consanguineam cognouit, priuetur iure petendi debitum?

101. *Triplex ignorantia supponitur, quæ potest esse iuris, facti, pœnæ. Quæ dicatur hic ignorãtia iuris.*

Hoc quæsitum supponit triplicem esse posse ignorantiam iuris scilicèt, facti, & pœnæ. Illa dicitur ignorantia iuris, quâ quis accedit ad consanguineam vxoris ignorans esse legem prohibentem talem accessum ad consanguineam vxoris. Legem (inquam) positiuam; nam quamuis nouerit prohibitum esse iure naturæ, nihilominùs potest ignorare esse specialiter prohibitum lege humanâ positiuâ.

102. *Quæ dicatur ignorãtia facti?*

Facti verò ignorantia est; quando nouit quidem talem legem Ecclesiasticam prohibentem accessum ad consanguineam vxoris, ignorat tamen eam, quam hìc & nunc cognoscit, esse vxoris consanguineam. Atque hoc ipsum habet locum in cognatione spirituali, quando, vel nescit esse legem prohibẽtẽ tenere, aut baptizare proprium filium, seu filium vxoris, aut nescit eum, quem tenet, esse proprium, aut vxoris filium.

103. *Quæ dicatur ignorãtia pœnæ?*

Pœnæ tandem ignorantia est; quando quis etiamsi sciat prohibitum esse accedere ad consanguineam vxoris, & illam, ad quam accedit, esse vxoris consanguineam, ignorat tamen cõgredientem cum cõsanguineâ vxoris in primo, vel secundo gradu priuari iure petendi debitũ, & idem est de baptizante proprium, aut vxoris filium, qui talem pœnam priuationis ignorat.

104. *Respõdetur iam primo per iuris vel facti ignorantiã non priuari iure petendi.* Sà. Nauarr. Sanchez. Henriq. Perez. Ledesma. *Alij multi.* Suarius. Reginald. Bonacina. *Ratio.*

Iam verò his suppositis, Respondeo primò per ignorantiam invincibilem, seu probabilem iuris, vel facti non priuari iure petendi; sed excusari ab incurrendâ eâ pœnâ. Ita Sâ *nu.* 13. *verbo debitum.* Nauarr. *c.* 16. *n.* 33. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 32. *nu.* 47. *&* 48. Henriq. *lib.* 12. *c.* 15. Perez *disp.* 52. *sect.* 5. *n.* 2. Petrus de Ledesma & alij multi apud Sanchez & alios citatos, & citandos. Item Suar. 3. *p. disp.* 67. *in comm. art.* 8. Reginald. *lib.* 31. *n.* 298. Bonac. *q.* 2. *punct.* 2. prope finem: quæ doctrina etiam habet locum in cognatione spirituali, consonatque cũ doctrinâ quam tradidimus *de censuris disp* 2. *tum dub.* 20. *tum dub.* 23. loquẽtes in simili de notitiâ prohibentis legis sub censurâ, & de notitiâ facti sic prohibiti. Ratio verò est; quia iura prohibent debiti petitionem, quando cõtracto matrimonio scienter contrahitur affinitas, vel cognatio spiritualis, non verò, quando contrahitur ex ignorantiâ iuris, vel facti, vt cõstat *ex c.* 1. *de eo, qui cognouit cõsanguineã vxoris.* ibi *si quis tũ filiastra sua sciẽter fornicatus fuerit, & c. si vir de cognat. spirit.* ibi: *si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur.* Legantur Sanch. *suprà* & ea, quæ diximus *locis citatis de censuris.*

105. *Respondetur 2. qui contraxit affinitatem vel cognationem cum ignorantia pœnæ probabile est non priuari.* Sanchez.

Respondeo 2. qui factus est affinis, vel cognatus spiritualis cum ignorantiâ pœnæ, etiamsi habeat scientiam iuris, & facti probabilissimum est, non priuari iure petendi, ita Sanchez *disp. illa* 32. in fine habito respectu ad ea, quę dixerat *n.* 20. & 21. vbi (licet absolutè sequatur oppositum) probabilem putat hanc sententiam, sciiicèt quod ad incurrendam pœnam sit necessaria notitia ipsius pœnæ statutæ per legem. Quæ doctrina etiam consonat cum iis, quæ diximus *de censuris citata illa dub.* 23. *affert.* 1. §. *Tertiam verò partem & deinceps* ibi legatur, & eandem probabilitatem agnoscit Bonacina supra. Perez *supra n.* 3 & 4. aliique Recentiores. Ratio est tum; quia pœnæ ignorantia excusat ab incurrendâ excommunicatione aliisque censuris, vt diximus loco notato, ergo etiam excusabit ab incurrendâ pœnâ priuationis huius iuris petendi debitũ: tum quia pœnæ quantitas debet proportionari quantitati delicti iuxta *c. Felicis de pœn. in* 6. minus delictum non censetur iuris dispositione puniendum eâdem pœnâ, quâ punitur maius, nisi id expressè dicatur; sed minùs delictum est, & minor contemptus legis, quando frangitur lex continens graues pœnas, pœnis ignoratis, quàm iis cognitis, vt locis notatis de censuris etiam diximus; ergo æquum non est, quòd transgressor subiiciatur eisdem pœnis pro minori delicto; atque pro maiori. An verò ille effectus carentiæ potestatis licitè petendi debitũ sit propriè & purè pœna posteà videbimus; ego enim non puto esse purè pœnam, quod si verum est dabit nobis fundamentum, vt inde petamus rationem, ob quam ista carentia, quæ appellatur pœna non indigeat sententiâ iudicis, vt incurratur, & peccans sit obnoxius tali priuationi, etiam quando actus est occultus, & in foro externi iudicij improbabilis, adeoque non subiectus sententiæ iudiciali quæ res negotium facessit aliquibus præsertim Sanchezio, qui *lib.* 9. *disputation* 30. *numer.* 2. fatetur quidem receptam esse sententiam, quòd non sit necessaria iudicis sententia, sed quod statim priuetur quis potestate debitum petendi, simul tamen fatetur, se nullam aliam rationem efficacem inuenire, nisi quòd ita sit vsu receptum & declaratũ, vt nulla sit necessaria sententia vt incurratur. In quâ reddendâ alij desudant. Inter quos Perez *supra section.* 6. *numer.* 3. *& seqq.* vt etiam posteà notabo.

Bonacina. Perez. *Recentiores. Ratio.*

An ea carentia potestatis petendi sit propriè, & purè pœna? Non videtur talis. Hæc doctrina seruiet vt reddatur ratio cur nõ indigeat sententiâ iudicis, vt incurratur ea carentia potestatis. Sanchez nullam huiusque rei inuenit rationem. Alij vt Perez laborant in ratione quærenda.

106. *Quæsitũ 3. quis gradus consanguinitatis sit satis, vt priuetur per talem copulam iure petendi? Post Tridẽtinum orta hac dubitatio. Quidam vsque ad 4. gradum id extendunt.* Angles. *Alij apud* Sanchez. Paulus Comitol. *Probabilem putat Perez. Præcipua ratio.* Trident. Pius V.

Quæri potest 3. in quoto gradu consanguinitatis sufficiat, quòd sit persona consanguinea coniugis cognita ab altero coniuge, vt hic priuetur iure petẽdi? Hæc dubitatio procedit post Tridentinum, à quo affinitas dirimens matrimonium contrahendum restricta fuit ad secũdum vsque gradum ex copula fornicariâ. Quæ olim extendebatur vsque ad quartum de quo dixi *disp* 7. *dub.* 38.

Non desunt, qui putent incestum cũ personâ consanguineâ coniugis etiam in 4. gradu sufficere, vt quis priuetur iure petendi. Ita Angles *in floribus* 1. *p. de matr. q.* 14. & alij apud Sanch. *lib.* 9. *disp.* 27. *n.* 13. quibus adde Paulũ Comit. *lib.* 1. *Responsionum moral. q.* 138. eamque probabilẽ censet Perez *disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 2. & omissis aliis leuioribus rationibus probant; quia Tridentinũ restrinxit quidẽ affinitatẽ ortam ex copulâ fornicariâ ad primum & secũdũ gradum & ad eũ tantũ effectũ, vt nõ impediat, nec dirimat matrimoniũ; vt Pius V. declarauit, non verò vt nõ impediat petitionẽ debiti; nam hęc res est distincta à matrimonio, cuius tantùm fit mentio in Tridentino.

107. *Opposita sententia cõmunior est & probabilior.* Sanchez. *Cum aliis.* Basilius. Perez. Hurtado. *Declaratio Cardinalium.*

Oppositа nihilominus sententia communior est, & probabilior, quam sequitur Sanchez cum aliis, quos refert *citatâ disp.27.n.14.* quibus adde Basilium *lib.7.c.33.* eamque veriorem iudicat Perez *supra n.3.* sequiturque Hurtado *disp. 10.diffic.7.n.30.* estque communis inter Doctores, quã disertis verbis tradidit declaratio congregationis Cardinalium dum ait: *Decretũ Tridentini sess.24.de matr c.4.ad primum & secundum restringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractam, censeri etiã ad eosdem gradus restrinxisse impedimentum exigendi debitũ ab vxore, quod inducitur ex affinitate proueniente ex illicitâ copulâ* &c. quam declarationẽ ex Farinacio referunt auctores citati. Imò vt notauimus *disp. 7.dub.illa,38.n.392.* cum eodem Sanchez & aliis, post Tridentinum fornicatio cum affine affinitate ortâ ex fornicatione in tertio, & quarto gradu non est incestus. Ratio verò nostræ doctrinæ præsentis est; quia affinitas non impedit, nec dirimit matrimonium; nisi propter indecẽtiam copulæ, ad quam ordinatur, vt ibidẽ notauimus; quia indecens censetur inter affines; ergo eo ipso, quod talis affinitas restricta est, vt neque dirimat, neq; impediat matrimoniũ; nisi in primo & secundo gradu, etiam censetur restricta, vt non impediat petitionem copulę, nisi in eisdem gradibus. Ideò quãuis debiti petitio sit res distincta ab ipso cõtractu matrimonij nihilominùs eo ipso quod affinitas non obstat cõtractui qui naturâ suâ ordinatur ad copulã, non obstabit copulæ, ad quam naturâ suâ ordinatur. Ad Piũ V. respondeo simpliciter, & generaliter declarasse non oriri affinitatem obstantem.

Farinac.

Fornicatio in 3 & 4. gradu post Tridentinũ non censetur incestus. Ratio doctrinæ data.

Respõdetur auctoritati Pij V.

108. *Examinatur an ea priuatio potestatis petendi sit pœna. Adstruitur non esse pœnam.*

Supponit quod hucusque diximus prædictã priuationem potestatis petendi debitum esse pœnam; ego tamen (vt supra indicabam) non puto esse purè pœnam. Sed, sicut ius Ecclesiasticum ex copulâ etiam licitâ in præcedenti matrimonio habitâ agnoscens aut etiam inducens affinitatem, voluit, vt ea affinitas non solùm esset impedimentum dirimens cum consanguineâ vxoris, quam habuit, sed consequenter effecit, vt carnaliter cognoscere illam consanguineam censeatur, & sit incestus, & non solùm simplex fornicatio, ita, vt in eo actu non solùm reperiatur ea malitia, quæ reperiretur in accedendo ad non suam, sed etiam, quæ reperitur in cognoscendo consanguineam eius, quam carnaliter cognouit, atque adeò non sit tantùm fornicatio, sed incestus, ita, vt ex duplici titulo sit quis prohibitus illam cognoscere tũ scilicèt, quia non est sua; tum etiam, quia est consanguinea eius, quam prius (in matrimonio quidem, & licitè) carnaliter cognouit, quæ secunda prohibitio non est pœna alicuius culpæ, quæ præcesserit, quia nulla fuit culpa in cognoscendo illam, quæ erat vxor propria; illâ tamen cognitâ (quantumuis licitè) resultat ex vi iuris sic disponentis quædam propinquitas, quæ appellatur affinitas, & propter hanc (sic volente etiam iure) resultat quoddam genus reuerentiæ aut pietatis erga personam sic propinquam, ob quã reuerentiam, seu pietatem non vult ius, vt aliquis accedat carnaliter ad talem personam; non vt puniat peccatum aliquod, quod non præcesserit, sed quia rationi consonum ducit, vt ea reuerentia & pietas seruetur erga talem personam coniunctam per consanguinitatem illi, quam carnaliter quis cognouit & cum quâ factus fuit vna caro: sicut (inquam) hæc ita se habent: sic etiam in nostro casu reperitur quasi ordine inuerso illa ratio pietatis, & reuerentiæ erga propriam vxorem; postquàm quis cognouit carnaliter eiusdem vxoris consanguineam; per illam enim copulam fit vna caro cum illâ consanguineâ vxoris, & inde iam marito resultat quædam propinquitas & affinitas cum propriâ vxore, ob quam affinitatem & propinquitatem sic disponente iure sit incestus accedere ad vxorem (saluo semper iure vxoris, quæ non ideò debet priuari iure suo exigendi debitum) quantum itaque est ex parte mariti, non licet exigere, ne accedat ad affinem qualis iã facta est vxor. Concurrunt ergo duo in tali marito, ratione quorum potuit illi esse prohibitus accessus ad vxorem; primum, vt puniatur peccatũ ipsius tali pœnâ; secundum, & (me quidẽ iudice) præcipuum propinquitas illa affinitatis sic cõtractę cum propriâ vxore ex eo quòd fuerit factus vna caro cum consanguineâ eiusdem vxoris. Non vult autẽ lex talem coniugem punire impediẽdo ius, quod ratione matrimonij habet ad exigendum debitũ ab vxore; nisi casu quo ille peccet sciens & aduertens illa tria scilicèt factũ, ius, & pœnã adeò, vt, si adsit ignorantia alicuius illorũ iuris scilicèt, aut facti aut pœnę, non priuetur facultate petẽdi; petitio verò & accessus tũc erit peccatum incestus; non verò fornicationis, quia illa, ad quã accedit re verâ est sua quo casu, & vix (si tamen vel vix) in alio casu inuenietur peccatum incestus, sine peccato fornicationis.

Explicatur hoc amplius.

109. *Ex his redditur ratio cur non sit necessaria iudicis sententia, vt quis priuetur ea potestate.*

Ex his potest iam reddi ratio, ob quam non sit necessaria sententia iudicis pro eâ priuatione petendi debitum, quæ à multis & communiter appellatur pœna. Ratio verò est, quia licèt aliquin sit sua difficultas in assignandâ regulâ ad dignoscendas pœnas quæ requirunt, aut non requirunt sententiam iudicis & ad discernendum, quæ nam obligent ante, quæ verò nõ, nisi post iudicis sententiam; in nostro tamen casu non est purè pœna sed posita lege generali iuris positiui, tenetur quis ex naturâ rei ob prædictã reuerentiam non accedere carnaliter ad iam factam affinem, quæ verò sit affinis, saltem affinitate iuris positiui, qualis est hæc, de quâ agimus ab ipso iure positiuo pendet, semel autem positâ tali affinitate, ex naturâ rei dissonat rationi ad affinem carnaliter accedere, & hoc, etiamsi non præcesserit culpa; atque adeò independenter à ratione pœnæ, quæ non habet locum, vbi non est culpa, vt supra dicebamus de eo, qui consanguineam vxoris vult ducere, aut etiam audet cognoscere carnaliter, quâ potestate ducendi & cognoscendi priuatur non tamen in pœnam; sed ex lege ita, vt non possit absque peccato incestus ad illam accedere tum propter prohibitionem legis prohibẽtis accedere ad affinem, tum quia ex natura rei peccatum est accedere ad sic factam affinẽ, hęc autem prohibitio & ratio prohibendi, nempe ob reuerentiam seruandam erga affinem; non solùm locum habet, quando quis cognoscendo

vxorem

vxorem suam, factus est affinis consanguineæ suæ vxoris, sed etiam quando vice versâ de facto cognoscens talem consanguineam, factus est affinis propriæ vxoris; tunc enim accedendo ad vxorem verè accedit ad affinem, vigente præcepto legis prohibentis accedere ad affinē; prohibet autem hoc lex, quoties quis scit talem legem, & illam feminam, ad quam accedit esse consanguineam vxoris, & insuper etiam scit esse legem prohibentem eum, qui cognouit cōsanguineam vxoris, iterum redire ad copulam vxoris, & non obstantibus his tribus notitiis, ausus fuit ad talem vxoris consanguineam accedere, quo casu lex non obstante iure, quod tanquàm maritus habebat petendi debitum ab vxore, non vult quod possit debitum petere, tum vt seruet reuerentiam erga vxorem factam affinem, tum vt eâ ratione puniat peccatum, quod commisit cum scientiâ illorum triū. Non prohiberet autem illum lex, sed permitteret petere, & vti suo iure mariti, si ignorantia illorum trium, vel alicuius illorum intercessisset. Ex quo patet illam non esse purè pœnam, sed etiam inhabilitatem legis ob inductam propinquitatē, ad hanc autem incurrendam inhabilitatem sufficit lex ipsa, & nulla requiritur sententia. Sufficit enim, quòd ex vno capite lex positiua statuerit illud genus propinquitatis resultans ex tali copulâ, & ex alio capite voluerit, vt inter sic propinquos seruetur ea reuerentia, & pietas, dummodò actus factus fuerit cum scientiâ illorum trium, ad hanc autem obligationem inducendam non est necessaria sententia iudicis. Simile quodammodo posset contingere in irregularitate, quâ quis priuatur, vel iure susciendi, vel exercendi Ordines susceptos propter homicidium, quæ non est pœna purè delicti; sed inhabilitas etiam, quam in grauium Doctorum sententiâ non incurrit, qui exercuit actum cū aliquâ ignorantiâ iuris, facti, vel pœnæ, quando autem incurrit, non est necessaria sententia, nec illa est purè pœna. De quibus agimus *in Tractatu de censuris disp.7. quæ* est de irregularitate *dub.5. & locis ibi notatis.* Aliter probat Perez *disp. 52. sect.6.n.4. & seqq.* non requiri sententiam iudicis in nostro casu. Cuius tamen doctrina supponit principia ex generalibus rationibus pro incurrendis pœnis pertinentque ad alias materias, ideò ab iis supersedeo.

Declaratur à simili.

DVBITATIO X.

An actus coniugalis fiat illicitus ob superueniens votum castitatis?

110. *Supponendū qui emisit votum castitatis siue ante siue post contractum matrimonij non posse petere debitū. Neque intra bimestre primū posse reddere.*

SVpponendum est id, in quo, pauculis exceptis, ferè omnes Doctores conueniunt, eum, qui emisso voto simplici castitatis matrimonium contraxit, vel post illud contractum tale votum emisit, etiam ante matrimonium consummatum, non posse debitum petere est enim omnino liber ad non petendum; atque in quantum potest, tenetur votum seruare, & propter eandē causam tenetur non reddere intra bimestre, quod conceditur à iure, vt liber sit ad non reddendum. Post illud tamen tempus debet reddere petenti, etiamsi alter coniux conscius voti cum eo contraxerit; quia ex vno capite hic alter per contractum quantumuis illicitè ex parte alterius contra Religionem voti celebratum verè acquisiuit dominium corporis eius, qui castitatem vouit; ex alio verò capite petendo non facit contra votum, atque adeò, qui votum castitatis emisit licèt non possit absolutè, quantùm est ex se petere, quando alter vel sit in periculo incontinentiæ, vel peteret, si auderet; & tantùm non petit; quia erubescit, vel non audet, quod in feminis contingit; in tali enim casu illud petere, moraliter & interpretatiuè est quoddam reddere petenti. Ad quod est obligatus. Vide Sanchez *disp.7. libri.9.*

Posteà tenetur reddere. Casus in quibus petere potest. Sed id non tam est petere quam reddere.

111. *Difficultas resultans an qui post votum contraxit debeat vt seruet votum ingredi Religionem si alter nolit castitatem seruare? Affirmans sententia.* Richard. D. Thom. Scotus. Rosella. Armilla. Syluester. *Alij multi.* Nauarr. Azor. *Præcipua ratio.*

Iam verò difficultas est, an qui post votum Castitatis contraxit matrimonium, teneatur ante consummationem ingredi Religionem, quādo id necessarium est ad seruandum votum, nempe quando alter coniux non vult castitatem seruare? Aliqui affirmant. Ita Richardus *in 4. distinction.38. artic.7. q.1.* & ante ipsum D. Thomas, Scotus, Rosella, Armilla Sylueſter apud Coninc & alij multi tum apud ipsum tum apud Sanchez *lib.9 disputation.34. numer.2.* inter quos Nauarrus *cap. 22. num.73.* Azor *libr.11. cap. 21. q. 2.* & omissis aliis rationibus minoris momenti probant; quia ille tenetur, in quantum possit seruare votum castitatis, sed iam non est aliud medium præter ingressum Religionis; & in eas angustias, vt nullum iam aliud medium sit præter ingressum Religionis, ipsemet suâ voluntate se induxit; ergo tenebitur hoc medio vti, ne cogatur ab altero coniuge debitum reddere, atque adeò non seruare integrè castitatem.

112. *Negatiua sententia.* Sotus. Henriq. *Alij multi.* Sanchez. Coninc. Basilius. Hurtadus. Perez. *Alij plures. Recentiores.* Ioann. Papa XXII. *Probabilis sententia. Ratio præcipua.*

Sotus verò *in 4. distinct. 38. q.2. artic.1.* Henriquez *lib.12. cap.2.* & alij multi quos refert & sequitur Sanchez *supra num.3.* quibus adde Coninc *citatâ disputat.34. num.5.* Basilium *libr.7. cap. 33. & libr.10. cap.5.* Hurtadum *disp.10. diffic.8. nu. 32.* Perez *disp 51. sect.3. n.1. & 2.* & alios plures Recentiores negant; quibus maximè fauet Ioannes XXII. *in Extrauag. Antiquæ de voto*, vbi decernit initiatum sacris (qui eo ipso emisit votum castitatis, etiamsi initietur post matrimoniū) ante consummationem non teneri Religionem ingredi. Quæ sententia mihi valdè probabilis videtur. Ratio verò est omissis aliis; quia nimis durū apparet solùm ad eam partem voti castitatis seruandam, nempe ad non reddendum debitum obligari ad medium ita arduum, & difficile vt multò difficiliùs sit & grauius, quàm res ipsa voto promissa. Atque hæc ratio etiā habet locum, quando contrahit memor voti, & aduertens non esse aliud medium ad plenè & integrè seruandam materiam voti, perinde atque durissimum esset, eum, qui vouit breuē aliquam peregrinationē obligari ad illius impletionē, si post votū emissum, etiam memor voti se trāstulisset in remotissimam Prouinciā, ob quam etiā causam, qui vouit suscipere sacros Ordines, & post tale votum matrimoniū contraxit, non tenetur Religionem ingredi ante consummationē, vt contra Azor docent Sāch. & Sotus *supra*.

Idem est de eo, qui post votum sacrorum Ordinum contraxit matrimonium. Sanchez. *Cōtra Azor.*

113. Longè verò alia ratio est (quidquid aliqui reclament) de eo, qui vouit castitatē, aut Ordines sacros post contractum matrimoniū, ante illius

consummationem videns non esse aliud medium ad id votum seruandum præter ingressum Religionis; nam, qui tunc ita vouet, virtute (imò fortè expressè) vult se obligare ad ingressum Religionis; vult enim se obligare ad exequendam rem promissam, per medium; quod, dum promittit videt esse possibile; tunc autem videt, vt supponimus solùm per medium ingrediendi, & profitendi Religionem esse possibilem materiæ promissæ exhibitionem.

114. *Qui post matrimonium consummatum vouit castitatem sine consensu coniugis tenetur reddere petenti; non potest petere. Constat ex iure Canonico. Ratio. Sanchez. Coninc. Alij multi.*

De illo verò, qui post matrimonium consummatum vouit castitatem, etiamsi vouerit sine consensu alterius coniugis, atque adeò ipsi petenti teneatur reddere asserendum omnino est non posse petere. Idque videtur definitū in c. *Quidam* 3. & in c. *Placet* 12. *de conuersione coniugat.* Ratio verò est; quia est omnino liberum petere, & non petendo nemini præiudicat: ergo ex eâ parte potest votum seruare. Ita Sanchez *disp.* 36. Coninc *suprà* & alij multi apud alios præsertim apud Sanchez.

Nonnulla restant circa votum suscipiendi Sacros Ordines, in quibus inuoluitur votum castitatis & circa votum ingrediendi Religionem, & circa votum non contrahendi matrimonium pro praxi obseruanda.

115. *Quædam dubia in hac re circa vota Ordinis sacri aut Religionis, aut non contrahèdi matrimonij.*

Circa primum obseruandum est, quòd licèt per votum suscipiendi Sacros Ordines emissum ante matrimonium contractus ipse matrimonij reddatur illicitus, si fiat animo non ingrediendi Religionem, actus tamen coniugij illicitus non est; neque actus petendi, quia qui post tale votum contraxit, non tenetur Religionem ingredi, cui obligationi, si esset posset obstare actus primus, quo matrimonium cōsummatur.

116. *Circa primum nempe votum Ordinum. Obseruandum omnino pro praxi.*

Quando autem votum illud fit post contractū matrimonium, non redditur illicitus actus cōiugalis primus; nisi quando vouens tunc aduertebat votum non posse implere, nisi Religionem ingrederetur.

117. *Circa secūdum nempe votum Religionis. Obseruandum etiam pro praxi. Ratio data doctrina.*

Circa secundum votum ingrediendi Religionem obseruandum est primum actum coniugalem, quo matrimoniū consummatur, reddi illicitum ipsi vouenti, nisi moralis certitudo sit, quòd alter coniux daturus sit facultatem ingrediendi Religionem, & præstiturus omnia, quæ requiruntur, vt possit tale votum implere. Ratio est; quia in eo primo actu, quo matrimoniū consummatur vouens redditur impotens ad ingrediendam Religionem, nisi altero coniuge permittente, & ad requisita cooperante. Post primum verò actum coniugij cæteri actus non sunt illiciti, quia nullo modo opponuntur, nec difficilius reddunt votum Religionis emissum. In quo Auctores plerique consentiunt.

Auctores plerique in hoc conueniunt.

Mihi tamen adhuc distinguendum videtur, nam si spes aliqua sit, quod coniux catens liberis concedet facultatem ingrediendi Religionem, non concessurus, si liberos habeat, videtur non posse petere & cooperari ex parte suâ ad apponendum impedimentum filiorum, quibus susceptis, nec alter coniux permittet ingredi, nec fortè iam poterit, quia filij indigebūt parentis assistentiâ; si tamen nihil horum timeatur, liberè poterit petere, semperque & in omni euentu petenti tenebitur reddere.

118. *Distinguēdum nihilominus in hac re.*

119. *Circa tertium de voto non contrahendi.*

Circa tertium votum non contrahendi matrimonium obseruandum est esse quidem illicitum ipsum contractum: post contractum verò nullo modo reddi illicitum actum coniugij, nec primum, quo matrimonium consummatur: nec secundum, & deinceps, vt rectè contra nonnullos aduertit Sanchez suprà. Quia actus coniugij non est directè contra votum, nō consummare non est contrahere.

matrimonium. Obseruandū quoque in praxi. Sanchez.

Hinc est, quòd si quis iuret se contractuturum matrimonium cum aliquâ, solùm contrahendo implet sufficienter iuramentum, etiamsi non consummet.

120. *Qui iurauit se contracturum cum aliqua non tenetur cōsummare.*

DVBITATIO XI.

An dubium de valore matrimonij reddat actum coniugalem illicitum quando alter tantum dubitat?

121. *Supponendum 1. contra Magistrum coniugem certum de nullitate nec petere posse, nec reddere. Cum Magistro videtur sentire Hugo Victorinus & pauci alij. Contra quos est Textus clarus in iure. Ratio quoque clara.*

SVpponendum inprimis est coniugem certum de nullitate matrimonij non posse petere, nec reddere. In quo meritò reiiciunt cæteri Doctores Magistrum *in* 4. *dist.* 33. asserentem eū non posse petere, posse tamē reddere (quod etiam videtur docuisse Hugo de S. Victore *de Sacramentis p.* 11. *c.* 6. & pauci alij nam contra hoc expressè definitum est *in c. Inquisitionis* 44. *de sententiâ Excommunicationis.* Ratio verò est; quia tunc copula est verè fornicatio.

123. *Supponendum 2 quid scrupulus sit? Quid scientia? Quid opinio? Quid dubium? De scrupulo. Vasquez. Salas. Valentia. Anton. Perez. Ioan. Sanchez. Thom. Sanchez. Bonacina. Alij.*

Supponendum 2. est, & breuiter indicandum quid scrupulus sit? Quid scientia? Quid opinio, quid dubium? Circa scrupulum omissis variis definitionibus, dicendum est scrupulum esse leuem suspicionem, seu existimationem ex leuibus rationibus ortam, quâ quis inducitur ad credendum vel dubitandum esse peccatum. Quâ de re videri potest Vasquez 1. 2. *q.* 19. *disp.* 67. *c.* 2. *n.* 8. Salas 1. 2. *q.* 21. *Tract.* 8. *disp. vnicâ sect.* 29. *n.* 291. Valentia *disp.* 2. *q.* 14. *puncto* 4. *in fine.* Anton. Perez Benedictini Ordinis *certamine* 10. *Scholastico. num.* 40. *in suâ laureâ Salmantinâ.* Ioannes Sanchez *disp.* 41. *n.* 2. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi c.* 9. *n.* 2. *& lib.* 2. *de matrimonio disp.* 41. *num.* 2. Bonacina *q.* 4. *puncto* 4. *n.* 1. & alij apud citatos.

De dubio. Vasquez. Thom. Sanchez. Ioan. Sanch. Salas. Azor. Bonacina. Alij apud citatos.

Dubium verò propriè acceptum est, quando intellectus non valet in alteram partem inclinare, sed pendulus est in vtramque neutri assentiendo, & legi potest Vasquez eâdem *disp.* 67. *n.* 7. Thomas Sanchez, Ioannes Sanchez *locis citatis.* Salas *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 2 *num.* 12. Azor *tomo* 1. *moral. libr.* 2. *c.* 8. Bonacina *supra*, & alij apud ipsos.

124. *De opinione.*

Opinio autem est assensus seu iudicium infirmum & non certum vnius partis cum formidine alterius.

125. *De scientia. Doctores cōmuniter.*

Scientia verò (quantum ad præsens) est assensus seu iudicium certum, saltem moraliter, id est de quo prudenter dubitari non potest. In quo etiam conueniunt Auctores communiter, & videri possunt nuper citati. His præmissis.

Restant ad Quæsita.

126. *Quæsitū 1. pro casu scrupuli.*

Quæres 1. an possit peti & reddi debitum quando suboritur scrupulus de inualiditate matrimonij?

127.

Respondeo posse dūmodò matrimoniū bona fide

Resoluitur. Ratio. 1.

fide contractum sit ab vnoquoque. Ita habetur *c. Inquisitioni de sententiâ excommunicationis.* Ratio est primò quia iudex in foro exteriori sic iudicaret: ergo idem censendum est in interiori; nã forum exterius non dissentit ab interiori; nisi, quando nititur falsæ præsumptioni. Secundò, quia scrupulus non sufficit ad priuandum hominem iure suo; quin potiùs operari licèt, & sæpe expedit contra scrupulum. Ita Sanchez *libr. 2. citata disp. 41. n. 42. & loco citato Decalogi.* Gutierrez *de matrimonio c. 49. n. 23.* Coninc *disp 34. num. 100.* Ledesma *q. 45. art. 1. dub. 2* Henriq. *libr. 11. c. 15. n. 13.* Bonacina *supra n. 2.* & alij multi apud citatos, estque communis sententia.

Ratio. 2.

Sanchez. Gutierr. Coninc. Ledesma. Henriq. Bonacina. *Alij multi.*

128. *Quæsitũ 2. pro casu dubij. Explicatur in quo sit difficultas.*

Quæri potest 2. an dubitans de inualiditate matrimonij possit petere vel reddere debitum? Dubium hoc intelligendum est; quando quis est dubius ex probabili, seu discreto, & prudenti fundamento ad dubitandum, & loquimur de proprio & puro dubio explicato, quando quis in neutram partem assentiendo inclinat adhuc probabiliter; nam dubius ex leui credulitate, & fundamento tantùm est scrupulosus, de quo iam diximus.

129. *Coniux dubius qui mala fide contraxit non potest petere. Constat ex iure Canonico. Ratio. Consensus Doctorum. Neque bona fide contrahens potest petere ante adhibitam diligentiam ad pellendũ dubium.*

Circa hoc ergo conueniunt Doctores coniugem dubium, qui malâ fide contraxit matrimonium, non posse petere debitum, vt definitur in c. *Dominus de secundis nuptiis.* Ratio est; quia nullum ius petendi acquisiuit per matrimonium malâ fide contractum, nec possessio malæ fidei potest suffragari. In quo Doctores conueniunt, sicut & in eo, quòd qui etiam bonâ fide contraxit, superueniente dubio, non possit petere ante prudentem diligentiam adhibitam ad explorandam veritatem, & ex dicendis constabit maximè *dub. 13.*

130. *Controuersia præcipua an post sufficientem diligentiam si adhuc manet dubiũ, possit petere. Et an in vtroque casu reddere. Quidam omnia prædicta negãt. Adrianus. Aliqui alij.*

Præcipua verò difficultas est, an possit petere quando bonâ fide contraxit, & prudentem diligentiam adhibuit nec potuit pellere dubiũ, & an in vtroque casu possit & teneatur reddere? Sanè in iis non modica difficultas est, & cõtrouersia inter Auctores nam Adrianus *in 4. q. 2. de sponsalib. & Quodl. 2. punct. 2. ad 2.* aliique nonnulli docent coniugem dubium de valore contractus, etiam bonâ fide initi, & post adhibitam sufficientem diligentiam, nec petere posse, nec reddere, nam in vtroque se temerè exponit periculo faciendi contra præceptum castitatis. Atque ita exponit Adrianus citatum c. *Dominus*, vt quando dicitur reddendum esse alteri petenti, intelligendum sit quoad forum externum, non quoad internum. Atque hæc est prima in hac re sententia.

131. *Alij concedunt teneri reddere & posse petere. Sanchez. Cũ multis. Coninc. Lorca. Perez. Alij apud citatos. Præcipuum fundamẽtũ.*

Alij verò, in quibus Sanchez *libr. 2. disput. 41. num. 47. & disp. 42. num. 2.* cum multis aliis quos prius retulerat. Quibus adde Coninc *disput. 34. dub. 10.* & Lorcam *1. 2. disp. 38.* Perez *disp. 53. sect. 3. numer. 4. & seqq.* & alios apud citatos; putant coniugem, qui bonâ fide contraxit, adhibitâ sufficienti diligentiâ ad pellendum dubium, quod superuenit, & post illam perseuerante dubio, non tantùm teneri reddere sed etiam petere posse. Probãt præcipuè, quia semel captâ possessione matrimonij, bonâ fide per contractum etiam bona fide initum; ita ius coniugis circa corpus alterius perficitur & roboratur, vt possit eo vti perinde, ac si non esset dubium; non secùs atque in aliâ quacunque materiâ iustitiæ. Prædicta verò duo iuris capita nempe *c. Dominus & c. Inquisitioni.* In quibus dicitur coniugem dubium non posse petere, exponuntur à Soto, & Lorca de eo, qui malâ fide contraxit, cui non fauet possessio; atque adeò hunc putant non posse petere, quamuis teneatur reddere alteri, qui bonâ fide contraxit; quæ secunda sententia satis est probabilis.

Sotus & Lorca exponunt citatos textus de eo qui mala fide cõtraxit. Probabilis satis secũda sententia.

132. *Tertia sententia. Multi admittunt teneri reddere, sed non posse petere.*

Couarr. Rebellus. Basilius. Vasquez. Montesin. *Recentiores. Probabilis etiam est tertia sententia.*

Multi verò cumprimis graues, & docti, inter quos Couarruuias *2. par. de matrimon c. 7. §. 2.* Rebel. *lib. 2. q 16. sect. 2.* Basilius *lib. 10. c. 15.* Vasquez *1. 2. disput. illâ 66. c. 4.* Montesinos *prima secundæ disp. 39. q. 4.* & alij posteriores. Recentiores absolutè docent coniugem dubium teneri reddere alteri bonâ fide petenti, qui bonâ fide contraxit, non tamen posse petere ab eo, siue contraxerit dubius, & malâ fide (quod definitur in citato *c. Dominus*) siue bonâ fide, & absque dubio (quod significatur in citato *c. Inquisitioni*) cum in eo definiatur absolutè, & absque vllâ limitatione, etiam in dubio, tam ante sufficientem diligentiam, quàm posteà. Quæ tertia sententia probabilis est.

133. *Sermo in vtroque textu est etiam de foro cõscientiæ. Probatur:*

Innocent. Papa. Luc. Papa.

Atque vt eam probem, probare inprimis oportet in vtroque textu sermonem esse in foro etiam conscientiæ. Nam in *c. Inquisitioni.* Innocẽtius Pontifex agit de dubio, quod conscientiam pulsat, quodque remittit examinãdum proprio pastori, ibique respondet; non, quid iudices debeant decernere; sed, quid ipse dubitans facere teneatur. In *c.* verò *Dominus* Lucius III. loquitur cum captiuis Christianis habitantibus inter Saracenos pro pace conscientiæ; non verò cum iudicibus; atque ibi respondet, quid ipsi facere teneantur. Quibus manet reiecta expositio eorum, qui dicunt tantùm in his Textibus esse sermonem in foro externo, vt dicebant Adrianus, & alij.

134. *In vtroque etiam textu agitur de quolibet siue bona siue mala fide dubitante. Cõtra Lorcam & Sotum. Ratio. Perseuerãte dubio post diligentiam debitam.*

Quod verò in his Textibus agatur de quolibet dubitante siue bonâ siue malâ fide cõtraxerit, sic probo contra Lorcã, & Sotũ: nam in *c. Dominus* definitur quidẽ de eo, qui dubius & malâ fide contraxit; at *in c. Inquisit.* id definitur absq; vllâ limitatione, & distinctione. Quod verò id definiatur quamuis perseueret dubiũ post adhibitam sufficientem diligiam, constat ex vtroque Textu præsertim ex *c. Inquisitioni.*

Ratione verò probatur, quia in dubiis tutior pars est eligenda; sed coniugi dubio siue bonâ fide siue malâ contraxerit, & siue sit dubius ante sufficientem diligentiam, siue post illam, semper est tutius non petere, quia petendo se exponit temerariè periculo peccandi contra castitatem. Præterea idem coniugi tutius est reddere petenti bonâ fide, quàm non reddere; quia non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra ius coniugis petentis, & reddendo tantùm se exponit periculo fornicationis contra castitatem, quæ minùs peccatum est, quàm peccatum iniustitiæ, vt docet S. Thomas *2. 2. q. 58. articul. 12.* nam iniustitia opponitur maiori virtuti, nempe iustitiæ, quæ non minùs obligat; sed magis, quam castitas, cui opponitur fornicatio: ergo coniux in tali dubio non potest petere, tenetur tamen reddere. Atq; ex his putant Auctores huius

135. *Tertia iam sententia ratione quòque probatur.*

S. Thom.

sententiæ satisfactum esse fundamento primæ sententiæ, & argumento Adriani.

136. *Probabiliſſimæ videntur ſecunda & tertia ſententia, ſecunda tamen probabilior.* *Melior eſt conditio poſſidentis in caſu dubio; non ſolum in materia iuſtitiæ, ſed etiam in aliis.* *Exceptio in dubio facti homicidij, vt quis ſe gerat pro irregulari.*

Vtraque sanè sententia secunda scilicèt & tertia mihi probabiliſſimæ videntur; sed inter has duas absolutè videtur secunda probabilior, quàm tertia; nititur enim illi fundamento, de quo sæpe diximus & dicemus nimirum, quod in dubijs melior sit conditio possidentis, ita, vt non tantùm in materia iustitiæ; sed etiam in aliis illud axioma locum habeat; vt latè explicuimus de censuris. *Tract.* 10. *disput.* 7. *dub.* 2. & 3. vbi probauimus, tam in dubio iuris, quàm in dubio facti id esse seruandum, solumque in dubio facti homicidij in ordine ad hoc vt quis se gerat pro irregulari, standum esse illi principio in dubijs tutior pars est eligenda etiam post adhibitam moraliter sufficientem diligentiam ad explorandam veritatem; nam in cæteris semel eâ diligentiâ adhibitâ, si adhuc perseueret dubium; in fauorem possidentis libertatem iudicandum est. Faciunt pro hac doctrina, & abundè illam explicant ea, quæ diximus tomo 1. huius operis *Tractu.* 4. qui est *de Eucharistia disp.* 9. *à num.* 284. sed præcipuè *à nu.* 299. quæ si videat lector, fortè illi non displicebunt.

137. *Quædam, in quibus ſecunda & tertia ſententia conſentiunt explicanda ſunt.*

Iuxta hanc ergo doctrinam in præsenti negotio videtur philosophandum. Sed ea, in quibus conueniunt vtraque sententia, secunda scilicèt & tertia, priùs statuamus.

138. *Aſſertio 1. dubius ſiue bona ſiue mala fide contraxerit debet reddere coniugi bona fide petenti. qui bona fide contraxit.* *Plurimi auctores apud* Sanchez. *Ratio generalis.*

Asserendum est primò coniugem dubium, siue bonâ siue malâ fide contraxerit, teneri reddere alteri petenti qui bonâ fide contraxit, & possidet, siue ante, siue post adhibitam sufficientem diligentiam ex parte dubitantis. Ita docent plerique Auctores, quorum plurimos refert Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 45. & 46. & *disp.* 42. *n.* 2. vbi cum multis docet etiam teneri reddere, quamuis dubius sit de valore matrimonij, ex eo quòd dubitet; an prior coniux viuat, vt constat ex *c. Dominus citato.* Ratio verò generalis pro omni casu est; quia ille, qui petit, bonâ fide petit, & possidet bonâ fide, ergo habet ius petendi, quantum est ex parte suâ, atque adeò alter habet obligationem reddendi, & in eo casu; etiamsi concedamus tutiorem partem in dubijs esse eligendam (vt vult tertia sententia) vel etiamsi concedamus in dubijs meliorem esse conditionem possidentis, (vt vult secunda sententia, imò & etiam tertia quod attinet ad materiam iustitiæ) vtrumque axioma simul habet locum. Nam in præsenti casu alter coniux, qui petit, possidet bonâ fide, vt patet, & supponimus: ergo illi respondendum est. Ex alio verò capite ille, qui reddit, reddendo tutiorem partem eligit, quàm, si non redderet; quia non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra ius coniugis petentis & possidentis bonâ fide; reddendo verò, si alicui periculo se exponit, tantùm se exponit periculo fornicationis contra virtutem castitatis, quæ est minus peccatum, quàm iniustitia, vt vidimus ex Auctoribus tertiæ sententiæ, & ex D. Thoma citato. Et quamuis dubium sit de valore matrimonij; propterea quòd dubitetur; an prior coniux superstes sit; adhuc reddendo se exponit periculo minoris peccati, quàm non reddendo; nam licèt reddendo videatur se exponere periculo faciendi contra ius alterius coniugis prioris, si fortè adhuc viuat, tamen re verâ non se exponit tali periculo, etiamsi fortè viuat, quia tale periculum iniustitiæ in eum extinguitur possessione posterioris coniugis, virtute cuius possessionis ius posterioris potius fit, quia, vt diximus *in nostro opere de iustitiâ & iure tract.* 2 *disp.* 5. *num.* 220. iniustitia contra priorem est dubia, contra posteriorem verò cùm possideat est certa. Atque eâdē ratione extinguitur periculum incestus, quando est dubius de valore matrimonij ex eo, quòd dubitet; an sit impedimentum consanguinitatis; si, (vt multi volunt) irreuerentia facta personæ consanguineæ per accessum carnalem ad ipsam sit strictè, & propriè contra iustitiam & quamuis non sit strictè & propriè contra iustitiam; tale peccatum, & reddendo videatur se exponere periculo peccandi contra pietatem debitam consanguineæ personæ (quæ est tantùm pars potestatiua iustitiæ) nihilominùs reddendo eligit tutiorem partem; quia sic se exponit periculo minoris peccati, quàm se exponeret, si non redderet; nam non reddendo se exponeret periculo iniustitiæ erga petentem, qui bonâ fide possidet, & iure petit. Quod maius peccatum est, vtpotè propriæ iniustitiæ; quàm incestuosa fornicatio, vt notauit Montesino *supra numer.* 31. Montesin.

139. *Eadem doctrina valet etiamsi sit quis dubius de valore matrimonij.* Vasquez.

Eâdem ratione locum habet doctrina, vt concedit Vasquez *supra num.* 28. etiamsi dubius sit de valore matrimonij, quia dubitat, an contraxerit cum mancipio ignoratâ seruitute; nam ex vno capite non reddendo, exponit se periculo iniustitiæ contra mancipium; ex alio verò capite reddendo nullum patitur detrimentum, quo excusari possit à reddendo; nam ex eo, quòd accedat ad mancipium affectu maritali, vt tenetur accedere ad petitionem eius bonâ fide possidentis, non reualidat matrimonium præcedens; quia non accedit, seu non tenetur accedere intendendo denuò contrahere, si fortè fuit nullum matrimonium (quod necessarium erat ad reualidandum) sed tantùm accedit, vt soluat debitum, si fortè debeat, ne se exponat periculo iniustitiæ; imò accedit, quia debet eo ipso, quod alter iure petit bonâ fide possidens.

140. *Aſſertio 2. coniux bonâ fide contrahens reddere & petere poteſt licet adhibita diligentiâ debita maneat dubium.* *Hoc maximè intendunt auctores ſecundæ ſententiæ contra tertiam.* Sanchez. *Cũ multis* Conine. Lorca. Perez.

Asserendum est secundò coniugem, qui bonâ fide contraxit matrimonium non solùm reddere, sed etiam petere potest, non obstante superueniente dubio, dummodo prius adhibeatur diligentia ad pellendum dubium, etiāsi post adhibitam dubium perseueret. Atque hoc est, quod præcipuè intendunt Auctores secundæ sententiæ contra tertiam. Pro quâ secundâ sententiâ, & assertione nostrâ innumeros alios retulit Sanchez citato *numer.* 46. quibus nos addimus Coninchum, & Lorcam & Perez *suprà.*

141. *Probatur ratione generali & reſpondendo argumẽtis.* *Ratio generalis in materia iuſtitiæ.*

Hæc autem assertio probanda inprimis est ratione generali, quæ locum habet in omni possidente bonâ fide in materiâ iustitiæ; deinde respondendo iis argumentis, quibus aduersarij conantur eam doctrinam non habere locum in nostro casu. Probatur ergo primò; quia in materia iustitiæ possessor bonæ fidei si dubium superueniat, & adhibitâ diligentiâ dubium

non

non possit vinci, potest non tantùm rem detinere apud se, sed etiam illâ vti, vt docet & latè probat Sanchez *supra n. illo* 46. nosque latè docuimus & probauimus in *nostro opere de iustitia, caterisq; virtutibus Cardinalibus lib. 2. tract. 2.* qui est *de Restitutione disp. 5. dub. 10.* & concedunt Vasquez & alij multi oppositæ sententiæ; sed in nostro casu coniux tunc dubitans est possessor bonæ fidei, ergo si præmisit sufficiens examen, & adhuc dubius perseuerat, poterit matrimonio vti non solùm reddendo, sed petendo. Hoc argumentum teste Sanchez maximè contorquet aduersarios, & meritò; vix enim ab illo se expediunt, quantumuis varios exitus quærant.

Sanchez. — Vasquez. *Alij multi etiam oppositæ sententiæ.* — *Torquet hoc argumentũ aduersarios, & frustra varios exitus quærũt.*

142. *Quorumdã responsio seu euasio.* Aliqui respondent disparem esse rationem in hoc casu, & in aliis materiæ iustitiæ; quia nimirũ in hoc est periculum incõtinentiæ; in quâ materiâ non habet locum illud principium, quòd *in dubiis melior sit conditio possidentis*; sed tantum in materiâ iustitiæ. Hoc tamen latè & rectè reiicit Sanchez *eadem disp. 41. num. 32.* & deinceps & nos etiam reiecimus *loco citato de censuris disp. 7. dub 2. & 3.* ibi legatur, & etiam in *nostro opere de iustitia & iure lib. 2. tract. 2. disput 5. dub. 10.* vbi *à num. 220.* per varios numeros aliqua ex iis, quæ dicemus etiam paulò aliter explicuimus. Sed quod nunc attinet ad præsens negotium iuxta doctrinam ibi traditam, & omissis aliis, quæ ibi diximus placet probare eo ipso, quòd is, qui possidet bonâ fide, habet ius iustitiæ, non se exponere periculo fornicationis & peccandi contra castitatem. Nam de essentia peccati fornicationis, & contra castitatem est, quòd quis accedat ad non suam, id est ad illam, ad quam accedendi non habet ius; in nostro autem casu contendimus habere ius; quia bonâ fide possidet, imò ius est certum, vt supponimus, non dubium; nam possessio bonæ fidei certa est, & euidens, & possessio est quidam titulus iustitiæ, vt aduersarij etiam fatentur, maximè Vasquez.

Reiicitur. Sanchez. — *Ratio cur ille non se exponat periculo fornicationis.*

143. *Confirmatur 1. argumento ad hominem.* Confirmatur ad hominem contra ipsos; quia ideò ipsi fatentur sic dubitantem teneri reddere alteri petenti possidenti bonâ fide, quia habet ius ad petendum, & ius iustitiæ, hoc autem ius non potest esse aliud, nisi possessio bonæ fidei, hæc autem bonæ fidei possessio, etiam se tenet ex parte alterius dubitantis; ergo eadem ratione ius habet ad petendum; posito autem iure, cessat omnino periculum fornicationis, cùm essentialiter fornicatio supponat non esse ius iustitiæ ex parte eius, qui accedit.

144. *Confirmatur 2.* Confirmatur 2. & ostenditur quod sit etiam ius iustitiæ ex parte dubitantis. Nam ex parte alterius petentis, & non dubitantis perseuerat, & est ius iustitiæ, non quidem aliud ius, quàm ius matrimoniale, & in genere matrimonij cùm sit ius possessionis matrimonialis; sed hoc mutuum est; ergo non potest esse in vno coniuge; quin sit in altero, ergo eo ipso, quod perseueret ius in coniuge petente non dubitante, perseuerat etiam in coniuge reddituro dubitante; ergo perseuerante tali iure, non est periculum fornicationis, si etiam ille dubitans petat adhibitâ diligentiâ ad explorandam veritatem. Quâ adhibitâ ius ex parte suâ manet expeditum, & sine vllo periculo contra castitatem formaliter loquendo; nam, si merè materialiter loquamur, quatenùs possibile est, quod re ipsâ matrimonium non sit validum, tale periculum etiam in altero non dubitante reperitur, atque adeo neque illi petenti reddendum esset, quod neque aduersarij concedunt. Sufficit ergo, quod hîc, & nunc non se exponat periculo peccandi formaliter contra castitatem.

145. *Aliorum responsio & effugium.* Alij respondent nostro argumento negando paritatem in matrimonij vsu, & aliarum rerum; quia possidere rem alienam, & illâ vti non est intrinsecè malum. Ita, vt nequeat ex aliquâ causâ honestari; at accedere ad non suam nunquàm potest esse honestum.

146. *Præcluditur facilè.* Hoc tamen effugium facilè præcluditur, tum, quia (vt nuper dicebam) illâ supposità possessione bonę fidei, & adhibitâ diligentiâ ad pellendum dubium, censetur pro tunc sua, sicut quæuis alia res, quæ sic possidetur: supposito autem, quòd sit sua, cessat periculum fornicationis, & non est intrinsecè malum ad illam accedere. Præterea à argumento ad hominem conuincuntur, nam non minus est intrinsecè malum accedere ad non suam reddendo, quàm petendo; sicut enim intrinsecè malum est petere à non suâ; ita intrinsecè malum est reddere non suæ, & vtrumque æquè non potest ex aliquâ causâ honestari, & tamen ipsi concedunt reddendum esse petenti, atque adeò redditionem honestari non obstante tali dubio: ergo pari ratione eo non obstante cohonestari poterit petitio.

147. *Alij vlterius respondent.* Alij vlterius respondent negando paritatem; nulla enim lex potest transferre dominium corporis, cùm tamen aliarum rerum potuerint leges dominium & vsum tranferre, atque adeò aliarum rerum vsum permiserunt eo dubio existente.

148. *Reiicitur etiam ea responsio.* Sanchez. *Ipsi quoque aduersarij admittunt hoc.* Contra hoc est, quia seclusâ omni lege positiuâ solo iure naturali licèt vti re bonâ fide possessâ, etiamsi dubium superuenerit dummodò præmittatur debita diligentia, vt supponimus ex *citato tractat. de restit.* & probat Sanchez eadem *disp. 41. num. 22.* imò & plerique aduersariorum admittunt.

149. *Vltimò alij respondent.* Alij denique respondent in aliis consumptibilibus posse esse remedium restituendo vero Domino comparenti; at in vsu matrimonij petens debitum exponit se periculo vtendi re alienâ absque vllo remedio.

150. *Reiicitur primò.* *Reiicitur vlterius.* Hoc tamen etiam facile reiicitur; nam talis doctrina etiam locum habet in redditione debiti, quæ tamen non impeditur ex eo capite. Accedit, quod neque in aliis rebus attenditur ad possibilitatem remedij restitutionis, & reparationis nam (vt *loco notato de restitutione* probaui) cùm quis rem quam bonâ fide possidebat, consumpsit, neque inde est factus ditior, etiamsi posteà compareat fuisse alienam, non est obligatio restituendi, aut reparandi damnum, ergo independenter à possibilitate remedij, & reparationis damni locum habet doctrina generalis, quòd possessor bonæ fidei, etiam superueniente dubio possit, adhibitâ diligentiâ, vti re, quam possidet, licèt dubium perseueret.

151. Probat vlterius Sanchez nostram sententiã;

Aliam rationem pro nostra sententia adhibet Sanchez.

quia præmissâ sufficienti diligentiâ coniux habet inuincibilem ignorantiam: ergo excusatur à culpâ petendo. Hæc tamen ratio, quamuis non omnino contemnenda patet calumniæ; responderi enim posset eum, qui dubitat, non purè & merè laborare ignorantiâ; sed licèt veritatem illam non assequatur (atque ex hoc capite possit censeri ignorans) nihilominus, si propriè dicitur dubitare; habet in vtramque partem argumenta, quæ superare non potest; atque adeò videt esse periculum, & in tali casu contendunt aduersarij tutiorem partem esse eligendam; ea verò pars est non petere iuxta eorum sententiam.

Non contemnenda ratio; sed patet calūnia.

Euasio quæ posset quæri.

152. *Tertia ratio eiusdem Sanchezij ab inconuenienti.*

Probat. 3 Sanchez quia durissimum est compellere culpæ immunes vitam cælibem ducere, vt compellerentur qui bonâ fide contraxere, & posteà ambo dubitant, neuter enim posset absque culpâ lethali petere. Quæ ratio etiam non omnino displicet, sed non admodum conuincit, concedi enim posset esse quidem durissimum, sed necessarium.

Etiam hæc ratio non est contemnenda sed hoc inconueniēs vtpote necessariū possent admittere aduersarij.

153. *Probatur ia sententia nostra responsione ad argumenta in contrarium.*

Tandem probari potest nostra sententia, quia argumenta in contrarium contra potestatem petendi non probant. Ad illos ergo duos Textus scilicet ad c. Dominus & *c. Inquisitioni* respondet Sanchez *supra n.* 53. prope finem solùm quidem decidere dubitantem teneri reddere, non tamen posse petere, hoc tamen intelligendum est antequam sit adhibita diligentia, quamuis enim ius non distinguat, ratio distinguere cogit, ne bonæ fidei possessor cogatur ob dubium inuincibile in perpetuum ab vsu rei suæ abstinere. Hæc solutio mihi non displicet maximè pro *c. Inquisitioni.* nam pro *c. Dominus* non est cur multum laboremus, ibi enim ipsis etiam aduersariis concedentibus agitur de eo, qui dubius, & malâ fide contraxit, de quo omnes concedimus, non posse petere. Falsò autem assumunt aliqui Recentiores ex ipso *c. Inquisitioni.* constare ibi sermonem esse de dubitante post adhibitam sufficientem diligentiam; nullum enim verbum est in eo capite, quod vel leuiter indicet decisionem esse de eo, qui iam talem diligentiam adhibuit: nam ibi solùm deciditur primò eum, qui certò scit impedimentum subsistere etiamsi in foro externo probare non possit, nullo modo posse reddere, quantumuis excommunicetur: Secundò verò deciditur, si aliquis credat ex leui credulitate, & temerariâ subesse tale impedimentum, eâ explosâ cum consilio sui pastoris posse reddere & petere: Tertiò denique deciditur, si adsit credulitas probabilis, & discreta, quamuis non euidēs, & manifesta, posse quidem reddere petenti; sed non debere petere ne in alterutro vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam. In quibus omnibus non agitur de dubio perseuerante post adhibitam sufficientem diligentiam, in quo casu reddere liceat, & non petere.

Frobatur ia sententia nostra responsione ad argumenta in contrarium.

Ad textus citatos respondet Sanchez.

Non displicet responsio præsertim pro altero textu.

Alter textus non est ad rem.

Reiicitur sensus Recentiorum circa textū.

Explicantur, quæ in textu decidūtur, & ostenditur nihil esse contra datā doctrinam.

154. *Ad fundamentum ex ratione petitum.*

Ad fundamentum petitum ex ratione respondeo primò negando semper, & in omni occasione in dubiis tutiorem partem esse eligendam. Nam (vt dictum est) in dubiis melior est conditio possidentis. Deinde secundò respondeo negando eum, qui petit post contractum bonâ fide, & adhibitam sufficientem diligentiam exponere se periculo fornicationis, nam eo ipso quòd accedit ad eam, quam possidet bonâ fide, accedit ad eam, ad quam habet ius accedendi. Quod sufficit, vt in omni euentu formaliter non sit fornicationis ille actus.

155. *Alia Sanchezij responsio probabilis.*

Alio modo respondet Sanchez *numer. illo* 53. prope finem negando esse illicitum se exponere tali periculo fornicationis, quando alio modo non potest vti quis plenâ possessione omni iure sibi concessâ. Quæ responsio etiam probabilis est. Omitto alia leuiora, quæ videri possunt apud eundem, & alia in huius rei confirmationem dicemus sequenti dubitatione.

DVBITATIO XII.

An, qui bona fide contraxerunt, & posteà ambo dubitant, possint mutuo sibi reddere, & petere?

156. *Iuxta diuersas allatas sententias aliter atque aliter consequētur responden-dum.*

STatuendum inprimis est iuxta sententiam, quam diximus probabilem *dub. præced.* quòd scilicet bonâ fide possidens superueniente dubio, & præmisso examine possit & debeat reddere; sed non petere, consequenter dicendum esse neutrum illorum posse petere, quia vterque dubitat, & non habet ius petendi, vt concedunt Auctores illius sententiæ: item neutrum illorum posse, nedum debere reddere alteri petenti: quia iuxta eorum principium tantùm poterat, & debebat reddere, ne priuaretur alter iure suo, quod habebat petendi, at in hoc casu non habet ius petendi iuxta eam sententiam: ergo neque alter tenetur, aut potest reddere.

157. *Non potest reddere alter alteri intra primū bimestre iuxta eam sententiam.*

Hoc argumentum probat intra bimestre primum non posse reddere petenti, quamuis bonâ fide petat & non dubitet, & quamuis alter dubitans præmiserit sufficiens examē, quia intra illud bimestre non habet ius petendi, atque adeò iuxta eam sententiam non eligeret tutiorem partem, cùm tunc non reddendo, nō se exponeret periculo iniustitiæ, reddendo verò se exponeret periculo fornicationis. In nostro autem casu aliter philosophandum est.

158. *Assertio. 1. bona fide ambo contrahentes, & ambo postea dubitantes, nec petere nec reddere possunt ante debitam diligentiam. Ratio ex præcedenti dubitatione.*

Assero ergo 1. quando vterque coniux bonâ fide contraxit, & posteà vterque dubitat neutrum posse alteri petere aut reddere petenti ante præmissam debitam diligentiam ad explorandam veritatem. Constat hoc ex doctrinâ traditâ dub. præcedenti quantùm ad non petendum, quia neutrum illorum habet ius petendi ante præmissam diligentiam requisitam. Nam (vt dictum est) temerariè se exponeret periculo peccandi contra castitatem, aut etiam contra iustitiam, si dubium oriatur ex eo, quòd dubitetur de morte prioris coniugis, tunc enim se exponit temerariè periculo adulterij. Quod autem attinet ad reddendum constat etiam ex dictis neutrum teneri; quia neuter habet ius ad petendum, ergo, qui illi petenti non reddit, non facit iniustitiam.

159. *Assertio. 2. si in prædictis post debitam adhibitam diligentiā perseuerat dubiū vterque petere potest & reddere tenetur petenti.*

Assero. 2. si vterque coniux contraxit bonâ fide, & postea vtrique superuenit dubium, & adhibitâ sufficienti diligentiâ adhuc perseuerat dubium, vterque potest petere, & reddere tenetur

netur alteri petenti. Vtrumque etiam constat ex dictis dub. præcedenti; nam petendo vtitur iure suo, cùm sit possessor bonæ fidei, & certum ius possessionis non possit tolli per dubium superueniens præmissâ iam sufficienti diligentiâ ad illud pellendum. Ex quo etiam patet vtrumque teneri reddere; nam si vterque habet ius petendi, qui iure petenti negat debitum, iniustitiam committit. Hæc assertio est contra Auctores tertiæ sententiæ, quam retulimus dub. præced. secundum quam consequenter dicendum est neutrum posse petere, & reddere, quia neuter habet ius petendi, atque adeò neuter alteri obligatur, & tam petendo, quàm reddendo se exponeret periculo peccandi contra castitatem. Nostram sententiam sequitur Diana cum multis 3. *par. Tractat.* 4. *Resolut.* 295. inter quos refert Sanchez (qui alios refert) item Valentiam, Filliucium, Coninchum, Reginaldum.

Probatur etiam ex dictis præcedente dubitatione.

Hæc assertio est contra auctores tertiæ sententiæ.

Diana cum multis. Sanchez. *Cum aliis.* Valentia. Filliucius. Coninc. Reginald.

160. Assero. 3. qui bonâ fide contraxit & posteà dubitat, nondum tamen adhibuit diligentiam debitam, tenetur reddere petenti; etiamsi petens simul dubitet, dummodo idem petens ex parte suâ præmiserit diligentiam, & non pepulerit dubium. Constat etiam ex dictis, nam, qui post contractum bonâ fide initum, & diligentiam præmissam adhuc dubitat, ius habet petendi; atque adeò illi petenti correspondet in altero obligatio reddendi.

Assertio. 3. qui dubitat post contractum cum bona fide initũ debet petenti reddere etiam ante diligẽtiam, si alter post debitam diligentiam dubitans adhuc petat. Colligitur ex dictis.

161. Assero. 4. si alter coniux adulterium admittat, idque notum sit coniugi dubitanti iuxta contrariam sententiam probabilem, nec reddere potest, nec petere; iuxta nostram verò potest petere, & non tenetur reddere ille dubitans. Ratio est; quia in oppositâ sententiâ nec ipse ius habet petendi (vt constat ex dictis) nec alter etiam habet ius petendi, quod per adulterium amisit. In nostrâ verò sententiâ propter eandem rationem non tenetur reddere; quia alter per adulterium amisit ius petendi, ipse autem dubitans præmissâ diligentiâ ius habet, vt constat ex dictis.

Assertio. 4. si coniux dubitans sciat alterũ adulterium commisisse in aliorum sententia neque potest petere, neque reddere; in nostra potest petere, & non tenetur redde. Ratio vtriusque partis.

Assero. 5. quotiescunque dubitans petit ante præmissam diligentiam, alter non tenetur reddere, etiamsi non dubitet, si conscius sit dubij alterius. Ita docet Sanchez *supra disp. illâ* 41. *nu.* 56. & meritò addit ipsum conscium dubij alterius posse petere. Constat etiam ex dictis, quia cùm ipse sit in possessione pacificâ nec dubitet de matrimonij valore, non est cur censeatur priuatus iure petendi, alter verò ante præmissam diligentiam non habet ius petendi.

162. Hæc tamen assertio ex parte non caret difficultate; quando enim coniux, qui non dubitat, habet euidentiam vel moralem certitudinem valoris matrimonij, etiamsi alter coniux dubitet, & nondum præmissâ diligentiâ petat, videtur, qui certus est de valore, teneri reddere; nam illi certò constat, quòd ex iustitiâ sit adstrictus vinculo matrimonij, & qui petit dubitans de valore, re verâ id, quod suum est, petit, etiamsi peccet in non præmittendo diligentiam, ergo alter, qui id certò nouit, non potest negare; tenetur tamen priùs illum de veritate rei certiorem reddere. Quod si fortè non possit tenetur ipse tunc petere ex parte suâ, id enim potest facere, & alter, qui adhuc dubitat, tunc tanquam reddens non peccat, peccaturus, tanquam petens, nondum adhibitâ diligentiâ ad pellendum dubium.

Assertio. 5. dubitanti & petenti ante diligẽtiam debitã alter etiam non dubitãs non tenetur reddere si sciat alterũ cum dubio petere. Sanchez. Potest tamẽ ipse petere. Ratio.

163. *Aliqua difficultas in hac assertione, quando alter est certus de valore matrimonij. Quomodo se debeat gerere qui certus est.*

DVBITATIO XIII.

An quando alter vel vterque malâ fide contraxit dubius de morte prioris coniugis, possit reddere aut petere?

164. *Assertio. 1.*

Assero. 1. sic malâ fide contrahens petere non potest, etiam post præmissam diligẽtiam; sed nondum pulso dubio; tenetur tamen reddere alteri, vel non dubitanti, vel dubitanti quidem, sed qui bonâ fide contraxit, & debitam diligentiam præmisit. Constat hoc ex c. *Dominus* de secundis nuptiis, vbi hic casus in terminis deciditur pro eo, qui bonâ fide possidet, & contra eum, qui possidet malâ fide. Ratio verò est; quia, cùm alter bonâ fide possideat, non debet iure suo expoliari ob malam fidem alterius. Ita Sanchez cum multis, quos refert *citato libro* 2. *disp.* 42. *numer.* 2. Perez *disp.* 53. *sect.* 2. *num.* 1. & 2. Vnde cum eisdem existimo, eum, qui bonâ fide contraxit, & non dubitat de matrimonio (atque idem est si adhuc dubitat post præmissam diligentiam) reddere posse, & petere, quia cum bonâ fide pacificus possessor sit, potest vti plenè matrimonio. Si autem ipse etiam dubius nondum præmisit diligentiam, nondum petere potest iuxta dicta in præcedentibus, & consequenter nec alter, ipsi petenti reddere.

Ratiõ. Sanchez. *Cũ multis.* Perez.

165. *Colligitur ex dictis ei, qui mala fide contraxit petenti non debere alterũ reddere.*

Ex quo etiam patet contra Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio c.* 6. *num.* 5. *in Comment. litterâ T.* referentem Victoriam & Canum, item contra Bartholomæum de Ledesma de matrimonio *dub.* 20. *concluſ.* 1. si is, qui malâ fide contraxit, petat, alium non teneri reddere, quia obligatio reddendi oritur ex possessione petentis, & iure iustitiæ, quod habet ille ad exigendum; tale autem non habet, qui malâ fide contraxit. Ita Sãchez *suprà num.* 3. & habetur *c. Dominus* ibi: *Debitum à se nouerit nullatenus exigendum.* Nec argumentum, quo vtitur Henriquez petitum à simili eius, qui tenetur reddere alteri contra votum petenti vim vllam habet; nam, quidquid sit de veritate huius obligationis reddendi; non est eadem ratio. Ille enim, qui petit contra votum suum verè habet possessionem, & ius iustitiæ ad exigendum, solumque peccat contra Religionem voti. In nostro autem casu petens non habet ius vllum iustitiæ.

Contra. Henriquez. Victoriam. Canum. Ledesmã. *Ratio.* Sanchez. *Habetur in iure. Henriquez argumentum à simili nihil probat.*

166. *Assertio 2. Constat ex dictis. Hanc assertionem certam meritò putant alii.* Sanchez. Veracruz. Angles. Henriq. Perez. *Videtur dissentire Sylueſter & clare dissentit Ledesmæ.*

Assero. 2. quando vterque malâ fide contraxit dubitans de impedimento, neuter potest petere, nec reddere. Constat ex dictis *dub. præcedenti*; quia neutri suffragatur possessio malâ fide incepta, vt nuper argumentabamur ex *c. Dominus.* Atque hoc meritò putat Sanchez certissimum cum Veracruz, Angles, & Henriquez, quos refert *num.* 8. Perez suprà *num.* 4. quidquid in contrarium videatur sentire Sylueſt. *matrimonium* 4. 99. *dicto* 3. & expresè doceat Bartholom. à Ledesma *de matrimonio dub.* 20. *concluſ.* 1.

Prædi-

167. *Non possunt reddere prædicti, nisi ex causâ idoneâ dubium practicè deponant. Sufficiet causa probabilis. Henriq.*

Prædicti verò sic contrahentes, non possunt reddere nisi posteà causa subsit, vt id dubium practicè deponant, adhoc autem requirit Henriq. *lib.*11.*c.*11.*num.*5. *in fine.* quod probabilius sit matrimonium valere, etiamsi fortè probabilius putetur non valere; nam in moralibus satis est probabilem sententiam sequi.

168. *Obseruandũ pro hac & præcedentibus dubitationibus. Coninc. Vazquez adhuc addit & verè.*

Tandem obseruandum est pro hac, & proximè præcedentibus dubitationibus, in quibus egimus de dubio superueniente post matrimonium, coniugem dubium, si speret posse veritatem inuenire, tenêri illam inquirere, antequàm sit occasio, in qua alter petat; ne se exponat periculo reddendi non coniugi. Ita Coninc *disp.* 34.*n.*101. imò addit Vazquez 1.2. *disput. illâ* 66. *num.*33. quando alter petit ante sufficientem inquisitionem factam à coniuge dubio, tenêri hunc ei reuelare dubitationem (si credat reuelationem profuturam, & non nocituram) vt interim, dum inquiritur veritas, non petat. Quod si etiam admonitus petat, reddendum illi esse, nisi fortè constet ex vi admonitionis etiam illum incepisse dubitare; tunc enim illi tanquàm illicitè petenti reddendum non est. Quæ doctrina mihi placet.

DVBITATIO XIV.

An coniuges, qui bonâ fide contraxerunt, & posteà incipiunt opinari matrimonium esse inualidum posint petere & reddere?

169. *Assertio 1. Talis opinãs non valere, & non habens probabilitatem alterius partis, quâ probabile putat valere, non potest petere. Sanchez. Bonacina. Gutierr. S. Antonin. Sylvest. Rodrig. Sotus. Cucus. Perez. Recentiores. Ratio.*

Assero 1. coniux, qui contraxit bonâ fide, & posteà incipit opinari matrimonium esse inualidum, & non habet assensum probabilem quæ opinionem alterius partis, nempè valoris matrimonij non potest petere. Ita Sanchez *lib.*2. *disp.*44. Bonacina *q.*4. *puncto* 4.*num.*13. Gutierrez *c.*50.*num.*2. Antoninus 3.*p.tit.*1. *c.*9. Sylvest. *matrim.*4. *quæst.*9. Rodrig. 1.*tomo Summæ in* 2.*edit. c.*243.*num.*6. Sotus *in* 4.*dist.*27. *q.*1.*art.*3. Antonius Cucus *lib.*5.*Instit. maior. tit.*12. *num.*232. Perez *suprà sect.*4.*num.*2. & alij Recentiores. Ratio verò est; quia dubitanti suffragatur possessio non autem habenti assensum opinatiuum in contrarium. Et quidem, si loquamur ante adhibitam diligentiam ad pellendam illam opinionem, dubium non est, quin reddere non possit, cùm nec reddere possit in casu dubij ante diligentiam adhibitam; quod autem nec post adhibitam diligentiam, manente opinione, non possit, constat ex eo quòd melior conditio possidentis sit tantùm pro casu dubij, vt dictum est; non pro casu opinionis.

170. *A fortiori non potest qui malâ fide contraxit & incipit opinari non valere.*

Ex quo patet à fortiori non posse petere, qui post matrimonium malâ fide initùm incipit opinari matrimonium esse inualidum.

171. *Assertio 2. Qui opinatur esse inualidum, debet reddere coniugi, qui bonâ fide contraxit & bonâ fide petit donec certò constet oppositum.*

Assero 2. Coniux, qui opinatur matrimonium esse nullum tenetur reddere (non obstante eâ opinione) coniugi, qui bonâ fide contraxit, & bonâ fide petit, donec ita certus sit, vt parum, aut nihil dubij maneat. Probant nonnulli 1.*ex c. Si virgo* 34.*quæst.*2. ex Augustino *lib. de Fide. & oper.* ibi: *Si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquàm ex hoc adultera erit si autem sciat, iam ex hoc adultera esse incipit.* Verùm hic Textus non mihi videtur satis conuincere, nam, quamuis Sanchez cum Sylueſtro, & alij expendant, non dixisse Augustinum, *si opinatur*, sed, *si sciat*: hoc parum roboris habet; nam licèt scientia presè sumpta pro certâ & euidenti notitiâ accipi soleat, tamen etiam in morali, & communi modo loquendi extenditur vox ad assensum, & iudicium opinatiuum. Ideò melius probatur 2. *ex c. Inquisitioni de sent. excomm.* ibi: *Si habeat conscientiam ex credulitate probabili & discretâ, quamuis non euidenti, & manifestâ, reddere debet.* vbi expendenda sunt ea verba *non euidenti, & manifestâ* & illa *ex credulitate probabili, & discretâ*; est enim opinio credulitas probabilis, & discreta; non tamen euidens, & manifesta, & sub hac dicit reddendum esse alteri. Tertio probatur ratione, quia iuxta doctrinam generalem in materiâ de Restitutione nemo potest priuare alterum iure suo, & possessione adquisitâ, nisi certò illi constet rem suam esse, vt ex instituto latè probauimus cum plerisque Doctoribus *in nostro opere de Iustitiâ, cæterisq; virtutibus Cardinalibus* agentes *de Restitutione lib.*2.*Tract.*2.*disp.*9.*dub.*6.*& disp.*10. *dub.*7. in nostro autem casu coniux, qui solùm habet opinionem de nullitate matrimonij priuaret alterum iure & possessione suâ non certò sciens alterum non habere tale ius, ergo id non potest facere. Ideò hanc sententiam sequuntur Sanchez *supra num.*3. cum multis aliis Bonacina *supra num.*15. Gutierrez *cap.*9.*n.*1.*&* 31. Perez *supra* & alij.

Quorundã probatio ex textu sumpto ex Augustino. Non satis probat textus. Sanchez. Sylvester alij non satis concludunt. Melior 2. probatio ex alio textu. Probatio 3. ratione. Sanchez cum multis Bonacina. Gutierrez. Perez. Alij.

172. *Assertio 3. Certò sciens impedimentum dirimens nec petere potest nec reddere. Colligitur ex iure. Ratio. Si certitudo sit omnimoda omnino certa est doctrina. De morali certitudine postea dicetur, quando reperiatur & quid requiratur ad illam. Ratio supposita certitudine. Etiamsi in foro externo excommunicetur, non potest tunc reddere.*

Assero 3. Coniux, qui certò moraliter nouit adesse impedimentum dirimens, non potest petere vel reddere debitum. Hæc assertio colligitur ex *c. Inquisitioni* citato & ex *c. Dominus de secundis nuptiis.* Ratio verò est; quia qui accedit carnaliter ad non suam peccat peccato fornicationis, in tali autem casu, etiamsi alter coniux bonâ fide petat; si certus est illum nõ esse suum coniugem accedit ad non suum: ergo peccat peccato fornicationis etiamsi ab altero requisitus accedat. Et quidem si de omnimodâ certitudine loquamur, id, tanquàm omnino certum supposuimus *dub.*11. in principio. Solùm esse potest difficultas, quando certitudo moralis sit, sed de hoc dicemus *dub. sequenti.* vbi explicabimus quid requiratur, & quando reperiatur moralis certitudo; nunc sufficiat probare quando ea reperitur non esse licitum reddere petenti. Quod sic probo. Illa dicitur moralis certitudo, quæ talis est, vt tunc non credere imprudentia sit: ergo, quando quis tunc sub iis circumstantiis credit, sub quibus imprudens esset, si non crederet, nec vt certum haberet; censetur prudenter credere, & prudenter certum iudicare; posito autem tali certo iudicio, quod opus hîc & nunc sit illicitum, non potest simul habere iudicium, quòd sit licitum, ergo tunc redditio fiet sine iudicio, quo iudicetur licita; quidquid autem fit sine iudicio, quo iudicetur licitum, imò cum iudicio, quo iudicetur illicitum, omnino illicitum est. Vnde in tali casu, qui certò scit illum coniugem non esse suum propter impedimentum dirimens, quod non potest probare in foro externo Ecclesiæ, etiamsi ab Ecclesiâ

cleſiâ excommunicetur, niſi debitum reddat, non poteſt reddere, ſed tenetur humiliter excommunicationem pati (quam tamen non incurrit in foro conſcientiæ, ſed tantùm in externo) & ſe gerere in foro exteriori pro excommunicato, vt expreſsè & in terminis decidit. c. *Inquiſitioni de ſent. excomm.* Ita Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 39. *n.* 5. & 7. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 39. Gutierrez *de matrimon. cap.* 49. *num.* 1. & alij apud ipſos. Adde Perez *diſp.* 5. 3. *ſect.* 1.

Conſtat ex Iure Canonico. Sanchez. Nauarr. Gutierr. Perez. Alij.

173. *Vera eſt data doctrina etiam in impedimento iure humano inducto. Colligi videtur ex Iure Canonico. Sanchez. Gutierr. Alij.*

Quæ doctrina etiam locum habet (quidquid reclamet Henriquez *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 1. in *Commentario.* Litterâ K) quamuis matrimonium inualidum fuerit ob impedimentum iure humano introductum, ex quocunque enim capite inualidum ſit, ſatis eſt, quòd inualidum ſit, vt actus reddendi ſit illicitus, videturque colligi ex c. *Litteras* de *reſtit. expoliator.* vbi de omni impedimento (quamuis præſertim de impedimento iuris diuini) docet in tali caſu Eccleſiaſticam cenſuram debere *humiliter tolerare donec probationes offerat.* Ita Sanchez Gutierrez & alij locis citatis.

174. *Aſſertio* 4. *cum probabilitate pro vtraque parte poteſt reddere, & petere. Ratio. Sanchez, Ledeſma vterque. Etiamſi probabilius ſit non valere poteſt reddere & petere. Ratio. Sanchez. Perez.*

Aſſero. 4. Si coniux putet probabile quòd ſit impedimentum, propterea quod putet v. g. probabilem opinionem vitæ prioris viri, & ſimiliter probabilem opinionem mortis, atque adeò probabilem aſſenſum valoris, poteſt reddere, & petere. Ratio eſt, quia licitum eſt ſequi opinionem probabilem, atque adeò illam opinionem valoris matrimonij. Ita Sanchez *diſp. illa* 44. cum vtroque Ledeſma, imò etiamſi probabilius ſit matrimonium non valere, neque enim quis tenetur ſequi opinionem probabiliorem, vt iam in præcedentibus diximus; ſed ſatis eſt cum probabili operari, vt notat etiam Sanchez ibidem & Perez *diſp.* 53. *ſect.* 4. *n.* 3. qui hanc ſententiam ſequitur.

175. *Aſſertio* 5. *cum opinione nullitatis & ſola aliqua formidine valoris tenetur reddere, & non poteſt petere. Sanchez. Quando opinio eſt pro vtraque parte an poſſit negare & etiam petere? Probabile eſt poſſe etiam negare ſequendo probabilitatem nullitatis; etiam poſſe petere ſequendo alteram partẽ.*

Aſſero. 5. cum eodem Sanchez ibi adiuncto *num.* 3. eum, qui habet probabilem opinionem nullitatis matrimonij tunc tantum tenêri reddere, & non poſſe petere, quando ita habet probabilem opinionem nullitatis, vt tantùm ſit formido, vel dubium valoris. Atque hac ratione intelligenda eſt ſecunda aſſertio ſuprà poſita; nam, ſi ſimul habeat opinionem probabilem valoris, poterit etiam petere, imò ſatis probabile eſt poſſe etiam negare, ita, vt quando negat, ſe accommodet opinioni, quæ dicat eſſe nullum matrimonium; quando verò petit, ſe accommodet opinioni, quæ dicat eſſe validum.

DVBITATIO XV.

An coniux teneatur credere alteri dicenti reperiri impedimentum dirimens, & propter tale teſtimonium abſtinere ab vſu coniugij? & quando tale teſtimonium fidem faciat?

176. *Aſſertio* 1. *Reſpectu ſui ipſius credẽdum eſt dicenti in foro conſcientiæ: at in externo non niſi probet. Ratio. Conſentiunt omnes in hac aſſertione. Sanchez. Couarr. cum multis Menoch.*

Aſſero. 1. in foro conſcientiæ reſpectu ſui ipſius credendum eſt affirmanti, in foro verò externo non eſt credendum, niſi probet. Ratio eſt; quia in foro interno tantùm agitur de ſalute ſpirituali alicuius, & de componenda cum Deo conſcientiâ; in foro vero externo de adminiſtrandâ iuſtitiâ actori petenti ius ſuum. Ex quo fit, vt in eo foro ſtetur confeſſioni vniuſcuiuſque pro ſe vel contra ſe; in externo verò allegatis & probatis; facileque iuſtitia euerteretur, ſi confeſſioni ſoli litigantium ſtandum eſſet. Accedit, quòd nemo in interno foro quærens Deo reconciliari, præſumitur ita ſalutis ſuæ immemor, vt falſum deponat. In hac aſſertione conueniunt omnes teſte Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 45. *num.* 2. Inter quos Couarruuias multos alios referens 4. *Decretal. p. cap.* 4. *Paragraph.* 1. *num.* 9. & 2. *p. cap.* 2. *num* 2. Menochius *de præſumpt. lib.* 1. *numer.* 29. & 37. & *conſ.* 385. *à num.* 21. *volum.* 4.

177. *Aſſertio* 2. *Non tenetur vnus coniux alteri credere quãdo aſſerit impedimentum vt nequeat vti matrimonio & alteri nubat, v. g. cũ ait ſe non habuiſſe conſenſum. Nauarr. Alij multi apud Sanchez. Sà. Rebellus. Valentia. Gutierr. Bonacinã. Alij apud illos. Diana. cum alijs.*

Aſſero. 2. ſi agatur de fide adhibenda viro reſpectu mulieris, vel è contra, vt poſſit ei credere aſſerenti ſi fictè conſenſiſſe, & vt eâ ratione nequeat vti matrimonio, & alteri nubere poſſit, non tenetur regulariter ei fidem adhibere. Ita Nauarrus *cap.* 22. *num* 82. & alij multi, quos refert Sanchez *ſupra num.* 2. quibus adde Sà. verbo *Debitum num.* 7. Rebellum *lib.* 2. *q.* 19. *num.* 12. Valentiam *tom.* 4. *diſp.* 10. *q* 6 *puncto* 2. Gutierrez *de matrimonio c.* 49. *num.* 32. Bonacina *q.* 4. *punct.* 4. *num.* 19. & alij apud citatos. Quibus ad de Dianam 3. *part. Tract.* 4 *Reſol.* 2. 93. §. cum alijs. quos refert.

178. *Locum habet hoc, etiam ſi iuret ſe non conſenſiſſe verè. Richard. & alij. Sanchez.*

Quæ doctrina locum habet etiamſi coniux iuret fictum illum conſenſum, vt cum Richardo & alijs multis docet Sanchez ibidem.

Ideo autem diximus *regulariter* non teneri credere, nam aliquando fieri poteſt, vt adſint aliæ ſufficientes circumſtantiæ, & coniecturæ, quibus teneatur credere, atque adeò nec reddere poſſit, nec petere. Ita Bonacina *ſupra* Gutierrez *num.* 37. & alij apud Bonacinam. Vnde meritò Sanchez *num.* 14. docet eam certitudinem requiri & ſatis eſſe, vt poſſit illi credere mulier, aliudque inire matrimonium, quæ virum prudentem certum moraliter redderet ficti conſenſus alterius; nam in hac re certitudo metaphyſica haberi nequit. Pro qua doctrina refert Sylueſtrum, Nauarrum & Petrum de Ledeſma. Poſteà idem Sanchez ex eâ doctrinâ infert, Primò iudicis arbitrio committi, quæ ſufficiant coniecturæ, certitudinemque moralem faciant. Deinde in prticulari deſcendendo. Secundò infert eſſe ſufficientem coniecturam, ſi vir prolata verba conſenſus in continenti reuocat. Tertiò, ſi ſtatim fictè conſenſiſſe aperiat, aliudque matrimonium ineat. Quartò, ſi vir ſic aſſerens ſit adeò diſpar, vt prudentis arbitrio vix credi poſſit eum illam ducere voluiſſe. Quintò, ſi cùm ſit bonæ vitæ, & famæ, ſolituſque quotannis Sacramenta recipere, bonorumque familiaritate vti, iuret ſe non conſenſiſſe, & ex vitæ eius qualitate probabile ſit eum non peierare, maximè, ſi ſimul aliam vxorem ducat, vel Religionem profiteatur, aut Sacros Ordines ſuſcipiat; quia non eſt veriſimile in re tam graui ſibique & vxori tam pernicioſa velle mentiri. Sextò ſi puella neget ſe verè conſenſiſſe, veroſimilibus coniecturis metu patris comprobatis, ſitque honeſtæ vitæ, & alij nubat, etiamſi metus non ſit cadens in conſtantem virum; nam, ſi tam grauis eſſet metus, & probetur ſatis conſtabit contractum eſſe nullum. Septimò infert non teneri, nec poſſe credere,

179. *Exceptio ſeu limitatio pro aliquo caſu, in quo ſint coniecturæ idoneæ. Bonacin. Gutierr. Alij. Sanchez certitudinẽ ad requiſitã explicat benè. Sylueſter. Nauarr. Ledeſma. Quædam coniecturæ in particulari. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.*

si coniecturæ prioris consensus sint vehementes; quia nec disparitas est notabilis, nec tàm verisimilis metus adfuit, & ex alio capite tali modo, & talibus verbis vir expressit consensum, vt arbitrio prudentis non possit vxor non credere, verè maritum consensisse. Atque adeò tunc non poterit alteri nubere. Quæ omnia varijs allatis Auctoribus & rationibus probat Sanchez *supra à num.*5. vsque ad 14. Deinde verò *num.*5. disputat an dissensus in matrimonio sufficienter probetur vtriusque coniugis confessione asserentis se fictè consensisse: refertque negantem Paludanum & Antoninum. Ratioque esse potest; quia non satis est confessio facta ab vtroque coniuge impedimenti dirimentis, vt matrimonium dissoluatur; ergo nec confessio dissensus.

Late de his omnibus Sanchez.
An vtriusque confessione probetur sufficienter assensus fictus?
Negans sententia.
Paludan.
S. Anton.
Ratio à simili.

180. *Oppositum est verum.* Sanchez. Baldus. Greg. Lop. *Limitatio. Argumentũ à simili dissoluitur.*

Meritò tamen idem Sanchez sentit oppositum & cum Baldo, & Gregorio Lopez docet dissensum in matrimonio probari vtriusq; coniugis cõfessione (nisi collusionis præsumptio adesset; vt Greg. Lop. notauit) estque longè dispar ratio de impedimentis atque de consensu, quia cætera impedimenta possunt aliâ viâ probari, cùm externa sint; consensus verò & dissensus, cùm in corde lateat, non potest aliâ viâ probari, nisi per coniugum confessionem, quamuis aliæ quoque possint coniecturæ adhiberi.

181. *Assertio. 3. Non tenetur coniux credere impedimentum ob dictum vnius tantũ distincti ab altero coniuge. Ratio. Diligentia in eo casu est adhibenda ad explorandam veritatem. Si testimonium non sit fide digni non tenetur dubitare, & absque adhibitâ diligentiâ potest petere.* Sà. Nauarr. Gutierrez. *Alij apud* Henriq. Sanchez.

Assero. 3. non tenetur coniux credere adesse impedimentum dirimens, & abstinere à matrimonio contracto, quando audiuit huiusmodi impedimentum adesse; non ab altero coniuge, sed ab alio viro fide digno, vel amico, vel etiam Patrocho, si vnus tantùm sit, qui attestetur. Ratio est; quia quamuis dictum vnius fide digni sufficiat, vt iustè quis credere possit, non tamen vni tantùm necessariò credendum est; solùm enim ea obligatio est erga duos fide dignos, & contestes, vt constat ex *c. Cùm à nobis de testibus & attest.* Sanè si tale testimonium daretur à viro fide digno ante initum matrimonium, teneretur abstinere à matrimonio contrahendo; ne se exponat periculo fornicationis, & inualidè contrahendi. Si verò iam contraxit, testimonium tantùm vnius, licèt fide digni, solùm cogit ad dubitandum de valore matrimonij, & consequenter non potest petere, donec adhibeat sufficientem diligentiam ad explorandam veritatem, qua adhibitâ poterit petere & reddere iuxta supra dicta. Quod si testimonium non sit viri fide digni, non tenetur dubitare, atque adeò potest petere non adhibitâ diligentiâ. Ita Sà verb. *Dubium num.*7. Nauarrus *cap.*22. *num.*82. Gutierrez *c.*49. *num.*23. & 33. & alij apud Henriquez *supra num.*13. quos etiam refert & sequitur Sanchez *lib.*2. *disp.*45. vbi à *num.*25. latè de his disputat; ibi Legatur.

182. *Assertio 1. Cum periculo effusionis extra vas illi tactus sunt mortale peccatum. Est certa assertio prædicta.* Sanchez. Coninc. Rebellus. Vazquez.

DVBITATIO XVI.

An tactus turpes inter coniuges sint liciti?

Asserendum est 1. eos tactus esse illicitos, & mortales, quando est probabile periculum effusionis seminis extra vas, si fiant absque vrgenti necessitate. Assertio est certa, eamque docent Sanchez *lib.*9. *disp.*45. Coninc *disp.*34. *dub. vltimâ.* Rebellus *lib.*3. *quæst.*19. Vazquez 1.2. *disp.*115. *c.*2. Quo periculo cessante quantumuis sit in partibus pudendis omnino liciti sunt, si ordinentur ad copulam coniugalem, in quam suapte naturâ ordinantur. Atque hoc (vt notant Sanchez, Coninc) verum est, quando fiunt ob quemlibet finem alium honestum, vt ad sedandam tentationem carnis, vel ostendẽdum amorem erga alterum coniugem. Ex quo etiam fit, vt præter tactus, & oscula, excusentur etiam verba obscæna & aspectus inter coniuges seclusò eodem periculo pollutionis, aut desiderij, seu delectationis circa alteram personam. Qua de re legi potest Sanchez *lib.*9. *disput.*46. *num.*7. Azor. *tom.*3. *lib* 3. *cap.*25 *quæst.*2. Lessius *lib.*4. *c.*3. *dub.*15. *num.*121. Henriquez *lib.*11. *c.*16. *num.*7. Coninc *citatâ disp.*36. *dub.*11. *num.*113. Perez *disp.*54. *sect.*2.

Liciti sunt si ordinẽtur ad copulam coniugalẽ, etiam quãdo fiunt ob alium honestum finem. Quid de verbis obscenis? Quid de aspectibus? Secluſis aliis periculis aut malis licent. Sanchez. Azor. Lessius. Henriq. Coninc. Perez.

Dixi si fiant absque vrgente necessitate, nam si sit tanta necessitas etiamsi sequatur & præuideatur pollutio citra consensum non putat Sanchez esse peccatum; talem autem causam putat reddere tactus ab altero coniuge exactos, dummodò tactus illi non sint tam propinqua causa pollutionis, vt censeantur quasi pollutio inchoata, vt si vir petet ab vxore, quòd attrectet virilia, vel ipse velit intromittere digitos intra vas vxoris. Legatur idem Sanchez *disp.*54. *n.*34. & seqq. Perez *supra sect.*1. imò etiam in petente putat Perez.

183. *Quid si vrgente necessitate fiant & sequatur aut præuideatur pollutio? Quidam putant cum limitatione licere.* Sanchez. Perez.

Probabilius tamen puto cum Nauarro *c.*16. *num.*42. absolutè tunc non licere tactus etiam exactos ab altero, quia alter non habet ius exigendi tactus, qui sint causa pollutionis, atque adeò alter tunc potest, & debet negare eos tactus, quidquid in contrarium dixerint tùm citati tùm Zanardus & Filliucius, quos refert, nec reiicit Diana 3. *p. Tract.*4. *Resol.*217. negantes in permittente tunc esse mortale non iam periculum; sed etiam pollutionem. Faciliùs admiserim non esse mortale in petente, si intendat quidem copulam, & dum intendit se ad copulam excitare sequitur pollutio, quod verè illi dicunt, si præter intentionem & consensum.

184. *Probabilius est non licere.* Nauarrus. *Ratio. Contra citatos & contra* Zanardũ. Filliucium. *contra quos* Diana. *Quo casu facilius possit excusari petens.*

Iam verò difficultas est, an quando hi tactus, &c. in coniugibus fiunt tantùm ob capiendam voluptatem venereã in ipsis repertam, sint mortales? nam saltem veniales esse omnes supponunt, quamuis difficultate non careat, si voluptas nimia non sit.

185. *Quid si fiant solum ob voluptatem veneream in ijs actibus repertam? Veniales saltem sunt.*

Non desunt, qui putent esse mortales. Ita Antonin. 3. *part. Tract.*1. *cap.*20. Sylvest. verbo *Debitum q.*9. Margarita Confessorum. *Præcepto* 6. *casu* 7. & alij apud Sanchez *supra*. Probant; quia sunt actus libidinosi, seu venerei, nec referuntur ad copulam coniugalem, in quam naturâ suâ ordinantur.

186. *Aliqui putãt esse mortales.* S. Anton. Sylvester. Margarita. *Alij apud* Sanchez. *Probant.*

Alij verò meritò docent non esse mortales. Ita Vasquez, Rebellus, Coninc, Sanchez *supra* & alij Recentiores non pauci; inter quos Bonacina cum alijs *quæst.*4. *puncto* 9. *num.*6. Diana cum alijs contra aliquos 3. *p. Tract.*4. *Resol.*225. Perez *disp.*54. *sect.*5. *num.*1. Ratio est; quia libido in ijs tactibus non habetur omnino extra matrimonium, sed in ipso, cùm sit volita in tactibus suâ naturâ ordinatis ad copulam coniugalem, atque adeò,

187. *Alij melius negant esse mortales.* Vazquez. Rebellus. Coninc. Sanchez. *Recentiores multi.*

Bonacina. *cum alijs.* Diana. *cum alijs.* Perez. *Ratio.*

adeò, sicut matrimonium excusat saltem à mortali libidinem volitam, & quæsitam in copulâ, ita etiam in iis tactibus.

Hoc ipsum verum putat Sanchez, quamuis in coniugatis sit probabile periculum alterationis in membris pudendis imò quamuis sit probabile periculum eius, quam appellat distillationem, vt videre est apud ipsum eâdem *disput.45. num.41.* & consentiunt alij apud Dianam *supra Resol.226.* Item Perez *disp.54. sect.5. num.1.* In quo etiam consentit Ochagauia *Tract.5. q.12.* & ipse & Sanchez excusant à mortali tactum, quod coniux etiam in absentia alterius tangit libidinosè sua membra pudenda, quamuis commouenda, & alteranda, quando non est probabile periculum effusionis seminis extra vas. Probant; quia illi tactus naturâ suâ ordinantur ad actum coniugalem, quamuis non actu referantur ad illum. Nomine autem distillationis intelligit Sanchez eadem *disp.45. nu.2.* humorem quemdam aqueum assimilem semini.

188. *Quid si sit periculum alterationis & distillationis? Excusat Sanchez illos à mortali Item alij apud* Dianam. Perez. Ochagauia *qui & Sanchez excusant tactus coniugati in absentia sui coniugis, seclusa pollutionis periculo. Probant.*

Verùm in his omnibus aliqua mihi videntur contineri omnino falsa; atque inprimis illud falsissimum puto, quod dicunt hi Auctores, de coniuge in absentia alterius tangente libidinosè sua membra pudenda; id enim non esse licitum sed peccatum mortale satis probauimus (cum Vazquez *1.2. disput.113. num.4.* & Armillâ verbo *Impudicitiâ num.3.*) in nostro opere *de Iustitiâ* cæterisque virtutibus Cardinalibus agentes de virtute temperantiæ, & vitijs oppositis *lib.1. disp.3. dub.15. Paragrapho. Illud tamen num.228.* Quam sententiam etiam tenent Montesinos Ioannes de la Cruz, Salas & Sancius, quos tandem sequitur Diana *3. par. Tract.4. Resolut. 215. in fine.* & rationem adduximus, quia coniux non habet ius in corpus proprium ad vsum venereum; nisi per accidens, vt possit copulari cum coniuge; ergo extra hunc casum tactus ille non est indifferens; sed per se illicitus, & ordinatus ad pollutionem; atque adeò peccatum mortale. Ideò reiecimus eundem Sanchez, qui nullâ efficaci ratione contrarium docuit tum suprà tum priùs eodem *lib. disp.44. num.16.* Nec video cur non dissonet rationi æquè grauiter, aut etiam grauius, quod vir coniugatus alioquin absens ab vxore, velit tactibus propriis delectari, quibus peccaret etiam vir solutus; aut quid conducat ad excusandum illum, quòd existens mariti vxorem habeat Hispali, vt minus peccet, quàm peccaret solutus? imò grauius videtur peccare, quia peccat contra fidem datam coniugi, atque adeò contra iustitiam iuxta illud Ambrosij lib. de Patriarch. & habetur *c. Nemo sibi 32. quæst.4.* ibi. *Neque hoc solùm est adulterium cum alienâ peccare coniuge; sed omne, quod non habet potestatem coniugij.* Atqui illa libido, & tactus tunc habentur extra potestatem coniugij; quia illi tunc sub ijs circumstantijs loci, & temporis nec ordinantur; nec possunt ordinari ad actum coniugij, atque adeò, qui sic se tangit, abutitur proprio corpore ad actus venereos & (saltem inchoatiuè) subseruientes, & ordinatos ad pollutionem, seminisque extra vas administrationem; cùm tamen coniux *non habeat potestatem corporis sui* vt ait Apostolus, sed alter coniux contra cuius ius in hoc vsu videtur facere. Legantur quæ diximus loco notato, vbi contra Ferdinandum de Castro ostendimus falsò referri Vazquez pro oppositâ sententiâ, cùm expressè doceat nostram loco citato. Nec omnino contemnendum est, præsertim quando absentiæ tempus, & loci distantia maior est, quod nescit, an alter coniux viuat, adeoque incertus est de coniugio subsistente quando certam voluptatē venereā captat, quę non licèt, nisi subsistēte matrimonio. Alia verò, quæ addunt prædicti Auctores probabilia sunt.

Docent præterea Sanchez, Vazquez, Coninc, & Perez suprà alijq; multi contra Nauarrum & aliquos alios delectationem libidinosam, seu venereā habitam à coniugibus extra copulam de copulâ, aut præteritâ, aut futurâ cogitatâ, vt præsenti non esse mortalem etiam in absentiâ coniugis, quando non est probabile periculum pollutionis, quia est coniugalis, vtpotè habita constante matrimonio, & de actu coniugali. Quod aliqui, vt Vazquez, & Sanchez verum putant, etiamsi sit periculum commotionis, & alterationis in membris pudendis, quia tunc alteratio oritur naturaliter ex delectatione licitâ, aut non mortali; imò addit Sanchez id esse verum, etiamsi adsit periculū distillationis. Quę doctrina saltem propter tot tantorumque virorum Auctoritatem potest probabilis censeri.

190. *Alia satis laxa quæ addunt auctores graues proponūtur.* Sanchez. Vazquez. Coninc. Perez. *Alij multi contra* Nauarrum *& alios.* *Auctoritas prædictorum auctorum dat probabilitatem tali doctrinæ.*

Verùm, si merè ratione agamus nonnihil imò non parum habet difficultatis. Nam vel illa commotio spirituum in pudendis hîc & nunc est ordinabilis, vel ordinata ad copulam, & ad mutuum amorem ostendendum inter coniuges, vel non: si est ordinata, aut ordinabilis, nulla est difficultas; si verò non est ordinata, nec ordinabilis, quia coniux est absens, nec proximè potest haberi, & verè illa delectatio non quæritur in ordine ad copulam, sed vt in ipsâ sistatur, non video, quid possit iuuare ad excusandum statūs ipse coniugij, potiùs enim videtur augere culpam; quia illa commotio, & alteratio non potest prouenire ex iure & dominio corporis alterius coniugis, imò potiùs est contra illud. Quod non proueniat ex tali iure, patet. Nam ius & dominium corporis ad vtendum illo non potest causare ius ad id, quod nullo modo potest deseruire ad talem vsum; sed illa commotio spirituum, & alteratio; atque adeò voluptas inde quæsita nō possunt seruire proximè; nec remotè hîc & nunc ad vsum corporis coniugis, vt supponimus, ergo ius ad vtendum non potest causare, & dare ius ad talem commotionem, alterationem, & voluptatem; voluptas autem venerea, & venereus actus quicunque non ordinatus vel ordinabilis ad actū coniugij; vel communem societatem cum coniuge, non solùm contra rationem esse videtur, sicut in quolibet homine soluto; sed etiam contra ius ipsum, & obligationem matrimonij, quâ tenetur vterque coniux castè seruare suum corpus alteri. Vnde ex eo capite grauior est culpa in coniugato, quàm in non coniugato.

191. *Si merè ratione agamus satis difficilis est ea doctrina. Ratio difficultatis.*

Quod attinet ad sponsos de futuro vidimus etiam loco citato *dub.illâ 15.* oscula, amplexus, & tactus inter sponsos excusari posse à mortali,

192. *Quid de sponsis de futuro dicendum remissiuè.*

Mōtesinos Ioan. de la Cruz. Salas. Sancius. Diana. *Ratio.*

189. *Aliqua sunt in hac re omnino falsa.*

etiamsi delectationis sensitiuæ causâ fiant, citra periculum, aut consensus ad copulam, dummodo per se atque ex obiecto suo turpes, & impudici non sint, & in partibus pudendis; quia sponsalia sunt initium matrimonij, vt ibidem latiùs explicuimus, ac proinde videtur acquiri aliquale ius sponsæ in corpus sponsi. Atque ita docent Sanchez *disp.* 46. *num.* 48. Nauarrus, Caietanus, Philiarchus, Sà, Ludouicus Lopez & alij, quos ibidem retulimus, & referunt citati Doctores. Ob quorum auctoritatem probabilem hanc sententiam puto.

Nauarrus. Caietanus. Philiarch. Sà. Ludouic. Lopez. *Alij. Auctoritate eorum probabile hoc est.*

193. *Probabilius oppositum.* Rebellus. *Alij. Alibi latiùs à nobis de hac re dictũ. Ratio pro nunc.*

Nihilominùs cum Rebello *lib.* 3. *quæst.* 19. & alijs probabilius videtur oppositum, vt latius explicui eadem *dub.* 15. & nunc solùm dico, quod ex vnâ parte huiusmodi tactus grauiter opponantur castitati & ex aliâ non possint per illum contractum sponsalitium excusari; quamuis enim sponsalia sint quædam inchoatio matrimonij non ideò præbent ius ad inchoationem copulæ; quia inchoatio contractus non sufficit dare ius ad vsum rei, de qua est contractus vt ibidem latè explicuimus.

DVBITATIO XVII.

Quomodo coniuges obligentur ad actum coniugalem?

194. *Assertio* 1. *Nemo per se loquendo tenetur petere. Ratio. Communis sententia.*

Assero 1. neutrum coniugem obligari propriè, & per se petere debitum coniugale. Ratio est; quia nemo tenetur vti iure suo, vel illud exigere ab alio, cui potest illud condonare. Est communis sententia.

195. *Per accidens poterit teneri aliquis aliquando. Quid potius est reddere, quam petere. Habens votum castitatis coniugatus potest ob præcedentem rationem obligari aliquando ad petendum. Declaratur & probatur à simili.*

Dixi autem *propriè & per se*; quia fieri potest per accidens, quod aliquando teneatur petere; illud tamen non est tam petere, quàm reddere, tunc scilicèt, quando prudenter credit alter petiturum, tamen præ timore, aut verecundiâ non audere. Sic plerique Doctores vt videbimus in *Tractat. de voto* docent virum adstrictum voto castitatis, si prudenter credat vxorem petituram debitum, sed præ pudore non audere, non solùm posse, sed teneri etiam petere, voto non stante; quia illud petere nõ tàm petere est, quàm reddere vxori tacitè petenti, & non audenti expressè; non secùs atque debitor pecuniarum tenetur soluere creditori, qui peteret quidem, si auderet, tamen præ reuerentiâ erga debitorem, vel præ timore non audet, vt contingit in iis, qui timent asperè, & iniustè tractandos esse à debitore potente, de quo legi possunt, quæ diximus *in nostro opere de Iustit. Tract. de Restitut. disp.* 10. *dub.* 6. quo casu tenetur debitor obligatione Iustitiæ ad soluendum etiamsi non petatur expressè.

196. *Alius casus, quo per accidens potest coniugatus obligari ad petendũ.* Sanchez. Coninc. Perez. *Obligatio illa non est præcisè ex Iustitiâ. Auctores citati contra Ledesmam. Alii apud Sanchez.*

Item tenetur per accidens petere debitum coniux ab altero, quando prudenter credit sibi vel alteri imminere periculum incontinentiæ, quod petendo possit auertere. Ita Sanchez *lib.* 9. *disp.* 2. Coninc *disp.* 34. *dub.* 4. Perez *disp.* 50. *sect.* 1. qui etiam in infra dicendis consentit in eâ *sectione, & seq.* tamen ad hoc nemo tenetur præcisè ex eo capite obligatione Iustitiæ, vt rectè contra Petrum de Ledesma docent ijdem Auctores & alij apud Sanchez ibi *numer.* 6. Hæc enim obligatio est castitatis, non primaria, sed secundaria; quatenus hæc virtus (sicut & aliæ) obligant ad impediendum in alijs peccatum contra illam. Quâ ratione etiam aliquando tenebitur secundariò ex Iustitiâ erga se ipsum, quando actus incontinentiæ, quem timet in altera personâ, est contra Iustitiam erga seipsum, qualis esse potest; quoties coniux alterius coniugis adulterium vel similia peccata contra castitatem permittit, vt indicauimus *supra dubit.* 4. *num* 52. *& dubitat.* 7. *numer.* 82. *quæsito* 5. Atque ob eandem rationem verissimum puto tum actum correctionis fraternæ esse illius virtutis, contra quam erat futurum peccatum, quod eâ correctione impediri intenditur, tùm omissionem eiusdem correctionis esse in specie peccatorum, quæ per correctionem quis tenebatur impedire quidquid sit de aliâ obligatione Iustitiæ ex officio.

Qua ratione aliquando obligatione secundario obligetur ex iustitia erga se ipsum.

Notandum ex data doctrina pro correctione fraterna, & omissione illius ad quã virtutem aut vitium pertineant.

197. *Assertio* 2. *Tenetur cõiux alteri reddere siue expressè, siue tacitè & interpretatiuè petenti.* Sanchez. Coninc. Perez. *Limitatio seu exceptio. Constat totum ex* 1. ad Cor. 7. *Ratio ex eodem textu Sacro, & ex naturâ rei petita.*

Assero 2. coniux tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti tanquàm debitum siue expressè siue tacitè, & interpretatiuè petat. Ita Sanchez supra *num.* 3. Coninc, Perez suprà & alij communiter, vt videre est apud citatos. Hoc tamen intelligendum est, si moderatè petat, & nisi petens precibus alterius, aut aliâ ex causâ occurrenti à petendo desistat, vt satis expressit Paulus 1. *ad Corinth.* 7. ibi: *vxori vir debitum* reddat, & vxor viro, &c. *Nolite fraudare inuicem nisi fortè ex consensu ad tempus.* Vbi & obligationem reddendi, & libertatem altero consentiente simul complectitur. Ratio verò est; quia (vt ibidem docet Paulus) vterque coniux habet ius, seu potestatem in corpore alterius in ordine ad vsum coniugalem iuxta naturam contractus matrimonij: ergo in vtroque respõdet obligatio reddendi alteri petenti, &, sicut in cæteris debitis, tunc potest liberè differre solutionem debiti debitor, quando creditor vel sponte, vel certè rogatus dilationem concedit, ita etiam in hoc debiti genere.

198. *Alia limitatio quando petit quidem, sed non vt debitum ex rigore Iustitiæ.*

Dixi teneri reddere alteri petenti tanquàm debitum. Nam, si fortè non petat, vt debitum, & ex rigore Iustitiæ; sed tantùm beneuolè, & amicè; non tenebitur ex Iustitia. Sic quandoque solemus res alioquin debitas ab amicis petere, non animo obligandi ex ipso rigore Iustitiæ, sed beneuolè & amicè. Quo casu, si tunc debitor nõ reddat, sed differat, contra Iustitiam non peccat, sicuti notauit Rebell. *lib.* 2. *q.* 16 *sect.* 1.

199. *Sufficit petitio tacita, & interpretatiua, vt possit obligari ad reddendum. Communis Doctorum sententia.*

Diximus præterea *alteri petenti siue expressè, siue tacitè, & interpretatiuè*; quia petenti tanquàm debitum, etiamsi tantùm petat interpretatiuè, aut tacitè, vt aliquibus signis, reddendum est necessario. Quod præsertim contingit in feminis, quibus (vt dicebam) sæpè pudet expressè petere. Ita communiter Doctores, vt videre est apud citatos; qui rectè notant viro non petenti expressè regulariter non teneri vxorem reddere; quia ordinariè viros non pudet, aut piget expressè petere cùm placet.

200. *Immoderatè petitioni non tenetur respondere. Coninc. Alij.*

Diximus vlterius, *si moderatè petat*; nam (vt rectè Coninc & alij Recentiores) ex matrimonio non oritur obligatio ad importunè immoderateque reddendum.

Quando

201. *Vix potest regula assignari ad dignoscendã interpretatiuam petitionem. Arbitrio prudentis coniugis debet relinqui.*

Quando autem censeatur interpretatiua petitio vxoris vix potest certa regula assignari. Illud mihi placet, quod cum multis docet Sanchez *suprà n.* 4. censeri vxorem tacitè, & interpretatiuè petere, quando aliquibus signis vir percipit in eâ voluntatem petendi, & præ pudore abstinere. Vnde arbitrio prudentis res tota relinquitur. Quare idem Sanchez cum aliquibus alijs docet satis esse viro, vt obligetur, si hoc ex mulieris natiuâ conditione nouerit. Quando scilicèt vir attentâ vxoris conditione conijcit fore, vt appetat copulam.

202. *Assertio 3. obligatio hac reddẽdi ex se est sub mortali.*

Assero 3. obligationem, quam habet coniux reddendi alteri petenti tanquàm debitum, est obligatio sub mortali, quia materia iustitiæ, & grauis est.

203. *Datur in hac obligatione sicut in alijs paruitas materiæ. Iudicium quorumdã in hoc. Sanchez. Ledesma. Recentiores. Probabilis doctrina ob eorum auctoritatem. Ratio verò non caret difficultate. Duo dicuntur difficilia.*

Addit verò Sanchez suprà n. 11. etiam in hoc, sicut & in alijs præceptis dari materiæ paruitatem, quæ à culpâ mortali excuset, vt si coniux neget ratiõ debitum absque periculo incontinentiæ exigentis, vt si vir soleat petere quater in mense, & petat iterum, non putat esse mortale, quod vxor eâ quintâ vice neget secluso periculo incontinentiæ; leuis enim res illi videtur semel, vel iterum negare. Pro qua sententia refert Ledesmam, eandemque sequuntur aliqui Recentiores; probabileque videtur propter horum Doctorum auctoritatem; sed ratione solâ mihi videtur difficilè probari paruitatem materiæ in vnâ solùm, aut alterâ occasione, vel quod in ordine ad materiam Iustitiæ, de quâ agimus habenda sit ratio periculi incontinentiæ. Atque (vt ab hoc vltimo incipiam) ratio periculi incontinentiæ efficere quidem potest, vt in occasione talis periculi negatio sit peccatum graue contra castitatis obligationem, saltem secũdariam, non verò contra iustitiam, si ipsa in se, quatenùs materia Iustitiæ sit leuis, neque enim materia vnius virtutis, quatenus talis, augere potest materiam alterius, quatenùs talem. Vnde in eo casu potiùs dicendum esset fore peccatum graue quidem in materiâ castitatis contra obligationem secundariam; leue tamen in materiâ Iustitiæ propter paruitatem materiæ. Adhoc autem, vt ex vnâ paruâ materiâ, & ex alterâ vel pluribus resultet peccatum graue, necesse est iuxta veriorem Philosophiam, & Theologiam, quod eæ paruæ materiæ coniungantur simul, & coalescant in vnam grauem, quod in ijs varijs, aut pluribus negationibus debiti non semper contingit; nisi fortè, quandoque eæ plures negationes debiti petiti censeantur vna quasi diuturna & continuata negatio, vt, si viro diu sæpeque petenti vxor neget per aliquod tempus, puta per vnum mensem, vel hebdomadam, vel annum, maximè, si ita sit affecta, vt voluntatem habeat negandi per illud totum tempus. Sed, quidquid sit de hoc, certè negationes per interualla, & interruptæ, etiamsi plures in anno contingant, non videntur inter se posse coniungi, vt vnam grauem materiam constituant; nam in alijs materijs Iustitiæ, vt ex pluribus vna grauis materiâ iniustitiæ resultet, semper quærimus, quòd materiæ coniungantur, vel in damnificante, vel in damnificato ita, vt, quando aduenit posterior materia, adhuc censeatur durare prima v. g. fieri quidem potest, vt ex pluribus furtis paruis successiuè commissis resultet vna grauis iniustitia, siue quando eidem domino ablatæ sunt plures leues materiæ diuersis actibus ab eodem fure, siue quando diuersis dominis ab eodem etiam fure res paruæ auferuntur; in his enim casibus materia furti coniungitur, siue in ratione rei acceptæ, siue in ratione damni illati, nempe quando furta sunt ex diuersis dominis coniunguntur in eodem fure omnia simul retinente, & iniusto possessore magnæ quantitatis sine titulo, quæ quantitas moraliter coniungitur in ipso possidente. Quando verò paruà furta sunt eiusdem domini ab eodem fure, coniunguntur in ratione damni illati, quatenus per accessionem plurium damnorum paruorum censetur, & est dominus graui-ter damnificatus per omnia furta, qui per singula tantùm esset leuiter læsus. In his autem casibus nunquam possunt materiæ furtorum, vel damnorum paruorum coniungi, nisi quando obligatio restituendi, aut resarciendi vnius, & alterius furti, & damni perseuerat. Nam, si iam cessasset prioris furti, aut damni obligatio, non potest ex illâ & ex posteriori resultare vna maior ex vtraque coalescens, vt ex se patet. Ad nostrum ergo casum aduenientes, si, (vt Sanchez & alij Recentiores volunt) vna sola negatio debiti paruæ materiæ est, atque adeò peccatum veniale, necesse est (vt ex pluribus negationibus debiti resultet vnum peccatum mortale) ex illis omnibus negationibus vnum quoddam graue damnum resultare coalescens ex paruis damnis perseuerante obligatione resarciendi præcedens damnum. Atqui non perseuerat obligatio resarciendi damnum negationis debiti, quæ præcessit, quando aduenit occasio secundæ redditionis debiti, & iterum negat vxor. Nam hîc & nunc vnicâ redditione satisfacit, etiamsi centies in totidem occasionibus prius negauerit. Signum ergo est, quod cæteræ obligationes, quæ in suis propriis occasionibus vrgebant, omnino cessarunt, & non perseuerant transactis occasionibus; ergo obligatio, quæ hîc & nunc vrget, & peccatum, quod hîc & nunc fit negando, non habet aliquam connexionem cum præcedentibus, vt ex omnibus vna grauis materia coalescat: ergo, si hæc negatio in particulari materia grauis non est, nec peccatum graue, non resultabit vnum graue peccatum ex eo, quod aliæ negationes præcesserint, quæ iam non extant, neque in se, neque in aliquâ obligatione restituendi, aut resarciendi damnum, quod intulerant.

Applicatur doctrina ad rem præsentem.

Explicatur doctrina ex aliis materijs iustitiæ.

Probabilius ergo videtur vnam tantùm negationem coniugis sine causâ legitimè excusante contra alium vtentem iure suo, & tanquàm debitum ex rigore Iustitiæ exigentem actum coniugalem, esse peccatum mortale, quamuis non facilè credendum sit cum tanto rigore exigere; nisi aliud explicet. Vnde (vt rectè notat Sanchez *num.* 13.) quando coniux remissè petit debitum, & rogatus facilè cedit, non erit mortale negare, quia non censetur ex rigore Iustitiæ petere, multoque minùs peccatum mortale erit; quando non negatur redditio, sed pro non longo aliquo tempore differtur; vt

204. *Concluditur vnam tantum negationem si res ex rigore Iustitiæ exigatur sufficere ad mortale. Non facilè credendum cum tanto rigore ordinariè hoc debitum peti.*

cum nocte petitur, quando volunt dormire, & redditur manè quando excitantur à somno, quod arbitrio prudentis discernendum est.

205. *Colligitur 1. ex dictis.* Ex dictis colligitur 1. (imò & Sanchez ipse concedit *in fine n.16.*) peccatum esse mortale, si alter coniux valdè instet petens; & alter neget excusando se, quando causa excusationis idonea non est. Pro qua sententia refert Antoninum, & Viualdum. Signum ergo est, quod etiam in eius Auctoris sententiâ vna sola redditio debiti, & negatio illius sit materia grauis: alioquin non esset grauis, etiâsi valdè instaret; sicut non esset grauis materia vnius nummi debiti, etiamsi creditor valde instaret pro illius solutione, & non esset causa negandi.

Sanchez. S. Antonin. Viualdus. *Argumentū ad hominē contra Sanchez pro sententiâ nostrâ.*

206. *Colligitur 2.* Colligitur 2. esse obligationem cohabitandi, nentrumque posse ab altero inuito diu abesse absque necessitate vrgente, longâ susceptâ peregrinatione, id enim esset se pro longo tempore impotentem reddere ad reddendum debitum, atque adeò votum talis peregrinationis inualidum est, vtpotè de re illicitâ. Ita Sanchez *disp.3. eiusd. lib.9.n.7.* Coninc *disp.34. n.19.* Perez & alij communiter.

Sanchez. Coninc. Perez. *Alij communiter.*

207. *Colligitur 3.* Colligitur 3. non posse coniugem vouere abstinentias, vigilias, preces, quæ debito coniugali moderatè reddendo obstent, quia neuter habet sui corporis potestatem. Ita Sanchez ibidem cum multis; quamuis ibi contra aliquos cum alijs putet non esse in hoc pares virum, & vxorem; quia nimirum vir tanquàm caput vxoris 1. *Corinth.11. & c. Cum cap.33. q.5.* illâ inconsultâ potest ea vota abstinentiæ emittere, quæ debito coniugali soluendo non noceant, secùs verò vxor tanquàm subdita, nullum enim abstinentiæ votum; tanquàm viro subdita facere potest. Verùm hoc in præsenti negotio extra rem est, hic enim agimus de obligatione reddendi debiti, quæ non minùs vrget virum, quàm feminam, & in hoc casu materia æquè illicita est vtrique.

Sanchez. *Aliquid quod addit non videtur ad rem.*

208. *Aliud additum ab eodem non placet.* Illud etiam mihi nō placet, quod addit Sanch. eâdem *dub.3. n.8.* cum alijs scilicèt vota abstinentiæ, aut longæ peregrinationis, quibus impediatur debiti redditio, non esse ipso iure irrita; sed valida; impleri tamen non posse à viro, donec manifestētur vxori, & ipsa approbet. In quo mihi distinguendum videtur, & inprimis certum puto, vt ipse Sanchez concedit virum peccare vouendo, si expressè intendat se obligare contra vxoris voluntatem, atque adeò esse votum irritum. Deinde existimo, si expressè vel virtualiter vouit eam peregrinationem, seu abstinentiam sub conditione, si vxor approbauerit, votū quidem esse validum, & licitum, & manifestādum vxori, quæ si approbet, absolutè obligabit. Si verò quis nihil cogitans, aut nesciens vim obligationis matrimonij in ordine ad non se reddendum impotentem pro notabili aliquo tempore ad reddendum debitum, absolutè vouit, quando posteà deprehēdit id præiudicare iuri, quod habet vxor, tūc votum à se absolutè præstitum, & sine tali intentione illud manifestandi vxori ad petendam approbationem, est de materiâ illicitâ, atque adeò, quamuis propter ignorātiam vel inaduertentiam non peccauerit vouendo, ipso facto votum est nullum, & nulla est obligatio illud manifestandi vxori, quia neque ex vi voti absoluti obligatur ad id, neque ex intentione vouentis; atque adeò omnino liber manet. Atque ita videntur tenere Sotus 7. *de Iustitiâ q.3. art.1.* Rodrig. 2. *tomo Summæ c.90. num.7.* Sed de hoc *in materiâ de Voto* iterum agendum est.

Distinguendum videtur in hac re.

Sotus. Rodrig.

209. *Colligitur 4.* Colligitur 4. virum accedentem ad alias feminas, vel crebrò se polluentem, vltra peccatum adulterij, si se inde reddat impotentem ad reddendum debitum vxori, peccare peccato iniustitiæ contra obligationem reddendi debitū. Ratio est; quia præter fidem matrimonij seruandi corpus castum alteri coniugi, se reddit impotentem ad reddendum debitum, quod ex Iustitiâ tenetur reddere. Ita Sanchez *supra nu.3.* qui generaliter docuerat *nu.2.* cum multis à se relatis, eum qui se reddidit impotentem mediis illicitis ad debitum coniugale persoluendum mortaliter peccare, quia eadem Iustitiæ lex, quę præcipit finem redditionis debiti, consequenter obligat, ne quis se reddat impotentem medijs illicitis, sicut debitor pecuniæ, aut alterius debiti ciuilis peccaret reddendo se scienter, & illicitè impotentem ad ea debita persoluenda.

Ratio. Sanchez. *Reddere se impotentem ad reddendum debitū est peccatum mortale cōtra iustitiam. Explicatur à simili.*

210. *Colligitur* Colligitur 5. quamuis media sint aliàs licita imò in præcepto v.g. abstinentia, vel ieiunium, si quis aduertat impedimentum esse considerabile ad reddendum debitum, non solùm non tenetur ea exequi; sed nec potest. Ita Sanchez *supra num.4. & 10.* vbi id extendit etiam ad præcepta generalia Ecclesiæ ieiuniorum. Ratio est, quia quando duo præcepta concurrunt in compatibilia debet præualere id, quod fortius est, in præsenti verò casu fortius est præceptum naturale diuinum, & ad iustitiam pertinens reddendi debitum, quàm præceptum humanum abstinentiæ, maximè cùm ieiunij præceptum Ecclesiasticum, sicut non impedit opera necessitatis, atque adeò non obligat eum, qui, si ieiunet, non potest obire munus suum, ita non impedit opus obligationis, quale est hoc, præsertim, cùm redundet in damnum tertij debitum non reddere. Pro quâ sententiâ refert plures alios, & docent etiam Basilius & alij Recentiores.

Sanchez. *Ratio.* *Plures alij.* Basilius. *Recentiores.*

211. *Reijcitur merito à Sanchez limitatio.* Ludouic. Lopez. Atque hanc doctrinam meritò docet Sanchez habere locum absque eâ limitatione, quam adhibet Ludouicus Lopez 2.p. *Instruct. de ieiunio c.111. ad finem*, scilicet; quod tunc tantùm excusetur vir à ieiunio, quando; nisi die illâ, quâ debitum signis petit vxor, vir reddat, patietur ipsa incontinentiæ periculum, aut ægrè feret, suspicabitúrve virum alio turpi amore captum esse; non verò excusari, si precibus & verbis blandis possit ipsam auertere. Hoc (inquam) non admittit Sanchez; sed tantùm docet tunc non teneri soluere ieiunium; vt debitum reddat, à quo reddendo potest liberari iis precibus, & verbis blandis, tamen, si velit posse soluere ieiunium, & non teneri ratione ieiunij obseruandi auertere vxorem à debiti petitione, licèt possit, sicut non tenetur faber diues cessare ab opere fabrili, etiamsi eo non indigeat ad sustentationem die ieiunij, vt eâ ratione ieiunium seruare possit.

212. *Limitatur ea doctrina, ab eodem Sanchez & merito.* Meritò etiam docet tunc tantùm censeri à ieiunio liberum ob reddendum debitum, quando notabiliter redderetur impotens. Secùs,

cùs, si solùm tantillum debilitetur; ius enim habet coniux ad similia opera pietatis, etiamsi se aliquantulum extenuet, aut debilitet absque
D.Thom. fraude, & bonâ fide, vt iam cum D.Thoma, & cum alijs docuerat idem Sanchez *num.*5. Vnde tunc licitè potest vacare mediis honestis v.g. seruare Ecclesiæ ieiunia, & alia moderata ex deuotione, impendereque moderatè tempus honestis studijs, quibus rebus non efficitur absolutè impotens ad copulam; sed minùs potens; nec tenetur cum spirituali iacturâ à spiritualibus operibus abstinere, vt se potentiorem & robustiorem conseruet, sicut nec tenetur à cæteris moderatis exercitiis abstinere.

213. *Colligitur 6.*

Colligitur 6. Excusari vxorem à ieiunio ratione conseruandi amorem mariti, vt, si ieiunans deformis reddatur, & à viro minùs, quàm par est, ametur, aut despiciatur; est enim hoc damnum notabile, quia mutuus amor valdè necessarius est ad vitam coniugalem, vt cum Caietano, Armillâ, Nauarro, Sà, Ledesma, & alijs docet idem Sanchez *num.*11. Imò *num.*5. ad finem docuerat cum Soto, Antonio Sylueſtro, & aliquibus alijs, non licere vxoribus ita se abstinentiis dedere, & vigilijs, vt deformes, ac viris exosæ reddantur; quia ipsis præbent ansam turpes alios amores quærendi.

Caietan. Armilla. Nauarro. Sà. Ledesma. Sanchez. *Alij.*

214. *Non tenetur maritus vti extra ordinariù mediis vt potentior fiat ad copulam.* Sanchez. Paludan. S.Antonin. Sy.ueſter. *Alij.*

Quamuis autem non liceat coniugibus se ad moderatè reddendum debitum impotentes reddere, & teneantur adhibere media communia, & necessaria, ad id, non tamen ideò tenentur ad alia magis extraordinaria. Vnde non tenetur maritus vti calidis & vehementer irritantibus, vt potentior fiat ad copulam, sed suæ obligationi satisfacit, si se impotentem minimè reddat. Lex enim matrimonij tantum postulat, vt moderatè attentis suis viribus debitũ reddat, & ne huic obligationi obstaculo sit nimijs vigilijs, & abstinentijs. Ita Sanchez *supra num.*6. cum Paludano, Antonino, Sylueſtro, & alijs.

215. *Hæc obligatio non se reddendi impotentem frequentior est in viris quam in feminis.*

Tandem generaliter loquendo hæc obligatio non se reddendi impotentes ad reddendum debitum frequentius obligat viros, quàm feminas, illi enim faciliùs se possunt reddere impotentes ad reddendum.

216. *Colligitur 7. Quando femina volens nubere excusetur à ieiunio.* Sanchez. Ludouic. Lopez.

Colligitur 7. feminam nubere volentem, si ieiunio deformis reddatur, ita, vt difficiliùs multò nubat, excusari ab obligatione ieiunij, quia non censetur Ecclesiâ obligare cum tàm notabili damno. Ita Sanchez *n.*12. cum Ludouico Lopez apud ipsum.

217. *Colligitur 8. Quando vxor non teneatur ieiunare contra voluntatem viri.* Sanchez.

Ex quo 8. infertur vxorem non tenêri ieiunare contra voluntatem viri ieiunium prohibentis quando notabiles discordiæ oriantur inter ipsam, & virum; nisi obtemperet, vt cum multis docet Sanchez *num.*13. nec necessaria est proprij Sacerdotis dispensatio, vt aliqui volunt, quia charitas ieiunio præferenda est, nec censetur Ecclesia cum detrimento mutui amoris velle vxorem obligare.

218. *Sunt plures ea causa sigillatim percurrenda & indicanda. Casus, in quo consentiunt omnes excusari, nempe, si in-*

DVBITATIO XVIII.

Quæ sint iustæ causæ, quibus excusetur coniux à reddittione debiti?

de timeatur damnum notabile in sanitate corporis. Sanchez. Coninc. Bonacina. Perez

DIximus *dub. præcedenti* esse posse iustam causam qua excusetur coniux à reddendo debito alteri coniugi, sunt autem plures causæ, de quibus placet sigillatim aliquid dicere. Consentiunt ergo Doctores coniugem excusari, quando ex redditione debiti imminet probabile periculum damni notabilis in salute corporali. Ita Sanchez *lib.*9. *disput.*24. & Coninc *disp.*34. *dub.*3. Bonacina *quæst.*4. *puncto* 1. *n.*3. Perez *disp.*50. *sect.*4. *num.*1. & sequentibus, vbi in sequentibus corollarijs conuenit cum Sanchez & alij communiter. Quod non habet locum, quãdo damnum, quod timetur tantùm est leue, præsertim, quando non est periculum incontinentiæ; quamuis autem tale periculum sit, si damnum est notabile in sanitate corporali non tenetur reddere. Ratio generalis pro omnibus prædictis est, quia rectus ordo naturæ exigit, vt priùs consulatur incolumitati proprij individui, quàm generationi prolis. Quod verum est, etiamsi exigenti immineat (vt dicebam) periculum incontinentiæ, quia cum tanto detrimento nemo tenetur vitare peccatum alterius, vt contra nonnullos aduertunt Sanchez & Coninc *supra* Bonacina *nu.*4. cum alijs contra Rodriguez & alios.

Ratio generalis *Doctrina habet locum etiam cum periculo incontinentiæ ex parte alterius.* *Ratio.* Sanchez. Coninc. Bonacina *contra* Rodriguezũ *& alios.*

219. *Ex eo fundamento colligitur 1. excusari fœminã, si non nisi tantũ dolentem capite.* Sanchez. Bonacina. *Alij.*

220. *Colligitur 2. sæpè excusari statim post prandium* Sanchez. *Ratio.*

Ex tradito generali principio colligitur primò coniugem febri laborantem non teneri reddere debitum; secus verò, si tantùm doleat capite, aut dente molari; nam sicut in alijs obligationibus Iustitiæ debitor tenetur satisfacere, etiamsi inde timeat leue aliquod detrimentum: sic etiam coniux tenetur cum leui detrimento, non tamen graui. Ita Sanchez *supra nu.*2. Bonacina *n.*4. & alij apud ipsos.

221. *Colligitur 3. quæ prudenter timet fore vt moriatur, si concipiat, & probabile est concepturã.*

Colligitur 2. sæpe excusari coniugem à reddendo debito statim post prandium; quia (vt probat Sanchez ex physicorum sententia) id solet graue detrimentum inferre.

Colligitur 3. non teneri vxorem reddere debitum, quæ omnibus spectatis prudenter timetur moritura, si fœtum concipiat, & probabile est concepturam esse.

222. *Colligitur 4. sæpè ianũ non teneri reddere leproso.* Sanchez. Coninc. Reginald. Henriq. Bonacina. *Recentiores.*

Colligitur 4. nec coniugem sanum tenêri ad reddendum debitum alteri leproso, quoties iudicio medicorum prudenter timet grauem infectionem. Ita Sanchez eadem *disp.*24. Coninc *supra n.*221. Reginald. *lib.*31. *n.*284. & 303. Henriquez *lib.*11. *c.*5. *n.*7. Bonacina *supra n.*8. & alij Recentiores.

223. *Neque laboranti morbo Gallico.* Sanchez. Bonacina. *Alij.* *Limitant ij Auctores.*

Idem iudicium est, si alter coniux laboret morbo Gallico, vt ibidem docet Sanchez *nu.*18. cum aliis & Bonacina *ibidem* alijque apud ipsos: nec enim coniux sanus tenetur cum tanto dispendio soluere debitum. Qui Auctores limitant nisi fortè ante matrimonium nouerit coniugem eo morbo esse infectum; tunc enim censetur eo non obstante contrahendo matrimonium velle se ad id obligare.

224. *Potest tamẽ licèt non teneatur reddere licitè si velit.*

Quamuis autem coniux non teneatur debitum reddere alteri laborantì morbo Gallico, vel aliquo alio simili, quando eam infectionem nesciebat;

sciebat; tamen licitè potest reddere, si velit, etiamsi periculum subeat illius morbi; nam morbus Gallicus, aut lepra saltem ordinariè non sunt morbi periculosi tendentes ad mortem. Vnde potest coniux talem morbum subire ad fouendum coniugalem amorem, vel ad vitandam incontinentiam & sanè grauissimum esset onus, si coniux sanus in his morbis ita diuturnis teneretur abstinere ab actu coniugali maximè cum periculo incontinentiæ.

Ratio.

225. *Colligitur 5. non excusari præcisè ob periculum infectionis in prole nasciturâ.* *Ratio.* *Communiter Doctores.* Rebellus. Sanchez.

Colligitur 5. non excusari coniugem à reddendo debito ex eo præcisè, quod sit periculum infectionis in prole nasciturâ; neque enim id propriè vergit in damnum prolis, cui (vt in præcedentibus notauimus) melius est sic esse, quàm nullo modo existere, vt notant communiter Doctores, legique potest Rebellus *lib.2.q.16.numer.4.* & Sanchez *disp.24.n.25.*

226. *An excusetur horror erga coniugem ob morbum quo laborat?*

Meritò autem dubitari potest, an excusetur à debito reddendo horror naturaliter consurgens ex accessu ad coniugem laborantem aliquo morbo inferente talem horrorem?

227. *Respondetur 1.* Hostiens. Panormit. Syluester. Rosella. *Alij multi.* Sanchez.

Respondeo primò, si morbus esset in vxore, & vir tantum abhorreret ab eo accessu, vt non posset instrumentum erigere ad coitum, omnino excusari, vt ex se patet, quia impossibiliū nulla est obligatio. Vnde etiamsi contra illum feratur censura Ecclesiastica, vt compellatur, eam non incurrit; quia nullo modo peccat. Ita Hostiensis, Panormitan. Syluest. Rosel. & alij multi apud Sanchez.

228. *Respondetur 2. si horror non sit tantus ordinariè non excusari.* Sanchez *limitat hic auctor.* *Approbatur ea doctrina.* Sanchez. Cardinalis.

Respondeo 2. non existente tanto horrore, quin possit erigere, accessusque sit possibilis, non excusari ordinariè loquendo; nam si horror esset vehementissimus, meritò putat Sanchez citato *num.21.* non ita rigidè cum coniugibus esse agendum, vt sic ad reddendum obligentur; sunt enim pleriq; ita ad nauseam propensi, vt instar mortis ab accessu ad coniugem leprosum abhorreant, cogereque illos ad copulam esset difficillimum, aut moraliter impossibile, non suâ culpâ, sed ex natura indita cōplexione. Quare (inquit Sanchez) licèt putem horrorem solùm communiter, ac regulariter non excusare; contrarium tamen de huiusmodi horrore iudico. Quæ doctrina mihi placet, & pro eâ refert Sanchez Cardinalem *c.1.num.3. de coniug.Leprof.*

229. *Explicatur textus præscribens esse reddendum coniugi leproso.*

230. *Colligitur 6. non excusari ob multitudinem prolis nascituræ.* Sanchez. Coninc. Sylueſter Nauarr. *Alij multi apud* Sanchez. Bonacina. Reginald. Perez. *Alij.* *Grauiter peccat si ob id tantum neget.* *Quid si parentes non possent tot filios alere?* *Non erit mortale secluso periculo incontinentiæ in altero coniuge.* Sanchez *& alij cōtrà* Rebellum *&* Coninc. *Ratio à simili.* *Vrgetur.*

Quando autem in *cap.2.* eodem titulo dicitur coniugi leprosæ reddendum esse debitum, etiamsi lepra adueniat, aut cognoscatur post matrimonium, intelligitur in casu, quo ex redditione non imminet sano infectio, neque est tantus horror prædictus, maximè cùm multi putent sæpè non imminere tale periculum ex vno, aut altero cōitu.

Colligitur 6 non excusari coniugem à reddendo debito ex eo solùm quòd plures filij nascantur. Ita Sanchez *lib.9.disp.25.num.2.* Coninc *supra num.24.* Sylueſter Nauarrus & alij multi apud Sanchez, Bonacina *num.12.* Reginaldus *lib.31.num.289.* Perez supra & alij, imò grauiter peccare ſrob id tantùm neget; nam cùm matrimonium ordinetur ad multiplicationem prolis, absurdum videtur velle ab eius obligatione excusari, ne proles multiplicetur. Excusabitur tamen saltem à mortali, quando citra periculum incontinentiæ in altero coniuge parentes non sufficiunt ad tot filios alendos, vt contra Rebellum *lib.2. quæst.16. sect.1.* & Coninc *suprà* docent Sanchez ibidem, num.3. & alij apud ipsum, quia nimirum sicut ab alijs Iustitiæ debitis persoluendis excusat magna incommoditas, neque enim cū magno incommodo tenetur quispiam restituere; ita similiter in hoc Iustitię debito. Accedit, quod nunc tenetur coniux reddere debitum, si timor probabilis adsit periculi, aut detrimenti prolis iam genitæ. Tale autem verisimile est alijs filijs iam natis, si adhuc proles multiplicetur, parentibus destitutis facultatibus ad eos alendos.

231. *Colligitur 7. Non excusare defectum alterius coniugis quod sit ex genere Iudæorum aut Saracenorū.* *Ratio.*

Colligitur 7. non licere negare debitum, eò quòd alter coniugum à Iudæis aut Saracenis originem ducat, ne proles eâ maculâ afficiatur. Ita Sanchez *disp.25.n.4.* cum alijs; quia cùm matrimonium non sit ob eam causam irritum adquirit ius coniux talem originem trahens, vt debitum sibi reddatur.

232. *Colligitur 8 excusari ob vitandum magnum detrimentū in bonis fortunæ aut famæ, vel magnam, vtilitatem cōparandam.* *Ratio.* Sanchez *cum alijs.*

Colligitur 8. licere negare debitum ad vitandum magnum detrimentum in bonis fortunæ, aut famæ vel ad magnam illius vtilitatem comparandam. Ratio est, quia sicut ex legitima, & sufficienti causâ licèt viro peregrè proficisci v. g. iussu Principis illum ad bellum vocantis, aut quando necessarium est ad familiæ gubernationem, & rem familiarem tuendā, vel notabiliter augendam etiamsi ex tali absentiâ sequatur non redditio debiti. Ita similiter, si ex eo, quod hîc & nunc debitum omittat, vt attendat alicui negotio, excuset magnum detrimentum in bonis fortunæ, & famæ, non censebitur vxor rationabiliter inuita, quod sibi non reddatur debitum, præsertim cùm coniuges in ipso matrimonij cōtractu polliceantur sibi mutuum obsequium & operarum communionem, quantum ad œconomiam, & propriæ domus gubernationem, communeque bonum honoris & famæ. Ita Sanchez cum alijs *lib.9.* tùm *disp.4.* tùm *disp.25.n.5.*

233. *An excusetur ratione amentia cōiugis exigētis?*

Quæri tandem potest an excusetur coniux à reddendo debito ratione amentiæ cōiugis exigentis, etiam quando ei potest licitè reddi iuxta ea, quæ diximus *dub.4?*

234. *Excusatur iuxta alia dicta.* *Ratio.* Sanchez. Coninc. Perez. *Alij apud* Dianam.

Respondeo iuxta dicta ibidem *assert.5.* non teneri; quia quamuis retineat dominium, dominio tamen, & iuri naturali matrimonij non respondet obligatio reddendi, nisi, tantū exigenti, vt homo actu quodam humano, qualis non est exactio procedēs ab amente. Et præter Sanchez ibi citatum cum alijs legi potest Coninc *disp.34. dub.9.* Perez *disp.50. sect.4.nu.7.* & alij apud Dianam *in 9.part.Tract.7.resol.4.*

235. *De excusatione ob adulterium exigentis postea agendum.*

Vtrùm autem coniux ob adulterium alterius excusetur à reddendo debito? dicemus *disp. sequenti* agentes de diuortio.

236. *An excuset periculum notum non edendi in lucem filios viuos.*

Quæri vlterius potest an excusetur femina à reddendo debito, quando experta est, se non posse filios viuos edere in lucem?

237. *Respondetur excusari. Posset huic periculo se exponere si sic periculum incōtinētiæ.* *Ratio.*

Respondeo excusari, quia coniux non tenetur reddere debitum iuxta dicta cum magno vitæ periculo. Quod periculum subiret vxor pariendo filios mortuos. Posset tamen licitè se tali periculo exponere, & petere debitum, quādo in non petendo est periculum incontinen-

tiæ,

tiæ, eligit enim minus malum ad euitandum maius. Quâ de re legi potest Sanchez *lib.7. disp. 102.num.9.* vsque *ad* 11. Rodriq. *in summâ c.235. num.6.* vbi refert Victoriam & Petrum de Ledesma *q.58.art.1.ad finem* & Reginaldus *lib.31.n. 287.& 288.*

Sanchez. Rodriq. Victoria. Ledesma. Reginald.

DVBITATIO XIX.

An coniux teneatur reddere debitum illicitè petenti?

238. *Duo modi petendi illicitè.*

DVobus modis contingit coniugem illicitè petere. Primò propter aliquam circumstantiam, seu defectum tenentem se ex parte ipsius personæ petentis, vt, quando, qui petit, est obstrictus voto castitatis. Quâ de re diximus *suprà dub.10.* Alio modo, quando illicitè petit propter circumstantiam tenentem se ex parte actus, vt quando quis petit debitum in Ecclesia, aut loco publico, aut cum periculo impediendi generationem, aut cum periculo mortis fœtus, de quibus omnibus & similibus egimus *dub.5.6.7.* & aliis sequentibus.

Primus ob circumstantiam seu defectum personæ petentis v.g. ob votũ.

Secundus. Ob circumstantiam ex parte actus vt si in Ecclesia aut loco publico.

De iis iam alibi egimus.

239. *Non est idẽ petere illicitè & petere iniustè.*

Prætereà id præ oculis habendum est in hoc negotio non idem esse petere illicitè & petere iniustè; fieri enim potest, vt illicitè quis petat, & non iniustè, vt contingit, quando quis voto castitatis adstrictus petit debitum à propriâ coniuge; tunc enim petit illicitè propter votum, sed non iniustè; quia verè habet ius iustitiæ ratione matrimonij.

240. *Non tenetur reddere petenti illicitè ob circumstantiam se tenentem ex parte actus.*

His præmissis consentiunt Doctores actum coniugalem, qui exigitur, quando est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ se tenentis immediatè ex parte ipsius actus, non posse licitè exerceri, atque adeò non teneri illum, à quo petitur v.g. quando exigitur cum periculo abortus; nemo enim tenetur ad illicitum.

241. *Difficultas restat pro exigente illicitè ob circumstantiã ex parte exigentis.*

Restat ergo difficultas, an quis possit, & teneatur reddere, quando actus est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ se tenentis ex parte ipsius exigentis?

242. *Affirmant multi posse & teneri reddere.* Henriq. Sanchez. Rodriq. Couarruu. Rebellus. Coninc. *Alij. Probant.*

Affirmant multi, inter quos Henriquez *libr. 11.c.15.num.8.* Sanchez *libr.9.disp.6.* Rodriguez *in summâ c.90.* Couarruu. *3.p. Epitom.c.3. num.6.* Rebellus *2.p.lib.3.q.17. art. 3.num.10.* Coninc *disp.34.n.28.* & alij apud citatos. Probant; quia tunc actus est tantùm illicitus exigenti, non alteri reddenti: ergo poterit à reddente licitè exerceri.

243. *Respondent hi auctores ex suo fundamento aduersariorum fundamento.*

Vnde corruit iuxta hos Auctores fundamẽtum aliorum, quos ipsi referunt existimantes esse illicitum; quia tunc reddens cooperatur peccato exigentis; id enim omnino negandum est; cùm quantum est ex parte ipsius reddentis, exerceat actum ex suâ naturâ sibi licitum non obstante impedimento ex parte alterius. Quæ doctrina probabilissima est, imò & vera, si supponamus eo ipso quod ille, qui reddit, sponte reddat, virtualiter censeri quodammodo vel petere vel ex parte suâ accedere meliori modo, quo de iure potest; potest autẽ ipse accedere, si velit non obstante impedimento alterius, vt supponimus: ergo non peccat tunc reddendo, qui sub iis suppositionibus non reddit alteri, sed exigit ipse.

Probabilissimum est hac sententia imò & vera si aliquid supponatur.

244. *Probabilissima sententia Basilij.*

Probabilissimum nihilominus mihi videtur id, quod docet Basilius *lib.9.c.3.* nempe, quando is, qui licitè exigit, solùm exigit licitè ratione alicuius, quod, quando exigit, non subest libertati exigentis, liberare se ab eo impedimento; quin potiùs velit nolit, tali impedimento adstringitur, vt quando exigit illicitè; quia priùs emisit votum castitatis, aut; quia prius contraxit affinitatem cùm coniuge cognoscendo consanguineam coniugis: tunc non posse licitè reddi debitum ab altero, cui exigitur; quia id esset cooperari actui, qui iam exigenti non potest non esse peccatum. Quæ doctrina consonat cũ iis, quæ diximus cum eodem Basilio, & cum Perez ex doctrina Vasquij, quem retuli *disp.5. num.155.* quæ non differt ab hac vbi statuimus pro regulâ generali non licere cooperari actui alterius, quando ab illo non potest fieri actus, nisi malè, ibi legatur. Quando verò exigitur illicitè ratione alicuius impedimenti, quod quando debitum exigitur, potest liberè exigens ab eo se liberare, vt, quando solùm exigitur illicitè ratione alicuius inordinati finis intenti ab exigente; aut quia deficit finis; qui debuit apponi; tunc potest licitè reddi; quia id non est cooperari intentioni finis, aut defectui intentionis debitæ; sed tantùm est cooperari actui, quem exigens adhuc post petitionem potest efficere bonum; & tunc; qui reddit nullo modo inducit ad peccatum actiuè scandalizando, sed tantùm exigens scandalizatur passiuè. Propter quod passiuum scandalum non sunt dimittenda opera, quæ alioquin sunt sub præcepto, qualis est debiti coniugalis redditio. Atque adeò in eo casu non solùm licet, sed debet debitum reddere, si aliud non obstet ex alio capite. Alia quæ circa hanc rem dici possent satis explicata sunt in præcedentibus *à dub.5. vsque ad* 15. An verò vnus possit alteri negare debitum, aut etiam cohabitationem ob excommunicationem non est huius loci disputare, quamuis aliqui disputent, habet hæc quæstio suum locum *in materiâ de censuris*, vbi nos de eâ agimus *disp* 2. *dub.38.* agentes de causis excusantibus à culpa, & à minori excommunicatione eius, qui communicationem ciuilem habet cum excommunicato.

Idem Basilius. Perez. *Ex doctrinâ Vasquij. quam alibi sequuti sumus in hoc tractatu.*

DVBITATIO XX.

An motus sensualitatis extra actum coniugalem tam in coniugatis, quàm in solutis sit peccatum.

245. *Sensualitas & concupiscentia cur, & quo sensu appellatur peccatum. Ad Rom.7. De motibus concupiscẽtiæ est præsens dubitatio.*

SEnsualitas & concupiscentia solet quandoque appellari peccatum; vt videre est apud Paulum *ad Romanos* 7. non; quia propriè sit formaliterque peccatum; sed causaliter, quatenus ad peccatum inclinat, nunc autem non disputamus de concupiscentiâ secundum se, sed de motibus ipsius, an scilicet omnes motus sensualitatis, & concupiscentiæ sint peccata?

246. *Hi motus sunt in duplici differentia. Primò primi & secundò primi.*

Sunt autem hi motus vulgatissima partitione scholæ in duplici differentia. Quidam dicuntur motus primò primi; quidam secundò

Qui dicantur primò primi?

primi. Primò primi dicuntur, qui ita re pente consurgunt, vt omnem præueniant considerationem & aduertentiam malitiæ,quæ est in obiecto,vel in effectu; ita vt nulla sit malitiæ apprehensio,aut suspicio. Secundò primi dicuntur motus qui succedunt primò primis,in quibus iam adest aliqua malitię aduertentia, atque adeo esse potest,si acccedat voluntatis consensus.His præmissis.

Qui verò secundò primi?

247. *Assertio.1. negans in primò primis esse peccatum. Communis & recepta sententia. Vasquez. Valentia. Becanus Ratio. Ratio probat in motibus primo primis sensualitatis, sed mentis etiam,& voluntatis. Vasquez. Capreolus. Alij.*

Assero.1.in motibus primò primis nullum est peccatum.Est communis & recepta sententia.Ita Vasquez 1.2. *disput.*106. Valentia *tomo* 2. *disp.*6.*q.*4.*puncto* 2. Becanus 2 *p.tractat.*2.*c.*5.*q.*4. & 5. Ratio est,quia tales motus non sunt in nostrâ potestate, neque in se ipsis voliti, aut in causâ. Quæ ratio non solùm probat inprimis motibus sensualitatis,sed etiam mentis, & voluntatis,vt rectè notauit Vasquez *supra c.*3.cum Capreolo & aliis,quod contingit, quando aliquis subitò malè suspicatur de proximo.

248. *Assertio.2. in quo casu motus secùdo primi non sint peccata etiamsi præuideri & caueri potuerint. Vasquez. Ratio assertionis. Notanda Vasquij doctrina quã colligit ex data doctrina.*

Assero.2.cum Vasquez infra citando motus sensualitatis secundò primos, etiamsi præuideri & caueri potuerint,non esse peccata, si proueniant ex causa,in qua aliqua sit honestas vel vtilitas v. g. quando proueniunt ex auditione peccatorum turpium in confessione. Quod etiam de pollutione,quæ inde (præter intentionem,& voluntatem patientis illam) proueniat, docet idem Vasquez 1.2.*disp.* 115.*n.* 7. & deinceps.Ratio nostræ assertionis est,quia, vt tales motus sint peccata,non quodcunque voluntarium sufficit, quod alioquin in aliis rebus satis esset; sed maius voluntarium requiritur, eò quòd hi actus sint valdè naturales, & facilè in nobis oriantur ex naturæ infirmitate, quæ nos valdè excusat. Vnde non facilè imputantur ad culpam,sicut imputantur aliæ actiones prauæ & similia, quæ non requirunt tantùm voluntarium, neque ita excusantur propter infirmitatem naturæ,sicut excusantur motus sensualitatis.Ex quo principio citatâ illâ *disp.* 115.*n.*7. de pollutione etiam ostendit Vasquez non esse secundùm se peccatum mortale, sicut est homicidium;sed certò quodammodo facta. Vbi satis supponit, imò & docet quando talis motus sensualitatis resultat in eâ pollutione ex prædictis causis,non esse peccatum, dummodò non adsit alius particularis consensus voluntatis.

249. *Explicatur amplius assertio & verba illius iuxta mentẽ aliorum.*

Dixi in assertione non esse peccata, si proueniant *ex causa, in qua aliqua sit honestas,vel vtilitas*, nam, si proueniant ex causâ aliàs illicitâ, multi putant eos motus sensualitatis esse peccata,quia dissonant rationi,& incitant ad vlteriorem libidinem.Quæ sententia propter multorum auctoritatem probabilissima est.

250. *Aliter probabilius res declaratur ex mente Vasquij.*

Nihilominus cum Vasquez probabilius puto eos motus tunc tantùm esse peccata in genere sensualitatis & libidinis, quando proueniunt ex causâ ita per se,& proximè naturâ suâ ordinata ad huiusmodi motus (loquor de motibus non directè volitis & intentis) etiamsi alioquin causa in alio genere malitiæ illicita sit, dummodo talis causa alium ex se habeat effectum,quam excitare tales motus. Hac ratione contra alios cum D. Thomâ docet Vasquez ibi.*num.*9.non esse peccatum mortale in genere libidinis pollutionem ortam ex crapulâ,quia illa potatio vnde & crapula oritur, & vlterius pollutio non est causa proximè, & per se & ex naturâ suâ ordinata ad pollutionem, neque ad alios motus sensualitatis, quod ampliùs declarauimus agentes de peccato pollutionis voluntariæ in nostro opere *de iustitia cæterisq; virtutibus Cardinalibus lib.*1.*disp.*3.*dub.*20.vbi præsertim *num.*350.multa,quæ ad pollutionem,atque adeò ad motus sensualitatis spectant explicata sunt,vt(inter alia)an,quando actio, ex quâ tanquàm ex causâ,pollutio sequitur illicita est,pollutio sit peccatum mortale? Et an requiratur voluntas,& intentio directa pollutionis,vt peccatum in eo genere sit,quando in causa præuidetur futura.Legi etiam possunt ea, quæ diximus eadem *disputat. dub.*17. agentes de obligatione non faciendi vel impediendi actus, qui aliquam habent veneream inchoationem, vel dispositionem.

D.Thom. Vasquez.

251. *Colligitur pro re præsenti doctrina ex principiis generalibus. Vasquez. Becanus. Lessius. Sanchez. Bonacina. Alij apud ipsos. Ratio.*

Nunc satis est dicere ex principiis & doctrinâ generali cum Vasquez 1.2.*disp.*107. Becano *supra q.*5.Less.*l.*4.*c.*3.*dub.*5.*numer.*116. Sanchez *in summa lib.*1.*c.*1.*numer.*8. Bonacin *de peccatis q.*2. *puncto* 3.*n.*3.& aliis apud citatos, requiri actualem aduertentiam ipsorum motuum sensualitatis secundùm rationem malitiæ, vel saltem expressam aliquam dubitationem, seu scrupulum de malitiâ,vel periculo eius,vt tales motus sensualitatis sint peccata. Vnde, si mens nihil aduertat ad malitiam horum actuum, non imputantur ad culpam.Ratio est;quia sine cognitione non est voluntarium;peccatum verò nequit esse, nisi voluntarium. Quæ ratio non solùm probat in motibus sensualitatis, sed in quibuscunque aliis actionibus externis, quæ non imputantur ad culpam; quando absque vllâ aduertentiâ malitiæ exercentur. Vnde si qua actio plures habeat malitias, & vna tantùm aduertatur,illa solùm imputabitur ad culpam, & quidem,si agamus de culpâ mortali, plena requiritur aduertentia, nec sufficit semiplena, qualis est, quæ reperitur in semidormientibus. Ita Vasquez *cit.disp.* 107.sed de hoc latius disputare non est huius loci.

Aduertentia plena requisita ad mortale. Vasquez.

252. *Motus sensualitatis sunt peccata mortalia si adsit directus & expressus consensus. Ratio.*

Solùm etiam addo, motus sensualitatis esse peccata mortalia, quando interuenit consensus directus,& expressus.Ratio est, quia tunc sunt sufficienter voluntarij,aut voliti, cùm interueniat consensus directus, nisi paruitas materiæ aliquando excuset. Legatur Vasquez *loco citato*, maximè *c.*4.& 5. Becanus & Lessius *supra*, sed non puto in re venereâ *directè intentâ* paruitatem materiæ excusare à mortali, imò adeò mihi certum est, vt oppositum omni omnino probabilitate careat,ne amplius dicam & spero sedem Apostolicam notaturam seueriore censurâ dignam eam sententiam per nigrum theta. Imò illud ipsum quod ab aliquibus appellatur materia parua,non est materia parua. Aliud est apud me delectationem in genere physico & sensibili esse paruam; aliud verò in genere moris esse rem paruam,& hoc nego, quidquid sit de physico genere voluptatis.

Excipe paruitatẽ materiæ vbi est talis paruitas. Vasquez. Becanus. Lessius.

253. *Difficultas de volitione indirecta qua dupliciter potest contingere.*

Maior est difficultas de volitione indirecta, quæ duobus modis contingere potest. Primò, quando aliquid voluntariè fit, quod est causa motus sensualitatis,vt curiosè legere minùs honesta;

neſta; vel iocosè loqui, aut immoderatè aſpicere, & ſimilia. Secundò, quando voluntas ſe negatiuè habet non impediendo, vel non reprimendo motus, quos poteſt reprimere, quod præcipuè poteſt fieri diuertendo animum alio, etiam ſine vllo geſtu, & motu corporis.

254. *Reſoluitur difficultas de priori modo.*

Hoc ſuppoſito exiſtimo 1. motus ſenſualitatis volitos indirectè priori modò eſſe peccata venialia, quando, ſcilicèt aliquid fit venialiter malum, quod ex ſe eſt cauſa motus illius, vt, quando adeſt immoderatus aſpectus, aut aliquid ſimile ex dictis. Quæ doctrina conſonat cum iis, quæ diximus loco notato *de iuſtitia cæteriſque virtutibus dub. illa* 17. *quæſito* 2 *&* 3. vbi de turpiloquio turpi cantione, litteris amatoriis, & turpi aſpectu diſputauimus, & explicuimus caſus, in quibus hæc omnia peccatum ſint mortale, vel veniale, ibi legatur.

255. *Circa ſecundum diuerſus Doctorũ ſenſus.*

Circa ſecundum verò, quando motus ſunt voliti indirectè ſecundo modo, id eſt, quando voluntas ſe negatiuè habet, non impediendo aut non reprimendo motus, quos poteſt reprimere; quidam putant tunc eſſe peccata mortalia. Nam, vt motus ſenſualitatis indirectè voliti ſint peccata mortalia, nihil aliud videtur requiri; niſi quòd ſint voliti in eâ quantitate, quæ ſufficit ad mortale; quia eo ipſo, quòd eſt præceptum non admittendi talem delectationem voluntariè, videtur eſſe præceptum amouendi cauſas, vnde talis delectatio, ſeu motus proueniat; nihil enim aliud requiri videtur, vt cenſeatur quis moralis cauſa illorum, permittendo cauſam, vnde oriantur; nam poſitâ aduertentiâ & tali permiſſione videtur eſſe quidam interpretatiuus conſenſus, quia, quando voluntas non facit quod debet in moralibus, perinde eſt, ac ſi poſitiuè vellet; poſitiuè autem voliti motus illi eſſent peccata mortalia. Atque ita videtur ſentire Leſſius *de iuſtitia lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 15. *num.* 17. Becanus *ſupra q.* 5. Nauarrus *c.* 11. *num.* 12. Sylueſt. *verbo Delectatio. q.* 1. *dicto* 3. referens S. Thomam, & alios, item Vaſquez 1. 2. *diſput.* 108. *c.* 2. cum aliis.

Quo caſu quidam putent non impedire eos motus eſſe mortale. Ratio.

Leſſius. Becanus. Nauarr. Sylueſter. D. Thom. Vaſquez. *Alij.*

256. *Alij docent citra periculum conſentiendi poſitiuè non eſſe mortalẽ conſenſum interpretatiuum non poſitiuum voluntatis.*

Nihilominus, quod citra periculum conſenſus poſitiuè voluntatis non ſit mortalis cõſenſus ille interpretatiuus voluntatis, ſed neceſſarium ſit poſitiuè conſentire propriâ delectatione docuerunt Angelus verbo. *Cogitatio nu.* 2. Adrian. *in* 4. *q.* 5. *de Euchariſtiâ* præſertim §. 2. omniumque latiſſimè Caietanus in ſummâ verbo *Delectatio* verſ. *magna tamen hic.* Armilla eodem titulo *num.* 2. quam etiam indicat Nauarrus *in ſumma c.* 16. *num.* 9. & expreſsè eam ſequuntur plures alij, quos refert Sanchez 1. *tomo ſummæ lib.* 1. *c.* 2. *num.* 13. & teſtatur hanc ſententiam eſſe magis communem, non obſtante quod Vaſquez dixerit pleriſque Doctoribus noſtri temporis videri improbabilem. Vtramque verò ſententiam putat idem Sanchez ſatis probabilem.

Angles. Adrianus. Caietan. Armilla. Nauarr. *Plures alij apud* Sanchez. *Communis ſententia. Vaſquez dixit pleriſque videri hoc improbabile.*

Cum quo mihi dicendum videtur, priorem quidem ſententiam Vaſquij & aliorum apud ipſum & apud Sanchez *ſupra num.* 12. practicè moraliter ſemper eſſe veram, quando poſt plenam deliberationem nullus actus contrarius eſt in voluntate; non quidem, quo voluntas conetur reſiſtere, atque appetitus delectationem reprimere; ſed nomine actus contrarij intelligimus formalem diſplicentiam illius delectationis. Quæ diſplicentia, quamuis ad reprimendum appetitum ſit actus inefficax, ad cohibendum tamen liberum voluntatis conſenſum efficax ſit. Ratio eſt; quia ſecùs voluntas frequenter exponeretur proximo conſenſus periculo, & contrarium credere præſumptioni, & nimiæ fiduciæ tribueretur, neque enim adeò voluntati prædominatur homo, vt abſque omni periculo circa obiectum rectè cognitum, & vehementer alliciens omnem actum ſuſpendere valeat. Vixque dignoſci poteſt (ſi tamen poteſt) omni actu voluntatem carere, quamdiu appetitus delectatione afficitur. Hæc Sanchez ferè eiſdem verbis de ſententiâ Vaſquij Leſſij & aliorum. De ſecunda verò ſententia Caietani cum eodem Auctore exiſtimo in rigore metaphyſico eſſe probabiliorem; etiamſi voluntas illam diſplicentiam non habeat; ſed circa tale obiectum habeat ſe merè negatiuè. Quia quãuis voluntas teneatur gubernare appetitum (ex quo principio oppoſitæ ſententiæ Auctores colligunt teneri poſitiuè reſiſtendo appetitum reprimere) huic tamen obligationi ſimpliciter ſatisfacit gubernando, ne cõſentiat, ſolũq; ſecũdũ quid, & imperfectâ quâdã obligatione, quaſi ad melius eſſe, & tutius tenetur illam poſitiuè reſiſtendo cohibere. Ideò in hac poſteriori obligatione deficere, erit veniale ex materiæ paruitate; ſicut reſiſtere ſimpliciter non conſentiendo tentationibus, tenetur abſolutè homo: magnâ verò curâ reſiſtere minùs ſtrictâ quadam obligatione, & ſecundùm quid tenetur. Vnde in hoc deficere tepidè reſiſtendo veniale erit.

Vtramque ſententiam Sanchez probabilem putat. 257. *Prior ſententia Vaſquij & aliorum practicè moraliter eſt vera. Explicatur quo ſenſu. Ratio.* Sanchez. *Secunda ſententia Caietani in rigore metaphyſico videtur probabilior. Ratio.*

Addit verò Sanchez *num.* 14. ſi voluntate ſe negatiuè habente, imò & cum ſolâ illâ diſplicentiâ formali adeſſet præuiſum pollutionis periculum, eſſe culpam mortalem non reſiſtere; & in hoc caſu priorem opinionem puto probabiliorem iuxta doctrinam ipſius *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 45. *n.* 25. eoque videtur reſpexiſſe Vaſquez dum *diſp. illâ* 108. *num.* 3. dixit. *Quod autem homo debeat talem delectationem appetitus reprimere, manifeſtum eſt, alioqui poſſet liberè manere in magnâ delectatione ſenſus ſine peccato vllo.* Quod etiam practicè mihi placet; quia vix poteſt moraliter contingere, quòd quis in eo caſu pollutionis ſine tali reſiſtentiâ cohibeat conſenſum. Nihilominùs metaphyſicè loquendo eadem eſt ratio in eo caſu; atque in cæteris, ſi daremus, quòd quis poſſit cohibere poſitiuum conſenſum voluntatis ſine vllo conatu in oppoſitum, aut cum ſolâ illâ poſitiuâ diſplicentiâ, quàm diximus, nã, quòd ſequatur, vel non ſequatur pollutio ipſa, parum refert, ſi non adſit conſenſus voluntatis, nec adhibeatur cauſa ex iis, quæ præuidentur proximè & naturâ ſuâ ordinari ad pollutionẽ.

258. *Quo caſu putet Sanchez eſſe mortale negatiuè ſe habere aut cum ſola diſplicẽtia. Placet doctrina & in eo caſu probabilior eſt prior opinio. Idem* Sanchez. Vaſquez. *Practicè Vaſquij doctrina vera. Metaphyſicè verò eadem videtur ratio atque in cæteris.*

Vtrùm autem teneatur quis exterius poſitiuè reſiſtere turpibus actibus, ſeu conatibus, quibus alius conatur excitare prauos motus carnis, & turpes ſenſus appetitus, vt quando femina aduertit tangi ſe ab alio affectu libidinoſo, diximus etiam in citato opere de iuſtitiâ cæteriſque virtutibus *dub. illâ* 17. *quæſito* 4. *numer.* 265.

259. *De obligatione exterius reſiſtendi turpibus actibus alterius quibus prauos motus vult excitare alibi dictũ eſt.*

DVBITATIO XXI.

An delectatio morosa de re venereâ, vel turpi sit peccatum? & cuius speciei?

260. *Supponendum 1. Non dicitur morosa delectatio à morâ temporis. Longo tempore delectari potest non esse morosa delectatio & breuissimo esse morosa.*

SVppono. 1. ex prima secundæ morosam delectationem non sic appellari à morâ temporis, eo quòd in eâ quis diu moretur, sed à rationis morâ, eo quòd homo positâ aduertentiâ malitiæ actus adhuc admittat delectationem, illiq́ue consentiat. Fieri ergo potest, vt quis diu multumq́ue delectationem capiat, non aduertens malitiam; atque adeò non habens delectationem morosam, ideoq́ue non peccans saltem mortaliter. E contra verò fieri potest, vt breui morulâ admittat eam delectationem aduertendo malitiam, tuncq́ue censeatur morosæ delectationis reus.

261. *Supponendum 2. delectationem esse posse tũ de cogitatione rei, tũ de re cogitata. Quando est de cogitatione?*

Suppono. 2. delectationem capi posse tum de cogitatione alicuius rei, tum de re ipsâ, quæ cogitatur. De cogitatione quidem delectatio capitur, quando delectationis obiectum est ipsa cogitatio, vt cùm quis acutè discurrens circa aliquam materiam argumenta formans, argutissimè concludens, delectatur de ipsomet discursu, & argumentis; tunc enim etiamsi materia, circa quam discurrit, nihil habeat iucundi aut delectabilis potest esse delectatio, & est de ipso discursu circa illam. Et in venereis, si quis disputaturus, aut scripturus de rebus turpibus acutè disputet, aut scribat fieri quidem potest, vt delectetur de ipso acumine argumentorum, quæ inuenit ad disputandum, vel scribendum, etiamsi nihil voluptatis capiat de ipsa materiâ venereâ. E contra verò delectatio de re cogitata eontinget, si quis tunc scribens aut disputans de re venereâ delectetur de ipso obiecto, & re venereâ, quam cogitat. Legi potest de hac re Valentia *tomo 2. disputation. 6. q. 4. p. 3.* in principio.

Quando delectatio est de re cogitata? Valentia.

262. *Supponendum 3. voluntatis actum vulgata diuisione diuidi in actum efficacem, & actum inefficacem. Quis actus dicatur efficax? Quis inefficax. Multa, in quibus ij actus inter se discrepant.*

Suppono. 3. diuisionem vulgatissimam actus voluntatis in actum efficacem, & inefficacem. Efficax dicitur, qui tendit ad executionem, eamq́ue quantum est ex se in re ponit. Ideò, quando aliquis delectatur de fornicatione intendens illam dicitur habere actum efficacem. Inefficax verò dicitur, qui non tendit ad executionem, neque quantum est ex se, eam in re ponit. Talis est actus, quo quis delectatur de copulâ absque desiderio illam committendi, imò fieri potest, quòd firmiter proponat eam non committere. Hæc differentia maximè iuuat ad discernendam malitiam vtriusque actus, nam qui efficax est, necessariò respicit actum externum, vt executioni mandandum, ac proinde necessariò fertur in eum actum secundum conditiones & circumstantias, quas operans cognoscit hic & nunc habere, quando intenditur exhiberi. Quapropter intentio concumbendi cum eâ, quæ est vxor alterius, efficax cùm sit habet easdem morales circumstantias, seu malitias, quas habet actus ipse adulterij, quantumuis ille, qui eam intentionem habet reiicere conetur, & excludat ab effectu eam circumstantiam, quòd scilicèt ea mulier sit alterius viri, solùm intendens, quantum est ex se concumbere cum illâ, secundùm se, & præcisè cõsiderata, ac si esset soluta. Ratio est, quia quando quis vult aliquid hîc, & nunc efficaciter, simul etiam ea vult omnia, quæ hîc & nunc aduertit illi esse annexa, & inseparabilia. Cùm autem actui externo annexa sit circumstantia adulterij, eo ipso, quòd intendens committere copulam nouit id esse annexum actui externo, & nihilominùs intendit illum, censetur illum velle cum tali circumstantiâ, & eâ non obstante; atque adeò eadem malitia adulterij annexa est intentioni commitendi eum actum, quantumuis in mente operantis reiiciatur ea circũstantia seu malitia.

263. E contra verò, actus inefficax, cùm non feratur in obiectum vt executioni mandandum; sed quatenus repræsentatur intellectui, sequitur non habere aliam moralem malitiam; nisi eam, quæ repræsentata in intellectu terminat tanquam obiectum actum voluntatis, cumq́ue voluntas possit fieri in vnam rationem, & non aliam, hinc est; vt actus internus inefficax habeat solùm malitiam, quæ reperitur in obiecto secundùm illam rationem, in quam talis affectus fertur; imò obiectum repræsentetur voluntati secundùm aliquam rationem honestam, etiamsi simul fortè habeat re ipsâ aliquas circumstantias, quæ actum externum executioni mandatum reddant malum, atque adeò actum ipsum voluntatis efficacem inficerent malitiâ suâ: nihilominus actus inefficax internus voluntatis, qui tantùm fertur in illam rationem bonam, tunc consideratam, secundum quam voluntas complacet in eo obiecto, honestus erit. Vnde ortum habet illud rectè iudicantium Theologorum axioma, quod actus internus efficax externi, sumat malitiam ab illo tanquàm ab effectu; inefficax verò solùm sumit malitiam, tanquàm ab obiecto. Qua de re legi potest quod dixi *tom. præcedente* agens *de pœnitentia disp. 9 nu. 611. & seqq.* & Vasquez 1. 2. *disp.* 111. Coninc *de matrim. disp. 34. dub. 11. n. 108. & 109.* atque ex dicendis amplius declarabitur. His suppositis.

264. *Assertio. 1. delectatio morosa seu cum aduertentia de solâ cogitatione rei illicitæ non est ex se peccatũ. Communis sententia. D. Thom. Præcipua ratio.*

Asseio. 1. delectatio morosa, seu cum aduertentia habitâ de solâ cogitatione rei illicitæ, quantumuis turpis ex se non est peccatum. Est communis Doctorum sententia, quam docet D. Thomas 1. 2. *q. 74. art. 8.* & omissis aliis rationibus præcipua ratio est, quia delectatio illa, vt supponimus est actus inefficax, qui bonitatem & malitiam sumit ex obiecto & motiuo, sub cuius ratione tunc mouetur voluntas; atqui quando quis delectatur de cogitatione rei illicitæ, non delectatur ex malo fine, seu motiuo (vt supponimus) nec talis cogitatio secundùm se & præcisè consideratа, est mala, quamuis sit alicuius mali, ergo delectatio de tali cogitatione non est mala ex se. Legatur Sanchez *lib 1. Summæ cap. 2.* Sanchez.

265. *Cur dicatur ex se nõ esse peccatũ.*

Dixi *ex se* non esse malam; nam, si non ordinetur in bonum finem poterit esse otiosa, & venialis vel certè si coniuncta sit cum periculo peccandi mortaliter, poterit esse mortalis; si verò secluso periculo habeat finem bonum, poterit

Sanchez. terit esse bona. Ita Sanchez eodem *numer. secundo, numer.* 4.

266. *Assertio. 2. delectatio vtpote actus inefficax malitiam habet iuxta motiuum & obiectum suum. Plurimi Doctores Clauis Regia. Bonacin. Recentiores plures. Contrarium videtur Sanchez & alij apud illum.*

Assero. 2. delectatio vtpote actus inefficax habita de re turpi, & malâ est mala iuxta motiuum & rationem formalem obiecti, in quam fertur. Ita plurimi Doctores apud clauem Regiam *lib.* 8. *c.* 7. Bonacina *q.* 4. *de matrim. puncto* 8. *num.* 5. & alij plures Recentiores, quidquid in contrarium videatur sentire Sanchez *suprà n.* 8. & alij apud ipsum *num.* 8. nam quamuis *num.* 8. referat Vasquium 1. 2. *disp.* 109. *toto c.* 3. ibi tamen solùm impugnat Vasquez eos, qui negant absolutè delectationes morosas sine intentione efficaci operis secundum se esse peccatum verum de mente Sanchezij quod non discrepet tandem à Vasquio ostendimus *tomo præcedenti de pœnitentia disp.* 9. *num.* 613. vbi plures pro nostra sententia retulimus, & à *num.* 611. egimus contra Cardinalem Lugonem oppositum sentientem, & impugnantem Vasquium. Hanc ergo assertionem nostram expressè docet idē Vasquez ibi *disp.* 110. *c.* 2. eamque probat *num.* 7. vbi expressè contendit non eo ipso, quòd delectatio sit de re, quæ est peccatum, delectationem ipsam esse peccatum, sed tantùm quando motiuum delectationis tale est, vt sufficiat deriuare malitiam in ipsam delectationem: tale autem est quando delectatio de tali obiecto habet oppositionem cum aliquâ virtute. Ratio verò nostræ assertionis est; quia delectatio, cùm sit actus inefficax iuxta dicta totam suam bonitatem & malitiam sumit à motiuo, vt explicatum est. Si ergo motiuum est malum, mala est delectatio, sicut erit bona, si bonum sit motiuum. Venialis autem erit, si fuerit delectatio otiosa, etiamsi obiectum & motiuum ex se alioquin malum non sit. Vide dicta loco notato de pœnitentia *n.* 612. & deinceps præsertim regulam datam *n.* 623.

Ratio assertionis.

267. *Colligitur 1. ex dictis.*

Ex traditâ doctrinâ colligitur primò delectationem de actu carnali, vt de fornicatione, tactibus, osculis, etiam cum voluntate efficaci non exequendi talia opera esse mortalem, si delectatio ex obiecto carnali capiatur, & non respectu proprij coniugis actu existentis de quo etiam diximus loco notato *de pœnitentia.*

268. *Colligitur 2.*

Secundò non esse mortale, si quis delectetur de subtili modo, dexteritate, & ingenio, quo quis vsus est in furando, in parandis insidiis, in gerendo bello, in rapiendâ puellâ, vel in assequendâ vxoratâ clam marito suo. Quamuis enim prædicta omnia opera sint ex se iniusta, & mala in executione posita; tamen motiuum delectationis, scilicèt ingenium & acumen, quod ibi relucet; non est ex se malum, nec delectatio tunc capitur ex motiuo malo mortali.

269. *Colligitur 3.* Vasquez. Lessius. *Alij apud* Sanchez.

Tertiò colligitur non peccare, qui ob bonum finem delectantur de homicidio alias secuto quantumuis iniusto, aut etiam de furto, quatenus iuuat ad subleuandam miseriam innocentis. Item de fractione ieiunij, quatenus profuit comedenti. Ita Vasquez supra *disp.* 115. *c.* 2. & 3. Less. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 106. & alij apud Sanch. *num.* 15. contra eundem Sanchez *supra numer.* 16. & alios apud ipsum. Quamuis, vt notabam non tandem discrepet Sanchez à Vasquio.

270. Colligitur 4. non peccare, qui pollutionem desiderat ob bonum finem, dummodò nullo modo eam procuret, vel ipsum desiderium nō sit tale, vt sit causa pollutionis. Legatur Vasquez *ibidem c.* 1. *num.* 2. & quæ diximus in nostro opere de iustitiâ, cæterisque virtutibus *libr.* 1. *disputation.* 3. *dubitation.* 20. agentes de pollutione voluntariâ maximè *numer.* 354. & prius *numer.* 353. *Colligitur 4.* Vasquez.

271. *Colligitur 5.*

Colligitur 5. peccare mortaliter, qui delectatur de malo proximi, etiam illi iustè illato, non quatenus iustè illatum est, sed quatenus est malum proximi, sicut & qui delectatur de peccato adulterij, quod commisit, non solùm propter voluptatem libidinis captatam, sed propter iniuriam & ignominiam inde resultantem viro adulteræ. In quo casu peccat peccato iniustitiæ adulterij. Ratio omnium horum est; quia tunc respicit malum proximi vt malum proximi est, quod est motiuum odij. Sicut peccat peccato inuidiæ gaudendo de malo proximi, eo quòd putet ex illius bono bonum propriū imminui, aut qui tristatur de bono proximi, quatenus bonum proximi est, eo quòd putet inde proprium bonum imminui, quod est obiectum inuidiæ. *Ratio.*

272. *Colligitur 6.*

Colligitur 6. eum, qui delectatur de cibis ob gustum, qui ex ipsis percipitur, non peccare mortaliter, quamuis delectetur in die ieiunij, tum quia tale motiuum non est naturâ suâ malum tum quia Ecclesia non prohibet simplicem delectationem; sed solùm indirectè prohibet actum voluntatis efficacem, eo ipso, quòd prohibeat actum externum comedendi in die ieiunij. Legatur Vasquez *supra c.* 3. Coninc *disp.* 34. *dub. vltimo.* Vasquez. Coninc.

273. *Quæstiū 1.*

Quæri autem potest 1. an coniux peccet mortaliter, si in absentia alterius delectetur de actu coniugij præterito, vel futuro?

274. *Respōdetur.* Caietan. Armilla. *Alij quos sequitur.* Vasquez. Sanchez. Contra. Nauarr. *Ratio.*

Respondeo non peccare. Ita Caietanus, Armilla, & alij quos refert & sequitur Vasquez 1. 2. *disp.* 113. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 45. *numer.* 41. contra Nauarrum *cap.* 16. Ratio vero est; quia delectatio, vtpotè actus inefficax sumit suam bonitatem & malitiam à motiuo, sed motiuum est actus externus coniugij, qui inter coniugatos licitus est tunc, quando habetur delectatio de illo cogitato, ergo sicut actus ipse externus licitus est erit etiam licita, vel saltem non mortalis delectatio de illo. Atque hoc verum est, etiamsi procul absente coniuge habeatur, & etiamsi sequatur in membris aliqua alteratio, quia ea sequitur ex cogitatione & delectatione licita, aut non mortali cum coniuge, neque est eadem ratio de tactibus, quibus quis se prouocat procul absente coniuge, vt cum Vasquez supra *num.* 4. diximus *in nostro opere de iustitia cæterisq; virtutibus lib.* 1. *disp.* 3. *dub.* 15. *numer.* 228. ideo ibidem & in hac *disp. dub.* 16. *num.* 189. cum multis diximus tactus, quibus coniux in absentia alterius coniugis libidinosè tangit sua membra pudenda probabilius videri mortalia.

275. *Quid de vidua si delectetur de præterita copula? & de soluta si de futura? Putant mortaliter.* Sanchez Graff. Vasquez.

De vidua verò, si delectetur de actu coniugij præterito, & de soluta de actu coniugij futuro, etiamsi præcesserint sponsalia omnino dicendum est peccare mortaliter, si delectatio sit venerea, Ita Sanchez *lib.* 9. *disp.* 47. *num.* 4. & 7. Graff. 1. *par. lib.* 2. *c.* 74. *numer.* 8. Vasquez *supra disp.*

Contra Paludanū & alios. Quorumdā ratio.

disputation. 114. *cap.* 2. Contra Paludanum & alios apud citatos. Probant; quia delectatio sumit suam bonitatem & malitiam ab obiecto formali, & à motiuo; tale autem, est actus carnalis, qui tunc quando habetur delectatio de illo, non est res licita. Hàc ratione vtuntur aliqui qui putant etiam in aliis materiis prohibitis solo iure positiuo esse peccatum delectari tunc, quando materia est prohibita v. g. delectari de esu carnium in die veneris; quia est delectatio de actu tunc prohibito. Alij verò probant, quia talis actus est contra virtutem castitatis, atque adeò dissonat rationi grauiter talem delectationem admittere. Alij denique putant eam delectationem in animo admittere ideo turpē esse graviter, quia delectatio causat, vel inchoat pollutionem, seu commotionem spirituum ad illam; hoc autem per se & directè causare est mortale. Alij alias rationes quærunt. Huius tamen rei exacta disputatio ad tractatum de bonitate, & malitiā spectat; & de hoc iterum *dub. sequenti* aliquid dicemus Legantur etiam quæ diximus *Tract. de Sacramē to pœnit. disp. 9. à n.* 611. *& seqq.* quem locum sæpe notauimus.

Aliorum ratio.

Alij vltetius probāt.

Alias alij rationes quærunt.

276. *Vidua non peccat approbans præteritū actū coniugij.*

In omnium verò sententia non peccabit vidua approbans actum præteritum coniugij, nec sponsa approbans, & intendens actum futurum post initum matrimonium; nam voluntas efficax, seu approbationis eius, quod licitum est, non est peccatum.

277. *Delectari viduam de præterito coniugij actu aut spōsam de actu futuro tunc est peccatum quando delectatio est de delectabilitate venereā, secus ob finem bonum. Ratio.* Vasquez. Lessius.

Imò nec delectatio de actu coniugij, præterito in vidua, aut de futuro in sponsa peccatum est, si non habeatur de eo secundùm rationem delectabilitatis venereæ, vel secundùm aliam rationem ob finem aliquem honestum, vel ob commoditatem, seu vtilitatem honestā. Cuius ratio est, quia, cùm delectatio sit actus inefficax sumit suam bonitatem & malitiam ex motiuo obiecto iuxta dicta; sed motiuum non est peccatum, vel malum, vt supponimus; ergo neque delectatio mala est; Ita Vasquez *supra c.* 2. *num.* 3. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *numer.* 120. & alij plures. Legique potest idem Vasquez *nu.* 6. *&* 7. vbi rectè assignat discrimen inter delectationem & desiderium, de quo latius disputare non est huius loci, sufficiant; quæ dixi *supra in* 3. *suppositione.*

278. *Delectari de fornicatione pollutione & similibus si delectatio solum sit quatenus ex ipsis resultauit aliquid boni non est peccatum seclusō periculo noui consensus. Ratio.* Vasquez. Lessius.

Ex eadem doctrinā infertur, neque esse peccatum delectari de pollutione habitā, siue in somnis, siue peccato; siue in vigiliā & cum peccato, nec de fornicatione aut adulterio, cæterisque similibus peccatis dummodò non sit periculum noui consensus, nec delectatio habeatur de illis, quatenus peccata sunt, sed quatenus ex ipsis resultauit aliquid boni, vel commodi, vt sanitas, proles, conciliatio amicitiæ, acquisitio hæreditatis, & similia. Ratio est eadē; quia motiuum à quo talis actus inefficax sumit bonitatem aut malitiam, non est malum, vt supponimus, vel si sit tantum venialiter malus, tantùm habebit venialem illam malitiam, quæ inde prouenit. Legatur Vasquez *disputation.* 115 *cit.* Lessius *suprà numer.* 106. constatque à fortiori ex dictis supra *corollario.* 2. *& sequentibus*, vbi idem diximus de desiderio absque cooperatione in iis, quæ contingere possunt absque peccato eius, qui desiderat, vt de pollutione in somnis, & similibus.

279. *Quæsitum an delectatio morosa sit eiusdem speciei cum opere externo?*

Quæri iam potest 2. an delectatio morosa sit eiusdem speciei cum opere externo; atque adeo an in confessione explicandæ sint circumstantiæ operis, de quo sumitur delectatio.

280. *Respōdetur negatiuè.*

Respondeo iuxta dicta eadem suppositione 3. *n.* 262. & 263. & locis ibi notatis in Tract. de pœnitentiā non esse eiusdem speciei; sed tātùm speciem sumere, vt sæpe diximus ex obiecto motiuo secundùm se præciso à circumstantiis; quia actus inefficax non respicit opus externum, vt executioni mandandum, ac proinde ad talem actum non spectant conditiones, quas opus externum haberet, si executioni mandaretur.

281. *Infertur quid dicendū de delectatione homicidij non ex displicētia personæ occisæ.* Vasquez.

Vnde, qui delectatur de homicidio Petri, non ex personæ Petri displicentiā, sed quia sublato Petro data est illi facultas cognoscendi carnaliter vxorem Petri solùm habet malitiam fornicationis, vt rectè docet Vasquez *disputation.* 112. Clauis Regia. *libr.* 8. *cap.* 7. & alij multi.

282. *Aliquid speciale notandum in delectatione simplici venereā.*

Illud autem in delectatione venereā specialiter est notandum, quod; quamuis, quatenus est actus voluntatis inefficax, solùm habeat malitiam illam, quam sumit ex obiecto motiuo, sicut cæteræ delectationes; tamen, quia delectatio talis causat aliquem effectum externum commouendo corpus & spiritus excitando, qui subseruiunt administrationi seminis, inde est, vt simul habeat, vel plenam vel inchoatam malitiam pollutionis ad quam vel plenè, vel inchoatiuè excitat, quod si per eandem delectationem se quis exponat periculo consentiendi in aliud peccatum, etiam habebit malitiam talis peccati; quamuis hoc vltimum, etiam possit in aliis delectationibus reperiri.

Hoc vltimū est etiam aliis delectationibus cōmune.

283. *Quo sensu vera & quo sensu falsa doctrina de delectatione morosa, quā addit* Bonacina.

Omnino autem displicet Bonacina, qui *q* 4. *puncto* 8. *numer.* 18. ex ea causalitate, quam habet delectatio morosa venerea excitando ardorem & mouendo spiritus prædictos, colligit vniuersaliter delectationem veneream morosam habere malitiam eiusdem speciei cum opere externo; id enim solùm est verum quando delectatio est de pollutione, quia tunc ipsa delectatio est causa saltem inchoatiuè pollutionis; quando verò delectatio est de alio peccato luxuriæ v. g. quando quis habet delectationē morosam de femina habente votum castitatis, vel de coniugata; illa delectatio non est causa peccandi contra votum alterius, vel contra fidem matrimonij alterius; sed tantùm est causa commotionis, & ardoris prædicti, qui ex se ordinatur ad pollutionem; vnde habebit quidē semper illa delectatio malitiam pollutionis, ad quam excitat, præter malitiā obiecti, de quo delectatio sumitur, sed non habebit omnes malitias, quas habet ipse actus externus, cùm delectatio sit actus inefficax, atque adeò non accipiat conditiones circumstantiarū, quæ tribuunt malitiam actui externo iuxta dicta. Legātur quæ diximus *loco citato de Sacramento pœnitentiæ.*

284. *Qualiter sit philosophādum iuxta sententiam quæ docet delectationē morosam sumere speciem ab omnibus circumstantiis operis externi in ordine ad confessionem.*

Ex dictis constat iuxta sententiam, quæ docet delectationem morosam sumere speciē ab omnibus circumstantiis operis externi; quæ opus externum constituerent in variis speciebus, esse explicandas in confessione talis delectatio-

nis

Qualiter in nostrâ quæstione docet, nec explicandas circumstantias intra speciem aggrauantes.

nis prædictas circumstantias secus verò in opinione, quam cum Vasquez & aliis secuti sumus, quia tales circumstantiæ non dant specialem actui illi inefficaci, vt explicatum est; circumstantiæ verò, quæ non mutant speciem, non sunt necessariò in confessione explicandæ, vt cum eodem Vasquez & aliis diximus agentes de pœnit. *Tract.* 8. *disp.* 9. *à dub.* 3. vsque ad 6.

285. *Nec admissa necessitate eas explicandi essent in præsenti materia explicanda. Ratio.*

Imò, quod attinet ad præsens negotium, etiamsi sequeremur sententiam, quæ docet circumstantias aggrauantes intra eandem speciē esse explicandas in confessione, dicendum esset non necessariò explicandas esse prædictas circumstantias, à quibus diximus delectationem morosam, vtpotè inefficacem, non sumere speciem. Ratio enim, quæ probat eas circumstantias non dare speciem probat non dare grauitatem. Ideo enim diximus non dare speciem, quia neque sunt obiectum, neque effectus; actus autem solùm sumit malitiam ab obiecto, vel effectu, quę ratio non minus probat non dare grauitatem, quàm non dare speciem, vt patet, æquè enim requiritur ratio obiecti, vel effectus ad augendam atque ad dandam malitiam iuxta illud principium. *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

286. *Circumstantiæ, quæ se tenent ex parte operātis, dare possunt malitiam specie distinctam. Declaratur in operante cum voto castitatis, si votum non sit limitatum.*

Quamuis autem circumstantiæ se tenentes ex parte obiecti, non dent, aut augeant malitiā actus; illæ tamen, quæ se tenent ex parte personæ operantis dare possunt malitiam distinctam specie vt rectè notant plerique auctores nostræ sententiæ. Hâc ratione, qui habet votum castitatis habens delectationem morosam peccat, non solùm contra castitatem, sed etiam contra votum, si votum fuit castitatis simpliciter: nam, si tantùm fuit non nubendi, aut non fornicandi, aut non faciendi aliquid turpe, quod in actū externum prodeat, votum non erit circumstantia, vnde sumat malitiam actus internus inefficax vt patet.

287. *Declaratur etiam in delectatione coniugati.*

Eadem ratione erit circumstantia præbens malitiam actui inefficaci matrimonium eius, qui admittit delectationem iuxta sententiam, quæ docet matrimonium inducere obligationem seruandi alteri coniugi non solùm castum corpus; sed etiam animum. Illud sanè videtur magis certum, si ex illâ internâ delectatione sequatur aliquis effectus exterior venereus, vel sit periculum illius, saltem turpis commotionis spirituum subseruientium administrationi seminis, aut quasi inchoatæ pollutionis, tunc circumstantiam matrimonij dare specialem malitiam illi actui.

Præsertim si ex tali sequatur aliquis venereus effectus exterior.

DVBITATIO XXII.

An quis absque peccato mortali possit actū habere velleitatis, vel desiderij, aut delectationis inefficacis sub conditione, si liceat?

288. *Supponendū quod diximus in proxima dubitatione.*

SVppono ex *prima secundæ*. Actum internum desiderij aut velleitatis inefficacis sumere malitiam ab obiecto motiuo vt non semel diximus *dub. præc.* in quo differt ab actu efficaci, qui malitiā sumit ab obiecto, tanquam ab effectu.

289. Suppono vlterius in hoc differre actum voluntatis significatum per verbum *volo* ab actu significato per verbum *vellem* quod *volo* significat actum voluntatis efficacem, qui ex se ordinatur ad effectum, & executionem rei volitæ, actum verò significatum per verbum *vellem* solùm respicit obiectum secundum se, non, vt executioni mandandum; & de hac nunc volūtate in præsenti loquimur; & quærimus; an liceat delectatio præsens de obiectis mortalibus sub conditione, si licerent. Vide alia, si placet circa significationem huius verbi *vellem*, & actū voluntatis, qui per illud explicatur; *to. præced. de pœnit. disp.* 1. *n.* 327. *& seqq.*

Supponendū discrimen inter actum significatum per verbum volo & actum significatum per verbum vellem.

290. *Communis auctorum sententia delectationē hanc esse mortalem. Caietan. Armilla. Nauarr. Valentia. Recentiores. Probant ratione.*

Cōmunis authorum sententia docet hanc delectationem esse mortalem, etiamsi alioquin desiderium ab aliis multis putetur licitum. Ita Caiet. *in opusc. to.* 1. *tract.* 14. *de delect. moros dub.* 1. & *in summâ* verbo *delectatio* vbi Armilla *n.* 4. Nauarr. *in summâ c.* 16. *n.* 9. Valent. 1. 2. *disp.* 6. *q.* 4. *punct.* 4. & alij Recentiores, qui probant, quia ea conditio nondum est in re posita, sed solâ cogitatione apprehenditur; delectatio verò in rē absolutè fertur, ac proinde in rem, quę absolutè est illicita, & mortalis, cùm conditionalis nihil ponat in esse delectatio verò absolutè ponatur non expectatâ conditione.

291. *Impugnat rectè Vasquez prædictam rationem.*

Hanc rationem optimè impugnat Vasq. 1. 2. *disp.* 114. *n.* 5. quia sicut in desiderio & proposito efficaci copulæ cum muliere sub conditione, *si esset vxor* apprehenditur obiectum sub conditione matrimonij; desideratur enim copula sub conditione matrimonij consentiente scilicèt feminâ in matrimonium, atque hoc desideriū est in se complacentia absoluta & nihilominus fatentur hi auctores (sicut & cæteri) talem actū sub conditione esse licitum; sic etiam cùm delectatur voluntas de copulâ tunc habendâ, non apprehenditur copula, nisi sub matrimonij cōditione; ergo pari ratione censeri potest licita delectatio inefficax. Nec obstat conditionalem consensum nihil ponere in esse. Delectationem verò statim in esse poni; nam idem prorsus argumentum locum habet in desiderio sub eadē conditione, cùm statim inesse ponatur in volūtate; quare dicendum est conditionalē nihil ponere in esse ex parte obiecti voliti sub eâ conditione, nihil enim est, quod ponatur in ipso obiecto, ponere tamen in voluntate actum conditionalem. Vnde sicut actus efficax sub cōditione non ideò dicitur conditionalis; quia non absolutè verè, & simpliciter in voluntate existit; sed, quia fertur in obiectum sub conditione apprehensum, & volitum, ita, quamuis delectatio absolutè existat in appetitu tam rationali, quàm sensitiuo; dicetur nihilominus conditionalis, quia in obiectum sub conditione apprehensum fertur. Vnde, vel dicendum est etiam desideriū efficax sub eâ conditione non licere, vel, si hoc licet, dicendum est simplicem delectationem sub eadem conditione licere.

292. *Notandum discrimen inter delectationem rationalem & sensitiuā.*

Pro huius rei explicatione notanda est notissima distinctio delectationis rationalis, & sensitiuæ. Rationalis est, quæ reperitur in appetitu rationali, scilicèt volūtate, & dici solet gaudium. Sensitiua verò est, quæ reperitur in appetitu sensitiuo eaque solet, quasi proprio nomine appellari delectatio, quæ accidit cum quadam

corporis transmutatione, seu commotione; illa prior nihil aliud est, quàm quidam simplex voluntatis motus, & complacentia quædam sicuti notauit D.Thom. 1.2. *quæst.* 31. *art.* 4.

D.Thom.

293. *Vnum inter cætera discrimina maximè notandum.*

Inter cætera discrimina vtriusque delectationis illud est maximè notandum, quòd delectatio voluntatis haberi potest de obiecto conditionali; secus verò delectatio appetitus sensitiui, cuius ratio est; quia delectatio consurgit ex præsentiâ boni conuenientis, aut secundum rē possessi, vel certè secundùm apprehensionem iuxta D.Thom. 1.2 *quæst.* 32. *art.* 3. intellectus autem, ex cuius cognitione voluntas moueatur, potest apprehendere, voluntatique proponere obiectum cōditione vestitum, & à malitiâ præcisum, ac proinde delectatio potest esse de obiecto sub eadem conditione, & præcisione apprehenso, & quasi præsenti, iamque possesso. Imaginatiua verò, seu æstimatiua potentia, ex cuius apprehensione mouetur appetitus sensitiuus nullam conditionem potest apponere; nā in conditionalibus affirmatio quædam est, aut negatio, imò & quædam est illatio, & consequentia; & copula cōditionalis denotat ibi esse antecedens, & consequens vnumque ex altero inferri (vt ex dialecticis suppono) ad quæ nequit se extendere appetitus sensitiuus. Cùm ergo imaginatiua potentia non proponat obiectum sub conditione, sed absolutè; hinc est, vt appetitus sensitiuus, qui ex imaginatione mouetur & apprehensione; non feratur in obiectum conditione vestitum, sed absolutum à conditione. Hoc supposito.

D.Thom.

294. *Assertio. 1. duabus partibus constans, vna de licita delectatione rationalis altera de illicita sensitiua.*

Assero 1. delectatio voluntatis de obiecto conditionali, quod seclusâ cōditione esset peccatum mortale; non verò illâ positâ; non est illicita secluso periculo consensus in aliquid illicitum, & seclusâ delectatione aut periculo illius in parte sensitiuâ, verbi gratiâ, gaudium & approbatio voluntatis de concubitu, si esset vxor. Delectatio verò appetitus sensitiui de eodem obiecto mortalis est. Ratio prioris partis est; quia delectatio voluntatis ferri potest iuxta dicta in obiectum sub conditione apprehensum, sub quâ caret malitiâ; nisi fortè aliqua extrinseca periculi circumstantia concurrat. Accedit, quòd cùm malitia tam delectationis volūtatis, quàm desiderij sumatur ex obiecto, atque idē vtriusque obiectum sit, aut vtrumque, aut neutrum condemnandum est; cumque desiderium efficax efficiendi rem, si liceat, non condēnetur (vt supponimus ex 1.2.) ita neque delectatio; maximè; cùm hæc in voluntate, nihil aliud sit, quàm simplex quidam motus, seu cōplacentia, seu quies in bono apprehenso iuxta D.Thomā 1.2. *quæst.* 31. *art.* 4. at gaudere & quiescere in eo bono, quod licèt amare & desiderare, non dissonat rationi; nam desiderium, & amor veluti motus quidam sunt tendentes ad gaudiū, tanquàm ad quietem.

Ratio prioris partis assertionis.

295. *Ratio secundæ partis assertionis.*

Ratio verò 2. partis est assertionis nostræ, nēpe quod attinet ad appetitum sensitiuum, est; quia cùm iuxta dicta non possit ferri in obiectū sub conditione; quia nō potest imaginatiua proponere illi obiectū sub conditione; necessariò fertur (si fertur) in obiectum absolutum, &, vt in se est, quod illicitum est, vt supponimus.

296. *Probatur vlterius eadem secunda pars.*

Probatur vlterius; quia iuxta dicta in præcedentibus, oscula, tactus, siue amplexus; ideò illicita sunt; quia sunt quędam initia, & inchoationes coitus, aut pollutionis; quæ ratio nō minùs locum habet in delectatione prædicta, quàm in ipsis tactibus, & osculis; imò magis, quàm tactus, & oscula appetitum delectat, maiori vi ad coitum, vel pollutionem mouet, & rarò abest à tali delectatione consensus in opus, notauitque hoc S.Thomas *de veritate q.* 5 *artic.* 4. & alij plerique Recentiores citandi.

S.Thom. *Alij Recentiores.*

297. *Colligitur nemini soluto licitum esse delectari de copula sub conditione si liceret.*

Ex quâ doctrinâ infertur nemini soluto licere delectari de copula sub conditione cogitata; *si esset licita*; quia illa cognitio & delectatio præsens est, & causa ac initium coitus præsentis, seu pollutionis aut vehementis commotionis ad illam, vt docet Sanch. *lib.* 1. *summæ c.* 2. *n.* 34. iuxta ea, quæ prius dixerat eodem *cap. n.* 9. & deinceps, & iuxta doctrinam nostram duabus dubitationibus proximè præcedentibus idē docet Basil. de Leon. *lib.* 10. *de matrim. c.* 16. § 2. *n.* 8. Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 15. *nu.* 119. Vasq. 1.2. *disp.* 119. *c.* 3.

Ratio. Sanchez. Basilius. Lessius. Vasquez.

298. *In materia venerea videtur limitanda in praxi doctrina de delectatione voluntatis, seclusa delectatione appetitus.*

Quamuis autem quod diximus de delectatione voluntatis seclusâ delectatione appetitus in aliis materiis verum sit, in materiâ tamen venereâ vix (imò ne vix quidem) habere potest locum. Omnino enim verum puto delectationē volūtatis v.g. de copulâ sub conditione auferēte eius malitiam semper in solutis turpē esse mortaliter; quia de facto excitat appetitum, & commouet voluntatem ad copulam, seu pollutionē de præsenti iuxta dicta. Et quidem, si castitas delectationem appetitus sensitiui refrænet (vt debet) in solutis; non video cur etiam non debeat refrænare delectationem voluntatis, quæ moraliter loquendo non potest appetitum sensitiuum, & spiritus subseruientes seminis administrationi commouere. Accedit, quod difficillimo negotio distingui potest delectatio volūtatis hic & nunc habitæ à delectatione appetitus; habent enim huiusmodi potentiæ talē inter se connexionem vt vix actus possint distingui, quod experientiâ cuique notum esse potest, imò inde nascitur non parua scrupulorum seges.

Ratio.

299. *Infertur ex dictis etiam vidui non licere tam voluntatis quam appetitus delectationem de actu præterito coniugij ex cogitatione copulæ. Item neque sponsis de futuro de actu futuro delectari.*

Ex quo vlterius infertur id, quod in præcedentibus non semel notauimus, non licere viduis delectationem tam voluntatis, quàm appetitus sensitiui prouenientem ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij, sicut neque sponsis ex cogitatione habendæ tempore coniugij, quia talis delectatio habet oppositionem cum virtute castitatis, eò quod de præsenti excitet & commoueat spiritus, & coitus, vel pollutionis præsentis initium sit. Ita Sanch. *lib.* 9. *de matri. disp.* 47. Bonac. *q.* 4. *de matri puncto* 8 *n.* 13. Vasq. 1.2. *disp.* 114. *n.* 3. Basil. de Leon. *supra nu.* 10. & 11. Lessius *supra n.* 120. Perez *disp.* 54. *sect.* 6. estque communis sententia. Sed de his omnibus & de aliis, quæ pertinent ad voluntatem prædictam simplicem in appetitu sicut & ad voluntatem efficacem sub conditione *si liceret*. Ad 1.2. exacta disputatio reiicienda est, & aliqua diximus in *tract. de pœnitentia*.

Sanchez. Bonacina. Vasquez. Basilius. Lessius. Perez.

DVBIT.

DVBITATIO XXIII.

De osculis, tactibus, turpiloquio, & aspectu, pollutione, sodomiâ & bestialitate remissiuè?

300. *Explicata à nobis iã hæc alibi sunt.*

PLura, quæ de his omnibus vitiis tractari solent diximus *in nostro opere de iustitia caterisq; virtutibus Cardinalibus lib.1.disp.3.* maximè à *dub.* 15. vbi de speciebus luxuriæ disputauimus, & de obligatione non faciendi, aut impediendi actus, qui aliquam habent veneream inchoationem, vel dispositionem, ac in particulari de sodomia, & bestialitate diximus *dub.*18. & de peccato contra naturam cum feminâ *dub.* 19. de pollutione verò voluntariâ *dub.*20. ideò lectorẽ ad ibi dicta remitto.

DVBITATIO XXIV.

De adulterio.

301. *Restant hoc loco pleraque de adulterio tractanda præter alibi à nobis dicta. Item de incestu.*

QVamuis in *opere nostro de iust. & iure* nuper citato *lib.1.disp.3.dub.*15. generaliter assignãdo species luxuriæ inter cæteras assignauerimus adulterium, vix obiter de illo aliquid attigimus, sicut & de incestu; ideò nunc quantum satis esse videbitur, opere pretium erit de vtraque specie disputare quod in hac & sequenti dubitatione præstabimus.

302. *Assertio.1. Quid sit adulterium? Definitio ex iure Ciuili & Canonico. Alterutrũ saltem peccantium requirit cõiugatum.*

Assero.1. adulterium est propriè accessus ad alienum torum, seu violatio alieni tori. Ita habetur cap. *Lex* §. *adulterium* 36. & cap. *Nemo* 32. *quæst.*4. Ex quo satis constat ad adulterium requiri, quod saltem vnus eorum, qui id peccatum committunt sit coniugatus, alioquin non esset accessus ad alienum torum.

303. *Est peccatũ mortale. Constat auctoritate & Ratione.* Deuter.27.

Quòd adulterium sit peccatum mortale satis constat tum authoritate, tum ratione, non solùm quâ parte fornicatio est, sed quâ adulterium inuoluit iniustitiam. Vnde *Deuter.* 27. *maledictus qui dormit cum vxore proximi sui* est autem ea iniustitia satis magna, vt ex communi hominum æstimatione patet & ex dictis in præcedentibus maximè *disputation. secunda dubitation.* 4. & ex dicendis amplius constabit.

304. *Multò grauius, si vterque sit coniugatus. Id explicandum in confessione tãquàm multiplex malitia.*

Ex dictis colligitur multò grauius esse adulterium, quando vterque peccans est coniugatus; tunc enim duplex thorus violatur, & duobus fit iniuria, imò si propriè loquamur, non tam dicitur maius peccatum, & maior malitia, quam duplex peccatum, seu duplex malitia, & vtraque explicanda est in confessione iuxta ea, quæ diximus agentes de pœnitentiâ *tractat.*8. *disputat.*9. *dub.*5. Ibi legatur. Vbi sub nomine Recentiorum vnum retecimus qui cõcedens esse plures malitias, simul docuit non esse necessariò in cõfessione explicandas, quod singulare est, vt ibi notabam *nu.*261.

305. *Quæstiũ.1. quod nam maius peccatum, coniugatam cũ soluto an solutam cum coniugato?*

Quæret tamen aliquis 1. an sit maius peccatum, quando femina coniugata congreditur cum viro soluto, quàm quando vir coniugatus cum feminâ solutâ.

306. *Maius est coniugatam cum soluto, quam solutã cum coniugato.*

Respondeo maius esse; quia quamuis præcisè ex vi fidelitatis contractus matrimonij, & mutuæ obligationis ex iustitiâ resultantis ex tali contractu æqua sit vtriusque conditio; tamen multa concurrunt ex parte feminæ, quæ grauius peccatum reddant, tum, quia in communi æstimatione maius dedecus est viro, quòd vxor alterius libidini seruiat, quàm feminæ, quòd eius vir ad aliam feminam accedat; tum quia maius damnum sequitur, si fortè generetur proles, cogitur enim maritus alere alienam prolem, & toto tempore, quo vxor ex adulterino concubitu prægnans est, & in puerperio tenetur maritus, vel abstinere à copula si id necessitas postulet, vel carere prole propria, quam non potest vxor concipere toto illo tempore.

307. *Item maius peccatum si femina duobus viris solutis quam si vir duabus solutis feminis.* Armilla. *Alij multi. Ratio.*

Colligitur etiam ex dictis maius peccatum esse si femina coniugata duobus viris solutis se prostituat quàm si vir coniugatus duabus feminis solutis. Ita Armilla verb. *Adulterium numer.*2. & alij multi. Ratio est; quia femina non potest pluribus viris satisfacere in ordine ad generationem cùm ordinariè, vt plerique medici volunt generatio impediatur ex admixtione duplicis seminis. Accedit, quòd etiamsi non impediatur nihilominùs proles est dubia, & nescitur sæpe cui alendi cura incumbat. Ex quo etiam capite apparet maior grauitas adulterij in femina coniugata comparatione sui viri, quàm in viro coniugato comparatione suæ vxoris. Nam proles suscepta durante matrimonio vxoris adulteræ dubium est cui tribuenda sit, an marito, an adultero, aut certè impediri potest generatio mariti propter admixtum semẽ adulteri, quod non contingit, quando vir coniugatus peccat cum femina solutâ, vt patet.

308. *Quæstiũ 2. quæ pœna adulterij?*

Quæret aliquis 2. quænã sint adulterij pœnę?

309. *Respõdetur diuersam esse pro diuersitate nationum.* Couarr. Azor. Sylvester. Tabiena. Molina. Tuscus. Menoch.

Respondeo, pro diuersitate gentium & nationum grauiores leuioresue pœnas statui, aut irrogari ideò de his nihil certum statui potest. Plura de his pœnis videri possunt apud Couarr. *p.2. cap.*7. §.6. & apud Azor 3. *par. libr.*3. *c.*8. apud Sylvestrum Tabienam verbo *adulterium* & apud Molinam *disp.*103. *tractat.*3. & apud Cardinalem Tuscum *tom.1. concl.*227. & 228. & apud Menochium de arbitrar. *libr.2. centuriâ* 3. *casu* 290. vbi docet quâ pœnâ puniendus sit Christianus coniugatus, vel solutus qui cognoscit carnaliter iudæam, vel aliam non baptizatã, & quâ pœnâ puniendus sit iudæus carnaliter cognoscens Christianam.

310. *Iure communi pœna notissima quòd adultera amittat dotem post sententiam. Item arrhas & munera Non paraphernalia. Nec prædicta amittit ob solos amplexus & oscula. Omnia hæc sunt fori externi, supponunt iudicis sententiam.*

Sanè iure communi notissima illa pœna est quòd vxor adultera amittat dotem, quæ propter adulterium adiudicatur marito post sentẽtiam iudicis Ecclesiastici vt patet ex *c. plerunque de donat. inter vir. & vxor.* item amittit arrhas & munera propter nuptias non tamen amittit paraphernalia sicut non amittit dotem arrhas, & munera propter solos amplexus, & oscula impudica iuxta magis communem sententiam quidquid reclamet Couarruuias loco citato. Verum hæc maximè spectant ad forum externum, cùm vt dicebam, supponant iudicis sententiam.

311. Alia pœna est communis vtrique coniugi vt scilicet, altero adulterante, possit fieri di-

Communis vtriusque adulteri cõiugati posse ab altero fieri diuortium.

uortium, quâ de re dicemus *disp. sequenti.* Iam nunc veniamus ad ea, quæ teneatur præstare adulter.

312. *Quæritur 3. de obligatione adulteri prolem generantis.*

Quæres ergo 3. ad quid teneatur adulter, qui filium ex adulterio suscepit.

313. *Respõdetur tum hic tũ remissiuè.*

Respondeo si indubitanter credat esse suum teneri in solidum cum matre ad restitutionem damnorum iuxta principia generalia à nobis tradita in *tract. de restit.* atque in particulari de obligatione adulteri diximus in *nostrõ opere de iust. l. 2. tract. 2. disp. 7. dub. 11.* Vnde iuxta ibi dicta tenetur ad restitutionem damnorum, quæ patitur verus maritus, & filij legitimi, vel hæredes. Vnde tenetur ad restitutionem alimentorum, quæ consumpsit maritus adulteræ in educandâ prole spuriâ saltem post tertium natiuitatis annum. Ratio est; quia pater filij tenetur illum alere saltem ab illo tempore donec filius alimenta sibi possit procurare; vsque ad tertium verò natiuitatis annum probabile est non teneri; quia iure communi spectat ad matrem vsque ad illud tempus, vt colligitur ex lege. *Nec filium* quâ de re legi potest Lessius *libr. 2. cap. 10 dub. 7 n. 42* Rebellus *lib. 3. quæst 10. num. 15.* Molina *tract. illo 3. disp. 103.* Azor *3. p. lib. 5. cap. 6. quæst. 2.*

Lessius. Rebellus. Molina. Azor.

314. *Quid quãdo dubitatur an filius sit mariti vel adulteri. Censenda est proles legitima in multorum sententia.*

Quod si adulter prudenter dubitet illum suum esse filium non tenetur ad restitutionem, quia possessio stat pro matrimonio (vt volunt multi) cuius fama præualet ideo in casu dubij potius censenda est proles ex legitimo matrimonio, vt multi volunt etiamsi mater cum iuramento dicat esse filium adulteri; nam hæc sunt signa fallacia; pro qua sententia stant aliqui Auctores, quos refert & sequitur Bonacina *q. 4. puncto 15.* quamuis non omnes ab eo relati id doceant. Mihi verò magis placent, quæ diximus loco citato de restitutione cum Rebello ibi relato scilicèt in casu dubij teneri adulterum ad restitutionem maiorem, vel minorem pro quantitate dubij iuxta prudentis arbitrium tam circa expensas in educatione quã circa damna hæreditatis, quæ aliis hæredibus sequuntur: ibi legantur.

Bonacina *cum aliis.*

315. *Si probabile sit non esse adulteri et tamsi probabile sit illius esse, non tenetur adulter.*

Si verò adulter probabiliter credat prolem non esse suam quamuis etiam probabiliter putet esse suam non puto teneri ad restitutionem, quia tunc probabiliter possidet adulter suam pecuniam, & bona, quæ non tenetur expendere pro causa tam incerta maximè, cùm probabilitas stet pro se.

316. *Probabile est adulterum teneri restituere illis hæredibus quos si nõ esset illa proles maritus instituisset. Si maritus collaterales non habeat, ad nihil tenetur adulter.*

Existimo etiam adulterum satis probabiliter teneri restituere illis, quos maritus instituisset hæredes deficiente filio alieno, & spurio, quem putat suum. Vnde iuxta hanc sententiam, si maritus adulteræ non habeat hæredes necessariò alioquin successuros; debet restituere hæredibus collateralibus, si nesciat, quos nam hæredes voluisset instituere; deficientibus autem hæredibus, etiam collateralibus non tenetur adulter ad restitutionem iuxta probabilem sententiam, si non constet, quos nam maritus adulteræ instituisset, quia tunc probabiliter credi potest fore, vt ipsam adulteram maritus instituisset, vt docet Vasquez in opuscul. *de testam. c. 5. §. 1. dub. 10. numer. 20.* cum Antonio Gomez, & aliis.

Vasquez. Antõ. Gomez. *Alij.*

Quando autem duo adulteri cognouerunt vnam & eandem feminam coniugatam, quæ concepit quando absens erat maritus vterque tenetur alere & restituere suam partem; atque altero nolente tenetur alter in integrum iuxta principia generalia, quando plures sunt causa damni, quâ de re diximus in citat. *Tractat. de restitut disputation. 3. dub. 2.* & legi potest Azor *suprà* Rebellus *libr. 3. q. 10. numer. 21.* Molina citato *Tractat 3. disputation. 11. à 103. numer. 3. ad finem.* Legantur etiam, quæ diximus *cit dub. 11. disp. 7. de restit.* vbi plura dedimus, quæ pertinent ad obligationem restitutionis ex parte ipsius adulteræ coniugatæ.

317. *Quid quãdo duo adulteri absente marito cognouerunt vxorem & nescitur cuius sit proles? Respõdetur ex alibi dictis vtrumque teneri ad partem, & altero nolente, tenetur alter in totum.*

Azor. Rebellus.

Infertur à quibusdam etiam ex dictis adulterum teneri restituere alimenta, quæ facta fuerint ab hospitali domo pro alenda prole spuriâ, nisi adulter egestate laboret. Ratio est, quia hospitalis illa domus solùm censetur instituta ad alendos pauperes, vel filios pauperum, in nostro autem casu, vt supponimus ille adulter non est pauper, ac proinde non potest frui emolumentis, quæ in hospitali illâ domo pro pauperibus tantùm seruantur. Ita Rosell. *supra.* Nauarr. *c. 16. num. 48.* Syluester verbo. *adulterium quæsito 5.* Lessius *lib. 2. c. 19. dub 6. n. 70.* Azor *supra c. 6. quæsito 5.* Molina *cit. disp. 103.* Vasquez *supra dub. illâ 10. num. 23.*

318. *Debet in quorumdã sententia restituere adulter hospitali alimenta pro alenda prole spuria nisi paupertas excuset. Ratio.*

Rosella. Nauarr. Syluester. Lessius. Azor. Molina. Vasquez.

Sed vt verum fatear hoc vltimum mihi non videtur vsquequaque certum. Nam domus illa hospitalis iuxta intentionem instituentium, vt piè credi potest non solùm videtur instituta pro alendis pauperibus, sed pro alendis expositis paruulis, quos vt omnis tentatio, seu dæmonis instigatio illos extinguendi tolleretur, siue pro excusandis sumptibus, siue pro celandõ delicto, voluit pius institutor esse locum ad illos excipiendos, & alendos. Sic Toleti in nostra Hispaniâ pius æquè ac nobilis Cardinalis Petrus Consalez de Mendoza Archiepiscopus Toletanus instruxit & fundauit nobilissimum hospitale, vbi copiosus grex agnellorum, id est paruulorum expositorũ nutriretur, educaretur, ne miserè perirent, nec puto illius intentionem fuisse obligare exponentes ad restitutionẽ quacunque ex causâ exposuerint, ne haberẽt occasionem, aut tentationẽ perdendi paruulos, quos vident habere paratum hospitium, & alimentũ. Verum hoc aliorum iudicio relinquo.

319. *Non videtur satis certa eã obligatio. Ratio.*

Illud addo cum Molina *suprà* videturque consentire Lessius loco citato cum Couarruuia, & aliis matrem adulteram non teneri ad restitutionẽ pro tribus primis annis, quibus proles fuit exposita in domo hospitali, vel etiam in domo alterius, qui benignè illum puerũ expositum nutriendum, & educandũ suscepit, quando id factum fuit, ne parentum delictum manifestaretur; nam mater solùm tenetur lactis alimenta præbere, quando id commodè potest sine graui aliquo suo detrimento; tunc autem cõmodè non potuit ob infamiæ periculum, nec peccauit exponendo prolem hospitali ad celandum delictum, aliaque damna impedienda.

320. *Mater non tenetur pro tribus annis.*

Molina. Lessius. Couarr. *Alij.*

Constat etiam ex dictis adulterum, qui filium suscepit ex adulterio, illumque reliquit inter legitimos filios mariti adulteræ, teneri præter alimenta etiam occurrere dãno emergenti

321. *Alia obligationes relarciendi dãna quas habet adulter.*

genti hæredibus legitimis, ac etiam damno dotis, quam pater putatiuus tradidit puellæ spuriæ credens eam esse propriam filiam. Ita Lessius *supra n.* 46. Rebellus *n.* 9. Finellius *casu* 10. *n.* 17. Aragon. *secunda secundæ q.* 62. *art.* 6. Nauarr. *n.* 40. *c.* 16. Azor *supra c.* 6. Vasquez *supra* aliique communiter contra Henriquez *lib.* 11. *c.* 31. *numer.* 3. aliosque nonnullos non improbabiliter existimantes adulterum non teneri, quando non fuit causa, quod filius alienus supponeretur marito, nihilominus probabilius est, quod diximus, quia adulter per adulterium causa fuit eius damni, quod plerumque sequitur, aut natum est sequi ex tali iniuriâ adulterij, quod adulter præuidere potuit, & præcauere debuit. Quæ doctrina locum habet in adulterâ, nec enim solus adulter tenetur ad damni restitutionem; sed etiam ipsa, cum æquè sit eius damni causa vt notarunt Rebellus Lessius & Azor aliique communiter.

Lessius. Rebellus. Finellius. Aragon. Nauarr. Azor. Vasquez. *Alij communiter.* Contra. Henriq. *Et quosdã.*

Locum habet ea obligatio in adultera. Rebellus. Lessius. Azor. *Alij communiter.*

322. *Idem est de supponente partum cũ præiudicio veri mariti & legitimorum hæredum.* Nauarr. Suarius. Lessius.

Hæc sententia locum etiam habet in illo aut illâ qui, vel quæ partum suppositit cum præiudicio veri mariti aut legitimorum hæredũ, est enim eadem ratio in vtroque casu sicuti notauit Nauarr. *supra n.* 43. & cum illo Suar. *to.* 5. *in* 3. *p. disp.* 50. *sect.* 4. *n.* 8. Lessius *suprà n.* 41. patetque *ex c. officij de pœnit. & Remiss.*

Constat ex iure Canonicò.

323. *An sit aliquid restituendum ratione præcisè adulterij? Remissiuè.*

Vtrùm autem aliquid sit restituendum præcisè ratione adulterij iam diximus *cit. illâ disp.* 7. *dub.* 11. *de restit.* ibi legatur.

324. *Non tenetur adultera se matrem prodere cum graui detrimento vitæ, vel famæ. Remissiuè.*

Ibidem quoque latiùs explicuimus (quidquid aliqui dicant) non teneri adulteram se matrem prodere & manifestare crimen cum graui suo detrimento vitæ, vel famæ, etiamsi esset certa spes auertendi damni hæreditatis per reuelationem sui criminis, vbi pro nostrâ sententiâ plures Auctores retulimus, & reiecimus alios, qui saltem pro casu aliquo matrem dicunt teneri, vt cùm reditus sunt suprà modum pingues, & hæreditas maximi momenti, verbi gratia Regnum Imperium Principatus Ducatusue aliquis magnus. Ibi legatur, vbi etiam alia quæ pertinent ad filium explicuimus, quem diximus non teneri credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, etiamsi sciat illam fuisse adulteram.

325. *An filius teneatur credere matri fatenti illum esse adulterinũ. Remissiuè.*

Duo tandem aut tria pro praxi maximè confessariorum aduerto. Primum. Confessarium magnâ prudentiâ vti debere, & cautissimè se gerere in compellendâ adulterâ in articulo mortis ad detegendum suum adulterium, siue; quia filius, vt notabam, non tenetur illi credere, siue, quia fieri potest vt ipsa euadat periculum mortis impendentis ab infirmitate, & à marito, & aliis mariti cognatis occidatur, siue quia rarò prodesse potest eiusmodi reuelatio. Secundum, nec etiam esse consulendum, vt adultera post mortem per Confessarium detegatur obtentâ ab illâ facultate etiam in scriptis; timeri enim inde meritò potest, quòd vel ipse Confessarius, vel ipsa proles adulterina occidatur, vt notarunt Henriquez suprà, & Azor *quæsito.* 2. *circa finem.*

Quædam aduertenda pro praxi confessariorum.

Primum, cautum oportet esse valde confessarium in compellenda moribunda ad manifestandum suũ crimen.

Quærunt hic etiam nonnulli cuius fori sit causa adulterij, quæ res ad forum contentiosum iurisperitorum spectat potius, quàm ad virum Theologum sufficiat indicasse, quando agitur de separatione quoad thorum, & habitationem, ad forum Ecclesiasticum pertinere; censetur enim illa causa spiritualis, quæ intimè concernit obligationem conscientiæ, atque ita praxis ipsa vsusque declarat; nisi fortè alicubi (quod fieri potest) aliud consuetudine liceat; quando verò agitur de pœnis debitis ob adulterium res videtur esse mixti fori, sicuti notarunt Iulius Clarus *in praxi crim. §. finali q.* 37. *n.* 3 Tuscus *tom.* 1. *concluſ.* 128. & alij. Quamuis de pœnâ capitis videatur dicendum ad sæcularem iudicem pertinere. De quo diximus *in nostro opere de iustitiâ lib.* 2. *tract.* 1. *disput.* 4. *numer.* 247. Legantur alia, quæ circa hoc ibi dicta sunt sequẽtibus numeris.

Secundum, nec consulenda est manifestatio post mortem per cõfessarium. Henriq. Azor.

326. *Cuius fori sit causa adulterij, ad iurisperitos spectat. Breuiter respõdetur.* Iulius Clarus. Tuscus. *Alij.*

Pœna capitis videtur deferendum iudicium sæculari. Remissiuè hoc & alia.

DVBITATIO XXV.

De incestu.

327. *Aliqua sunt iam alibi explicata sed aliqua hoc loco etiam tractanda.*

QVamuis aliqua, quæ ad hanc rem faciunt tum *in nostro opere de iustitia cæterisque virtutibus libr.* 1. *disputation.* 3. *dub.* 15. & 18. & *de pœnitent, disputat.* 9. *dub* 6. *num.* 272. tum *in hoc tract. disputat.* 7. vbi egimus de impedimentis affinitatis consanguinitatis dub. 21. & seqq. & cognationis tam spiritualis, quàm legalis explicata sint; nihilominus placet breuiter aliqua, quæ ad peccatum incestus pertinere videantur ad maiorem prædictorum intelligentiam in præsenti explicare. Rem verò totam variis quæsitis claritatis & breuitatis gratiâ persequi iuuabit.

Variis quæsitis res tota explicanda erit.

328. *Quæsitũ 1. quid sit incestus?*

Quæri ergo potest 1. quid sit propriè incestus.

329. *Respõdetur.*

Respondeo incestum esse *congressum cum personâ cognata cum qua propter reuerentiam cognationis sit prohibita copula, & matrimonium*, vt amplius ex dicendis constabit, & ex dictis *disp.* 7.

330. *Quæsitũ 2. ad quas personas se extendat.*

Quæres 2. cum quibus personis sit propter prædictam causam ea copula prohibita?

331. *Respõdetur remissiuè.*

Respondeo, huius rei solutionem petendam esse ex dictis eadem *disputat.* 7. vbi egimus de variis cognationibus impedientibus matrimonium propter prædictam reuerentiã, quæ seruari debet inter personas coniunctas. Vnde iuxta ibi dicta matrimonium non potest contrahi, adeoque copula, si habeatur erit incestuosa inter cognatos consanguinitatis, vel affinitatis cognatione, vel cognatione legali aut spirituali in gradibus in quibus id explicuimus ibi *à dub.* 20. vsque ad 40. & præcipuè censetur incestuosa copula, si habeatur cum consanguineis vsque ad quartum gradum, aut cum affinibus, vsque ad 4. si affinitas oriatur ex copulâ licitâ, vel vsque ad secundum, si oriatur ex illicitâ.

332. *Colligitur doctrina ex dictis.*

Ex quo fit eum, qui habet copulam cum personâ descendente ab eodem stipite à quo ipse descendit vsque ad 4. gradum committere incestum propter consanguinitatem. Item, si quis copulam illicitam habeat cum maria, contrahit affinitatem cum consanguineis mariæ vsque ad 2. gradum ita vt non solum cum illis matrimonium inire non possit; sed neque copulam habere, quin peccet, non solùm

malitiâ fornicationis; sed etiam incestus; qui verò copulam licitam coniugalem habuit cum suâ vxore contraxit affinitatem cum vxoris consanguineis, vsque ad 4 gradum, atque ideò copula habita cum consanguineâ vxoris intra talem gradum incæstus erit, nec poterit posteà absque dispensatione petere debitum ab vxore, quin peccet peccato incestus. Qualis autem copula requiratur, vt contrahatur affinitas dictum est eadem *disp.7.dub.34.* ex doctrinâ traditâ *disp.2.dub.34.* ibi legatur.

333. *Alia cognationes quæ sufficiunt vt sit incestus copula cum talibus personis.* Sà. Azor. *Alij apud* Sanchez.

Vlterius qui copulam habet cum spirituali cognatâ per susceptionem, seu tentionem in Baptismo vel confirmatione in iis gradibus, in quibus dirimitur matrimonium: Item qui miscetur cum cognatâ cognatione legali per adoptionem, incestum, seu peccatum contra reuerentiam debitam cognatis committet. Ita Sà verbo *Incestus n.2.* Azor *lib.3.c.9.q.3.in to.3.* & alij, quos refert Sanchez *libr.7.de matrim.disput.5. num 9.& 10.*

334. *Quæsitū 3. quale sit hoc peccatum.*

Quæres 3. quale peccatum sit incæstus?

335. *Respondetur esse mortale.* Leuit.18. 1.ad Cor.5. *Ratio.* S.Thom.

Respondeo esse peccatum mortale grauissimum vt constat ex Leuit.18.ibi. *Omnis homo ad proximum sanguinis non accedat, vt reuelet turpitudinem eius.* Constat etiam ex 1.*Corinth.5.* Ratio verò est, quia est contra reuerentiam debitam cognatis, quæ materia in se satis grauis est, & legi potest S.Thomas 1.2.*q.*154.

336. *Quo magis coniuncta est persona eo grauius peccatū est incestus.*

Illud etiam omnino verum est (quidquid aliqui videantur negare) peccatum incestus esse grauius, quo persona est magis coniuncta. Vnde grauius peccat cæteris paribus, qui cum cōsanguineâ, quàm qui cum affine fornicatur. Item grauius si in primo gradu sit; vtrum autem quando reseruatur absolutio peccati incestus in aliquibus diœcesibus vsque ad aliquem gradum intelligendum sit quodcunque peccatum intra talem gradum reseruari, vel requiratur, quòd sit peccatum in suo esse completum. Non omnes consentiunt. Mihi iuxta generalem doctrinam de reseruatione dicendum videtur solùm reseruari peccatum in suo esse completum. Vnde qui peccauit cum maria per copulam perfectam, atque adeò contraxit affinitatem cum sorore mariæ, si posteà cum eâ sorore habeat tactus impudicos, etiamsi illi tactus habeant malitiam incestus, non censetur talis incestus reseruatus. Ratio generalis est; quia lex puniens delictum requirit, vt delictū sit consummatum; illi autem tactus non sunt delictum consummatum; atque adeò non sunt propriè incestus completus; cumque reseruatio sit odiosa & odia restringenda sint potius, quàm amplianda, non debet extendi ad talem casum reseruatio, nisi aliud constet satis de mēte reseruantis. Ita Suarius in simili de peccato nefando *disp.31.de censuris sect.4.n.21.* Nauarrus *c.27.num.250.* Azor *tom.3.l.3.c.19.q.4.* atque interminis id docet Gambarupta de casibus reseruatis *n.7.* vbi id probat ex *c.Extraordinaria 35. q.5.* refertque S. Thomam & Sotum pluribus in locis, idem docet Finellius de casibus reseruatis *casu 19.*

Nota circa reseruationē absolutionis huius peccati debere intelligendū incestus consummati.

Ratio.

Suarius. Nauarr. Azor. Gambar. *Probat ex iure Canonico.* S.Thom. Sotus. Finellius.

337. *Quæsitū 4. an omnes eiusdē speciei sint.*

Quæres 4. An omnes incestus sint eiusdem speciei.

338.

In hoc quæsito non consentiunt auctores; multi enim affirmant gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis cognationis legalis, & spiritualis ipsos verò consanguinitatis gradus inter se, aut affinitatis inter se, vel cognationis spiritualis inter se non differre specie, atque adeo in incestu eodem modo philosophandum est. Ita Lessius *lib.4.c.2.dub.11. num.79.* vers. *dub. tamen est.* Azor *3.p l.3.c.9.q.1.* aliique nonnulli probant, quia hi gradus habent diuersos effectus ex naturâ suâ; nam quidam consanguinitatis gradus irritant matrimonium iure naturæ alij verò ex præcisâ prohibitione Ecclesiæ illud reddunt illicitum. Præterea longè maior reputatur incæstus cum propriâ matre, quàm cum nouercâ, vel aliâ cognatâ legali, aut spirituali cognatione, ergo si gnum est gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, & ab aliis gradibus, seu generibus cognationis statutis iure positiuo. Sic Sotus *in 4.disputation.18.q.2.art.4.* Corduba *casu 2.*

Multi putāt gradus consanguinitatis differre specie à cæteris aliis. *Negant inter se differre hos aut alios.* *Inde colligunt quid dicendū de incestibus.* Lessius. Azor. *Alij nonnulli.* *Probant.* Sotus. Corduba.

339. *Alij putant omnes gradus differre specie.* *Tum inter se tum ab aliis* Nauarr. Valentia. *Vasquez ex parte.*

Alij affirmant omnes gradus affinitatis differre specie non solùm à gradibus affinitatis, & cognationis legalis aut spiritualis, sed etiam inter se ac proinde omnes incestus differre specie prout differunt gradus. Ita Nauarrus *c.16.* Valentia *tom 3 disp.9.q.3 punct.3.* & ex parte docet Vasquez *de pœnit.q.91.art.1.dub.9.num. 11. & 15.* & sequentibus.

340. *Alij omnes gradus & incestus putant eiusdē speciei.* Caietan. Bonacina. *Recentiores.* *Ex parte* Card.Lug.

Alij denique docent omnes incestus contra consanguinitatem & affinitatem & omnes gradus esse eiusdem speciei. Ita Caietanus 2.2. *q.*154.*art.*9. Bonacina *q.4.de matrimon.punct.16.* aliique Recentiores inter quos ex parte Cardinalis Lugo de *Pœnit.disp.*16. nam *num.* 313. negat differentiam specificam inter circumstantias affinitatis & consanguinitatis & *n* 315. negat inter patrem & auum *num.* 314. concedit diuersitatem specificam in femina peccante cū Patre vel cum filio, & rursus *num.*316. negat diuersitatem inter peccatum cum filia vel cum priuignâ, quam appellat filiastram. Idem putat cum matre & nouerca, quod valdè durum apparet. Probant, quia illi gradus differunt tantùm secundum magis & minus, sicut maior quantitas rei ablatæ in furto respectu minoris quantitatis; atqui magis & minùs non variant speciem; ergo neque in hoc casu. Probant.2. quia gradus introducti iure positiuo instituti sunt ob idem motiuum, & finem, ob quem gradus consanguinitatis instituti sunt à naturâ; omnes enim primariò sunt instituti, vt reuerentia illis gradibus deferatur, ergo obligatio non committendi tale delictum in omnibus est eiusdem speciei. Explicant hoc exemplo simonię iuris naturalis & positiui, quæ sunt peccata eiusdem speciei de quo infrà. Omitto alias rationes leuioris momenti.

Ratio.1. *Ratio.2.* *Explicatur exemplo simoniæ.*

341. *Philosophādum in hac re iuxta dicta alibi.* Vasquez.

In hac re mihi philosophandum videtur sicuti philosophati sumus agentes *de pœnitentia tract.8.disp.9.dub.6.* vbi disputauimus; an in confessione explicandus sit gradus consanguinitatis & affinitatis, & cum Vasquez diximus incestum consanguinitatis differre specie, ab incestu affinitatis; quia, nimirum reuerentia, quæ debetur consanguineo debetur ratione sui, quæ verò debetur affini, non ratione sui, sed ratione

tione consanguinei debetur, vt dicebamus. Inter consanguineos verò non improbabiliter docet Vasquez reuerentiam, & pietatem debitam consanguineis in rectâ lineâ, atque etiam fratribus, seu sororibus distinctam esse ab aliis, in quo etiam consentit Cardinalis Lugo. Lugo. suprà *num.* 312. & prius *num.* 143. quia ea videtur altioris ordinis quàm in reliquis; imò, quæ debetur ascendentibus & descendentibus distinctam esse ab ea, quæ debetur collateralibus, & transuersalibus: in reliquis verò consanguineis esse eiusdem speciei.

342. *Aliud quod loco citato diximus probabile nunc etiam probabile admittimus.* Nihilominus ibidem diximus non esse improbabile consanguinitatis gradus inter se, & affinitatis inter se non distingui specie, atque adeò peccatum cum consanguineo in vno, aut altero gradu esse eiusdem speciei, quamuis sit notabiliter maior malitia inter propinquiores, quàm inter minus propinquos; ibi legatur in quo videntur conuenire à fortiori. Imò expressè Auctores 3. Caietan. & Bonacina citati. Caietan. Bonacina. *citati.*

343. *Reiicitur sententia. putans omnes esse eiusdem speciei.* Quod verò hi Auctores aiunt, omnes omnino incestus esse eiusdem speciei, mihi non probatur; neque enim ratio reuerentiæ debitæ censetur physicè, aut moraliter eadem quæ seruari debet inter prædictos omnes cognatos, nam reuerentia debita consanguineis est propter coniunctionem, quam habent inter se, siue; quia vnus procedit ab altero mediatè, vel immediatè, siue quia vterque ab vno communi principio, in quo censentur vnum. Reuerentia verò quæ debetur affini, tantùm est propter coniunctionem carnalis copulæ, quam habuit cum illâ personâ, cum quâ quis habet consanguinitatem. Vnde non est eadem ratio, vt patet, sed secundariè, & per quamdam analogiam. Multò minus est eadem ratio in cognatione legali, aut spirituali, in quibus ratio reuerentiæ prouenit ex principiis longè diuersis, vt ex se patet & ex dictis citata *disp.* 7. vbi de iis cognationibus egimus quare motiua quibus mota Ecclesia huiusmodi cognationes induxit supponunt quidem quamdam analogiam, seu proportionem, vel similitudinem saltem moralem, & in æstimatione hominum inter prædictas cognationes, quatenus hæ cognationes, quodammodo assimilantur cognationi consanguinitatis, quæ videtur esse principale analogatum huius proportionis, seu analogiæ; absolutè tamen non sunt prædicta omnia eiusdem rationis, vt de affinitate & consanguinitate dicebamus *disp. illa 9. de pœnit. dub. illa 6. vbi num.* 272. reiecimus similitudinem simoniæ iuris naturalis & positiui, quâ aliqui vtuntur, vt probent irreuerentiam contra affines esse eiusdem speciei cũ irreuerentia contra consanguineos, & ostendimus non esse eandem rationem in vna materia & in alia. Ex quo patet ad fundamentum aduersariorum; negandum enim est prædictos gradus tantùm differre penes magis & minùs, item negandum est motiuum instituendi prædictos gradus, aut genera cognationis esse eiusdem speciei, vt explicatum est. *Ad fundamentũ aduersariorũ.*

344. Præterea notandum est circa incestum ob cognationem spiritualem peccatum esse sacrilegium, atque adeò in omnium sententiâ expri- *Incestus circa cognationem spiritualem est sacrilegium explicandũ in confessione.*
mendum esse in confessione, quia hæc species sacrilegij procul dubio diuersa est.

Vtrum autem incestus sacrilegus intercedat, quando habetur copula inter confessarium, & pœnitentem & quomodo in ea re philosophandum sit diximus *suprà disp.* 7. *dub.* 24. & de *pœnit.* locis ibi notatis neque aliquid occurrit in præsenti addendum, ibi legatur. 345. *De copula inter confessarium & pœnitentem remissiuè.*

DVBITATIO XXVI.

De stupro & eius malitia.

NOnnihil diximus de stupro in nostro opere de iustitia aliisque virtutibus *lib.* 1. *disp.* 3. *dub.* 15. *& lib.* 2. *in tractat.* 2. *de restit. disputation.* 7. *dub.* 9. *& tractat. de pœnitentia disp.* 9. *num.* 426. *& seqq.* vbi egimus de circumstantiis virginitatis. Nunc verò placet de ea re disputare breuibus quæstiunculis. 346. *Aliqua alibi dicta circa hoc.* *Nunc breuibus quæsitis res expedienda.*

Quæres 1. quid sit propriè stuprum? Respondeo stuprum propriè loquendo esse concubitum viri cum virgine femina quo virginale sigillum violetur. Si tamen latius accipiamus nomen stuprum significare solet quẽcunque concubitum legibus prohibitum, & aliquando significat solum peccatum cum virgine & vidua, vt cum Alciato, & aliis docet Menochius de Arbitrariis *libr.* 2. *centur.* 3. *casu* 288. vbi plura quærit de pœnis contra stupratores, legique potest Cardinalis Tuscus *tom.* 7. *concl.* 709. *&* 710. 347. *Quæst.* 1. *quid sit stuprum.* 348. *Respõdetur. Latior, & minus lata vocis vsurpatio.* Alciatus. Menoch. Tuscus.

Quæres 2. an stuprum habeat specialem malitiam explicandam in confessione? 349. *Quæst.* 2. *an habeat specialem malitiam?*

Non consentiunt Authores, prima enim sententia satis probabilis, & in praxi tutior docet stuprum habere specialem malitiam, siue puella consentiat, siue renuat. Ita Caietan. 2. 2. *q.* 154. *art.* 6. *ad primum dubium.* Graffius 1. *p. decisionum libr.* 2. *cap.* 79. Azor 3 *p. lib.* 5. *c.* 5. *quæsito* 1. Suarius *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 6. Bonacina *q.* 4. *puncto* 17. probant. Quia, si filia nubat, incõsulto patre, absque iusta causa, peccat contra pietatem paternam, ergo potiori ratione peccabit, quando consentit se violari, atque adeò ille, qui eam defloratvltra peccatum fornicationis peccabit peccato iniustitiæ. Accedit, quod iuxta hos Authores puella non habeat dominium suæ integritatis corporalis, sicut neque habet dominium suæ vitæ. Et pater videtur habere specialem curam corporis filiæ iuxta illud Eccles. *c.* 7. *filia tibi sunt, serua corpus illarum*; ergo per stuprum fit iniuria patri, cui commissa est corporis filiæ cura, etiamsi illa nolit. Secunda sententia docet, quando puella consentit se violari, non habere stuprum malitiam distinctam specie à fornicatione, etiamsi parentes vel tutores sint inuiti. Ita Vasquez in opusculo de restit. *c.* 3. §. 1. vbi refert Sotum *in* 4. *distinctione* 18. *q* 2. *art.* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 10. *dub.* 1. Coninc *de pœnitent. d.* 7. *dub.* 4. *num.* 19. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 14. *num.* 5. vbi alios refert. Eandem sententiam iterum ex instituto docet Vasquez 1. 2. *q.* 74. *disp* 112. *num.* 1. *&* 3. & alij multi post ipsum cuius opinionis præcipuũ fundamentum est, quod in violatione virginis non 350. *Prima sententia affirmat.* Caietan. Graff. Azor. Suarius. Bonacina. *Probant.* Eccles 7. *Secunda sententia negat esse stuprum, si puella consentiat, speciem distinctam.* Vasquez. Sotus. Lessius. Coninc. Sanchez. *Iterum* Vasquez. *Alij multi post ipsum.* *Præcipuum fundamentum.*

non reperitur specialis malitia; nisi ratione iniuriæ; qualis non reperitur ipsâ consentiente iuxta illud principium, *scienti & volenti non fit iniuria* nec etiam reperitur ex parte parentum, seu tutorum, quæ duo latè probat Sanchez loco citato, nec etiam fit iniuria proli, quę non est, & cui melius est sic esse ex illegitimo concubitu, quàm non esse, maximè, cùm, si damnum prolis spectemus perinde sequitur huiusmodi damnum ex concubitu cum feminâ solutâ non virgine. Quod verò attinet ad parentes, vel tutores inuitos negant Auctores huius sententiæ eo ipso, quòd illa consentiat fieri iniustitiam contra illos; tùm, quia puella est domina vsus sui corporis ad illum actum, si non, vt licitè fiat extra matrimonium, quia est contra virtutem temperantiæ, saltem, vt non sit contra ius alicuius, & quamuis aliqui contendant illam per talem concubitum minùs aptam fieri matrimonio sequenti, id frustra est; nullius enim ius lædit quia nemo est, qui ius acquisierit in eius corpus, & potest sponte suâ innupta manere, & adhoc ius habet, parentibus, & tutoribus inuitis. Præterea, si femina absque viri congressu patiatur claustri ruptionem siue ex negligentiâ crassâ propter aliquem motum magno impetu factum, aut propter leuem aliquam necessitatem gratiâ salutis tuendæ, non peccabit mortaliter contra Iustitiam contra parentes, aut tutores aut alium quemuis, multoque minùs cõtra seipsam, ergo nullum est caput, ex quo colligamus ipsâ consentiente iniuriam fieri à viro, vel ipsi feminæ, vel parentibus, vel alicui alteri.

351. *Ad fundamenta opposita sententiæ respondent.* Atque ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ, quatenus contendit iniuriam fieri parentibus, aut tutoribus, quando autem in citato loco Ecclesiastic. dicitur patrem debere habere curam corporis filiæ, tantùm significatur paterna obligatio, non verò inde infertur, quòd filia non sit libera absque peccato iniustitiæ in ordine ad vsum matrimonij, vel etiam ad copulam extra illud, neque in negotio matrimonij, aut copulæ est ex iustitia subdita parentibus.

352. *Illatum ex dictis pro confessione delectationis morosa tum puellæ ex obiecto inuenis tùm huius ex obiecto puellæ. Vazquez. Caietan.* Constat ex hac doctrinâ cum iis, quæ diximus *dubit.*21. delectationes morosas in puellâ virgine circa aliquem adolescentem non habere specialem malitiam, ita, vt puella teneatur in confessione dicere se, cùm esset virgo delectationem morosam de adolescẽte habuisse; quod etiam locum habet, quamuis puella se polluat concepto in mente adolescente, sicuti notauit Vazquez *cit. loco de Restitut. num.*3. & Caietanus 2.2.*quæst* 154.*art.*6. nec enim tenetur exprimere circumstantiam virginitatis, cùm per huiusmodi pollutionem non violetur claustrum virginale, in cuius violatione consistit stuprum. Item adolescentem ipsum habentem desiderium, aut delectationem circa virginem non committere specialem malitiam mortalem; dummodo adolescens non habeat voluntatem inferendi violentiam virgini. Vnde sufficit dicere in Confessione se habuisse delectationem circa feminam solutam, vel etiam se habuisse copulam cum solutâ, quantum est præcisè ratione copulæ; nam de damnis aliis extrinsecis, quæ inde resultant, vel parenti vel familiæ alia ratio est.

353. Quæres 2. an puella corrupta, vel per copulam vel aliâ ratione possit velum virginale suscipere & consecrari. *An possit ea corrupta velum virginale suscipere.*

Respondeo (quamuis id non sit huius loci) si sola sit corruptio per delectationes venereas, aut per voluntariam pollutionem omnino posse fieri; quia adhuc est Virgo virginitate naturali, cùm adhuc retineat naturalem corporis integritatem iuxta ea, quæ diximus in *nostro opere de Iustit. cæterisq; virtutibus lib.*1.*disp.*3.*dub.*14. Quando autem occultè corrupta est per copulam philosophandum est sicut ibi diximus, vbi latè eâ de re disputauimus, ibi legatur. 354. *Respõdetur. Remissiuè.*

Quæres 3. an, qui per vim, vel fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à puella extorsit, etiam absque promissione matrimonij, teneatur illam ducere. 355. *Quæsitum 3. de obligatione ducendi, quam quis fraude metu mendaciis, &c. expugnauit.*

Respondeo hac in re philosophandum esse iuxta ea, quæ diximus ex instituto in nostro opere *de Iustitiâ* agentes *de Restitut. lib.*2. *tractat.*2. *disp.*7. *dub.*9. vbi hac de re ex instituto disputauimus, vbi etiam egimus de eo, qui muneribus aut importunis precibus impetrauit vsuram corporis à virgine; ibi legatur, & legi etiam possunt, quæ diximus in hoc *tract. disp.*1 *dubit.*9. de eo, qui defloruit virginem sub spe promissionis matrimonij etiam fictè. 356. *Respõdetur. Remissiuè.*

DVBITATIO XXVII.

De raptu & eius malitiâ remissiuè.

QVæ de raptu dici possunt, iam suprà explicata sunt *disp.*7. *dub.*58. Vbi etiam pœnas illius, & quando incurrantur declarauimus, ibi legatur. & dicta de *Iustitiâ lib.*1.*disp.*3.*dub.*14.& *lib.*2.*disp.*7.*dub.*9.& *de Pœnitent.disp.*9. præsertim *n.*444.& locis ibi notatis. 357. *Indicantur loca in quibus de hac re egimus.*

DVBITATIO XXVIII.

De sacrilegio in materiâ luxuriæ.

QVamuis res hæc ad alios tractatus non immeritò reijci posset & necessariò recurrat tractanda in voto alijsque in locis spectantibus ad negotium Religionis, & alibi aliqua dicta sunt, placet nihilominus hic aliquid dicere, ne commemorantes cæteras Luxuriæ species etiam improprias, hanc videamur prætermisisse, siue sit propria sacrilegij species siue impropria, vt aliqui putant. 358. *In aliis Tractatibus de hac re ex instituto agendũ quædam tamen hoc loco attingenda.* 359. *Quæsitum.*

Quæret aliquis, quid sit sacrilegium in materia luxuriæ? 360. *Respõdetur. Varia occasiones seu culpæ huius generis.*

Respondeo esse *Peccatum Luxuriæ, quo res sacra violatur* nomine autem rei sacræ intelligimus tàm personam, quam locum consecratum, aut aliam rem etiam inanimatam. Præcipuas & magis frequentes huius sacrilegæ luxuriæ occasiones, seu culpas placet sigillatim enumerare. Primò sic peccat ille, qui copulam habet, vel intendit habere cum moniali per votum Deo dicatâ. Legatur Azor 3.*p.l.*3.*c.*27.*q* 8. estque communis & recepta sententia. 361. *Prima culpa. Azor. Communis sententia.*

Secundò consentiunt omnes (nisi quæstio sit de nomine) Sacerdotem, aut Religiosum professum, aut quemuis sacris initiatum, aut quem- 362. *Secunda culpa.*

quemcumque habentem votum castitatis peccando non solùm carnaliter cum feminâ sed quodcumque peccatum luxuriæ committendo, sacrilegium committere, quod si persona cum quâ peccat, vel intendit peccare, sit etiam simili voto adstricta, etiam ex eo capite etiam malitiam sacrilegij habet actus ille explicãdam in confessione iuxta dicta *Tract.8. de Pœnitentiâ disp.9.* præsertim loco in fine huius dubitationis indicando.

363. *Tertia culpa.* Tertiò sacrilegium committitur ab eo, qui polluit rem aliquam sacram per actum luxuriosum, vt quando habetur copula in loco sacrò absque necessitate iuxta ea, quæ diximus in hac *disp. dub.5.* vbi etiam de actu coniugali alias licito id affirmauimus. Nam per copulam polluitur Ecclesia, & legi potest Syluester verbo *Debitum num.5.* Sanchez *lib.9. disput.15.* Lessius *lib.4. cap.3. dub.12. num.85.* Rebellus *2.p.l.3.q.19. num.6.* Henriquez *lib.11.c.16.n.4.* & alij apud citatos.

Sylvester. Sanchez. Lessius. Rebellus. Henriq. *Alij.*

364. *Copula maritalis vrgente necessitate non est tunc sacrilegium.* Si autem maritalis copula habeatur vrgente aliquâ necessitate, non erit sacrilegium, vt ibidem explicuimus, vbi etiam declarauimus, quid nomine loci sacri intelligatur.

365. *Quid de habente lipsiothecam sacrarum reliquiarum? Bonacina. Quid si dentur res sacræ ob actum luxuriosum. Probabilis resolutio affirmans.* Vtrum autem speciale sacrilegium committatur ab eo, qui copulam habet cum feminâ, quando alter vel vterq; illorum habent lipsiothecam sacrarum reliquiarum, per occasionem dixi in tractatu de pœnitentiâ *disp.9. num.718.* & sequenti agens non solùm de peccato carnis, sed etiam de alijs tunc commissis gestando reliquias. Solùm aduerto nunc Bonacinam, qui *quæst.4. puncto vltimo* putauit non esse speciale sacrilegium addidisse committi sacrilegium ab eo, qui daret alteri res sacras ob actum luxuriosum, quia irrogaret specialem iniuriam rei sacræ dando illam, vt pretium eamque conuertendo in vsus profanos.

366. Hoc tamen licèt non improbabile videatur, non videtur vniuersim loquendo verum, si quis enim amasius daret amicæ, vt eam sibi conciliaret lipsiothecam auream, imò, si amasia daret Sacerdoti, quem amat calicem consecratum, vt eo munere ad se illum pelliceret, non video in eâ re sacrilegium, sicut, neque si venderetur talis res, esset simonia, dummodo non quatenus sacra est donaretur, aut venderetur, sed quatenus alioquin secundùm se est pretio æstimabilis, & legitimè vendibilis eo modo, quo dixi *in opere de Iustitiâ tract.9. de contractibus disp.1. num.70.* posse vendi (& à fortiori patet posse donari) neque ea donatio est vsus profanus talis rei; nam propriè vsus profanus in calice esset illo abuti ad potandum vel ad aliquam rem indignam tali vasculo. Quod verò illum accipiat Sacerdos, vt ipse vel Ecclesia illo ritè vtatur, & quà par est decentiâ seruetur, non est irreuerentia specialiter facta rei sacræ, sicut nec irreuerentia specialiter facta est reliquijs, si dentur, vt gestentur, vel asseruentur decenter, etiamsi calix vel reliquiæ ex prauo fine dantis ordinentur ad aliquod peccatum, quatenus aliquid inuoluunt pretio æstimabile. *Sed non videtur vniuersim admittenda. Declaratur in quibusdã casibus.*

367. *De loci sacri pollutione per seminis effusionẽ remissiuè.* Circa locum verò sacrum, quomodo polluatur seminis effusione, atque adeò quando censeatur sacrilegium cõmitti, legi potest id, quod diximus tomo primo, *tract.5. de Eucharist. disp.4. num.118.* vbi tertio modo ex multis quibus Ecclesia polluitur vel sola vel simul cum cæmeterio hoc genus pollutionis indicauimus. Item dixi aliqua *Tract. de pœnit disp.9. num.645. & seqq.* & in hac *disp. suprà dub.5.* agentes de loco in quo licet copula coniugalis.

368. *De eo qui simul est Sacerdos & Religiosus remissiuè.* Quæri iam potest vlteriùs an duplex committat fornicando sacrilegium vel vnum, qui simul sit Sacerdos, & Religiosus? De hoc dixi *Tract. de Pœnitentiâ disp.9. num.305.* latè simul cum alijs difficultatibus. Ibi videatur.

DISPVTATIO DECIMA.

De diuortio coniugum.

1. *De diuortio quoad vinculum an liceat, quando quomodo, dictum est alibi. Nunc de separatione coniugum manente vinculo agendum.* Voddam genus diuortij est notissimum, maximum & præcipuum scilicèt dissolutio matrimonij quoad vinculum, de quo an? quando? quomodóve sit aut fuerit licitum, aut validum, diximus *disp.2. à dubit.27. vsque ad 41.* Solùm nunc in præsenti restat agere de diuortio sumpto pro separatione coniugum quoad torum & cohabitationem, vinculo adhuc ipso durante.

DVBITATIO I.

An alter coniux ob adulterium alterius possit ab eo separari quoad vinculum?

2. *Ratio dubitandi ex Matth.19. verbis Christi.* Ratio dubitandi sumitur ex notissimis illis verbis Christi Matth.19. *quicumque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur.* Quorum verborum occasione acceptâ non defuerunt aliqui Græci; nec desunt aliqui Hæretici nostri temporis, & nonnulli olim Catholici, qui existimauerint coniugem ob alterius adulterium posse matrimonium quoad vinculum dissoluere; aliudque inire. Nam citata verba videntur supponere, posse adulterium, & vxorem dimitti, & aliam duci, atque illa particula *Nisi* videtur exceptiua, quâ excipiatur casus fornicationis à generali regulâ, & doctrinâ traditâ non dimittendi, aut à doctrinâ, quâ docemur mœchari eum, qui vxorem dimittat, & aliam ducat, ita, vt alijs causis dimittendi, & ducendi aliam exclusis, tamquam insufficientibus; admittatur fornicatio, tamquàm causa sufficiens. Quod autem ea particula exceptiuè sumatur videtur colligi ex eiusdem *Matth.5.* vbi non absimilis habetur sententia cum exceptione fornicationis dum dicitur: *Qui dimiserit vxorem suam exceptâ fornicationis causâ* facit eam mœcha- *Inde aliqui Græci & Hæretici sumpsêre erroris occasionem.* Matth.5.

mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat.

3. *Certum fide est non dissolui posse matrimoniũ quoad vinculum ob adulterium.* Bellarmin. Ad Cor. 7. S. Augustin.

Certum nihilominùs est in fide Catholica coniugem ob adulterium alterius non posse ab eo quoad vinculum separari, id quod semper fuit in Ecclesia Dei receptum, vt latè, & eruditè ostendit Bellarm. *lib. 1. de matrimon. cap. 16.* colligiturque 1. ex Paulo ad Corinth. 7. ibi *Præcipio non ego; sed dominus vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Quæ verba exponens Augustinus *l. 1. de Adulterinis coniugiis c. 1.* docet Paulum in prioribus verbis scilicèt, *vxorem à viro non discedere* loqui de discessione absque iustâ causâ, quam ipse Christus Matth. 19. dixerat esse fornicationem, & non aliam, in posterioribus verò quando dixit Paulus, *quod si discesserit, manere innuptam* loqui de discessione iustâ ob fornicationem, alioquin non concederet optionem vxori, vt post discessionem vel innupta maneret, vel viro suo reconciliaretur; quin imò iuxta præceptum Christi eam cogeret, vt ad virum iniustè relictum rediret; ergo, si vxor à viro adultero discedens innupta manere debet, signum est matrimonium non dissolui per adulterium.

4. *Veritas est definita ab Alexandro III. & in Concilio Florentino & in Tridentino.*

Hæc veritas definita est ab Alexandro tertio in *cap. ex part. 9. de sponsalibus*, & in Concilio Florentino in instructione Armenorum, & in Tridentino *sess. 24 Canone 7.*

5. *Ratio efficax.*

Ratio verò eiusdem doctrinæ satis efficax est; nam ex vno capite matrimonium ex suâ naturâ vinculum est insolubile, ex alio verò capite concessio illa Dei pro populo Iudæorum Deuteron. 24. quâ illis permittebatur libellum repudij iam omnino cessauit tum; quia morte Christi generaliter tota lex antiqua diuina, quatenùs merè positiua est; omnino cessauit tum, quia concessio illa solùm facta fuit pro illo tantùm populo, & à Christo reuocata *Matth. 19.* iuxta *c. Gaudemus 8. de Diuortijs.* Constatque ex contextu, quamuis autem in Pontifice sit specialis & extraordinaria facultas ex commissione Christi ad dissoluenda matrimonia rata baptizatorum (vt citatâ disput. 2. probauimus) ex rationabili causâ, non tamen decreuit Christus ea per adulterium dissolui, neque hoc expediens fuit; ergo absque fundamento, & contra naturam matrimonij affirmabitur posse de facto causâ adulterij dissolui.

Matth. 19.

Potestas ex Christi cõmissione ad dissoluendũ matrimonium ratum baptizatorũ remissiuè.

6. *Respondetur ad argumẽtum ex Matth. 19. desumptum.*

Neque verba Matthæi 19. ab aduersarijs citata vim vllam habent; quamuis enim demus particulam *nisi* exceptiuè sumi eo loco; non ideò supponitur posse matrimonium ob adulterium dissolui, nam ea particula tantùm refertur, & attingit verba præcedentia, in quibus tantùm est sermo de dimissione vxoris quoad torum, & cohabitationem. Solùm enim dicitur *quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem*, &c. Quibus verbis tantùm significatur non licere facere eiusmodi diuortium in perpetuum, nisi ob fornicationem; ac proinde, qui ob aliam causam præter hanc dimittit vxorem suam censetur mœchari id est; quantùm est ex se facere vxorem suam mœchari, id est; quantũ est ex se facere vxorẽ suam mœchari, vt habetur *Matthæi 5.* tali enim dimissione est vxori suę occasio adulterandi, ita vt adulterium marito præbenti occasionem imputetur. Postea verò Christus Pharisæis, qui interrogauerant de dimissione quoad vinculum sequentibus verbis respondet non licere, nam cùm dimissio quoad vinculum includat dimissionem quoad torum, & cohabitationem relinquatque liberam potestatem ineundi aliud matrimonium, negando potestatem aliam ducendi, & potestatem ducendi dimissam ab alio, censetur satis clarè negâsse dissolutionem vinculi, dum dixit *& aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Itaque sensus omnium verborum est eum, qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, eâque dimissâ aliam duxerit, tanquàm omnino liber à priori eam perpetuò dimittens, iniustè facit, & mœchatur, præbendo dimissæ occasionem mœchãdi, & quia ipse etiam aliam ducens mœchatur, & quicumque dimissam ab alio duxerit, mœchatur, vtpotè accedens ad alienam.

Matth. 5.

DVBITATIO II.

An adulterium sit causa sufficiens diuortij quoad torum, & cohabitationem?

7. *Assertio 1. Potest maritus ob adulterium vxorem à toro, & habitatione dimittere. Constat ex* Matth. 5. & 19. *Ex iure Canonico. Iure etiam naturali. Contra Castrum. Communiter auctores.* Sanchez. Henriq. Coninc. Basilius. Perez.

Asserendum omnino est 1. maritum ob adulterium vxoris posse eam dimittere à suo toro, & cohabitatione. Constat hoc ex duobus locis Matth. 5. & 19. citatis dubitatione præcedenti; constat etiam ex *c. significasti 4.* & ex *c. ex litteris 5.* & ex *c. Gaudemus 8 de diuortiis*, vbi id expresè habetur, quæ facultas marito competit iure naturali, id est ex naturâ matrimonij suppositio adulterio, vt rectè contra Castrum *lib. 2. de lege pœnali c. 4.* asserentem tantũ illi competere iure diuino positiuo, docẽt communiter Auctores, quâ de re legi potest Sanchez *lib. 10. disp. 3.* & Henriquez *lib. 11. cap. 18.* Coninc *disp. 35. dub. 1.* Basilius *lib. 9. cap. 16.* Perez *disp. 56. sect. 1.* præsertim *nu. 7.* nec enim tenetur maritus illi tunc seruare fidem in exhibendis talibus debitis eo ipso, quòd ipsa fidem fregerit iuxta illud tritum proloquium, *frangenti fidem fides frangatur eidem.*

8. *Habet ratio locum in vxore etiam erga virũ.*

Hæc ratio non solùm vim habet in marito comparatione vxoris, sed etiam in vxore comparatione mariti: ideò.

9. *Assertio 2. Potest etiam vxor simili modo separari à viro ob eamdem causam. Contra* Caietan. *Doctores cõmuniter.* 1. ad Cor. 7.

Asserendum est 2. posse etiam vxorem separari à marito adultero. Ita contra Caietan. ad illud Matth. 19. docent cæteri Doctores & supposuisse videtur Paulus 1. ad Corinth. 7. quamuis enim prius dixerit *his qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego; sed Dominus vxorem à viro non discedere*, id intelligi debet absque iustâ causâ, quod satis declarat in sequentibus verbis, dum ait: *Quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, in quibus omnino supponit vxorem posse iustè à marito discedere, alioquin vxorem cogeret ad illum redire, non dando illi optionem, vel redeundi ad maritum cum quo reconcilietur, vel manendi sine nuptiis continenter viuendo, vt dictum est. Quod si vxori conceditur posse ab illo discedere ob aliquam causam iustam, proculdubio poterit ob adulterium, quo ipsi etiam à marito frangitur matrimonij fides, nam vxor & maritus pares omnino sunt in obligatione seruandi matrimonialem fidem.

Ex

10. *Non potest coniux ab altero discedere ob solũ internum animum fornicandi, etiam signis expressum, nec propter impuditos actus, qui in suo genere consummati non sint, in multorum sententiâ.* Sanchez. Coninc. Basilius. Perez. *Alij.* *Ratio.*

Ex hac doctrinâ infertur ob solùm internum animum fornicandi, etiamsi aliquibus signis illud expresserit alter coniux, non posse alterum ab illo discere; imò neque per aliquos alios actus impudicos, qui non sint in suo genere consummati, putant multi non posse tale diuortium fieri, & quidem si non sit pollutio, id docet Sanchez *lib.*10. *disp.*4. Coninc & Basilius Perez supra & alij; quia illa iniuria & infidelitas censetur imperfecta, & incompleta, nec videtur rationi consonum quòd per iniuriam minorem censeatur iniuriatus exceptus à multò maiori debito, quale est cohabitandi, & reddendi perfectam copulam, sed ad summum volunt prædicti Auctores, & alij Recentiores, quòd liberetur à simili debito quoad similes alios tactus exhibendos suo coniugi, quos videtur posse negare in compensationem iniuriæ.

11. *Ob auctoritatem potest ea doctrina non improbari.* *Si ratio spectetur, multa eget distinctione res hæc.* *Explicatur rei gravitas & longè dispar ratio ex parte viri, quam ex parte feminæ.*

Nihilominus, quamuis propter graues Auctores id asserentes eam doctrinam non ausim improbare, tamen si præcisè ratione agamus, in hac re multâ distinctione opus est. Nã inprimis distinguendum inter virum & vxorem spectatâ communi hominum æstimatione. Quia licèt concederemus non posse vxorem separari à viro talibus impudicis tactibus indulgente cum aliâ persona; non videtur æqua conditio vice versa, neque enim tàm turpe, & indecorum est vxori, quòd vir ipsius talia commiserit cum aliâ personâ, quàm est turpe marito & ignominiosum, quòd tales tactus impudicos admiserit vxor cũ alio viro, nec censetur æquialens compensatio in solâ negatione similium tactuum, maximè cùm vix tales tactus negari possint, si negari non potest solutio debiti, ad quam solutionẽ ij tactus excusari non possunt; imò debiti esse possunt casu, quo putentur necessarij ad coniugalem copulam debitam. Præterea quantò coniuges sunt altioris & nobilioris dignitatis, tantò plus crescit iniuria in similibus tactibus admissis ex parte vxoris cum alio; nec tamen in communi æstimatione tantò plus crescit ex parte viri, cùm videamus Principes non Illustrissimos tantùm, & Excellentissimos, sed Serenissimos viros indulgere eiusmodi leuitatibus, & impudicis iocis, & tactibus. Imò aliquando id ipsum audere spectante vxore, nec censetur tunc nimis ignominiosum vxori hoc videnti, & patienti; cùm tamen è contra, si faceret id vxor iniuria esset grauissima comparatione viri, idque adhuc ampliùs cresceret, si cum viri aliquo famulo, aut mancipio. Quis ergo dicat maritum in eo casu tantùm posse in doloris & iniuriæ compensationem similes aliquos tactus vxori petenti negare: Ego sanè saluo meliori iudicio, non nimis asperum aut rigidum putarem esse talem virum, qui non solum à cæteris alijs actibus cum eâ abstineret, sed à coniugis impudicæ consortio se subduceret. Vt interim omittam, non nimis temerariè suspicaturum virum talem feminam in huiusmodi tactibus deprehensam vlterius non modo fore progressuram, si occasio detur; sed iam priùs fuisse progressam. Verùm hæc omnia relinquo in medio aliorum iudicio maximè Iudicum Ecclesiasticorum, ad quos pertinet, si res ad forum externum deferatur de simili diuortio faciendo, aut non faciendo pronunciare.

12. *Multa magis predicta vrgent pro diuortio cõiugum quãdo constet admissam pollutionem ex tactibus alterius tertij.* *Ratio.*

Quòd si pollutiones tam in viro, quàm in femina coniugatis cum cõplice probentur, aut nota sint fuisse, non video ita facilè quomodo possint ij Auctores asserere non licere ob eam causã diuortium facere. Quamuis autem Christus solùm assignauerit fornicationẽ pro causâ dimittendi non ideò affirmandũ est solam eam causam sufficere, cùm omnes, aut plerique concedamus, vt videbimus, etiam propter Sodomiam; aut bestialitatem posse fieri diuortium, & talia nomine fornicationis comprehendi censentur, ergo etiam pollutio cum aliâ personâ poterit comprehendi.

13. *Idem à fortiori probatur ob Sodomiam & bestialitatẽ.* Sanchez *& alij communiter contra* Abulens. Basilium. Palatium. Perez.

Ex quo patet non satis consequenter loqui nonnullos ex citatis Auctoribus alioque Recentiores, dum ex eo probant coniugem posse ab altero discedere quoad torum & cohabitationem ob Sodomiam, aut bestialitatem, quod verissimum est, & docet Sanchez *lib.*10. *dub.*4. alijque cõmuniter contra Abulensem & Palatium, quos sequuntur Basilius *lib.*9. *c.*16. *nu.*5. & Perez *supra sect.*2. *num.*4. dicentes non sufficere (quæ doctrina omninò falsa est) quia nimirum per Sodomiam aut bestialitatẽ non minùs frangitur fides coniugij quàm per copulam. Posteà verò dicunt illi ipsi Recentiores per pollutionẽ extraordinariam cum aliâ, vel secum non habere causam sufficientem diuortij; quia catò propriè non diuiditur, cùm per eam effusionẽ seminis non fiat vir vna caro cum illâ personâ diuersa à coniuge. Quæ ratio si quid probaret, etiam de Sodomiâ, & bestialitate vt Abulensis, & alij volunt quia per hæc crimina non fit vna caro cum aliâ persona, quod si recurrant ad iniustitiam matrimonij, & fractionẽ fidei, quæ in iis criminibus reperitur, id ipsum ego dico de pollutione extra vas naturale habitâ cum tali persona, in quo etiam crimine talis iniustitiâ committitur.

14. *Arguitur in consequentia idẽ Sanchez & aliqui alij.*

Vnde non satis assequor quâ ratione Sanchez eadem *disp.*4. *num.*3. dixerit copulam siue naturalem, siue Sodomiticam absque seminis intromissione non videri sufficientem ad diuortium; quia absque ea non est completa iniuria esse tamen sufficientem intromissionẽ seminis intra vas etiam absque copula, si absque eâ fieri possit; quia esset iniuria completa, vtpotè sufficiens ad consummandũ matrimonium, vt coniuges fiant vna caro. Quæ doctrina pro intromissione seminis intra vas naturale posset admitti; sed quod attinet ad copulam Sodomiticam, requirere quod de facto semen intromittatur intra illud vas indebitum & præposterum omnino impertinens est ad complendam vel non complendam causam diuortij. Vnde sine eâ intromissione sufficiet.

15. *Declaratur res amplius.*

Itaque vt me explicem circa eiusmodi casus, & crimina & modos dicendi prædictorum Auctorum, si rationem sufficientem ad diuortium reducant ad iniustitiam contra fidem, & obligationem matrimonij, hæc iniustitia etiam reperitur in pollutione extra vas, ergo non est cur propter iniustitiam fateantur Sodomiã, vel bestialitatem sufficere; pollutionem autem extra vas cum aliâ personâ non sufficere; nam etiam in hac (vt ipsi meritò fatentur) reperitur iniustitia;

iniustitia; quod si recurrant ad plenam, & perfectam iniustitiam, quam putant non reperiri in pollutione, quia non sufficit ad plenè diuidendam carnem, id est, adhoc, vt coniux censeatur diuisus in aliam personam, cum qua fiat vna caro, quia nimirum per talem pollutionem non fiat vna caro cum aliâ personâ; id ipsum ego dico de sodomia, & bestialitate ex hoc capite, scilicet non esse plenã & perfectam iniuriam; quia non sufficit tale genus copulæ, vt censeatur coniux diuisus in aliam carnem modo explicato, cùm per id genus copulæ non fiat vna caro cum alia persona; maximè, si per voces *vna caro* intelligamus principium vnius carnis, quantum est ex se, quod non habet copula sodomitica. Oportet ergo ratione quærere adeò vniuersalem vt sufficiat illâ vti tanquàm regulâ generali ad dignoscendam causam sufficientem diuortij.

16. *Quæritur ratio prædictæ doctrinæ.*

Hanc ego rationem (fateor) non inuenio talem quæ probet in sodomiâ & bestialitate esse sufficientem causam, vt simul probet in pollutione, similibusque impudicitijs cum aliâ personâ non esse. Nam, si ideò dicas sodomiam, seu bestialitatem, esse sufficientem, quia est iniustitia & fractio fidei matrimonialis, id etiam dicendum erit, de pollutione cum tertiâ personâ, in quo etiam est iniustitia, & satis grauis. Si verò dicas hanc non sufficere, quia non sufficit adhoc, vt coniux cum alterâ personâ fiat vna caro, id ipsum ego dicam (vt notabam) de bestialitate, seu sodomiâ, quæ non sufficiunt, vt sic peccans fiat vna caro.

17. *Prædicta omnia peccata nomine fornicationis possunt intelligi.*

Quapropter si præcisè ratione agendum sit, ego putarem vt dicebam, omnia prædicta nomine fornicationis fuisse comprehensa, quando Christus dixit, seu permisit diuortiũ faciendum *Fornicationis causâ* ita, vt nomen *Fornicatio* ibi luxuriam grauem significet, & nomine cuiusdam speciei magis vniuersalis, & notæ, quæ est *Fornicatio* significetur genus ipsum luxuriæ, quod neque nouum est, neque insuetum, imò & vox ipsa Græca πορνέια communis est etiam libidini inter masculos. Vnde iuxta Budæum, Tusanum, & alios similes Græcæ linguæ peritos πόρνος scortum masculum Cynædumque significat, qui corpore quæstum facit. Ideò nomine fornicationis non solùm illegitimum, naturalẽ tamen maris, & fœminæ congressum intelligere possumus, sed etiam alia luxurię peccata.

18. *Redarguitur Sanchez ex proprio fundamẽto.*

Non me latet eundem Sanchez *cit. n. 3.* (qui deberet esset numerus quartus) ideò in sodomia agnoscere diuisionem carnis, quia nimirũ etiam qui patitur sodomiam diuiditur in aliam carnem agentis, eaque ratione violat fidem matrimonij, vbi per diuisionem carnis tantùm videtur intelligere; quòd quis tractet, vel permittat se tractari impudicè ab alia personâ, hoc autem reperitur in tactibus & pollutione extra vas cum eadem personâ. Vnde contendo etiam reperiri in pollutione voluntariâ, quæ fit tactibus alterius personæ, cur enim non dicetur coniux diuidere carnem suam in alium vel aliam per pollutionem causatam tactibus alterius, si censetur diuidere carnem per pollutionem habitam præposterè, si tantùm differunt hæc & illa pollutio, quod in illâ mittatur quidem intra aliquod vas sed non genitale, in aliâ verò in nullum vas? nam præcisè quantum adhoc, quod est non fieri vnam carnem cum tertiâ personâ, atque adeò non diuidere carnem cum illâ, perinde est non recipi semen in vas genitale, atque non recipi in vas aliquod, vel, si, quamuis vas genitale non sit, sufficit illa cõtrectatio vel excitatio per carnem alienam; sufficiet etiam in pollutione cum eâdem personâ, cum quâ eadem contrectatio, & excitatio reperitur.

19. *Pollutionem cum tertio sufficere ad diuortium. Docent alij* Rosella. Angles. Sylvester. Tabiena & Sà.

Et quidem, quod pollutio habitâ cum tertia persona sufficiat ad diuortium docent nõ pauci, quos refert idem Sanch. *n.* 8. Paludanus, Rosella, Angles, Sylvester, Tabiena, Sà. Itaque vno verbo grauissima illa fractio fidei per pollutionem, siue sodomiticam, siue brutalẽ, siue cum tertio extra vas, præbet causam diuortij quidquid sit de diuisione illâ carnis quæ vt vult Perez sit causa irregularitatis aut bigamiæ. Quorsum hîc quæso bigamia, & irregularitas? sufficit (vt Christus loquitur) *fornicationis causâ* nomine verò fornicationis potest intelligi quæuis prædictarũ seminis administratio. Certè Christus fornicationem non ideò sufficientem putauit, propter bigamiam aut irregularitatem. Neque enim tunc erant ista, quãdo Christus loquebatur; sed ad abusum corporis extra matrimoniũ respexit; quæ turpitudo maior est in illis alijs criminibus, & turpius est alteri coniugi iterum commisceri cum brutali aut sodomitico, &c. Ideò noluit amplius Christus cogere ad reddẽdum illi debitum. Vide aliò circa hoc *numero* 24.

20. *Quid quando maritus tentaret sodomiticum actum cum propria vxore? sufficitne hoc ad diuortium. Affirmant sententia* Petrus Sot. Couatr. Salcedo. Menoch. *cum limitatione* Sanchez. Henriq. S. Ambros. *Nec putat Sanchez esse causam perpetui diuortij.*

Quid autem dicendum sit, quando vir tentaret sodomiticè congredi cum propriâ vxore, non videtur ita facilè discernere, an sufficiat ad diuortium? Multi affirmant quos refert Sanchez *supra num.* 5. inter quos Petrus de Soto, Couarruuias, Salcedo, Menochius, quam doctrinam non improbat Sanchez, sed putat intelligendum esse; nisi vir corrigi velit, pro qua limitatione refertur Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 17. *nu.* 7. atque hâc ratione intelligit verba D. Ambrosij in illud 1. ad Corinth. 7. *aut viro suo reconciliari*, vbi sic ait, *si apostatet vir, aut vsum quærat vxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum.* Imò etiam Sanchez putat eam non esse causam perpetui diuortij, sed ad tempus.

21. *Idem putat Sanchez de marito polluente vxorem renuentem.* Rosella. Sylvester. Tabiena. *alij quidam Ratio.*

Eadem ratione non esse causam perpetui diuortij putat Sanchez *num.* 6. si vir propriam vxorem minimè consentientem extra pudoris claustra polluat, pro qua sententiâ refert Rosellam verbo *matrimonium* 7. *num.* 2. Sylvestrum, Tabienam & nonnullos alios. Probant verò, quia vir non diuidit carnem suam in plures, sed in propriam vxorem.

22. *Probabilius est vtramque causam sufficere. Ratio.*

Probabilius nihilominùs existimo esse & hanc, & proximè præcedentem sufficientem causam diuortij, quamuis enim tunc maritus non diuidat carnem suam in aliam personam, nihilominùs peccat contra matrimonij fidem, & quidem grauissimum committens peccatum luxuriæ, quod habet malitiam adulterij saltem malitiam iniustitiæ illi valdè similem, & explicandam in confessione, vt cum eodem Sanchez

&

& aliis probauimus *disp. 9. dub. 7. quæsito 5. num.* 82. atque adeò etiam hoc potest intelligi nomine fornicationis, quando Christus dixit citatis locis licere vxorem dimittere *Fornicationis causâ*, & quando textus citati docent propter adulterium posse fieri diuortium, quamuis enim maritus tunc non accedat ad aliam carnem distinctam à suâ vxore, nihilominùs iniustè accedit prædictis modis, & quidem si expendamus rem; ideò quando accedit, ad aliam feminam, potest diuortium facere vxor, quia diuidit carnem in aliam carnem, in quam non habet ius, nam, si haberet ius in illam carnem, etiamsi diuideret carnem suam in aliam, non esset causa sufficiens diuortij, vt contingebat, quando in lege antiquâ licitum fuit habere plures vxores, ergo ratio in tali diuisione carnis sufficiens ad diuortium sumitur non præcisè ex diuisione in aliam personam, sed ex iniustâ diuisione. Atqui non minùs iniustè diuidit carnem suam, quando se polluit cum vxore extra vas legitimum, quamuis enim habeat ius in carnem vxoris; non tamen habet ius in eam carnem, quantumuis vxoris, vt illâ abutatur extra vas legitimum, ergo quantum ad talem abusum non minus censetur alia caro vxoris, quàm cuiuscumque alterius, & eâ ratione meritò censetur diuidere maritus carnem suam in alienam carnem cùm caro vxoris extra vas legitimum ad eam seminis administrationem, vel in ordine ad illam æquè non sua sit, & aliena censeatur, atque cuiusuis alterius feminæ caro. Ideò præter citatos à Sanchez *numer.* 5. docent nostram sententiam Albericus referens Laurentium *in suo dictionario litterâ N. verbo matrimonium* 8. *paragrapho* 1. *in fine.* Abulensis *c.* 19. *Matth. q.* 65. *in fine.* D. Antoninus, Veracruz, Emanuel Sà, Bartholomæus de Ledesma, Paludanus, & Petrus de Soto, D. Thomas, Castro, Viguerius, Celaia, apud Sanchez *numer.* 6. Et quidem si vir absistere nolit ab huiusmodi vitiis, fatetur etiam posse vxorem separare se ab illo ratione periculi animæ, ne trahatur ad conniuendum in illo scelere, quod etiam docent Sylvester, Rosella, Tabiena, & alij apud eundem Sanch. suprà, quamuis non putent huiusmodi diuortium posse durare; nisi dum vir non resipiscit.

Sententiam nostrã præter relatos à Sanchez alij docent. Albericus. *Cum* Laurentio. Abulensis. S. Anton. Veracruz Sà. Ledesma. Paludan. Pet de Sot. D. Thom. Castro. Viguer. Celaia. *Sanchezij aliaratio separandi se à viro.* Sylvester. Rosella. Tabiena. *Alij.*

A fortiori mihi placet sententia D. Antonini 3. *par. titul.* 1. *cap.* 20. Astensis *in summâ* 2. *par. lib.* 8 *titul.* 11. *à* 3. Maldonati, ad cap. 5. Matthæi *numer.* 32. Velæ in suo tractat. de pœnis delictorum cap. 33. Triburgi in summa confess. *libr.* 4. *titul.* 23. *q.* 3. & eorum, quos pro nostra sententia retulimus nuper, scilicet virum committentem sodomiam completam cum vxore inuitâ dare iustam causam diuortij perpetui non minus quam, si adulterium commisisset cum aliâ personâ, aut sodomiam etiam cum alio viro propter rationem dictam cùm & maximam iniustitiam, seu iniuriam irroget vxori, & diuidat carnem modo explicato. Omitto alios casus, qui ex dictis facilè resolui possunt.

23. *Vir committens sodomiam cõpletam cum vxore inuitã dat iustã causam diuortij perpetui.* D. Anton. Astensis. Maldonat. Vela. Friburgus. *Alij nuper citati.*

Vnum iterum placet notare satis scilicèt debili fundamento Basilium & Perez negare sodomiam & brutalitatem præbere causam perpetui diuortij. Probat Basilius, quia in iure diuisio carnis, quæ dicitur esse causa diuortij; intelligenda est iuxta vsum naturalem, quia in eo vsu tantùm in iure inducitur bigamia & irregularitas, quâ vtitur etiam Perez vt dicebam *numer.* 19. quæ ratio nullius momenti est. Nam ratio diuortij, de quo agimus, & ob quam licet diuortium non est ille defectus significationis, & inhabilitas, sed iniustitia & iniuria facta cõiugi, quod præter dicta *numer.* 19. me quidem iudice patet ex eo, quòd potest compensatio, & remissio talis iniuriæ (vt posteà videbimus) tollere aut extinguere ius diuortij, ergo non fundabatur in defectu significationis (qui quâuis positâ remissione, aut compensatione, manet,) sed in iniuriâ quæ non minus reperitur in iis peccatis, quàm in copula naturali. Vnde ex naturâ rei resultat tale ius independenter ab vsurpatione alicuius vocis, quæ vsurpetur in iure positiuo iuxta dicta in principio huius dubitationis cum communi sententiâ contra Castrũ, & iterum notabo sequenti *dub. n.* 28. in fine.

24. *Debili fundamento negant Basilius & Perez sodomiã & brutalitatem dare causam perpetui diuortij.*

25. *Assertio* 1. *non sufficit adulterium quando vterque coniux illud commisit. Constat ex iure Canonico.*

DVBITATIO III.

An aliquando adulterium non sufficiat ad diuortium?

Ratio. *Licet vnus semel, alter vero sæpius peccauerit.* Sanchez. Coninc.

ASsero 1. tunc non sufficere adulterium ad diuortium, quando ab vtroque coniuge commissum est. Ita constat ex *c. significasti* 4. *de diuortiis.* Ratio est; quia tunc compensatur iniuria ab vno alteri facta, quantum ad auferendum ius discedendi ab altero, nec sufficit alterum coniugem tantùm semel adulterium commisisse, vt possit diuertere ab alio, qui sæpius commisit, vt rectè contra nonnullos probat Sanch. *lib.* 10 *d.* 6. *n* 8. Coninc *disp.* 35. *n.* 12. siue, qui plura commisit ea commiserit post, siue, ante illum, qui tantùm vnum. Nam pares sunt, quantum ad causam sufficientem diuortij, ac proinde causa infidelitatis vnius coniugis sæpius repetitæ sufficienter censetur compensata per infidelitatem alterius, qui semel tantùm.

26. *Assertio* 2. *Adulterij vnius etiam secreti tollit ius diuertendi etiãsi alterius sit publicum.*

Pari ratione asserendum est 2. quod vnus secretò adulterauerit & alter publicè nõ esse sufficientẽ causam diuertendi ex parte eius, qui secretò; nã quod attinet ad adulterij, & causam diuortij æquales sunt, etiãsi vnus in foro externo probare possit adulterij alterius, & nõ è cõtra.

27. *Assertio* 3. *Etiamsi alter sit emendatus & alter non tollitur ius diuortij.* Petr. Soto. Ledesma. Basilius. Perez. *Contra quosdam.*

Assero 3 etiamsi alter sit emendatus, & alter persistat in adulterando non sufficit, vt emẽdatus possit diuertere ab altero vt contra Antoninum & Paludanum rectè docent Petrus de Ledesma *sect* 62. *art.* 1. *dub.* 2. Basil. *lib.* 9. *c.* 17. Perez *supra*, nam emendatio non extinguit iniuriã illatam alteri, quia semper manet dignus, vt ei non seruetur fides.

28. *Nec cessat ius quando emendatus monet alterum & inducit ad emendationem.* Basilius. Contra Sanchez. & Coninc. *Ratio.*

Nec placet quod docent Sanch. & Coninc, quos rectè reiicit Basilius, scilicèt, non esse causam sufficientem, quando emendatus admonet alterum, seu inducit ad emendationẽ & ad reconciliationem, quia eâ inuitatione non extinguitur iniuria illata ei, qui admonetur & inuitatur, quia inuitatio seu inductio non est satisfactio iniuriæ. In quibus omnibus dictis à Basilio apparet etiam in illius sententiâ

Inde arguitur contra Basilium ius diuortij non fundari in diuisione carnis, sed in iniustitiâ.

verum esse debere non propter diuisionem carnis naturali vel non naturali copulâ sed propter iniustitiam resultare ius in coniuge offenso diuertendi ab altero, quæ iniustitia etiam in abusu corporis sodomiticè aut bestialiter reperitur, vt notabam in fine *dubitat. præcedentis.*

29. *Si post reconciliationẽ alter iterum adulterat, dat causam diuortij sufficientem.*

Illud autem est maximè obseruandum (in quo Doctores conueniunt, vt videre est apud citatos) si post adulterium vtriusque aut alterutrius tantùm ipsi reconcilientur, qui post reconciliationem iterum peccauerit, dare alteri sufficientem causam diuortij; quia hæc iniuria non potest per iniuriam reconciliatione remissam compensari, vt satis ex se patet.

30. *An si post diuortium qui erat innocens peccet, debeat admittere alterum? Sententia negans.* Sanchez. Reginald. Gutierr. Ledesma. Henriq. *Alij. Probant ex multis textibus non satis inde efficaciter ratione petitâ. Aliqua sententia ad prædictam vel sequentem possunt reduci.*

Vtrum autem, quando innocens post factũ diuortium adulterat, teneatur alterum iterum admittere, non consentiunt Auctores. Aliqui negant. Ita Sanchez *lib.*10. *d.*9. *num.*30. Reginaldus *lib.*31.*num.*330. Gutierrez *de matrimonio c.*139.*num.*19. Petrus Ledesma 2.*secundæ quæst.*62. *art.*6.*concluſ.*2. Henriquez *lib.*11.*c.*17.*nu.*3. & alij apud citatos, maximè apud Sanchez qui quamuis doceat non tenèri illum admittere, simul tamen docet integrum esse iudici, vt eos conciliet ex officio suo, illos cogens, quò fornicationis periculo consulatur. Probant sententiam multis textibus, qui sanè mihi non videntur multum roboris habere omnes enim eò diriguntur, vt probetur id, quod semel benè definitum est, non esse retractandum, & id, quòd semel extinctum est, non reuiuiscere, cumque in hoc casu semel inductum sit diuortium iustè, aut etiam per sententiam iudicis sic definitum sit, non debet id, quod transiuit in rem iudicatam retractari, & obligatio cohabitandi semel extincta reuiuiscere. Quæ omnia si rectè expendantur, non satis probant in nostro casu, vt mox patebit. Omitto alias sententias, quæ ad prædictam vel sequentem reduci possunt, & refert idem Sanchez à *nu.*24. vsque ad 30.

31. *Assertio 4. cum sententiâ affirmatiuâ.* Rebellus. S. Antonin. *Alij multi apud* Sanchez. Coninc. Perez. *Ratio. Etiam hoc est verum licèt diuortium factũ fuisset iudicis sententia.*

Assero 4. teneri innocentem post factum diuortium alterum coniugem, qui fuerit adulter, iterum admittere, si iam ipse desinat esse innocens, & etiam adulteret. Ita Rebellus *lib.*2. *quæst.*19. Antoninus 3.*part. tit.*1.*cap.*31. *Paragrapho* 6. & alij multi apud Sanchez *supra num.*27. quibus adde Coninc *suprà dub.*2. & Perez *sect.*3.*num.*5. Ratio est, quia iniuria ipsi, qui fuerat innocens, facta compensatur per adulterium posteà à se commissum contra alterum, quæ ratio locum habet, etiamsi diuortium factum fuerit interueniente sententiâ iudicis, & transierit in rem iudicatam, nam quantumuis præcesserit sententia, & factum fuerit diuortium; adhuc innocens adulterando infert iniuriam coniugi prius dimisso. Vnde vna iniuria compensatur cum aliâ, ac proinde ius innocentis viuendi absque consortio alterius cessat, quia innocens per eam sententiam, aut diuortium semel seruatum non acquisiuit ius adulterandi, sed tantùm declaratum fuit, & executioni mandatum ius illud, quod habebat diuertendi ab altero coniuge adultero.

32. Quamuis autem in multis exemplis, & textibus, quos affert Sanchez citato *n.*30. constet legibus & ratione id quod semel benè definitũ est, non esse retractandũ, & seruitutem semel amissam non renasci, & non dari exceptionem rei iudicatæ & similia, tamen hæc pro præsenti casu non sunt ad rem; nã in illis, & similibus casibus ita prior obligatio, vel præcedẽs ius extinguitur vt etiam radix iuris aut obligationis penitus tollatur, & non tantùm impediatur effectus obligandi, v. g. ius domini in seruum, aut obligatio serui erga Dominum, ideò semel ablata non renascitur; quia etiam radix ipsa seruitutis, id est ius radicale dominij, quod residebat in Domino, penitus fuit ablatũ, & deletum, seu eradicatum, ita, vt nihil radicaliter remaneret; in nostro verò casu non sic; nam radix & vinculum matrimonij, semper manet, quod, quantum est ex se, natum est causare obligationem mutuam coniugum ad cohabitationem & torum; nisi ea vis propter aliquid superueniens impediatur, impediebatur autem per adulterium ex parte vnius, quominùs in altero innocente talis obligatio vrgeret; cumque posteà per illius adulterium alterius adulterium & iniuria compensetur, iam prior iniuria ex parte primi adulteri desinit impedire, quo minùs pullulet obligatio etiam in altero. Vnde, quia in nostro casu manet semper obligatio & radix, quæ est vinculum matrimonij, & nunquàm fuit extincta, sed impedita hinc est, vt ablato impedimento pullulet effectus obligationis ex parte vtriusque; aufertur enim impedimentum per mutuam compensationem iniuriarum vtriusque adulterantis. Itaque illa seruitus, aut quasi seruitus matrimonij, numquàm fuit plenè extincta in radice; atq; adeò ablato impedimẽto potuit reuiuiscere effectus illius, qui est proxima obligatio cohabitandi. In illâ autem seruitute mãcipij seruitus ipsa radicaliter extincta est, atque adeò in nullo euentu seruitus extincta reuiuiscit quãuis fortè propter aliquã causã noua possit seruitus induci inter easdem personas.

Disparitas inter casum præsentem & quos in textibus allegatis in contrarium asserunt aduersarii.

33. *Explicatur doctrina exemplis in eadem materia matrimonii in duobus casibus. Primus casus, in quo radix fuit extincta, & ideò non reuiuiscit.*

Appositissima exempla habemus in ipsa materiâ & negotio matrimonij, ex quibus dignoscitur in vno casu propter extinctã radicẽ obligationis matrimonialis nũquã posse reuiuiscere, in alio verò casu propter non extinctã, sed impeditã, quominus obligatio proxima tanquam effectus illius radicis perseueret, posse reuiuiscere. Primus casus sit, quando matrimonium ratum non consummatum dissoluitur per solemnem professionem, aut (si velis) per iustam Pontificiam dispensationem, quâ de re diximus *disp.*2. *dubitat.*29. & 30. tunc sanè, quia radix ipsa obligationis matrimonialis penitus fuit destructa per professionem, aut dispensationem, etiamsi professio cesset per legitimam aliquam dispensationem non reuiuiscit obligatio matrimonialis. Secundus casus est, quando post matrimonium cõsummatum alter coniux cũ facultate alterius, & cæteris requisitis emittit professionẽ solemnẽ vel trãsit ad sacros Ordines, tunc sanè si posteà legitimè dispensetur in professione, vel in voto Ordini sacro annexo, quia radix matrimonij non fuit extincta sed tantùm impedita per professionem aut or-

Secundus casus in quo non fuit radix extincta, & ideò reuiuiscit.

Ordinis

dinis susceptionem legitimam, pullulare poterit obligatio cohabitandi cum antiquâ vxore ablato tali impedimento. Sic ergo in nostro casu, vt declaratum est.

34. *Assertio 5. Si à viro prostituatur vxor, aut illa consentiat, non dat adulterium sufficientem causam diuortij.*

Affero 5. non esse sufficientem causam diuortij adulterium vxoris quando à viro prostituitur ad id, in hac assertione Auctores conueniunt & videri potest Sanchez *tit. disp. 5. n. 7.* Bonacina *q. 4. punct. 5. n. 14.* Coninc *disp. 35. nu. 7.* Henriquez *lib. 11. c. 17. num. 4* Reginaldus *lib. 31. num. 321.* Gutierrez *c. 129. num. 8.* Perez supra *numer. 6.* Constat hæc doctrina ex capite *Discretionem 5. de eo qui cognouit consanguineam vxoris*, & locum habet etiamsi vxor non coacta, sed sponte consentiens prostituatur à marito, vt rectè contra Richardum, & Astensem notarunt Sanchez, Coninc & Basilius *supra* (quidquid in contrarium clamet Sà verbo *Diuortium num. 10.*) quod etiam deducitur ex citato capite *Discretionem* dum additur *præsertim inuitam* nam illa particula præsertim denotat in illo casu maximè non sufficere, & supponit, etiamsi non cogatur, sed sponte consentiat non sufficere tale adulterium ad diuortium.

Consentiunt auctores in hoc. Sanchez. Bonacina. Coninc. Henriq. Reginald. Gutierr. Perez. *Constat ex iure Canonico. Etiam in casu, quo ipsa sponte consentiat.* Sanchez. Coninc. Basilius. *Contra* Richard. & Astensem & Sà.

35. *Ratio dictorum.*

Ideò autem dicimus maritum non posse diuertere, quando est causa & cooperator adulterij vxoris, aut in id consentit; quia quamuis tunc etiam vxor inferat iniuriam marito consentienti, quippe qui non potest cedere iuri, quod habet, vt vxor non fornicetur, cùm tale ius non habeat ita solutum, & expeditum, vt illi cedere possit, sicut potest in alijs materijs (quidquid aliter explicent nonnulli) nihilominùs æquum non est, vt obiiciat vxori adulterium factum cum consensu ipsius, vt ob eam causam illi debitum neget; neque quantum adhoc censetur iniuria illi facta.

36. *Tunc maritus censetur consentire, quoties potest prohibere & non prohibet.*

Tunc autem censetur maritus consentire (quidquid aliqui dicant) quoties potens prohibere, non prohibet, nisi fortè habeat iustam causam ad non prohibendum; tunc enim etiamsi fortasse physicè prohibere potuisset, non censetur potuisse moraliter, vt fatentur Auctores citati.

37. *Non sufficit quauis causa remota data à marito absque intentione, vt censeatur consentire. Probatur ex iure Canonico. Est communis sententia.*

Non tamen dicitur consentire, aut causa esse adulterij vxoris, quamuis illi aliquam occasionem dederit remotam, vel negando debitum, vel non suppeditando necessaria, aut illam domo expellendo, nisi fortè hæc & similia efficiat eâ intentione, vt adulteret, quæ doctrina deducitur ex c. *significasti de diuortijs 4.* estque communis Auctorum sententia, quos ideò non refero.

38. *Idem est de vxore inducente maritum aut si potest non obstante. Facilius tamen deobligatur vxor ab impediendo & ad id potest habere sufficientem causam.*

Et quamuis eâdem ratione doceant communiter Doctores vxorem non posse diuertere à marito, non solùm quando inducit maritum ad adulterium & in id consentit, sed etiam, quando potuisset impedire, & non impediuit, nihilominùs id puto intelligendum esse; nisi (vt nuper dicebam de marito) sit iusta causa non impediendi, quia scilicèt timet maritum, imò fieri potest, vt ipsa vxor domi retineat pellicem mariti illique sternat lectum ad adulterandum, cibos paret, & similia obsequia præstet, & possit nihilominùs posteà diuertere à marito propter tale adulterium, quando iam se videt positam in tuto, ita, vt nihilsit timendum à marito: nam illa, quæ præstitit priùs, timore mariti, & ad vitanda maiora scandala, & damna, potuit facere absque cessione sui iuris.

39. *Assertio 6. solum materiale adulterium admississe non est sufficiens diuortij causa, vt per errorem aut vim. Ratio. Sà. Henriq. Sanchez. Gutierrez. Perez. Alij communiter. Limitanda videtur hæc doctrina.*

Assero 6. quando vxor tantùm materiale adulterium commisit, nempe existimans eum, cum quo rem habuit esse proprium maritum, aut credens esse mortuum, non est sufficiens causa faciendi diuortium. Item, quando per vim absolutam cogitur, & opprimitur ab alio. Ratio est; quia in his casibus nulla formalis culpa, vel iniuria contra fidem matrimonij committitur. Vnde par non est; quod aliquid detrimenti patiatur absque vllâ sui culpâ. Ita Sà citato *num. 10.* Henriquez *supra num. 4.* Sanchez *disput. illâ 5.* Gutierrez *c. illo 129. num. 5.* Perez *disp. 56. sect. 3. num. 7.* & alij communiter apud citatos. Hanc doctrinam pro illo casu, quo vxor accessit ad alium cum quo matrimonium contraxit inualidum quidem; sed bonâ fide, verissimam puto, non minus, quàm pro casu, quo per vim absolutam præcisè cogitur, & pro casu quo prudenter putauit illum, quem admittebat esse proprium virum. Tamen pro casu, quo illa, licèt formaliter adulterium non commiserit, tamen formaliter fornicata est, nempe, quando prudenter putans maritum longè absentem obiisse cum alio fornicata est sciens illam esse fornicationem, putans tamen non esse adulterium; non videtur tunc ita certum non posse maritum ab illâ diuertere, si posteà superueniens id sciat, maximè, si illa etiam prolem suscepisset, vel prægnans esset ab amasio. Durissimum namque videtur hominem (maximè honestum, ac nobilem) si non adulteram formaliter, saltem formaliter, & propriè fornicariam, aut etiam illegitimè prægnantem admittere. Vnde saluo meliori iudicio, mihi non videtur improbabile, saltem si res sit nota, vel publica, non teneri cum tali vxore cohabitare; neque enim videtur cum tanto suo dedecore obligari ad eam cohabitationem, maximè in iis Regionibus, in quibus turpe est talem vxorem admittere aut habere. Nam cum lex cohabitationis, aut tori non ita stricte obliget, quin vel propter magnum damnum euadendum, vel propter aliquam aliam vrgentem causam censeatur quis ab eâ obligatione, quandoque liber; non video cur talis hæc causa non sit, scilicèt, vt euitet illam ignominiam, quam in suâ patria & vbi notus est, subitet, maximè si non facilè in aliam simul cum vxore migrare posset; sed solus ipse. Neque ad illam secum abducendam magnis sumptibus vel laboribus videtur in tali casu obligandus; satis enim est, quòd quantum fieri potest, non omnino vxoris curam relinquat; sed de necessariis ad vitam transigendam prouideat absens, quin cogatur secum præsentem habere mulierem nõ castam, & iusti doloris perpetuam causam. Verum hęc aliorum iudicio relinquo solumque meam sententiam sincerè volui explicare quam liberius affirmarẽ; nisi videtem cæteros communiter Doctores absque difficultate simul cum alijs prædictis casibus de hoc etiam casu pronunciare nõ esse sufficientem causam marito diuertendi ab vxore.

Casus, in quo durum videtur non posse maritũ diuertere, etiamsi adulterium fuerit tantũ materiale.

Ratio.

Vrgetur amplius à simili.

Relinquitur res aliorum iudicio desti-nienda.

Non tamen est eadem ratio mariti cõparatio- 40.

Non habent proximè dicta eamdem vim ex parte mariti materiale adulterium patrantis.

ne vxoris; quamuis enim maritus putans probabiliter vxorem mortuam cum aliquâ fornicetur quidē formaliter, sed nō formaliter adulteret, & posteà compareat vxorem viuere non poterit vxor ab illo propter illam causam diuertere, neque enim æquè turpe est vxorem habitare cum marito, qui se putans liberum fornicatus est, cum in communi hominum æstimatione nihil inde vxori resultet ignominiæ.

41. Vis, qua ex culpa vxorē debet esse vis absoluta & practica. Sanchez cum multis contra Sylueſtrū. Rosellam. Tabienam & quosdam alios. Nobiscum etiam sentiunt alij. Coninc. Rebellus. Bonacina. Ratio.

Quod verò attinet ad vim & coactionē necesse est, vt maritus non possit ab vxore diuertere, quòd vis & coactio fuerit præcisa, & absoluta, id est quā vxor nullo modo euitare potuerit; sed omnino coactè fuerit oppressa; nam, si non omnino coactè opprimatur, quamuis cogatur metu graui, poterit à cōiuge dimitti. Ita Sanch. *cit. disp.* 5. *n.* 16. cū multis alijs, quos ille refert cōtra Sylvest. Rosellā, Tabienā, & aliquos alios à se relatos *n* 15. pro nostrâ etiam sententiâ sunt Coninc & Rebell. *suprà* & Bonacina citato *n.* 14. qui falsò pro cōtraria sententia retulit Sanch. cū expressè doceat nostrā. Ratio verò est; quia nullo metu excusatur à culpâ adulterij, & ab infidelitate contra maritum.

42. Casu quo coniux bonâ fide cōtraxit cum alio deuo putans alterum mortuum, si postquam sciuit pergat cum secūdo, dat causam diuortio. Sanchez cum multis. Ratio clara.

Circa casum illum, quo coniux alter iterum contraxit matrimonium putās bona fide priorem coniugem obisse, meritò notat Sanch. *n.* 11. cum multis alijs sufficere ad diuertendum, si quando coniux, qui sic contraxit certior iam factus de vitâ prioris, adhuc in secundo matrimonio perseuerat; nam ex tunc incipit esse adulterium, vt ex se patet.

43. Alius casus, in quo non licèt à coniuge diuertere iuxta sententiam Sanchezij. Ratio.

Alium etiam casum affert Sanch. *n.* 18. in quo non licet à coniuge diuertere, nempè quando à matrimonio ab infidelibus inito datoq; libello repudij ad aliud transeat matrimonium coniux dimissus; nec enim tunc poterit repudians obijcere coniugi repudiato cōsummationē illius secūdi matrimonij vt habetur expressè *c. Gaudemus* de *Diuortijs in fine*. Ratio est, quia cùm infideles putent matrimonium dissolui per repudium iuxta eorum ritus celebratū & posse tunc aliud iniri, neque adulterium formaliter cōmittitur, neque fornicatio. Vnde, si posteà prædicti ad fidem conuertantur, & declaretur matrimonium priùs factum validum esse non poterit alter coniux ab altero discedere.

44.

45. Assertio 7. coniux qui dimisit aut condonauit iniuriam non habet iam causam diuortij. Ratio.

Hæc tamē doctrina supponit prius matrimonium fuisse validum, quando in talibus regionibus infidelium initur, quod tamen si sub conditione tacitâ vel expressâ fiat; scilicèt; vt per libellum repudij possit dissolui; validum non est, atque adeò cessat casus, quia ab initio cōsensus contrahentium non ferebatur in perpetuitatem absolutam iuxta ea, quæ diximus *disp.* 2 *dub.* 4 & *dub.* 27. ideò in tali casu conuersi ad fidem debent reualidare matrimonium suum, vel omnino liberi erunt.

46. Quin potius alter cui dimissa fuit iniuria poterit diuortium facere si alter postèà labatur. Ratio. Sanchez cum aliis Perez. Item de coniuge qui post adulterium

Assero 7. coniux, qui alteri dimisit, aut condonauit iniuriam ab altero irrogatam per adulterium non potest propter illud adulterium ab altero diuertere Nam in eâ condonatione censetur cedere iuri suo, quod habebat discedendi.

Imò tunc, si ille, qui condonauit, labatur in adulterium, poterit prior adulter ab illo diuertere; quia hæc vltima iniuria non cōpensatur per aliam iā dimissam, vt rectè contra aliquos cum alijs Sāch. *disp.* 6 *n.* 7. & Perez *sect illâ* 3 *n* 8. Sicut, si coniux reconciliatus post adulterium condonatum relabatur, poterit ab altero repelli, & etiam in iudicio ob adulterium accusari, vt cum multis ostendit Sanchez *disp.* 5. *n.* 20.

47. Condonatio seu remissio dupliciter fieri potest, siue explicitè & expressè siue tacitè.

Potest autē remissio, seu cōdonatio adulterij duobus modis fieri. Primò expressè, vt quādo condonans affirmat se remittere. Secundò tacitè, vt quando coniux adulterij conscius spōte accedit ad adulterum; talis enim accessus videtur sufficiens signum externum remissionis.

Primus modus remittendi est iure, & approbat Sāchez.

Primū remissionis genus expressè est in iure, vt probat Sanch. *supra n.* 19. secundum verò magis controuersum est, sed cōmunior veriorque sententia tenet esse sufficientem remissionem, qua de re legi potest Sanch. *citat. lib disp.* 14.

Secundus est cōtrouersus, communis sententia docet sufficere.

Non sufficiet tamen accessus cum ignorantiâ adulterij neque accessus non omnino liber, sed ex metu, & causà redimendæ vexationis, talis enim accessus non censetur condonatio. Nā hæc sicut & cæteræ donationes, imò meliùs quàm cæteræ, requirit spontaneam voluntatē. Legatur etiam Coninc *disp.* 34. *n.* 11. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 331. & 332. Perez eodem *n.* 8. qui *n.* 9. aduertit non sufficere remissionem mente retentam, sed debere aliquo signo externo significari.

Sponte accedendo ad adulterum.

48. Sed non sufficit si fiat cum ignorantia, vel ex metu. Ratio. Coninc. Reginald. Perez.

Remissio debet aliquo signo significari externo

DVBITATIO IV.

An coniux teneatur dimittere alterum coniugem adulterantem & non se corrigentem?

49. Emendatā adulteram non tenetur deserere maritus.

CErtum primò sit maritum (de quo præcipuè agitur in hac dubitatione) non teneri deserere adulteram iam emendatam.

50. Quando non vult emēdari, teneri eā deserere putant graues auctores sub mortali. Ledesma. Ouandus. Aly apud Sanchez.

Quando autē non vult emendari, multi Doctores & cumprimis graues, putant maritum teneri illam dimittere, esseque mortale, si sic non faciat. Ita Petrus de Ledesma *q.* 62. *art.* 2. *concl.* 2. Ouandus *in* 4. *dist.* 35. *q. vnicâ* & alij apud Sanch. quamuis non omnes explicent esse peccatum mortale videturque haberi in cap. *Si vir* 3. *de Adulter.* ibi. *Si vir sciens vxorem suam deliquisse & in fornicatione permanere, cum ea viuat, reus erit peccati particeps.* colligique videtur ex illo *Prouerb* 18. *Qui autem tenet adulteram stultus est & insipiens.*

Probari posse ex iure Canonico. Et Prou 18.

Asserendum nihilominus est non teneri maritum (nisi fortè in rarissimo casu) vxorē dimittere, quantumuis in adulterio (etiam publicè) perstitat. Ita Sanch. *cit. disp.* 13. *dub* 3. & Perezius *supra sect.* 4. *n* 3 & 4. Ratio est, quia vel tenetur præcisè ratione adulterij, vel ratione scandali, vel ratione correctionis fraternæ, cuius præcepto obligetur, ex nullo horum capite tenetur; aliud non apparet, ergo absolutè non tenetur.

51. Assertio negans teneri, nisi rarissimè. Sanchez. Perez. Ratio.

Atque inprimis non tenetur ratione adulterij, cuius iniuriam potest remittere maritus, vt habetur in c. *Quemadmodum* 25. de iureiurando. Christus autem Dominus Matth. 5. & 19. solùm concessit facultatem, aut explicuit licitum esse causâ fornicationis eam dimittere; non verò præcepit illam dimittere, vt docet August. *lib.* 1. *de serm domini in monte c.* 27. & refertur *c. idolatria* 28. *q.* 1. huius ratio est; quia diuortium est pœna adulterij, ergo coniux innocens non tenetur subire ex parte suâ illam pœnam priuando

Discurrendo per capita obligationis tria quæ possēt cogitari.

52. Non exprimo id est ob adulterium.

Constat ex iure Canonico posse remittere iniuriam.

do se ipsum propriâ vxore, maximè cùm ea potestas facta fuerit in fauorem innocentis.

Christus facultatem dimittendi concessit, aut declarauit; praeceptum non posuit. S. August. Ratio.

Non ratione scandali vitandi, ne scilicet alij suspicentur ipsum conniuere, aut patrocinari adulterio vxoris, cohabitando cum ipsâ nō obstante adulterio. Nam ad hoc genus scandali vitandum non videtur teneri maritus cum tanto suo incommodo, vt ideo teneatur cælibem vitam agere, soluſque domum gubernare, & eâ ratione multò magis notam & publicam reddere propriam infamiam; maximè, cùm ad vitandam prædictam suspicionem sufficiat illam reprehendere, punire, custodire, vt id nouerint vicini, & propinqui.

53. *Non ex secundo capite id est ratione scandali.*

54. Atque ob eandem rationem non tenetur eam dimittere ex vi correctionis fraternæ, neque enim fraterna correctio cum tanto incōmodo obligat. Accedit, quod vxori, etiam ipsi erit magis periculosum illam dimitti, nam quæ sæpe reprehensa, punita, & custodita non emendatur; multò minùs corrigetur dimissa, quando impunè poterit liberiùs viuere & libidini indulgere.

Neque textus in contrarium aliquid probant. Nam in eo *c. Si vir, & Prouerb. c.* 18. solùm ea doctrina traditur, quando vir pacificè, & quietè cum tali vxore cohabitat nullis adhibitis remedijs reprehensionis punitionis, aut custodiæ.

55. *Respondetur allegatis in contrarium.*

56. *Quo casu licet rarissimo possit esse obligatio dimittendi illam?*

Ideò autem diximus *nisi fortè in rarissimo casu* fieri enim potest aliquando, quòd dimissio sit apta ad emendationem absque vllo alio periculo, vel etiam sit apta ad vitandam prædictam suspicionem conniuentiæ & tolerantiæ; neque marito sit valdè incommoda vxoris dimissio, nec aliud medium facilè inueniatur, aut tentatâ alia non profuerint, in quo casu non negauerim, neque negant Auctores nostræ sententiæ illam posse dimitti, imò debere.

57. *Potiori adhuc ratione vxor non tenetur dimittere virum. Ratio. Sanchez.*

Quæ hucusque diximus de viro comparatione vxoris intelligenda potiori ratione sunt de vxore comparatione viri, cui multò minor obligatio incumbit corrigendi virum persistentem in adulterio, maximè cùm ea dimissio non sit apta ad emendationem mariti, & maximum incommodum sit vxori marito carere, raroque præsumitur vxorem consentire in adulterium mariti, quod si fortè aliqua sit præsumptio, facilè poterit alijs mediis huic damno occurri. Legatur Sanch. *loco cit.* vbi aliqua tradit, quæ facilè ex dictis pro casibus occurrentibus resolui possunt.

58. *Difficultas oria ex verbis Christi Matth. 5. & 19.*

59. *Assertio. Alias posse esse causas diuortij. Constat ex Tridentino. Et ex Iure Canonico. Separatio talis ex se nō debet fieri in perpetuum. Inde respondetur ad verba Christi. Difficultas est in assignandis iis causis.*

DVBITATIO V.

An liceat diuortium ob alias causas præter adulterium?

NOn modicam difficultatem aliquibus ingerunt sæpè citata verba Christi Matthæi 5. & 19. vbi tantum videtur permittere fornicationis causâ vxorem dimittere.

Asserendum nihilominus est non deesse alias causas, quibus vel vir ab vxore, vel vxor à viro possint diuertere quoad torum, & cohabitationem; constat ex Tridentino *sess.* 24. *Canone* 8. *de Sacramento matrimonij* & ex *c. Litteris* 13. *de restitutione spoliatorum* hæc tamen separatio non debet in perpetuum fieri, sicut ea, quæ fit causâ fornicationis, vt ex eodem Tridentino satis colligitur; atque hâc ratione constat huic doctrinæ non obstare verba Christi citata; tunc enim Christus solùm agit de dimissione in perpetuum, quam solum fatemur licere causâ fornicationis; dimissionem tamen ad tempus esse licitam Catholici fatentur contra hæreticos. Tota iam difficultas est in assignandis causis huius separationis, de quibus placet sigillatim dicere.

60. *Prima causa communiter recepta. Grauis anima aut corporis periculū habitando simul. Sanchez. Perez. Coninc. De anima res est nota. De corpore probatur ex citatis textibus cum relatis auctoribus. Ratione naturali.*

Prima causa, quam communiter Doctores recipiunt, vt videre est apud Sanch *lib.* 10. *disp.* 15. & Coninc *disp.* 35. *dub.* 4. & apud Perez *disp.* 57. est, quando coniux nequit cohabitare absque graui animæ, aut corporis periculo. Quod attinet ad periculum animæ, multò magis receptū & indubitatum est.

Quod autem attinet ad periculum corporis videtur deduci ex nuper citatis textibus, & docent Auctores citati, probariqúe potest, quia non videtur rationi consonum, quod quis cum eo detrimento obligetur ad cohabitandum; ac ex ipso iure naturę videtur haberi, licitam esse separationem interim, dum durat tale periculum; hoc autē cessāte resumēda cohabitatio est.

61. *Ex præcedente causa ducuntur alia.*

Ex hac causa quasi generali cæterę causæ deducuntur, quarum aliquas in particulari placet indicare.

62. *Secunda causa inducit ad mortale. Consentiunt Doctores.*

Constat ergo 2. coniugem posse separari ab alterō quando prouocatur ad peccandum mortaliter, & admonitus ab eâ prouocatione non desistit, in quo Doctores consentiunt.

63. *Tertia causa hæresis vel apostasia alterius coniugis. Consentiunt Doctores.*

Constat 3. posse separari à coniuge lapso in hæresim, vel apostasiam interim dum non redit ad fidem, in quo etiam Doctores consentiunt, & constat ex *cap. De illâ* 6. *de Diuortiis*; quia meritò semper timeri potest ex tali cohabitatione cum eo perseuerante in hæresi, aut apostasia periculum infectionis, nisi magnâ cautâ quis in eo cōsortio procedat, ad quā nō tenetur ex eo præcisè capite, vt possit cū illo cohabitare.

64. *Quid circa hoc statuerit Ecclesia ne teneatur postea admittere.*

Non me latet in hoc casu ex peculiari dispositione Ecclesiæ in prædicto textu decerni, quod innocens iudicio Ecclesiæ separatus ab hæretico coniuge non teneatur postea admittere hæreticum, quamuis iam emendatum, neque contra huiusmodi decretum vim habent citata Christi verba *Matth.* 5 & 19. quāuis enim ibi dicatur de dimissione in perpetuum non licere, nisi ob fornicationem, id intelligendū est de dimissione, quæ iure naturali spectatâ naturâ matrimonij fieri potest; nam eâ spectatâ non licet dimissio perpetua; nisi ob fornicationē, quâ fides matrimonij violatur, hoc autem non obstat, quo minus à iudice ob hæresim possit in pœnam tanti delicti tribui coniugi innocenti licentia in perpetuum dimittendi hæreticum.

Neque obstant Ecclesia statuto verba Christi.

65. *An vero validè & licitè possit Catholica persona cum hæretica matrimonium inire, alibi iam dictum est.*

Vtrum autem non solùm validè, sed licitè possit fidelis contrahere matrimonium cum hæretico, aut infideli, & in eo perseuerare, saltem in ijs regionibus, in quibus hæretici & Catholici permixti habitant, constat ex dictis *disp.* 7. *dub.* 59. & 60. vbi egimus de disparitate cultus.

66. *Quarta causa sanitia coniugis. Cõmuniter Doctores. Textus vnde id colligitur.*

Constat 4. coniugem posse ab altero separari, quando ob sæuitiam illius timet ab eo graue aliquod malum, quod possit virum constantem terrere. Ita communiter Doctores, quos ideò non refero colligiturque ex capite, *ex transmissâ* & ex *cap. Litteras*, quæ doctrina locum habet, quamuis coniux timens occasionem dederit prædicto graui malo, quia coniux, tam vir, quàm vxor non habent ius inferendi alteri tantùm malum etiam ob grauissimam culpam.

67. *Quinta causa furia & insania coniugis, aut morbus contagiosus. Consentiunt communiter Doctores: Sanchez. Coninc. Alij.*

Constat 5. si alter coniux fuerit furiosus, & insanus, & sanus timeat inde malum graue posse ab illo separari, dum durat furia & insania, in quo Doctores communiter consentiunt, atque idem est de morbo aliquo contagioso, cuius infectionem sanus coniux prudenter timet, vt notauit Sanch. & Coninc *supra* & alij.

68. *Sexta causa coniugem alterum esse veneficum. Ratio.*

Constat 6. vt iidem authores notant posse coniugem separari ab altero venefico, quia eius ingenij homines sæpe neque coniunctissimis parcunt, quippe qui dæmonis consilio instigãtur, & ad talia peccata adiguntur.

69. *Ex prædictis causis separatio saltem non perpetua fieri potest dum scilicet durant, sed quis potest sæpe scire an cessauerint.*

Itaque in his omnibus & similibus casibus separatio non perpetua fieri potest, quamdiu talia pericula durabunt præterquam in casu hæresis de quo diximus ex iuris dispositione separationem esse posse perpetuam. Non tamẽ possum non videre aliquas ex his causis vix tutò posse credi cessasse omnino. Insanus & furiosus quàm facilè solet iterum insanire! venefícum præsertim veneficam leuem sexu femineum, quis tutò credet non redituram ad vesaniam! Qui ita crudelis est, vt subita ira abreptus aliquando periculosè vulnerauerit vxorem, & sæpe solet ira corripi, quis credet in posterũ fore pacificum? Qui coniugem nactus est energumenum, vel arreptitium, & sæpe huic miseriæ obnoxium, quis credet penitus liberatum? ille, cui semel vxor dedit venenum; vnde potest esse in posterum tutus si cibos comedat, quos ipsa parauit, & habitent simul? Itaque in praxi vix potest credi hæc & similia penitus cessasse. Præterea quis vult cogere coniugem innocentem honestissimæ, & aut etiam illustrissimæ cõditionis cohabitare cum coniuge infami ob crimẽ læsę maiestatis, etiam humanæ cui Princeps tantùm vitam condonauit reliquis bonis & honoribus spoliato? Vnde quando Christus Dominus designauit fornicationis causam, loquebatur de re communiter, imò frequenter contingenti, & omnium celeberrimâ. Non ideò excluſit alias, quæ vel perpetuæ sint, vel tales esse posse prudenter credatur, aut timeatur.

70. *Multi & graues negant, intellige si sit scandalum, posse sine iudice fieri.*

DVBITATIO VI.

An diuortium debeat fieri necessariò iudicis authoritate, vel sufficiat priuata?

71. *Assertio negans requiri sententiam iudicis quoad torum & habitationẽ, si causa moraliter sit certa.*

MVltorum & grauium sententia est non posse fieri absque iudicis authoritate, quę sententia intelligenda est, quando ex eâ separatione sequitur scandalum.

Ideò asserendum est ad dimittendum coniugem, quoad torum & cohabitationem licitè, & validè non requiri iudicis authoritatẽ, quando est moralis certitudo causæ sufficientis nisi quando scandalum inde sequitur. Ita Henriq. *lib.* 11. *c.* 17. Sanch. *lib.* 10. *disp.* 12. *n.* 31. Sà verbo *Diuortium lib.* 1. Nauarr. *c* 22. *n.* 23. Sotus *dist.* 36. *q. vnicâ art.* 3. & alij multi apud Sanch. quibus adde Reginald. *lib.* 31. *n.* 324. Coninc *disp.* 35. *num.* 2. Rebellum *lib.* 2 *q.* 17. Bonacinam *q.* 4. *puncto* 5. *n.* 10. & alios Recentiores inter quos Basil. *c.* 33. *nu.* 7. quamuis immeritò excipiat casum sæuitiæ mariti, pro quo putat esse necessariam iudicis auctoritatem. Colligitur hæc assertio ex Canone *dixit Dominus* 32. *n.* 2. ibi *vbicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio liberè dimittitur vxor*, vbi vox *liberè* idem est, quod absque alicuius licentiâ, aut sententia, quod etiam videtur supponere Christus *Matth.* 19. dum absolutè indicat licitam esse dimissionem vxoris ob fornicationem. Verum, quia hi textus solùm loquũtur de casu notissimo, & præcipuo fornicationis, in eâ magis certa est assertio, quàm in cæteris, & ratio adstipulatur, nam fi angenti fidem non est necessariò seruanda fides, si egit autem fidem adulter, vnde, nisi scandalum sequatur, & ad id tollendum necessaria sit authoritas iudicis, non est cur ea requiratur, maximè cùm dimissio quoad thorum, & cohabitationem nullo iure positiuo prohibeatur fieri absque licentiâ iudicis nam, quamuis *in c. Porro* 3. *de diuortiis* prohibita sit separatio quoad vinculum absque iudicio Ecclesiæ, etiamsi impedimentum sit notorium, non est decisio iuris de separatione quoad torum, & cohabitationem, & quando nullũ sequitur scandalum coniux innocens adulterũ dimittens vtitur iure suo. Atque hoc vltimum etiam probat de separatione in cæteris casibus, in quibus saltem ad tempus diximus *dubit. præcedente* posse fieri separationem. Nam secluso scandalo coniux habet ius, etiam priuatâ authoritate (maximè, si non facilè possit authoritate iudicis) vitandi prædicta mala, & incommoda grauia animæ, & corporis.

Henriq. Sanchez. Sà. Nauarr. Sotus. *Alii multi* Reginald. Coninc. Rebellus. Bonacina. *Alij Recentiores.* Basilius.

Probatur ex iure Canonico in fornicatione vxoris.

Ratio.

Occurritur obiectioni, qua fieri posset in contrarium.

72. *In publicè notoris adulterio potest propriâ auctoritate fieri diuortium.*

Ex his patet, quando adulterium publicè notorium est, posse diuortium propriâ authoritate fieri licitè, cùm in eo casu non sequatur scandalum ex eâ separatione, constat enim fieri ex sufficienti causâ.

Ratio.

73. *Item in secreto, si aliter occurratur scandalo.*

Poterit etiam fieri ob adulterium secretum, si aliâ viâ occurratur scandalo, verbi gratiâ, si vir migret in prouinciam vbi matrimonium ignoratur; nam iudicis authoritas solùm requiritur ad vitandum scandalum; quando aliter vitari non potest.

74. *Negatio debiti priuata auctoritate fieri potest si constet de causa.*

Quia tamen negatio debiti ordinariè fieri potest absque scandalo, ideo, quando moraliter constat de causa sufficienti, quantumuis occulta; fieri potest priuatâ authoritate.

75. *Quid in foro exteriori circa prædicta.*

Verum quidem est in foro externo, seu iudiciali non permitti dimissionem authoritate priuatâ factam. Vnde si vxor dimissa restitutionẽ petat, restitutio fiet, nisi adulterium sit notoriũ, vt constat ex *c. significasti. 4. de diuortiis*; imò nec permitteretur, si non sit notorium, quamuis statim offeratur probatio parata, vt optimè probat Couarruuias 4. *Decretal.* 2. *p. cap.* 7. §. 5. fauet enim ius & possessio, inquâ debet manu teneri vxor, donec effectiuè probetur intentio partis contrariæ.

Conce-

76. *Coniux certus de alterius adulterio non tenetur parere iudici adhuc sub censura præcipienti solutionem debiti. Ratio. Nec obedire in cohabitatione secluso scandalo. Sanchez. Perez.*

Concedendum nihilominùs est, vt rectè docent Sanchez & Coninc *suprà*. Coniugem moraliter certum de adulterio alterius coniugis non tenêri parere iudici adhuc sub excõmunicatione præcipienti solutionem debiti; nam tale præceptum nititur falsâ præsumptione in eo casu singulari. Imò neque parere præcipienti cohabitationem, si absque scandalo possit non obedire, vt, si procul discedat in alias prouincias. Omitto alia, quæ facilia & leuiora sunt circa hanc rem, de quibus legi potest Sanchez loco citato. In prædictis ferè consentit Perez *disp.* 60. *sect.* 2.

DVBITATIO VII.

An coniux adulter possit petere debitum aliquando ab innocente coniuge, eumq; compellere ad cohabitationem?

77. *Assertio 1. Negans tam priuatim, quam per iudicem si certus sit de adulterio. Ratio.*

Assero 1. nec priuatim, nec per iudicem posse, quando innocens moraliter certus est de adulterio petentis debitum, & cohabitationem. Nam eo ipso quòd innocens propter sibi violatam fidem liber est ab eiusmodi obligationibus, si ipse velit suo iure vti, iniquè cogetur ab altero, vt patet.

78. *Quid quando non est certus potestne id adulter exigere?*

Tota iam difficultas est, an adulter possit exigere vtrumque, quando innocens non est moraliter certus? in quâ re non consentiunt Auctores.

79. *Multi affirmant. Ratio.*

Multi & grauissimi affirmant posse exigere, vt notauimus *disp.* 1. *dub.* 42. *num.* 644. quia priuatio talis iuris petendi, & cohabitandi pœna quædam est, eaque grauissima imposita propter delictum adulterij; nemo autem tenetur pœnã subire, & patiente sententiam iudicis, vel exactionem partis potentis petere aut infligere talem pœnam; nisi aliter constet ex dispositione iuris; in præsenti autem casu iudex, aut coniux innocens, quibus non satis constat de tali delicto, nõ possunt eam pœnã infligere, neque delinquens tenetur delictum suum propalare; ergo interim, dum pœna non infligitur poterit exigere debitum, & cohabitationem, cùm det ius matrimonium. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 68. *n.* 4. Henriquez *lib.* 11. *c.* 5. *num.* 6. Sà verbo *Adulterium* Gutierrez *de matrimon. cap.* 34. *n.* 10. Petrus de Ledesma *quæst.* 62. *art.* 1. *dub.* 1. cum alijs multis apud Sanchez, ibi, quibus adde Coninc *disp.* 35. *nu.* 4. & *disp.* 23. *dub.* 12. *num.* 89. & plures Recentiores.

Sanchez. Henriq. Sà. Gutierr. Ledesma. Alij. Coninc. Recentiores plures.

80. *Alij negant posse. Rosella. Armilla. Angelus. Syluester. S. Antonin. Rodrig. Nauarr. Rebellus. Bonacina. Plures apud Sanchez. probant.*

Alij verò è contra putant, non posse debitũ petere, neque cohabitationem. Ita Rosella verb. *Debitum num.* 17. Armilla *nu.* 4. Angelus verbo adulterium *n.* 3. Syluester ibidem *q.* 6. *n.* 8. D. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 9. Rodriguez 1. *tom. summæ in* 2. *editione c.* 243. *num.* 14. Nauarrus *c.* 23. quibus adde Rebellum *l.* 2. *q.* 7. *num.* 3. Bonacinam, *q.* 4. *num.* 5. *num.* 20. alioſque plures apud Sanchez probant; quia illa priuatio iuris petendi & cohabitandi non est pœna, sed effectus violationis fidei fractæ in adulterio, ac proinde eo ipso, quòd commissum sit adulterium, quamuis non sit illius notitia, neque aliqua inflictio pœnæ, cessat in innocente obligatio reddendi, aut cohabitandi, ac proinde exigitur ab eo tanquàm debitum id, quod non debet.

81. *Probabilis vtraque sententia. Probabilior prima. Ratio.*

Vtraque sententia satis probabilis est, sed probabilior prima. Nam, quantumuis adulter adulterium commiserit semper manet inter vtrumque coniugem vinculum matrimonij ex quo oritur obligatio mutuò cohabitandi, & mutuò reddendi, quæ obligatio non impeditur per merum & præcisum adulterium, sed per iustam volũtatem potentis alterum repellere; suppositâ iniuriâ non est tamen iusta voluntas repellendi ex parte alterius, donec sit idonea notitia ad sic repellendum; hęc autem non est donec saltem moralem habens certitudinem illatæ sibi iniuriæ. Vnde nec ipse, nec iudex ad instantiam ipsius potest illũ priuare, aut repellere.

82. *Quo casu non possit adulter exigendo ex rigore iustitiæ sed amicè petere debitum.*

Satis autem videtur probabile tunc non posse adulterium petere debitum exigendo illud ex rigore iustitiæ, sed tantùm amicè & benuolè, quãdo cõiux innocens seriò illi intimauerit voluntatem suam dicens. Ego suspicor quod mihi intuleris iniuriam adulterando quamuis id nõ planè, & plenè possim probare, quod si feci omnino volo te priuatum iure exigendi debitum; tunc enim coniux innocens vtitur quantum potest iure suo, & positâ conditione adulterij priuat adulterum iure illo proximo petendi, vt iam deinceps non ex rigore iustitiæ, sed benuolè, & amicè possit exigere, quod facere potest absque eo quod certò reuelet delictum suum.

83. *Non est eadẽ ratio de habitatione.*

Non est autem eadem ratio de cohabitatione, quamuis enim coniux innocens similia verba dicat in ordine ad cohabitationem non tenetur adulter se priuare, quoad cohabitationem id enim esset delictum suum prodere.

84. *Quomodo philosophandũ in aliis causis diuortij.*

Quod attinet ad alias causas diuortij, de quibus diximus *dub.* 5. paulò aliter philosophandum est. Nam, si causæ diuortij sunt eius generis, vnde possit grauis infectio prouenire alteri coniugi ignoranti eam causam, puta, si sit morbus aliquis contagiosus, tenetur coniux non sanus alterum sanum monere, quantumuis ignarum non expectando illius sententiam, aut voluntatem, quia talis separatio non fit in pœnam delinquentis tantùm (etiamsi morbus fortasse concernat simul delictum vt in crimine hæresis, vnde resultet periculum animæ alterius) sed in præcautionem sani innocentis; idemque iudicandum de morbo gallico, quamuis hic contractus fuerit ex delicto adulterãdo, tunc enim tenebitur si commodè potest, donec curetur separari à cõiuge sano & innocenti. Vnde multò minùs poterit tunc titulo matrimonij cogere sanum & innocentem ad cohabitationem multoque adhuc minùs ad torum.

DVBITATIO VIII.

An coniuges post celebratum diuortium possint Religionem ingredi, aut plenam castitatem vouere?

85. *Assertio 1. coniux innocens post diuortium potest id totum etiam inuito altero.*

Assero 1. coniugem innocentem post diuortium iustè, & ritè factum ob adulterium alterius posse in foro conscientiæ etiam altero inuito non solùm castitatem plenè voue-

Constat ex Iure Canonico Ita auctores citandi.

re; sed sacris initiari, aut Religionem profiteri; constat hoc ex capite *Agathosa* 24. q. 2. & capite *constitutus de conuersione coniugatorum* docentque expresè in terminis Auctores infra citandi. Illud tamen aduertendum est, quod si innocens ante professionem fornicetur iuxta sententiam quæ docet, etiam post latam sententiam diuortij teneri redire ad suum coniugem, quando quis eousque innocens adulterat, cõsequenter dicendum esse in hoc casu debere redire, nec valere professionem post tale peccatum emissam; atque ita dicendum esse in nostra sententiâ; qui hanc partem secuti sumus *dub.* 3. contra Sanchez & alios oppositum sentientes; quia nimirum iniuria, quam alter intulit compensatur per iniuriam posterioris, & hic posterior non habet statum incompossibilem cum statu maritali. Secùs dicendum esset, si iam emisisset professionem, antequam adulteraret; quia hæc fornicatio, quamuis adhuc habeat malitiam adulterij, inuenit tamen adulterum hunc & sacrilegum legitimè factum incapacem redeundi ad vitam matrimonialem.

Quidsi innocens ante professionem etiam post latam sententiam fornicetur? Iuxta varias sententias in hac re est respondendum. Quid in nostra sententia? Debet redire. Ratio ex alibi dictis. Quid si post professionem adulteret? Non poterit redire. Ratio.

86. *Assertio 2. cõiux adulter non potest sine priuatâ auctoritate siue iudicis sententiâ factum sit diuortium, prædicta facere inuito altero. Communis est sententia de diuortio priuatâ auctoritate. In altero iudiciali est controuersia consentiunt nobis. Sanchez. Coninc. Henriq. Reginald. Gutierr. Ledesma. Bonacina. Alij multi contra Nauarrum & alios. Ratio.*

Assero 2. coniugem adulterum non posse post diuortium siue priuatâ auctoritate, siue iudicis sententiâ validè transire ad Religionem, vel licitè ad sacros Ordines inuito innocente. In hac assertione quoad primam partem de diuortio facto priuatâ auctoritate conueniunt communiter Doctores. Secundam verò de diuortio etiam per sententiam iudicis docent contra Nauarrum & alios Sâchez *lib.* 10. *disp.* 10. *num.* 12. vbi meritò docet, si de facto profiteatur posse post emissam professionem reuocari. Item Coninc *disp.* 35. *dub.* 5. *num.* 36. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 6. *ad finem* Reginaldus *lib.* 31. *num.* 326. Gutierrez *de matrimon. c.* 129. Petrus de Ledesma *quæst.* 53. *art* 4. & alij multi apud Sanchez item Bonacina *quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 23. Ratio verò est; quia eiusmodi separatio etiamsi à iudice fiat, fit in fauorem innocentis, cui per adulterium illata est iniuria, & ob id liberatur à proximâ obligatione, non verò in fauorem sontis, qui non liberatur à suâ obligatione, ac proinde, quoties innocens velit, erit ad ipsum reuocandus.

87. *Assertio 3. Potest prædicta facere prædictus nocens de licentia tacita, vel expressa innocentis. Quando censeatur tacita facultas data? Bonacina & alij.*

Assero 3 de licentia verò coniugis innocentis tacitâ vel expressâ poterit nocens transire ad professionem vel sacros Ordines, & quidem de expressâ licentiâ nulla est difficultas, conueniuntque Doctores; de tacitâ verò dubitari potest, quando censeatur facta ab innocente, & omissis alijs, mihi placet, quod Doctores citati maximè Bonacina docent nempe, si post sententiam diuortij adulter sæpius & instanter petat ab innocente per se, vel per idoneas interpositas personas reconciliationem eamque innocens constanter negligat conferri tunc factam facultatem ingrediendi Religionem vel transeundi ad sacros Ordines, imò quotiescumq; ex signis aliquibus prudenter colligi potest obfirmatus animus innocentis nunquam admittendi reconciliationem, poterit iuxta citatos Auctores ad Religionem vel sacros Ordines trãsire, censetur enim concessisse prædictam licentiam atque adeò postea emissâ iam professione, vel susceptis sacris Ordinibus, non potuit ab innocente reuocari.

88. *An postquã nocens prædictũ statum suscepit teneatur innocens Religionem ingredi vel castitatem vouere? Negatiue respondetur. Ratio.*

De ipso verò innocente remanente in sæculo postquam adulter ingressus est Religionem, vel sacros Ordines suscepit, mihi placet, quod docet Bonacina *num.* 24. & alij Recentiores scilicet, non teneri vel Religionem ingredi, vel votum castitatis emittere, id enim nullo iure probatur; nam *in capite sanè; & cap. significasti de conuersione coniugatorum* solùm agitur de voto sic emittendo, aut ingrediendâ Religione, quando matrimonium est integrum, & illæsum; non verò, quando factum est diuortium.

89. *Idem est à contra si innocens ingrediatur Religionem aut ordines suscipit non tenetur nocens ad prædicta. In vna consideratione maior ratio est ne cogatur nocens ingredi aut vouere.*

Vnde hoc ipsum locum etiam habet in adulterio, nam, quando innocens ingreditur Religionem, vel sacros Ordines suscipit, non tenetur adulter manens in sæculo votũ castitatis emittere, aut ingredi Religionem, quia non comprehenditur propter rationem dictam in casu prædictorum textuum, imò, nisi fallor secundùm vnam considerationem maior ratio tunc est ex parte sontis, quàm insontis, nam insons dando sponte facultatem, aut certè nõ coactè, vt sons Religionem ingrediatur, vel ordines suscipiat, censetur sibi eligere sponte cælibem vitam, atque adeò, non mirum esset, quod ad eam sic seruandam, vt debet, simul ex statuto Ecclesiæ cogeretur addere votum, at verò sons in tali casu non sponte, sed necessitate compulsus in pœnam sui delicti priuatur consortio alterius. Vnde non mirum, quod non cogatur per canones votum emittere, aut statum suscipere, quem non eligeret, si alioquin posset in matrimoniali vitâ perseuerare.

90. *Secundum aliam considerationẽ maior potest inuenirs ratio in innocente.*

Fateor tamen ex parte insontis aliam quoque rationem reperiri, quominùs ipse non cogatur cælibem vitam agere. Nam eò deuenerunt res, vt ipso inuito cõgatur, vel infidum coniugem admittere non sine magno suo incommodo, vel cælibem vitam traducere, saltem interim, dum adulter viuit, non est autem cur eligens illum non admitteret, atque adeò saltem tacitè concedens, vt ad Religionem transeat, vel ordines suscipiat, cogatur eam facultatem concedendo, se incapacem reddere per votum castitatis, aut Religionis professionem quominus possit, aut validè, aut etiam licitè iterum matrimonium inire, si præmoriatur adulter. Vnde satis esset ad summum votum emittere castitatis pro tempore vitæ adulteri cõiugis, qui ad sacros Ordines, vel Religionem transiuit, quamuis neque hoc teneatur facere, quia nullo iure probatur, vt notabam.

91. *Duratfacultas in innocente reuocandi alterum quãdiu is ex facultate alterius non elegerit statum incompossibilem. Ratio. Ledesma. Alij multi Sanchez. Reginald. Gutierr. Bonacina. Alij communiter.*

Ex dictis hucusque habemus coniugem innocentem posse, si velit adulterum reuocare post diuortium celebratum etiam sententiâ iudicis, dummodo adulter ex facultate innocentis expressâ vel tacitâ non elegerit statum incompossibilem cum vita maritali. Ratio est; quia vt dicebam sententia diuortij tantum statuta est in fauorem innocentis, vnde tamdiu ea separatio durabit, quamdiu innocenti placuerit. Ita Petrus de Ledesma *quæst.* 62. & alij multi, quos sequitur & refert Sanchez *lib.* 10. *disput.* 10. *num.* 3. quibus adde Reginaldum *l.* 31. *num* 325. Gutierrez *cap.* 120. *numer.* 14. Bonacinam *supra num.* 16. & alios communiter: constatque ex c. *Si vir* de *Adulter.*

Legi

Legi potest Azor 1.*par.lib.*13.c.14.*q.*13. Coninc *disp.*25.*dub.*3. & alij citati.

DVBITATIO IX.

An coniuges possint mutuò consensu diuortium facere?

92. *Assertio.*1. *Possunt mutuo consensu castitatẽ seruare & toro separati semper manere Exceptio seu limitatio.*

ASserendum est 1. posse coniuges ex mutuo consensu separari à toro castitatemque seruare, siue ad tempus, siue in perpetuum; nisi fortè ex separatione immineat periculum incontinentiæ, cui non aliter putetur posse occurri, vel, si putetur posse absolutè prudenter timetur fore, vt succumbatur tentationi, nisi hoc medium adhibeatur, quod aliquando potest contingere in vno coniuge respectu alterius, de cuius imbecillitate potest timeri; tunc enim, quamuis non peccet contra iustitiam eo ipso quod alter consentiat in separationem; peccabit saltem peccato grauis scandali, aut contra misericordiam, aut charitatem proximi iuxta varias sententias, si quantum est ex se, non petat, & accedat ad coniugem existentem in tali periculo. Extra quod vt dicebam, non obligantur ad continendũ, imò possunt continentiam vouere, quamuis non ingrediantur Religionem, nec mutuò separentur quoad cohabitationem.

Possunt etiam continentiam vouere, non separati.

93. *Non expedit semper, sed cum certis circumstantiis non separati sic se astringere.*

Nihilominùs meritò Doctores communiter asserunt id non expedire ob periculum incontinentiæ, quod ex mutua cohabitatione potest timeri; nisi fortè post maturam deliberationem diuturnamque experientiam prudenter iudicetur posse absque tali periculo cohabitare.

94. *Status difficultatis de tori & habitationis separatione.*

Solum iam quærimus, an etiam possint à toro, & cohabitatione separari?

95. *Assertio.*2. *Neuter potest Religionem ingredi altero non ingrediente. Constat ex iure Canonico. Excepio pro vxore manturâ in seculo. Non habetur eadem exceptio pro marito. Contra Basilium.*

Asserendum est 2. neutrum posse Religionẽ ingredi altero non ingrediente, ita habetur in *capite cum sis* 4. & *cap. vxoratus* 8. *de conuersione cõiugatorum* vbi tantùm excipitur casus, in quo vxor sit senex, & non suspecta de incontinentiâ, castitatemque voueat; tunc enim poterit maritus Religionem ingredi. Nullibi tamen habetur posse vxorem ingredi, non ingrediente marito, quantumuis ipse prouectę sit ætatis, & alioquin potentis in sæculo manere absque periculo. Quapropter absque fundamento contendit Basil. *cit. c.*23. posse vxorem ingredi Religionem in tali casu; nec enim est eadem ratio de viro fœne; atque de femina; facilius enim timeri potest, quòd vir verbi gratiâ sexagenarius adhuc appetat libidini indulgere, quàm quòd sexagenaria mulier; vnde tutius est aut minùs periculosum vetulam coniugatam in sæculo manere, marito ingrediente Religionẽ, quàm è cõuerso.

96. *Cur iuspermittens castitatem vouere manẽtes in seculo non permittat altero manente in seculo alterũ ingredi Religionem.*

Merito autem in iure permittitur coniugibus manentibus in sæculo vouere castitatem; non verò, quod vnus ingrediatur Religionem, non ingrediente altero, nisi in casu prædicto, quãuis enim manentibus in sæculo cum voto castitatis maius immineat periculũ iterum continendi, quàm si alter illorum esset Religiosus, nihilominùs, si adsit periculum incontinentiæ dispensatio in voto inter sic coniugatos facilis est; non verò dispensatio in professione Religiosâ semel ritè factâ.

97. *Quid de sacris ordinibus manente vxore & vouente castitatem absoluatur ab obligatione tori & cohabitationis? Negant aliqui.* Sanchez. Coninc. *Excipiunt, si illa sit valde vetula, & non suspecta de incontinentia. Probant ex iure Canonico.* Abbas. Armilla. Sotus. Henriq. *Plures alij. Probabilis est hac doctrina. Probabilis eorum etiã est sententia qui negant ex parte vxoris requiri.* Sa. Nauarr. *Alij multi. Probatur ex iure Canonico. Respondetur allegatæ auctoritati in contrarium.* Glossa. Turrecr. *Probabilior hac sententia quàm præcedens.*

Vtrùm autem vir possit ad sacros Ordines promoueri, si iam vxore castitatem in sæculo vouente, absoluatur ab obligatione tori, & cohabitationis, non consentiunt Authores. Negat Sanch. *lib.*7. *disp.* 39. & Coninc *disp.*35. nisi in casu, quo femina valdè vetula sit, & de incontinentiâ nullo modo suspecta, videturque colligi ex Cõcilio *Agathensi c.*12. eademque ratio in hoc reperitur, atque in ingressu Religionis viri, ipsâ manente in sæculo, imò maior etiam ratio; Nã cùm vir etiam initiatus sacris maneat in sæculo; ex antiquâ consuetudine cum suâ vxore facilè potest vterque inflecti, vt eâdem coniuge iterum vteretur, quam sententiam docent etiam Abbas Armilla, Sotus, Henriquez, & plures alij apud Sanch *disp. cit. n.*6. & apud Coninc *n.*32. Quæ doctrina mihi satis probabilis, & ratione consona videtur. Non est tamen improbabile, quod docet Sà verbo *Diuortium n.*4. Nauarrus *lib.*3. *consiliorum* in posteriori editione titulo de *conuersione coniugatorum consilio* 13. *n* 5. & 6. & alij multi, quos eo loco *citato ille n* 2. qui absolutè dicunt non requiri ex parte vxoris ingressum in Religionem, siue vetula sit, siue iuuenis, & quidem plerique horum auctorum tantùm requirunt votum castitatis ab ipsâ emittendum in sæculo; imò Nauarrus tantùm id requirit, quando vxor est iuuenis, & suspecta de incontinentiâ & omissis aliis fundamentis probari potest, quia *in capite coniugatus de conuersione coniugatorum*, tantùm requiritur quod ab vxore in sæculo castitatem vouente absoluatur à debito tori & cohabitationis, ait enim *nullus coniugatorum est ad sacros ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Neque argumentum petitum à Concilio Agathensi pro contraria sententia satis probat; tum quia canon ille non est Concilij generalis, tum; quia nomine Religionis, quo ibi vtitur Concilium non incongruè potest intelligi castitas ab vxore promittenda, vt exponunt Glossa & Turrecremata ad caput *Episcopus distinct.*77. qui textus ex prædicto Concilio desumptus est ex capite (inquam) 16. & 17. aliàs 12. quæ sententia probabilior mihi videtur, quam præcedens.

Tandem cum plerisque assero secluso scandalo, & incontinentiæ periculo posse coniuges ex mutuo consensu quoad torum, & cohabitationem seorsim degere id, quod à quibusdam sanctissimis coniugibus factum in authenticis historiis memoriæ proditum est, quia neque ad torum, neque ad cohabitationem tenetur alterutter si ab ea obligatione absoluatur ab altero.

98. *Secluso scandalo & periculo incõtinẽtiæ possunt ex mutuo consensu quoad torũ & habitationem seorsim degere.*

Multa possunt adhuc circa diuortium disputari, quæ vel omnino pertinent ad forum externum, & contentiosum, vel non sunt huius loci propria, quale est illud, quod ab aliquibus quæritur, nimirum, quemnam parentum sequantur filij facto diuortio inter vtrumque, cui respondeo breuiter parentem innocentem si ipse velit pro suâ consolatione secum habere filios, etiamsi nocens renitatur, nam potior videtur conditio innocentis, vt notauit Sà verbo. *Diuortium n.*12.

99. *Alia circa diuortium vel ad forũ contẽtiosum externum vel ad aliũ locum spectant. Quẽ parentũ sequatur proles facto diuortio*

Vtrùm autem vir teneatur facto diuortio alere vxorem, vel possit in foro conscientiæ negare alimenta vxori adulteræ occultæ latè dis-

putat

Parentem innocentē, si is velit etiam altero inuito? Sà.

putat Sanch. *lib.* 10. *disp.* 8. & meritò docet cum aliis *n.* 25. posse in foro conscientiæ alimentum negare, sicut conuictum negare posse diximus suo loco, quia ad nihil horum tenetur in aliqualem recompensationem maximæ iniuriæ sibi illatæ, & legi potest præter Sanchez loco cit. Surdus Alimentis *titulo* 1. *q.* 118. Rodriguez 1. *p. summæ c.* 240. *num.* 4. Gutierrez *c.* 129. *nu.* 21. & sequentibus. Menochius *consilio.* 853. Riccius *decisione* 235. apud quos videri possunt multa, quę pertinent ad forum externum, & nituntur iuridicæ probationi. Omitto etiam alia, quæ ad alias materias spectant.

Sanchez cū aliis docet posse in foro conscientiæ negare.

Legatur idē Sanchez. Surdus. Rodrig. Gutierr. Menoch. Riccius.

100. *De alimentis præstādis uxori adultera.*

Nobis hæc dicta sufficiant ad laudem, & gloriam Dei, Beatæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum.

101.

FINIS.



INDEX

TRACTATVVM
NEC NON
DISPVTATIONVM
ET
DVBIORVM
ELENCHVS
QVÆ IN HOC
TERTIO TOMO
DE
SACRAMENTIS
CONTINENTVR.

DISPVTATIO PRIMA.

De naturâ, & vi sponsalium ad inducendam obligationem, & de eorum dissolutione.

DVBITATIO I. Quid sint sponsalia? fol.3.

DVB. II. Qualis debeat esse promissio sponsalitia vt valeat? fol.4.

Explicatur prima conditio deliberationis. fol.ibid.

Explicatur secunda conditio acceptationis mutuæ. fol.5.

Explicatur tertia conditio manifestationis fol.7.

DVB. III. An ad valorem sponsalium vel matrimonij sufficiat deliberatio virtualis, vel intentio deliberata virtualis? seu intentio in causâ ipsius contractus? fol.10.

DVB. IV. An promissio matrimonij facta cum animo promittendi; sine animo tamen se obligandi, obligationem inducat? fol.13.

DVB. V. An eo ipso quod quis acceptat promissionem matrimonij censeatur repromittere? fol.15.

DVB. VI. An promissio matrimonij non mutua, id est absque repromissione alterius, valeat, & obliget? fol.15.

DVB. VII. An promissio gratuita & non mutua obliget sub mortali? fol.16.

DVB. VIII. Quâ ratione intelligenda sint verba sponsalitia, quæ non habent facilem expeditum sensum? vbi etiam de verbis dubiis matrimonij. fol.18.

DVB. IX. An, qui defloravit virginem spe fictæ promissionis matrimonij, teneatur eam ducere? fol.24.

DVB. X. An obligent sponsalia celebrata à nobili, vel diuite cum ignobili; vel paupere saltem sequuta copula sub spe promissionis fictæ vel veræ? fol.25.

DVB. XI. An qui fictè promisit, & tantùm habet, sub eâ promissione tactus, teneatur illam ducere? & ad quid teneatur, qui iam non potest promissionem implere, ad quam tenebatur? fol.27.

DVB. XII. An quando femina facilè potuit præsumere dolum, & fictam promissionem, teneatur, qui sub ea spe illius copiam obtinuit, aliquod restituere? fol.28.

DVB. XIII. An fictus promissor dignioris conditionis teneatur defloratam ducere protsus ignaram illius excessus, vel quamuis consciam, taliter ei promittens, vt meritò crederet verè promittere? fol.28.

DVB. XV. An fictè promittens feminæ paris conditionis & corruptæ, conscius corruptionis, teneatur eam ducere, si sub eâ spe femina consensit in copulam? fol.29.

DVB. XV. An fictus vel verus promissor, quando non tenetur implere, possit negare rogatus à iudice; an promiserit? fol.30.

DVB. XVI. An femina teneatur nubere viro, à quo extorsit copulam fictâ promissione matri-

matrimonij? fol.30

Dvb.XVII. An teneatur implere ſponſalia, qui dubitat an promiſerit, vel an verba contineant promiſſionem, vel an promiſerit animo ſe obligandi? fol.30.

Dvb. XVIII. An ſponſalia incertâ ſint propriè ſponſalia ? & ex ipſis conſurgat obligatio? fol.32.

Dvb XIX. Quanta ætas requiratur ad ſponſalia vel ad matrimonium? fol.34.

Dvb.XX. An contrahentes ſponſalia vel matrimonium ante legitimam ætatem peccent mortaliter? fol.39.

Dvb.XXI. An parentes,aut alij poſſint contrahere ſponſalia pro filiis nondum habentibus ſeptimum ætatis annum? fol.40.

Dvb. XXII. An ſponſalia metu facta ſint nulla? fol.41.

Dvb.XXIII.An valida ſint ſponſalia per dolum celebrata? fol.44.

Dvb. XXIV. An ſponſalia clandeſtina ſint valida, & licita? fol.47.

Dvb. XXV. An qui renuit implere ſponſalia,ad quæ tenetur,cogendus ſit per iudicem, & à quo iudice? fol.48.

Dvb.XXVI. An in ſponſalibus poſſit apponi pœna,quæ obliget iniuſtè reſilientem , ſaltem,ſi iuramento firmentur? fol.49.

Dvb XXVII. An recipiens ſolutionem pœnæ, teneatur illam reſtituere ante ſententiam iudicis? fol.52.

Dvb.XXVIII. An in ſponſalibus poſſint tradi arrhæ amittendæ ab iniuſtè reſiliente?fol.52.

Dvb.XXIX. An reſtitutio arrhæ,& inſuper duplum,aut triplum dari debeat ab iniuſtè reſiliente non expectatâ ſententiâ iudicis?fol.54.

Dvb. XXX. Ad quem pertineant arrhæ? fol.55.

Dvb.XXXI.Quæ ſint impedimenta, quibus impeditur valor ſponſalium nondum factorum,ne validè fiant? vel,vt facta diſſoluantur? fol.56.

Dvb.XXXII. An ſponſalia dirimantur per ingreſſum Religionis,aut votum illius,caſtitatis,aut ſacrorum Ordinum? fol.56.

Dvb.XXXIII. An ſponſalia impuberum diſſoluantur ob defectum ætatis ſolo eorum mutuo conſenſu? fol.62.

Dvb XXXIV.An ſpõſalia puberum ſolo eorum mutuo conſenſu diſſolui poſſint? fol.64.

Dvb.XXXV. An ſponſalia diſſoluantur ob lapſum termini?vel ob longam moram?fol.65.

Dvb. XXXVI. An ſponſalia diſſoluantur, quando vnus ex ſponſis diſcedit in remotiſſimum locum abſque conſenſu alterius? fol.67.

Dvb.XXXVII.An diſſoluantur ſponſalia per matrimonium ſubſequens cum aliâ perſonâ. fol.69.

Dvb. XXXVIII. An ſponſalia diſſoluantur ob impedimentum dirimens ſuperueniens? vbi etiam de impedimento non dirimente , & obligatione petendæ diſpenſationis. fol.71.

Dvb.XXXIX. An ſponſalia dirimantur ob fornicationem alterius ſponſi , ex parte innocentis? fol.75.

Dvb.XL. An ſponſalia dirimantur ob notabilem mutationem ſeu defectum ſuperuenientem aut denuo cognitum? fol.75.

Dvb. XLI. An ſponſus conſcius ſufficientis cauſæ ad reſiliendum amittat ius reſiliendi, ſi poſtea carnaliter cognoſcat ſponſam? fol.79.

Dvb. XLII. An ſponſus habens defectum occultum,ob quem poſſit alter reſilire, poſſit eundem ignarum defectus compellere ad matrimonium contrahendum? fol.80.

Dvb. XLIII. An ſponſalia diſſoluantur per non adimpletam conditionem, ſub quâ contracta fuerunt? vbi diſputatio de ſponſalibus conditionatis remittitur aliò. fol.82.

Dvb.XLIV. An ad diſſoluenda ſponſalia requiratur iudicis auctoritas? fol.82.

Dvb.XLV. An, quando ſponſus nequit propriâ auctoritate diſſoluere ſponſalia, poſſit detegere in iudicio cauſam diſſoluendi,cum periculo notæ vel infamiæ ſponſæ? fol.83.

Dvb XLVI. An fornicatio ſponſi aut ſponſæ, ſubſiſtentibus ſponſalibus , addat nouam malitiam , ſi habeatur cum aliâ perſonâ? fol.83.

DISPVTATIO II.

De naturâ & eſſentiâ , inſtitutione, obligatione, indiſſolubilitate , & vnitate Matrimonij.

Dvb.I. Quid matrimonium ſit , & vnde ſic appellatum? fol.84.

Dvb. II. Qualis conſenſus ſeu intentio requiratur ad valorem contractus matrimonij? fol.86.

Dvb.III. An ad valorem , & eſſentiam matrimonij conſenſus requiſitus debeat ferri in mutuam corporum traditionem? fol.86.

Dvb.IV. An conſenſus neceſſarius ad matrimonium debeat ferri in perpetuitatem,prolem,& fidelitatem? fol.ibid.

Dvb.V. An conſenſus matrimonij requiſitus debeat explicitè ferri in copulam? fol.88.

Dvb.VI. An ſit poſſibile matrimonium abſque conſenſu contrahentium? fol.89.

Dvb.VII. An, qui ſe falsò putat inhabilem ad matrimonium , poſſit habere conſenſum idoneum ad illud? fol.92.

Dvb.VIII. An requiratur ſimultas vtriuſque conſenſus actualis contrahentium? fol.93.

Dvb.IX. An conſenſus alterius partis fictus à principio,vel aliâ ratione inualidus,ſi poſteà habeatur verus,ſufficiat ad matrimonium , etiamſi alter non iterum denuo conſentiat? fol.96.

Dvb. X. An ad validandum contractum matrimonij requiratur,vt,qui iterum eſt conſenſurus,ſit,aut fiat conſcius nullitatis? fol.97.

Dvb XI. An, vt reualidetur contractus matrimonij nullus coram parocho,& teſtibus celebratus , neceſſarium ſit iterum coram parocho,& teſtibus celebrari? fol.100.

Dvb XII. An aliquod ſignum externum neceſſarium ſit expreſſiuum conſenſus interni ad valorem matrimonij? & an,tanquam eſſentialis pars? fol.103.

Dvb.XIII.An requirantur verba,vel ſufficiat aliud ſignum abſque verbis ad valorem matrimonij,

monij vel saltē ex præcepto requiratur? fol.104.

Dvb XIV. An sponsalia transeant in matrimonium per copulam subsequentem? fol.105.

Dvb.XV. An valeat matrimonium celebratum per procuratores, vel per litteras, etiamsi contrahens fiat amens? fol.107.

Dvb XVI. An matrimonium baptizatorū sit Sacramentum gratiam conferens? fol.112.

Dvb.XVII. An baptizatorum matrimonium celebratum per procuratorem sit propriè Sacramentum gratiam conferens, sicut & matrimonium per epistolam? fol.114.

Dvb.XVIII. An matrimonium inter baptizatum, & non baptizatū, sit Sacramentū? fol.115.

Dvb.XIX. An sit possibile inter baptizatos verum matrimonium, quod non sit Sacramentum? fol.115.

Dvb.XX. An matrimonium ante legem gratiæ fuerit propriè Sacramentum gratiam conferens? fol.116.

Dvb.XXI. Quæ sit materia & forma Sacramenti matrimonij? fol.116.

Appendix Dubia. An in matrimonio sit distinguenda materia proxima, & remota? vbi declaratur doctrina Concilij Florentini. folio 132.

Dvb. XXII. Quisnam sit Minister Sacramēti matrimonij? fol.133.

Dvb.XXIII. A quo fuerit institutum matrimonium? fol.135.

Dvb.XXIX. An coniugium sit res licita, & honesta? fol.136.

Dvb.XXV. Quo fine contrahi debet matrimonium, vt licitè fiat? fol.136.

Dvb.XXVI. An sit, aut fuerit præceptū contrahendi matrimonium, & quid si tātūm essent iam in mundo habentes votū castitatis? fol.138.

Dvb.XXVII. An matrimonium sit indissolubile? fol.141.

Dvb XXVIII. Quo iure constet indissolubilitas matrimonij? fol.142.

Dvb XXIX. An sit potestas in Ecclesiæ capite ad dissoluendum matrimonium baptizatorum? fol.144.

Dvb.XXX. An, & quo iure matrimonium baptizatorum dissoluatur per solemnem professionem religiosam? fol.146.

Dvb.XXXI. An matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per vota simplicia Societatis Iesu post biennium emissa? aut per vota ibidem quoque emissa, & simplicia coadiutorum formatorum? fol.149.

Dvb. XXXII. An per vota Ordinum militarium, item Mantellatorum & Mantellatarum, Tertiariorum, & Eremitarum dissoluatur vinculum matrimonij rati? fol.149.

Dvb.XXXIII. Quantum temporis concedatur coniugibus ante consummatum matrimonium, vt possint deliberare de ingressu Religionis? fol.150.

Dvb.XXXIV. Quid requiratur vt matrimonium censeatur copulâ consummatum? fol.153.

Dvb.XXXV. An matrimonium infidelium consummatum dissoluatur per conuersionem alterius ad fidem? fol.154.

Dvb.XXXVI. An fidelis possit dissoluere matrimonium, quando infidelis non vult conuerti, etiamsi velit habitare absque iniuria creatoris? fol.155.

Dvb.XXXVII. An, supositâ prohibitione cohabitandi cum infideli coniuge, possit conuersus dissoluere matrimonium, & aliud contrahere, eo ipso, quòd non vult conuerti coniux infidelis, etiamsi velit pacificè cohabitare? folio 156.

Dvb.XXXVIII. Quando dissoluatur matrimonium conuersi fidelis cum infideli nolente cohabitare absolutè aut nolente cohabitare legitimè? fol.160.

Dvb.XXXIX. An matrimonium conuersi cū infideli contractum ante baptismum dissoluatur per solemnem professionem in Religione? aut per sacros Ordines? fol.162.

Dvb.XL. An dissoluto matrimonio per transitum fidelis coniugis ad aliud coniugium, vel ad professionem possit licitè, & validè infidelis relictus ad alias nuptias transire, siue conuertatur siue non? fol.163.

Dvb.XLI. An in lege veteri dissolueretur matrimonium quoad vinculum per libellum repudij? & quid de repudio Gentilium? fol.164.

Dvb.XLII. An pluralitas coniugum licita simul sit, vel illicita, & nulla? fol.185.

Dvb.XLIII. An pluralitas coniugum simul fuerit aliquando valida, & licita, tam pro masculis, quàm pro feminis, saltem possibilis? folio 169.

Dvb XLIV. An pluralitas coniugum successiuè sit valida & licita? fol.169.

DISPVTATIO III.

De Matrimonio clandestino & carente debitis solemnitatibus.

Dvb.I. Quid sit matrimonium clandestinū? & an sit illicitum? fol.170.

Dvb.II. An matrimonium clandestinum sit irritum & nullum iure naturæ? vbi de iure Ecclesiastico potente iterare. fol.171.

Dvb III. An matrimonium clandestinum absque Parocho & testibus inualidum saltem valeat, vt sponsalia? fol.172.

Dvb.IV. An matrimonium clandestinum sit aliquando validum? fol.173.

Dvb.V. An ignorantia legis Tridentini excuset ab obligatione, & inhabilitate? fol.174.

Dvb.VI. An Christiani incolæ, & indigenæ locorum, in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant sine Parocho, & testibus in locis, in quibus non obligat? vel è contrà? fol.175.

Dvb.VII. An fideles in prouinciis infidelium, vbi non sunt parochiæ, in quibus Trident. potuerit publicari, validè contrahant sine Parocho, & testibus? fol.177.

Dvb.VIII. Quis? & cuius contrahentium Parochus? & in quo loco possit, & debeat assistere matrimonio vt validum sit? fol.177.

Dvb.IX. An Parochus assistens matrimonio, vel qui de illius licentiâ assistit, debeat esse Sacerdos? fol.179.

Dvb X. An Parochus excōmunicatus validè & licitè assistat matrimonio? & an etiam prædicans

dicans hæreticorum? fol.180.

Dvb.XI. An alius præter Parochum possit validè assistere matrimonio,& assistendi licentiam concedere sacerdoti? fol.183.

Dvb XII. An Parochus non proprietarius,sed delegatus & amobilis ad nutum Episcopi,possit tum assistere matrimonio, tum ad id licentiam præbere? fol.184.

Dvb.XIII. An Parochus prohibitus à suo superiore(vt ab Episcopo, vel Synodali constitutione) dare licentiam assistendi, nisi approbatis ab Episcopo,validè nihilominùs licentiam concedat? fol.185.

Dvb.XIV. Qualis licentia requiratur in sacerdote,vt validè assistat matrimonio? fol.185.

Dvb. XV. Quis censeatur vagabundorum Parochus? & quâ ratione se debeat gerere erga eorum matrimonia? fol.188.

Dvb XVI. An sacerdos qui ignorat se habere licentiam ad assistendum matrimonio,validè nihilominùs assistat? fol.190.

Dvb. XVII. An sacerdos, qui accepit licentiam matrimonio copulandi Mariam,quæ volebat contrahere cum Petro,postea verò voluit contrahere cum Ioanne,possit virtute illius licētiæ assistere matrimonio huic? fol.192.

Dvb XVIII. Quot alij testes assistentes, & quales præter Parochum requirantur ad valorem matrimonij? fol.193.

Dvb XIX. Qualis præsentia Parochi, aut testium requiratur, vt valeat matrimonium? folio.194.

Dvb.XX. Quas pœnas incurrant contrahētes clandestinè? fol.196.

Dvb XXI. An supposito iure canonico, valeat lex ciuilis Castellæ imponens pœnam exhæredationis matrimonio clandestino? fol.197.

Dvb.XXII. Quomodo intelligenda sit lex Castellæ exhæredans clandestinè contrahentes? fol.197.

Dvb.XXIII. Quibus pœnis subiaceat Parochus assistens matrimonio, aut sacerdos de licentiâ illius absque aliis testibus? fol.199.

Dvb.XXIV. Quam pœnam incurrat sacerdos assistens matrimonio, vel benedicens alienos Parochianos absque licentia proprij? folio 200.

Dvb.XXV. An, quot,& quomodo denunciationes, seu proclamationes debeant præcedere matrimonium? fol.201.

Dvb. XXVI. Quis possit dispensare, vt denuntiationes non præponantur,vel etiam omittantur? fol.206.

Dvb.XXVII. An, & quæ causæ requirantur, vt superior possit, aut debeat in præmittendis denuntiationibus dispensare? & an semper sit necessaria dispensatio? fol.208.

Dvb.XXVIII. An denuntiationes obligent reuelare impedimentum occultum? fol.210.

Dvb.XXIX. Quomodo se gerere debeat Parochus,aut Ordinarius, quando norunt extra confessionem impedimentum, & quando norunt in foro conscientiæ obtentâ dispensatione? fol.212.

Dvb XXX. An matrimonium factum illicitè omissis denuntiationibus, censeatur clandestinum,quoad pœnas? fol.215.

Dvb.XXXI. An benedictiones nuptiales vulgò velationes adhibendæ sint? fol.217.

DISPVTATIO IV.

De Matrimonio & consensu coacto.

Dvb.I. Quid sit metus,& quotuplex? fol.218.

Dvb.II. Quomodo pēsanda sit grauitas mali, quod timetur? vbi de precibus importunis. folio 219.

Dvb.III. Quæ requirantur, vt incutiens metum,censeatur non solùm potens,sed probabiliter exequuturus malum? fol.222.

Dvb.IV. An, & quâ ratione requiratur ad metū grauem quod patiens metum non possit facile resistere? & quomodo tres conditiones prædictæ intelligendæ sint? fol.223.

Dvb. V. An matrimonium contractum ex metu cadente in constantem virum,sit nullum? fol.224.

Dvb.VI. Quo iure matrimonium prædicto metu initum sit nullum? fol.226.

Dvb.VII. An matrimonium ex metu graui iusto,& incusso ad illud extorquendum, sit validum? fol.227.

Dvb.VIII. An,si quis metu cogatur contrahere cum aliqua ex filiabus Petri, valeat matrimonium? fol.229.

Dvb.IX. De quibusdā in particulari resoluēdis ex doctrinâ præcendentiū dubitationū. fol.230.

Dvb.X. An licèt matrimonium fuerit nullum ob iniustum metum,cuius alter contrahens fuit causa,teneatur idem ipse posteà contrahere,si velit qui fuerat coactus? fol.232.

Dvb.XI. An & quale peccatum sit cōtrahere matrimonium ex metu illud irritante? fol.233.

Dvb.XII. An matrimonium inualidum propter metum, validum fiat posteà ob copulam subsecutam? fol.234.

Dvb XIII. An matrimonium ratione metus inualidum,reualidetur per superueniens iuramentum? & quid de sponsalibus? fol.235.

Dvb.XIV. An qui compellit alios ad matrimonium contrahendum,incurrat aliquam pœnā? & an possit Princeps Ecclesiasticus, aut sæcularis subditos cogere ad matrimoniū? f.236.

Dvb.XV. An parentes possint filios cogere ad contrahendum matrimonium? item Domini mancipia? & Episcopi subditos? fol.237.

Dvb.XVI. An filius teneatur contrahere matrimonium, quòd pater promisit,aut præcipit? fol.238.

Dvb.XVII. An filij possint parentibus inuitis licitè inire matrimonium quòd volunt? folio? 240.

Dvb.XVIII. An iudex possit interdicere matrimonium filiisfamilias,quando periculum est grauis scandali? fol.241.

Dvb.XIX. An filia inuitis parentibus nubēs, non clandestinè possit ab eisdem exhæredari? fol.242.

Dvb.XX. Quale matrimonium censeatur indignum? fol.243.

Dvb XXI. Qualiter probetur metus ad inualidandum matrimonium? fol.244.

DISPVTATIO V.

De consensu & matrimonio conditionato, & conditionatis sponsalibus.

DVB I. Quid sit matrimonium conditionatum seu consensus conditionatus? fol.245.

DVB.II. An hæc conditio, si Deus voluerit, aut si Deo placuerit, reddat contractum conditionalem, illumque suspendat? fol.246.

DVB.III. An conditiones appositæ suspendãt matrimonium, vsque ad notitiam existentiæ conditionum? fol.248.

DVB.IV. An matrimonio contracto sub conditione de futuro, *si patri placuerit*, censeatur impleta, aut deficere conditio, eo ipso quòd pater, vel consentiat semel, vel dissentiat? fol.249.

DVB.V. An cõditio de futuro, *si Patri placuerit*, censeatur impleta quando pater tacet? & quid, si iam mortuus erat pater? fol.251.

DVB.VI. An matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad euentum conditionis, valeat posità conditione, nullo repetito consensu? fol.252.

DVB.VII. An matrimonium sub conditione inhabilitante, in quâ Pontifex potest dispensare *scilicèt si Papa dispensauerit*, perficiatur absque nouo consensu, obtentâ dispensatione? fol.257.

DVB.VIII. Quodnam matrimonium præualeat, quando quis contraxit matrimonium cum duabus sub conditione? & quid etiam de similibus sponsalibus? fol.258.

DVB.IX. An conditio non contingens, sed necessaria de futuro appositа matrimonio, illud suspendat, quousque impleatur. fol.262.

DVB.X. An, vbi Tridentinum viget, ad valorem absolutum matrimonij conditionati, necessarium sit conditionem impleri coram Parocho, & testibus, qui præsentes fuerunt contractui? fol.263.

DVB.XI. An conditio contra substantiam matrimonij illud irritet? fol.266.

DVB.XII. An conditio nunquam se copulãdi, seu nunquam reddendi, aut nunquam petẽdi, annullet matrimonium? fol.267.

DVB.XIII. An conditio impossibilis habeatur pro non adiecta matrimonio? fol.270.

DVB. XIV. An conditio turpis habenda sit pro non adiecta? fol.272.

DVB XV. Quænam sint coniecturæ ad iudicandũ consensum fuisse dependentem à conditione impossibili, aut turpi? fol.273.

DVB.XVI. Quam vim habeant sponsalia cõditionata? fol.274.

DVB.XVII. An conditio contra substantiam matrimonij irritet sponsalia, si illis apponatur? fol.276.

DVB.XVIII. An conditio vel impossibilis, vel turpis appositа sponsalibus, habenda sit pro nõ adiecta? fol.277.

DVB.XIX. Quam vim habeant tempus, demonstratio, causa, vel modus? fol.278.

DVB.XX. An, & quatenus valeat conditionalis licentia assistendi matrimonio? fol.279.

DISPVTATIO VI.

De donationibus inter coniuges sponsalitiâ largitate, & arrhis.

DVB.I. Quid, & quotuplex sit? & an valeat donatio inter coniuges, & sponsos? item sponsalitia largitas? donatio ante nuptias, vel propter nuptias? & arrhæ? fol.284.

DVB.II. An inter coniuges non veros, putatiuos valeat donatio? fol.285.

DVB. III. An in aliquo casu valeat donatio inter virum & vxorem? fol.286.

DVB.IV. De quibusdam pro praxi deducendis ex præcedenti doctrinâ. fol.288.

DVB.V. An constãte matrimonio possit vxor renunciare in fauorẽ viri medietati lucrorum sibi cõpetenti? & vir in fauorẽ vxoris? fol.289.

DVB.VI. An valeat donatio remuneratoria inter coniuges? fol.291.

DVB.VII. An valeat donatio, quâ coniux alteri dotem dicit? fol.293.

DVB.VIII. An dos vxori constituta per virũ minuat legitimã debitã hæredibus viri? f.294.

DVB IX. An censeatur donatio & valida, si vir fateatur se recepisse dotẽ, aut maiorem summã, cum tamen recepisse non constet? fol.295.

DVB X. An valeat inter coniuges donatio causa mortis? fol.296.

DVB.XI. An donatio inualida inter coniuges confirmetur iuramento? fol.297.

DVB.XII. An donatio præsumpta consurgẽs ex receptæ dotis confessione firmetur iuramento? fol.298.

DVB.XIII. An confirmetur iuramento donatio inter coniuges facta contra prius iuramentum non donandi? fol.299.

DVB XIV. An donatio inter coniuges cõfirmetur morte corporali donantis? fol.301.

DVB.XV. An, vt donatio inter coniuges confirmetur, requiratur perseuerantia donantis in eadẽ volũtate vsque ad mortẽ; ita vt nec tacitè, nec expresè reuocauerit? & quando censeatur tacita reuocatio? fol.304.

DVB.XVI. An prædicta donatio morte confirmata retrotrahatur vsque ad tempus donationis? fol.306.

DVB.XVII. An donatio inter cõiuges inualida confirmetur morte ciuili donationis? fol.307.

DVB.XVIII. Quid sit sponsalitia largitas? an valeat? & quando acquiratur? fol.309.

DVB XIX. An per matrimonium solum ratum saltem secutâ traductione ad sponsi domum aut per copulam ante matrimonium acquiratur sponsalitia largitas? fol.311.

DVB.XX. An, si sponsalitia ob impedimentũ dirimẽs nulla fuerunt, atque adeò dissoluta, lucretur sponsa per osculum dimidium sponsalitiæ largitatis, & per copulam totam? folio 312

DVB.XXI. An, quando sponsalia dissoluuntur ob causam inculpabilem, voluntariã tamen, lucretur sponsa per osculum eam dimidiam partem? & an, si alter culpâ suâ dedit causam iustam dissoluendi sponsalia, lucretur innocens resiliens à sponsalibus, sponsalitiam largitatem? fol.313.

Dvb.XXII. An interuenientibus arrhis lucretur ſponſa conſummato matrimonio integrè ſponſalitiam largitatem,& arrhas,vel detur optio? & an,ſi matrimonium caſu non ſequatur, poſſit ſponſa,interueniente oſculo, eligere vel medietatem iocalium vel arrharum? fol.314.

Dvb.XXIII. Quando debeat donari ſponſalitia largitas,vt valeat,& non habeatur pro donatione inter coniuges inualida? fol.316.

Dvb. XXIV. Quanta eſſe poſſit ſponſalitia largitas? fol.317.

Dvb.XXV. An nomine ſponſalitiæ largitatis comprehendantur veſtes,& reliqua, quæ ſponſus mittit ſponſæ, vt acquirantur integra matrimonio conſummato, & media pars per oſculum, eo nondum conſummato? fol.318.

Dvb.XXVI. An quæ ſponſa accipit à conſanguineis ſponſi;vel ſponſus à conſanguineis ſpõſæ, cenſeantur ſponſalitia largitas? & idem de amicis? fol.321.

Dvb.XXVII. Quid ſint arrhæ? & quo pacto acquirantur? & an dentur in præmium virginitatis,vt ſine eâ non poſſint adquiri? fol.324.

Dvb.XXVIII. An arrhæ poſſint inito matrimonio conſtitui validè? fol.325.

Dvb. XXIX. Quæ poſſit eſſe quantitas arrharum? fol.326.

Dvb.XXX. An, ſi bonorum pars viri,quæ habebat tempore promiſſionis arrharum,euincatur,poſteà etiam pro rata minuendæ ſint arrhæ? fol.327.

Dvb.XXXI. An & quomodo æſtimanda ſint bona Maioratus, ne arrhæ excedant decimam? fol.ibid.

Dvb.XXXII. An *Antapochæ*, quas vulgo vocant *Contraſcripturas*, non petendi quantitatem ſibi promiſſam cauſsâ matrimonij contrahendi,noceant vxori,quoad arrhas,ita,vt quãtitas illa fictè promiſſa,computanda non ſit inter bona ſponſi ad æſtimandam decimam bonorum ipſius? fol.328.

Dvb.XXXIII. An in conſcientia valeat promiſſio arrharum vltra decimam? & ſponſalitia largitas vltra octauam? fol.329.

Dvb. XXXIV. An donatio arrharum vltra decimam confirmetur iuramento, vel ſaltem obliget iuramentum? fol.329.

Dvb.XXXV. An ſoluto matrimonio vxori, & eius hæredibus,vel potius viro, & eius hæredibus incumbat probare non fuiſſe,vel fuiſſe exceſſum arrharum vltra decimam? fol.330.

Dvb.XXXVI. An arrhæ minuant legitimam aſcendentibus,vel deſcendentibus debitam,vel ſolùm extrahendæ ſint de remanente libero? & quid donatione remuneratoria & aliis minutis? fol.330.

Dvb.XXXVII. An teneatur vir integrè arrhas ſoluere,ſi ei dos non ſoluatur, vel non integrè? fol.332.

Dvb.XXXVIII. An,& quando valeat conſtitutio arrharum facta de minorem? fol.332.

Dvb.XXXIX. An filiusfamilias poſſit arrhas promittere inconſulto patre? fol.333.

Dvb.XL. An mulier non tranſiens ad ſecundas nuptias poſſit ſuperſtitibus filiis,vel aſcendentibus ſoluto matrimonio liberè diſponere de arrhis? fol.334.

Dvb.XLI. An mulier ſecundò nubens ſuperſtitibus filiis prioris matrimonij teneatur illis integras arrhas ſeruare, & nullum meliorare? vel poſſit diſponere de arrhis, ſicut de aliis bonis? fol.335.

DISPVTATIO VII.

De Impedimentis Matrimonij.

Dvb.I. An,& in quo ſit poteſtas ſtatuendi & inducendi impedimenta matrimonij? fol.335.

Dvb.II. Quale peccatum ſit matrimonium cum impedimento dirimente ſcienter contrahere,& conſummare? & an metus excuſet, ſaltem in caſu impedimenti nõ dirimẽtis? fol.341.

Dvb.III. Quot ſint impedimenta matrimonij? fol.343.

Dvb. IV. Quotuplex ſit error? & an error perſonę dirimat iure naturali matrimonium? fol.343.

Dvb.V. An error qualitatis perſonæ dirimat matrimonium contrahendum? fol.344.

Dvb.VI. An & quâ ratione error conditionis ſeruilis dirimat matrimonium? fol.346.

Dvb.VII. An matrimonium liberi cum ancilla valeat, ſi error vel ignorantia ſeruitutis ſit nimis craſſa? fol.347.

Dvb.VIII. An quincunque error conditionis ſeruilis irritet matrimonium, quamuis ſit æqualis, aut dignioris conditionis altera perſona? fol.348.

Dvb.IX. An conditio ſeruitutis dirimat matrimonium? & an ſeruus ſciente & non contradicente Domino cum liberâ ſeruitutis ignarâ contrahens matrimonium conſequatur libertatem? fol.348.

Dvb.X. An quando mancipium contrahens cum libero ſeruitutis ignaro, libertatem conſequitur,matrimonium validè fiat? fol.349.

Dvb.XI. An valeat matrimonium liberi cum ancilla,quam ignorat eſſe talem,ſi illa iam donata ſit libertate ex tunc pro aliquo tempore? fol.351.

Dvb. XII. An matrimonium inualidè contractum à libero ignorante conditionem ſeruilem,fiat validum per copulam habitam cognitâ iam ſeruitute? fol.352.

Dvb.XIII. An mancipium contrahens matrimonium cum Domino aut Domina, eo ipſo conſequatur libertatem? fol.352.

Dvb.XIV. An poſſit mancipium contrahere inuito Domino cum liberâ vel cum ſeruâ? folio 352.

Dvb. XV. An mancipium teneatur potius ſatisfacere Domino, quam coniugi? & Dominus poſſit mancipium procul mittere, & ſeparare? fol.353.

Dvb.XVI. An ſeruitus poſſit ſuperuenire matrimonio altero coniugum ſe venundante? & an tunc liceat Domino ſic ſeruũ ſeparare? fol.356.

Dvb.XVII. An & quomodo votum ſolemne caſtitatis dirimat matrimonium? fol.357.

Dvb.VIII. An,& quâ ratioue Ordo ſacer dirimat matrimonium contrahendum? fol.358.

Dvb.XIX. An Ordo ſacer ante vſum rationis receptus,aut ante pubertatem dirimat matrimonium? & remiſſiuè de ordinato per metum,aut ignoranter? fol.340.

Dvb.XX.Quid sit consanguinitas? & quomodo eius gradus computentur? fol.361.

Dvb.XXI. An consanguinitas dirimat matrimonium iure aliquo positiuo diuino,aut Ecclesiastico? & an saltem in primo gradu dirimat iure naturali? fol.363.

Dvb.XXII. An consanguinitas in cæteris aliis gradibus rectæ lineæ dirimat matrimoniũ iure naturali? fol.365.

Dvb.XXIII. An consanguinitas in linea transuersali, iure naturali matrimonium dirimat? fol.367.

Dvb.XXIV.Quid,& quotuplex sit cognatio spiritualis? fol.368.

Dvb.XXV.A quo possit contrahi cognatio spiritualis? fol.369.

Dvb.XXVI.An non confirmatus suscipiens in baptismo,vel confirmatione alium exercendo munus patrini contrahat hanc cognationem? fol.371

Dvb.XXVII.Quis actus requiratur in patrinis ad contrahendam cognationem spiritualem? fol.372.

Dvb.XXVIII.An si plures,quam vnus,& vna suscipiant baptizatum, omnes contrahant cognationem spiritualem? fol.375.

Dvb.XXIX.An,qui mittit procuratorem,& substitutum, vt nomine ipsius exerceat munus patrini,contrahat cognationem & an etiam ipse procurator? fol.377.

Dvb.XXX.An in baptismo non solemni,sed priuatim facto,contrahatur cognatio spiritualis in patrino,& in baptizante? fol.378.

Dvb.XXXI.Quid & quotuplex sit cognatio legalis? fol.ibid.

Dvb. XXXII. An cognatio legalis dirimat matrimonium, & quæ conditiones requirantur ad adoptionem? fol.379.

Dvb XXXIII. Ad quotum gradum, & ad quantum temporis duret cognatio legalis potens matrimonium dirimere? fol.380.

Dvb.XXXIV.Quid sit affinitas? & quid ad eam contrahendam requiratur? fol.381.

Dvb.XXXV.An affinitas,quæ oritur ex prędictâ copulâ in lineâ rectâ, oriatur iure naturali? fol.383.

Dvb.XXXVI.An affinitas in lineâ transuersâ iure naturali dirimat matrimonium? fol.384.

Dvb.XXXVII. An affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat matrimonium iure naturæ? fol.385.

Dvb.XXXVIII. An affinitas dirimat matrimonium iure aliquo posito? & ad quotum gradum? fol.387.

Dvb.XXXIX.An ex sponsalibus oriatur iustitia,seu impedimentum publicæ honestatis? & quid hæc publica honestas sit? fol.388.

Dvb.XL. An ex matrimonio rato oriatur impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium? fol.390.

Dvb.XLI.Quid? & quotuplex sit impotentia? & an debeat esse perpetua? fol.392.

Dvb.XLII.An impotentia naturalis coëundi seu penetrandi vas,dirimat matrimonium contrahendum? fol.393.

Dvb.XLIII.An impotentia naturalis,coëundi perpetua dirimat matrimonium in ordine ad castè viuendum? fol.395.

Dvb.XLIV.Quo iure impotentia perpetua dirimat matrimonium? fol.396.

Dvb.XLV.An impotẽtia matrimonio superueniens,illud dirimat, eiusúe vsum impediat? fol.397.

Dvb.XLVI. An impotentia naturalis ad seminandum dirimat matrimonium, etiamsi adsit potentia ad penetrationem vasis? vbi etiam agitur de eunuchis & senibus & infirmis? f.400.

Dvb.XLVII.An impotentia respectiua dirimat matrimonium contrahendum? fol.402.

Dvb.XLVIII. An coniux naturaliter impotens, cui licitè absque periculo vitæ, humano remedio potest subueniri,teneatur id pati,si alter coniux exigat? fol.403.

Dvb.XLIX.An impotẽtia proueniens ex maleficio dirimat matrimoniũ subsequẽs? fol.405.

Dvb.L.An liceat à malefico parato ad soluẽdum maleficiis,maleficium id petere? fol.407.

Dvb.LI.An Hermaphroditus possit matrimonium inire? fol.409.

Dvb.LII. Quantum temporis requiratur ad experiendam potentiam, vt ob defectum illius perpetuũ declaretur nullũ matrimoniũ? f.410.

Dvb.LIII.Quid faciendum, quando Ecclesia iudicauit matrimonium nullum, & posteà deprehensus est error iudicij,sed iam vir professus fuerat in Religione, vel sacros Ordines susceperat? fol.413.

Dvb.LIV.An impotentia temporalis ex defectu ætatis dirimat matrimonium, vel potius defectus ipse ætatis? fol.417.

Dvb.LV.An prædictum triennium experiẽtiæ debeat esse continuum vel saltem debeat suppleri,si quid fuerit intermissum? fol.417.

Dvb. LVI. An machinatio mortis coniugis dirimat matrimonium posteà cum altero contrahendum? fol.418.

Dvb.LVII. An adulterium absque mortis machinatione matrimonium dirimat inter adulteros? fol.421.

Dvb.LVIII. An raptus dirimat matrimoniũ? & quid requiratur ad raptum, eiusque pœnas incurrendas? fol.425.

Dvb.LIX.Quo iure disparitas cultus inducat impedimentũ dirimens matrimoniũ? fol.428.

Dvb.LX. An matrimonium personæ baptizatæ fidelis cum baptizata infideli sit nullum, aut illicitum? fol.430.

Dvb.LXI.De vi,& ligamine, & defectu Parochi & testium remissiuè. fol.431.

Dvb.LXII. Quot & quæ sint impedimenta tantùm impedientia matrimonium? fol.432.

DISPVTATIO VIII.

De dispensatione impedimentorum Matrimonij.

Dvbitatio I. An Pontifex dispensare possit in impedimentis matrimonij? fol.454.

Dvb. II. An Pontifex dispensando in impedimentis matrimonij irritè contracti, possit attingere dispensatione effectus etiam sæculares per legitimationem prolis anteà susceptæ? fol.435.

Dvb.III. Quando censeatur Pontifex in radice matrimonij dispensare ita, vt deleat illegitimitatem

timiratem prolis? fol.440.

Dvb.IV. An Episcopus possit dispensare in impedimentis ? & quomodo se debeat gerere Confessarius dispensans in foro conscientiæ? fol.442.

Dvb.V. Quæ sint iustæ causæ ad dispensandum in impedimentis matrimonij?& quando debeant subsistere? fol.447.

Dvb.VI.An dispensatio in cuius supplicatione vel falsum exprimitur, vel reticetur verum, sit nulla? fol.450.

Dvbitatio VII. An taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos , aut affines irritet dispensationem inter sic impeditos? folio 453.

Dvb. VIII. An si sint plura impedimenta, requiratur in petitione dispensationis ad eius valorem omnium eorum expressio? folio 454.

Dvb.IX. Quomodo explicandi sint gradus cognationis in petendâ dispensatione vt valeat? fol.456.

Dvb. X. Quomodo cesset aut expiret potestas data dispensandi in matrimonio , & de aliis,quæ pertinent ad dispensationem remissiuè? fol.456.

DISPVTATIO IX.

De vsu & debito coniugali , & de vitiis carnalibus.

Dvbitatio I. An liceat actus coniugij? folio 457.

Dvb.II. Quis finis debeat intendi in actu coniugali,vt licitus fiat? fol.458.

Dvb.III. Quo tempore liceat actus coniugalis? fol.459.

Dvb.IV. An actus coniugalis cum coniuge amente sit licitus? fol.461.

Dvb.V. In quo loco fiat illicitus actus coniugalis? fol.473.

Dvb.VI. Quo situ actus coniugalis illicitus fiat? fol.464.

Dvb. VII.Quomodo se gerere debeant coniuges in exhibitione,& consummatione copulæ? fol.464.

Dvb. VIII. An actus coniugij sit illicitus ob superuenientem cognationem spiritualem? fol.466.

Dvb. IX. An actus coniugij sit illicitus, quando superuenit affinitas? fol.468.

Dvb.X. An actus coniugalis fiat illicitus ob superueniens votum castitatis ? folio 471.

Dvb. XI. An dubium de valore matrimonij reddat actum coniugalem illicitum quando alter tantùm dubitat? fol.472.

Dvb.XII. An qui bonâ fide contraxerunt, & posteà ambo dubitant, possint mutuo sibi reddere,& petere? 476

Dvb. XIII. An quando alter vel vterque malâ fide contraxit, dubius de morte prioris coniugis,possit reddere aut petere? fol.477.

Dvb.XIV. An coniuges, qui bonâ fide contraxerunt, & postea incipiunt opinari matrimonium esse inualidum possint petere & reddere? fol.478.

Dvb. XV. An coniux teneatur credere alteri dicenti reperiri impedimentum dirimens, & propter tale testimonium abstinere ab vsu coniugij ? & quando tale testimonium fidem faciat? fol.475.

Dvb. XVI. An tactus turpes inter coniuges sint liciti? fol.480.

Dvb.XVII.Quomodo coniuges obligentur ad actum coniugalem? fol.482.

Dvb. XVIII. Quæ sint iustæ causæ, quibus excusetur coniux à redditione debiti? folio 485.

Dvb.XIX.An coniux teneatur reddere debitum illicitè petenti? fol.487.

Dvb. XX. An motus sensualitatis extra actum coniugalem tam in coniugatis, quàm in solutis sit peccatum? fol.487.

Dvb. XXI. An delectatio morosa de re venereâ, vel turpi sit peccatum ? & cuius speciei? fol.490.

Dvb.XXII. An quis absque peccato mortali possit actum habere velleitatis , vel desiderij,aut delectationis inefficacis sub conditione, si liceat? fol.493.

Dvb XXIII. De osculis,tactibus,turpiloquio, & aspectu,pollutione, sodomiâ,& bestialitate remissiuè? fol.495.

Dvbitatio XXIV. De adulterio. fol.495.

Dvb.XXV. De incestu. folio 497.

Dvb. XXVI. De stupro, & eius malitia. folio 499.

Dvb.XXVII. De raptu & eius malitiâ remissiuè. fol.500.

Dvb.XXVIII.De sacrilegio in materiâ luxuriæ. fol.500.

DISPVTATIO X.

De diuortio coniugum.

Dvb. I. An alter coniux ob adulterium alterius possit ab eo separari quoad vinculum ? folio 501.

Dvb. II. An adulterium sit causa sufficiens diuortij quoad thorum , & cohabitationem? fol.502.

Dvb. III. An aliquando adulterium non sufficiat ad diuortium? fol.505.

Dvb.IV.An coniux teneatur dimittere alterum coniugem adulterantem & non se corrigentem? fol.508.

Dvb. V. An liceat diuortium ob alias causas præter adulterium? fol.509.

Dvb. VI. An diuortium debeat fieri necessariò iudicis auctoritate , vel sufficiat priuata? fol.496.

Dvb. VII. An coniux adulter possit petere debitum aliquando ab innocente coniuge, eumque compellere ad cohabitationem? folio 511.

Dvb.VIII. An coniuges post celebratum diuortium possint Religionem ingredi, aut plenam castitatem vouere? fol.511.

Dvb. IX. An coniuges possint mutuo consensu diuortium facere? fol.413.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM

QVÆ IN HOC TERTIO TOMO DE SACRAMENTIS QVI EST DE MATRIMONIO,

CONTINENTVR.

Litera D. significat disputationem, litera vero N. numerum marginalem, cuius series per integram quamque disputationem durat.

A

Acceptatio
Vide verbo Sponsalia.

An & qualis acceptatio requiratur, vt promissio obliget? d.1.n.21. & seqq. & num.35. & seqq.

An acceptatio possit aliquando præcedere promissionem & quo sensu? d.1.n.32. & seqq.

Actus coniugalis.

Quæ ad hunc actum spectant, inuenies in verbo Debitum coniugale, *& verbo* Tactus.

Adamus.

An Adami matrimonium factum fuerit à Deo absque ipsius Adami & Euæ consensu? d.2.n.49.

Adoptio.

Quid sit adoptio, & quotuplex? vide verbo Impedimentum, *vbi agitur de impedimento cognationis legalis.*

Adulterium.

Circa hoc vide v. Impedimentum, *vbi agitur de impedimento criminis.*

Quid sit adulterium, & quale peccatum? d.9.num. 301. & seqq. vbi indicantur, quæ spectant ad grauitatem, & pœnas huius delicti tam communes vtriusque coniugis quàm speciales alteri siue marito, siue vxori, & de obligationibus quæ ex adulterio solent aut possunt resultare. vide etiam verbo Diuortium.

Ætas.

Quanta ætas requiratur ad sponsalia? d.1.nu.244. vide v. Sponsalia.

Quanta ætas requiratur ad matrimonium? d.1.nu. 271. & seqq.

An malitia suppleat ætatem in sponsalibus? d.1.n. 230. & seqq. vbi explicatur, quo sensu intelligi debeat quod malitia suppleat ætatem.

An malitia suppleat ætatem in matrimonio contrahendo? vbi explicatur quo sensu id intelligi debeat. d.1. n.272. & seqq.

Quando ante præscriptam ætatem dubitatur, an sit talis malitia præsumendum est non adesse? d.1.num. 273. & seqq.

Onus probandi adesse & talem malitiam incumbit asserenti adesse illam. Ibidē vbi alia circa hæc inuenies, præsertim an solus vsus rationis sine potentia generandi sufficiat in minori ætate quam lex requirit. Vide verbo sponsalia, vbi indicantur loca, in quibus agitur an ætas pro spōsalibus aut matrimonio debeat esse mathematicè completa præsertim eâdem d.1.n.246. & seqq. & n 280. & seqq.

An Episcopus (saltem aliquando) possit in ea ætate dispensare. d.1.n.289.

An sine legitima ætate contrahere matrimonium sit mortale peccatum? d.1.n.296.

Affinitas.

Quæ spectant ad impedimentum affinitatis vide verbo Impedimentum. *vbi de hac re agitur.*

Arrhæ seu
Arræ. *Vide v.* Donatio.

An in sponsalibus possint tradi arræ amittendæ ab iniustè resiliente? d.1.n.391. & seqq. vbi vocis Arrhæ *variæ significationes indicantur.*

An arræ sint soluendæ, quando auctoritate iudicis dissoluuntur sponsalia? d.1.n.395.

An arræ constitui possint & tradi in quacumque quantitate? d.1.n.396. & seqq.

An etiam possint constitui & tradi in re immobili? d.1.n.405. & seqq.

An arræ possint ab vtroque contrahente constitui? d.1.n.408. & seqq.

An quando parentes filiorum sponsalia datis arris confirmant; si filij resiliant, datas amittant, aut (si promissum fuerit) quadruplum reddere teneantur? d.1.nu. 411 & seqq.

Arrarum appositio non solum iure Ciuili, sed etiam Canonico permittitur. d.1.n 416.

Conditiones sub quibus arræ permittuntur. d.1.numer. 417.

Arrarum restitutio & insuper duplum, aut triplum an præstari debeat ab iniustè resiliente, non expectatâ sententiâ iudicis? d.1.n.418. & seqq.

Ad quem pertineant arræ? d.1. numer. 424. & seqq.

Quid sint arræ, & quo pacto acquirantur, præsertim apud Hispanos? & an dentur in præmium virginitatis, aut sine eâ possint acquiri? d. 6. numer. 374. & seqq.

An arræ possint inito matrimonio constitui validè? d. 6. n. 393. & seqq.

An arrarum quantitas indigeat insinuatione, si excedat summam, quæ, vt valeat donatio, requiritur in iure? vbi alia circa eam quantitatem præsertim pro Hispaniâ explicantur, tam pro viro, quam pro vxore arras constituente; præsertim in quota parte bonorum; & quomodo computandus sit valor bonorum &c. & an, si quantitas excedat, valeat, in quantum non excedit, etiamsi excessus non possit à re promissa separari, nisi tantùm compensando valorem? d. 6. numer. 398. & seqq.

Quid, si aliquis tertius promiserit arras à se conferendas? licebitne excedere præscriptam quantitatem, si non det de bonis ipsius sponsi? d. 6. numer. 498. & 409.

An valeat excessus, quando consanguineus donans arras vxori vult donationem illam acquiri marito, vt per maritum donetur vxori? d. 6. n. 410.

An si bonorum pars viri, quæ habebat tempore promissionis arrarum, euincatur postea etiam pro rata minuendæ sint arræ? d. 6. n. 411. & seqq.

An & quomodo æstimanda sint bona Maioratus, ne arræ excedant decimam? d. 6. num. 414. & seqq.

An antapochæ, *quas vulgo vocant* contrascripturas *non petendi quantitatem sibi promissam causa matrimonij contrahendi noceant vxori quoad arras, ita, vt quantitas illa fictè promissa computanda non sit inter bona sponsi ad æstimandam decimam bonorum ipsius? d. 6. n. 419. & seqq.*

An in conscientia valeat promissio arrarum vltra decimam & sponsalitia largitas vltra octauam? d. 6. n. 424. & seqq.

An donatio arrarum si firmetur iuramento valeat, vel saltem obliget iuramentum? d. 6. numer. 426. & seqq.

An soluto matrimonio, vxori & eius hæredibus, vel potius viro & eius hæredibus incumbat probare non fuisse, vel fuisse excessum arrarum vltra decimam? d. 6. n. 433. & seqq.

An arræ promissæ à marito habente filios prioris matrimonij, sint extrahendæ ex toto bonorum cumulo, vel solum ex eâ parte, de quâ potest liberè disponere comparatione ascendentium vel descendentium? d. 6. n. n. 448. & seqq.

An teneatur vir arras soluere integrè, si ei dos non soluatur, vel non integrè? d. 6. num. 454. & seqq.

An, & quando valeat constitutio arrarum facta per minorem? d. 6. n. 459. & seqq. vbi etiam agitatur quæstio, an si firmetur iuramento, valeat?

An valeant arræ promissæ à filiofamilias, inconsulto Patre? d. 6. n. 465. & seqq.

An mulier non transiens ad secundas nuptias possit superstitibus filiis vel ascendentibus soluto matrimonio liberè disponere de arris? d. 6. n. 472. & seqq.

An mulier secundò nubens teneatur superstitibus filiis prioris matrimonij integras arras seruare, & nullum meliorare, vel possit disponere de arris sicut de aliis bonis? d. 6. n. 477. & seqq.

B.

Baptizatorum coniugium.

An baptizatorum coniugium sit Sacramentum? vide v. Matrimonium.

Benedictiones nuptiales.

An necesse sit adhibere benedictiones nuptiales ante vsum matrimonij? d. 3. n. 330. & seqq.

C.

Cognatio spiritualis, & legalis.

De cognatione spirituali vide verbo Impedimentum *vbi agitur de impedimento cognationis spiritualis. De cognatione vero legali vide eodem verbo* Impedimentum *vbi agitur de impedimento cognationis legalis.*

Commissarius Bullæ cruciatæ.

An Commissarius possit dispensare in aliquibus impedimentis matrimonij, & quatenus? d. 8. numer. 62. & seqq.

Conditio.

Variæ conditiones solent apponi consensui, præsertim matrimoniali. d. 5. n. 1. & seqq. vide v. Matrimonium, *vbi agitur de Matrimonio conditionato, & de contractu etiam sponsalitio conditionato.*

Quanam censeatur conditio contra substantiam matrimonij? d. 5. n. 140. & seqq.

Consanguinitas.

Vide verbo Impedimentum *vbi agitur de impedimento consanguinitatis.*

Consensus.

Qualis consensus requiratur ad matrimonium? vide verbo Matrimonium.

Consensus conditionatus quid sit, vide eodem verbo Matrimonium, *vbi agitur de matrimonio conditionato, nempe. d. 5. per totam.*

Crimen.

Vide verbo Impedimentum *vbi agitur de impedimento criminis.*

Cultus disparitas.

Vide v. Impedimentum, *vbi agitur de impedimento disparitatis cultus.*

D.

Debitum coniugale. Vsus & actus coniugij & alia venerea coniugum, tum inter se, tum seorsim.

An liceat actus coniugij, ita vt nec peccatum veniale sit? d. 9. n. 2. & seqq.

Quis finis debeat apponi in actu coniugali, vt licitè fiat? d. 9. n. 6. & seqq.

Quo tempore liceat actus coniugij? d. 9. nu. 16. vbi an liceat in diebus festis, ieiunij, tempore menstrui; vel cùm iam vxor est grauida, aut cum periculo morbi, aut quando proles lactatur, & similibus occasionibus?

An liceat actus coniugij cum coniuge amente? d. 9. n. 37. & seqq.

In quo loco liceat is actus? d. 9. n. 55. & seqq. vbi an liceat in loco sacro, aut publico, & quid in hac re intelligatur nomine loci sacri?

Quo situ actus coniugalis illicitus fiat? d. 9. nu. 59. & seqq.

Quomodo se gerere debeant coniuges in exhibitione

& consummatione copulæ? d.9.n.67.& seqq. vbi variæ quæstiones tanguntur mox sigillatim indicandæ.

An necesse sit in eo actu vtrumque seminare? d.9.n. 69.& seqq.

An seni, qui dum congreditur cum vxore effundit semen extra vas, liceat maritalis copulâ? d.9.num. 76.& 77.

An sit licita copula vxori, quæ post coitum non potest semen retinere intra vas? d.9 n.78.& 79.

An peccet mortaliter femina, quæ post copulam causa effundendi seminis recepti, statim mingit, aut aliquid aliud ad id ordinatum facit? d. 9. numer.80. & 81.

An pollutio inter coniuges extra vas debitum habeat specialem malitiam in confessione explicandam? d.9.n.82.& seqq.

An actus coniugij sit illicitus ob superuenientem cognationem spiritualem? d 9.n.85. & seqq.

An actus coniugij sit illicitus quando superuenit affinitas? d.9.n.94.& seqq. circa quod varia dubitantur sigillatim indicanda.

An priuetur iure petendi, qui per metum cadentem in constantem virum cogitur ad talem copulam? d.9.n. 95.& seqq.

An coniux propter cognationem spiritualem, vel propter affinitatem ex ignorantia iuris, vel facti vel pœnæ contractam, priuetur iure petendi debitum? d.9. n.100.& seqq.

Quoto gradu consanguinitatis sufficiat, quòd sit persona consanguinea coniugis cognita ab altero coniuge, vt hic priuetur iure petendi? d.9. numer. 106. & seqq.

An actus coniugalis fiat illicitus ob superueniens votum castitatis? d.9 n.110. & seqq. vbi simul disputatur, an qui post votum contraxit matrimonium, teneatur ante consummationem ingredi Religionem, quando id necessarium est ad seruandum votum? & de eo, qui post contractum, sed non consummatum vouit castitatem videns non esse aliud medium seruandi nisi in Religione? Item ad quid teneatur si castitatem vouit post consummationem, aut, si semel consummauit peccando contra votum?

An qui vouit suscipere sacros Ordines; valide, licèt illicitè contrahat matrimonium sine animo ingrediendi Religionem ante consummationem, & tunc peccet petendo debitum & reddendo? d.9. numer.115. & 116.

An qui habens votum ingrediendi Religionem, contrahit matrimonium, peccet saltem in primo actu coniugij consummante matrimonium, & quid posteà? d.9. n.117.& 118.

An qui vouit non inire matrimonium, si ineat peccet, & an post initum sit illi illicitus actus coniugij saltem primus, quo consummat matrimonium? d.9. numer.119.

An dubium de valore matrimonij reddat illicitum actum coniugij, quando tantùm alter coniux dubitat? d.9.numer.121.& seqq. vbi varij casus & circumstantiæ tanguntur, in quibus de hoc potest dubitari: vt quando sub oritur tantum scrupulus; aut verè est dubium, malâ vel bonâ fide contracto matrimonio.

An, qui bona fide contraxerunt & posteà ambo dubitant, possint sibi mutuo reddere & petere? d.9. num. 156.& seqq.

An, quando alter, vel vterque contraxit dubius de morte prioris coniugis, possit reddere aut petere? d.9. n.164.& seqq.

An coniuges qui bona fide contraxerunt, & posteà incipiunt opinari matrimonium esse inualidum possint petere & reddere? d.9 n.169. & seqq,

An coniux teneatur credere alteri dicenti reperiri impedimentum dirimens, & propter tale testimonium abstinere ab vsu coniugij? & quando tale testimonium fidem faciat? d.9.n.176.& seqq.

An tactus inter coniuges, etiam in partibus pudendis sint liciti? d.9.num.182. & seqq. vbi de iis tactibus disputatur an liceant in absentiâ coniugis tactus propriæ personæ?

Quomodo coniuges obligentur ad actum coniugalem? d.9.num.194.& seqq. vbi agitur de obligatione reddendi, siue tacitè, siue interpretatiuè petenti; & quando censeatur petere tanquam debitum, & quando interpretatiuè: Item an ea obligatio sit sub mortali? & an, & quando semel aut iterum aut rarò negare sit vel non sit mortale?

An obligatio reddendi debitum adstringat coniugatos ad cohabitandum? d.9. numer.206. & seqq. vbi etiam agitur de longa & diuturna peregrinatione an liceat?

An licitum sit coniugi vouere abstinentias, vigilias, preces, afflictationes carnis &c. quæ obstent debito coniugali moderatè reddendo? ibidem.

An maritus sæpe se polluendo, vel accedendo ad alias feminas ideoque se impotentem reddendo, peccet etiam contra obligationem reddendi debitum? d.9. nu. 209.& seqq.

An vt vxor ametur à marito & excuset dissensiones, possit ieiunia etiam quæ sunt in præcepto Ecclesiæ omittere? & hoc ipsum possit maritus, vt possit reddere debitum? vbi varia circa hoc tanguntur. d.9.numer. 210.& seqq.

An coniux teneatur peddere debitum illicitè petenti? d.9.n.238.& seqq.

An motus sensualitatis extra actum & vsum coniugalem tam in coniugatis, quàm in solutis sit peccatum? d.9.n.245.

An coniux peccet mortaliter, si in absentia alterius delectetur de actu coniugij præterito, vel futuro? d.9. n.273.& seq.

Deceptio *vide verbo* Dolus.

Delectatio morosa vel venerea, vel alterius obiecti.

An delectatio morosa de re venerea, vel turpi sit peccatum; & cuius speciei? d.9.n 260.& seqq.

An si vidua delectetur de actu coniugij præterito, vel soluta de futuro, peccent mortaliter? d.9.numer. 275. & seqq.

An delectatio morosa sit eiusdem speciei cum opere externo? d.9.n.279.& seqq.

An quis absque mortali possit habere actum velleitatis, vel desiderij, aut delectationis inefficacis sub conditione si liceret? d.9.n.288.& seqq.

Denuntiationes ante matrimonium.

Vide in hac re verbo Matrimonium *vbi agitur de matrimonio clandestino.*

Disparitas cultus.

Vide in verbo Impedimentum *vbi agitur de impedimento disparitatis cultus.*

Dispensatio.

Dispensare in impedimentis.

Dispensatio solet aliquando conferri ad aliquid licitè aut validè faciendum etiamsi probabile sit non requiri, quia sunt variæ sententiæ, & tunc seruit ad tollendos scrupulos. d. 2.n.216.

An Papa posſit dispensare in impedimentis matrimonij? d.8 num.2. & seqq. vbi explicatur quid sit ea dispensatio?

Discrimen notandum inter dispensationem in voto & dispensationem in lege. Item inter dispensationem in voto aut lege, & interpretationem voti aut legis. ibidem.

Dispensandi facultas latè ipsa verò, dispensatio strictè interpretanda putatur communiter, an & qua ratione id verum sit? & an saltem dispensatio in fauorem matrimonij latè interpretanda sit, nisi aliquid obstet? d.8.n.4.

In impedimentis tantùm impedientibus, si fortè adhuc durent, & sint tantum iuris Ecclesiastici, Pontifex potest dispensare. d.8.n.5.

An & qua ratione possit dispensare in impedimento voti Papa, ita vt vota non obstante liceat matrimonium? d.8.n.6.

An Papa ex iusta causa posſit dispensare in sponsalibus initis cum vnâ vt liceat ducere aliam, & an hoc habeat extraordinaria, vel ordinaria potestate? d.8. num.7.

An Papa posſit dispensare in impedimentis solo Ecclesiastico iure dirimentibus, & quid de dirimentibus iure naturali? d.8.n.8.

An Pontifex dispensando in impedimentis matrimonij irritè contracti, posſit ea dispensatione attingere siue directè, siue indirectè effectus etiam seculares per legitimationem prolis anteà susceptæ? d.8.n.9. & seqq. vbi id quæritur de impedimentis dirimentibus tùm Ecclesiastico, cùm naturali iure, & iuxta affirmantem sententiam multa pro praxi colliguntur circa filiorum ex tali dispensatione legitimationem.

Quando censeatur Pontifex in radice matrimonij dispensare, vt deleat illegitimitatem prolis? d.8.nu.38. & seqq.

An Episcopus posſit dispensare in impedimentis? d.8. num.52. & seqq. vbi an etiam præsente legato à latere?

An commissarius Bullæ Cruciatæ in terris, vbi ea viget, posſit dispensare in aliquibus impedimentis etiam præsente Legato, imò etiam præsente Papa? d.8.nu.62. & seqq

An bona fides requiratur in contrahentibus cum impedimento vt aliquando posſit Episcopus dispensare? d.8.n.65. & seqq.

Quomodo se debeat gerere Confessarius deprehendens impedimentum aliquod matrimonij? quando vult quærere modum dispensandi in foro conscientiæ? d.8. n.69. & seqq. vbi quædam pro praxi vtilia traduntur & explicantur.

Quodnam censeatur delictum occultum, in quo Episcopus aut alij habent facultatem dispensandi? d.8. n.76. & seqq.

Quid posſit vel non posſit Episcopus circa dispensationem in impedimentis tantum impedientibus? an scilicet in reliquis præter votum castitatis perfectæ, & Religionis posſit dispensare, vt quis licitè posſit matrimonium inire? d.8.nu 77. & seqq. vbi in particulari disputatur de impedimento sponsalium, an posſit in illo dispensare?

Quæ sint iustæ causæ dispensandi in impedimentis matrimonij? d.8.num.83. & seqq. vbi assignantur tres communissimæ causæ, & disputatur quàm graues esse debeant causæ dispensandi licitè, & validè; aliæq; deinde causæ particulares indicantur.

Quando debeant subsistere causæ dispensationis? d.8.num.101. & seqq.

An dispensatio in cuius supplicatione vel falsum exprimitur vel subticetur verum, sit nulla? d.8.n.104. & seqq. vbi agitur de causis motiuis finalibus, principalibus impulsiuis ad concedendum vel negandum quod petitur, & doctrina variis rebus & casibus applicatur.

Quid, si sit dubium, attentis circumstantijs, an causa in dispensatione tacita, vel falsò expressa sit finalis, & principalis, vel solum impulsiua, & minùs principalis? d.8.num 113. & seqq. Applicaturq; doctrina pro casu quo dubitetur de veritate narratorum in precibus, & an causa tacita vel falsò inter alias veras expressa sit finalis? d.8.n 116. & seqq.

Quid, si taceatur verum, aut exprimatur falsum, quod pertineat tantum ad causam impulsiuam; & quod tacetur, nec iure nec stylo curiæ præcipitur exprimi? d.8.n.120. & seqq.

An taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos, aut affines irritet dispensationem inter sic impeditos? d.8.n.126. & seqq.

An si sint plura impedimenta, requiratur in petitione dispensationis ad eius valorem omnium eorum expressio? d.8.nu.138. vbi id quæritur de impedimentis connexis, aut non connexis, & an in vna & eadem petitione debeant exprimi? & quid, si post dispensationem vnius contrahatur aliud?

Quomodò explicandi sint gradus cognationis in petenda dispensatione, vt valeat? d.8.n.150. & seqq.

Quomodò cesset, aut expiret potestas data dispensandi in matrimonio? d.8.n.155. & seqq. vbi remissiuè tanguntur alia, quæ pertinent ad dispensationem.

Diuortium.

An liceat diuortium quoad vinculum? vel an licuerit aliquando? d.10.n.1. & seqq.

An adulterium sit causa sufficiens diuortij quoad torum, & cohabitationem? & quale peccatum requiratur, vt sufficiat? d.10 n.7. & seqq.

An saltem aliquando non sufficiat adulterium ad diuortium? vbi varij casus exponuntur. d.10. num.25. & seqq.

An coniux teneatur dimittere alterum coniugem adulterantem, & non se corrigentem? d.10.num.49. & seqq.

An liceat diuortium ob alias causas præter adulterium? d.10.n.59. vbi variæ causæ enumerantur.

An diuortium debeat necessario fieri Iudicis auctoritate, vel sufficiat priuatâ? d.10.n.71. & seqq.

An coniux adulter posſit petere debitum aliquando ab innocente coniuge eumq; compellere ad cohabitationem? d.10 n.77.

An post celebratum diuortium posſint coniuges Religionem ingredi aut plenam castitatem vouere? d.10. n.85. & seqq.

An coniuges posſint mutuo consensu diuortium facere? d.10.n.92. & seqq.

Dolus.

In quo differat dolus ab errore, & ignorantiâ? d.1. num.322.

An valida sint sponsalia per dolum celebrata. d.1. n.322. & seqq.

Quid sit dolus dans causam contractui; & dolus incidens in contractũ? ibid. vbi alia de dolo partim explicãtur, partim remissiuè tãgũtur. d.1.n.323. & seq.

An deceptus posſit propria auctoritate resilire à cõtractu sponsalitio per dolum celebrato? d.1.n.336.

An decipiens qui intulit dolum, posſit cogi seruare contractum? d.1.n.337. & seqq.

Donatio inter virum & vxorem, & ſponſalitia largitas.

Quid & quotuplex ſit donatio inter coniuges?d.6. n.2.& 3.vbi explicatur quo ſenſu Arræ *nomen ſolet vſurpari.*

An donatio inter virum & vxorem valida ſit? d. 6 numer.4. & ſeqq.vbi explicatur quo ſenſu dicatur non valere,& quem effectum habeat, & qua ratione morte donantis, ſi non reuocetur, firma ſubſiſtat.

Quid ſi donatio fiat ante contractum matrimonij ſed effectu eius donationis differatur ad tempus iam contracti matrimonij?d.6.n.8. vbi etiam explicatur an valeat, ſi fiat ante nuptias eodem die nuptiarum?

Quid ſi fiat per interpoſitas perſonas, aut ſi vir,& vxor non ſimul habitent?d 6.n.9.& 10.

An valeat ſaltem donatio inter eos,qui aliquo modo coniuges contingunt per patriam poteſtatem? d.6. numer.11.

An ſuppoſito quod donationes inter illos non valeant, cæteri etiam contractus cenſendi ſint inualidi? d.6.n.12.& 13.

Quid ſi in venditione & emptione pretium non æquiualeat?ibidem.Vbi de fructu rei ſic venditæ diſputatur ad quem pertineat coniugum

An valeat legatum inter virum & vxorem? d.6. numer.14.

An inter coniuges non veros ſed putatitios valeat donatio?d.6.n.15.& ſeqq.

An ſint aliqui caſus, in quibus valeat donatio inter virum & vxorem? d. 6. numer.24. & ſeqq.vbi exponuntur vndecim caſus, in quibus ea donatio poſſet valere.

An maritus inſtitutus hæres poſsit validè repudiare hæreditatem,vt ſuccedat vxori?d 6.n.42.

An à teſtatore rogatus reſtituere vxori hæreditatem,poſsit integram hæreditatem ſine deductione Trebellianicæ reſtituere?d.6.n.43.

An valeat legatum, ſiue hæreditas,ſi maritus roget ſibi legantem aut hæreditatem relinquentem,vt potius leget aut relinquat vxori?d.6.n.44.

An valeat donatio, ſi coniux coniugi rem alienam donet ad eum effectum, vt recipiens poſsit vſucaperer d.6 n.45.

An valeat donatio,ſi vir prodigus donet vxori bona alioquin prodigè conſumenda?d.6.n 46.

An ſi vir donet alicui rem vxoris permittente illâ, vel è contra,valeat donatio?d 6.n.47.

An valeat donatio,ſi coniux coniugi donet fructus ex prædio percipiendos?d.6.n 48.& 49.

An ſicut valet repudiatio hæreditatis vel legati facta ab vno coniuge vt ſuccedat alter coniux ita etiam valeat repudiatio hæreditatis in fauorem eiuſdem? d.6. n.50.& ſeqq.

An vnus coniux in fauorem alterius poſsit ſubſiſtente matrimonio, renuntiare medietati lucrorum ſibi competenti?d.6.n.54.& ſeqq.

An valeat remuneratoria donatio inter coniuges? d.6.n.74 & ſeqq vbi à n.83.declaratur, quæ ſint obſequia non debita v.g. ab vxore erga virum vt digna ſint donatione remuneratoriâ?

An valeat donatio,quâ coniux alteri dotem dicit? Aliqui caſus enumerantur,in quibus valet. d.6.num. 87.& ſeqq.

An dos conſtituta vxori per virum minuat legitimam debitam hæredibus viri?d.6.numer.108.& ſeqq.

An cenſeatur donatio,& valida, ſi vir fateatur ſe recepiſſe dotem, aut maiorem ſummam, cùm tamen recepiſſe non conſtet?d 6.n.114.& ſeqq.

An valeat inter coniuges donatio cauſa mortis?d.6. num.130.

An donatio inualida inter coniuges firmetur iuramento?d.6.n.137.& ſeqq.

Quid ſi firmetur Homagio *quod ſolet appellari Hiſpanicè* Pleyto omenaje ? *d.6. numer.145.& 146.*

An donatio præſumpta conſurgens ex receptæ dotis confeſsione firmetur iuramento? d. 6. numer. 147. & ſeqq.

An firmetur iuramento donatio inter coniuges facta contra prius iuramentum non donandi?d.6.num. 150.& ſeqq.

An donatio inter coniuges confirmetur morte corporali donantis?d.6.n.160.& ſeqq.

An vt donatio inter coniuges confirmetur,requiratur perſeuerantia donantis in ea voluntate vſque ad mortem,ita, vt nec tacitè nec expreſsè reuocauerit?d. 6.n.181.& ſeqq.

Quando cenſeatur ſaltem tacita renocatio? d.6. n.183 & ſeqq.vbi indicantur & examinantur varij caſus,& ſigna reuocationis tacitæ.

An prædicta donatio morte confirmata retrotrahatur vſque ad tempus donationis ? d. 6.numero 200.

An donatio inter coniuges inualida confirmetur morte ciuili donatoris?d.6.num.211.vbi id diſputatur de præcipuis tribus generibus mortis ciuilis, quæ ſunt exilium,ſeruitus & Religioſus ſtatus.

De donatione quæ dicitur ſponſalitia largitas *vide verbo* Arrha *vbi etiam agitur de tali donatione quæ arrha appellatur,& de variis illius vocis vſurpationibus.*

Donatio remuneratoria & liberalis.

An donatio remuneratoria extrahenda ſit de toto cumulo bonorum,perinde atque æs alienum vel de ſolâ eâ parte,de qua quis poteſt liberè diſponere? d.6.num. 436.& ſeqq.

An donationes,quæ minutatim ſolent à parentibus fieri, dum ſuperſtites ſunt computandæ ſint in bonorum parte,de qua poſſunt liberè diſponere?d.6.numer.446. & 447. quod tam de remuneratoribus,quam de liberalibus minutis quæritur.

E.

Eleemoſyna.

An eleemoſynæ quæ minutatim ſolent à parentibus fieri,dum ſuperſtites ſunt, computandæ ſint in ea bonorum parte,de quâ poſſunt liberè diſponere? d.6.nu. 446.& 447.

Epiſcopus.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare in impedimentis matrimonij?d.8.n.52.& ſeqq vbi agitur de caſu neceſsitatis vrgentis.

An hoc ipſum poſsit præſente legato Pontificis?d 8. n.59.& ſeqq.

Error.

Vide v. Impedimentum *vbi agitur de* Impedimento erroris in matrimonio.

Eunuchus.

Vide v. Impedimentum *vbi agitur de* Impedimento impotentiæ.

F.

Filius Filia.

An filij teneantur consentire in sponsalia contracta pro se à parentibus? d 1.n 304.

An & quatenus filij possint exhæredari à parentibus, si clandestinè contrahant matrimonium? d.3.nu. 183.& seqq.

An filius teneatur contrahere matrimonium quod Pater promisit? d.4.n.157.

An filij possint Parentibus inuitis licitè inire matrimonium quòd volunt ? d. 4. numer. 167. & seqq.

An iudex possit interdicere matrimonium filiisfamilias quando periculum est grauis scandali? d.4. numer.177.

An filia inuitis parentibus nubens clandestinè possit ab eisdem exhæredari? d. 4.n.182.vbi idem de filio disputatur, & distinguitur inter dignum & indignum matrimonium.

Quodnam censeatur dignum vel indignum matrimonium quod filius, vel filia inuitis parentibus init? d. 4.n.201.

An quando dubitatur de valore matrimonij & dubium pelli non potest proles inde orta censenda sit filius vel filia legitima? idemque quæritur quando dubitatur an proles sit naturalis? d.5.n.99.& seqq.

An filius, vel filiafamilias possit arrhas promittere inconsulto Patre? d.6.n.465.& seqq. idem etiam quæritur de sponsalitia largitate.

Filius non legitimus, an & quatenus possit à Pontifice legitimari directè aut indirectè per dispensationem in matrimonij radice? vide verbo Dispensatio *vbi agitur etiam de potestate efficiendi, vt filius non naturalis sit naturalis.*

G.

Gradus.

Gradus consanguinitatis. *Vide v.* Impedimentum *vbi agitur de* Impedimento consanguinitatis.

Gradus affinitatis & cognationis. ibidem.

H.

Hermaphroditus.

Vide pro Hermaphrodito. v. Impedimentum *vbi agitur de* Impedimento impotentiæ.

I.

Ignorantia.

An ignorantia legis inhabilitantis. v.g. legis prohibentis, & inhabilitantis ad matrimonium contrahendum clandestinè, excuset ab inhabilitate? d 3. num.30. & seqq.

Impedimentum.

Generalia de impedimentis in vniuersum.

Impedimenta quibus impediuntur sponsalia nondum facta, ne validè fiant; vel vt facta dissoluantur. d.1.n.431.& seqq.

Impedimenti duplex genus alterum prohibens tantum; alterum simul dirimens seu irritans d.7. numer.1.

An & in quo sit potestas inducendi impedimenta matrimonij? d.7.n.2. & seqq. vbi agitur de potestate ad id non solum Papæ & concilij generalis; sed aliorum Principum tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum, an, & quatenus in iis sit potestas inducendi impedimenta?

An & quale peccatum sit matrimonium cum impedimento dirimente scienter contrahere & consummare? & an metus excuset, saltem in casu impedimenti non dirimentis? d.7.n 32.& seqq.

Quot sint impedimenta dirimentia matrimonij d.7.n 52.& 53.

Impedimentum erroris.

Quotuplex sit error in hac re? & an error personæ iure naturali dirimat matrimonium? d.7.numer 54. & seqq.

An error qualitatis personæ dirimat matrimonium contrahendum d.7.n.58.& seqq. vbi varij casus resoluuntur, & datur regula dignoscendi quando error qualitatis transeat in errorem personæ, præsertim à nu. 69.& deinceps.

An & quâ ratione error conditionis seruilis dirimat matrimonium? d.7.n.77 & seqq.

An matrimonium liberi cum ancilla valeat, si error vel ignorantia seruitutis sit nimis crassa? d.7.numer. 84.& seqq.

An quicumque error conditionis seruilis irritet matrimonium, quamuis sit æqualis aut dignioris conditionis altera persona? d.7.n.89.& seqq.

Impedimentum seruitutis.

An conditio seruitutis dirimat matrimonium? & an seruus sciente, & non contradicente Domino, contrahens cum libera seruitutis ignara matrimonium consequatur libertatem? d.7.n.93 & seqq.

An quando mancipium contrahens cum libero seruitutis ignaro libertatem consequitur, matrimonium validè fiat? d.7.n.103 & seqq.

An valeat matrimonium liberi cum ancilla, quam ignorat esse talem, si illa iam donata sit libertate & tunc pro aliquo tempore? d.7.n.113.& seqq.

An matrimonium factum à libero ignorante conditionem seruilem, fiat validum per copulam habitam cognita iam seruitute? d.7.n.116.& 117.

An mancipium contrahens matrimonium cum Domino, aut domina eo ipso consequatur libertatem? d.7. n.118.& seqq.

An possit mancipium contrahere inuito Domino cum libera, vel serua? d.7 n.124. & seqq.

An mancipium teneatur potius satisfacere Domino, quam coniugi? & an Dominus possit mancipium procul mittere, & separare? d.7. numer.128. & seqq.

An seruitus possit superuenire matrimonio, altero coniuge se vendente, & an Domino tunc liceat seruum separare? d.7.n.154.& seqq.

Impedimenta voti, & Ordinis sacri.

An, & quomodò votum solemne castitatis dirimat matrimonium? d.7.n.159 & seqq.

An, & quâ ratione Ordo sacer dirimat matrimonium contrahendum? d.7.n.166.& seqq.

An Ordo sacer ante vsum rationis susceptus, aut ante pubertatem dirimat matrimonium? vbi etiam remissiuè tangitur eadem difficultas de ordinato per metum, aut ignoranter. d.7.n.176.& seqq.

Impedimentum consanguinitatis.

Quid sit consanguinitas, & quomodo eius gradus, & lineæ computentur? d. 7. numer. 182. & seqq.

An consanguinitas dirimat matrimonium iure aliquo positiuo diuino, aut Ecclesiastico? & an saltem in primo gradu dirimat iure naturali? d.7. num.195. & seqq.

An consanguinitas in cæteris gradibus rectæ lineæ dirimat

dirimat matrimonium iure naturali? disp.7.numer. 210.& seqq.

Impedimentum cognationis spiritualis.

Quid & quotuplex sit cognatio spiritualis?d.7.numer.227.

A quo possit contrahi cognatio spiritualis?d.7.num. 236.& seqq.

An non confirmatus suscipiens in Baptismo, vel confirmatione alium, exercendo munus Patrini, contrahat hanc cognationem? disputat.7.numer.251. & seqq.

Quis actus requiratur in Patrinis ad contrahendam cognationem spiritualem? varia quæsita circa hoc resoluuntur. disputation.7. numer.256. & seqq.

An si plures, quàm vnus & vna suscipiant baptizatum,omnes contrahant cognationem spiritualem?d. 7.n.272.& seqq.

Ad quem spectet designatio Patrini? & an sit mortale adhibere plures Patrinos, quam ius permittit? ibidem præsertim numer.274. & 275. & seqq.

An liceat Episcopo dispensare vt duo viri vel duæ feminæ simul suscipiant infantem in Baptismo? d.7. numer.276.

An si nulli Patrini designentur, omnes tangentes contrahant hanc cognationem, siue viri,siue feminæ? disp.7.numer.277.& seqq.vbi etiam agitur de casu,quo plures permittuntur tangere, & simul tangunt. Item de casu quo Parochus vltra designatos à Parentibus plures admisit. Item, an si non sit alius qui designet, Parochus ipse possit designare?Idem suo modo deciditur pro confirmatione?

An qui mittit procuratorem & substitutum,vt nomine ipsius exerceat munus Patrini, contrahat cognationem?d.7.n.293.& seqq.

An possit communitas aliqua.v.g.ciuitas, seu vniuersitas per procuratorem, seu syndicum ad id specialiter potestatem habentem suscipere infantem?d.7.nu. 298.& seqq.

An procurator, qui nomine alterius tenet, contrahat cognationem? & quid, si de quid designauit, iam reuocauit commissionem? disputat.7. numer 300. & 301.

An in Baptismo non solemni, sed priuatim facto contrahatur cognatio spiritualis in Patrino & baptizante?d.7.n.302 & seqq.

Quid, si id fiat in necessitate? contrahetne tunc baptizans proprium filium,quem genuit ex concubina, cognationem etiam cum matre,ita, vt postea non possit illam ducere?ibidem.

Impedimentum cognationis legalis.

Quid & quotuplex sit cognatio legalis? disputation. 7. numer. 306. & seqq. vbi explicatur quid & quotuplex sit adoptio,vnde cognatio legalis pendet.

An cognatio legalis dirimat matrimonium, & quæ conditiones requirantur ad adoptionem. disput.7. numer. 308. & seqq. vbi disputatur an hoc impedimentum oriatur ex adoptione imperfecta? & quæ conditiones requirantur, vt quis possit legitimè adoptare, & adoptari?

An cognatio legalis secundum omnes suas species dirimat matrimonium? disputation.7.numer.323. & seqq.

Ad quotum gradum se extendat,& ad quantũ tempus duret cognatio legalis potens matrimonium dirimere?d.7.n.333.& seqq.

Quid sit affinitas, & quid ad eam contrahendam requiratur?d.7.n.348.& seqq. Impedimentum affinitatis.

Assignatur regula ad dignoscendos,& distinguendos gradus affinitatis.d.7.n.351.

Qualis requiratur copula vt sufficiat ad inducendam affinitatem?d.7.n.152.& seqq.

An affinitas, quæ oritur ex prædicta copula in linea recta,oriatur iure naturali? disput.7. numer.363. & seqq.

An lineæ transuersæ affinitas dirimat matrimonium iure naturali? disputation. 7.numer.372. & seqq.

An primus gradus affinitatis in linea rectâ dirimat matrimonium iure naturæ?disputat.7. num.379. & seqq.

An affinitas dirimat matrimonium iure aliquo positiuo, & ad quotum gradum?disputat.7. num.387. & seqq.

An ex sponsalibus oriatur impedimentum publicæ honestatis seu iustitiæ publicæ? & quid sit ea publica honestas?d.7.n.396.& seqq. Impedimentum publicæ honestatis,seu iustitiæ publicæ.

An sponsalia nulla defectu consensus,& tantum ob retenus celebrata inducant impedimentum publicæ honestatis?d.7.n.400.& seqq.

An impedimentum prædictum, ortum ex sponsalibus validis,cesset iis dissolutis mutuo consensu?d.7.nu. 404.& seqq.

An impedimentum publicæ honestatis ita possit aliquando concurrere cum impedimento affinitatis, vt inualidum reddatur matrimonium contrahendum cum propriâ sponsâ, aut cum illâ, cum qua habita fuit copula?disput.7.num.408.& seqq.Vbi alia pro praxi vtilia colliguntur ex data doctrina.

An impedimentum publicæ honestatis oriatur ex matrimonio rato?d.7.n.412.& seqq.vbi explicatur ad quotum gradum impedimentum inde ortum se extendat?

An etiam oriatur ex matrimonio inualido?disp.7. num.414.

An sponsalia aut matrimonium contractum à parentibus pro filiis inducant impedimentum publicæ honestatis?d.7.n.423.

An oriatur idem impedimentum ex matrimonio rato conditionato?d.7.n.424.

An & quando oriatur ex matrimonio impuberum?disputation.7.numer.425. vbi disputatur,an tunc oriatur ex matrimonio, an potiùs ex sponsalibus, quæ ex dispositione iuris in eo matrimonio inualido inuolui censentur.

Quid & quotuplex sit in hac re impotentia, & an debeat esse perpetua? disputation. 7. numer. 426.& seqq. vbi explicatur, quo sensu censeri debeat perpetua. Impedimentum impotentiæ.

An,si quis impotens post contractum fiat potens,valuerit contractus?d.7.n.435.

An impotentia naturalis coëundi, seu penetrandi vas dirimat matrimonium contrahendum? d.7. num. 436.& seqq.

An impotentia naturalis coëundi perpetua dirimat matrimonium in ordine ad castè viuendum?d.7.num. 444.& seqq.

Quo iure impotentia perpetua dirimat matrimonium?d.7.456.& seqq.

An impotentia superueniens matrimonio illud dirimat, illiusque vsum impediat? disputation. 7. numer.463.

An impotentia naturalis ad seminandum dirimat matrimonium, etiamsi adsit potentia ad penetrandum? vbi etiam agitur de Eunuchis & de senibus & infirmis. d.7.n.471.& seqq.

An licèt non totum sed aliqua pars seminis prolifici intra vas posit mitti, censeatur idonea potentia ad matrimonium? d.7 n.478.

An si femina seminare nequeat, valeat matrimonium, dummodò capax sit seminis virilis recipiendi? d.7.num.479.

An impotentia respectiua dirimat matrimonium contrahendum? disputation.7. numer.482. & seqq. ibique disputatur an sit aliquando, aut esse posit respectiua impotentia, & quænam talis perpetua censeatur, & vnde dignosci posit? Item quid sentiendum de femina quæ prius quidem erat inepta vni viro, cum quo contraxerat, postea verò per vsum alterius viri, cui nupserat facta fuit apta priori? & an tunc præsumat ius fuisse aptam priori? Quid etiam censendum in casu dubij?

An coniux naturaliter impotens, cui licitè absque periculo vitæ potest humano remedio subueniri, teneatur id pati, si alter coniux exigat? d.7.num.502. & seqq.

An licitum sit & integrum viro impotenti quidem ad virginem; sed potenti ad corruptam, propria auctoritate instrumento aliquo ligneo aut ferreo, vel simili ad id accommodato; vel saltem digitis, claustra virginis à se ductæ reserare, vt sic possit consummare matrimonium? disput.7. numer.512. & seqq.

An impotentia proueniens ex maleficio, dirimat matrimonium subsequens? disputat.7. num.515. & seqq.

An liceat à malefico parato ad soluendum maleficium maleficiis id petere? d.7.n.531.

An saltem liceat quando potest tum licito, tum illicito medio soluere maleficium, petere vt soluat, etiamsi credatur nequitia sua soluturus per medium illicitum? d.7.n.537. & seqq.

An Hermaphroditus posit matrimonium inire? & agitur de illo in quo vnus tantum sexus prævalet, an posit etiam secundum alterum sexum, si secundum illum sit capax copulæ coniugalis. Item an, si vterque sexus æqualis sit, & capax posit, vel etiam teneatur eligere quem velit? Item an secluso iure positiuo & iuramento sequendi electum tantùm sexum; si cum altero simili Hermaphrodito contraheret, posset iure naturæ ad vtriusque sexus vsum contrahere. Item, ad quem pertineat iudicare vter sexus prævaleat; & quid in casu dubij sit agendum. Item obiter disputatur de professione Religiosa, & ordine sacro talis Androgyni an valeant? d.7.n.548. & seqq.

Quantum temporis requiratur ad experiendam potentiam, vt ob defectum illius perpetuum declaretur matrimonium esse nullum? d.7.num.562. & seqq. vbi etiam agitur de puncto, à quo tempus experiendi sit computandum, & quibus mediis & viis inquirendum sit de impotentia vt constet? & ea occasione agitur de triennio requisito in iure.

Quid faciendum, quando Ecclesia iudicauit matrimonium nullum, & postea deprehensus est error iudicij, sed iam vir professus erat in Religione, vel sacros Ordines susceperat? disputat.7. numer. 584. & seqq.

An impotentia temporalis ex defectu ætatis dirimat matrimonium, vel potiùs ipse ætatis defectus? d.7. num. 393. & seqq.

An triennium experientiæ pro explorandâ potentiâ debeat esse continuum, vel saltem debeat suppleri, si quid fuerit intermissum. disputat.7.numer. 596. & seqq.

An machinatio mortis coniugis dirimat matrimonium postea cum altero contrahendum? disputat.7. numer.603. & seqq. vbi varij casus tanguntur in quibus machinatio mortis vel non fuit ex promissione, aut intentione noui matrimonij, vel non fuit communicato consilio; vel non fuit manifestata intentio; vel non fuit intentio determinati matrimonij, sed vagè, vel fuit non interueniente adulterio; prædicta omnia decidantur. Impedimentum criminis varia crimina. 1. crimen Machinatio mortis.

An adulterium absque mortis machinatione matrimonium dirimat inter adulteros? disputation.7. numer.623. & seqq. vbi agitur de casu, quo interueniat vel promissio matrimonij vel attentatio talis contractus, siue ante, siue post adulterium; siue cum iuramento siue absque illo, & adulterium debeat esse notum vtrique adultero, aut sufficiat quòd quisque norit proprium coniugium, licèt ignoret coniugium alterius? Item an sufficiat quod matrimonium ineatur, seu attentetur de facto; etiamsi tunc sit ignorantia prædicta coniugij; posteà verò, positâ scientiâ, habeatur copula? Item, an sufficiat promissio futuri matrimonij cum ignorantiâ coniugij, si posteà habitâ notitiâ, adulterium sequatur, nondum dissolutâ priore fide. 2. crimen Adulterium.

Qualis ignorantia coniugij excuset ab eo impedimento? An sola probabilis, vel etiam alia? d.7.numer. 631. & seqq.

An adulterium debeat esse consummatum, vt inducat hoc impedimentum, ita, vt non sufficiant tactus, nec etiam penetratio vasis absque seminis intromissione? d. 7.numer.633.

An sufficiat matrimonium clandestinum attentatum, vt inducatur hoc impedimentum? disputat.7.numer.634. & 635.

Qualis debeat esse promissio vt cum cæteris requisitis sufficiat ad tale impedimentum? An scilicèt sufficienter expressa; & non ficta, sed ex animo? & an debeat esse mutua? atque etiam absoluta? vbi varij casus circa hoc resoluantur. disputat.7.numer.636. & seqq.

Prædictorum omnium quasi anacephaleosis, aut synopsis breuiter proponitur. disputat.7.numer. 650. vsque ad 655.

An raptus dirimat matrimonium, & quid requiratur ad raptum, eiusque pœnas incurrendas? disput.7. num.656. & seqq. 3. crimen Raptus.

An non solùm sit raptus propriè rapere feminam nolentem; sed etiam rapere virum ad matrimonium? d.7.n.671. & 672.

An raptus propriæ sponsæ, ipsâ inuitâ, dirimat matrimonium? d.7.n.673. & 674.

Enumerantur aliquæ pœnæ raptus. d.7.num.675. & seqq. vbi in particulari agitur de quibusdam an ipso facto incurrendæ ante sententiam iudicis vel solum post iudicis sententiam.

Quid sit ille raptus, qui numerari solet inter species luxuriæ. & an explicari debeat in confessione? d.7. nu. 685. & seqq.

Quo iure disparitas cultus inducat impedimentum Impedimentum disparitatis cultus.

tum dirimens matrimonium ? disputation. 7. numer. 690. & seqq.

An matrimonium personæ baptizatæ fidelis cum baptizata infideli, sit nullum aut illicitum? disputat. 7. n. 702. & seqq.

Impedimentum quod appellatur vis. *De impedimento quod appellatur* vis *vide verbo* Matrimonium: *vbi sermo est de matrimonio coacto nempe disp. 4.*

Impedimentum ligaminis. *Pro impedimento ligaminis plura inuenies verbo* Matrimonium: *vbi agitur de libello repudij, id est disputation. 2. à numer. 514. & seqq. vsque ad 552.*

An & quanta debeat esse certitudo de morte coniugis, vt superstes possit cum alio contrahere? d. 7. num. 709. & seqq.

Quid debeat facere quæ prudenter credidit priorem maritum esse mortuum, & nupsit bona fide alteri; postea vero deprehendit superstitem esse priorem? & quid si dubitet iam de morte illius? disput. 7. num. 718. & 719.

Impedimentum defectus Parochi & testium. *De hoc impedimento defectus Parochi & testium, quod est esse matrimonium clandestinum, vide verbo* Matrimonium. *Vbi sermo est de matrimonio clandestino, id est à disputation. 3. per totam.*

Impedimenta tantum impedientia. *Quæ & quot sint tantum impedientia, non verò irritantia impedimenta? eaque sigillatim explicantur. d. 7. num. 720.*

Impotentia.

Vide verbo Impedimentum *vbi agitur de impedimento impotentiæ.*

Incestus.

Quid sit incestus? cum quibus personis cõmittatur? Quale peccatum sit? An omnes incestus sint eiusdem speciei? d. 9. n. 327. & seqq.

Intentio.

Intentio deliberata triplex nempè actualis, virtualis, habitualis. *d. 1. n. 43. & 48.*

Iudex.

An Iudex possit interdicere matrimonium quando timetur inde scandalum ? disputation. 1. numer. 161.

L.

Lex.

Notandum pro praxi valde magnum discrimen inter hoc, quod est legem aut rationem legis in aliquo casu cessare : & hoc quod est legem aut rationem legis non se extendere ad aliquem casum. disp. 2. numer. 115.

Lex iuxta communem sententiam non obligat si transierint decem anni & non recipiatur. disputat. 3. numer. 2.

Linea.

Linea consanguinitatis quid sit & quotuplex? vide verbo Impedimentum. *vbi agitur de impedimento consanguinitatis, & idem est de linea affinitatis &c.*

Legatus à latere.

An legatus à latere possit dispensare in Prouincia sua sicut Episcopus in sua diœcesi, vel etiam vltra quando agitur de dispensatione pro foro conscientiæ in impedimento matrimonij? disputat. 8. num. 57. & seqq.

M.

Machinatio mortis.

Vide verbo Impedimentum. *vbi sermo est de impedimento* criminis.

Maleficium.

Vide verbo Impedimentum. *vbi sermo est de impedimento* Impotentiæ.

Matrimonium.

Eius definitio & natura consensus.

Matrimonij nomen vnde sumptum? disputat. 2. numer. 3.

Alia eiusdem nomina. d. 2. n. 3.

Duplex acceptio vocis Matrimonium. *disputat. 1. numer. 4.*

Prima vulgaris definitio matrimonij. d. 1. n. 5. & seqq. vbi explicantur septem, quæ præcipuè in illo considerari possunt.

Secunda alia definitio matrimonij tam, vt est contractus quam vt est Sacramentum. disputat. 2. numer. 9. & seqq.

Matrimonij consensus.

Qualis consensus requiratur ad valorem contractus matrimonij ? Qualis expressio externa & an debeat consensus esse efficax intentio? qualem deliberationem requirat, & qualem acceptationem? d. 2. numer. 13. & seqq.

An ad valorem matrimonij consensus debeat ferri in mutuam corporum traditionem? disput. 2. num. 17. & seqq.

An mutus & surdus possint sufficienter contrahere matrimonium etiam vt Sacramentum & consensum exprimere? ibidem.

An consensus debeat ferri in perpetuitatem & fidelitatem? d. 2. n. 19. & seqq.

An ob defectum consensus in perpetuitatem nempe contrahendo cum animo repudiandi ; quorumdam infidelium matrimonium sit nullum, adeoque ad fidem conuersi non teneantur vxorem ex pluribus retinere, sed quam velint ex illis vel ex aliis possint eligere? ibidem.

An sit necessarium quod consensus matrimonialis feratur in prolem, & fidelitatem ? disputat. 2. numer. 21. & seqq.

An consensus prædictus debeat explicitè ferri in copulam? d. 2. n. 26. & seqq.

An sit possibile matrimonium absque consensu contrahentium vi alicuius potestatis humanæ, vel saltem diuinæ? d. 2. n. 30. & seqq.

An matrimonium Adami fuerit factum à Deo absque ipsius Adami & Euæ consensu? disputation. 2. numer. 49.

An, qui se falsò putat inhabilem ad matrimonium possit habere consensum idoneum ad illud ? & agitur de errore facti & iuris circa hanc rem. d. 2. nu. 50. & seqq.

Consensuum simultas.

An saltem post Tridentinum requiratur simultas vtriusque consensus actualis contrahentium? disputation.2. numer.60. & seqq. vbi explicatur quanta distantia vnius consensus ab altero impediat, vel non impediat valorem contractus iuxta diuersum modum contrahendi inter absentes vel præsentes siue contrahendo per se ipsos, siue per interpositas personas.

Consensus fictus, aut aliter inualidus.

An consensus alterius partis fictus à principio vel alia ratione inualidus si postea habeatur verus, sufficiat ad matrimonium, etiamsi alter non iterum denuò consentiat? d.2.n.75 & seqq.

Quomodo reualidandus.

An ad validandũ contractũ matrimonij requiratur, vt qui iterum est consensurus, fiat, aut sit conscius nullitatis? d.2.n.83. & seqq.

An vt reualidetur matrimonium, prius coram Parocho & testibus celebratum, necessarium sit iterum coram Parocho & testibus celebrari? d.2.n.99. & seqq. vbi varij casus & circumstantiæ proponuntur, & explicantur.

Signum externum consensus.

An aliquod signum externum expressiuum consensus interni sit necessarium ad valorem matrimonij? & an tamquam essentialis pars? disp.2.num.117. & seqq.

An ad valorem matrimonij requirantur verba, vel sufficiat aliud signum? & an saltem ex præcepto requirantur? d.2.n.122. & seqq.

An per copulam subsequentem sponsalia hæc transeant in matrimonium? d.2.n.129. & seqq. & aliis locis ibi notatis.

Quid si iuramento firmentur sponsalia? ibidem numer.138.

Matrimonium per Procuratorem aut per litteras vel internuntium.

An valeat matrimonium celebratum per Procuratorem per litteras, vel internuntium? d.2. numer.141. & seqq. vbi agitur de requisitis ad valorem contrahendi hoc modo.

Quid, si, quo tempore Procurator contraxit, mandans incidisset in amentiam? disputation 2. numer. 148. & seqq.

Matrimonium vt Sacramentum.

An matrimonium baptizatorum sit Sacramentum gratiam conferens? disp.2.n.164.

An matrimonium celebratum ante baptismum si coniuges postea baptizentur, fiat Sacramentum? d.2. num.172.

Quid sit in matrimonio Sacramentum tantum *& quid* res Sacramenti tantùm; *& quid* res & Sacramentum simul? *disputation.2. numer.176.*

An matrimonium baptizatorum celebratum per Procuratorem aut internuntium aut Epistolam sit Sacramentum gratiam conferens? disputation.2.num. 177. & seqq.

An matrimonium inter baptizatum & non baptizatum sit Sacramentum? disputat.2. numer.186. & seqq.

An sit possibile inter baptizatos matrimonium, quod non sit Sacramentum? disp.2.num.189. & seqq. & 228.271.

An matrimonium ante legem gratiæ fuerit propriè Sacramentum gratiam conferens? disputat.2.nu. 193 & seqq.

Matrimonij materia & forma tum contractus, tum Sacramenti.

Quæ sit materia & forma Sacramenti matrimonij? disputat.2.num.198. & seqq. vbi per multos numeros latè iuxta plures & varias sententias de hac re agitur. Propria vero sententia incipit tradi. numer. 247. & seqq.

Matrimonij Ministeri.

Quisnam sit Sacramenti matrimonij minister? disputation. 2. numer. 281. & seqq. vbi explicatur & probatur, quod nec internuntius, nec Procurator, nec Parochus sint ministri, nec vt tales teneantur ex vi sui muneris esse in gratia.

An ad efficiendum contractum, & Sacramentum matrimonij sufficiat procurator, aut internuntius, qui dum elicit, aut profert consensum & verba, sit amens, aut ebrius? d.2.n.287. & 288. & explicatur, an sit possibilis casus.

Matrimonij Institutor.

A quo fuerit institutum matrimonium? disp.2.num 289. & seqq.

Matrimonij Honestas.

An matrimonium sit res licita & honesta? disp.2. numer.297.

Quo fine contrahendum sit matrimoniũ, vt licitè fiat? disputat.2.num.298. & seqq. vbi varij fines enumerantur & explicatur an liceat ex illis moueri ad contrahendum.

Quale peccatum sit, & quot malitias habeat contrahere matrimonium ob malum finem. siue mortalem siue venialem, vel excludere finem bonum? d. 2. num. 311. & seqq.

Matrimonij Præceptum.

An sit aut fuerit præceptum ineundi matrimonium? disputat.2.numer.314. & seqq. multis; vbi agitur de præcepto tum generali, tum in particulari pro aliquibus personis, præsertim propter necessitatem Reipublicæ; & quid si tantum mansissent in mundo personæ vel Religiosæ vel saltem habentes votum castitatis?

Quid si contingeret aliquas personas vtriusque sexus in paruo numero tempestate deferri in insulam, in locum úe adeò remotum ab habitatione, vt vix, aut ne vix quidem esset spes veniendi in aliorum hominum consortium? disputation.2. numer.334. & seqq.

Quid, si vnus, & vna tantùm in eum locum venirent? d.2.n.338.

An posita multitudine hominum possit esse præceptum & obligatio versanti inter illos ineundi coniugium ex alio fine, quàm propagandæ speciei humanæ? d.2.n.339. & 340.

Matrimonij indissolubilitas & viæ illud dissoluendi.

An matrimonium sit indissolubile? disp.2. num.341. & seqq.

Quo iure constet indissolubilitas matrimonij? d.2. n.345. & seqq.

An sit potestas in Ecclesiæ capite ad dissoluendum matrimonium Baptizatorum? disputation. 2. numer. 360 & seqq.

An & quo iure Baptizatorum matrimonium dissoluatur per solemnem professionem religiosam? d.2.n. 375. & seqq.

An matrimonium dissoluatur per vota simplicia Societatis Iesu post biennium emissa, vel per vota ibidem quoque emissa & simplicia Coadiutorum formatorum? d.2.n.396. & seqq.

An dissoluatur matrimonium ratum per vota Ordinum militarium? Item per vota Mantellatorum, & Mantellatarum; Tertiariorum, & Eremitarum? d.2. n.400. & seqq.

Quantum temporis concedatur coniugibus ante consummationem matrimonij, vt possint illud dissoluere per ingressum, & Professionem solemnem in Religioso Ordine & deliberare de ingressu? vbi agitur de iis adhuc non cogitantibus de ingressu, an possint frui libertate illius temporis, & an, eo tempore transacto, adhuc liberum sit statim ingredi, & an ex causa prorogari vel restringi à iudice possit illud tempus? Item an tempus concessum intelligatur ad ingrediendum intra tale spatium, vel ad profitendum intra illud? disputation. 2. numer. 405. & seqq.

An, si intra tempus à iure vel à iudice permissum maritus coniugem deliberantem per vim opprimat, sufficiat, vt matrimonium censeatur consummatum, ita, vt non possit fœmina ingredi Religionem: & an ille vel illa possit adhuc intra illud tempus ingredi Religionem? disputation. 2. numer. 423. & seqq.

Quid requiratur vt matrimonium censeatur copula consummatum? disputation. 2. numer. 432. & seqq. vbi varij casus tanguntur & disputatur an validè & licitè possit ingredi Religionem, qui penetrauit vas fœminæ, sed non seminauit: Item qui tantam habuit cum eâ consuetudinem, vt tangendo osculando &c. illius famæ & existimationi damnum intulerit? Item, si seminauit quidem ille ex parte sua; sed non fœmina, an sufficiat ad consummandum? &c. Item, an si copula quidem fuit, sed præcesserit contractum, possit adhuc ingredi?

An matrimonium infidelium consummatum dissoluatur per conuersionem alterius ad fidem? disputat. 2. n.444. & seqq.

An fidelis possit dissoluere matrimonium, quando infidelis non vult conuerti, etiamsi velit cohabitare sine iniuria creatoris? disputation. 2. num.449. & seqq.

An supposita prohibitione cohabitandi cum infideli coniuge, possit conuersus dissoluere matrimonium? & aliud contrahere, eo ipso quod non vult conuerti coniux infidelis, etiamsi velit pacificè cohabitare? disputat. 2. n.454. & seqq vbi etiam examinatur, an, & qualis sit talis prohibitio? varij etiam casus circa hoc tanguntur & deciduntur.

Quando dissoluatur matrimonium conuersi fidelis cum infideli nolente cohabitare absolutè aut nolente cohabitare legitimè? disputation. 2. numer. 482. & seqq. vbi varij casus proponuntur, & resoluuntur.

An matrimonium conuersi cum infideli contractum ante Baptismum dissoluatur per solemnem professionem in Religione, aut per sacros Ordines? disput. 2. n.493. & seqq.

An dissoluto matrimonio per transitum fidelis coniugis ad aliud coniugium, vel ad professionem, possit licitè & validè infidelis relictus ad alias nuptias transire siue conuertatur siue non.

An in lege veteri dissolueretur matrimonium quoad vinculum per libellum repudij? & quid censendum de repudio Gentilium? disputation. 2. numer. 514. & seqq.

Matrimonij pluralitas.

An pluralitas coniugum simul sit licita, vel illicita, & nulla? & quo iure? disputation. 2. numer. 525. & seqq.

An pluralitas coniugum simul fuerit aliquando valida, & licita tam pro masculis, quam pro fœminis; aut saltem possibilis? disputation. 2. numer. 541. & seqq.

Matrimonium clandestinum.

Quid sit & quot modis dicatur matrimonium clandestinum? d.3.n.1. & 2. Disp. 3.

An sit illicitum, & quo iure? disputation. 3. numer. 3. & seqq.

An, vbi & quo iure, & à quo tempore sit inualidũ? d.3.n.11. & seqq.

An clandestinum absque Parocho & testibus inualidum, saltem valeat vt sponsalia? disputation. 3. nu. 15. & seqq.

An matrimonium clandestinum sit aliquando validum? d.3.n.21. & seqq.

An ignorantia legis Tridentini excuset ab obligatione, & inhabilitate? disputation. 3. numer. 30. & seqq.

An Christiani incolæ & indigenæ locorum, in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant sine Parocho & testibus in locis in quibus non obligat, vel è contra? d.3.n.33 & seqq.

An fideles in Prouinciis infidelium, vbi non sunt Parochiæ, in quibus potuerit Tridentinum publicari validè contrahant sine Parocho, & testibus? disp.3. nu. 43. & seqq.

Quis, & cuius contrahentium Parochus, & in quo loco possit, & debeat assistere matrimonio, vt validum sit? d.3.n.46. & seqq.

An Parochus assistens matrimonio, vel qui de illius aut Ordinarij licentia assistit, debeat esse Sacerdos? Item approbatus ab Ordinario? disputat. 3. num. 62. & seqq.

An Parochus excommunicatus validè & licitè assistat matrimonio? disputation. 3. numer. 70. & seqq.

An, quando Parochus tantum est prohibitus Sacramenta ministrare possit validè & licitè assistere matrimonio, & alter Sacerdoti ad id licentiam conferre, & in necessitate excommunicatum eligere? d.3. num. 80. & 81.

An sufficiat loco Parochi in matrimonio Hæreticorum illorum prædicans, aut sine illo fieri possit, etiam vbi adest Parochus, quamuis ibi fortè promulgata fuerit lex Tridentini? d.3.n.82 & seqq.

An, & quatenus Parochus non verus sed existimatus validè assistat matrimonio? d.3.n.87.

An alius præter Parochum possit validè assistere matrimonio & assistendi licentiam concedere sacerdoti? d.3.n.88 & seqq.

An Parochus non proprietarius sed delegatus, & amobilis ad nutum possit tum assistere matrimonio; tum ad id licentiam conferre? d.3.n 95.& seqq.

An Parochus prohibitus à suo superiore dare licentiam, nisi approbatus ab Episcopo, validè nihilominus licentiam concedat? d 3 n.103.

Qualis licentia requiratur vt validè assistat sacerdos matrimonio? d.3 n. 104.& seqq.

Quis censeatur vagabundorum Parochus, vt possit eorum matrimonio assistere? & quomodo se debeat gerere erga eorum matrimonia? disput.3. numer.131. & seqq.

An sacerdos, qui ignorat se habere licentiam assistendi matrimonio; validè nihilominus assistat? d.3.nu. 138.& seqq.

An sacerdos qui accepit licentiam copulandi Mariam cum Petro, si ea postea velit contrahere cum Ioanne loco Petri, possit virtute illius licentiæ assistere huic matrimonio? d.3 n.150.& seqq.

Quot alij testes & quales præter Parochum requirantur ad valorem matrimonij? d.3 n.155.

Qualis præsentia Parochi aut testium requiratur vt valeat matrimonium? & id præcipuè quæritur de præsentia coactâ, aut per dolum. Item de attentione virtuali vel habituali, & an sufficiat rem intelligere per interpretem? Item si Parochus & testes bene nouerint contrahentium vocem; sufficiat illos audire loquentes, etiamsi sit interpositus murus, aut cortina vel asseres?

Quas pœnas incurrant contrahentes clandestinè? d. 3 n.171.& seqq.

An supposito iure canonico, valeat lex ciuilis Castellæ imponens pœnam exhæredationis matrimonio clandestino? d.3.n.176.

Quomodo intelligenda sit lex Castellæ exhæredans clandestinè contrahentes? d.3.n.183.& seqq.

Quibus pœnis subiaceat Parochus, aut sacerdos alius de licentia ipsius assistens matrimonio absque alijs testibus? d 3.n.196.& seqq.

Quam pœnam incurrat assistens matrimonio, vel benedicens alienos Parochianos absque licentia proprij? d.3.n.203.

An valeat matrimonium sine denuntiationibus? & quot denuntiationes seu proclamationes debeant præcedere matrimonium? d.3.n.206.& seqq.

An & quantum peccatum sit contrahere sine denuntiationibus? d.3.n 211.& seqq.

A quo sint faciendæ denuntiationes, quomodo, & in quo loco & quanto interuallo? d 3.n.215.& seqq.

An sit mortale consummare matrimonium ante denuntiationes, quando ante illas fuit initum? d.3 nu. 222.& seqq.

Contra quam virtutem, seu cuius speciei peccatum sit denuntiationes omittere? d.3.n.230.& seqq.

An tale peccatum sit omissionis vel cõmissionis? d.3. n.234.& seqq & de hoc tum in Parocho tum in contrahentibus explicatur.

An toties quoties peccent coniuges vtentes matrimonio, quod contraxerunt ante denuntiationes? d.3.n. 239.& seqq.

Quid, si vterque coniux, vel alter post contractum sine denuntiationibus, nec has facere, nec consummare matrimonium volunt? d.3.n.243.& seqq

Quis possit dispensare vt denuntiationes non præmittantur? in particulari verò id quæritur de Ordinario id est non solùm Episcopo, sed eius vicario generali, seu officiali prouisori. Item an possit illi Episcopus tollere, seu restringere hanc potestatem relinquendo in cæteris rebus, illi vicarij generalis officium? & quid de vicarijs non generalibus, sed foraneis? d.3.num.246, & seqq.

An Episcopus vel habens potestatem quasi episcopalem possit delegare potestatem dispensandi in denuntiationibus tam in generali, quàm pro casu particulari? d.3.n.253.& seqq.

An sufficiat ad hoc concedendum Episcopus alterutrius contrahentium? d.3.n.256.

An Parochus, si non dispensare, saltem omittere possit denuntiationes, quando est prudens suspicio quod matrimonium malitiosè impedietur, idque possit non expectata facultate Ordinarij? d.3.nu.262. & posteà num.282.

An, & quæ causæ requirantur vt superior possit aut debeat in præmittendis dispensationibus dispensare? & an semper sit necessaria dispensatio? d.3.n.263.& seqq vbi à.n. 267. enumerantur causæ tum ad differendum post contractum, tum ad omnino omittendas prædictas denuntiationes, & quando obligetur superior ad dispensandum.

An denuntiationes obligent reuelare impedimentum occultum? d.3.n.287.& seqq.

Quomodo se gerere debeat Parochus aut Ordinarius, quando norunt extra confessionem impedimentum? & quando norunt obtentam dispensationem in foro conscientiæ? disputation. 3. numer. 305. & seqq.

An matrimonium factum, illicitè omissis denuntiationibus, censeatur clandestinum quoad pœnas? d.3.nu. 322.& seqq.

An benedictiones nuptiales, quæ vulgò solent appellari velationes, sint necessariò adhibendæ? disput.3.nu. 330.& seqq.

Matrimonium metu coactum.

Quid & quotuplex sit metus, qui solet interuenire in celebratione matrimonij, sicut & in aliis contractibus? disputation.4. numer.1. & seqq. vbi varia traduntur de metu graui, & leui: de iusto & iniusto: de probabili, & improbabili; ac tandem de metu cadente in virum constantem; & de cadente solùm in inconstantem. Disp.4.

Quomodo pensanda sit grauitas mali, quod timetur? d.4.n.10.& seqq vbi exponuntur tres conditiones requisitæ ad metum grauem hoc loco sigillatim indicandæ.

Prima conditio, quòd malum, quod timetur in se sit graue, & particularia enumerantur, qualia sunt timor mortis, mutilationis, verberum, seruitutis, incarcerationis seu captiuitatis diuturnæ, stupri, infamiæ, æstimationis amittendæ apud cæteros amissionis bonorum &c. variaque notantur pro praxi circa hæc & similia mala; explicaturque an, & quo sensu, & quando censeantur, & sint mala grauia. Præsertim de metu infamiæ. disputation. 4. numer. 14.& seqq. & de timore reuerentiali. numer.18.& seqq. item de importunis precibus.num.27. & seqq.

Secunda conditio requisita quòd incutiens metum potens sit exequi, & credatur executurus malum quod minatur. d. 4. n 31. & seqq. vbi quaritur, an requiratur, quod solitus sit tale malum inferre, vel aliud æquè graue. &c.

Tertia conditio requisita quod patiens metum non possit facilè resistere. d. 4. n. 38.

Circa tres metus conditiones quædam maximè aduertenda. d. 4. n 39. & seqq.

An matrimonium contractum ex metu cadente in virum constantem sit nullum? disputation. 4. numer. 47. & seqq. vbi agitur de metu leui vel iusto, vel iniusto quidem, sed non exteriùs in finem matrimonij extorquendi incusso, & de iniusto in eum finem incusso. siue ab altero contrahente, siue ab alio tertio, & quid de constitutione procuratoris ad contrahendum?

Quo iure matrimonium tali metu initum sit nullum? d. 4. n. 59 & seqq.

An matrimonium ex metu graui iusto, & incusso ad illud extorquendum sit validum? disputat. 4. num. 69 & seqq.

An, si quis metu cogatur contrahere cum aliqua ex filiabus Petri valeat matrimonium? disputat. 4. num 84. & seqq.

An valeat matrimonium eius, qui damnatus est ad mortem, & libertas illi offertur, si ducat meretricem, aut filiam vel consanguineam occisi, & ipse metu mortis eam ducit? & agitur tam de eo, qui iustè, quàm de eo qui iniustè fuit damnatus ad mortem. d. 4. n. 93. & 94.

An valeat matrimonium ægroti cum filia medici nolentis ægroto mederi, nisi eius filiam ducat, & ipse metu mortis, si destituatur à medico, illam ducat? d. 4. numer. 95.

Quid si medicus alioquin ex iustitia teneretur, aut saltem ex charitate & misericordia illi mederi? d. 4. n. 96. & seqq.

An valeat matrimonium casu quo iudex cogat iustè quidem secundum allegata & probata; iniustè tamen re ipsâ, vt, si te cogat ad matrimonium cum femina, cui promisisti, illa verò post tuam promissionem cum alio fornicata est, & tu non potes id probare? d. 4. n. 99. & seqq.

Quid si è contra iudex iniustè cogat secundum allegata & probata, re tamen vera iustè? ibidem.

An valeat matrimonium, quod obsessus contrahit cum filia obsidentis, vt euadat molestiam obsidionis? d. 4. num. 109.

An licet matrimonium fuerit nullum ob iniustum metum, cuius alter contrahens fuit causa, teneatur postea idem ipse contrahere, si velit, qui fuerat coactus? d. 4 num. 110.

An tale matrimonium saltem valeat vt sponsalia? d. 4. n. 117. & 118.

An & quale peccatum sit contrahere matrimonium ex metu illud irritante? disputation. 4. num. 119. & seqq.

An matrimonium inualidum propter metum, validum fiat postea ob copulam subsequutam? d. 4. n. 124. & seqq.

An matrimonium ratione metus inualidum reualidetur per superueniens iuramentum? disputation. 4. numer. 132. & seqq vbi idem quæritur de sponsalibus.

An qui compellit alios ad matrimonium incurrat aliquam pœnam? disputation. 4. numer. 140. & seqq. vbi agitur de potestate Principis Ecclesiastici in hac re erga sibi spiritualiter subditos, nempe baptizatos: & de Principe sæculari erga subditos non baptizatos: & quid de prohibentibus contrahere? qualis sit aut quanta pœna, quæ incurritur.

An parentes possint filios cogere ad contrahendum matrimonium? disputation. 4. numer. 150. & seqq. vbi etiam agitur de potestate ad impediendum matrimonium indignum filiorum, & idem quæritur de Principe; sed de hoc vide infra paulò post.

An, & quam pœnam incurrant parentes iniustè grauiter cogentes filios ad matrimonium & idem quæritur de Dominis mancipia sua cogentibus. disputation. 4. numer. 153. & seqq. item de Imperatoribus, Regibus, Episcopis &c. cogentibus sibi subditos.

An filius teneatur contrahere matrimonium quod Pater promisit, aut præcipit? disputation. 4. num. 157. & seqq.

An filij possint licitè parentibus inuitis inire matrimonium, quo volunt? disputation. 4. numer. 167. & seqq.

An iudex possit interdicere matrimonium filiis familias, quando periculum est grauis scandali? disp. 4. n. 177. & seqq.

An filia inuitis parentibus nubens non clandestinè, possit ab eisdem exhæredari? disputation. 4. num. 182. & idem disputatur de filio & distinguitur inter matrimonium dignum & indignum.

Quodnam censeatur dignum, vel indignum matrimonium, quod filius, vel filia inuitis parentibus ineat? d. 4. n. 201.

Qualiter probetur metus ad inualidandum matrimonium? d. 4. n. 209.

Matrimonium conditionatum & sponsalia.

Variæ conditiones solent apposi consensui & contractui. d. 5. n. 1. & 2 Disp. 5.

Quodnam sit matrimonium conditionatum, & consensus conditionatus? disputation. 5. numer. 1. 2. & seqq. vbi indicantur aliquæ quasi conditiones, nempe tempus, causa, modus, demonstratio. *&c. variaque conditionum genera explicantur.*

An hæc conditio. Si Deus voluerit, *aut* si Deo placuerit *reddat contractum conditionalem, illumque suspendat? disputation. 5. numer. 8. & seqq. vbi etiam agitur de conditione,* si Ecclesiæ placuerit.

An conditiones appositæ suspendant matrimonium vsque ad notitiam existentiæ conditionum? disp. 5. num. 17. & seqq.

An, si conditio sit de præterito ita vt aliquando fuerit, & aliquando non fuerit, sufficiat aliquando fuisse, etiamsi aliquando non fuisset. v. g. matrimonium si Patri placuit *& aliquando quidem placuit, aliquando verò non placuit, sufficiat eam conditionem aliquando fuisse, vt contractus valeat? disputation. 5. numer. 21. & seqq. & disputatur etiam de casu quo semel placuit, postea displicuit, postea hæsit vel dubitauit & suspendit interim dum deliberaret.*

An contracto matrimonio sub conditione de futuro si Patri placuerit censeatur impleri, aut deficere conditio eo ipso quod Pater vel consentiat semel vel dissentiat? d.5.n.26. & seqq. & hoc ipsum disputatur de contractu sponsalitio, n.40.

An conditio si Patri placuerit censeatur impleta si Pater taceat? d.5.n.4 & seqq.

Quid si Pater iam erat mortuus? ibidem. numero 48. & 49. adiunctis iis quæ fuerunt dicta. numer. 37. & 39.

An matrimonium contractum sub conditione de futuro ob quam suspenditur vsque ad euentum conditionis, valeat posita conditio nullo repetito consensu? d.5.n.50. & seqq.

An matrimonium cum inhabilitate, in qua potest Papa dispensare, si fiat sub conditione si Papa dispensauerit perficiatur absque nouo consensu obtentâ dispensatione? d.5.n.79. & seqq.

Quodnam matrimonium præualeat, quando quis contraxit matrimonium cum duabus sub conditione? d.5.n.92. & seqq.

Quomodo in hac re philosophandum circa contractum sponsalitium cum duabus? disputation.5. numer. 111. & seqq.

An conditio de futuro non contingens, sed necessaria si apponatur matrimonio, illud suspendat, quousque impleatur? d.5.n.119.

An vbi Tridentinum viget ad valorem absolutum matrimonij conditionati necessarium sit conditionem impleri coram Parocho & testibus? qui præsentes fuerunt contractui? disputation.5. numer.126. & seqq.

An conditio contra substantiam matrimonij illud irritet? disputat.5.numer.140. & seqq. vbi disputatur quæ censeantur conditiones contra substantiam matrimonij.

An conditio nunquam se copulandi seu nunquam reddendi, aut nunquam petendi, annullet matrimonium? d.5.n.150. & seqq.

An valeat matrimonium sub conditione obligationis ad profitendum in Religione, vel ad perpetuò seruandam castitatem, seu ad nunquàm petendum debitum, seu nunquàm cohabitandum; aut sub conditione, vt filios occidas, *aut* mutiles, *aut* si prolem abiicias, & aliis exponas alendam *aut sub conditione semper domi manendi, aut vestem nigram semper gestandi, aut* si non nutrias, filios tuo lactè. *disp.5.n.164. & seqq.*

An conditio impossibilis habeatur pro non adiectâ matrimonio? d.5.n.170. & seqq.

An conditio turpis habenda sit pro non adiecta? d.5.num.181.

Quænam sint coniecturæ ad iudicandum consensum fuisse dependentem à conditione impossibili, aut turpi? d.5.num.192.

Conditiones in sponsalibus appositæ.

Quam vim habeant sponsalia conditionata? disp.5. num.198.

An conditio contra substantiam matrimonij irritet sponsalia si illis apponatur? disputation.5.numer. 203. & seqq.

An conditio vel impossibilis vel turpis apposita sponsalibus habenda sit pro non adiecta? disp.5.num. 206. & seqq.

Quasi conditiones.

Quasi conditiones, id est tempus, demonstratio, modus, *& causa apponi solita matrimonio, vel sponsalibus, quid sint & quam vim habeant? disputation.5.numer.217. & seqq.*

An & quatenus valeat conditionalis licentia assistendi matrimonio? disputation. 5. numer. 231. & seqq.

Matrimonij impedimenta.

Vide verbo Impedimentum.

Metus.

An sponsalia metu facta sint nulla, & an ex fidelitate tantum, aut ex iustitiâ obligent; & an metum passus possit non solum beneficio iudicis, sed propria voluntate resiliendo liberari? disputation. 1. numer. 307. & seqq. Atque id ipsum quæritur & resoluitur in sponsalibus dolo celebratis. numer 336. Vide alia de metu. v. Matrimonium *vbi agitur de matrimonio metu coacto.*

O.

Ordinarius.

Ordinarij nomine in diœcesibus quis intelligatur? d. 3.n.88. & seqq. & n.247.

Ordo Sacer.

Vide verbo Impedimentum: *vbi agitur de impedimento voti & ordinis sacri.*

Oscula.

Vide verbo Tactus, & oscula, & alia venerea *quæ omnia sub verbo tactus comprehenduntur.*

P.

Parens, Parentes.

An Parentes possint contrahere sponsalia pro filiis nondum habentibus septennium? disputation.1.numer.30.

An Parentes possint filios cogere ad contrahendum matrimonium. disputation.4. numer. 150. vbi etiam agitur de potestate Parentum ad impediendum matrimonium filiorum indignum, & de pœnis cogentis Parentis ad matrimonium, & hoc ipsum disputatur de heris, aut dominis, seu Principibus & similibus cogentibus sibi subditos; præsertim numer.153. & seqq. Vide alia de Parentibus verbo Matrimonium metu coactum.

Parochus.

Quis censeatur proprius Parochus in ordine ad assistendum matrimonio? d.3.n. 42.

Alia quæ pertinent ad assistentiam Parochi in matrimonij celebratione vide verbo Matrimonium *vbi agitur de matrimonio clandestino.*

An & cum quibus requisitis possit, aut non possit assistere Parochus matrimonio Hermaphroditi? disp.7. n. 556.

Pater.

Pater an possit impedire sponsalia contra eius voluntatem inita, si inde verum scandalum prudenter timeatur? d.1.n.172.

Præceptum.

Discrimen assignari solitum inter præcepta negatiua & affirmatiua; quòd scilicèt affirmatiua non obligent semper & pro semper: negatiua vero semper obligent,

gent.& pro semper,examinatur,& explicatur an,& quatenus id verum sit.disputation.2. numer.324. & seqq.

Priuilegium.

Priuilegium ad aliquid licitè aut validè faciendum, solet concedi etiamsi sit probabile non requiri priuilegium,ad sedandos scrupulos & maiorem certitudinem quia sunt variæ opiniones circa eam materiã? d.2.n.116.

Promissio.

An promissio nondum acceptata obliget ex fidelitate vide v. Sponsalia.

An obliget aut possit esse promissio sine animo se obligandi?d.1.n.54.& seqq.

An promissio gratuita & non mutua obliget sub mortali?disputation.1.numer.76.& seqq.maximè nu. 84.& seqq.

An quis promissione sua possit se tantum ex fidelitate obligare & non ex iustitia etiam in materia iustitiæ in promissione facta homini?disputat.1. numer. 78.& seqq.

Signa voluntatis se non obligandi ex iustitia sed ex fidelitate.d.1.n.87.& seqq.

Promissio matrimonij contrahendi an semper obliget sub mortali?d.1.n.93.

An repugnet talis promissio absque obligatione iustitiæ?d.1.n.94.

Vide plura de Promissione verbo Sponsalia.

Publica honestas.

Vide verbo Impedimentum:*vbi agitur de impedimento publicæ honestatis.*

R.

Raptus.

Vide verbo Impedimentum,*vbi agitur de impedimento criminis.*

Reliquiæ Sanctorum.

An gestare Reliquias Sanctorum quando quis peccat carnaliter sit mortale peccatum? disputation.9. num.365.

S.

Sacrilegium in re venerea.

Quid sit hoc sacrilegium & quibus modis soleat committi, aut possit? disputation. 9.numer.358. & seqq.

Seruitus.Seruus.

Vide verbo Impedimentum: *vbi agitur de impedimento seruitutis in matrimonio.*

Sponsalia
Sponsalitia promissio
Sponsa,Sponsus.

Vocis Sponsalia *variæ acceptiones. disputation.1. n.3.& seqq.*

Quid sint sponsalia? ibidem.

Sponsa & Sponsus quinam appellari soleant? ibidem.

Cur Sponsalia *in plurali numero appellentur? ibidem.*

Sponsæ nomen & vxoris diuerso modo accipitur in odiosis,quam in fauorabilibus,& quæ censeatur in hac re materia fauorabilis vel odiosa? Ibidem præsertim num.6.& 7.

Tres conditiones requisitæ ad valorem sponsalium. d.1.num.8.

Prima conditio explicatur nempe quòd sit Promissio deliberatè voluntaria. *disputation.1. num. 9. & seqq. & explicatur quid requiratur vt sit deliberatè voluntaria vsque ad. num.20.vide etiam num. 262.& seqq.*

Secunda conditio nempe quod sit mutuò acceptata *explicatur.d.1.n.21.& seqq.*

An & qualis debeat esse acceptatio, vt obliget promissio sponsalitia? ibidem.& num.35.vbi explicatur an acceptatio debeat esse rei promissæ, vel promissionis ipsius.

An & qualis acceptatio requiratur & sufficiat vt promissio sponsalitia facta infanti obliget? disputat.1. num.23.

An hæc & quæuis alia promissio facta infanti,aut ciuitati possit reuocari, si reuocatio fiat ante acceptationem?disputation.1.numer.24. & seqq.item.nu.34. & seqq.vbi id explicatur tam de obligatione ex iustitia quam ex fidelitate.

An necessarium sit quod ea promissio sit mutua? vide infrà vbi ex instituto de hac re.

Tertia conditio explicatur scilicet, quod Promissio *sit* sufficienter sensibiliter manifestata, *& quæritur qualis debeat esse manifestatio,& an iure naturali, aut positiuo promissio merè interna habeat vim obligandi?d.1.n.30.& seqq.*

An sufficiat taciturnitas ad manifestationem promissionis & consensus? vbi agitur de obligatione in filio,aut filiâ tacente quando parentes promittunt, aut acceptant nomine filiorum,& quid, si filij sint absentes quando parentes id faciunt? disputation.1. num.37. & seqq.

An ad valorem sponsalium vel matrimonij sufficiat deliberatio virtualis,seu virtualis intentio deliberata?seu intentio in causâ ipsius contractus? d.1.nu.43. & seqq.

An promissio matrimonij facta cum animo promittendi,sed sine animo se obligandi, obligationem inducat?d.1.n.54.& seqq.& n.87.

An eo ipso quòd quis acceptat promissionem matrimonij,etiam censeatur repromittere? disputat.1.num. 68.& seqq.

An promissio matrimonij non mutua valeat? disp. 1.n.73.& seqq.

An gratuita promissio non mutua obliget sub mortali?disputat.1.numer.76.& seqq.maximè. num.84. & seqq.

An possit si velit promittens tantum se obligare ex fidelitate,etiamsi alioquin sit, quod promittitur,materia iustitiæ?d.1.n.78.& seqq.

Quid.si in promissione simplici nihil exprimatur, quod iustitiæ obligationem excludat, & promissio sit de re capaci obligationis iustitiæ? disputation.1.num. 85.& seqq.

Signa vnde possint cognosci quòd noluerit se obligare ex iustitia.d.1.n.87.& seqq.

Promissio aliquando fieri solita iuxta vrbanum modum loquendi non obligat. disputation.1.numer.88.

Quid de promissione exterius seriò prolatâ sine animo interno se obligandi? disputation.1. numer.89. & seqq.

Promissio matrimonij an semper obliget sub mortali? d.1.n.93.

An repugnet talis promissio absque obligatione iustitiæ? d.1.n.94.

Si in promissione sponsalitia sola sit obligatio fidelitatis & non iustitiæ. nec obligatio erit sub mortali, nec inducetur impedimentum publicæ honestatis. disp. 1.num.95.

Si promissio sit non mutua etiamsi ex parte vnius inducat obligationem iustitiæ, non inde resultabit impedimentum publicæ honestatis cùm neque sit propriè sponsalitia d.1.n.96.

Verba sponsalitia, vel matrimonialia quæ non habent facilem & expeditum sensum qua ratione sint intelligenda ? & agitur de verbis habentibus duplicem, aut multiplicem sensum. Item de verbis mixtis partim de præsenti, partim de futuro, vt in quibusdam de præsenti sit verbum & restrictio de futuro vt accipio te in vxorem in crastinum. *Item de promissione, aut dicto , in quo verbum quidem futurum sonat , sed adiungitur particula de præsenti vt ex* nunc habebo te in meam, *vel ex* nunc tractabo te sicut vxorem. *Item de verbis, quæ aliquam habent indifferentiam ad præsens tempus, & futurum, vt* volo tecum contrahere, *vel* volo ex nunc te habere *&c. Item alia verba negatiua, & exceptiua, vt* nullam duco, nisi te *aut* nullam ducam nisi te *de quibus, & similibus latè agitur. disput. 1. à nu. 97. vsque ad 142.*

Quid agendum tam in foro externo quàm interno , quando verba dubia sunt, & non constat de intentione proferentium ? disputation. 1. numer. 143. & seqq.

An qui defloravit virginem spe fictæ promissionis matrimonij, teneatur eam ducere? disputat. 1. nu. 148. & seqq.

An obligent sponsalia celebrata à nobili vel diuite cum ignobili vel paupere; saltem sequutâ copula sub spe promissionis seu veræ , seu fictæ ? disputation. 1. numer. 159. & seqq. vbi pars tam affirmatiua, quàm negatiua sub variis circumstantiis , & limitationibus explicatur, & approbatur vsque ad. numer. 176.

An, qui fictè promisit , & sub ea promissione tantum obtinuit tactus, teneatur illam ducere ? disputat. 1. num. 177.

Ad quid teneatur, qui iam non potest promissionem implere , ad quam tenebatur ? disputation. 1. numer. 178.

Quid faciendum si fictus promissor velit puellam ducere, parentes vero recusent? disputat. 1. num. 179. & seqq.

An fictus promissor casu , quo tenebatur puellam ducere si iniustè aliud matrimonium ineat , & viduus iam sit nondum facta restitutione teneatur ad prius matrimonium ? disputation. 1. numer. 182. & 183.

An, quando femina facilè potuit præsumere dolum, & fictam promissionem, teneatur, qui sub ea spe illius copiam obtinuit aliquid restituere? disputation. 1. num. 184. & seqq.

An fictus promissor dignioris conditionis teneatur defloratam ducere prorsus ignaram illius excessus; vel, quamuis consciam, si taliter ei promiserit, vt meritò crediderit verè promittere? disputation. 1. numer. 187. & seqq.

An fictè promittens fœminæ paris conditionis, & corruptæ conscius corruptionis, teneatur eam ducere si sub eâ spe fœmina consensit in copulam ? disput. 1. num. 192. & seqq.

An fictus vel verus promissor, quando non tenetur implere, possit negare rogatus à iudice an promiserit? d. 1. n. 195 & seqq.

An fœmina teneatur nubere viro, à quo extorsit copulam ficta promissione matrimonij? disputation. 1. nu. 197. & seqq.

An teneatur implere sponsalia, qui dubitat an promiserit vel an verba contineant promissionem ? disp. 1. num. 200.

Quid de eo , qui dubitat, an promiserit animo se obligandi , vel sciuerit , quando promisit, promissionem habere vim obligandi? disputation. 1. num. 201. & seqq.

An sponsalia incerta sint propriè sponsalia , & ex ipsis consurgat obligatio? disputation. 1. nnmer. 221. & seqq.

An si pater promittat Petro vnam ex filiabus liberetur offerendo quamcumque ? disputation. 1. numer 225.

Quid si omnes præter vnam moriantur? tenetúrne illam dare? d. 1. n 226. & seqq.

An promittens se ducturum vnam ex filiabus Petri, non determinando quam, teneatur, & cogi possit vnam ex illis ducere quam velit? disputation. 1. numer. 229.

An si volens tum ducere vnam à se electam, illa renuente, teneatur ducere aliam ex reliquis ? disputat. 1. num. 230.

An tunc electa à promissore teneatur consentire? d. 1. numer. 231.

An pater , qui promisit Petro vnam ex filiabus, quas habet, teneatur aliquam tradere , si Petrus interim copulam habuit cum vna illarum? disputat. 1. n. 232 & seqq.

An , si pater promisit Petro filiam Mariam & casu, quo illam nequeat dare , promiserit eius sororem, teneatur dare sororem Mariæ recusante? disput. 1. num. 236.

An secundum ius antiquum , qui promisit matrimonium cum vna ex pluribus, & deinde aliquam ex illis carnaliter cognouisset , sponsalia illa transirent in matrimonium? d. 1. num. 238. Hæc autem quæstio etiam hodie locum habet vbi non vrget ius nouum Tridentini.

An iure nouo inde illa sponsalia fiant pura? disp. 1. n. 239. & seqq.

Quanta ætas requiratur ad sponsalia , vel matrimonium ? disputation. 1. numer. 244. & 271. & seqq.

An septennium requisitum ad valorem sponsalium esse debeat mathematicè completum ? vel sufficiat moraliter? disputation. 1. numer. 246. & seqq. & idem quæritur de matrimonij ætate numer. 280. & agitur de modo computandi dies prædictorum annorum.

An in sponsalibus malitia suppleat ætatem ? disputation. 1. numer. 250. & seqq. vbi explicatur quo sensu sit accipiendum quod malitia suppleat ætatem?

Sponsalia ante septennium non valent , nisi clarè constet quòd contrahentes sint doli capaces. disput. 1. numer. 259.

Si alter illorum sit minor septennio, & non constet quod malitia suppleat ætatem, non valent sponsalia. Post septẽnium verò censetur doli capax, nisi clarè constet, quod non sit capax. ibidem.

Valebunt tamen prædicta sponsalia, si post septennium expressè vel tacitè ratificet. disputation. 1. numer. 260.

Quæ sit via & modus dignoscendi an saltem tacitè ratificet? d. 1. n. 261.

An maior vsus rationis requiratur ad sponsalia, quàm qui requiritur ad mortale? disputation. 1. num. 262. & seqq.

An anticipatio vsus rationis ante septennium debeat esse paulò ante septennium, vel sufficiat multò ante, siue id fiat naturaliter, siue per miraculum? disp. 1. n. 265 & seqq.

Cur ad sponsalia non requiratur tantum atque ad matrimonium? d. 1. n. 270.

An Episcopus possit aliquando in eâ ætate requisita dispensare? d. 1 n. 289.

An contrahere sponsalia aut matrimonium ante legitimam ætatem sit peccatum mortale? d. 1. n. 290. & seqq. vsque ad 299.

An Parentes, aut alij possint contrahere sponsalia pro filiis nondum habentibus septennium ætatis? disp. 1. numer. 300. & seqq. idemque quæritur de tutoribus, curatoribus, aut consanguineis curam gerentibus infantium, & quid de extraneis.

An filij teneantur consentire in sponsalia contracta pro se à parentibus, vel à curatoribus? disputat. 1. num. 304. & seqq.

An sponsalia metu facta sint nulla? numer. 307. & seqq. vbi disputatur an obligent, vel nulla sint ex fidelitate, vel ex iustitia, & an saltem sint à iudice rescindenda, vel an possit quis propria auctoritate ab eis resilire? Atque id ipsum applicatur posteà dolo numer. 336.

An valida sint sponsalia per dolum celebrata? disp. 1. num. 322 & seqq vbi hoc ipsum applicatur sponsalibus celebratis per errorem, aut ignorantiam; & tractantur de dolo tum dante causam contractui; tum incidente in contractum; & de dolo qui prouenit à contrahente vel ab alio tertio; explicanturque alia spectantia ad eiusmodi contractum.

An decipiens possit cogi seruare contractum? d. 1. nu. 337. & seqq.

An sponsalia clandestina sint valida? & quid sint sponsalia clandestina? d. 1. n 345. & seqq.

An sponsalia clandestina sint licita? disp. 1. numer. 350. & seqq.

An qui renuit implere sponsalia, ad quæ tenetur, cogendus sit per iudicem? & à quo iudice sit cogendus? d. 1. n. 352. & seqq.

An in sponsalibus possit apponi aliqua pœna, quæ obliget iniustè resilientem; saltem si iuramento firmentur? disputat. 1. num. 361. & seqq. & disputatur de pœnâ non solùm ab ipsis contrahentibus soluendâ; sed de soluendâ à parentibus & propinquis aliis vel amicis saltem, si non procurauerint, vt matrimonium celebretur, & quid de extraneis.

An iuramentum in confirmationem talis pœnæ obliget ad eius pœnæ solutionem? disputation. 1. num. 368. & seqq.

Quale peccatum sit apponere sponsalibus eiusmodi pœnam? d. 1. n. 378. & seqq.

An valeat pœnæ appositio, quando quis dicit, promitto sub tali pœna me non contracturum matrimonium cum Maria? disputat. 1. numer. 382. & seqq.

Quid de pœnâ appositâ pro non dissoluendo matrimonio contracto casu, quo possit legitimè dissolui, vt per professionem Religiosam? d. 1. n. 384.

An recipiens solutionem pœnæ appositæ sponsalibus, teneatur illam restituere ante sententiam iudicis? d. 1. n. 385. & seqq.

Quid post sententiam iudicis præcipientis restituere? d. 1. num. 390.

An in sponsalibus possint tradi arræ amittendæ ab iniustè resiliente? d. 1. num 391. & seqq. vbi explicatur, quando & in quo differant à pœna?

An arræ sint soluendæ, quando auctoritate iudicis dissoluuntur sponsalia? d. 1 n 395.

An eæ arræ constitui possint, & tradi in re immobili? d. 1. n. 405. & seqq.

An arræ possint ab vtroque contrahente constitui. d. 1. n. 408. & seqq.

An quando parentes filiorum sponsalia datis arris confirmant si filij resiliant, datas amittant, aut (si id promissum fuerit) quadruplum reddere teneantur? d. 1. n. 411. & seqq.

Arrarum appositio, & datio an, non tantum Ciuili sed Canonico etiam iure permittatur? d. 1. nu. 416.

Conditiones, sub quibus arræ constitui permittuntur? d. 1. n. 417.

Arrarum restitutio, & insuper duplum, aut triplum an dari debeat ab iniustè resiliente ante sententiam iudicis? d. 1. n. 418. & seqq.

Ad quem pertineant arræ? d. 1. n. 424. & seqq.

Quæ sint impedimenta quibus impeditur valor spõsalium nondum factorum ita, vt non validè fiant? vel facta dissoluantur? d. 1. n. 431. & seqq.

An sponsalia dirimantur per ingressum Religionis, aut votum illius, seu etiam castitatis aut sacrorum ordinum, quando sponsalia sunt posteriora? d. 1. n 435. vbi varij casus resoluuntur; præsertim si fuit copula, & quando sponsalia fuerunt iurata, aut fuerunt ficta? & an si contrahatur matrimonium adhuc nihilominus maneat votum quoad aliquam partem?

Quid quando sponsalia fuerunt prius facta & post ipsa votum castitatis, aut Religionis emissum est? d. 1. n. 460. & seqq. Atque ibi explicatur, an dissoluantur ex parte alterius? Et an etiam ex parte vouentis? vide etiam. n. 473. & seqq.

An secunda sponsalia, licèt non valeant, si fiant post priora adhuc vigentia, valeant tamen, si priora posteà dissoluantur? d. 1. n. 472.

An qui contraxit sponsalia cum vnâ, & posteà matrimonium cum aliâ, teneatur dissoluto matrimonio, stare prioribus sponsalibus? disputation. 1. numer. 475.

An sponsa possit resilire, quando sponsus vouit quidem castitatem, sed saluo semper iure sponsæ, ita, vt post initum matrimonium teneatur reddere debitum, sed non possit petere? d. 1. n. 476. & 477.

An per votum suscipiendi ordinem sacrum extinguantur sponsalia præcedentia? disputation. 1. numer. 478. & 479.

An peccet mortaliter, qui emisso voto simplici castitatis, aut Religionis vult contrahere matrimonium animo ingrediendi Religionem antequàm consummet? d. 1. n. 480. & seqq. vbi etiam agitur de contrahente cum tali animo non emisso voto.

An ſponſalia impuberum ob defectum ætatis diſſolui poſsint mutuo conſenſu acquiſita iam pubertate: & an ſi alter venit iam ad pubertatem poſsit, altero adhuc impubere reſilire? diſputation. 1. numer. 485. & ſeqq.

An quando tempore celebrato contractus alter erat pubes, & alter impubes; poſsit pubes reſilire à contractu? d. 1. n. 490. & ſeqq.

An qui factus eſt pubes poſsit à ſponſalibus ante pubertatem contractis reſilire, ſi iuramento firmata fuerunt? diſp. 1. numer. 493. & ſeqq. Idemque diſputatur de ſponſalibus præſumptis, & de contractis à Parentibus.

An ſponſalia impuberum ſolo mutuo eorum conſenſu validè, & licitè diſſolui poſsint? diſp. 1. num. 500. & ſeqq.

Quid ſi iuramento firmentur? & quid ſi ſaltem iuramentum fuit intuitu pietatis, & in honorem Dei? Ibidem vbi etiam diſputatur, an conſenſus & remiſsio iuris illius debeat liberè fieri ſicut remiſsio aliorum debitorum? vſque ad n. 514.

An ſponſalia diſſoluantur ob lapſum termini & longam moram tam culpabiliter, quam inculpabiliter? d. 1. n. 515 & ſeqq.

Quid ſi terminus præfixus fuit, non ad finiendam obligationem ſed ad licentiam differendi interim dum terminus non adeſt? diſp. 1. num. 525. & ſeqq. vbi agitur de modo & via diſcernendi an terminus fuerit præfixus ad finiendam, vel ad ſolicitandam obligationem?

Quando ſponſus vel ſponſa peccent differendo, quãdo nullus fuit expreſsè aſsignatus terminus? diſputat. 1. numer. 529.

An ſponſalia diſſoluantur, quando alter ſponſus diſcedit in remotiſsimum locum abſque conſenſu alterius? diſputation. 1. numer. 530. vbi agitur de diſceſſu cum animo, aut ſine animo redeundi; aut redeundi quidem, ſed ita, vt non ſit ſpes celeris reditus: aliæque circumſtantiæ expenduntur vſque ad numerum 544.

An diſſoluantur ſponſalia etiam iurata per matrimonium ſubſequens cum alia perſona? diſputat. 1. numer. 545. & ſeqq.

An ſponſalia diſſoluantur ob impedimentum dirimens ſuperueniens? & an qui fuit cauſa impedimenti, ſaltem teneatur procurare diſpenſationem? & an altera pars læſa poſsit eligere vel diſpenſationem, vel aliam compenſationem? diſp. 1. num. 553. & ſeqq. vbi etiam diſputatur an prædicta habeant locum, quando non eſt quidem impedimentum, ſed publica fama illius, aut ſcandalum?

An quando Petrus defloruit Mariam ſub mutua promiſsione matrimonij; deinde verò Petrus nouit ſe eſſe cõſanguineum Mariæ, poſsit ea inuita reſilire, aut quid iuris in hoc euentu? diſputation. 1. num. 564. & ſeqq.

Quid in hac re dicendum de impedimento non dirimente, ſed tantùm impediente? diſp. 1. n. 568.

An valeant ſponſalia inter habentes impedimentum dirimens facta ſub conditione, ſi Papa diſpenſet? Et an teneatur procurare diſpenſationem ille, qui promiſit feminæ conſanguineæ vel aliter impeditæ impedimento dirimente expenſaſque facere ſuppoſito quòd promiſsio obliget ſub eâ conditione? d. 1. numer. 569. & ſeqq.

An ſponſalia dirimantur ob fornicationem vnius ita vt innocens alter poſsit reſilire? vbi diſparitas in hac re oſtenditur inter ſponſum & ſponſam in multis. Et an ſufficiant tactus impudici permiſsi à tertia perſonâ fieri & an ſi ſponſa per vim inuita opprimatur ab alio, ſit hoc ſatis vt ſponſus poſsit reſilire? d. 1. n. 575.

An ſponſalia diſſoluantur ex parte vtriuſque ob fornicationem vnius partis? d. 1. n. 582. & 583.

An in hac re ſit locus compenſationi vt ſi vterque formicetur liceat vel non liceat vtrique reſilire? d. 1. n. 584. & ſeqq.

An ſponſalia dirimantur ob notabilem mutationem aut defectum ſuperuenientem aut de nouo cognitum? d. 1. num. 588. & ſeqq Referuntur, & expenduntur aliquæ mutationes aut defectus vel ſequentes vel de nouo apparentes, vt morbus, deformitas, paupertas, aſperi mores, crimen, viduitas, corruptio, recuſatio doris ſoluendæ *&c. Item quæritur an qui dives factus eſt poſteà valde notabiliter teneatur manere in ſponſalibus initis cum paupera? &c. Quid etiam dicendum ſi vterque fiat notabiliter pauper? Quid ſi obortæ ſint inimicitiæ inter ipſos aut parentes, vel affines? Diſparitas quoque in prædictis ex parte ſponſæ vel ſponſi?*

An propter prædicta, quæ præbent cauſam diſſolutioni ſponſalium cenſendus ſit & quatenus talis contractus conditionatus, vel abſolutus, & quatenus? d. 1. n. 609. & ſeqq.

Quid ſi quis ita amaret alterum & ita eſſet affectus vt licet hæc ſciuiſſet, adhuc contraxiſſet? diſput. 1. numer. 621.

Quid ſi dubitet an habuiſſet hunc affectum? d. 1. n. 622. & ſeqq.

An ſponſus conſcius ſufficientis cauſæ ad reſiliendum, amittat ius reſiliendi, ſi poſteà carnaliter cognoſcat ſponſam? d. 1. n. 625. & ſeqq. & id quæritur de obligatione in vtroque foro interno & externo.

An ſponſus habens defectum occultum, ob quem poſsit alter reſilire; poſsit eumdem defectus ignarum compellere ad matrimonium contrahendum? d. 1. num. 637. & ſeqq.

An ſponſalia diſſoluantur ob non adimpletam conditionem ſub quâ fuerunt inita? diſputat. 1. numer. 646. & 647.

Pro ſponſalibus conditionatis vide verbo Matrimonium *vbi agitur de matrimonio conditionato nempe. diſputat. 5. per totam: ſimul enim ibi agitur de conditionatis ſponſalibus, præſertim à numero 198.*

Ad diſſoluenda ſponſalia an requiratur iudicis auctoritas? d. 1. n. 648. & ſeqq.

An quando ſponſus nequit propria auctoritate diſſoluere ſponſalia poſsit detegere in iudicio cauſam diſſoluendi cum periculo notæ, vel infamia ſponſæ d. 1. numer. 659.

An fornicatio ſponſi aut ſponſæ, ſubſiſtentibus ſponſalibus, addat nouam malitiam, ſi habeatur cum aliâ perſonâ: d. 1. n. 660.

Sponſorum tactus vide v. Tactus.

Sponſalitia largitas.

Quid ſit ſponſalitia largitas; an valeat, & quando acquiratur? diſputation. 6. numer. 222. & ſeqq.

An per matrimonium ſolum ratum, ſaltem ſequuta traductione ad ſponſi domum, aut per copulam ante matrimonium acquiratur ſponſalitia largitas? d. 6. n. 233. & ſeqq.

An, si sponsalia ob impedimentum dirimens nulla fuerunt, atque adeò dissoluta, lucretur sponsa per osculum dimidium sponsalitiæ largitatis, & per copulam totam? d.6.n.245. & seqq.

An quando sponsalia dissoluuntur ob causam inculpabilem voluntariam tamen, lucretur sponsa per osculum eam dimidiam partem, & an, si alter culpâ suâ dedit causam iustam dissoluendi sponsalia, lucretur innocens resiliens à sponsalibus sponsalitiam largitatem? d.6.n.254. & seqq.

An interuenientibus arris lucretur sponsa consummato matrimonio totam sponsalitiam largitatem, & arras; vel detur optio? disputat.6.num.264. & disputatur hoc etiam pro casu quo non valuit largitas, quia facta post consummatum matrimonium, adeoque transiuit in donationem inter virum & vxorem, quæritur ergo an tunc vtrumque lucretur?

An semel facta electione inter arras, & iocalia, liceat adhuc variare? disputation.6. numer. 265. & 266. & explicatur quod tempus habeat ad eligendum.

Secundum quam æstimationem debeat restitui id, quod altero prælecto restituendum est; an secundum valorem, quem habebat, quando res fuit accepta, vel quem habet tempore restitutionis? disputat.6. numer.267 & 268.

Quibus verbis significari censeatur electio inter prædicta: an per verbum volo? *disputat.6.num.269. & seqq. & explicatur vis verbi* volo *pro diuersitate adiuncti verbi.*

An, sicut per osculum lucratur sponsa medietatem sponsalitiæ largitatis, lucretur etiam medietatem arrarum. d.6.n.281. & seqq.

Quando debeat donari sponsalitia largitas, vt valeat & non habeatur pro donatione inter coniuges inualida? d.6.n.284.

Quanta esse possit sponsalitia largitas? disp.6.num. 293. & seqq.

An nomine sponsalitiæ largitatis comprehendantur vestes, & reliqua, quæ sponsus mittit sponsæ, vt acquirantur integra quidem matrimonio consummato; media vero pars per osculum & nondum consummato? d.6.n.302. & seqq. vbi varia quæruntur, & resoluuntur de vestibus tum pretiosis, tum ordinariis vtilia pro praxi.

An vestes donatæ nurui à socero acquirantur ipsi nurui censeanturque sponsalitia largitas, easque filius teneatur in suam legitimam conferre? disp.6.num. 336. & seqq.

An quæ sponsa accipit à consanguineis sponsi, vel sponsus à consanguineis sponsæ censeatur sponsalitia largitas? Idemque quæritur de amicis. Vbi varia afferuntur pro praxi vtilia distinguendo tempus, quo conferuntur, & intentionem conferentium, aliasque circumstantias ex quibus discerni possit, an data quidem sint vni, sed in gratiam alterius, vt illi potius acquirantur, quam accipienti? disputat.6.numer. 344 & seqq.

An, si pars bonorum quæ vir habebat tempore sponsalitiæ largitatis, euincatur postea, minuenda sit eo ipso sponsalitia largitas, vt non excedat octauam bonorum partem? disputat.6. numer.411. & seqq. præsertim.num.413.

An in conscientia valeat promissio arrarum vltra decimam, & sponsalitia largitas vltra octauam? d.6. n.424 & seqq.

An sponsalitia largitas vltra octauam confirmetur iuramento; vel saltem obliget iuramentum? d.6.num. 430. & 453.

An sponsalitia largitas habentis ascendentes & descendentes extrahenda sit ex ea solùm parte, de quâ potest quis disponere, vel de toto bonorum cumulo? d.6. n.452. & 453.

An valeat sponsalitia largitas facta per minorem? disput.6.num.459. idem quæritur in simili de arris, & de vtroque deciditur.num. 464. an valeant si firmentur iuramento?

An valeat sponsalitia largitas à filiofamilias inconsulto Patre? d.6.n.465.

An mulier secundò nubens teneatur filiis superstitibus prioris matrimonij integram sponsalitiam largitatem seruare, & nullum meliorare, vel possit disponere de illa, sicut de aliis bonis? disputat.6.nu.477. & seqq. Idem in simili de arris quæritur, & resolutio concluditur.num.479.

Stuprum.

Quid sit stuprum? & quæ eius malitia? & quæ obligationes inde soleant, aut possint resultare? d.9.num. 346. & seqq.

Surdus.

An possit Surdus contrahere matrimonium? vide verbo Matrimonij consensus.

T.

Tactus oscula & alia venerea *vt* turpiloquia.

An tactus turpes, turpiloquia & similia inter coniuges si fiant tantum ob capiendam voluptatem veneream in ipsis tactibus repertam, sint liciti vel illiciti, mortalia vel venialia peccata? d.9.n.182. & seqq. vbi etiam agitur de iis tactibus in persona coniugata tangente se ipsam in absentia coniugis.

An & quatenus liceant vel non liceant tactus, oscula, amplexus inter sponsos de futuro? d.9.n.192. & 193 loco ibi notato.

Quid inter omnino solutos? Remissiuè.n.300.

Tutor.

An tutores possint contrahere sponsalia pro suis minorennibus nondum habentibus septennium? disputat. 1.numer.300.

V.

Virgo.

An quæ virgo non erat veniens ad matrimonium possit acquirere & retinere arras? & an arræ dentur in præmium virginitatis? disputation. 6.numer.377. & seqq.

An peccet, quæ vtitur mediis aliàs licitis, vt virginitatis defectum tegat, & tamquam virgo nubat? Idem quæritur de parentibus, aut aliis conscij eius defectus, & eam pro virgine offerentibus sponso. disp.6.n. 384 & seqq.

Quid si sit periculum quod maritus deprehendat talem defectum, & agerrimè ferat? peccabitne mortaliter virgo pro tali reputata, & pro tali se gerens sic nubendo? d.6.n.388. & seqq. vbi agitur etiam de specie talis peccati.

Vsus & actus coniugalis.

Vide verbo Debitum coniugale *& verbo* Tactus.

Votum.

Vide verbum Debitum coniugale *& verbum* Dispensatio.

An votum solemne Religiosi dissoluat matrimonium ratum, & quo iure? disputat. 2. numer. 375. & seqq.

An vota Religiosa quidem sed simplicia emissa post biennium in Societate Iesu, vel alia simplicia coadiutorum formatorum dissoluant matrimonium ratum non consummatum? disputat. 2. numer. 396. & seqq.

Voti dispensatio propriè dispensatio non est, neque Deus facit aut alius loco & nomine Dei vt manente voto eiusque acceptatione non teneatur vouens; sed remittendo verbum promissionis, cessat obligatio &c. disputation. 2. numer. 539. adiunctâ doctrinâ præcedente præsertim, quæ habetur. numer. 537.

FINIS.

Breuis admonitio ad lectorem pro corrigendis erratis graphicis.

Auctore procul absente non omnino præcaueri potuerunt graphica errata; omissis vero leuioribus & facilioribus, quædam visa sunt non dissimulanda. Atque imprimis quibusdam in locis particula *non* aut *nec* aliaue similis vel omissa fuit, vel irrepsit satis importunè, quod, nisi notetur videri posset sententia minus adiunctis cohærens imo contraria. Hæc in syllabo erratorum notata sunt asteriſco. Quædam simul alia maioris momenti adiunguntur. Quapropter benignum lectorem exoratum cupit Auctor, vt subiectum syllabum consulere dignetur si fortè in aliquem locum incidat, vbi oratio vel dura, vel obscura, fatiscens hiulca, vel abrupta esse videatur.

ERRATA CORRIGENDA.

Litera. P. significat paginam n. numerum marginalem. l. significat lineam quota sit ab initio notati numeri, etiamsi numerus fortè inceperit in præcedente paginâ post designatam lineam ponitur error & littera c. significat correctionem, quæ sequitur.

P. 2. n. 1 l. 17. placida. c. placita.

* P. 13. n. 56. l. 7. animus se c. animus non se.

P 15. n. 74. l. 6. inducere. c. induere.

* P. 16. n. 74. l 48. celebrandi mutua. c. celebrandi non mutua.

P. 22. n. 133. l. 12. efficere. c. afficere.

P. 65. n. 520. l. 23. translato c. transacto.

* P. 74. n. 577. l. 8. contemnendam. c. non contemnendam.

P 85 n. 8. l. 9. statim. c oratio.

* P. 93 n. 60. l 8. non sufficit. c. sufficit.

P. 96 n. 74 l. penultima, Pactibus. c. Patribus.

P. 123. n. 232. l. 3. & formam. c. & consensus formam.

* P. 125. n. 244. l. 4. omnino non. c omnino.

* P. 163. n. 499. l. 1. noluisse. c. voluisse.

* P. 173. n. 22. l. 1 vlterius etiam. c. vlterius est nõ baptizatos etiam.

P. 196. n. 172. l. 7. Religionis. c. Regionis.

P. 222. n. 28. l. 13. anasij. c. amasij.

* P. 226. n. 62. §. *Secũda probabilior.* l. 2. prouenire non. c. prouenire solùm.

P. 275 n. 200 l. 12. purificatur. c. perficiatur.

P. 281. n. 238. l. 17. confessione c. concessione.

P. 288. n. 47. l. 5. Donaturus c. Donatarius.

P. 308. n. 216. l. 6. & l. 8 & l. 11. & n sequenti l. 2. possessione. c. Professione.

P. eadem n. 218. l 17. promissionem. c. Professionem.

P. 313 n 254. l. 13. sponsam. c sponsum.

P. 345. n. 65. l. vltima, per metum. c per dolum.

* P. eadẽ. n. 66 l penultima, nec traditio c. sed traditio.

* P 359. n. 170. l. 2. quia noluit. c quia voluit.

* P. 376. n. 280 l. 11. contrahere. c. non contrahere.

* P. 403. n. 495. l. vltima. sed maleficato. c. nec maleficiato.

* P 408. n 540 l. 8. obest. c. non obest.

* P 409. n 547 l. 6. non destruendi. c. destruendi.

* P. 436 n. 14. l. 13 illegitima. c. legitima.

P. 437. n. 20. l. a fine 11. accusare c. causare.

P. 449. n. 102. l. 13. antequàm c. cessante causa antequàm.

P. 453. n 127. l 8. diuino c. positiuo.

* P. 487. n. 244. l. 3. licitè exigit c. illicitè exigit.

* P. eadem. n. eodem l. eadem, exigit, licitè c. exigit, illicitè.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

DE
SACRAM

TOM.
3.

B
6
94